Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Omnia quotquot extant D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis opera

https://hdl.handle.net/1874/429131

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

G. fo.
221

17



Patres Ecclesiae
Folio n°. 221.

II° C° III

~~N 17 C~~

N° 66 M

QVARTVS TOMVS

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI OPERVM,

CONTINENS EXPLANATIONES, HOC EST, EA QVAE FACIVNT ad interpretationem diuinarum ſcripturarum Veteris Teſtamenti, cum alijs quibuſdam, quæ uerſa facie licet uidere.

Johannis Drelshagen Protho. Aplici.

Ex donatione Buchelii

BASILEAE M. D. LV.

D. ERASMVS LECTORI.

Hic quartus Tomus cõplectitur ſcripturarum explanationes, in quibus eſt libellus De Salomone, argutus & eruditus, ſed nõnihil diſſonans à ſtylo Ambroſiano. Additæ ſunt his duæ precationes præparantes ſacerdotem aditurum miſſæ munus: quas ut pias, nec indoctas fateor, ita iudico non eſſe Ambroſii. Præter has acceſſere duo libelli, alter Apologia Dauid, alter de Interpellatione Dauid inſcriptus, de quibus quid cenſeam, ex præmiſſa illis epiſtola ad Illuſtriſſimum principem Iuliacenſem, cõgnoſces. Bene uale.

CATALOGVS IIII. TOMI.

Hexaemeron libri	VI	De interpellatione	III
De dignitate humanæ cõditiõis, libellus.		Apologia Dauid	I
De paradiſo liber	I	De Apologia Dauid liber alter	
De Cain, & Abel, libri	II	De interpellatione Dauid	I
De Noe, & arca	I	De Salomone	I
De Abraham patriarcha	II	De iis qui initiantur myſteriis	I
De Iſaac, & anima	I	De ſacramentis Eccleſiæ	VI
De bono mortis	I	De dignitate ſacerdotali	I
De Ioſeph patriarcha	I	Precationes præparantes ad miſſam	II
De benedictionibus patriarcharum	I	Commentarij in xij. pſalmos Dauidicos, nempe i. xxxv. xxxvi. xxxvij. xxxviij. xxxix. xl. xlij. xlv. xlvij. xlviij. & lxi.	
De Nabuthe Ieſraelita	I		
De Iacob, & beata uita	II		
De Eſau, ſiue de fuga ſeculi	I	Item Commentarij in pſalmum cxvij. in xxij. ſermones diſtincti.	
De Helia & ieiunio	I		
De Tobia	I		

CAPITA PRIMI LIBRI HEXAEMERON.

De opinionibus philoſophorum, circa rerum principia, mundiq; unitatem ac durationem errantium. Caput I

De confutatione præmiſſarum opinionum per ſanctum Moyſem docentem, in principio deum feciſſe cœlum & terram. Caput II

Quòd nõ uanis abduci debeamus opinionibus, ſed ſequi ipſum Moyſem, qui & authorem mundi nouit & gubernatorem. Cap. III

De multiplici relatione & acceptione principij, & quibus modis intelligi poſſit In principio deum feciſſe cœlum & terram. Cap. IIII

Quòd hic mũdus diuinæ ſit ſpecimẽ operationis, ac diuinæ maieſtatis inſigne. Quodq; filius imago ſit dei, & ſplendor paternæ gloriæ. Et quòd per ipſum, & in ipſum creata ſint omnia. Cap. V

Quòd in principio temporis cœlum & terram deum feciſſe, ad preſentem ſufficiat aſſertionem, & cur author prolixiorem uitauerit collectionẽ. Quodq; de qualitate & ſubſtantia cœli, terræ quoq; uel qualitate uel poſitione, ſatis ſit ad ſciẽtiam, quod ſcripturarum diuinarum ſeries comprehendit. Cap. VI

Quomodo, quá ue ratione terra facta in principio fuerit inuiſibilis: Et cur deus cum res fecit, non ſimul ornatus illis congruos donauerit. Cap. VII

Quomodo, & quam ob cauſſam terra fuerit incompoſita, & quòd per tenebras quæ erant ſuper faciem abyſſi, non intelligantur malæ poteſtates, quòd earũ malitiam deus creauerit. Quòd etiam ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, non pro alio quàm ſpiritu ſancto accipiatur: cum aperta demonſtratione, quòd malitia ex nobis orta ſit, & nõ à deo creatore condita. Cap. VIII

De creatione lucis, per quam ornata ſunt prius condita, & de diſtinctione inter lucẽ & tenebras, atq; ita inter diem & noctem. Cap. IX

Quòd non diei nox, ſed dies nocti ſecundum ſcripturam anteferatur, & de unitate diei, in quo cœlum & terra cæteraq; ſunt condita & creata. Cap. X

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI HE-
XAEMERON LIBER PRIMVS.

De opinionibus philosophorum circa rerum principia, mundiq; unitatem ac durationem errantium. Caput I

ANTVM'ne opinionis assumpsisse homines, ut aliqui eorum tria principia constituerent omniũ, deum, & exemplar, & materiam: sicut Plato, discipuliq; eius: & ea incorrupta & increata, ac sine initio esse asseuerarent: deumq; non tanquam creatorẽ materię, sed tanquã artificem ad exemplar, hoc est ideam intendentem, fecisse mundum de materia quam uocãt hylen, quæ gignendi causas rebus omnibus dedisse asseratur: ipsum quoq; mundum incorruptum, nec creatum aut factum existimarent: aliq; quoq;, ut Aristoteles cum suis disputandum putauit, ut duo principia ponerent, materiam, & speciem: & tertiũ cum ijs quod operatorium dicitur, cui suppeteret cõpetenter efficere, quod adoriundũ putasset? Quid igitur tam inconueniens, quàm ut æternitatem operis cum dei omnipotentis coniungerent æternitate, uel ipsum opus deũ esse dicerent, ut cœlum & terram & mare diuinis prosequerentur honoribus? Ex quo factum est ut partes mundi deos esse crederent: quamuis de ipso mundo non mediocris inter eos quæstio sit. Nam Pythagoras unum mundum asserit, aliq; innumerabiles dicunt esse mundos, ut scripsit Democritus, cui plurimum de physicis authoritatis uetustas detulit. Ipsum quoq; mundum semper fuisse & fore Aristoteles usurpat dicere, contrà autẽ Plato nõ semper fuisse, sed semper fore præsumit astruere, plurimi uerò nec fuisse semper, nec semper fore scriptis suis testificantur. Inter has dissensiones eorum quæ potest esse ueri æstimatio, cum aliq; mundum ipsum deum esse dicant, quod ei mens diuina, ut putant, inesse uideatur: aliq; partes eius, aliq; utrumq;: in quo nec quæ figura sit deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut uita possit aut cura comprehendi? Siquidem mundi æstimatione uolubilem, rotundũ, ardentem, quibusdam incitatum motibus, sine sensu deum conueniat intelligi, qui alieno non suo motu feratur.

De confutatione præmissarum opinionum per sanctum Moysen docentem in principio deum fecisse cœlum & terram. Caput II

VNde diuino spiritu præuidens sanctus Moyses hos hominũ errores fore, & iam fortè cœpisse, in exordio sermonis sui sic ait: In principio fecit deus cœlum & terram.] Initium rerum, authorẽ mundi, creationẽ materiæ comprehendens, ut deum cognosceres ante initium mundi esse, uel ipsum esse initium uniuersorum: sicut in Euangelio dei filius dicentibus sibi, Tu quis es, respondit: Initium, quod & loquor uobis: & ipsum dedisse gignendis rebus initium, & ipsum esse creatorẽ mundi, non idea quadam duce imitatorẽ materiæ, ex qua non ad arbitrium suum, sed ad speciem propositam sua opera formaret. Pulchrè quoq; ait: In principio fecit.] ut incõprehensibilem celeritatem operis exprimeret, cum effectum prius operationis impletæ, cq; indicium cœptæ explicuisset. Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moyses utiq; ille eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis ut filium dilexit, & subsidijs regalibus fultum, omnibus secularis prudentiæ disciplinis informari atq; instrui desiderauit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum quod ex aqua constarent omnia, ut Thales dixit. Et cum esset in aula educatus regia: maluit tamen pro amore iustitiæ subire exilium uoluntarium, quàm in tyrannidis fastigio peccati perfunctionem delicijs acquirere. Deniq; priusquàm ad populi liberandi munus uocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, accipientem iniuriam de populanibus suis ultus, inuidiæ sese dedit, uoluptatiq; eripuit: atq; omnes regiæ domus declinans

Gen. 1

Ioan. 8

Exod. 2

clinans tumultus, in secretum Aethiopiæ se cõtulit, ibiq; à cæteris negocijs remotus, totum diuinæ cognitioni animum intendit, ut gloriam dei uideret facie ad faciem. Cui te-
Deut. 32 stificatur scriptura quia nemo surrexit amplius propheta in Israel sicut Moyses, qui sciuit dominũ facie ad facẽ. Non in uisione, neq; in somnio, sed ore ad os cum deo summo locutus: neq; in specie, neq; per ænigmata, sed clara atq; perspicua præsentiæ diuinæ dignatione donatus. Is itaq; Moyses aperuit os suũ, & effudit quæ in eo dominus loqueba-
Exod. 4 tur, secundũ quod ei dixerat cũ eum ad Pharaonẽ regem dirigeret: Vade ergo, & ego aperiam os tuũ, & instruã te quid debeas loqui. Etenim si quod de populo dimittendo diceret, à deo acceperat, quãtò magis quod de cœlo loqueretur? Denicq; nõ in persuasione humanæ sapiẽtiæ, nec in philosophiæ simulatorijs disputationibus, sed in ostensione spiritus & uirtutis, tanquã testis diuini operis ausus est dicere: In principio fecit deus cœlũ & terrã. Non ille ut atomorũ concursione mundus coiret, serũ atq; ociosum expectauit negociũ: neq; disciplinã quandam materiæ, quam cõtemplando mundũ posset effingere, sed authorẽ deũ exprimendũ putauit. Aduertit enim uir plenus prudentiæ, quòd uisibiliũ atq; inuisibiliũ origines substantiarũ, & caussas rerũ mens sola diuina cõtineat, nõ ut philosophi disputant, ualidiorẽ atomorũ complexionẽ perseuerantiæ iugis præstare caussam, & iudicauit quòd telam araneæ texerent qui sic minuta & insubstantiua principia cœlo ac terris darẽt: quæ ut fortuito cõiungerentur, ita fortuito ac temere dissoluerẽtur, nisi in sui gubernatoris diuina uirtute constarent. Nec immerito gubernatorem nesciunt, qui nõ nouerunt deum, per quem omnia reguntur & gubernantur.

Quòd non uanis abduci debeamus opinionibus, sed sequi ipsum Moysen, qui & authorem mundi nouit & gubernatorem. Caput III

Equamur ergo eum qui & authorem nouit & gubernatorẽ, nec uanis abducamur opinionibus. In principio, inquit. Quàm bonus ordo, ut illud primũ assereret, quod negare consueuerunt, & cognoscerent principium esse mundi, ne sine principio mundum esse homines arbitrarentur. Vnde & Dauid cum de cœlo
Psal. 103 & terra & mari loqueretur, ait: Omnia in sapientia fecisti. Dedit ergo principium mundo, dedit etiam creaturæ informẽ materiã, ne anarchon, ne increatũ, & diuinæ consortẽ substantiæ crederemus. Et pulchrè addidit de celeritate conditionis, Fecit, ne mora in faciendo fuisse existimaretur: ut uel sic intelligerent homines quàm incõparabilis operator esset, qui tantum opus breui exiguoq; momento suę operationis absolueret, ut uoluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantẽ uidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora, cum legas: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creaIbidem 148 ta sunt? Nec artis igitur usum nec uirtutis expendit, qui momento suæ uoluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, ut ea quæ non erant, esse faceret, tam uelociter, ut neq; uoluntas operationi præcurreret, neq; operatio uoluntati. Miraris opus, quæris operatorem quis principium tanti operis dederit, quis tam cito fecerit, subiecit statim dicens: Quia deus fecit cœlum & terram. Audisti authorem, dubitare non debes. Hic est
Genes. 14 in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium, dicens: Benedictus Abraham deo summo, qui fecit cœlum & terram. Et credidit Abraham deo, & ait: Extendam manum meam ad deum summum, qui fecit cœlum & terram. Vides quia
Hebr. 7 hoc non homo inuenit, sed deus annunciauit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis & iustitiæ, nec initium dierum neq; finem habens. Non mirum ergo si deus qui est sine initio, initium omnibus dedit, ut quæ non erant, esse inciperẽt. Non mirum si deus qui omnia uirtute sua continet, & incomprehensibili maiestate uniuersa complectitur, fecit hæc quæ uidentur: cum etiam illa fecerit quæ non uidentur. Inuisibilia autẽ ijs quę uidentur potiora esse quis neget, cum ea quæ uidentur, temporalia sint, æterna autem quæ non uidentur? Quis dubitet quod deus hęc fecerit, qui per prophetam locutus ait:
Esa. 40 Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & uniuersam terrã clausa manu? Quis
Rom. 11 statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Quis cognouit sensum domini, aut quis eius consiliarius fuit, uel quis instruxit eum? De quo etiam alibi legi-
Hier. 51 mus: Quia tenet circuitu terræ, & terram uelut nihilum fecit. Et Hieremias ait: Dij qui non fecerunt cœlum & terram, peribunt à terra, & de sub cœlo isto. Dominus qui fecit terram in uirtute sua, & correxit in sapientia sua orbem, & in sua prudentia extendit

cœlum,

cœlum,& multitudinẽ aquæ in cœlo.Et addidit:Infatuatus eſt homo à ſcientia ſua. Qui enim corruptibilia mundi ſequitur,& ex his putat quod diuinæ poſſit naturę cõprehendere ueritatem,quomodo non infatuatur uerſutæ diſputationis aſtutia? Cum ergo tot oracula audias quibus teſtificatur deus quod fecerit mundum, noli eum ſine principio eſſe credere, quia quaſi ſphæra mundus eſſe dicatur, ut principium eius nullum uideatur extare: & cum intonat, quaſi in circuitu omnia cõmoueantur: ut unde incipiat, ubi deſinat,non facilè comprehendas: quia circuitus principium ſenſu colligere impoſſibile habetur. Neque enim ſphæræ potes initium reperire,uel unde cœperit globus lunæ, uel ubi deſinat menſtrua lunæ defectio. Neque uerò ſi ipſe non comprehendas,idcirco non cœpit,aut nequaquam deſinet.Si ipſe circuitum uel atramento uel graphio ducas, uel centro exprimas,unde cœperis, aut ubi deſieris,interuallo interpoſito, nõ facilè uel oculis colligis, uel mente repetis: & tamẽ & cœpiſſe & deſiuiſſe ipſe tibi teſtis es. Nam etſi ſenſui ſubterfugit, ueritatem non ſubruit. Quæ autem initium habent & finem habent: & quibus finis datur,initium datum conſtat.Finem autem mundi futurũ ipſe Saluator docet in Euangelio ſuo dicens: Præterit enim figura huius mundi: &,Cœlum & terra præteribunt. Et infrà: Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem mundi. Quomodo ergo coæternum deo mundum aſſerunt,& creatori omnium ſociant,atq; æqualem eſſe diſputant creaturam, corpuſq; materiale mundi inuiſibili illi atq; inacceſſibili naturæ diuinæ coniungendum putant, cum præſertim ſecundum ſuam ſententiam non poſſint negare,quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati ſubiacent, huius neceſſe eſt uniuerſitatem iſdem paſſionibus quibus propriæ portiones eius ſunt obnoxiæ, ſubiacere?

1.Cor.7
Lucæ 21
Matth. 28

De multiplici relatione & acceptione principij, & quibus modis intelligi poſſit,in principio deum feciſſe cœlum terram. Caput IIII

P Rincipium igitur eſſe docet qui dicit: In principio fecit deus cœlum & terram.] Principium aut ad tempus refertur, aut ad numerũ,aut ad fundamentum,quomodo in ædificanda domo initium fundamentum eſt. Principium quoq; peruerſionis & deprauationis dici poſſe,ſcripturarum cognoſcimus authoritate. Eſt & principium artis, ars ipſa, ex qua artificum diuerſorum deinceps cœpit operatio. Eſt etiam principium bonorũ operũ finis optimus, ut miſericordiæ principium eſt deo placere quod facias. Etenim ad conferendum hominibus ſubſidium maximè prouocamur. Eſt etiam uirtus diuina quæ hac exprimitur appellatione. Ad tempus refertur,ſi uelis diſcere,in quo tempore deus fecit cœlum & terram,id eſt,in exordio mundi quando fieri cœpit,ſicut ait ſapientia: cum pararet cœlum, cum illo eram. Ad numerum autem ſi referas,ita conuenit ut accipias: In primis fecit deus cœlum & terram: deinde colles, regiones,fines inhabitabiles. Vel ſic: Ante reliquas uiſibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera,animantium genera diuerſa,cœlum & terrã fecit. Si uerò ad fundamentum referas,principium terræ fundamenta eſſe legiſti,dicente ſapientia: Quando fortia faciebat fundamenta terræ,eram penes illum cuncta cõponens. Eſt etiam bonæ principium diſciplinæ,ſicut eſt illud:Initium ſapientiæ eſt timor domini: quoniã qui timet dominũ,declinat errorẽ,& ad uirtutis ſemitã uias ſuas dirigit. Niſi enim quis timuerit deũ, nõ poteſt renũciare peccato.Quod æquè etiam de illo poſſumus accipere: Menſis hic initium menſium erit uobis.quamuis & de tempore iſtud accipiatur,quia de paſcha domini loquebatur, quod ueris initio celebratur. In hoc ergo principio menſiũ cœlum & terram fecit, quod inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus uerna tẽperies. Vnde &annus mundi imaginẽ naſcentis expreſſit,ut poſt hybernas glacies atq; hyemales caligines, ſerenior ſolito uerni tẽporis ſplendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorũ curriculis mundi primus exortus,ut ea lege annorum uices ſurgerent,atq; initio cuiuſq; anni produceret terra noua ſeminũ germina,quo primum dominus deus dixerat: Germinet terra herbam fœni,ſeminans ſemen ſecundum genus & ſecundum ſimilitudinem,& lignum fructiferum faciens fructum.Et ſtatim produxit terra herbam fœni, & lignum fructiferum, in quo nobis & moderationis perpetuæ diuina prouidentia,& celeritas terræ germinantis ad æſtimationem uernæ ſuffragatur ætatis. Nam etſi quocunq; tempore & deo iubere promptum fuit & terræ obedire naturæ, ut

Prouerb. 8
Ibidem
Eccli 1
Exod. 12
Gen. 1

inter hybernas glacies & hyemales pruinas, cœleſtis imperij fotu germinans terra fœtum produceret, non erat tamen diſpoſitionis æternæ, rigido ſtricta gelu in uirides ſubito fructus laxari arua, atque horrentibus pruinis florulenta miſceri. Ergo ut oſtenderet ſcriptura ueris tempora in conſtitutione mundi ait: Menſis hic uobis initium menſium: primus eſt uobis in menſibus anni. Primum menſem, uernum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium eſſe generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foueri: Neque enim poſſent tenera rerum exordia aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus iniuriam ſuſtinere. Simul illud aduertere licet, quia iure concurrit ut eo tempore uideatur in hanc generationem atq; in hos uſus ingreſſus tributus, quo tempore ex hac generatione in generationem legitimus eſt tranſitus. Siquidem uerno tempore filij Iſrael Aegyptum reliquerunt, & per mare tranſierunt, baptizati in nube & in mari, ut Apoſtolus dixit: Et eo tempore domini quotannis Ieſu Chriſti paſcha celebratur, hoc eſt animarum tranſitus à uitijs ad uirtutem, à paſſionibus carnis ad gratiam ſobrietatemq; mentis, à malitiæ nequitiæq; fermento ad ueritatem & ſyncerit atem regenerationis. Itaq; dicitur: Menſis hic uobis initium menſium: primus eſt uobis in menſibus anni. Derelinquit enim & deſerit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem iſtius mundi, dicens: Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperijs tuis. Nec iam ſeruiet ei uel terrenis huius corporis paſſionibus, uel deprauatæ mentis erroribus: qui demerſa omni malitia, uice plumbi, bonis operibus dextera læuaq; munitus, inoffenſo ſeculi huius freta ſtudet tranſire ueſtigio. In libro quoque qui inſcribitur de Numeris, ait ſcriptura: Initium nationũ Amalech, & ſemen eius peribit: Et utique non omnium nationum primus eſt Amalech, ſed quia per interpretationem Amalech rex accipitur iniquorum, iniquæ autem gentes ſunt, uide ne principem mundi huius accipere debeamus, qui imperat nationibus uoluntatem ſuam facientibus: cuius ſemen peribit. Semen autem eius impij & infideles ſunt, quibus ait dominus: Vos ex patre diabolo eſtis. Eſt etiam initium myſticum, ut illud eſt: Ego ſum primus & nouiſſimus, initium & finis. Et illud in Euangelio præcipuè, quod interrogatus dominus quis eſſet, reſpondit: Initium, quod & loquor uobis. Qui uere & ſecundum diuinitatem eſt initium omnium, quia nemo ante ipſum: & finis, quia nemo ultra ipſum: & ſecundum Euangelium initium eſt uiarum domini in opera eius: ut per ipſum diſceret hominum genus uias domini ſequi, & operari opera dei. In hoc ergo principio, id eſt in Chriſto, fecit deus cœlum & terram: quia per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, uita erat: quia in ipſo conſtant omnia. Et ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ, ſiue quia ante omnem creaturam, ſiue quia ſanctus, quia primogeniti ſancti ſunt, ut primogenitus Iſrael; non quia ante omnes, ſed quia ſanctior cæteris: Sanctus autem dominus ſupra omnẽ creaturam & ſecundum corporis ſuſceptionẽ, quia ſolus ſine peccato, ſolus ſine uanitate: Omnis autem creatura ſubiecta uanitati eſt. Poſſumus etiam intelligere: In principio fecit deus cœlum & terram, id eſt, ante tempus: ſicut initium uiæ, nondum uia: & initium domus, nondum domus. Denique alij dixerunt ἐν κεφαλαίῳ, quaſi in capite, quo ſignificatur in breui & in exiguo momento ſumma operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiant, ſed ante tempus, καὶ κεφάλωμον uel caput; ut dicamus Latinè quaſi ſummam operis, quia rerum uiſibilium ſumma cœlum & terra eſt, quæ non ſolùm ad mundi huius ſpectare uidentur ornatum, ſed etiam ad iudicium rerum inuiſibilium, & quoddam argumentũ eorum quæ non uidentur, ut eſt illud propheticum: Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciat firmamẽtum. Quod ſecutus Apoſtolus alijs uerbis in eadem concluſit ſententia, dicens: Quia inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt intelliguntur. Authorem enim angelorum & dominationum & poteſtatum facilè intelligimus eum qui momento imperij ſui hanc tantam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit eſſe, quæ non erat, & non de extantibus aut rebus aut cauſſis donauit habere ſubſtantiam.

Exod. 12

1. Cor. 10

Num. 24

Ioan. 8

Apoc. 1. & 22

Ioan. 8

Ibidem 1

Coloſſ. 1

Rom. 8

Pſalm. 18

Rom. 1

Quod

Quòd hic mundus diuinæ sit specimẽ operationis, ac diuinæ maiestatis insigne. Quodq; filius imago sit dei, & splendor paternæ glorię. Et quod per ipsum & in ipsum creata sint omnia. Caput V

E Stergo hic mundus diuinæ specimen operationis: quia dum opus uidetur, præfertur operator. Namq; ut istarum artium aliæ sunt actuosæ, quæ sunt in corporis motu, aut sono uocis: cessauit motus aut sonus, nihil superfuit nec remansit spectantibus uel audientibus: aliæ theoreticæ, quæ uigorem mentis exerceãt: aliæ huiusmodi ut cessante quoq; operationis officio, operis munus appareat, ut ædificatio atq; textura, quæ etiam tacente artifice peritiam eius ostendant, ut operatori operis sui testimoniũ suffragetur: Similiter etiam hic mundus diuinæ maiestatis insigne est, ut per ipsum dei sapientia manifestetur. Quem uidens propheta, simul & ad inuisibilia oculos mẽtis attollens, ait: Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. *Psal. 103*
Nec ociose utiq; factũ legimus: quia gentiles pleriq; qui coæternũ deo mundũ uolunt esse, quasi adumbrationẽ uirtutis diuinæ asserunt etiam sua sponte subsistere: & quamuis causſam eius deum esse fateantur, causſam tamen factam uolunt non ex uoluntate & dispositione sua, sed ita ut causſa umbræ, corpus est. Adhæret enim umbra corpori, & fulgor lumini, naturali magis societate, q̃ uoluntate arbitra. Pulchrè ergo ait Moyses, quia fecit deus cœlum & terram. Non dixit, quia subesse fecit, nõ dixit, quia causſam mundo ut esset, præbuit: sed fecit quasi bonus, quod foret utile, quasi sapiens quod optimum iudicabat, quasi omnipotens quod ampliſſimum præuidebat. Quomodo autem quasi umbra esse poterat, ubi corpus non erat, cum incorporei dei corporea adumbratio esse nõ possit? Quomodo etiam incorporei luminis splendor possit esse corporeus? Sed si queris splendorẽ dei, filius est imago dei inuisibilis. Qualis ergo deus est, talis imago. Inuisibilis deus, etiam imago inuisibilis. Est enim splendor gloriæ paternæ, atq; eius imago substantiæ. *Sapien. 7*
In principio, inquit, fecit deus cœlum & terram.] Et factus est ergo mundus: & cœpit esse, qui non erat. Verbum autẽ dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam angeli, dominationes & potestates etsi aliquando cœperunt, erant tamẽ iam quando hic mundus est factus. Omnia nanq; creata & condita sunt, uisibilia & inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & in ipsum creata sunt. Quid est, in ipsum creata? Quia ipse est hæres patris, eò quod à patre in ipsum transierit hæreditas, sicut pater dicit: Posce à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. *Psal. 2*
Quæ tamen hæreditas à patre transit in filium, & in patrem reuertitur â filio. Egregie itaque Apostolus & hoc loco filium dixit authorem omnium, & maiestate sua continentem omnia. Et ad Romanos de patre ait: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ex ipso principium & origo substantiæ uniuersorum, id est, ex uoluntate eius & potestate. Omnia enim ex eius uoluntate cœperunt, quia unus deus pater, ex quo omnia. Etenim tanquam ex suo fecit: quia unde uoluit fecit. Per ipsum continuatio, finis in ipsum. Ex ipso ergo materia, per ipsum operatio quæ ligauit atque constrinxit uniuersa. In ipsum, quia & quamdiu uult omnia eius uirtute manent atque consistunt, & finis eorum in dei uoluntatem recurrit, & eius arbitrio resoluuntur. *Coloss. 1* *Rom. 11*

Quòd in principio temporis cœlum & terram deum fecisse ad præsentem suffi ciat assertionem, & cur author prolixiorem uitauerit collectionem. Quodq; de qualitate & substantia cœli, terræ quoq; uel qualitate uel positione, satis sit ad scientiam, quod scripturarum diuinarum series comprehendit. Caput VI

I N principio itaq; temporis, cœlum & terrã deus fecit. Tempus enim ab hoc mundo, non ante mundum, dies autem temporis portio est, nõ principium.
Et quanquam lectionis serie possimus astruere, quod primo die diem fecerit dominus & noctem, quæ sunt uices temporũ, & secundo die firmamentum fecerit quo discreuit aquã quæ sub cœlo est, & aquam quæ subter cœlum: tamen satis est ad præsentem assertionẽ, quod in principio cœlum fecerit, unde prærogatiua generationis & causa: & terrã fecerit, in qua esset generationis substantia. In his enim quatuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista quæ mundi sunt. Elementa autẽ quatuor, aer, ignis, aqua & terra, quę in omnib. sibi mixta sunt. Siquidem & in terra ignẽ reperies,

qui ex lapidibus & ferro frequenter excutitur: & in cœlo, cum sit ignitus & micans fulgentibus stellis polus, aqua esse possit intelligi, quæ uel supra cœlum est, uel de illo superiore loco in terram largo frequenter imbre demittitur. Quæ pluribus colligere posse-
mus, si quid ad ædificationem ecclesiæ ista proficere uideremus. Sed quia his occupari infructuosum negotium est, ad illa magis intendamus animum, in quibus uitæ sit profectus æternæ. De qualitate igitur & substantia cœli satis est ea promere quæ in Esaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus & usitatis sermonibus qualitatem naturæ cœlestis expressit: dicens quod firmauerit cœlum sicut fumum, subtilem eius naturam nec solidam cupiens declarare. Ad speciem quoq; eius abundat, quod ipse de cœli firmamento locutus est, quia fecit deus cœlum sicut cameram, quod intra cœli ambitū uniuersa claudan-
Psal. 103 tur, quæ uel in mari geruntur, uel terris. Quod similiter significatur cū legitur: Quia cœlum dominus extendit. Extenditur enim uel quasi pellis ad tabernacula protectionis habitationisq; sanctorū, uel quasi liber, ut plurimorū scribantur nomina, qui Christi gratiā
Lucæ 10 fide & deuotione meruerūt, quibus dicitur: Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. De terræ quoq; uel qualitate uel positione tractare, nihil prosit ad spē futuri, cum satis sit ad scientiam, quod scripturarū diuinarum series cōprehendit, quia suspendit terram in nihilo. Quid nobis discutere, utrum in aere pendeat, an super aquam, ut inde nascatur cōtrouersia quomodo aeris natura tenuis & mollior molem possit sustentare terrenam? Aut quomodo, si super aquas, non pondere mergatur in aquam grauis terrarū ruina? Aut quomodo ei maris unda non cedat, & in latera eius sese loco suo mota diffundat? Multi etiam in medio aeris terram esse dixerūt, & mole sua immobilem manere, quod æquabili motu hinc atq; inde ex omni parte propēdeat. De quo satis putamus
Iob 38 dictum à domino ad Iob seruū suum, quando locutus per nubem ait: Vbi eras cum fundarem terram? Indica mihi si habes scientiam. Quis posuit mensuram eius, si nosti? Aut quis est qui superinduxit mensuras super eam, aut super quid circuli eius cōfixi sunt? Et
Sapien. 11 infrà: Concluſi mare portis, & dixi: Vsq; huc uenies, & nō transibis, sed in te cōminuentur fluctus tui. Non ne euidenter ostendit deus omnia maiestate sua consistere in numero, pondere atq; mensura? Neq; enim creatura legem tribuit, sed accepit, & seruat acceptam. Nō ergo quod in medio sit terra, quasi æqua lance suspenditur, sed quia maiestas dei uoluntatis suæ eam lege constringit, ut supra instabile atq; inane stabilis perseueret:
Psal. 92 sicut Dauid quoq; propheta testatur dicēs: Fundauit terram super firmamentū eius, nō inclinabitur in seculū seculi. Non utiq; hic quasi tantūmodo artifex deus, sed quasi omnipotens prædicat, qui nō centro quodam terrā, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur. Non ergo mensurā centri, sed iudicij diuini accipere debemus, quia nō artis mensura est, sed potestatis, mensura iustitiæ, mēsura cognitionis, quia omnia nō tanquam immensa prætereant eius scientiam, sed cognitioni eius tanquā di-
Ibidem 74 mensa subiaceant. Neq; enim cum legimus: Ego confirmaui columnas eius: uerè columnis eam subnixā possumus æstimare, sed ea uirtute quæ suffulciat substantiam terræ atq; sustineat. Denique quia in potestate dei sit terræ constitutio, etiam hinc collige, quia
Ibidem 103 scriptū est: Qui aspicit terram, & facit eam tremere. Et alibi: Adhuc ego semel concutio terram. Non ergo libramentis suis immobilis manet, sed frequenter dei nutu & arbi-
Iob 26 trio cōmouetur, sicut & Iob dicit: Quia dominus cōmouet eam à fundamentis: columnæ autē eius exagitantur. Et alibi: Nuda inferna in conspectu eius, & nō est morti inuolucrū, extendens boream pro nihilo, suspendens terrā in nihilum, alligans aquā in nubibus suis. Columnæ cœli auolauerūt, & expauerūt ab increpatione eius, uirtute mitigauit mare, disciplina strauit cetū, clauſtra autē cœli timent eum. Voluntate igitur dei immobilis manet & stat in seculum terra & secundū Ecclesiastæ sententiā uoluntate dei & mouetur, & nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed dominus statuit eam, & firmamēto uoluntatis suæ cōtinet: quia in manu eius
Psal. 94 omnes fines terræ. Et hæc fidei simplicitas argumētis omnibus antecellit. Laudent alij quod ideo nusquā decidat terra, quia secundum naturā in medio regionē possideat suā, eo quòd necesse sit eam manere in regione sua, nec in partē declinari alteram: quando contra naturā non mouetur, sed secundum naturā, prędicent artificis diuini & operatoris æterni excellentiā. Quis enim artificū non ab illo accepit? aut quis dedit mulieribus

texturæ

texturæ ſapientiam, aut uarietatis diſciplinã? Ego tamen qui profundũ maieſtatis eius, & artis excellentiam nõ queo cõprehendere, nõ diſputatorijs me libramentis cõmitto, atq; menſuris: ſed omnia repoſita in eius exiſtimo poteſtate, quod uoluntas eius, fundamentũ ſit uniuerſorũ, & propter eũ adhuc mundus hic maneat. Quod Apoſtolicæ quoque licet aſtruere authoritatis exemplo. Scriptum eſt enim: Quia uanitati creatura ſubiecta eſt, nõ ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Liberabitur aũt & ipſa creatura à ſeruitute corruptionis, cum gratia diuinæ remunerationis affulſerit. De natura autẽ & qualitate ſubſtantiæ cœli quid enumerẽ ea quæ diſputationibus ſuis philoſophi texuerunt: cum alij compoſitũ cœlum ex quatuor elementis aſſerant, alij quintã quandam naturam noui corporis ad conſtitutionẽ eius inducant, atq; affingant æthereum eſſe corpus, cui neq; ignis admixtus ſit, neq; aer, neq; aqua, neq; terra: quod huiuſmodi elementa ſuũ quendam curſum habeant atq; uſum & motũ naturæ, ut grauiora demergãt & in pronũ ferantur, uacua & leuia in ſuperiora ſe ſubrigant. Eſt enim proprius cuiq; motus. In ſphæræ autẽ circuitu iſta confundi, & uim ſui curſus amittere, quoniam ſphæra in orbem ſuũ uoluitur, & ſuperiora inferioribus, ſuperioribus quoq; inferiora mutãtur. Quorum autem ſecundum naturam motus mutati ſunt, horũ neceſſario ferunt mutari ſolere qualitates ſubſtantiarũ ſuarum. Quid igitur defendimus æthereũ corpus eſſe, ne uideatur corruptioni obnoxium? Quod enim compoſitũ ex corruptibilibus elementis eſt, neceſſe eſt ut reſoluatur. Nam hoc ipſo quod diuerſæ eadem ſint elementa naturæ ſimplicem & inuolubilem motũ habere non poſſunt, cum ſe diuerſus elementorum motus impugnet. Vnus enim motus omnibus aptus eſſe non poteſt, & elementis diſtantibus conuenire. Nam qui leuibus accommodus eſt, fit incommodus grauioribus elementis. Itaq; quando ad ſuperiora motus cœli eſt neceſſarius, terrenis grauatur: quando ad inferiora decurſus expetitur, igneus uigor ille uiolenter attrahitur. Etenim cõtra naturæ ſuę uſum deorſum cogitur. Omne autẽ quod in contrarium cogitur, nõ naturæ ſeruiens ſed neceſſitati, cito ſoluitur, & in ea ſcinditur ex quibus uidetur eſſe compoſitum, in ſuam quamq; regionem ſingulis recurrentibus. Hæc igitur alij conſiderantes ſtabilia eſſe nõ poſſe, ęthereum corpus cœli ſtellarumq; eſſe arbitrati ſunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam cœli putarent manſuram eſſe ſubſtantiam. Sed non iſta opinio propheticæ potuit obuiare ſententiæ, quam diuina quoq; domini Ieſu Chriſti maieſtas dei noſtri in Euangelio cõprobauit. Dixit enim Dauid: Principio terram tu fundaſti domine, & opera manuum tuarũ ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnia ſicut ueſtimentũ ueteraſcent, & tanquam amictum mutabis ea, & mutabuntur: tu uerò ipſe es, & anni tui non deficient. Quod adeo probauit in Euangelio dominus, ut diceret: Cœlum & terra præteribunt, mea autem uerba non præteribunt. Nihil igitur agunt qui propter cœli aſſerendam perpetuitatem, quintum corpus æthereum introducendum putarũt: cum æquè uideant diſſimilem cæteris adiunctam membri unius portionem, labem corpori magis afferre conſueuiſſe. Simul illud aduerte, quia propheta Dauid cum terram priori loco nominauit, & poſtea cœlum, credidit opus eſſe domini declarandum. Quando enim dixit: Et facta ſunt: nihil intereſt quid prius exprimas, cum ſimul utrumq; ſit factum: ne hæc ſaltem prærogatiua cœli diuinæ uideatur adiudicata ſubſtantiæ, ut primogenitæ creaturæ priuilegio potior æſtimetur. Itaq; illos ſuis relinquamus cõtentionibus, qui mutuis diſputationibus ſe refellunt. Nobis autem ſatis eſt ad ſalutem, non diſputationum controuerſia, ſed præceptorum ueritas: nec argumentationis aſtutia, ſed fides mentis, ut ſeruiamus creatori potius quàm creaturæ, qui eſt deus benedictus in ſecula.

Rom. 8

Pſal. 101

Matth. 24

Quomodo qua'ue ratione terra facta in principio fuerit inuiſibilis: Et cur deus cum res fecit, non ſimul ornatus illis congruos donauerit. Cap. VII

Erra autem erat inuiſibilis, & incompoſita.] Bonus artifex prius fundamentum ponit: poſtea fundamento poſito, ædificationis membra diſtinguit, adiungit ornatum. Poſito igitur fundamento terræ, & confirmata cœli ſubſtantia, duo enim iſta ſunt uelut cardines rerũ, ſubtexuit: Terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita.] Quid eſt Erat, niſi forte in infinitum & ſine principio extendant opinionem ſuam, & dicant: Ecce quia materia, id eſt hyle, ſicut philoſophi dicunt, etiam ſecundum

Geneſ. 1

cundum ſcripturam diuinam non habuit initium? Verum hoc dicentibus reſpondebis
Gen. 4 quia ſcriptum eſt: Erat autem Cain operarius terræ. Et de eo qui Iubal dictus eſt, habet
Ibidem ſcriptura: Hic erat pater qui demonſtrauit pſalterium & citharam. Et homo erat in Au-
Iob 1 ſitide regione, cui nomen Iob. Deſinant ergo de uerbo quæſtionẽ mouere, cum præmiſerit Moyſes, quia fecit deus terrã. Erat ergo ex quo facta eſt. Nam ſi ſine principio eam dicunt eſſe, iam nõ ſolum deum, ſed etiam hylen ſine principio dicentes, definiant ubinam erat? Si in loco, ergo etiam locus ſine principio fuiſſe aſtruitur, in quo erat materia rerum quæ principium non habebat. Quod ſi abſurdum uidetur de loco credere, uidete ne forte uolatilem terram debeamus æſtimare, quæ non habens fundamentũ, alarum remigijs ſuſpendebatur. Vnde ergo ei alas ſumimus, niſi forte huc deriuemus prophetici ſermonis interpretationẽ: A pennis terræ prodigia audiuimus? Et illud: Væ terræ auium pennæ? Sed hoc ſi accipiamus, in quo aere uolabat terra? Sine aere enim uolare nõ poterat. Sed aer adhuc eſſe nõ poterat, quia nõ erat. Eſſe nõ poterat, quia non erat ſine rerũ materia elementorũ facta diſtinctio, cum ipſa adhuc elementa facta nõ eſſent. Vbi ergo erat materia iſta alarũ ſuffulta remigijs? In aere nõ erat, quia aer corpus eſt mũdi. Corpus aũt eſſe aerẽ docet lectio, quia emiſſa ſagitta in locũ quem iaculator intendit, inciſus aer ſtatim in ſeipſum reſolutus eſt. Vbi ergo erat hyle, niſi forte dicatur quadam demẽti intentione, quia in deo erat? Ergo deus qui eſt inuiſibilis naturæ atq; inuiolabilis, qui lucẽ habitat inacceſſibilem, incõprehenſibilis & puriſſimus ſpiritus, locus erat materiæ mundialis, & erat in deo mundi portio, cum de hoc mundo nõ ſit nec mens ſer
Ioan. 17 uulorũ eius, ſicut habemus ſcriptũ: De hoc mundo nõ ſunt, ſicut & ego nõ ſum de mundo? Quemadmodum ergo uiſibilia inuiſibilibus, & ei qui ordinẽ ac decorẽ donauit omnibus, incõpoſita copulabantur, niſi fortè quia dixit: Terra aũt erat inuiſibilis:] & inuiſibilem eam per ſubſtantiam credant: & ideo quia aquis operta, uiſibilis corporeis oculis eſſe nõ poterat, quemadmodũ pleraq; in profundo aquarũ ſita, uiſum oculorũ aciẽq; prætereunt. Non enim deo aliquid inuiſibile, ſed creatura mundi creaturæ utiq; æſtimatione cenſetur. Inuiſibilis etiam terra, quia nondum lux quę illuminaret mundum, nondum ſol: poſtea enim luminaria facta ſunt cœli. Quod ſi ſolis radius plerumq; etiam aquis operta illuminat, & profundo merſa ſplendore luminis ſui prodit, quis dubitet deo ea quæ in profundo ſunt, inuiſibilia eſſe non poſſe: niſi fortè ſic accipiamus inuiſibilem terram, quod nondum uerbo dei & protectione uiſitabatur, quæ hominẽ non habebat
Pſal. 13 propter quem dominus reſpiceret in terrã, ſicut ſcriptũ eſt: Dominus reſpexit ſuper fi-
Ibidem 75 lios hominũ, ſi eſt intelligens, aut requirẽs deum? Et alibi ait: De cœlo iaculatus eſt iudicium: terra tremuit, & quieuit. Et merito inuiſibilis, quia incompoſita, quæ figuram & ſpeciem congruentẽ adhuc nõ acceperat à proprio conditore. Et fortaſſe dicant: Cur enim deus, ſicut dixit, & facta ſunt: nõ ſimul ornatus cõgruos rebus aſſurgentibus donauit elementis, quaſi nõ potuerit cœlum inſignitũ ſtellis ſubito ut creatũ eſt reſulgere, & floribus ac fructibus terra ueſtiri? Potuit utiq;, ſed ideo primo facta, poſtea cõpoſita declarantur, ne uere increata, & ſine principio crederẽtur, ſi ſpecies rerũ uelut ingeneratæ ab initio, nõ poſtea additæ uiderentur. Incõpoſita terra legitur, & ijſdem à philoſophis æternitatis quibus deus priuilegijs honoratur. Quid dicerent ſi ab initio eius pulchritudo uernaſſet? Demerſa aquis deſcribitur, uelut cuidam principiorum ſuorum addicta naufragio, & adhuc à nõnullis facta non creditur. Quid ſi decorem primogenitum uin dicaret? Accedit illud quod imitatores nos ſui deus eſſe uoluit, ut primo faciamus aliqua, poſtea uenuſtemus: ne dum ſimul utrumq; adorimur, neutrum poſſimus implere. Fides autẽ noſtra quodam gradu creſcit. Ideo primum fecit deus, poſtea uenuſtauit, ut eundem credamus ornaſſe qui fecit, & feciſſe qui ornauerit: ne alterũ putemus ornaſſe, alterum creauiſſe, ſed eundem utrumq; eſſe operatum: ut primo faceret, poſtea compo-
Ioan. 11 neret, ne alterũ alteri deeſſe crederetur. Habes in Euangelio huius rei euidens teſtimonium. Nam ſuſcitaturus Lazarum dominus, iuſſit ut Iudæi remouerent lapidem de ſepulchro, ut mortuũ uidentes, poſtea reſuſcitatũ crederent. Deinde uocauit Lazarum, & reſurrexit, & ligatis manibus & pedibus exijt foras. Non ne poterat remouere lapidẽ, qui poterat mortuum ſuſcitare? Et qui potuit defuncto uitam reddere, nõ potuit nexus ſoluere uinculorũ? Cui uinctis pedibus greſſum dedit, huic nõ potuit ruptis uinculis in-

ceſſum

ceſſum redderet? Sed utiq; aduertimus quod uoluit primo demonſtrare mortuum, ut oculis ſuis crederent: deinde reſuſcitare, tertio iubere, ut ipſi uincula funeris ſoluerent, ut inter iſta fides infunderetur infidelibus, & per gradus quoſdam credulitas naſceretur.

Quomodo & quam ob cauſſam terra fuerit incompoſita, & quod per tenebras quæ erant ſuper faciem abyſſi, non intelligãtur malæ poteſtates, quod earũ malitiam deus creauerit. Quod etiam ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, non pro alio quàm ſpiritu ſancto accipiatur, cum aperta demonſtratione quod malitia ex nobis orta ſit, & non à deo creatore condita. Cap. VIII

F Ecit ergo primũ deus cœlum & terram, & ea tamen non quaſi perpetua, ſed quaſi corruptibilis creaturæ cõſummationi uoluit ſubiacere. Vnde in Eſaiæ libro ait: Tollite in cœlum oculos ueſtros, & aſpicite terrã deorſum, quia cœlum ut fumus ſolidatũ eſt, terra autẽ ut ueſtimentum ueteraſcet. Hæc terra eſt quæ ante erat incõpoſita. Nondũ enim erant maria ſuo fine diſtincta, & ideo uago fluctu, & profundo gurgite terra inundabat. Conſidera quia etiam nunc paluſtri uligine terra inhorrere conſueuit, nec patiens eſt uomeris ubi infuſus terris humor exundat. Erat ergo incõpoſita, utpote ſolertis agricolæ inarata culturis, quia adhuc deerat cultor. Erat incompoſita, quia nuda gignentiũ, nec thoris herboſa riparũ, nec opaca nemoribus, nec læta ſegetibus, nec umbroſa ſuperciliis montiũ, nec odora floribus, nec grata uinetis. Meritò incõpoſita, quæ ornatibus indigebat, cui deerant uitiũ ſerta gemmantiũ. Oſtendere enim uoluit deus quia nec mundus ipſe haberet gratiã, niſi eum uario cultu operator ornaſſet. Cœlum ipſum intextũ nubibus, horrorẽ oculis, mœſtitiã animis excitare conſueuit. Terra imbribus madefacta, faſtidio eſt, maria procellis turbata, quos nõ incutiũt metus? Pulcherrima eſt rerũ ſpecies, ſed quid eſſet ſine lumine? quid ſine temperie? quid ſine aquarũ cõgregatione, quibus ante dimerſa poli huius habebãtur exordia? Tolle Solem terris, tolle cœlis ſtellarũ globos, omnia tenebris inhorreſcũt. Sic erant anteq; lumẽ huic mundo dominus infunderet. Et ideo ſcriptura ait: Quia tenebræ erant ſuper abyſſum.] Tenebræ erant: quia ſplendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aer ipſe tenebroſus eſt. Aqua ipſa ſub nube tenebroſa eſt, quia tenebroſa aqua in nubibus aeris. Erant ergo tenebræ ſuper abyſſos aquarũ. Non enim malas intelligendum arbitror poteſtates, quod dominus earũ malitiam creauerit, cùm utiq; nõ ſubſtantialis, ſed accidens ſit malitia, quæ à naturæ bonitate deflexit. Itaq; in cõſtitutione mundi opinio malitiæ interim ſequeſtretur, ne diuinæ operationi, & pulcherrimæ creaturæ, ea quæ decolora ſunt, admiſcere uideamur, maximè cum ſequatur: Et ſpiritus dei ſuperferebatur ſuper aquas.] Quem etſi aliqui pro aere accipiant, aliqui pro ſpiritu, quẽ ſpiramus & carpimus auræ huius uitalis ſpiritũ, nos tamen cum ſanctorum & fidelium ſententia congruentes, ſpiritum ſanctum accipimus, ut in conſtitutione mundi operatio trinitatis eluceat. Præmiſſo enim, quia in principio fecit deus cœlũ & terrã, id eſt, in Chriſto fecit deus, uel filius dei deus fecit, uel per filiũ deus fecit: quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil: ſupererat plenitudo operationis in ſpiritu, ſicut ſcriptũ eſt: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Itaq; quemadmodum in Pſalmo docemur operationem uerbi, quod eſt uerbum dei, & uirtutem quam dedit ſpiritus ſanctus: ita hic propheticũ reſultauit oraculum, quia deus dixit, & deus fecit, ſpiritus quoq; dei ſuperferebatur ſuper aquas. Ornando enim polo cœli, germinaturis terris pulchrè ſpiritus ſuperferebatur, quia per ipſum habebant nouorũ partuum ſemina germinare, ſecundum quod dixit propheta: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciẽ terræ. Deniq; Syrus, qui uicinus Hebræo eſt, & ſermone conſonat in pleriſq; & congruit, ſic habet: Et ſpiritus dei fouebat aquas.] Id eſt uiuificabat, ut in nouas cogeret creaturas, & fotu ſuo animaret ad uitam. Nam etiam ſpiritum ſanctum legimus creatorem, dicente Iob: Spiritus diuinus qui fecit me. Siue ergo ſpiritus ſanctus ſuperferebatur ſuper aquas, tenebræ contrariarũ uirtutum ſuper eas eſſe non poterant, ubi locum ſibi tanta gratia uindicabat. Siue, ut quidam uolunt, aerem accipiant, reſpondeant qua ratione ſpiritum dei dixerit, cum ſatis fuerit ſpiritum nuncupare. Hi ergo uolunt à domino deo noſtro quatuor primum elementa generata, cœlum, terram, mare, aerem, eo quòd cauſæ rerum, ignis & aer, terra & aqua ſint, ex quibus mundi ſpecies conſtat & forma.

Vbi

Eſa. 51

Gen. 1

Pſal. 17

Gen. 1

Ioan. 1

Pſal. 32

Pſal. 103

Vbi igitur tenebræ nequitiarũ ſpiritualium locum habere potuerũt, cum auguſtę huius decorẽ figuræ mundus induerit? Nunquid ſimul malitiã deus creauit? Sed ea ex nobis orta, nõ à creatore deo condita, morũ leuitate generãt, non ullam creaturæ habens prærogatiuã, nec authoritatẽ ſubſtãtiæ naturalis, ſed mutabilitatis uitiũ, & errorẽ prolapſionis. Eradicari hanc deus uult de animis ſingulorũ. Quomodo eam ipſe generaret, cum
Pſal. 36 clamet propheta: Deſinite à malitijs ueſtris? Et præcipuè ſanctus Dauid: Deſine, inquit, à malo, & fac bonum? Quomodo ergo ei initiũ à domino damus? Sed hæc opinio feralis eorũ qui perturbandam eccleſiam putauerũt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc peſtes illæ Manichæorũ funeſta ſanctorũ mẽtibus tentauerũt inferre cõtagia. Quid nobis in ipſo lumine uitæ tenebras mortis inquirimus? Scriptura diuina ſalutẽ ſuggerit, uitæ odorẽ fragrat, ut ſuauitatẽ legens capias, nõ præcipitij diſcrimẽ incurras. Simpliciter lege ô homo, nõ tibi ipſe foueã prauus interpres effodias, ſimplex ſermo eſt. Quia fecit deus cœlum & terrã. Fecit quod nõ erat, nõ quod erat. Et terra erat inuiſibilis, ex quo facta eſt, erat: & erat inuiſibilis, quia exundabat aqua, & operiebat eã. Et erant ſuper eam tenebræ ſuperfuſæ, quia nondũ erat lumẽ diei, nondũ ſolis radius, qui ſolet & ſub aquis latẽtia declarare. Quid ergo dicũt quod deus creauerit malũ, cum ex cõtrarijs & aduerſis nequaq; ſibi aduerſa generent? Nec enim uita mortẽ generat, nec lux tenebras. Non enim ſicut mutabilitates affectuũ, ita etiam generationũ progreſſiones ſunt. Illæ ex contrarijs in cõtraria propoſiti deflexione uertũtur: iſtę nõ ex contrarijs in aduerſa deflectũtur, ſed ex eiuſdem generis uel authoribus uel cauſis creatæ, in ſimilitudinẽ ſui referũtur authoris. Quid igit dicemus? Si enim neq; ſine principio eſt quaſi increata, neq; à deo facta, unde habet natura malitiam? Nam mala eſſe in hoc mundo nullus ſapiens denegauit, cũ ſit tam frequens in hoc ſeculo lapſus ad mortẽ. Sed ex ijs quæ iam diximus, poſſumus colligere quia nõ eſt uiua ſubſtãtia, ſed mentis atq; animi deprauatio, à tramite uirtutis deuia, quæ incurioſorũ animis quã frequenter obrepit. Non igitur ab extraneis eſt nobis q; à nobiſipſis maius periculũ. Intus eſt aduerſarius, intus author erroris, intus inquam clauſus in nobiſmetipſis. Propoſitũ tuũ ſpeculare, habitũ tuæ mentis explora, excubias obtende aduerſum mentis tuæ cogitationes, & animi cupiditates. Tuipſe tibi es cauſſa improbitatis, tuipſe dux flagitiorũ tuorũ, atq; incentor criminũ. Quid alienam naturam accerſis ad excuſationẽ tuorũ lapſuũ? Vtinam te ipſe nõ impelleres, utinam non præcipitares, utinã non inuolueres aut ſtudijs immoderatioribus, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innexos uelut quibuſdã retibus tenent. Et certe in nobis eſt moderari ſtudia, cohibere iracundiam, coercere cupiditates, in nobis eſt etiã indulgere luxuriæ, adolere libidines, inflammare iracũdiam, uel inflammãti aurẽ accõmodare, eleuari magis ſuperbia, effundi in ſæuitiã, quã reprimi humilitate, diligere manſuetudinem. Quid naturã accuſas ô homo? Habet illa uelut impedimẽta quædam, ſenectutẽ & infirmitatẽ. Sed ſenectus ipſa in bonis moribus dulcior, in cõſilijs utilior, ad conſtantiã ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Infirmitas quoq; corporis, ſo-
2. Cor. 12 brietas mentis eſt. Vnde ait Apoſtolus: Cum infirmor, tunc potens ſum. Itaq; non in uirtutibus, ſed in infirmitatibus gloriabatur. Reſponſum quoq; diuinũ refulſit oraculo ſalutari: quia uirtus in infirmitate conſummatur. Illa cauenda quæ ex noſtra uolũtate prodeunt delicta iuuentutis, & irrationabiles paſſiones corporis. Quorũ igitur nos ſumus domini, horũ principia extrinſecus nõ requiramus, nec deriuemus in alios, ſed agnoſcamus ea quæ propriè noſtra ſunt. Quod enim poſſumus nõ facere ſi nolumus, huius electionẽ mali nobis potius debemus q; alijs adſcribere. Ideo etiã in iudicijs iſtis uoluntarios reos, nõ ex neceſſitate cõpulſos, culpa ſtringit, pœna condemnat. Neq; enim ſi per furorẽ aliquis innocẽtẽ peremerit obnoxius morti eſt: quinetiam ipſius diuinæ legis oraculo, ſi quis per imprudentiam intulerit necẽ, accipit impunitatis ſpem, refugij facultatem, ut poſſit euadere. Hoc igitur de eo quod propriè malum uidẽ, dictũ ſit. Mala enim nõ ſunt niſi quæ crimine mentẽ implicant, & conſcientiam ligãt. Cæterùm pauperiem, ignobilitatẽ, ægritudinẽ, mortẽ, nemo ſapiens mala dixerit, nec in malorũ ſorte numerauerit: quia nec cõtraria iſtis in bonis habentur maximis, quorũ alia nobis ex natura, alia ex cõmoditate accidere uidentur. Non ocioſe nobis excurſus iſte proceſſit: ut probaremus tenebras & abyſſum ſimpliciter accipienda. Erãt enim tenebræ de obumbratione

cœli:

cœlí: quía omne corpus umbram facit, qua obumbrat uel finitima uel inferiora, & ea maxime quæ operire atq; includere uidetur. Includit autem cœlí polus: quía cœlum ſicut camera extenditur, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus. Non ergo príncipalis erat tenebroſa ſubſtantía: ſed quaſi umbra ſecuta eſt mundí corpus calígo tenebrarum. Itaque momento diuinæ præceptionis mundus aſſurgens, intra ſe incluſit umbram: ut ſi quis in campí medío quem ſol meridianus illuminet, locum alíquem repente obſepíat, & denſis ramorum frondibus tegat: non'ne quo ſplendídior foris ſpecies loci eius effulgeat, hoc horrentí deſuper ſcena gurguſtium eius intus obſcurius fit? Aut unde antrũ, clauſum undíq; huíuſmodí locum uocarunt: niſi quòd atro inhorreſcat ſítu, atq; offuſione tenebrarum? Iſtæ ergo tenebræ ſuper aquarum abyſſos erant. Nam abyſſum multitudínem & profundum aquarum dící, lectio euangelíj docet, ubí rogabant Saluatorẽ dæmonía, ne iuberet íllis ut in abyſſum írent. Sed qui docebat uoluntates dæmoniorũ Luc. 8
non eſſe faciendas, præcepít íllis ut írent in porcos. Porcí autem ſe in ſtagnum aquarum præcípitarunt, ut quod recuſabant dæmonía nõ euaderent, ſed dígno præcipitio demergerentur. Erat ergo hæc mundí incompoſita ſpecies & forma.

De creatione lucis, per quam ornata ſunt prius condita, & de diſtinctione inter lucem & tenebras, atq; ita inter diem & noctem. Caput IX

T ſpíritus, inquít, dei ſuperferebatur ſuper aquas, & dixit deus: Fiat lux.]

E Merito præmiſſus eſt ſpíritus dei, ubí díuina incípere habebat operatio. Fiat, inquít, lux. Vnde uox dei in ſcríptura díuina debuit inchoare, niſi à lumine? Gen. 1
Vnde mundí ornatus, niſi à luce exordíũ ſumere? Fruſtra enim eſſet ſi non uideretur. Erat quídem deus ípſe in lumine, quía lucẽ habitat inacceſſíbílem, & erat lumen uerũ, quod 1. Tim. 6
illúminat omnẽ hóminem uenientẽ in hunc mundum, ſed etiam lucẽ fieri uoluit, quę o- Ioan. 1
culís corporalíbus cõprehenderetur. Qui ædificium aliquod dígnũ habitaculo patrísfamilíâs ſtruere deſíderat, anteq; fundamenta ponat, unde lucẽ ei infundat explorat: & ea prima eſt gratía: quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu. Lux eſt quæ relíquos domus cõmendat ornatus. Fiat, inquít, lux.] Plena uox luminís non diſpoſítionís apparatũ ſignificat, ſed operationís reſplẽdet effectu. Naturę opifex lucẽ locutus eſt, & creauit. Sermo dei uolũtas eſt, opus dei natura eſt. lucẽ creauit, tenebras illuminauit. Et dixit deus: Fiat lux, & facta eſt lux.] Non ideo dixit, ut ſequeretur operatio, ſed dícto abſoluit negocíũ. Vnde pulchre Dauídicũ illud: Dixit, & facta ſunt. quía dictũ impleuit effectus. Author ergo lucis deus: locus aũt & cauſſa tenebrarũ mundus eſt. Sed bonus author ita lucẽ dílexit, ut mundũ ipſum infuſo aperiret lumíne, atq; eius ſpeciẽ uenuſtaret, Reſplenduit ígitur ſubito aer, & expauerunt tenebræ noui luminís claritatẽ. Repreſſit eas, & quaſi in abyſſos demerſit, repẽte per uniuerſa mundí fulgor lucis infuſus. Pulchrè itaq; & propríe dixit: Facta eſt lux.] Sícut enim cito lux cœlũ, terras, maría illúminat, & momento temporis ſine ulla cõprehenſione retectís ſurgentis díei ſplendore regionibus, noſtro ſe circunfudit aſpectui, ita ortus eius cito debuit explicarí. Quíd miramur ſi deus locutus eſt lucẽ, & caligantí mundo lumẽ emícuit, quando ſi quis inter aquas merſus, oleũ ore emíſerit, clariora faciat ea quæ profundí tegebantur occultís? Dixit deus: Non ut per uocís organa quídã ſonus ſermonís exiret, nec ut linguæ motus cœleſte formaret alloquíũ, atq; aerẽ íſtum quidam uerborũ ſtrepitus uerberaret, ſed ut uolũtatis ſuę cognitionẽ proderet operationís effectu. Et díſcreuit inter lucem & tenebras. Et uídit deus lucẽ, quía bona eſt.] Dixit, & ſonũ uocis nullus audiuit: díſcreuit, & operatiõís molímina nemo deprehendit: uídit, & oculorũ eius intentionẽ nullus aſpexit. Et uidit, inquít, deus lucẽ, quía bona eſt. Nec quod ignorabat uídit, nec id quod neſciebat antè aut nõ uiderat, cõprobauit: ſed bonorũ operũ proprium eſt, ut externo cõmendatore non egeant, ſed gratíam ſuã cùm uídentur ípſa teſtentur. Plus eſt quod probatur aſpectu, q̃ quod ſermone laudatur. Suo enim utítur teſtimonío, nõ alieno ſuffragio. Quod ſi apud nos oculis iudicíũ emittitur, quíbus ſimul & gratía uenuſtatis, & rerũ menſura comprehenditur: quanto magis deus omnía quæ probat uídet, & quæ uídet probat, ſecundum quod ſcriptũ eſt: Quía oculi domíni ſuper iuſtos? Lucis natura huiuſmodí eſt, ut nõ in Pſal. 33
numero, nõ in menſura, nõ in pondere, ut alía, ſed omnis eius in aſpectu gratía ſit. Propríjs itaq; ſermonibus naturã lucis expreſſit, quæ uidẽdo cõplacet, quoniã ipſa uídendi

officium ſubminiſtrat. Nec immerito tantũ ſibi prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur, quoniã ipſa fecit ut etiam cætera mundi membra digna ſint laudibus. Vidit ergo deus lucẽ, & uultu ſuo illuminauit: & uidit, quia bona eſt. Non ex parte dei ſed ex generali iudicium eſt. Itaq; non in ſplendore tantũmodo, ſed in omni utilitate gratia lucis probatur. Vnde & diſcretio fit inter lucem & tenebras, ut ſeparata lucis natura
Gen. 1 atq; tenebrarũ, nihil uideatur intra ſe habere confuſum. Et uocauit deus diem lucem, & tenebras noctẽ uocauit: ut & nomine ipſo diem noctemq; diſtingueret. Aduertimus itaq; quod lucis ortus anteq; ſolis diẽ uideatur aperire, (principia enim diei, noctis exitum claudunt) finisq; temporis, & ſtatutus limes nocti & diei uideatur eſſe pręſcriptus. Diem ſol clarificat, lux facit. Frequenter cœlum nubibus texitur, ut ſol tegatur, ne ullus radius eius appareat: lux tamen diem demonſtrat, & tenebras abſcondit.

Quod non diei nox, ſed dies nocti ſecundum ſcripturam anteferatur, & de unitate diei in quo cœlum & terra cæteraq; ſunt condita & creata. Caput x

Ibidem T factum eſt ueſpere, & factum eſt mane dies unus.] Quærũt aliqui, cùm E prius ueſperum, poſtea mane ſcriptura memorauerit, ne forte noctẽ prius quàm diẽ ſignificare uideatur. Nec aduertũt, primo quod præmiſerit diem dicendo: Et uocauit deus lucem diem, & tenebras uocauit noctem, deinde quod ueſper finis diei ſit, & mane finis noctis. Ergo ut prærogatiuam & primatus natiuitatis diei daret, prius finem diei ſignificauit, poſtquam ſecutura nox eſſet, deinde poſtea finẽ noctis adiunxit. Eouſq; autem noctem diei ſcriptura anteferre non potuit, ut & diei & noctis tempora, diei appellatione concluſerit, & tanquam principalis authoritatem nominis uindicauerit, & hanc ſcripturæ eſſe conſuetudinem, ut potiori appellationem deputet, frequentibus exemplis probamus. Siquidem & Iacob dixit: Dies uitæ meæ puſilli
Ibidem 47 & mali. Et iterum: Omnes dies uitæ meæ. Et Dauid poſuit: Dies annorum meorum:
Pſal. 89 non & noctes. Vnde aduertimus ea quæ nunc in ſpecie hiſtoriæ traduntur, uim ſtatuiſſe legis in poſterum. Principium ergo diei, uox dei eſt: Fiat lux, & facta eſt lux. Finis diei, ueſper eſt. Iam ſequens dies ex noctis fine ſuccedit. Sententia autem dei euidens, quia diem primo uocauit lucem, & ſecundo uocauit tenebras noctem. Præclare etiam unũ, non primum diem dixit. nam ſecuturo ſecundo & tertio die, & deinceps reliquis, primũ potuit dicere: & hoc ordinis uidebatur: ſed legem ſtatuit ut uigintiquatuor horæ diurnę atq; nocturnę, diei tantum nomine definiantur, ut ſi diceret, uigintiquatuor horarũ menſura, unius diei tempus eſt. Sicut enim uirorum generatio computatur, & intelligitur etiam fœminarum, quia nectuntur ſecunda potioribus: ita etiam dies numerantur, & noctes æſtimantur adiunctæ. Sicut igitur circuitus unus, ita dies unus. Nam plericq; etiam hebdomadam unam, unum diem dicunt: quod in ſe quaſi in unũ redeat diem, & quaſi ſepties in ſe recurrat. Eſt autem & circuitus figurarum à ſe incipere, & in ſe reuerti. Vnde & ſeculum unum interdum ſcriptura dicit. Nam etſi alijs locis ſecula appellat, uidetur magis diuerſitates ſtatuum publicorum uel negociorum ſignificare, quàm ſeculorũ ſucceſſiones aliquas definire: Quia dies domini magnus & præclarus. Et alibi: Vt quid uobis quærere diem domini? Et hic tenebræ, & nõ lux. Manifeſtum eſt enim quod male conſcijs & indignis dies ille tenebroſus ſit, quo fulgebit innocentia, & mens noxia cruciabitur. Cæterùm quod ſine interpolatione noctium, & ſucceſſione tenebrarũ dies perpetuus ille remunerationis æternæ futurus ſit, ſcriptura nos docet. Pulchre autẽ uicem utramque unum dicturus diem, matutino eum fine concluſit, ut & à luce inchoare diem doceret, & in lucem deſinere. Non enim eſt integrũ diei tempus & noctis, niſi fue
Rom. 13 rit expletum. Vnde & nos ſemper quaſi in die honeſte ambulemus, & abijciamus opera tenebrarum. Noctem enim ad quietem corporis datam eſſe cognoſcimus, nõ ad muneris alicuius & operis functionem, quæ ſomno & obliuione tranſcurritur. Non ſit in
Eccli 23 nobis comeſſatio, ebrietas, cubile, impudicitia. Non dicamus: Tenebræ & parietes operiunt nos, & quis ſcit ſi uidebit altiſſimus? Sed ſit in nobis amor lucis, & cura honeſtatis, ut tanquam in die ambulãtes, opera noſtra coram deo lucere cupiamus. Cui eſt honor, laus, gloria, poteſtas, cum domino noſtro Ieſu Chriſto, & cum ſpiritu ſancto, à ſeculis & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Capita

CAPITA SECVNDI LIBRI HEXAEMERON.

De transitu authoris per recapitulationē factorum die primo, ad opera secūdi diei, cum deprecatione auditorū, & instructione qualiter dicenda debeant pensare. Caput I

De creatione firmamenti, & discretione inter aquā & aquam: Et utrum unū tantum sit cœlum, an plures, ac de confutatione philosophorū asserentium orbes stellarū motu suo dulcem quendam & plenum suauitatis sonum reddere. Caput II

De firmamento utrum sit hoc quod in superioribus cœlum appellatum est, an aliud: Et quomodo aqua uera super cœlos esse possit, cum reprobatione opinionis eorū qui hoc destruere conantur. Caput III

Quæ sit inter cœlos & firmamentum differentia, & firmamentum unde nuncupatū sit. Quæ etiam aliorum sit sententia de prædictorum distinctione. Caput IIII

De laude ac probatione operis secundi diei, eiusdemq; clausione. Caput V

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIBER II, DE DIE SECVNDO.

De transitu authoris per recapitulationem factorū die primo, ad opera secundi diei, cum deprecatione auditorum, & instructione qualiter dicenda debeant pensare. Caput I

DIEM primum uel potius unum (maneat enim & prophetici prærogatiua sermonis) ut potuimus absoluimus: in quo conditū cœlum, terram creatam, aquarū exundantiam, circunfusum aerem, discretionē factam lucis atq; tenebrarū, dei omnipotentis, & domini Iesu Christi, spiritus quoq; sancti operatione cognouimus. Quis ergo non miretur dissimilibus membris disparē mundum in corpus unū assurgere, & insolubili concordiæ charitatisq; lege in societatem & connexionē sui tam distantia conuenire, ut quæ discreta natura sunt, in unitatis & pacis uinculū uelut indiuidua cōpactione nectantur? Aut quis hæc uidens, possibilitatē rationis infirmo ingenio rimetur? Quæ omnia uis diuina incōprehensibilis humanis mentibus, & ineffabilis sermonibus nostris, uolūtatis suæ authoritate connexuit. Fecit igitur deus cœlum & terrā, & ea quasi author esse præcepit, non tanq; figuræ inuentor, sed tanquā operator naturæ. Nam quomodo sibi conueniunt operatoria impassibilis dei uirtus, & passibilis materiæ natura, tanq; altera ab altera quo indiguerint, mutuantes? Nam si increata materia, uidetur ergo deo creandæ potestas materiæ defuisse, & ab ea operationi subiacentia mutuatus. Si uero incōpositā, mirū admodum coæternā deo materiem decorē sibi nō potuisse conferre, quæ substantiam nō à creatore acceperit, sed sine tēpore ipsa possederit. Plus ergo inuenit operator omnium, q; contulit. Inuenit materiē, in qua possit operari: contulit autē figuram, quæ decorē inuentis rebus afferret. Vnde excipiendus à cæteris tanquā dies unus, non conferendus cum cæteris tanq; dies primus est, unde fundamenta rerum omniū posita, & causæ esse cœperūt, quibus mundi huius atq; uniuersæ uisibilis creaturæ fulta substantia est. Quare ad secundi diei admiranda opera sermo nobis prodeat, quorū eminentia nō secundum tractatus nostri possibilitatē, sed secundum scriptoris ueritatē, ad laudem referenda est creatoris. Vos igitur quæso ut naturaliter æstimare, quæ dicimus probabiliter, ac simplici mente & sedulo ingenio pensare dignemini, non secundū philosophiæ traditiones & inanē seductionē suasoria uerisimilia colligētes, sed secundū regulam ueritatis quæ oraculis diuini sermonis exprimitur, & contemplatione tantæ maiestatis fidelium pectoribus infunditur, quia scriptū est: Confirma me in uerbis tuis. Narrauerūt mihi iniusti exercitationes, sed non sicut lex tua domine: omnia præcepta tua ueritas. Non ergo secundum elementorū naturas, sed secundum Christū, qui omnia quæ uoluit fecit, abundans plenitudine diuinitatis suæ, cōsideremus quæ facta sunt, & naturæ possibilitatē interrogemus. Neq; enim cùm in Euangelio leprosum curaret, cæcis uisum refunderet, populus qui aderat & spectabat, illum medicinæ ordinem recognouit, sed po- *Psal. 118*

teſtatem domini miratus, dedit (ut ſcriptum eſt) deo laudem. Neq; ſecundum numeros Aegyptiorum, & curſus ſyderum, menſuras elemẽtorum, extendit manum ſuam Moyſes ut diuideretur mare rubrum, ſed diuinæ imperio poteſtatis obtemperans. Vnde &
Exod. 15 ipſe ait: Dextera manus tua domine glorificata eſt in uirtute, dextera manus tua domine confregit inimicos. Illò igitur ſancta plebs eleua mentem tuam, & totũ animũ tuum eò confer. Non ſic deus uidet, quemadmodum homo. deus in corde, homo in facie. Nec ſic igitur homo uidet, quemadmodum deus. Audis quia deus uidit, & laudauit. Noli igitur tuis oculis æſtimare quæ facta ſunt, opinionibusq; colligere: ſed quæ deus uidit & probauit creator, ea tu retractanda non putes.

De creatione firmamenti, & diſcretione inter aquã & aquam: Et utrum unum tantum ſit cœlum, an plures, ac de confutatione philoſophorum aſſerentium orbes ſtellarum motu ſuo dulcem quendam & plenum ſuauitatis ſonum reddere. Caput II

T dixit deus: Fiat firmamentum inter mediam aquam, & ſit diſcernens inter
Gen. 1 aquam & aquam. Et factum eſt ſic.] Audi uerba dei: Fiat, dicit. Iubentis eſt, non æſtimantis. Imperat naturæ, nõ poſſibilitati obtemperat: non menſuras colligit, nõ pondus examinat. Voluntas eius, menſura rerũ eſt. Sermo eius, finis eſt operis. Fiat, inquit, firmamentũ inter mediam aquã.] Firmũ eſt omne quod ſtatuit deus. Et ſatis pulchrè præmiſit: Fiat firmamentũ, antequã ſubiiceret, inter mediam aquam: ut tu prius crederes firmamentũ ex præcepto dei factum, q̃ de aquarum profluа qualitate dubitares. Si naturam elementorum conſideres, quomodo inter aquas ſolidatum eſt firmamentum? Illæ profluunt, illud conſtringitur: illæ currunt, hoc manet. Et ſit, inquit, diſcernẽs inter aquã.] Sed aqua confundere non diſcernere ſolet. Quomodo iubet quod ſcit ſecundũ elementorum rationem eſſe contrarium? Sed cum ſermo eius ortus naturæ ſit, iure uſurpat dare legem naturæ qui originem dedit. Sed prius conſideremus quid ſit firmamentũ, utrũ ipſum ſit quod in ſuperioribus cœlum appellauit, an aliud: & ſi duo cœli, an plures. Nam ſunt qui unũ cœlum eſſe dicant, nec alterius cœli faciendi, cùm eſſet una hyle, ut ipſi aiunt, potuiſſe ſuppetere ſubſtantiam, quoniam cùm omnis ſuperiori cœlo eſſet expenſa, nihil reliqui fuit quod ad ædificationẽ ſecundi cœli tertiiue proficeret. Alij uerò innumeros cœlos & mundos eſſe aſſerunt, quos irrident ſui. Non enim nobiſcũ illis maior q̃ cum ſuis pugna eſt, qui geometricis numeris & neceſſitatibus cõtendunt probare, quod aliud cœlum eſſe nõ poſſit, nec pati naturam ut aut ſecundũ aut tertiũ ſit, nec operatoris uirtutẽ idoneam, ut multos cœlos faceret. Et quis nõ hanc eorũ artificẽ facundiam irrideat, qui cùm ex una atq; eadem cauſa plura eiuſdem generis ab hominibus fieri poſſe non abnuant, de creatore omniũ dubitent, utrũ plures cœlos face
Pſal. 95 re potuerit, de quo ſcriptũ eſt: Dominus autẽ cœlos fecit, Et alibi: Omnia quæcunque
Ibidem 113 uoluit fecit? Quid enim difficile ei, cui uelle, feciſſe eſt? Fluitat igitur illis impoſſibilitatis ratio, cùm de deo diſputant, cui uerè dicitur: Quia impoſſibile tibi nihil eſt. Itaq; nos non ſolum ſecundum, ſed etiam tertium cœlum eſſe negare nõ poſſumus, cùm Apoſto-
2. Cor. 1 lus raptum ſe ad tertium cœlum ſcriptorũ ſuorum teſtificatione cõfirmet. Dauid etiam
Pſal. 148 cœlos cœlorũ, in illo laudantium dominũ conſtituit choro. Quem imitãtes philoſophi, ſeptem ſtellarũ, ſolis & lunæ, globorum conſonum motũ introduxerunt, quorum orbibus uel potius globis cõnexa memorant omnia, quos ſibi innexos & uelut inſertos uerſari retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoq; impulſu & motu ipſorum orbium dulcem quendam & plenum ſuauitatis atq; artis & gratiſſimi modulaminis ſonũ reddi, quo modo ſciſſus aer tam artifici motu, & acuta cum grauibus temperante, ita uarios æquabiliter concentus efficiat, ut omnem ſupergrediatur muſici carminis ſuauitatem. Huius rei fidẽ ſi requiras atq; expetas ſenſu nobis & auditu probari, hæſitant. Nam ſi uera forent, quomodo tanto motu orbium cõcrepante, cùm ille cœleſtis orbis cui affixos ferunt ſtellarũ curſus, qui ſine intermiſſione uoluuntur, cõcitatiorem habeat conuerſionem, atq; acutum ſonum excitet, hic autem lunaris grauiſſimum, non audiretur à nobis, cùm leuiora audire ſoleamus? Fidẽ ergo eius diſputationis ſi teſtimonio noſtro & auditus munere exigamus probari, referunt obſurduiſſe aures noſtras, & hebetiorem nobis ſenſum audiendi factum, propter illam à principio noſtræ generationis concepti

ſonitus

ſonitus conſuetudinem. Et exemplum afferũt, eo quòd Nilus fluuiorum maximus, eo uidelicet loci, ubi ſe ex altiſſimis montibus in Catadupa illa præcipitat, magnitudine fragoris ſui aures accolarum obſtruat, ut audiendi munere carere dicantur. Sed facilè his ipſa reſpondet ueritas: Nam qui tonitrua audimus nubium colliſione generata: tantorum orbium conuerſiones, qui maiori utiq; ſicut motu ferri æſtimantur, ita uehementio res ſonitus excitarent, non audiremus? Addunt præterea ideo ſonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per ſuauitatem eius atq; dulcedinem quam celerrimus ille cœlorũ efficit motus ab orientalibus partibus uſq; in occaſum, propria negocia atq; opera derelinquerent, & omnia hic ocioſa remanerent, quodam humanæ ad cœleſtes ſonos mentis exceſſu. Sed ea quæ ſunt aliena ab ſtudio noſtro, & à diuinæ lectionis ſerie, iis qui foris ſunt relinquamus, nos inhæreamus ſcripturarum cœleſtium magiſterio.

De firmamento utrum ſit hoc quod in ſuperioribus cœlum appellatum eſt, an aliud. Et quomodo aqua uera ſuper cœlos eſſe poſſit, cum reprobatione opinionis eorum qui hoc deſtruere conantur. Caput III

P Roposítum igitur nobis est, quia dixit deus: Fiat firmamentum in medio aquæ, & ſit diſcernens inter aquam & aquam.] Et hinc tractatus, utrum hoc firmamẽtum appellet quod antè iam fecit, de quo ſcriptum eſt: In principio fecit deus cœlum & terram. Nec fallit, quod aliqui ante nos ita acceperint, eo quòd ſuprà creatum authore deo & conditum cœlum ſcriptura expreſſerit, hic expoſitionẽ operis creationiſq; diffuderit, ut ibi quaſi ſumma operis breuiter comprehenſa ſit, hic operationis qualitas per ipſas concurrentiũ rerũ digeſta ſit ſpecies. Sed mouet nos quia & nomen aliud ſignificatur, & ſpecies ſolidior, & cauſa diſcernitur, & perſona cooperatoris adiungitur. Sic enim ſcriptum eſt: Et diſcreuit deus inter medium aquæ quæ erat ſub firmamento, & inter medium aquæ quæ erat ſuper firmamentũ.] Et primo uolunt id deſtruere quod frequenti ſcripturarũ lectione inolitũ noſtris & impreſſum eſt mentibus, quia aquæ ſuper cœlos eſſe nõ poſſint: dicentes rotundum eſſe orbẽ illum cœli, cuius in medio terra ſit, & in illo circuitu aquã ſtare non poſſe, quod neceſſe eſt defluat & labaſ, cùm de ſuperioribus ad inferiora decurſus eſt. Quomodo enim aqua ſuper orbẽ, ut aiunt, ſtare poteſt, cùm orbis ipſe uoluatur? Hæc eſt illa uerſutia dialecticæ, Da mihi unde tibi reſpondeam. Quòd ſi nõ detur, nullum uerbum refertur. Petunt ſibi concedi, axẽ cœli torqueri motu cõcito: orbem autẽ terræ eſſe immobilem, ut adſtruãt aquas ſuper cœlos eſſe nõ poſſe, quod omnes eas uoluendo ſe axis effunderet: quaſi uerò ut cõcedam illis quod poſtulant, & ſecundũ eorũ opiniones illis reſpondeã, negare nõ poſſint in illa altitudine & profundo & longitudinẽ eſſe & latitudinem, quam nemo poteſt cõprehendere niſi is qui impletur in omnẽ plenitudinẽ dei, ut Apoſtolus ait: Quis enim poteſt facile eſſe diuini operis æſtimator? Eſt ergo latitudo in ipſa cœli altitudine. Sunt etiã, ut de his dicamus quæ ſcire poſſumus pleraq; ædificia foris rotunda, intus quadrata: & foris quadrata, intus rotunda, quibus ſuperiora ſunt plana, in quibus aqua hærere ſoleat. Quæ tamẽ ideo dicimus, ut aduertant opiniones ſuas opinionibus ueri ſimilioribus reuinci poſſe, & deſinant tantũ opus dei, humanæ operationis & noſtræ poſſibilitatis cõtemplatione metiri. Nos autẽ ſcripturarũ ſeriem atq; ordinẽ quærimus, ſequimur, & opus cõtemplatione æſtimamus authoris, quid dictũ ſit, & quis dixerit & cui dixerit: Fiat, inquit, firmamentũ in medio aquæ, & ſit diſcernens inter aquas. Audio firmamentum fieri per præceptũ quo diuideretur aqua, & ab inferiore ſuperior diſcerneret. Quid hoc manifeſtius? Qui iuſſit diſcerni aquam interiecto & medio firmamento, prouidit quemadmodũ diuiſa atq; diſcreta manere poſſit. Sermo dei, uirtus naturæ eſt, & diuturnitatis ſubſtantia, quo ad uſq; uelit eam manere, qui ſtatuit, ſicut ſcriptũ eſt: Statuit ea in ſeculum ſeculi, præceptũ poſuit, & nõ præteribit. Et ut ſcias quia de iſtis aquis hoc dixit quas tu negas poſſe in ſuperioribus cœli eſſe, audi ſuperiora: Laudate eũ cœli cœlorũ, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomẽ domini. Nónne quaſi aduerſanti tibi dixit: Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt, Statuit ea in ſeculũ ſeculi, præceptũ poſuit & non præteribit? An non uidetur tibi author idoneus, qui legẽ ſuo operi daret? Deus eſt qui dicit, uenerabilis natura, inæſtimabilis magnitudine, immenſus in remunerationibus, incõprehenſibilis in operibus, cuius altitudinẽ ſapientiæ quis

Gen. 1

Ephes. 3

Gen. 1

Pſal. 148

ibidem

inueſtigare facilis? Iſte dicit filio, id eſt dicit brachio ſuo, dicit uirtuti ſuæ, dicit ſapientiæ ſuæ, dicit iuſtitiæ. Et fecit filius quaſi potens, fecit quaſi uirtus dei, fecit quaſi ſapiẽtia dei, fecit quaſi iuſtitia diuina. Cùm hæc audis, quid miraris ſi ſupra firmamentũ cœli potuit, tantæ maieſtatis operatione, unda ſuſpendi? De alijs hæc collige, de ijs quæ uiderũt oculi hominum: quomodo ad Iudæorum tranſitum, ſi rationem quęris, ſe unda diuiſerit. Non ſolet hoc eſſe naturæ, ut aqua ſe diſcernat ab aqua, & in profundo interfuſiones aquarum terræ medio ſeparentur. Gelauerunt, inquit, fluctus, & firmamenti ſpecie curſum ſuum inſolito fine frenarunt. Non'ne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi uoluit oſtendere, ut eo ſpectaculo etiam illa quæ non uidiſti, æſtimares eſſe credenda. Iordanis quoq; reflexo amne in ſuum fontẽ reuertitur. Hærere aquam cùm labitur, inuſitatũ: rurſumq; redire in ſuperiora ſine ullo repagulo, impoſſibile habetur. Sed quid impoſſibile ei, qui dedit poſſe quibus uoluit? Dedit poſſe infirmitatibus, ut
Philip. 4 infirmus dicat: Omnia poſſum in eo qui me confortat. Dicant certe quemadmodũ aer cogatur in nubẽ, utrũ pluuia nubibus generetur, an ſine nubibus colligatur. Videmus plerunq; exire nubes de montibus. Quæro utrum de terra aſcendat aqua, an ea quæ ſuper cœlos eſt, largo imbre deſcendat. Si aſcendit, utiq; contra naturam eſt, ut aſcendat in ſuperiora quæ grauior eſt, & portetur aere, cum aer ſubtilior ſit. Aut ſi concíti orbis totius motu rapitur aqua, ſicut imo orbe rapitur, ita ſummo orbe diffunditur. Si fundi, ut uolunt, non deſinit: rapi utiq; non deſinit: quia ſicut axis cœli ſemper mouetur & aqua mouetur, & aqua ſemper hauritur. Si deſcendit, manet ergo iugiter ſupra cœlos, quæ habet unde deſcendat. Deinde quid obſtat, ſi confiteatur, quia aqua ſupra cœlos ſuſpenſa ſit? Nam quo uerbo dicũt terram in medio eſſe ſuſpenſam, & immobilem manere, cùm utiq; grauior ſit quàm aqua, ea ratione poſſunt dicere, nõ præcipitari aquam, orbis illius cœleſtis conuerſione, quæ ſuper cœlos eſt. Sicut enim terra inani ſuſpenditur, uel pondere librato undiq; immobilis perſeuerat, ita & aqua aut grauioribus aut æquis cum terra ponderibus examinatur. Ideoq; nõ facilè ſuperfunditur mare terris, niſi cum iubetur exire. Deinde cùm ipſi dicant uolui orbem cœli ſtellis ardentibus refulgentem, non'ne diuina prouidentia neceſſariò proſpexit, ut intra orbem cœli & ſupra orbẽ redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret? Propterea quia exundat ignis & feruet, etiam aqua exundauit in terris, ne eas ſurgentis ſolis & ſtellarum micantium ardor exureret, & tenera rerum exordia inſolitus uapor læderet. Quanti fontes, fluuij, lacus irrigant terras, quia eas internus quidam ignis uaporat. Vnde enim aut arbores germinarent, aut frumenta uel ſata prorumperent, uel orta coquerentur, niſi ea interior quoque ignis animaret? Qui etiam de ſaxis frequenter excutitur, & de ipſo ſæpe dum cæditur, ligno exilit. Ergo ſicut neceſſaria ignis creatura, ut ordinata & diſpoſita permaneat, cœliq; clementia temperet aquarum rigorem: ita etiam aquarũ redundantia non ſuperflua, ne alterum altero conſumeretur: quia niſi conueniens utriuſq; menſura ſit, ſicut ignis aquam exſiccat, ita & aqua extinguit ignem. Ideoq; pondere & menſura examinauit uni-
Iob 38 uerſa, numerata enim ſunt ei & ſtillicidia pluuiarũ, ſicut in libro Iob legimus, ſciens uel rerum facilem defectum fore, uel ſolutionem uniuerſitatis ſi alterum exuperaretur ab altero. Itaq; utriuſq; temperauit diſpendia, ut neq; plus ignis excoqueret, neq; exuberaret aqua, ſed imminutio fieret utriuſq; moderata, quæ & ſuperfluum detraheret, & neceſſarium reſeruaret. Itaq; cùm tanta de terris erumpant maximorum fluenta amnium, Nilus effuſo Aegyptum ſtagnans flumine, Danubius de occidentalibus partibus Barbarorũ, atq; Romanos interſecans populos, donec Ponto ipſe condatur, Rhenus de iugo Alpium uſq; in Oceani profunda curſus ſuos dirigens, Romani memorandus aduerſus feras gentes murus imperij, Padus maritimorum cõmeatuum Italicis ſubſidijs fidus inuector, Rhodanus rapido concitus curſu Tyrrheni equoris freta ſcindens, in quo nõ mediocre fertur nauigantium periculum, dum inter ſe maris fluctus & amnis fluenta decertant: itemq; de ſeptentrionali parte Phaſis Caucaſeis montibus fuſus, cum pluribus alijs in Euxinum ſe præcipitans mare: prolixum eſt ſingulorum perſequi fluuiorum nomina, qui uel in noſtrum mare deriuantur, uel exinaniuntur Oceano. Cùm tanta igitur ubertas aquarum ſit, tamen plerumq; terra meridianæ plagæ torretur ardoribus, atq; æſtu ſoluta fatiſcit in puluerem, miſerandi agricolæ labore conſumpto, ut frequenter ad potum

ſiccatis

ſiccatis puteis, arido gurgite ſubſidiũ uitale deficiat. Et erit quidem quando dicat abyſſo, Deſerta eris, & omnes fluuios ſiccabo: ſicut per Eſaiam futurum annunciauit. Sed etiam antequam ille dies aduenìat, diuino præſtitutus arbitrio, non minimũ inter ſe ipſa elementorum natura decernit. Crebro itaq; aut inundationibus mundus hic quatitur, aut nimio æſtu & ariditate uexatur. Noli igitur incredibilem opinari aquarum multitudinem, ſed reſpice ad uim caloris, & incredulus non eris. Multum eſt quod ignis abſorbet: quod uel ex illo nobis debet eſſe manifeſtum, cùm medici uaſa quędam anguſta ore, planiora deſuper, intus concaua, leui lucernæ concepto lumine affigunt corpori, quemadmodum calor ille omnem in ſe rapiat humorẽ. Quis igitur dubitet quod ignitus æther, & magno feruens uapore inflammaret atq; exureret omnia, niſi lege quadam ſui cohiberetur authoris, ut nec flumina, nec lacus, nec ipſa maria uim eius poſſint reſtinguere? Et ideo deſuper aqua impetu quodam deſcendens, in tantos plerumq; imbres rumpitur, ut flumina, lacus repente repleantur, ipſa maria exundent. Vnde frequenter & ſolem uidemus madidum atq; rorantem. In quo euidens dat indicium, quòd alimentum ſibi aquarum ad temperiem ſui ſumpſerit. Tantum autẽ ineſt illis impugnandæ ueritatis ſtudium, ut ſolem ipſum negent calidæ naturæ eſſe, eo quod albus ſit, nõ rubicundus aut rutilus in ſpeciẽ ignis. Et ideo aiunt, quod nec ignitus natura ſit, & ſi quid habet caloris, ferunt ex nimio motu conuerſionis accidere. Quod ideo dicendũ putant, ut nihil uideatur humoris conſumere, quia calorem quo humor uel minuitur uel plerũq; exhauritur, non habeat naturalem. Sed nil agunt, cùm iſta componũt: quia nihil intereſt, utrũ ex natura calorẽ quis habeat, an ex paſſione, aut aliqua ex cauſa, quia ignis omnis conſumptor humoris eſt, uel huiuſmodi materiæ quam flamma cõſueuit exurere. Nam ſiue ex lignis haudquaquam ſemiuſtulatis, ſed inter ſe collìſis, ignis excuſſus excipiatur foliis, æque flammã adolet, ac ſi de igne accendas facem: ſiue de flammæ lumine lumen accendas, eadem ſpecies & natura eſt luminis, ac ſi illud non naturalis ignis adoleuerit, ſed quem accidens cauſa generauerit. Vel hinc ſaltem contemplentur ſolis calorem, quod diuerſa ei deus conſtituit curſus ſui loca & tempora: ne ſi ſemper in iiſdem moraretur locis, quotidiano ea uapore exureret. Mare ipſum ideo ferunt ipſi ſalſam atq; amaram aquam habere, quod ea quæ fluuiis in freta influat, calore abſumatur, tantumq; uapore diurno conſumi, quantũ quotidie ex diuerſis fluuiorũ curſibus inuehatur. Quod ex ſolis quadam diiudicatione fieri perhibetur, qui quod purum ac leue eſt, ſibi rapit: quod graue atq; terrenum, relinquit: ex quo remanet ſalſum illud atq; aridum, quod ſine uſu ac ſuauitate potandi ſit.

Quæ ſit inter cœlos & firmamentum differentia, & firmamentũ unde nuncupatum ſit: Quæ etiam aliorum ſit ſententia de prædictorum diſtinctione. Cap. IIII

Ed reuertamur ad propoſitũ, Fiat firmamentum inter medium aquæ.] Nõ moueat, ſicuti iam dixi, quia ſuprà cœlum ait, hic dicit, firmamentum, quoniam & Dauid dicit: Cœli enarrant gloriam dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentum. hoc eſt, mundi opus cùm uidetur, ſuum laudat authorem. Inuiſibilis enim maieſtas eius per ea quæ uidentur, agnoſcit. Et uidetur mihi nomen cœlorũ cõmune eſſe, quia plurimos cœlos ſcriptura teſtificatur: nomen aũt eſſe ſpeciale firmamentũ. Siquidem & hic ita habetur: Et uocauit deus firmamentũ, cœlum.] Vt uideatur ſuprà generaliter dixiſſe in principio cœlum factũ, ut omnẽ cœleſtis creaturæ fabricam cõprehenderet: hic autẽ ſpecialem firmamenti huius exterioris ſoliditatẽ, quod dicitur cœli firmamentũ, ſicut legimus in hymno prophetico: Benedictus es in firmamento cœli: Nam cœlum, quod οὐρανὸς Græcè dicitur, Latinè quia impreſſa ſtellarum lumina uelut ſigna habeat, tanquam cælatum appellatur: ſicut argentũ quod ſignis eminentibus refulget, cælatum dicimus. οὐρανὸς autem ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν ἄνω dicitur, quod uideatur τῶν ὅλων ὁρᾶν ἄνωθεν γῆν. igitur terræ quæ obſcurior eſt, οὐρανὸς nuncupatũ, quia lucidus eſt, tanq; uiſibilis. Vnde puto & illud dictum: Volatilia cœli ſemper uident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Et uolantia circa firmamentũ cœli, eo quòd poteſtates quæ ſunt in illo uiſibili loco, ſpectent hæc omnia, & ſubiecta ſuis habeãt conſpectibus. Deniq; clauſum cœlum dictum eſt temporibus Heliæ, quando in Achab & Iezabel perfidia regnabat: cum populus regali ſacrilegio deſeruiret, eo q; nemo ad cœlũ oculos erigebat, nemo eius au-

Eſa. 9

Pſal. 18

Gen. 1

Daniel. 3

3. Reg. 17

thorem uenerabatur, sed ligna & lapides adorabant. Vnde hoc colligimus? quia in ma
Leuit. 26 ledictionibus populi Israel dixit deus: Erit tibi cœlum super caput tuum æreum, & ter-
ra tua ferrea: quando precium perfidiæ luens populus Iudæorũ, intemperie cœli, & ter-
Deut. 33 ræ infœcunditate multatur. De cœlo enim causa fertilitatis. Denique & Moyses benedi-
ctiones tribui Ioseph à finibus cœli & rore & abyssis fontium deorsum uenientibus, &
secundum horam à solis cursu & à conuenientibus mensibus & à uertice montiũ & col
lium æternorũ dedit, eo quòd moderatione cœlesti, terrarum fœcunditas nutriatur. Fer
reum ergo cœlum est, quod nullum exudat humorẽ, quando nullus nubibus imber e-
rumpit. Est etiam ferreum cœlum, subobscurus aer, pressus atq; nebulosus colore ferru-
gineo, quando rigore frigoris stringitur terra, tunc ueluti super caput nostrũ humor su-
spensus uidetur, & per momenta imminere. Plerumq; etiam glacialibus uentorum sta-
tibus rigentes aquæ consolidantur in niuem, & rupto aere nix funditur. Neq; enim fir-
mamentum hoc potest sine aliquo rumpi fragore aut penetrari. Ideo & firmamentũ di-
citur, quod non sit inualidum, nec remissum. Vnde & de tonitrubus, quæ concepto in-
tra sinum nubium spiritu, cùm se uehementer erupturus eliserit, magno concrepant so-
Psal. 148 nitu, ait scriptura: Firmans tonitrua. A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum. uel
Ibidem 18 quod diuina uirtute firmatum sit, sicut scriptura nos docet, dicens: Laudate eum in firmamento uirtutis eius. Nec præterit, retulisse aliquos, cœlos cœlorum ad intelligibiles uirtutes, firmamentum ad operatorias. Et ideo laudare cœlos uel enarrare gloriam dei, & opera manuum eius annunciare firmamentũ. Sed non quasi spiritalia, sed quasi opera mundi enarrant, quemadmodũ suprà diximus. Alij quoq; purificatorias uirtutes interpretati sunt aquas, quæ super cœlos sunt. Accipimus hæc quasi ad tractatus decorẽ: nobis tamẽ non alienũ uidetur atq; absurdum, si aquas ueras propter illam causam quã diximus, intelligamus. Nam & ros & gelu & frigus & æstus secundum hymnũ Prophe
Daniel. 3 ticum benedicunt dominum, benedicit & terra: & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad ueritatem. Laudant etiam dracones dominum, quia natura eorum & spe cies cùm uidetur, non minimum uel decoris offundit, uel inesse rationis ostendit.

De laude ac probatione operis secundi diei, eiusdemq; clausione. Caput V

Gen. 1 T uidit deus quia bonum est.] Facit filius, quod uult pater: laudat pater,
E quod facit filius. Nihil in illo naturæ degeneris inuenitur, cuius opus à paterna nõ degenerat uoluntate. Vidit utiq;, nõ oculis corporalibus intendit, sed definiuit plenitudini gratiæ conuenire, ut mihi eius iudicium cognoscereẽ. Nos enim solemus etiam de ijs quæ diuina sunt disputare. Et quid mirũ si de opere retractare possint, qui de ipsius operatoris generatione faciunt quæstiones? Ipsum in iudicium uocant, ipsum inæqualem atq; degenerẽ asserere conantur. Ideo legis: Et dixit deus, & fecit deus. Eodem pater & filius maiestatis honorãtur nomine. Et uidit deus quia bonũ.] Dixit tanquam omnia quæ pater uellet scienti, & uidit tanquã omnia quæ filius faceret scientia tenens, & efficiens operatione consorti. Vidit quia bonum] Non utiq; cognouit, quod nesciebat: sed probauit, quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus,
Matth. 3. & 17 quia nec quasi incognitus pater qui complacuit in filio, sicut scriptum est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Scit autem semper filius uoluntatem patris, & pa
Ioan. 11 ter filij, & audit patrem filius semper, & pater filium per unitatẽ naturæ, uoluntatis atq; substantiæ. Denique testatur hoc in Euangelio suo filius dicens ad patrem: Sciebam, quia semper me audis. Imago est enim inuisibilis dei filius: omnia patris quasi imago exprimit, omnia eius quasi splendor gloriæ illuminat nobis atq; manifestat. Videt & filius pa
Ibidem 5 tris opus, sicut & pater filij, sicut & ipse dominus declarauit: Non potest filius facere à se quicquã, nisi quod uiderit facientẽ patrem. Vidit ergo facientẽ patrem, & uidit per se-
Ibid. 5. & 8 cretũ inuisibilis naturæ. Et audit similiter. Denique ait: Sicut audio, iudico: & iudicium meum uerum est, quia non sum solus: sed ego, & qui misit me pater. Hoc mysticum est,
Act. 10 illud morale. Vidit mihi, probauit mihi. Quod deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam quod deus mundauit, tu cõmune ne dixeris, scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum dei nemo blasphemet. Si firmamentũ bonum, quantò magis bonus eius creator? etiam si Arriani nolint, Eunomiani reclament, radicis degeneris fructus deterior. Vidit, inquit, deus, quia bonum.] Solent artifices singula prius facere, & postea ha

bili

bili cõmissione connectere: & qui uultus hominũ uel corpora excudunt de marmore, uel ære fingunt, uel ceris exprimunt, nõ tamen sciunt, quemadmodum sibi possint membra singula conuenire, & quid gratiæ adferat futura connexio: & ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant: Deus uero tanquam æstimator uniuersitatis, præuidens quæ futura sunt, quasi perfecta iam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præueniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est uoluntatis, laudat singula, quasi conuenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum uenustate compositam. Illa est enim uera pulchritudo, & in singulis membris esse quod deceat, & in toto: ut in singulis gratia, in omnibus formæ conuenientis plenitudo laudetur. Sed iam etiam secundus nobis claudatur dies, ne dum opus adstruimus firmamenti, infirmiores eos qui audiũt, dicendi prolixitate faciamus, dum in noctem sermo producitur, quę adhuc carens lunę stellarumq; lumine, (nondum enim luminaria creata sunt cœli) obscuritatem possit afferre remeantibus: simul ut cibo potuq; curentur corpora, ne animis epulantibus, fragilitas carnis de nocturno quoq; ieiunio queratur.

CAPITA TERTII LIBRI HEXAEMERON.

De introductione tertij diei, cum increpatione hominum quod imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt: exhortatio quoq; ut populus in unam ecclesiam domini congregetur. Caput I

De inuisibilitate & apparitione terræ per scripturæ probationem. Et quomodo aquæ congregatæ fuerint in unam collectionem, cum destructione opinionum contradicentium. Caput II

Quomodo aquarum per omnem ferè terram diffusarum una dicatur collectio, cùm & hodie diuersa sint maria. Quomodo etiam congregatio una potuerit omnes illas aquas recipere, atq; exinanire terras, quæ antè fuso per uniuersum flumine stagnabantur. Caput III

Quid sit quod ait dominus: Et appareat arida: & nõ dixerit: Et appareat terra. Cap. IIII

De eo quod à quibusdam additum perhibetur: Et congregata est aqua in collectiones suas, &c. De probatione quoq;, & singulari ac mira laude maris. Caput V

Quomodo conuenerit ut terræ daretur species & gratia germinandi, & uiriditas agri: ac de uirtute & utilitate huius uocis qua deus dixit: Germinet terra herbam uirentem fœni, &c. cum redargutione eorum qui hanc prærogatiuam ipsi Soli adscribunt. Caput VI

Cur prius pecori pabulum, quàm cibus homini sit creatus: simplexq; uictus & naturalis cibus reliquis cibis antelatus sit. De commendatione quoq; ipsius, ac de mysterio herbæ uirentis, & floris fœni: cum exhortatione nostri ad imitationẽ illius herbæ, & confutatione Manichæi, aliorumq; hæreticorum. Caput VII

De germine, ac seminaria uirtute, & admirabili germinationis & fructificationis modo, terræq; utilitate. De laude quoq; agri pleni, & salubritate succi herbarum, uirgultorumq; ac foliorum remedijs. Caput VIII

De retusione causationis quod cum utilibus etiam lætalia & pernicioſa generentur. Caput IX

Quomodo terra secundum genus suum dicatur proferre semina, cùm plerunq; semina iacta degenerent. Ac de diuersitate seminis diaboli & seminis Christi filij hominis, & quando iste homo uerbum suum seminauerit super terram. Caput X

De ortu arborum atque rosarum, & quomodo rosa humanæ uitæ speculum præferat. Caput XI

De singulari uitis commendatione, & quomodo exemplum eius ad nostræ uitæ institutionem arcessendum sit. Caput XII

De arborum uarietate, ac diuersis earum utilitatibus, & ornatibus: fructuumq; suorum, atq; succorum proprietatibus & medelis. Caput XIII

De simplicium pomorum differentia, foliorumq; diuersitate. Caput XIIII

Quod

Quod inexplicabile sit singularum rerum exquirere proprietates: & de uaria mutatione ipsius aquæ quæ omnium uirgultorũ nutrix est. De discrepantia quoq; lachrymarum arborũ, quæ eiusdem aquæ alluuione generantur: ac tandem de diffusioris perscrutationis excusatione. Caput XV

Quemadmodum ad uerbum domini, quod omni aquarum cursu est redundantius, subito omnis uirgultorũ creatura effloruerit, & uictum atq; medelam administrauerit. Quomodo præterea uniuersa gignentia aut semina habeant, aut aliqua quæ cum uirtute seminum uideantur conuenire. Ac de magna dei uirtute in singulis. Cap. XVI

De reprehensione surditatis humani cordis. Et de incõprehensibili admirãdaq; dei etiã in paruis prouidẽtia. De primo quoq; cultore uitiũ, & cõmendatione uini. Ca. XVII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIBER III, DE DIE TERTIO.

De introductione tertij diei, cum increpatione hominum quod imperio dei insensibilibus elementis parentibus, ipsi non obediunt: exhortatio quoq; ut populus in unam ecclesiam domini congregetur. Caput I

Gen. 1

DIES tertius nobis hodie in sermone nascatur, qui ortus est in lectione. Præclarus dies, qui terrã à naufragio liberauit, dicente deo: Congregetur aqua quæ est sub cœlo, in congregationẽ unam.] De quo præfationem adoriri placet. Congregetur aqua, dictum est, & cõgregata est: & frequenter dicitur, congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio dei insensibilia elemẽta parere, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est authore. Et fortasse hic pudor fecerit, ut hodie plures conueniretis: ne quo die congregata est aqua in congregationẽ unam, eo die populus nequaquam congregatus in ecclesiam domini uideretur. Nec hoc solũ obedientis aquæ exemplũ habemus. nam & alibi scriptũ est: Viderunt te aquæ deus, uiderunt te aquæ, & timuerũt. Neque enim uerisimile nõ uidetur de aquis dictũ, quando alibi quoq; idem Propheta ait: Mare uidit & fugit, Iordanis cõuersus est retrorsum. Hoc enim uere factũ quis ignorat, quod ad Hebræorũ transitũ mare fugerit, quando se unda diuisit, transiuit populus pulueruleto uestigio, perisse mare credens, fugisse fluctus? Denicq; credidit hoc Ægyptius, & ingressus est: sed illi redijt unda, quæ fugerat. Nouit ergo aqua & congregari & timere, & fugere quando deus præcipit. Hanc imitemur aquã, & unã congregationẽ domini, unã ecclesiam nouerimus. Congregata est hic quondã aqua ex omni ualle, ex omni palude, ex omni lacu. Vallis est hæresis, uallis est gentilitas, quia deus montiũ est, nõ uallium. Denicq; in ecclesia exultatio est, in hæresi & gentilitate fletus & mœror. Vnde ait: Dispositi in cõualle fletus. Ex omni igitur ualle cõgregatus est populus catholicus. Iam nõ multæ cõgregationes sunt, sed una est cõgregatio, una ecclesia. Dictũ est & hic: Congregetur aqua ex omni ualle, & facta est cõgregatio spiritalis, & factus est unus populus: ex hæreticis & gẽtilibus repleta ecclesia est. Vallis est scena, uallis est circus, ubi currit mendax equus ad salutẽ, ubi humilis & abiecta cõtentio, ubi litiũ fœda deformitas. Ex his igitur qui circo inhærere consueuerãt, fides creuit ecclesiæ, quotidianus cœtus augeẽ. Palus est luxuria, palus est intẽperantia, palus est incõtinentia: in qua uolutabra libidinũ sunt, bestiarũ murmura, latibula passionũ: ubi mersantur quicunq; inciderint, & nõ emergunt: ubi labuntur pedũ uestigia, fluitant singulorũ incessus: ubi fulicæ se dum lauant, polluunt: ubi flebiles desuper gemitus columbarũ: ubi pigra testudo cœnoso hæret in gurgite: denicq; aper in palude, ceruus ad fontes. Ex omni igitur palude, ubi quasi ranę ueterẽ querelam canebant, congregata est fides, cõgregata est puritas animi, mentisq; simplicitas. Congregata est aqua ex omni lacu, & ex omni fouea, ut nemo fodiat foueam fratri suo, in quam ipse incidat: sed omnes se inuicẽ diligant, omnes se inuicem foueant,

Psal. 76

Ibidem 113

3. Reg. 20

Psal. 83

Prouerb. 26

ueant,& quasi unum corpus diuersa se membra sustentent: quos non mortiferi cantus, & acroamata scenicorum,quæ mentem emolliant ad amores,sed cõcentus ecclesiæ,& consona circa dei laudes populi uox,& pia uota delectent:quibus nõ purpurea peripetasmata,non aulæa precioſa spectare,uoluptati sit: sed hanc pulcherrimam mundi fabricam,hanc distantem inter se elementorũ copulam: cœlum sicut cameram extensum, ut inhabitantes in hoc mundo tegat: terram ad operandum datam,diffusum aerem, clausa maria,populum hunc diuinæ operationis organum, in quo diuini modulamen resultet oraculi,& dei spiritus intus operetur, templum istud sacrarium trinitatis, sanctitatis domicilium,ecclesiam sanctam, in qua refulgent aulæa cœlestia, de quibus dictum est: Dilata locum tabernaculorum tuorũ:& aulęorum tuorum:fige,ne parcas:longiores fac funiculos tuos,& palos tuos confirma:adhuc in dexterã & sinistram extende, & semen tuum gentes hæreditate possidebit,& ciuitates desertas inhabitabis.Habet ergo aulęa, quibus attollit uitam bonam,peccata tegit,culpam obumbrat. Hæc est ecclesia,quæ super maria fundata est,& super flumina præparata. Supra uos enim cõfirmata est & præparata,qui sicut flumina puro in eam undiq; fonte decurritis,de quibus dictũ est: Eleuauerunt flumina domine,eleuauerunt flumina uocem suam à uoce aquarũ multarum.Et addidit: Mirabiles elationes maris,mirabilis in excelsis dominus. Bona flumina.hausistis enim ex illo perenni & pleno fonte à quo fluit is,qui ait: Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dicebat de spiritu,quem incipiebant accipere qui crediturí erant in eum. Sed iam quasi boni Iordanes reuertimini mecum in originem.

Esa.54

Psal.92

Ioan.7

De inuisibilitate & apparitione terræ per scripturæ probationem.Et quomodo aquæ congregatæ fuerint in unam collectionem: cum destructione opinionũ contradicentium. Caput II

C Ongregetur,inquit,aqua quæ sub cœlo est,in congregationẽ unam,& appareat arida. Et factum est sic.] Fortasse parum crediderit aliquis superioribus sermonibus nostris, quibus tractauimus inuisibilem ideo fuisse terrã, quod aquis operta tegeretur,ut corporeis oculis uideri non posset.Ad se enim Propheta retulit,hoc est ad nostram conditionẽ, non ad diuinæ maiestatem naturæ, quæ utiq; omnia uidet.Sed ut aduertatis quia non quasi nostri ingenij probandi gratia,sed uestræ causa instructionis suscepimus hunc tractandi laborẽ: adstipulatur nobis lectionis series,quæ apertè probat,post congregationem aquæ quæ erat super terram,& post deriuationem eius in maria,apparuisse aridam. Desinant ergo qui nobis dialecticis disputationibus mouere negocia solent, dicentes: Quomodo terra inuisibilis, cum omni corpori naturaliter & species & color insit: omnis autẽ color sit subiectus aspectui? Clamat dei uox: Congregetur aqua,& appareat arida.] Et iterum scriptura dicit: Congregata est aqua in congregationẽ unã,& apparuit arida.] Quid opus fuit iterare, nisi occurrendũ quæstionibus iudicasset Propheta? Non'ne uidetur dicere: Non dixi inuisibilem secundũ naturã, sed secundum superfusionẽ aquarum? Deniq; addidit sublato uelamine apparuisse aridam,quæ antè nõ uidebatur.Iterũ quoq; quæstiones alias ferunt,dicentes:Si in congregationibus diuersis aqua erat,quomodo si illæ cõgregationes in superioribus erant, non defluebat aqua in eum locum ad quem postea domini imperio deriuata est? Natura enim aquarũ sponte in inferiora prolabitur.Sin uerò in inferioribus erãt illę congregationes,quomodo cõtra naturam suam aqua ad superiora conscendit? Itaq; aut secundum naturales cursus imperio non eguit: aut contra naturam imperio proficere nõ potuit.Cui quæstioni facilè respondebo,si mihi ipsi ante respondeant,ante pręceptũ domini hanc aquarũ fuisse naturam ut laberetur & flueret.Non enim ex usu hoc habet cæterorum elementorũ,sed speciale & proprium:non ex quodam ordine,sed magis ex uoluntate & operatione dei summi. Quid iusserit deus, audiunt. Vox autem dei, efficiens natura est. Eam uocem effectus operationis impleuit.Cœpit labi aqua,& in unam confluere congregationẽ,quæ antè erat diffusa per terras,& plurimis receptaculis inhærebat. Cursum eius antè non legi,motũ eius antè nõ didici:nec oculus meus uidit,nec auris audiuit. Stabat aqua diuersis locis,ad uocẽ dei mota est. Non'ne uidetur quia naturã ei huiusmodi uox dei fecit,& secuta est creatura præceptũ,& usum fecit ex lege? Primæ

Gen.1

Esa.64

enim

enim constitutionis lex, formam in posteros dereliquit. Deniq; semel diem fecit & noctem: Ex illo manet utriusq; successio, & diuturna reparatio. Iussa est etiam aqua currere in cõgregationem: Ex illo currit, fontes labũtur in fluuios, in freta currũt flumina, lacus deriuantur in maria, ipsa se aqua præcedit, urget, & sequitur. Vnus est ductus, unũ corpus. Et cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen dorsi eius æqualitas. Vnde & æquor appellatum arbitror, quod superficies eius æqualis sit. Respondi secundum illorũ propositum, illi nunc respõdeant mihi, si unquam uiderint fontes ex inferioribus scaturire, de pauimento aquam surgere. Quis eam cogit? Vnde prorumpit? Quemadmodũ nõ desicit? Quomodo fit, ut ima solidiora undam uomant? Hæc secundũ occultæ secreta naturæ. Cæterũ quis ignorat quòd rapido plerũq; impetu in ima descendens, in superiora se subrigat, atq; in supercilium mõtis attollat? plerunq; etiam canalibus manu artificis deriuata, quantum descenderit, tantũ rursus ascendat? Itaq; si uel impetu suo fertur, uel artificis deriuata ingenio, cõtra naturam suam ducitur & eleuatur, miramini si diuini operatione præcepti aliquid ad usum naturæ eius accessit, quod in usu antè non fuerit? Dicant nunc mihi quomodo tanquã in utrem cõgregauerit aquas maris, ut scriptum est: quomodo eduxerit de petra aquam. Qui potuit de petra educere aquã quæ nõ erat, nõ potuit aquam educere quæ erat? Percussit petrã, & fluxerũt aquę, clamat Dauid: Et torrentes inundauerunt. Et alibi: Super montes stabunt aquæ. Habes in Euangelio quod cũ grauis esset procella, & magnus in mari motus, ita ut trepidarent Apostoli naufragij periculũ, excitauerunt dormientem in puppi dominũ Iesum, & surgens imperauit uento & mari: sedata tempestas est, refusa tranquillitas. Qui potuit imperio mare totũ sedare, nõ potuit aquas imperio mouere? Atqui in diluuio sic accepimus, quod eruperint abyssi fontes, & quod induxerit postea spiritũ, & siccauerit aquã: si nolunt obedisse naturam, usumq; elementi imperio Dei esse cõuersum, uel hoc cõcedant, potuisse immisso uento aquas currere, quod quotidie uidemus in mari, ut inde aquæ currant, unde flauerit uentus. Si tempore Moysi excitato austro ualido siccatũ est mare, eodem modo siccari nõ potuit cõgregatio aquarum, & in mare profluere aqua, quæ postea diuisa est in profundo? Sed discant naturam posse cõuerti, quando petra aquas fluxit, & ferrũ aquæ supernatauit, quod utiq; Helisæus orando facere meruit, non imperando. Si igitur Helisæus ferrũ leuauit contra naturam, Christus aquas mouere non potuit? Sed mouit, qui potuit dicere, Lazare ueni foras: & mortuũ suscitauit. Deus enim quod iubet, facit. Itaq; pari exemplo dictũ accipe: Congregetur aqua, & cõgregata est. Dicendo autem cõgregetur, nõ solum mouit eam de loco, sed etiam statuit in loco, ut nõ præterflueret, sed maneret. Hoc utiq; maioris miraculi est, quomodo omnes cõgregationes in unam cõgregationem cõfluxerint: & una cõgregatio nõ adimpleta sit. Nam & scriptura hoc inter miracula cõstituit dicendo: Omnes torrentes eunt in mare, & mare nõ adimpletur. Vtrunq; igitur ex præcepto Dei, ut & fluat aqua & nõ superfluat. Circũscripta igitur imposito fine maria claudũtur, ne superfusa terris inundent omnia, & destituto aruorũ cultu, munus terrenæ fœcũditatis impediant. Cognoscãt igitur diuini esse præcepti, operationisq; cœlestis. Ait enim dominus per nubẽ ad Iob inter alia etiã de maris claustro: Posui ei fines, apponens claustra & portas. Dixi autem ei: Vsq; huc uenies, nec transgrederis, sed in te ipso cõterentur fluctus tui. Nónne ipsi uidemus mare frequẽter undosum ita ut in altũ fluctus eius tanquã mons aquæ præruptus insurgat, ubi impetum suũ ad litus illiserit, in spumas resoluí, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est: Aut nõ timebitis me, dicit dominus, qui posui arenam fines mari? Infirmissimo itaq; omnium uilis fabuli puluere uis mari in tempestate cohibetur, & uelut habenis quibusdam cœlestis imperij à præscripto sibi fine reuocatur, uiolentiq; æquoris motus in sese frangitur, atq; in reductos sinus suos scinditur. Cæterum nisi uis statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Aegypti, quæ maxime humilioribus iacens uallibus campestris asseritur, mare rubrum Aegypto pelago miscereturr? Deniq; docent hoc qui uoluerũt hæc duo sibi maria cõnectere, atq; in se transfundere: Sesostris sane Aegyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris cõtuitu potẽtiæ, in effectũ uoluit producere quod ab indigena fuerat attentatũ. Quę res indicio est, quod superius est mare Indicũ, in quo mare rubrum, quàm æquor Aegyptium,

Psalm. 32
Psalm. 77
Psalm. 103
Matth. 8
4. Reg. 6
Ioann. 11
Eccl. 1
Iob 38
Hierem. 5

quod

quod inferius alluit. Et fortasse ne latius se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideo molimina sua rex uterq; reuocauit.

Quomodo aquarum per omnem fere terram diffusarũ una dicatur collectio, cum & hodie diuersa sint maria. Quomodo etiam congregatio una potuerit omnes illas aquas recipere, atq; exinanire terras, quæ ante fuso per uniuersum flumine stagnabantur. Caput III

VEro nunc, cum dixerit: Colligatur aqua in collectionem unam.] Quomodo diffusas per lacus, paludes, stagna, aquas, & superfusas uallibus & campis omnibusq; planioribus locis, currentes fontibus atq; fluminibus una potuerit recipere collectio: aut quomodo una collectio, cum hodieq; diuersa sint maria. Nam & Oceanum mare dicimus, & Tyrrhenum, & Adriaticum, & Indicum, & Aegyptium, & Pontum, & Propontidem, & Hellespontum, & Euxinum, Egæum, Ionium, Atlanticum, Plericq; etiam Creticum, & Septentrionale Caspium appellant mare. Vnde consideremus scripturę uerba, quę librato sunt trutinata examine. Colligatur, inquit, aqua in collectionem unam.] Vna aquarum iugisq; & cõtinua congregatio est, sed diuersi sinus maris, ut quidam de scriptoribus forensibus ait: Nanq; portus maris nostri sinus amplissimus. Meritoq; in diuersis locis diuersa sunt nomina, quia uocabula aquis ex regionum uocabulis adhæserunt. Vna autem congregatio aquarum, eò quòd iugis unda atq; continua ab Indico mari usq; ad Gaditani oram littoris, & inde in mare rubrum, extremo circũfuso orbem terrarum includit Oceano, interius quoq; Tyrrheno Adrias. Adriæ cætera maria miscentur, nominibus distincta, non fluctibus. Vnde pulchre habes, quia Deus congregationes aquarum uocauit maria. Ita & una est generalis collectio, quæ dicitur mare, & multæ collectiones, quę maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multæ terræ, ut Aphrica, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Aegyptus, Gallia, atq; Italia, pro regionum appellantur uocabulis: & una est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & unum est mare, sicut ait Prophe ta dicens: Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu funda- *Psal. 88*
sti, aquilonem & mare tu creasti. Et ad Iob ipse dominus ait: Concluси autem mare por- *Iob 38*
tis. Nunc quia de una collectione diximus, illud occurrit, utrum cum per omnem fere terram & super terram fuerint diffusæ aquæ per uallestria agrorum, concaua montium, planiciemq; camporũ, modo æquoris fusa congregatio una potuerit omnes illas aquas recipere, atq; exinanire terras, quæ antè fuso per uniuersum flumine stagnabãtur. Nam si tunc operta erant omnia non diceret, uisa est terra, nisi retectam uellet locis omnibus demonstrare. Si diluuium Noe tempore abscondit, & montes quando aquarum iam & super cœlos, & infra firmamentum fuerat facta discretio, quanto magis dubitari nõ potest, etiam montium uertices illa superfusione latuisse? Quò igitur illa omnis aquarũ redundantia deriuata est? Quæ receptacula eam tam continua atq; cõnexa absorbere potuerũt? De quo multus nobis potest sermo suppetere. Primum, quia potuit creator omnium, & ipsarum terrarũ spatia diffundere: quod aliqui ante nos confirmantes, propria posuerunt sententia. Ego, quid facere potuerit, nunc prætermitto: quid fecerit, quod aperte scripturarum authoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne forte etiam hinc alias sibi quæstiones requirant. Assero tamen secundum scripturas, quia potuit locorum humilia, & camporum aperta diffundere, sicut ipse ait: Ante te ambulabo, & mon- *Esa. 49*
tes planos faciam. Potuit etiam ipsa aquarum uis profundiora ea facere quæ insederat, tanto fluctuum motu, tantoq; æstu concitatioris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas uersare soleat de profundo. Quis deinde sciat, inquantum se illud magnum & inausum nauigantibus atq; intentatum nautis fundat mare, quod Britannias frementi includit æquore, atq; in ulteriora & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit? Quis deinde colligat, quantum Lucrino & Auerno in Italia, Tiberiadi quoq; in Palæstina, & ei lacui qui inter Palæstinam & Aegyptum Arabiæ deserta prætendit, portubusq; diuersis Augusti atq; Traiani, cæterisq; per uniuersum orbem infusum addiderit mare? Si sunt etiam non confusi lacus, & stagna quæ non miscentur fluctibus, ut Larius & Benacus, Albanus quoq;, aliiq; plures, quomodo una congregatio aquarum? Sed quemadmodum dicitur, quia fecit Deus duo luminaria, id est solem & lunam, cum

sint utiq; & stellarum lumina: ita & una congregatio dicitur, cum sint plurimæ. Neque enim annumerantur, quæ non conferuntur.

Quid sit q; ait dominus: Et appareat arida: & nō dixerit, & appareat terra. Cap. IIII

Genes. 1

Ed ut uidetur, quoniam de mari loquebamur, aliquātulum exundauimus: S ad propositū reuertamur: & cōsideremus quid sit quod ait dominus: Congregetur aqua in unam congregationem, & appareat arida: & nō dixerit, terra. Quod præclare positum quis non aduertat? Terra enim potest & luto esse permixta, aquis madida, cuius species superfusis aquis non appareat. Arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, ut sit utilis, sulcabilis, & apta culturis. Simul prospectū est, ne uideatur sole magis quàm Dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam sol crearetur. Vnde & Dauid discernens mare & terram, ait de

Psal. 94

domino Deo: Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & aridam manus eius fundauerunt. Arida enim expressio naturæ est, terra appellatio quædam simplex negotij, quæ in se habeat proprietatem. Sicut enim animal, generis significatio est, cui inest propriū aliquid & excellens, rationabile autem proprium est hominis: ita & terra potest cōmuniter dici uel scatēs aquis, uel deserta, & inuia, & sine aqua. Ergo & illi quę scatet aquis, inest ut habeat aridítatem. Remota enim aqua incipit esse arida, sicut habes scriptū: Po-

Psal. 106

suit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. hoc est, de terra aquosa aridam fecit. Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut & singula elemēta habent. Nam & aer humidā qualitatem, & aqua frigidam, & ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, quod ratione colligimus. Comprehēdere autem sensibiliter & corporaliter si uelimus, uelut cōnexa & composita reperimus, ut sit terra arida & frigida, aqua frigida & humida, aer calidus & humidus, ignis calidus & siccus: & sic sibi per has iugales qualitates singula miscentur elementa. Nam terra cum sit aridæ & frigidæ qualitatis, cōnectitur aquę per cognationem qualitatis frigidę, & aqua aeri, quia humidus est aer. Ergo aqua tanquam brachijs quibusdam duobus frigoris & humoris, altero terram, altero aerem uidetur amplecti: frigido terram, aerem humido. Aer quoq; medius inter duo cōpugnantia per naturam, hoc est inter aquam & ignem utrūq; illud elementum conciliat sibi, quia & aquis humore, & igni calore coniungitur. Ignis quoq; cum sit calidus & siccus natura, calore aeri annectitur, siccitatē autem in cōmunionem terræ ac societatem refunditur, atq; ita sibi per hunc circuitum & chorum quendā concordiæ societatisq; conueniunt. Vnde & Græcè στοιχεῖα dicuntur, quæ Latinè elementa dicimus, quod sibi conueniant & cōcinant. Huc autem progressi sumus, quia scriptura ait quod Deus uocauerit terram aridam, hoc est, quia quod principale est eius, nuncupauit proprietatem naturæ. Naturalis enim proprietas siccitas est terris: hæc ei prærogatiua seruata est. Principalis ergo siccitas subest etiam ut sit frigida, sed non præferuntur secunda primis. Vt autem humida sit, aquarum affinitati sociatur. Ergo illud suū, istud alienum. Suum, quod arida: alienum, quod humida. Author itaq; naturæ quod primo donauit, hoc tenuit: quia istud ex natura, illud ex causa. De principalibus igitur, non ex accidentibus terræ debuit proprietas definiri, ut secundum prærogatiuam qualitatis eius informaretur nostra cognitio.

De eo quod à quibusdam additum perhibetur: Et congregata est aqua in collectiones suas &c. De probatione quoq;, & singulari ac mira laude maris. Cap. V

Genes. 1

T uidit Deus quia bonum.] Non prætermimus, quia aliqui nec in Hebræo E putant esse, nec in cæteris interpretationibus, quia, Cōgregata est aqua in collectiones suas, & apparuit arida. Et uocauit Deus aridam terrā, & collectiones aquarum uocauit maria.] Cum enim dixerit Deus quia factum est sic, satis esse putant uocem operatoris, ad celebratæ operationis indicium. Sed quia in alijs quoq; creaturis habet & definitionem præceptionis, & repetitum operationis uel indiciū uel effectum: ideo nos non putamus absurdum, id quod perhibetur additum, etiam si cæteris interpretibus uel ueritas doceatur suppetere, uel authoritas. Multa enim non ociosè à septuaginta uiris Hebraicæ lectioni addita & adiuncta cōperimus. Vidit ergo Deus quia bonum mare. Et si pulchra sit species eius elementi, uel cum surgentibus albescit cumulis ac uerticibus undarum, & cautes niuea rorant aspergine, uel cum æquore crispanti

panti clementioribus auris & blando ſerenæ tranquillitatis purpuraſcentem præfert co lorem, qui eminus ſpectantibus frequenter offunditur, quando nō uiolentis fluctibus, uicina tundit littora, ſed uelut pacificis ambit & ſalutat amplexibus, quàm dulcis ſonus, quàm iucundus fragor, quàm grata & conſona reſultatio. Ego tamen non oculis æſtimatum creaturæ decorem arbitror, ſed ſecundum rationem operationis iudicio operatoris conuenire & cōgruere definitum. Bonum igitur mare: Primùm, quia terras neceſſario ſuffulcit humore, quibus per uenas quaſdam occultè ſuccum quendam haud inutilem ſubminiſtrat. Bonum mare, tanquam hoſpitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio cōmeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulātur, quo prę liorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, ſubſidium in neceſſitatibus, refugiū in periculis, gratia in uoluptatibus, ſalubritas ualetudinis, ſeparatorū conIunctio, itineris cōpendium, tranſfugium laborantium, ſubſidium uectigalium, ſterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terras transfunditur. Si quidem de mari aqua radijs ſolis hauritur, & quod ſubtile eius eſt rapitur: deinde quanto altius eleuatur, tanto magis etiam nubium obumbratione frigeſcit, & imber fit: qui non ſolum terrenam temperat ſiccitatem, ſed etiam ieiuna arua fœcundat. Quid enumerem inſulas, quas uelut monilia plerunq; prætexit, in quibus ij qui ſe abdicant intemperantiæ ſecularis illecebris, fido continentiæ propoſito eligunt mundum latere, & uitæ huius declinare dubios anfractus? Mare eſt ergo ſecretum temperantiæ, exercitium continentiæ, grauitatis ſeceſſus, portus ſecuritatis, tranquillitas ſeculi, mūdi huius ſobrietas: tum fidelibus uiris atq; deuotis incentiuum deuotionis, ut cum undarum leniter alluentium ſono certent cantus pſallentium, plaudant inſulę tranquillo fluctuum ſanctorum choro, hymnis ſanctorum perſonent. Vnde mihi ut omnem pelagi pulchritudinem cōprehendam, quam uidit operator? Et quid plura? Et quid aliud ille concentus undarum, niſi quidam concentus plebis eſt? Vnde bene mari plerunq; cōparatur Eccleſia, quę primo ingredientis populi agmine totis ueſtibulis undas uomit: deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus ſtridet: tum reſponſorijs Pſalmorum, cantu uirorum, mulierum, uirginum, paruulorum, cōſonus undarum fragor reſultat. Nam illud quid dicam, quod unda peccatum abluit, & ſancti ſpiritus aura ſalutaris aſpirat? Det nobis dominus illa ſucceſſuum flumina proſpero ligno currere, tuto portu conſiſtere, nequitiæ ſpiritalis grauiora quàm ferre poſſumus tentamenta neſcire, fidei ignorare naufragia, habere pacem profundam: & ſi quando aliquid ſit, quod graues nobis ſeculi huius excitet fluctus, euigilantem pro nobis habere gubernatorem dominum Ieſum, qui uerbo imperet, & tempeſtatem mitiget, tranquillitatem maris refundat, cui eſt honor & gloria, laus, perpetuitas à ſeculis, & nunc & ſemper, in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Quomodo conuenerit ut terræ daretur ſpecies & gratia germinandi, & uiriditas agri, ac de uirtute & utilitate huius uocis qua Deus dixit: Germinet terra herbam uirentem fœni &c. cum redargutione eorum qui hanc prærogatiuam ipſi ſoli adſcribunt.

Caput VI

Diſcedente aqua, conueniebat ut ſpecies terræ daretur & gratia, ut inuiſibilis & incompoſita deſineret eſſe. Nam plerique etiam hoc dicunt eſſe inuiſibile, quod ſpeciem non habet: & ideo accipiūt terram inuiſibilem fuiſſe, non quia uideri nō poſſet à ſummo Deo uel Angelis eius, (nam adhuc homines creati nō erant, uel etiā pecudes) ſed quia ſine ſua ſpecie erat. Species autem terræ, eſt germinatio, & uiriditas agri. Vnde ut & uiſibilem & eā cōpoſitam faceret Deus, ait: Germinet terra herbam fœni, ſeminans ſemen ſecundum genus ſuum, & lignum fructiferum faciens fructum ſecundum genus ſuum, cuius ſemen ſuum ſit in ipſo.] Audiamus uerba ueritatis: quorum ſeries, ſalus eſt audientium. Prima enim illa uox Dei ſingulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ eſt, quæ terris in omne æuum remāſit, futuræ ſucceſſionis natura præſcriptum, quemadmodum uel generandi uel fructificandi in reliquum uſus adoleſceret. Prima itaq; germinatio eſt, quādo naſcentia uidentur erumpere: deinde cum eruperit & profecerit germen, fit herba: herba quoq; ubi paululum proceſſerit, fit fœnum. Quàm utilis, quàm uehemens uox: Germinet terra herbam fœni.] Hoc eſt, ipſa per ſe germinet terra, nullum alterius quęrat auxilium, non cuiuſquam indigeat

Gene. 1

digeat ministerio. Solent enim plerique dicere: Nisi clementior solis calor tepefecerit terras, & quodammodo radijs suis fouerit, non potest germinare terra: & propterea gentes diuinum honorem deputant Soli, quod uirtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, uel rigentes gelu uenas arborum relaxet. Audi ergo Deum uelut hanc uocem emittentem: Conticescat ineptus sermo hominum qui futurus est, faceſſat uana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua quàm Solis. Ne error hominum conualescat, germinet prius terra, quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem authorem non esse nascentium. Dei clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo Sol uiuendi usum ministrat oriundis, quando illa prius diuinæ operationis uiuificatione sunt edita, quàm Sol in hos uiuendi usus ueniret? Iunior est herbis, iunior fœno.

Cur prius pecori pabulum quàm cibus homini sit creatus, simplexque uictus & naturalis cibus reliquis cibis antelatus sit: de commendatione quoque ipsius, ac de mysterio herbæ uirentis & floris fœni, cum exhortatione nostri ad imitationem illius herbæ, & confutatione Manichæi aliorumque hæreticorum. Caput VII

ET forte mirentur aliqui quod prius pecori pabulum, quàm cibus homini sit creatus. In quo primum profundum Dei consilium debemus aduertere, quod etiam minima quæque non negligat, sicut in Euangelio sapientia Dei dicit: Respicite uolatilia cœli: quoniam non serunt neque metunt, neque congregat in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa: nonne uos pluris estis illis? Cum enim illa pascuntur Dei gratia, nemo sibi debet de sua industria & uirtute blandiri. Deinde quia simplicem victum & naturalem cibum reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim sobrietatis est cibus, reliqui deliciarum atque luxuriæ. Hic communis omnibus animantibus cibus, ille paucorum. Exemplum itaque frugalitatis, magisterium parsimoniæ est, herbæ simplicis victu oleriscique uilis aut pomi contentos esse omnes oportere, quæ natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donauit. Ille salubris, ille utilis cibus, qui morbos repellat, qui resecet crudi-

Matth. 6

tates, nullo hominum partus labore, sed diuino effusus munere, sine ratione frugis sine semine, tam dulcis, tam gratus, ut etiam repletis uoluptati atque usui sit. Denique ad primas datus mensas, ad secundas remansit. Quid autem creaturæ huius attexam miraculum, & sapientiæ operatricis argumentum exprimam? In hac enim germinum specie, & in illo uirentis herbæ munere imago est uitæ humanæ, & naturæ conditionisque nostræ insigne quoddam spectatur, & speculum elucet. Illa herba & flos fœni, figura est carnis humanæ, sicut bonus diuinitatis interpres organo suæ uocis expressit, dicens: Clama. Quid

Esaiæ 40

clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis ut flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: uerbum autem domini manet in æternum. Dei sententia, uox humana est. Dicit Deus, Clama: sed in ipso Esaia loquitur. Ille respondit: Quid clamabo? Et tãquam quid loqueretur audisset, adiunxit: Omnis caro fœnum. Et uere. Viret enim & gloria hominis in carne quasi fœnum: & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura ut flos, caduca quasi fœnum: germinat uitæ uiriditatem in specie, non in fructu soliditatem: hilarioris uitæ quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spacio occasura, sicut herba fœni, quod priusquam euellatur arescit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ

Psal. 128

salubritas potest esse diuturna? Hodie uideas adolescentem ualidum, pubescentis ætatis uiriditate florentem, grata specie, suaui colore: craſtina die tibi faciem & ora mutatus, occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decoræ formæ usus est gratia, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas uexat, aut uina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut euira-

Esa. 40

tos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonne uerum est, quia aruit fœnum, & flos decidit? Alius abauis atauisque nobilis, & maiorum honestatus insulis, prosapiæ ueteris, clarus insignibus, amicis abundans, stipatus clientibus, & utrunque latus tectus, secum producens maximam ac reducens familiam, repente aliqua accidentis periculi mole turbatus destituitur ab omnibus, à sodalibus derelinquitur, impugnatur à proximis. Ecce uerum

Psalm. 128

est quia sicut fœnum, uita hominis, priusquam euellatur, arescit. Est etiam qui dudum ubertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora uolitans singulorum, clarus honoribus, præminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis æstimatus,

matus, dum præconum clamore deducitur, ſubita rerum cõuerſione in eum carcerem rapitur, quo alios ipſe detruſerat, & inter reos ſuos imminentis pœnæ deflet ærumnam. Quantos pridie caterua plaudẽtium, & inuidioſa fauentis populi frequens domũ pompa deduxit, & nox una glorioſæ illum ſplendorem deductionis aboleuit, ac repentinus lateris dolor, effuſis gaudijs, luctuoſam grauis ſucceſſionem mœroris admiſcuit? Huiuſmodi igitur eſt gloria hominis, ſicut flos fœni. Quæ etiam cum defertur, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, & cùm amittitur euaneſcit, omnem ſcenam hominis, & quam deſuper obumbrabat repente deſtituens, & quam intus animabat. Atq; utinã imitaremur hanc herbam, de qua ait dominus: Germinet terra herbam fœni, ſeminans ſemen ſecundum genus ſuum, & ſecũdum ſimilitudinem.] Seminemus igitur ſemen ſecundum genus. Quod ſit genus, audi dicentem oportere nos quęrere illud diuinum, ſi quo modo illud tractare poſſimus aut inuenire: quamuis non longe ſit ab unoquoq; noſtrum. In ipſo enim uiuimus, & ſumus, & mouemur, ſicut quidam ueſtrum, inquit, dixerũt, cuius & genus ſumus. Secundum hoc genus ſeminemus ſemen, non in carne, ſed in ſpiritu. Non enim carnalia, ſed ſpiritualia ſeminare debemus, qui ad uitam peruenire uolumus æternam. Quæ ſit autem ſimilitudo, non ignoras, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus es. Herba generi reſpondet ſuo, tu non reſpondes tuo generi? Tritici granum ſparſum terræ, generis ſui gratiam reddit, & tu degeneras? Fruges non adulterant ſui ſyncerítatem ſeminis, tu adulteras puritatem animæ, uigorem mentis, corporis caſtitatem? Non agnoſcis opus eſſe te Chriſti? Manibus ſuis, ut legimus, te ille formauit, & tu Manichæe alterum tibi aſſciſcis authorem? Pater Deus dicit ad filium: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã: & tu Photiniane dicis, quia in conſtitutione mundi adhuc non erat Chriſtus? Et tu Eunomiane dicis, quia diſſimilis eſt patri filius? Nam ſi imago, nõ diſſimilis utiq;: ſed totum ex toto exprimens patrẽ, quẽ pater ſubſtantiæ ſuæ unitate ſignauit. Pater dicit: Faciamus, & tu cooperatorem negas? Quod dixit pater, filius fecit: & tu ęqualẽ negas, in quo cõplacuit pater. *Genes. 1* *Act. 17* *Genes. 1*

De germine, ac ſeminaria uirtute, & admirabili germinationis & fructificationis modo, terræq; utilitate. De laude quoq; agri pleni, & ſalubritate ſucci herbarum, uirgultorumq; ac foliorum remedijs. Caput VIII

G Erminet, inquit, terra herbam fœni ſecundum genus.] In omnibus quæ dicuntur naſcentia terræ, primum germen eſt: ubi ſe paululum ſuſtulerit, fit herba, poſtea fœnum, inde fit fructus. Sunt naſcentia quę de radice germinant, ut arbores quæ non ſunt ſatæ, ex aliarum arborum radice naſcuntur. In arundine uidemus quomodo in extremo eius uelut quidam fit nodus è latere, & inde alia arundo germinat. Eſt ergo in radice uis quædam ſeminarij. Inſitiua quoq; in ſuperioribus germinant. Alijs ergo à ſemine alijs à radice alijs diuerſo munere ſeries ſucceſſionis acquiritur. Ineſt enim naſcentibus ſingulis aut ſemen, aut uirtus aliqua ſeminaria, & ea ſecundum genus: ut quod naſcitur ex ea, ſimile eorum quæ ſata ſunt, uel quorum de radice ſit, germinet. De tritico triticum, de milio milium, de piro pirus albo flore prorumpit, caſtanea quoq; ſurgit de radice caſtaneæ. Germinet, inquit, terra herbam fœni ſecundum genus.] Et continuo parturiens terra nouos ſe fudit in partus, & induit ſe amictum uiriditatis, gratiam fœcunditatis aſſumpſit, diuerſiſq; compta germinibus, proprios ſuſcepit ornatus. Miramur quòd tam cito germinauerit, quanto maiora miracula ſunt, ſi ſpectes ſingula, quemadmodum uel iacta in terram ſemina reſoluantur, ac niſi mortua fuerint, nullum fructum afferant: ſi uerò fuerint quadam ſui morte reſoluta, in uberiores fructus reſurgant. Suſcipit igitur granum tritici putris gleba, & ſparſum cohibet occatio, ac uelut materno terra gremio fouet & comprimit. Inde cum ſe granum illud reſoluerit, herbam germinat: grata ipſa iam ſpecies herbeſcentis uiriditatis, quæ ſtatim genus ſatiui ſimilitudine ſui prodit, ut in ipſo ſuæ ſtirpis exordio cuius generis herba ſit recognoſcas, atq; in herbis fructus appareat, paulatimq; adoleſcit in fœnum, culmoq; pubeſcens erigitur & aſſurgit. Aſt ubi ſe geniculata iam ſpica ſuſtulerit, uaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera eius primordia aut frigus lædat, aut ſolis æſtus exurat, aut uentorum inclementia, uel imbrium uis ſæua decutiat. Succedunt quidã ordines ſpicæ, mirabili arte formati, uel ad ſpeciem *Genes. 1*

grati,uel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam prouidentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere uelut quædam cedat fultura culmorũ,aginis quibusdã ipse culmus includitur,ut geminatis uiribus frugem possit multiplicem sustinere,ne impar oneri curuetur in terram. Tum supra ipsam spicã uallum struitur aristarum,ut quasi quadã in arce prætendat,ne auium minorũ morsibus spica suis exuatur fructibus,aut uestigijs proteratur. Quid dicam quemadmodũ clementia Dei humanæ prospexerit utilitati? Fœneratũ terra restituit quod acceperit, & usurarum cumulo multiplicatum. Homines sæpe decipiunt, & ipsa fœneratorem suum forte defraudant: terra fidelis manet. Et si quãdo nõ soluerit,si forte aduersata fuit frigoris inclementia,aut nimia siccitas, aut immensa uis imbriũ, alio anno superioris anni damna cõpensat: ita & quãdo prouentus spem destituit agricolæ,nihil terra delinquit: & quando arridet ubertas,fœcundæ matris se partus effundit, ut nunquam ullum dispendium suo inferat creditori. Quæ uerò species pleni agri? Qui odor? Quæ suauitas? Quæ uoluptas agricolarum? Quid digne explicare possumus, si nostro utamur alloquio? Sed habemus scripturæ testimonia quibus agri suauitatem benedictioni & gratiæ sanctorũ aduertimus cõparatam,dicente sancto Isaac: Odor filij mei sicut odor agri pleni. Quid tibi describam purpurascentes uiolas,candida lilia,rutilantes rosas, depicta rura nũc aureis,nunc uarijs,nunc luteis floribus, in quibus nescias utrum species amplius florũ, an uis odora delectet? Pascuntur oculi grato spectaculo,longe lateq; odor spargitur,cuius suauitate cõplemur. Vnde diuinè dominus ait: Et species agri mecum est. Cum ipso est enim,quam ipse formauit. Quis enim alius artifex possit tantam rerum singularum exprimere uenustatem? Considerate lilia agri: quantus sit candor in folijs, quemadmodũ stipata ipsa folia ab imo ad summum uideantur assurgere,ut scyphi exprimant formam, ut auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen uallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpat,& sua soluat in folia, quæ tanti est artificis manus quæ possit lilij speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, ut florem hunc redintegrare præsumat, cui dominus tantum testimonium dedit ut diceret: Nec Salomon in omni gloria sua uestiebatur,sicut unum ex istis? Rex opulentissimus & sapientissimus inferior iudicatur,quàm huius floris pulchritudo est. Quid enumerem succos herbarum salubres? quid uirgultorum ac foliorum remedia? Ceruus æger ramusculos oleæ mandit,& sanus fit. Locustas quoq; folia oleæ arrosa liberant ab ægritudine. Rubi folia superiacta serpenti,interimunt eum. Culices non tangent te,si absinthij herbã cum oleo coquas,& eo te perunxeris.

De specie agri pleni.

Genes. 27

De uiolis, lilijs, & rosis.

Psalm. 49

Matth. 6

De remedijs uirgultorum

De retusione causationis quod cum utilibus etiam letalia & pernicioſa generentur. Caput IX

Ed forte dicant aliqui: Quid quod cum utilibus etiam letalia & pernicioſa generantur? Cum tritico coniũ,quod inter alimenta uitæ noxium reperitur,& nisi præuisum fuerit, consueuit saluti nocere. Inter alia quoq; nutrimenta uitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoq; fallunt frequenter, & decipiũt colligentem. Sed hoc ita est,ac si reprehendas terrã quia nõ omnes homines boni. Sed quod plus est accipe,quia nõ omnes boni Angeli in cœlo. Sol ipse præ nimio calore spicas torret, aduritq; gignentium prima exordia. Luna quoq; uiantibus iter demõstrat, latronum prodit insidias. Num igitur dignũ est ut in his quę utilia sunt posthabentes conditoris gratiam confiteri,propter aliqua alimentorũ noxia,creatoris prospicientię dero gemus? quasi uerò omnia gulę causa debuerint procreari,aut exigua sint quę uentri nostro diuina indulgentia ministrauerit. Definitæ nobis escæ sunt, & notæ omnibus,quæ & uoluptatem generent,& corporis salubritatem. Singula autem eorum quæ generantur è terris,specialem quandã rationem habent,quæ pro uirili portione cõplent uniuersæ plenitudinem creaturæ. Alia ergo esui, alia potui, alia alij nascũtur usui. Nihil uacat, nihil inane germinet terra. Quod tibi putas inutile, alijs utile est, imò ipsi tibi frequenter alio est usu utile. Quod escam nõ adiuuat,medicinam suggerit: & sæpe eadem quę tibi noxia sunt,auibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Deniq; sturni uescũtur conio,nec fraudi est eis,quoniam qualitate sui corporis uenenum succi letalis euadũt. Frigida enim uis eius est succi,quam subtilibus poris in cordis sui sedem ducentibus, præ-

coci

coci digestione præueniunt, priusquam uitalia ipsa pertentet. Helleborum autem periti loquuntur escã esse alimoniam coturnicum, eo quòd naturali quodam temperamento sui corporis uim pabuli nocentis euitent. Etenim si ratione medicinę plerumq; ad salubritatem humani quoq; corporis temperatur, cui uidetur esse contrariũ: quanto magis proprietati naturæ ad cibũ proficit, quod medica manu cõuertitur ad salutem? Per mãdragoram quoq; somnus frequenter accersitur, ubi uigiliarum ęgri afflictantur incommodo. Nam quid de apio loquar, quod etiã nobis quotidiano prope usu innotuit, quoniam dolores eo grauissimi internorum sæpe uiscerum sopiuntur? Nec illud præterit, quod conio plerũq; furores libidinum marcuerunt, & helleboro uetustę passiones ęgri corporis sunt solutæ. Non solum igitur nulla in his reprehensio creatoris, sed etiam incrementum est gratiarum. Siquidem quod ad periculũ putabas esse generatũ, ad remedia tibi salutis operatur. Nam & id quod periculi est, per prouidentiam declinatur: & id quod salutis, per industriam nõ amittitur. An uerò oues & capræ ea quæ sibi noxia sunt declinare didicerũt, & solo odore per quoddã naturæ mysterium, cum sint rationis expertes, rationem tamen euadendi periculi uel tuendę salutis agnoscunt, noxiaq; pariter ac profutura distinguunt, ita ut plerũq; cum armata uenenis tela senserint, notas petere herbas, atq; his remedium uulneri dicantur adhibere? Cibus illis ergo medicina est, ut resilire sagittas uideas è uulnere, & fugere uenena, nõ serpere. Deniq; ceruis cibus uenenum est. Coluber ceruum fugit, leonem interficit. Draco elephantem ligat, cuius ruina mors uictoris est. Et ideo summe utrinq; certatur, ille ut pedem alliget, in quo casus uicti sibi nocere non possit, iste ne posteriore extremus pede, aut calle capiatur angusto, ubi uel ipse se non queat retorquere, & draconem graui proterere uestigio, uel sequentis elephanti auxiliũ non habere. Ergo si irrationabilia animalia norunt quibus sibi aut medicentur herbis, aut subsidijs opem afferant: homo nescit, cui rationabilis sensus innascitur? Aut tam alienus à uero est, ut quæ cuiq; apta sint usui minime deprehẽdat: aut ita naturæ ingratus bonis, ut quoniam taurini haustus sanguinis letalis est homini, propterea putet laborioſum animal aut nasci nõ debuisse, aut sine sanguine debuisse generari, cuius uirtus ad cultum agrorum utilis, aut ad usum plaustrorum habilis, ad alimoniam suauis, diuerso munere fulcit agricolas, quibus Deus, si bona sua norint, uniuersa donauit dicens: Germinet terra herbam fœni, spirans semen secundum genus. Non solum enim spontaneam alimoniã cõprehendit quæ est in herbis & radicibus, atq; in arborum reliquis fructibus, sed etiam eam quę industria cõparatur, & cultu rusticani laboris acquiritur. Quàm decorum autem quod nõ statim fundere terras semen iussit & fructus, sed primum germinare, deinde herbescere campos statuit, postea secundum proprietatem sui generis semen adolescere, ut nunquam aruorum uacaret gratia, quæ grato primum decore uernarent, postea fructuum suggererent utilitatem? *Genes. 1*

Quomodo terra secundum genus suum dicatur proferre semina, cum plerunq; semina iacta degenerent. Ac de diuersitate seminis diaboli, & seminis Christi filij hominis, & quando homo uerbum suum seminauerit super terram.

Caput X

Sed forte quis dicat: Quomodo secũdũ genus terra profert semina, cũ plerũq; semina iacta degenerẽt, & cum bonũ triticũ fuerit seminatũ, decolor eius species, & inferior forma reddatur? Sed hoc si quãdo accidit, non ad translationẽ generis, sed ad ęgritudinẽ quandã & inæqualitatem seminis uidet esse referendũ. Nõ enim desinit esse triticũ si aut frigore aduratur, aut imbre madidet, sed specie magis quàm genere, colore quoq; & corruptione mutatur. Deniq; frequẽter madidata frumenta in sui generis speciẽ reuertũtur, si aut sole aut ignibus torreant, aut diligentibus cõmissa culturis, aeris tẽperie terrarumq; feraciũ ubertate foueant. Itaq; reparatur in sobole, quod degenerauerat in parẽte. Vnde nõ periclitamur ne præceptũ illud Dei cuius usus naturæ inoleuit, in reliquũ successionis uitio destitutũ sit, cũ hodieq; in seminibus generis sui syncerítas reseruetur. Nam loliũ, & reliqua adulterina semina quæ frugibus sæpe miscẽtur, zizania nũcupari Euangelij lectione cognouimus: sed ea propriũ quoddam genus habent, nõ ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione trãslata, degenerem traxere naturam. Deniq; hoc docet dominus dicens: Simile est

regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania inter triticum. Aduertimus utiq; quod zizania & triticum, ut nominibus, ita & genere uideantur esse discreta. Deniq; & serui dixerunt ad patremfamiliâs: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Aliud enim est semen diaboli, aliud semen est Christi, quod seritur ad iustitiã. Deniq; aliud filius hominis, aliud diabolus seminauit. Adeo diuersa natura utriusq; seminis, ut contrarius seminator sit. Quod seminat Christus, regnum est Dei: quod seminat diabolus, peccatum est. Quomodo igitur potest unius generis esse regnum atq; peccatũ? Sic est, inquit, regnum Dei, quemadmodum si homo iactet semen super terram. Est & homo qui semi-
Marc. 4 nat uerbum, de quo scriptũ est: Qui seminat, uerbum seminat. Hic homo uerbum semi-
Genes. 1 nauit super terram, quando dixit: Germinet terra herbam: & subito terrarum germina pullularunt, & diuersæ rerum species refulserunt. Hinc pratorum uirens gratia abundãtiam pabuli ministrauit: inde camporum spica flauescens, imaginem pelagi fluctuantis, cõmotione segetis uberioris expressit. Sponte omnes fructus terra suggessit: etsi arata sine cultore esse non poterat (nondum enim erat formatus agricola) inarata tamen opimis messibus redundabat, & haud dubium quin maiore prouentu. Siquidem nec cultoris desidia terrarum destituere poterat ubertatem. Nunc enim fœcũditas unicuiq; pro merito laboris acquiritur, ubi cultus spectatur agrorum: & negligentia uel offensa aut diluuijs pluuiarum, aut terrarum ariditatibus, aut grandinis iactu, aut quacunq; ex causa soli uberis sterilitate multatur. Tunc autem prouentu spontaneo terra fructus locis omnibus inuehebat, quoniam is præceperat qui uniuersorũ est plenitudo. Verbum enim Dei fructificabat in terris, nec ullo adhuc erat terra dãnata maledicto. Antiquiora enim mundi nascentis exordia, quam nostra peccata sunt, & recentior culpa propter
Gene. 13 quam cõdemnati sumus in sudore uultus nostri panem manducare, sine dolore alimenta nescire. Deniq; hodieq; fœcunditas terræ ueterem affluentiam spontaneo usu fertilitatis operatur. Quàm multa sunt enim quæ adhuc sponte generantur? Sed etiam in his ipsis quæ manu quæruntur, magna ex parte manent nobis diuina beneficia, ut frumenta ipsa quiescentibus inferantur. Quod propositæ docet lectionis exemplum, dicente
Marc. 4 domino quia sic est regnum Dei quemadmodum si homo iactet semen super terram, & obdormiat, inquit, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primo herbam, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Et cum produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Dormienti igitur tibi ô homo & nescienti fructus suos ultro terra producit. Dormis & surgis, & frumenti per noctem incrementa miraris.

De ortu arborũ atq; rosarũ, & quomodo rosa humanæ uitę speculũ præferat. Cap. XI

D Iximus de herba fœni, nunc dicamus de ligno fructuoso faciente fructum secũdum genus, cuius semen eius in ipso sit. Dixit, & facta sunt: & subito, ut supra floribus herbarumq; uiriditatibus, ita hic nemoribus terra uestita est. Concurrerunt arbores, cõsurrexêre syluæ, uertices repente montium fronduerunt. Hinc pinus, hinc cupressus in alta se extulerunt cacumina, cedri & piceę conuenerunt. Abies quoq; non contenta terrenis radicibus atq; aerio uertice, etiam casus marinos tuto subitura remigio, nec solum uentis, sed etiam fluctibus certatura processit. Necnõ & laurus assurgens, odorem suum dedit, nunquam suo exuenda uelamine. Vmbrosæ quoq; ilices uerticem protulerunt, inhorrentem comam hybernis quoq; temporibus seruaturæ. Hoc enim in singulis priuilegium natura tenuit in reliquum, quod sub ictu mundi surgentis accepit: & inde manet sua ilicibus prærogatiua, manet cupressibus, ut nulli uenti eas crinis sui honore despolient. Surrexerat antè floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine ulla fraude uernabat: postea spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens uitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarũ stimulis sępe compungat. Vallata est enim elegantia uitę nostrę, & quibusdam solicitudinibus obsepta, ut tristitia adiuncta sit gratiæ. Vnde cũ unusquisq; aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quẽ nobis in paradisi amœnitate florentibus, spinę mentis, animiq; sentes,

iure

iure condemnationis adscripti sunt. Irrutiles igitur ó homo licet aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore uirtutis, semper tibi spina proxima est. Semper inferiora tua respice, super spinas germinas, nec prolixa gratia manet: breui unusquisq; decurso ætatis flore marcescit.

De singulari uitis cõmendatione, & quomodo exemplum eius ad nostræ uitæ institutionem arcessendum sit. Caput XII

S Ane ut caduca tibi noueris cõmunia esse cum floribus, ita etiam læta cum uitibus, quibus generatur uinum quo cor hominis lætificatur. Atq; utinam ô homo huius generis imiteris exemplum, ut ipse tibi lætitiam, iucunditatemq; fructifices. In teipso suauitatis tuæ gratia est, ex te pullulat, in te manet, intus tibi, id est in teipso quærenda iucunditas tuæ est conscientiæ. Ideo ait: Bibe aquam de tuis uasis, & de puteorum tuorum fontibus. Primum omnium nihil gratius florentis odore uitis. Siquidem de flore earum succus expressus poculi genus conficit, quod & uoluptati & saluti sit. Deinde quis non miretur ex acini uinacio uitem usq; in arboris summum cacumen prorumpere, quam uelut quodam amplexu fouet, & quibusdam brachijs ligat, & circundat lacertis, pampinis uestit, sertis uuarum coronat? Quę ad imitationem uitæ nostrę primum uiuam defigit radicem: deinde quia natura flexibilis & caduca est, quasi brachijs quibusdam, ita & clauiculis quicquid comprehenderit stringit, hisq; se erigit & attollit. Huius est similis plebs Ecclesiæ, quæ uelut quadam fidei radice plãtatur, & reprimitur humilitatis propagine, de qua pulchrè ait Propheta: Vineam ex Aegypto transtulisti, & plantasti radices eius, & arbusta eius, & replesti terram, operuit montes umbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendisti palmites eius usq; ad mare, & usq; ad flumen propagines eius. Et per Esaiam ipse dominus locutus est dicens: Vinea facta est dilecto, in cornu, in loco uberi: & maceria circundedi, & circunfodi uineã Soreth, & ædificaui turrim in medio eius. Circundedit enim eam uelut uallo quodam cœlestium præceptorum, & Angelorum custodia. Immittit enim Angelus domini in circuitu timẽtium eum. Posuit in Ecclesia uelut turrim Apostolorum & Prophetarum atq; Doctorum, qui solent pro Ecclesiæ pace prętendere. Circunfodit eam, quãdo exonerauit terrenarum mole curarum. Nihil enim magis mentem onerat, quàm istius mundi solicitudo, & cupiditas uel pecuniæ uel potentiæ. Quod tibi demonstratur in Euangelio, cum legis, quia illa mulier quę habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terrena compendia, & cœlestem gratiam non uidebat. Respexit eam Iesus, & uocauit, & statim mulier onera terrena deposuit. His cupiditatibus etiam illos oneratos fuisse demonstrat, quibus ait: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam. Ergo illa anima mulieris quasi circunfossa respirauit, & erecta est. Sed eadem uitis ubi circunfossa fuerit, religatur & erigitur, ne reflectatur in terram. Recidũtur alia sarmenta, alia propagantur: reciduntur quæ inani effusione luxuriant, propagantur ea quæ bonus agricola iudicauerit fructuosa. Quid ego adminiculorum ordines, iugationisq; describam gratiam, quæ uerè atq; manifeste ęqualitatem docent in Ecclesia esse seruandam, ut nemo se diues aut honoratus extollat, nemo pauper deijciat, ignobilisq; desperet? Omnibus sit in Ecclesia par atq; una libertas, omnibus impertiatur iustitia cõmunis, & gratia. Ideo turris in medio est, quæ exemplum de illis rusticanis, de illis circunferat piscatoribus, qui uirtutum arcem tenere meruerunt: quorum exemplis noster erigatur affectus, neque humilis & despicabilis iaceat, sed uniuscuiusq; mens ad superiora se subrigat, ut audeat dicere: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde ne aliquibus procellis seculi possit reflecti: & tempestate deduci clauiculis illis & circulis quasi amplexibus charitatis proximos quosq; cõplectitur, & in eorum coniunctione requiescit. Charitas est igitur quæ nos superioribus nectit, cœloq; inserit. Qui enim manet in charitate, Deus in eo manet. Vnde & dominus ait: Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes non potest fructũ afferre à se, nisi manserit in uite, sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites estis. Euidenter igitur exemplũ uitis ad nostræ uitæ institutionem accersendũ esse signauit: quæ primum ueris tepefacta temperie gẽmare perhibetur: deinde ex ipsis sarmentorũ articulis fructũ emittere: de quibus oriẽs uua formatur,

paulatimq;

Psalm. 103 Prouerb. 5 Psal. 79 Esaiæ 5 Psalm. 33 Luc. 13 Matth. 11 Philip. 3 1. Ioan. 4 Ioann. 15

paulatimq; augescens immaturi partus retinet acerbitatem, nec potest nisi matura iam & cocta dulcescere. Vestitur interea uiridantibus pampinis uinea, quibus & aduersum frigus omnemq; iniuriã nõ exiguo munitur subsidio, & à solis ardore defenditur. Quid autem eo uel spectaculo gratius, uel fructu eius dulcius, uidere serta pendentia uelut quædam speciosi ruris monilia, carpere uuas uel aureo colore, uel purpureo renitentes? Hyacinthos cæteraſq; gemmas fulgere existimes, coruscare indicos, albarum emicare gratiam gemmarũ. Nec aduertis ex his admoneri te homo, ne immaturos fructus tuos dies supremus inueniat, aut plenæ tempus ætatis opera imperata dedeceant? Acerbus enim fructus amarior esse consueuit: nec potest dulce esse, nisi quod ad maturitatis perfectionem adoleuerit. Huic uiro perfecto nec frigus horridæ mortis, nec sol iniquitatis nocere consueuit, quia obumbrat eum gratia spiritualis, & omnia mundanæ cupiditatis & corporeæ libidinis restinguit incendia, defendit ardores. Laudẽt te quicunq; conspiciunt, & agmina Ecclesiæ uelut quædam palmitum serta mirentur, spectent singuli fidelium pulchra animarum monilia, delectentur maturitate prudentiæ, splẽdore fidei,
Psal. 127 confessionis decore, iustitiæ pulchritudine, ubertate misericordiæ, ut dicatur tibi: Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ: eo quòd redundantiam uitis fructiferæ, copiosæ munere liberalitatis imiteris.

De arborum uarietate, ac diuersis earũ utilitatibus & ornatibus, fructumq; suorum atq; succorum proprietatibus & medelis. Caput XIII

Sed quid ego in sola uite immoror, cum omnia genera arborum utilia sint, alia ad fructum nata, alia ad usum data? Nam & quibus nõ est fructus uberior, tamen usus pretiosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culmi
De cedro. De cupresso. nibus, eo quòd huiusmodi materies & procera sit spacijs, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoq; comendisq; fastigijs habilis est cupressus. Vnde & Ecclesia dicit in Canticis: Trabes domorum nostrarum cedrinæ, lacunaria nostra cupressina. in his esse declarans decora sui ornamenta fastigij, qui quasi trabes uerticem Ecclesiæ sua uirtute sustineant, & fastigium eius exornent. Laurus & palma ad insigne uictoriæ. Lauro uictoDe lauro & palma. rum capita coronantur, palma manus uictricis ornatus est. Vnde & Ecclesia ait: Dixi,
Cantic. 7 ascendam in palmam, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam uidens uerbi, & sperans quod ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summitatem, dicit: Ascendã in palmã, ut omnia inferiora relinquat, & ad superiora cõtendat, ad brauium Christi, ut
De populo & salice. suaues eius fructus carpat, & gustet. Suauis enim uirtutis est fructus. Populus quoq; coronis arbor umbrosa uictricibus, & salix lenta uitibus habilis uinciendis, quid aliud mystice declarãt, nisi bona esse Christi uincula, quę nocere nõ soleãt, uincula gratiæ, uincu-
ad Philem. la charitatis, ut unusquisq; suis uinculis glorietur, sicut gloriabatur & Paulus, dicẽs: Pau-
Roman. 8 lus uinctus Iesu Christi? His ligatus uinculis dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? Vinculis nimirũ abstinentiæ, uinculis charitatis. His ligatus uinculis etiam Da-
Psalm. 136 uid ait: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Buxus quoq; elementorũ
De buxo. apicibus utilis exprimendis, leui materia usum manus puerilis informat: Vnde ait scri-
Esaiæ 30 ptura: Scribe in buxo. Simul ut admoneat te ipsa materia quæ semper uiret, nec unquã foliis exuitur suis, ne unquam spei tuæ dissimulatione nuderis, sed semper tibi per fidem germinet spes salutis. Quid ego enumerem quanta uarietas arborum, quàm diuersus in singulis & pulcher ornatus, quàm patulæ fagi, quàm procere abietes, quàm comantes pinus, quàm umbrosæ ilices, quàm populi bicolores, quàm nemorosa & rediuiua castanea? quę simul ut excisa fuerit, tanquam syluam ex se pullulare consueuit: quemadmodum in arboribus ipsis ætas aut senilis aut nouella deprehenditur: iunioribus enim exiliores rami, antiquioribus ualidiora & nodosa sunt brachia. Illis folia leuigata atq; diffusa, istis contractiora & aspera. Sunt etiam arbores quæ senili atq; emortua radice successionem sui, si forte cædantur, reparare non nouerint: aliæ quibus aut iuuentus uiret, aut natura fœcundior est, quibus excisio lucro potius quàm detrimento sit, ut per plures sui rediuiua successione renouentur hæredes. Est etiam quod mireris, ipsis sexus
De palma mare & fœmina. in pomis, est discretio sexus in arboribus. Nam uideas palmam quæ dactylos generat, plerunq; inclinantem ramos suos, & subiacentem, & cõcupiscentiæ atq; amplexus speciem prætendentem ei arbori quam marem palmam appellant pueri rusticorum. Illa

ergo

ergo palma fœminea est,& sexum suũ subiectionis specie confitetur. Vnde locorũ cultores præiaciunt ramis eius dactylorum uel palmarum semina masculorum quibus illi fœmineæ arbori uelut quidam sensus perfunctionis infunditur, & expetiti concubitus gratia repræsentatur. Quo munere donata rursus erigitur,& eleuat ramos suos,& in uetere statum comam suam rursus attollit. De ficu quoq; eadem opinio est. Ideoq; pleriq; secundum domesticam & fructiferam ficum agrestem ficulneam feruntur inserere, eo quòd cito fructus fœcundæ illius & domesticæ ficus uel aura tentati aliqua,uel æstu, defluere ferantur in terram. Vnde gnari huius remedij grossis arboris agrestis alligatis ad illam feracem arborem,medentur eius infirmitati, ut possit fructus proprios reseruare,iam iamq; si deforent remedia,lapsuros. Quo admonemur uelut quodam ænigmate naturæ, non refugere eos qui à nostra fide & consortio separati sunt:eo quòd & gentilis qui fuerit acquisitus,quo grauior fuerit assertor erroris,eo uehementior possit fidei defensor existere. Et si quis de hæreticis conuertatur,uelut cõfirmet eam partem in quã se cõmutata opinione contulerit,maxime si habeat aliquid directum naturæ, ut uiuida possit esse eius sententia, si adminiculetur ei attentio sobrietatis, obseruantia castitatis. Profunde ergo circa eum studium tuum,ut similitudine fructiferæ illius ficus de præsentia & coniunctione agrestis illius arboris, tuam possis corroborare uirtutem. Ita enim tua nec dissoluetur intentio,& diligentiæ fructus & gratiæ reseruabitur. Quàm multa sunt autem quæ doceant naturalem duritiam posse diligentiæ studio temperari,quibus affert cultus ruralis exemplum. Nam plerunq; cito florent mala granata, & fructũ afferre non possunt,nisi congruis peritorum remedijs excolantur: plerunq; succus uanescit interior,& foris species eius pulchra prætenditur. Quæ non immerito comparatur Ecclesiæ,ut habes in Canticis ad Ecclesiam dictum: Vt cortex mali punici genę tuę. Et infra:Si floret uitis,floruerunt mala granata. Ecclesia enim bonum fidei fulgorem confessionisq; prætendit,tot martyrum sanguine speciosa:&(quod est amplius) Christi cruore dotata,simul plurimos intra se fructus usu istius pomi sub una munitione cõseruans, & uirtutum negocia multa cõplectens. Sapiens enim spiritu celat negocia. Amygdalis quoq; hoc genere medicari feruntur agricolæ,ut ex amaris dulces fiant fructus,ut & terebrent eius radicem arboris,& in medium inserant surculum eius arboris quàm Græci πίνκην,nos piceam dicimus. Quo facto succi amaritudo deponitur. Ergo si agricultura conuertit stirpium qualitates,non'ne studia doctrinæ, & disciplinæ attentio mitigare possunt quaslibet ægritudines passionum? Nemo ergo positus uel in adolescentiæ uel in intemperantiæ lubrico,de sui conuersione desperet. Ligna plerunq; in meliores uertuntur usus,& non possunt hominum corda mutari? Docuimus non solũ inter diuersi generis arbores esse fructuũ diuersitates,sed plerũq; in eadem specie arborum compugnare sibi fructus. Alia enim species masculorum,alia fœmineorũ fructuum, sicut de dactylis supra diximus. Quis autem possit cõprehendere uarietatem, speciem, gratiamq; pomorũ,singularũ quoq; utilitatem arborum,fructuum,succorumq; proprietatem quæ cuiq; rei apta uideantur,quemadmodũ ægris uisceribus hominũ amariora poma medicentur,& inflationem asperitatemq; interiorem temperent,quemadmodum rursus humorum aspera,pomorũ dulcibus temperentur? Deniq; ea medicina antiquior,quæ herbis curare consueuit & succis,nec ulla firmior sanitas,quàm quæ salubribus reformatur alimentis. Vnde secundum naturam docemur, quia sola nobis esca medicina est. Herbis certe ulcera aperta clauduntur, herbis curantur interna. Ideoq; medicorũ est opus, herbarum potestates noscere. Hinc enim medendi usus inoleuit.

De ficu.

Cantic. 4

De amygdalis.

De simplicium pomorum differentia,foliorumq; diuersitate. Caput XIIII

Sed ut ad simplicia poma reuocemus stylum,alia sunt quæ coquũtur sole, alia quę testis aut corticibus clausa cõplentur. Mala & pira, uuarum quoq; genera omnia nuda obiecta sunt soli: nucis autem & node nucleiq; fructus,& testa opertus & cortice, tamen & ipse calore solis æque nutritur,& quantum pinea densitate nucleus absconditur, tantum solis calore fouetur. Quanta deinde domini prouidentia, ut ubi mollior fructus,ibi folij densitudo ualidius tegumentum tuendo deferat pomo,quod uidemus in fructu ficulneæ. Delicatiora itaq; ualidioribus munienda sunt,ut & ipse quoq; dominus per Hieremiam docet dicens: Sicut ficus istas bonas recognoscam

Hier. 24

recognoſcã translatos Iuda, quos emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum in bona, & confirmabo oculos meos ſuper illos in bona. Tanquam delicatos enim uelut quodam miſericordiæ ſuæ ualidiori ſepſit tegmine, ne teneri fructus maturius interirent. Denique de ipſis etiam in poſterioribus dicit: Delicati mei ambulauerũt uias aſperas. Quibus infra ait: Conſtantes eſtote filij, & proclamate ad Deum. Hoc enim ſolum aduerſus omnes procellas atq; iniurias inuiolabile tegmen, impenetrabile munimentum eſt. Vbi ergo teneri fructus, ibi craſſiora tegmina & munimenta foliorum. Contra autem, ubi fructus ualidiores, ibi teneriora folia, ut malus arbor docet. Fructus enim ualidus non multo indiget protectionis auxilio: nam ipſa protectionis craſſioris umbra pomo nocere plus poſſet. Denique doceat nos pampinus naturæ gratiam, & diuinæ ſapientiæ interna myſteria. Videmus enim ita ſciſſum atq; diuiſum, ut trium foliorum ſpeciem uideatur oſtendere: ita pars media diſtincta eſt, ut niſi inferioribus hæreret, ſeparata ſpectantibus uideretur. Ea autem ratio uidetur ſeruata naturæ, ut & ſolem facilius admittat, & umbrã obtexat. Denique procerius media pars eius extenditur, & in ipſa ſummitate tenuatur, ut plus pulchritudinis quàm tegumenti præferat. Etenim brauij ſpeciem uidetur effingere, ſignificans quod uua inter pendentes cæteros fructus habeat principatum, cui tacito quodam iudicio naturæ, ſed euidenti indicio innaſcitur ſpecies & prerogatiua uictorię. Secum igitur habet brauium ſuum, quo & munimen ſibi præbetur aduerſum iniurias, atq; aeris pariter imbriumq; uiolentiam: & impedimentum nõ affertur ad recipiendum ſolis calorem, quo tepefacta alitur, coloratur, augetur. Ficulneæ quoq; foliũ æque prope ut pampinus quadrifida interſcinditur diuiſione: quod eò clarius uidetur, quo maius eſt folium: ſane non ita ut pampinus uel ora omni, uel ſummitate criſpãti. Sicut enim in ficulneæ folio craſſitudo ualidior, ita in pampino ſpecies elegantior. Craſſitudo igitur folij proficit ad tempeſtatis iniuriam repellendam, interciſio ad fructus gratiam uaporandi. Denique hoc genus pomi grandinem non cito, maturitatem cito ſentit: quia & latere uidetur aduerſum iniurias, & patere ad gratiam. Quid ego foliorum deſcribã diuerſitates, quemadmodum alia rotunda, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora ſint, alia nullis facile uentis labentia: alia quæ leui motu decutiantur aurarum?

Baruc 4 ibidem

De pãpino.

De folijs ficulneæ

Quod inexplicabile ſit ſingularum rerum exquirere proprietates, & de uaria mutatione ipſius aquæ, quæ omnium uirgultorum nutrix eſt. De diſcrepantia quoq; lachrymarum arborum, quæ eiuſdem aquę alluuione generãtur: ac tandem de diffuſioris perſcrutationis excuſatione. Caput XV

INexplicabile eſt ſingularum rerum exquirere proprietates, & uel diuerſitates earum manifeſta teſtificatione diſtinguere, uel latẽtes occultaſq; cauſas indeficientibus aperire documentis. Vna nempe atq; eadem eſt aqua, & in diuerſas plerunq; ſeſe mutat ſpecies: aut inter arenas flaua, aut inter cautes ſpumea aut inter nemora uiridantior, aut inter florulenta diſcolor, aut inter lilia fulgentior, aut inter roſeta rutilãtior, aut in gramine liquidior, aut in palude turbidior, aut in fonte perſpicacior, aut in mari obſcurior, aſſumpto locorum quibus influit colore decurrit. Rigorem quoq; pari ratione cõmutat, ut inter uaporantia ferueat, inter umbroſa frigeſcat, ſole repercuſſa exæſtuet, niuibus irrigata glaciali humore caneſcat: quem ad modum ſapor eius ipſe conuertitur, ut nunc aſperior, nunc amarior, nunc uehementior, nunc auſterior, nunc dulcior pro ſpecierum qualitate quibus infuſa fuerit uarietur. Aſperatur in maturioribus ſuccis, tunſo cortice nucis, foliiſq; contritis, amarior fit abſinthio, uino uehementior, auſterior allio: graueſcit ueneno, melle dulceſcit. Si uerò ei lentiſcum, terebinthi quoq; fructus, uel nucis interior pars miſceatur, in olei mollem naturam facile tranſfunditur. Cum ſit autem altrix omnium uirgultorum, diuerſos ſingulis uſus miniſtrat. Si radices alat, uel nubibus fuſa deſcendat, diſcretas dat omnibus uires, radicẽ impinguat, caudicem prouehit, ramos diffundit, folia uireſcere facit, fructuum alit ſemina, pomum augere cõſueuit. Ergo cum eadem ſit omnium nutrix, alia arborum genera triſtiores ferunt ſuccos, alia dulciores, alia tardos, alia præmaturos. Ipſæ quoq; inter ſe diſcrepant ſuauitates. Alia ſuauitas in uinea, alia in olea, alia in ceraſis, alia in ficu: diſcreta in malo, diſpar in dactylo. Tactus ipſe aquæ alibi ſuauis, alibi aſperior, plerũq; pinguior eſt. Pondere quoq; diſtat frequenter, ut ſpecie. Nam pleriſq; locis grauior, pleriſq; leuior

leuior æstimatur. Non mirum igitur si cum ipsa à se discrepet, discrepant etiã inter se lachrymæ arborum, quę eiusdem aquæ alluuione generantur. Et cum una sit omniũ causa, diuersus singulorum usus, diuersa natura est. Aliam uim habet cerasi arboris lachryma, aliam lentisci. Disparem quoq; balsami guttam odorata Orientis ligna sudare produntur, diuersum quoq; lachrymarum genus uirgulta ferularum in Aegypto ac Libya quadam ui naturæ secretioris illachrymant. Quid autem tibi referam (clementem licet esse sermonem) quo electrum lachryma uirgulti sit, & in tantæ materiæ soliditatem lachryma durescat? Nec leuibus id asseritur testimonijs, quando folia, aut surculorum minutissimæ portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ uidetur, cum adhuc gutta esset mollior, recepisse, & solidata tenuisse. Sed quid ego uili sermone decerno cum alta atq; preciosa ratione naturæ, cũ isto sermone humanum alatur ingenium, naturam autem omniũ prouidentia diuina formauerit? Vnde uelut habenis quibusdam uerborũ cohibenda diffusio est, ne quod Salomoni specialiter sapientiæ munere diuinitus uidetur esse collatum, usurpatorie uideamur exponere, differentias arborum, & uirtutes radicum, & quęcunq; sunt abscondita & improuisa, sicut scriptum est: quæ nec ab ipso tamen manifesto prodũtur, ut mihi uideatur potuisse eum disputare de uirgultorum generibus, non potuisse tamen plenius omne secretum creaturæ explicare ratione. *Sap. 7*

Quemadmodum ad uerbum domini, quod omni aquarum cursu est redundantius, subito omnis uirgultorum creatura efloruerit, & uictum atq; medullam ministrauerit. Quomodo præterea uniuersa gignentia aut semina habeãt, aut aliqua quæ cum uirtute seminum uideantur conuenire. Ac de magna Dei uirtute in singulis.

Caput XVI

QVod si irriguis aquarum plerumq; & segetes lætiores sunt, & uirides fabæ, & hortorum multiplex suscitatur & resuscitatur gratia, si uiridantibus thoris fluuiorum exundantium ripa decoratur: quemadmodum ad uerbum domini, quod omni aquarum cursu est redundãtius, subito creatura uirgultorum omnis efflоruit? Festinarunt campi non cõmissam sibi frugem edere, ignorata horti olerum genera, florum miracula germinare, ripæ fluminum se uestire myrtetis: properauerunt arbores cito surgere, cito se flore induere, uictum hominibus, pecori pabulum ministrare. Fructus cõmunis est omnibus, usus quoq; est datus omnibus. Simul utrunq; arbores germinarũt: aliud quo uesceremur, aliud quo refrigerante umbra defenderemur à sole. Cibus in fructibus, amœnitas in folijs: tamen quia præscia erat prouidentia creatoris, quòd fructum sibi maxime humana auiditas uindicaret, reliquis prouidit animantibus, ut specialem his donaret alimoniam. Itaq; esca his non mediocris in folijs est, corticibusq; syluestribus: ea quoq; quæ ad usum medendi proficerent, id est succi, lachrymæ, surculi, pariter ministrata sunt. Itaq; illa quæ pòst experimento, usu, & exemplo utilia cognouimus, ea à principio creaturæ usui apta donauit præscientia diuinæ maiestatis, & de sinu terrarum iussit exire. Et quia iussit dominus ut germinaret terra herbã fœni, & lignum fructiferum faciens fructum secũdum genus suum, cuius semen eius in eo: ne forte quis dicat in multis arboribus neq; fructũ, neq; semen uideri, & putet diuinum in aliquo uacillare præceptum, ut à ueritate sit dubium: illud aduertat, quia nequaquam fieri potest ut non aut seminibus utantur uniuersa gignentia, aut habeant aliqua quę uideantur cum uirtute seminum conuenire. Idq; si quis diligenter intendat, manifesta testificatione poterit comprehendere. Nihil uidentur seminis habere salices, habent tamen in folijs granum quoddã quod habeat uirtutem seminis: ut eo cõmisso terris, tanquam posito surgat arbor de surculo, & tanquam de semine se exuscitet grano. De grano itaq; illo radix primum coalescit, de radice pullulat non solum salicis, sed etiam reliquarum ad similitudinem huiusmodi generis arborum syluа. Habent autem & radices uirtutem seminis: unde plerisq; ea satione incrementum sui nemoris propagauerũt. Magna Dei uirtus in singulis. Nec miretur aliquis si in uirgultis magnam Dei dixi esse uirtutem. Siquidem magnam suam uirtutem dixit in locustis esse & brucho, eo quòd diuinæ maiestatis offensa, magno moderamine sterilitatis Iudaicæ atq; inopiæ solueretur. Magna enim uirtus, sapientia: magna uirtus, prouidentia. Indigni etenim erant, qui ute- *Genes. 1*

rentur fœcunditate terrena, qui terrarum leserant creatorem. Et uerè magnus, qui miserabili fame nefas tantæ impietatis ulciscitur. Itaq; si magna uirtute Dei sterilem bruchũ terra generauit, quanto magis uirtute magna quæ fœcunda sunt procreat? Quis pineã uidens nõ stupeat tantam diuino præcepto artem inolitam impressamq; naturæ: quemadmodum ab ipso centro distantibus licet mensuris pari assurgat glutino, quo proprios fouet fructus? Itaq; per circuitum eadem species, & ordo seruatur, & quidam in singulis plagis nucleorum partus exuberat, atq; in orbem redit fructus gratia. Itaque in pinea ista imaginem sui natura uidetur exprimere, quæ à primo illo diuino cœlestiq; mandato priuilegia accepta custodit, & partus suos quadam annorum uice & ordine reseruat, donec consummatio temporis impleatur. Sed ut in hoc fructu gratam speciem sui signat, ita etiam in myricis, id est humilibus uirgultis figuram improbe calliditatis expressit. Sicut enim duplici corde uiri ubiq; præsto sunt, & gratiam simplicitatemq; apud bonos prætendunt, & uitiosissimis glutinantur: ita etiam in aquosis & in desertis
Hier. 27 contrario quodam usu hæc uirgulta nascuntur. Vnde & Hieremias dubia morum atq; insyncera myricis comparauit.

De reprehensione surditatis humani cordis, & de incomprehensibili admirandaq; Dei etiam in paruis prouidentia. De primo quoq; cultore uitium, & commendatione uini. Caput XVII

Ermínet, inquit, terra herbam uirentem,] & statim omni surgente germine terra completa est. Et homini dicitur: Dilige dominũ Deũ tuum: & nõ
Genes. 1 Deuter. 6 est charitas Dei omnium infusa uisceribus. Surdiora corda hominũ sunt, quàm dura saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat, dum obsecundat authori: nos debitum munus negamus, dum non ueneramur authorem. Vide in paruis quæ prouidentia sit Dei: & quia comprehendere non potes, mirare quomodo alia semper florentia reseruauerit, alia mutationes habere uoluerit expoliationis & amictus. Inter cana niuium, pruinas frigorum, uiriditatem suam arua cõseruant: & cum ipsa tecta sint gelu, partus sui tamen haud exiguam speciem uiriditatis obtexunt. In ipsis quoq; generibus arborum quæ diuturnis frondibus uestiuntur, non mediocris distantia est. Seruat indumentum suum semper olea uel pinus, sed tamen folia sua sæpe cõmutant: nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudini, perpetui integritate uestitus uice muneris obumbrantes. Palma autem uirens semper manet, conseruatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinauerit folia, ea sine ulla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam ô homo,
Cantic. 7 ut dicatur & tibi: Statura tua similis facta est palmæ. Serua uiriditatem pueritiæ tuæ, &
Psalm. 1 illius innocentiæ naturalis quam à primordio recepisti, ut plantatus secus decursus aquarum, fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, & folium tuum nõ defluat.
Cantic. 2 Hanc uiriditatem gratiæ semper florentis in Christo secuta Ecclesia dicit: In umbra eius confugi & sedi. Hanc prærogatiuam doni uirentis acceperunt & Apostoli, quorum nec folium unquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos. Obumbra-
Psalm. 91 bat enim infirmitati corporis, fides mentis, & florentia merita uirtutum. Mane ergo plantatus in domo domini, ut in atrijs eius sicut palma floreas, & ascendat in te gratia Ecclesiæ, ut sit odor narium tuarum sicut mala, & fauces tuæ sicut uinum optimum, ut inebrieris in Christo. Bene admonuit iste uersiculus repetere penè intermissum, quia diximus præcepto domini uitem etiam pullulasse, quam post diluuium à Noe plantatam esse cognouimus. Sic enim habes, quia Noe agricola erat terræ, & plantauit uitem, & bibit de uino eius, & obdormiuit. Non ergo Noe author est uitis, sed plãtationis. Neq; enim nisi eam reperisset antè generatam, plantare potuisset. Cultor ergo non author est uitium. Deus autem qui sciret quod uinum sobriè potatũ sanitatem daret, augeret prudentiam, immodicè sumptum ad uitia causas daret: creaturam dedit, abundantiam humano arbitrio reseruauit, ut parsimonia naturæ esset magisterium sobrietatis: abun-
Genes. 9 dantiæ noxium, lapsumq; temulentiæ sibi adscriberet humana conditio. Deniq; & ipse inebriatus est Noe, & obdormiuit consopitus à uino. Itaq; per uinum patuit deformitati, qui per diluuium excreuit ad gloriam: sed dominus & in eo creaturæ suæ gratiam reseruauit, ut eius fructum nobis conuerteret ad salutem, ac per eum nobis remissio peccatorum

catorum proueniret. Vnde piè Isaac dixit: Odor Iacob, odor agri pleni, id est naturalis odor. Quid enim pleno rure suauius? Quid uitis odore iucūdius? Quid fabæ flore gratius? Vnde quāuis ingeniose quis ante nos dixerit, non uitem aut ficum patriarcha olebat, aut frugem, sed uirtutum spirabat gratiam: ego tamen & odorem ipsum terræ simplicem atq; syncerum pro gratia benedictionis accipiam, quam fraus nulla composuit, sed ueritas indulgentiæ cœlestis infudit. Denicq; inter benedictiones sacratissimas computatur ut contribuat nobis dominus à rore cœli uim uini, olei, atq; frumenti. Cui est honor, laus, & gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen. Genes. 27

CAPITA QVARTI LIBRI HEXAEMERON.

De pulchrè introducta exhortatione, ut cum in lectione exoriēdus sit Sol, oculi & aures emūdentur, & Sol ipse cautè aspiciatur, ne Deus esse credatur, sed ex eius admirabilitate & laude creator ipsius admiretur atq; laudetur, qui terram fecit etiā sine Sole esse posse fœcundā, ut & ipsa natura uoce quadā suorū munerum testatur. Caput I

Qua ratione etiam auris sit emundanda, ac cœlestibus oraculis admouenda. Et quam ob causam facta sint luminaria, quodq; non sint fœcunditatis terrarum authores, sed Deus pater per dominum Iesum omnia liberalitate fertilitatis impertiat. Quomodo præterea intelligendum sit propheticum illud: Fecit solem in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis. Caput II

De dubitatione quæ occurrere posset circa discretionem inter diem & noctem, ac lucem & tenebras: & de solutione eiusdem. Caput III

Quomodo luminaria facta sint in signa, & de acuta ac diffusa confutatione quorūdam tentantium exprimere natiuitatum qualitates: qualis uidelicet futurus sit unusquisq; qui natus sit. Caput IIII

Quemadmodum prætacta luminaria sint & in tempora, & in dies, & in annos. Cap. V

Quomodo duo luminaria superius cōmemorata, magna dici possint, & de magnitudinis eorum probatione, mendacioq; aspectus nostri iudicio. De admirando quoq; solis moderamine ac temperamento. Caput VI.

Quod luna quædam similia habeat cum sole eius consorte ac fratre: pleraq; etiam ab eo distincta. Caput VII

De mysterio defectus & minutionis lunæ. De eius quoq; laude, ac derisione eorum qui eam magicis carminibus deduci posse credunt. Caput VIII

De clausione quarti diei, cum redargutione eorum qui numerum quartū cauere consueuerunt. Caput IX

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIBER IIII. DE DIE QVARTO.

De pulchrè introducta exhortatione, ut cum in lectione exoriendus sit sol, oculi & aures emundentur, & sol ipse caute aspiciatur, ne Deus esse credatur: sed ex eius admirabilitate & laude creator ipsius admiretur atq; laudetur, qui terram fecit etiam sine sole esse posse fœcundā: ut & ipsa natura uoce quadam suorum munerum testatur. Caput I

QVI uindemiam colligit, uasa prius quibus uinum infunditur, mundare cōsueuit, ne sordes aliqua uini gratiam decoloret. Quid enim prodest ponere uitem ordine, fodere quotannis, aut aratris sulcos ducere, putare, subrigere, adiungere ulmis, & quodam cōnubio copulare, si tanto labore uina quæsita, in uase coacescant? Matutinos quoq; solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat, quo intuentis hebetetur obtutus, nè ue aliqua caligo nebulosa corporeos usus spectātis obducat. No-

bis in lectione exoriendus est sol, qui antè non fuerat. Primum iam diem sine sole trāsiuimus: secundum sine sole transegimus: tertium sine sole confecimus: quarto die iubet Deus fieri luminaria, solem, & lunam, & stellas. Sol incipit: emunda oculos mentis ô homo animiq; interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum. Emunda aurem, ut uase syncero scripturæ diuinæ nitida fluenta suscipias, ne qua ingrediatur contagio. Precedit sol, magno iubare diem, magno mundum complens lumine, uaporans calore. Caue ô homo solam eius perpendere magnitudinem, ne nimius fulgor eius uisus tuæ mentis obcęcet: & qui è regione in radium eius intendit, repercusso lumine omnem subito amittit aspectum: ac nisi in cæteras partes uultum suum oculosq; cōuertat, æstimat se nihil uidere, & intuendi munere esse fraudatum: si uerò deflectat obtutum, integrum sibi officium perseuerat. Caue igitur ne & tuum radius eius exoriens cōfundat aspectum. Et ideo prius firmamentum cœli aspice, quod ante solem factum est: terram aspice, quæ ante quàm sol prodiret, cœpit esse uisibilis atq; composita: germina eius aspice, anteriora solis lumine. Anterior rubus quàm sol, antiquior herba quàm luna. Noli ergo Deū credere, cui uides Dei munera esse prælata. Tres dies transacti sunt, & solem nemo quęsiuit, & luminis claritas abundauit. Habet enim & dies suam lucem, quæ præcursor est solis. Non igitur te tanto splendori solis temere cōmittas. Oculus est enim mundi, iucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Sed quando hunc uides, authorem eius considera: quando hunc miraris, lauda prius ipsius creatorem. Si tam gratus est sol, qui cōsors & particeps est creaturæ: quàm bonus est sol ille iustitiæ? Si tam uelox iste, ut rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia: quantus ille, qui ubiq; semper est, & maiestate sua complet omnia? Si admirabilis qui iubetur exire: quàm supra admirationem qui dicit soli, & non exoritur, ut legimus? Si magnus est qui per horarum uices locis aut accedit, aut decedit quotidie: qualis ille, qui etiā cùm se exinaniret, ut nos eum possemus uidere, erat lumen ue-
Iodnn. 1 rum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc modum? Si præstātissimus,
Agg. 2 qui obiectu terræ patitur sæpe defectus: quātæ maiestatis qui ait: Adhuc semel ego mouebo terram? Illum terra abscondit, istius motum non potest sustinere, nisi uoluntatis eius substantia fulciatur. Si cæco damnum est, huius solis gratiam non uidere, quāto magis peccatori damnum ueri luminis munere defraudatum, perpetuæ noctis tenebras sustinere? Ergo cum uides solem, attende terram, quæ antè fundata est: attende herbā fœni, quæ præstat ordinis priuilegio: attende ligna quæ plaudunt quod priora luminibus cœli esse cœperunt. Nunquid merita fœni maiora quàm solis? aut nunquid potior ligni prærogatiua? Absit ut insensibilia tanti muneris præferamus ministro. Quid igitur præuidit altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, ut prius inciperent ligna esse, quàm illa duo mundi luminaria, & quidam cœlestis oculi firmamenti, nisi ut cognoscerent omnes diuinæ testimonio lectionis terram sine sole posse esse fœcundam? Nam quæ potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest utiq; semina accepta nutrire, & proprio fotu sine calore solis partus edere. Hac igitur uoce quadam suorum munerū clamat natura: Bonus quidem sol, sed ministerio, non imperio: Bonus meæ fœcunditatis adiutor, sed non creator: Bonus meorum altor fructuum, sed non author. Interdum partus meos & ipse adurit, frequenter mihi & ipse damno est, pleriscp me locis indotatam relinquit. Non sum ingrata conseruo, mihi est in usum datus, mecum labori est mancipatus, mecum subiectus est uanitati, mecum corruptionis subditus seruituti. Mecum cōgemiscit & cōparturit, ut ueniat adoptio filiorum, & humani generis redemptio, qua possimus & nos à seruitio liberari: Mecum assistens laudat authorem: mecum hymnum dicit domino Deo nostro. Vbi maior est gratia, ibi mecum est ei cōmune consortium. Vbi sol benedicit, ibi terra benedicit. Benedicunt ligna fructifera, benedicunt pecora, benedicunt uolucres. In mari positus illum nauta accusat, me desiderat: in montibus illum pastor declinat, ad mea germina, ad meas festinat arbores, quibus exæstuans obumbretur, ad meos fontes sitiens & lassus accurrit.

Qua ratione etiam auris sit emundanda, ac cœlestibus oraculis admouenda. Et quam ob causam facta sint luminaria. Quodq; non sint fœcunditatis terrarum authores, sed Deus pater per dominum Iesum omnia liberalitate fertilitatis impertiat.

impertiat. Quomodo præterea intelligendum sit propheticum illud: Fecit solem in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis.

Caput II

Sed ne oculorum tibi exiguum uideatur esse testimonium, emũda aurem, admoue eã cœlestibus oraculis. Duobus enim & tribus testibus stat omne uerbum. Audi dicentem: Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem terræ.] Quis hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit nisi filio? Deus ergo pater dicit: Fiat sol: & filius fecit solem. Dignum enim erat, ut solem mundi faceret sol iustitiæ. Ipse ergo eum in lumen adduxit, ipse eum illuminauit, ipse ei donauit fundendi luminis potestatem. Factus est ergo sol: ideo & ipsi seruit, quoniam dictum est: Fundasti terram, & permanet. Dispositione tua permanet dies, quoniam uniuersa seruiunt tibi. Etenim cui dies seruit, quomodo non seruit sol, qui factus est in potestatem diei? Quomodo nõ seruit luna, & stellæ, quæ factæ sunt in potestatem noctis? Etenim quanto maiorem his gratiam creator donauit, ut aer solito amplius solis claritate resplendeat, dies serenus lu ceat, noctis illuminentur tenebræ, per lunæ stellarumq; fulgorem cœlum uelut quibusdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet, ut paradiso putes uernante depictum, spirantium rosarum uiuis monilibus renitere: quanto igitur amplius his decoris uidetur esse collatum, tanto amplius debent. Cui enim plus cõmittitur, plus debet. Et ideo bene à plerisq; ornamentum cœli est nuncupatum, eò quòd sit stellarum monile pretiosum. Atq; ut sciamus quia fertilitas terrarum non calori solis adscribitur, sed diuinæ indulgentiæ deputatur, ait Propheta: Omnia à te expectant ut des illis escam in tempore: dante te illis, colligent sibi: aperiente te manum tuam, uniuersa implebuntur ubertate. Et infra: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et in Euangelio: Considerate uolatilia cœli, quia neq; serunt, nec metunt, & pater uester cœlestis pascit illa. Non ergo sol aut luna fœcunditatis authores sunt, sed Deus pater per dominum Iesum omnibus liberalitatem fertilitatis impertit. Pulchrè autem expositit nobis Propheta quid sit quod ipse ait: Quia fecit Deus solem in potestatem diei, & lunam in potestatem noctis. Nam & in isto Psalmo centesimotertio, de quo supra diximus, scripsit: Fecit lunam in tempora, sol cognouit occasum suum. Cum enim dies horas suas complere cœperit, sol debitum sibi cognoscit occasum: Est ergo in diei potesta te sol, & luna in potestate noctis, quæ temporum uicibus obedire compellitur, & nunc impletur lumine, atq; uacuatur: licet plerisq; hunc locum mystice de Christo & Ecclesia uideantur accipere, quod agnouit Christus proprij corporis passionem, qui ait: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum: ut ille occasu suo omnibus donaret uitam æternam, qui perpetuæ mortis urgebantur occasu, & Ecclesia tempora sua habeat, persecutionis & pacis. Nam uidetur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest: quæ aliquorum quidem in persecutionibus discessione minuitur, ut martyrum cõfessionibus impleatur: & effusi pro Christo sanguinis clarificata uictorijs, maius deuotionis suę & fidei toto orbe lumen effundat. Namq; luna luminis imminutionem habet, nõ coporis, quando per uices menstruas deponere uidetur lumen suum, ut mutuetur à sole: quod facile puro aere atq; perspicuo, quando nulla eam obducta nebula caligantem facit, colligi potest. Orbis enim lunæ integer manet, & si non similiter totus ut pars eius effulgeat. Et qualis uideri solet, cum plenus est luminis, talis est magnitudine, sed per umbram quandã lumine suo uiduatus apparet. Inde cornua eius refulgent, quia corpus eius in orbem diffunditur. & uelut deficiente portionis luce sinuatur.

Matth. 18 *Deuter. 17* *Genes. 1* *Psalm. 118* *Psalm. 103* *Matth. 6* *Psalm. 103* *Ioann. 17*

De dubitatione quæ occurrere posset circa discretionẽ inter diem & noctem, ac lucem & tenebras: & de solutione eiusdem.

Caput III

Quere autem potest quod ait: Vt fiant luminaria ad illuminationem super terram quæ discernant inter diem & noctem.] Quia & supra iam ubi lumen fecit, dixerat: Separauit Deus inter lucem ac tenebras, & factum est uespere & factum est mane, dies unus. Sed cõsideremus quia aliud est lumen diei, aliud lumen solis, & lunæ, & lumen stellarum, eo quòd sol ipse radijs suis fulgorem diurno lumini uideatur adiungere, quod uel ortus diei potest prodere, uel occasus. Nam ante solem lucet quidem, sed non refulget dies, qui amplius quoq; meridiano sole resplender. Quod ostendit Propheta, dicens: Et educet sicut lucem iustitiã tuam, & iudicium tuum

Gen. s. 1 *Psalm. 36*

ſicut meridiem. Non ſolum enim lumini, ſed etiam meridiano lumini ſancti iuſtitiam comparauit. Deinde non ſolum unum ſignum, ſed etiam duo uoluit eſſe diurnæ diſcretionis atq; nocturnæ, ut & lux diſcretionem faciat, & ſolis exortus: & iterum lucis defectus, & ſtellarum ortus, inter occaſum diei diſtinguat, & noctis exordium. Nam ubi occiderit ſol, manet tamen adhuc aliquid reliquiarum diei, donec tenebræ terram operiant: & tunc luna oritur, & ſtellæ. Et de nocte quidem apertè liquet, quia luna & ſtellarum illuminatio noctis ſpacia teſtantur. Siquidem per diem fulgorem illum lunarem, ſtellarumq; omnium, ſol exortus abſcondit. De die autem uel ipſa ſolis flagrantia docere nos poteſt, diuerſam diurni luminis & ſolis eſſe naturam, & ipſam eſſe ſpeciem diſcolorem. Simplex eſt enim lucis ſpecies, ut lumen præbeat. At uerò ſol non ſolum uirtutem illuminandi habet, ſed etiam uaporandi: igneus eſt enim. Ignis autem & illuminat, & exurit. Vnde dominus uolens Moyſi oſtendere ſuæ operationis miraculũ, quo eum ad obediendi ſtudium prouocaret, atq; ad fidem inflammaret eius affectum: in igne uiſus eſt in rubo, & rubus non exurebatur, ſed tantum ſplendere ignis ſpecies uidebatur. Exod. 3 Alterum igitur munus ignis uacabat, alterum operabatur. Vacabat exuſtionis uis, operabatur illuminationis. Ideo ſtupebat Moyſes, quia contra naturam ſuam ignis non exurebat rubum, qui etiam uehementiorem materiem cõſueuit exurere. Sed domini ignis Deuter. 4 illuminare ſolet, exurere nõ ſolet. At forte dicas, quomodo ſcriptum eſt: Ego ſum ignis Hebr. 12 conſumens? Bene admonuiſti. Non ſolet conſumere, niſi ſola peccata. In retributionibus quoq; meritorum colligimus diuidi ignis naturam, ut alios illuminet, alios exurat: illuminet iuſtos, exurat impios. Non eoſdem quos illuminat, exurit: & quos exurit, illuminat: ſed illuminatio eius inextinguibilis eſt ad perfunctionem bonorum: exuſtio uehemens ad ſupplicia peccatorũ. Sed reuertamur ad diſcretionem diei ac noctis. Orien- 2. Corint. 2 te diei lumine nox fugatur, decedente die nox infunditur. Non eſt enim luci ſocietas ulla cum tenebris, ſiquidem naturali lege hoc dominus in prima operatione ſua cõſtituit. Etenim quando lumen fecit Deus, & diſcretionem fecit inter lucem ac tenebras. Deniq; in ipſo die iam ſole infuſo terris, uidemus umbram uel hominis uel uirgulti alicuius à lumine ſeparari, ut mane ad occaſum dirigatur, ueſperi retorqueatur in Orientem, meridianis horis ad ſeptentrionem inclinet: lumini tamen non confunditur atq; miſcetur, ſed cedit & refugit. Similiter & nox cedere uidetur diei, & ſe ab eius lumine declinare. Eſt enim, ut peritiores probarunt qui nobis uel ætate uel munere præcucurrerunt, umbra terræ. Naturaliter enim umbra corpori adhæret atq; adiungitur, adeo ut etiam pictores umbras corporũ, priuſquam pinxerint, nitantur exprimere, idq; artis eſſe aſſerãt, non intermittere uim naturæ: & quaſi naturalis iuris præuaricator habeatur, cuius pictura non etiam umbram ſuam exprimat. Ergo ſicut in die, cum è regione ſolis, aliquod corpus occurrit, ex ea parte qua lumen repercutitur, umbra ſubſiſtit, ſic cum decedente die è regione luminis eius aut ſolis terræ obiectus occurrit, obumbratur aer. Vnde liquet quod noctem faciat umbra terrarum.

Quomodo luminaria facta ſint in ſigna, & de acuta ac diffuſa confutatione quorundam tentantium exprimere natiuitatum qualitates, qualis uidelicet futurus ſit unuſquiſq; qui natus ſit. Caput IIII

F Ecit ergo ſolem, & lunam, & ſtellas, & præſtituit illis menſuras temporum: ſoli diurnas, lunæ ſtelliſq; nocturnas, ut iſte augeat diei gratiam, illæ umbram tenebraſq; illuminent. Et ſint in ſigna, & in tempora, & in dies, & Geneſ. 1 in annos.] Diuiſa tempora habent, pareſq; menſuras pro menſium uicibus ſol & luna cum ſtellis, & ſunt in ſigna. Non poſſumus negare quod ex ſole & luna ſigna aliqua colligantur: nam & dominus dixit: Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis. Et quærentibus Luc. 21 Apoſtolis ſignum aduentus eius, reſpondit: Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen Matth. 24 ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo. Hæc dixit fore ſigna futuræ conſummationis: ſed conueniens debet curæ noſtræ menſura ſeruari. Deniq; nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates: qualis futurus ſit unuſquiſq; qui natus ſit: cum hoc non ſolum uanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſſibile pollicentibus. Quid enim tam inutile, quàm ut unuſquiſq; perſuadeat ſibi hoc eſſe quod natus eſt? Nemo ergo debet uitam ſuam, ſtatum moreſq; mutare, ſed eniti quo melior fiat. Sed in ea perſuaſione neq;

probum

probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui necessitati natiuitatis suæ respondere uideatur. Et quomodo dominus aut præmia proposuit bonis, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam, & conuersationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud quàm hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studijs derelinquitur? Quàm multos uidemus ereptos criminibus atq; peccatis in meliorem statum esse conuersos? Redempti sunt Apostoli, & congregati ex peccatoribus: non utiq; natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora dominicæ passionis redemit à morte. Latro ille damnatus capitis, ille cum domino crucifixus, non beneficio natiuitatis suæ, sed fidei confessione ad paradisi æterna transiuit. Luc. 23
Ionæ 1
Ionam in mari non uis natiuitatis, sed dissimulatio diuinę præceptionis precipitauit & offensa, eundemq; cetus excipiens, ad indicium futuri mysterij post triduum reuomuit & prophetiæ merito, gratiæ reseruauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum Act. 12
Angelus Christi, non stellarum series liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, Act. 9. 28. & 27
& percussum à uipera, turbatumq; naufragio, non remedia natiuitatis, sed deuotionis merita seruauerunt. Quid de illis dicimus, qui eorum precibus, cum fuissent mortui, resurrexerũt? Vtrum illos sua natiuitas, an Apostolica gratia resuscitauit? Quid opus fuit, ut se ieiunijs periculisq; cõmitterent, si ad quod uolebant, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod si credidissent: dum expectant, fatorum necessitatem, nunquam ad tantam peruenissent gratiã. Inutilis igitur ista persuasio & à uero remota. Quid quod etiam impossibilis? Nam ut de eorum aliquid disputatione sumamus redarguendi gratia, non probandi: magnam uim dicunt esse natiuitatis, eamq; minutis quibusdam & certis colligi oportere momentis: ac nisi uerius colligatur, summam esse distantiam: breui enim atomo, exiguoq; momento distare natiuitatem inopis & potentis, egentis & diuitis, innocentis & noxij, & plerumq; eadem hora generari longæuitati debitum, & prima pueritiæ ætate moriturum, si reliqua disparia sint, & puncto aliquo discreta. Hoc quemadmodum possint colligere, respondeant. Constitue partum fœminæ. Obstetrix De horo scopo.
utiq; eum primo recognoscit, explorat uagitum, quo natiuitas colligitur: attẽdit utrum masculus sit, an fœmina. Quot uis inter has horas præterire momenta? Pone mathematicum præparatum. Nunquid potest uir interesse puerperio? Dum mandat obstetrix, audit Chaldæus, ponit horoscopum, in alterius sortem iam nati fata migrarunt: de altero quæritur, & alterius genitura proponitur. Pone ueram esse eorum opinionem, de natiuitatum necessitatibus nõ potest uera esse collectio. Puncta transeunt, fugit tempus irreparabile. Non esse dubium quod tempus in atomo, & momento oculi sit, adducor ut credam, quando omnes in atomo, in momento, in ictu oculi resuscitamur, ut Apostolus protestatur dicens: Ecce mysterium uobis dico. Omnes quidem resurgemus, non 1. Corint. 15
omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Inter effusionẽ & susceptionem depositionemq; pignoris, inter fletum eius & nũcium, quot atomi transierunt? Et hoc ut simpliciter ista texuerim. Nam & ipsi uitalem illum signorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt: & quia triginta diebus sol duodecimã partem Sphęræ eius quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus Solis anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas quas μοίρας Græci uocant, unamquamq; duodecim illarum distribuunt portionem, ipsam quoq; portiunculã in sexaginta uices cõferunt. Rursus unumquodq; de illis sexaginta sexagies secãt. Quàm incomprehensibile est, in quo sexagesimo tot sexagesimæ portiunculæ natiuitatis momenta constituant: & qui singulorum signorum sit aut motus aut species in natiuitate nascentis? Vnde cum impossibile sit tam subtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat uniuersitatis errorem, totum negocium plenum est uanitatis. Disputatores eorum, quæ sua sunt, nesciunt: quomodo alia nouerũt? Quid sibi immineat, ignorãt: quomodo possunt alijs, quæ sibi futura sunt, denunciare? Ridiculũ est credere, quia si possent, sibi potius prouiderent. Iam illud quàm ineptum, ut si quis signo arietis ortum esse se dicat, ex usu pecudis æstimetur præstãtissimus cõsilio, quod in grege huiusmodi emineat pecus: aut locupletior, eo quod uestitum habeat aries naturalem, & quotannis lucrum capiat indumenti, eoq; uiro illi familiaria uideantur quæstuum esse compendia. Similiter & de

tauri & de piſcium ſignis argumentantur, ut ex natura uilium animantium cœli motus, & ſignorum interpretãdas exiſtiment poteſtates. Cibus ergo noſter uiuendi nobis decreta conſtituit, & alimenta noſtra nobis, id eſt, aries, taurus, & piſcis morum imprimũt diſciplinam? Quomodo igitur de cœlo nobis cauſſas rerum, & ſubſtantiam uitæ huius accerſunt, cum ipſis cœleſtibus ſignis cauſſas motus ſui ex qualitatibus eſcæ uilis impertiant? Liberalem aiunt ſigno ortũ arietis, eò quod lanam ſuam aries non inuitus deponat: & huiuſmodi uirtutem uilis animantis malũt naturæ deputare, quàm cœlo unde & ſerenitas nobis fulget, & pluuia ſæpe deſcendit. Laborioſos & patientes ſeruitij, quos naſcentes taurus aſpexerit, quia animal laborioſum & aſſuetũ iugo, ſpontanea ſeruituti colla ſubmittens. Percuſſorem quoq; cuius natiuitatem Scorpius in ſua parte cõplexus ſit, & malitiæ uenena reuomentem, eò quod animal uenenatũ ſit. Quid igitur authoritatem uiuendi daturum te ſignorum cœleſtium dignitate prætendis, & de nugis quibuſdam argumentũ aſſertionis aſſumis? Nam ſi de animalibus aſſumptæ huiuſmodi morũ proprietates, cœli motibus imprimuntur: & ipſum uidetur beſtialis naturæ poteſtati eſſe ſubiectũ, ex quo cauſſas uitalis ſubſtantiæ quas hominibus impertiret, accepit. Quod ſi hoc abhorret à uero, multo magis illud ridiculum, ueri eos ſubſidio deſtitutos, hinc fidem ſuæ diſputationis accerſire. Deinde illud cõſideremus quod planetas illa ſigna appellant, quorũ motibus formari aſſerunt uitæ noſtræ neceſſitates. Siue igitur, ut nomen ſonat, ſemper uagentur: ſiue ut ipſi dicunt, quod concito motu ferantur, & decies milies in die, aut ſi hoc incredibile uidetur, multiplicem ſpeciem innumera ſui conuerſione cõmutent: fide caret quod tam uago ſui errore, & tam celeri motu fixam nobis atq; immobilem uiuendi ſubſtantiam ſortemq; decernant. Ferunt tamen non eſſe æquales omnium motus, ſed aliorum celeriores, aliorum tardiores eſſe circuitus, ut in eadem hora & uideant ſe frequenter, & frequenter abſcondant, dum aliud ab alio præteritur. Aiunt autem plurimum referre utrum ortum generati benefica ſigna uideant, an malefica & noxia: & in eo natiuitatis eſſe diſtantiam, quod benefici ſigni aſpectus plurimum conferat, malefici & noxij plurimum noceat. Sic enim eadem ſigna quæ uenerantur, appellare conſueuerunt. Neceſſe enim habeo eorum uti nominibus, quorum utor aſſertionibus, ne ignorata magis quàm uacuefacta atq; deſtructa ſua argumenta commemorent. Itaq; cum illum uagum celeremq; motum non queant comprehendere, ſæpe fit ut per illam puncti & momenti incomprehenſibilis ſubtilitatem ponant benefici ſigni aſpectum, ubi grauis atq; nocitura incurrat offenſio. Et quid mirum ſi ibi luduntur homines, ubi ſigna innoxia blaſphemantur? Quæ ſi natura noxia eſſe creduntur, Deus ergo ſummus arguitur, ſi fecit quod malum eſt, & fuit improbitatis operator. Si uero ex ſua uoluntate putantur aſſumpſiſſe quod noceat inſontibus, & nullius adhuc facinoris peſſimi ſibi conſcijs, quibus pœna adſcribitur antequam culpa: quid tam irrationabile, quod etiam irrationabilium beſtiarum excedat immanitatem, ut uſus fraudis aut gratiæ non meritis hominum deputetur, ſed ſignorum motibus deferatur? Nihil inquit, ille deliquit, ſed noxia eum ſtella conſpexit: Saturni ei ſidus occurrit: auertit ſe paululum, & ærumnam ab ſe abſtulit, & crimen aboleuit. Sed hæc eorum ſapientia telæ araneæ comparatur, in quam ſi culex aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt: ſi uero ualidiorum animantium ullum genus incurriſſe uiſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit infirmos, atq; inanes laqueos diſſipauit. Talia ſunt retia Chaldæorum, ut in his infirmi hæreant. ualidiores ſenſu offenſionem habere non poſſint. Itaq; uos, qui ualidiores eſtis, cum uideritis mathematicos, dicite: Telam araneæ texunt: quæ nec uſum aliquem poteſt habere, nec uincula, ſi tu non quaſi culex aut muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer aut columba caſſes inualidos prępetis uolatus, celeritate diſſoluas. Etenim quis prudentium credat, quod ſignorum motus, qui ad diem ſæpe mutantur, & multipliciter in ſe recurrunt, inſignia deferant poteſtatum? Nam ſi ita eſſet, quantæ ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figuræ? Quotidie ergo reges naſcerentur, nec regalis in filios trãſmitteretur ſucceſſio, ſed ſemper ex diuerſo ſtatu, qui ius imperialis acquirerent poteſtatis, orirentur. Quis igitur regum genituram filij ſui colligit ſi ei debeatur imperium, & non proprio ſucceſſionem regni in ſuos tranſcribit arbitrio? Legimus certe quod Abia genuit Aſa, & Aſa genuit Ioſaphat, & Ioſaphat genuit Ioram,

& Ioram

& Ioram genuit Oziam: & reliqua omnis usq; ad captiuitatem per reges generis pariter & honoris ducta successio est. Nunquid quia reges fuerunt, signis cœlestibus formandos motus suos imperare potuerũt? Quis enim hominum potest habere in his dominatum? Deinde si ad necessitatem genitalem, non ad instituta morum actus nostri factaq; referantur, cur leges propositæ sunt, iura etiam promulgata, quibus aut pœna improbis decernitur, aut securitas defertur innoxijs? Cur non uenia datur eis, cum utiq;, ut ipsi aiunt, non sua uoluntate, sed ex necessitate deliquerint? Cur laborat agricola, & nõ magis expectat ut inelaboratos fructus priuilegio suæ natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus est ut ei diuitiæ atq; opes affluant, ut sibi spontaneos reditus sine ullo semine atq; opere terra parturiat: non uomerem aruis imprimat, non curuæ manum falci admoueat, non legendæ uindemiæ subeat expensam, sed ultro ei in omnes serias uina fundantur fluentia, sponte ei oleum nullis inserta caudicibus syluestris oleæ bacca desudet: nec diffusi æquoris transfretaturus periculũ, propriæ salutis solicitus mercator horrescat, cui ocioso potest, ut aiunt, quadam sorte genitali diuitiarũ thesaurus illabi. Sed nõ hæc est uniuersorum sententia. Deniq; impiger depresso aratro terram scindit agricola, nudus arat, nudus serit, nudus Sole feruente tostas æstate colligit fruges: & negociator impatiens flãtibus Euris intuto plerunq; nauigio sulcat mare. Vnde importunitatem eorum temeritatemq; cõdemnans Propheta ait: Erubesce Sydon, dixit mare. Hoc est, si pericula uos non mouent: uel pudor comprimat, uerecundia confundat. Erubesce Sydon, in qua nullus uirtuti locus, nulla salutis cura, nulla iuuentus pro excubijs patriæ bello dedita, armisq; exercita, sed omnis solicitudo de quęstu, omne studium mercaturæ. Semen, inquit, mercatorum sicut messis: quæ autem merces homini Christiano, si non ex uoluntate, sed ex necessitate curas suas & opera componit? Vbi enim directa necessitas, ibi inhonorata industria. *Esaiæ 23*

Quemadmodũ prætacta luminaria sint, & in tempora, & in dies, & in annos. Cap. V

M Vlta diximus, plura nolumus, ne quis ea quæ à nobis de illorum assertionibus usurpantur ad refellendum, ad recognoscendum assumpta arbitretur. Nam quę pueri risimus, ea senes cõmemorare qui possumus? Nunc ad ad ea quæ secundũ lectionem supersunt, dirigamus stylum. Sint, inquit, luminaria in signa, & in tempora, & in dies, & in annos.] De signis diximus, tempora autẽ quę sunt, nisi mutationum uices, hyems, uer, æstas, atq; autumnus? In istis igitur temporibus aut uelocior est transitus Solis, aut tardior. Alia enim præstringit radijs suis, alia inflãmat caloribus suis. Itaq; cum Sol meridianis partibus immoratur, hyems nobis est. Nam cum Sol longius abest, terra rigescit gelu, stringitur frigore, & plurima noctis umbra terras operit, ut multo prolixiora sint noctis spatia quàm diei. Hinc oritur causa, ut hybernis flatibus nimia uis niuium pluuiarumq; fundatur. Cum uero ex meridianis decedens partibus super terram redit, noctis ac diei exæquat tempora: & quo magis moras suis adiungit cursibus, eò paulatim temperiem aeris huius reducit, & reuocat aurarum clementiam, quæ fouens omnia repetendos cogit in partus, ut terra germinet, ac resoluta sulcis semina reuiuiscant, uirescant arbores, ad perpetuitatem quoque conseruandi generis eorum quæ uel in terris sunt, uel aquis gaudent, annuis fœtibus successio propagetur. Ast ubi ad æstiuas conuersiones in septentrionem se subrigit, spatia diurna producit, noctis uero artat & adstringit. Itaq; quo magis usũ assiduo aeri huic copulatur, atq; miscetur, eo amplius & ipsum aerem uaporat, & terrarum exiccat humorem, adolescere facit semina, & tanquam in succos uiriles matureſcere poma syluarum. Tum quia flagrantior est, minores umbras facit in meridiano, quoniã ex alto hunc illuminat locum. Vnde & Synagoga dicit in Canticis canticorum: Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi manes in meridiano, ne fortè fiam circumamicta super greges sodalium tuorum. Hoc est: Annuncia mihi Christe, quem dilexit anima mea. Cur non potius quem diligit? Sed Synagoga dilexit, Ecclesia diligit: nec unquam circa Christum suum mutat affectum. Vbi, inquit, pascis, ubi manes in meridiano? Sequi te cupio quasi alumna, quem quasi copulata antè iam retinebam: & greges tuos quærere, quæ amisi meos. In meridiano pascis, hoc est in Ecclesiæ loco, ubi iustitia resplendet, ubi fulget iudicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur, ubi maiores *Genes. 1*

De hyeme.

De uere.

De æstate.

Cantic. 1

iores sunt dies, quod eis Sol iustitiæ tanquam æstiuis mensibus diutius immoretur. De-
Ioel 2 nique dies domini non est breuis, sed magnus: quia scriptū est: Donec ueniat dies domi-
Gen. 47 ni magnus. Vnde & Iacob ait: Omnes dies uitæ meæ quos ago, breues & maligni. Etenim maligna lux, dubia. Ergo dies breues dubiæ lucis sunt, & umbrosi: dies magni sine umbra sunt: ut plurimi in aliquibus locis feruentioribus usu exemploq; cognouerunt. Synagoga itaq; diebus breuibus & malignis, cuius typum plerūq; Iacob in persona sua exprimit, uel populi eius, umbram habebat plurimam, quæ Solem iustitiæ non uidebat, & uidebat illum non ex alto super caput suum, sed ex meridiano illuminantem, quan-
Cantic. 2 do hyems erat. Ecclesiæ autem dicitur: Hyems abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra, tempus messis aduenit. Ante aduentum Christi hyems erat, post aduentum Christi flores sunt ueris, & messis æstatis. Ex meridiano ergo & ex gentium conuersione illum
Esaiæ 9 illuminantem uidens obumbratur. Populus autem gentium qui erat cōfusionis, qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam: qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis. Magna lux diuinitatis, quam nulla umbra mortis interpolat. Ideoq; ex alto il-
Lucæ 1 luminat, quia & hoc scriptum est, dicente Zacharia: In quibus uisitauit nos oriens ex al-
Psalm. 16 to, illuminare ijs qui in tenebris & umbra mortis sedent. Est sanè & aliqua salutis umbra non mortis, ut est illud: Sub umbra alarum tuarū protege me. Vmbra quidem, quia corporis est: umbra, quia crucis: sed umbra salutis, quia in ea erat peccatorum remissio, & resuscitatio mortuorum. Exemplū ergo possumus accipere, quia hyemales dies breues, umbras maiores habent: æstiui dies maiores, sed umbras minores habent. Medio quoq; die minor umbra, quàm in principio est diei uel fine: & hoc apud nos in parte Occidentis. Cæterùm sunt qui dicant quòd per duos totius anni dies sine umbra fuerint in partibus meridianis, eò quod habentes super uerticem suum solem, undiq; per circuitum illuminentur: unde ἄσκιοι dicuntur Græcè. Plerique etiam ferunt sic è regione ex alto ferri Solem, ut per angusta puteorum aquam quæ in profundo est, uiderint refulgere. Esse autem dicuntur in meridiano qui ἀμφίσκιοι uocantur, eò quod umbram ex utroq; latere transmittant. Vmbra enim è regione Solis ambulantibus post tergum est, utputa si contra Orientem pergas matutinis horis: si contra meridianam plagam contendas medio die: si contra Occidentem in occasu diei. Ex tribus igitur partibus fit tibi Sol obuius, ex Oriente, ex meridiano, ex Occidēte. Manè & sero post tergum est, meridie quoq; à latere: at uero à Septentrione nunquam est Sol, & ideo umbra. Si contra Septentrionem dirigas, siue mane, siue sero, siue meridie, non potest esse post tergum Sol. Sunt enim in hoc, quem nos incolimus, orbe terrarū, circa meridiem positi qui in Australem plagam uideantur umbrā transmittere. Hoc autem fieri dicitur summo æstu,
De autumno cum ad Aquilonem Sol dirigit. Postea nos Autumnus excipiens, infringit quidem æstuum magnitudinem, sed paulisper relaxato ac depósito calore per temperiem medij moderaminis, sine fraude nos atq; ulla noxa flatibus tradit hyemalibus. Sint, inquit, etiā
Genes. 1 in dies.] Non ut faciant dies, sed ut in eis habeant principatum, ut ortum diei uberiore
Psalm. 135 Sol illuminet gratia, ut per totum diem designandi habeat eius potestatem cursus sui munere. Sic accipiunt nōnulli quod ait Propheta: Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis. Circunferunt enim lumen. In annos quoq; ordinati sunt Sol & Luna: Luna per trecentos dies duodenis uicibus cursum conficiens, consummat annum secundum Hebræos, aliquibus diebus adiectis, secundum Romanos bissexto semel intra quinquēnium unius diei adiectione celebrato. Solstitialis quoq; annus est, cum Sol expleto per omnia signa circuitu, in id unde principium cursus sui sumpsit, recurrit. Annua enim fertur ei totius spatij esse perfunctio.

Quomodo duo luminaria superius cōmemorata magna dici possint: & de magnitudinis eorum probatione mendaciq; aspectus nostri iudicio. De admirando quoq; Solis moderamine ac temperamento. Caput VI

F Ecit ergo Deus hæc duo luminaria, quæ magna possumus accipere, non tam aliorum comparatione magna, quàm suo munere: ut est cœlum magnum, & mare magnum. Nam & magnus Sol, qui complet orbem terrarum suo calore, uel Luna suo lumine: nec solum terras, sed etiam aerem hunc & mare, cœliq; faciē. Quæ in quacunq; parte fuerint cœli, illuminant omnia, & æquè spectantur

à cunctis,

à cunctis, ut ea tanquam suis tantum regionibus immorari, & sibi tantum adesse atq; lucere singuli populi credant, cum similiter luceant uniuersis, ut nemo his propiorem alium quàm ipse est, arbitretur. Exemplum magnitudinis eorum euidẽs, quod omnibus hominibus orbis Lunæ idem uidetur. Nam etsi interdum augeatur lumen eius atq; minuatur, tamen eadem nocte qualis mihi appareat, talis & omnibus. Nam si longe positis minor uideretur, propius cõstitutis maior refulgeret, & proderet angustiarum & exiguitatis indicium. Etenim reliqua alia longe positi minora arbitramur, propius cõtuentes maiora credimus; quo magis finitimus fueris, eò tibi eius rei quam cernis, magnitudo cumulatur. Solis radius nulli propior, nulli lõginquior est: similiter & Lunæ globus æqualis est omnibus. Similis Sol & Indis & Britannis eodem momento uidetur cũ oritur. Nec cum uergit in occasum, minor apparet Orientalibus quàm Occidẽtalibus: nec Occidentalibus cum oritur inferior quàm Orientalibus æstimatur. Quantum distat, inquit, Oriens ab Occidente? Hæc enim inuicem sibi distant. Sed Sol a nullo distat, nulli præsentior: nulli absentior est. Neq; te moueat quod tanquam cubitalis tibi orbis uideatur Solis cum oritur, sed cõsidera quantũ interfit spatij inter Solem & terras, quod aspectus noster infirmitas sine magno sui non potest transire dispendio. Caligat aspectus noster, nunquid Sol caligat, aut Luna? Angustus noster obtutus, nunquid ideo angustiora efficit quæ uidentur? Species minuitur, non magnitudo detrahitur. Neq; enim infirmitatis nostræ passiones passioni luminariũ debemus adscribere. Mentitur noster aspectus. Noli ergo fidele æstimare eius iudicium. Fit cœlestium minor spectaculis figura, nõ sui forma. De summo uertice mõtium si subiectum oculis tuis campum spectare desideras, atq; illic armenta pascentia, nónne formicarũ similia corpora iudicabis? Si mare spectes è specula aliqua littorali, nónne tibi nauium maximæ inter ceruleos fluctus & uela candentia refulgentes, uelut columbarum uolitantium speciem eminus posito uidentur obtexere? Quid ipsæ Insulæ, quæ mare diuidunt, terrarũ arua diffundũt, quàm angusto æstimantur fine cõcludi? quemadmodum rotũda apparent de asperis, spissa de raris? Has ergo infirmitates uisus tui perpende: & eorũ quæ astruimus fidem, ex teipso arbiter iustus factus accersi. Si uis magnitudinem Solis non solum oculo mentis, sed etiam corporis æstimare, considera quanti stellarum globi axem cœli uideantur obtexere, & innumeris insignire luminibus: non queunt tamen tenebras noctis & cœli nubila detergere. Simul ut Sol ortus sui signa præmiserit, omnes stellarum ignes sub unius luminaris fulgore uanescunt, aperitur aer, cœlicq; facies purpurascenti rubore perfunditur. Adhuc spirans exordiũ, & iam momentanea celeritate pleni luminis micat splendor, & surgentis Solis præuia aura dulcis aspirat. Dic mihi quæso, nisi magnus orbis esset, quomodo magnum posset orbem illuminare terrarum? Quid autem loquar de tanto temperamento & moderamine conditoris, qui eam mensuram muneris Solis attribuit, ut neq; uapor eius igneus, ut uidetur, terrarum uenas, succos, rerumq; species infusus exureret: neque iterum per tanta mundi spatia refrigeratus, nullum terris semen caloris inoleret, sed ieiunam atque inopem fructuum derelinquens, ad nullam fertilitatis gratiam uaporaret?

Quod Luna quædam similia habeat cum Sole eius consorte ac fratre, pleraq; etiam ab eo distincta. Caput VII

S Imilia de Lunæ ratione conueniunt, quę de consorte eius ac fratre memorauimus. Siquidem in id se induit ministerium, in quod & frater: ut illumi-
net tenebras, foueat semina, augeat fructus. Habet etiam pleraq; à fratre distincta, ut quem toto die calor humorem terræ exiccat, eundem exiguo noctis tempore ros reponat: nam & ipsa Luna larga roris asseritur. Deniq; cũ serenior nox est, & Luna pernox, tunc largior ros fertur arua perfundere. Et plerisq; sub aere quiescentes, quo magis sub luminæ fuissent Lunæ, eo plus humoris se capite collegisse senserunt. Vnde & in Cantícis canticorum Christus dicit ad Ecclesiam: Quoniam caput meum repletum est rore, & crines mei guttis noctis. Tum deinde minuitur & augetur, ut minor sit cum resurgit noua: & cum sit imminuta, cumuletur. In quo grande mysterium. Nam & defectui eius compatiuntur elementa, & processu eius, quæ fuerint exinanita, cumulantur, ut animantium cerebra, maritimorum humida. Siquidem pleniores ostreæ Cantic. 5

reperiri

reperiri ferũtur, multaq; alia, cum globus lunaris adoleſcit. De arborum quoq; internis idem allegant qui hoc uſu proprio cõpererunt. Videmus ergo ortum eius & defectũ, rationis eſſe, non infirmitatis. Nunquam enim tãtam rebus mutationem daret, niſi præſtantem uirtutem haberet, & gratiã à conditore collatam. Aerem quoq; nonnulli etiam docti & Chriſtiani uiri allegauerunt Lunæ exortu ſolere mutari: ſed ſi id mutationis lunaris quadam fieret uiolentia, ad omnes ortus eius intexeretur nubibus cœlum, pluuiæ funderentur. Deniq; cum ante dies paucos eſſet ſermo de pluuia, quæ fore utilis diceretur, ait quidam: Ecce neomenia dabit eam. Et quamuis cupidi eſſemus imbrium, tamen eiuſmodi aſſertiones ueras eſſe nolebam. Deniq; delectatus ſum quod nullus imber effuſus eſt donec precibus eccleſiæ datus, manifeſtaret non de initijs Lunæ ſperandum eſſe, ſed de prouidentia & miſericordia creatoris. Sane eurípi cum exũdent undiq; ſecundum reliquas ſpecies Lunæ, & acceptos fluctus refundant, uel etiam ipſi magno ferantur impetu: in ortu tamen eius ſtant placidi, quoaduſq; luna ſine lumine eſt. At uero ubi eam dierum acceſſus auxerit, tunc in ſuos curſus refluos reuertuntur. Ampotis quoq;, quę in Oceano eſſe perhibetur, quia cum reliquis diebus ordinem ſuum ſeruare dicatur, lunari exortu euidens mutationis ſuæ fertur indicium dare: ut mare ipſum occidentale, in quo ſpectatur Ampotis, ſolito amplius accedat ac recedat, & maiore æſtu feratur, tanquam Lunæ quibuſdam aſpirationibus retrorſum trahatur, & iterũ ijſdem impulſum ac retractum in menſuram propriam refundatur.

ἀμπωτις Græcè dicta quaſi ἀναπωτις ſignificat maris reciprocationem æſtuarijs uicibus accedẽtis ac recedentis. Eraſmus

De myſterio defectus & minutionis Lunæ. De eius quoq; laude, ac deriſione eorum qui eam magicis carminibus deduci poſſe credunt. Caput VIII

V Nde ſi miraris quomodo defectum Luna patiatur, cum tantam uim mutationis habeat ſuæ: conſidera & in eo magnum eſſe myſterium, quod eius exemplo cognoſcis ô homo nihil rerum humanarum eſſe poſſe, & mundanæ totius creaturæ, quod non aliquando reſoluatur. Nam ſi etiam Luna, cui tantum dominus cõmiſit miniſterium, ut illuminet orbem terrarum, & creſcit & deficit, quia omnia ex nihilo orta uſq; ad perfectionem uenerunt, & iterum perfecta minuuntur: cœlum enim & terra præteribunt: cur non id moderationis aſſumimus, ut neq; in aduerſis abijciamus animum (qui enim omnia fecit ex nihilo, facile te quoq; potens eſt ad ſumma & perfecta prouehere,) & rurſum nõ extollamur in proſperis, neq; in poteſtate aliqua nos diuitijſq; iactemus, neq; in uiribus corporis aut pulchritudine gloriemur, in quo eſt facilis corruptio, crebra mutatio: ſed manentem in futurum animi gratiam perſequamur? Nam ſi te lunæ cõtriſtat occaſus, quæ ſe ſemper reparat ac reformat: multo magis contriſtare te debet ſi anima profectu uirtutis impleta cum fuerit, poſtea per inconſtantiam mentis atq; incuriã à ſuo deflexa propoſito, ſtudia ſua ſæpe cõmutet, quod eſt inſipientiæ & inſcientiæ. Vnde & ſcriptura ait: Stultus ut luna mutatur. Et ideo ſapiens non cum luna mutatur, ſed permanebit cum Sole. Vnde nõ luna eſt particeps ſtultitiæ, quia non luna mutatur ut ſtultus, ſed ſtultus ut luna. Deniq; ſemen iuſti ſicut luna perfecta in æternum manet, & teſtis in cœlo fidelis. Aliud enim eſt fungi miniſterio, aliud circũferri ingenio, & ſenſus infirmitate fixam non habere ſententiam. Luna pro te laborat, & propter uoluntatem Dei ſubdita eſt. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt: nõ ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Illa ergo non ſponte mutatur, tu ſponte mutaris. Illa congemiſcit & cõparturit in ſua mutatione: tu non intelligis, & gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem frequenter expectat, ut à cõmuni totius creaturæ ſeruitio liberetur: tu & tuæ redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tuæ ergo, non ſuæ ſtultitiæ eſt, quod dum tu expectaris, & nec ſero conuerteris, adhuc & illa mutatur. Noli ergo lunam oculo tui corporis æſtimare, ſed mentis uiuacitate. Minuitur luna ut elementa repleat. Hoc eſt uere grande myſterium. Donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam. Exinaniuit eam ut repleat, qui etiam ſe exinaniuit ut omnes repleret. Exinaniuit enim ſe ut deſcenderet nobis: deſcendit nobis, ut aſcenderet omnib. Aſcendit enim, inquit, ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia. Itaq; qui exinanitus aduenerat, de plenitudine ſua Apoſtolos adimpleuit. Vnde unus ex his dicit: Nam de plenitudine eius omnes nos accepimus. Ergo annunciauit luna myſterium Chriſti. Non mediocris, in qua ſignum poſuit ſuum: nõ mediocris, quæ typum dilectę habet Eccleſię: quod

Eccl. 27

Pſal. 88

Roman. 8

Epheſ. 4

Ioann. 1

ſignificat

significat Propheta dicẽs: Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec extollatur luna. Et in Canticis dominus de sua sponsa ait: Quænã est hæc prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut Luna, electa ut Sol? Et merito speciosa sicut Luna Ecclesia, quę toto mundo refulsit, & tenebras seculi huius illuminãs dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Pulchrè ait, prospiciens, quasi suos de superiore prospectãs, sicut habes: Dominus de cœlo prospexit super filios hominũ. Prospiciens ergo ecclesia, sicut Luna defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis creuit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, & confessorum martyrijs coronatur. Hæc est uera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumẽ sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim ecclesia non suo, sed Christi lumine, & splendorem sibi arcessit de Sole iustitiæ, ut dicat: Viuo autem iam nõ ego, uiuit autẽ in me Christus. Beata planè, quæ tantum insigne meruisti. Vnde te nõ tuis neomenijs, sed typo ecclesiæ beatam dixerim. In illis enim seruis, in hoc diligeris. Quàm ridiculum autẽ quod te plerique credũt homines magicis carminibus posse deduci? Aniles istæ fabulæ, ac uulgi opiniones. Quis enim opus dei tanto ministerio deputatũ, arbitretur Chaldæis superstitionibus posse tentari? Lapsus sit ille, qui se transfigurat in angelum lucis, & deductus uoluntate propria, non carminũ potestate. Sane & in hoc quasi ecclesia putaris posse loco tuo & statione deduci. Multi tentant ecclesiam, sed magicæ artis ei carmina nocere nõ possunt. Nihil incantatores ualent, ubi Christi canticũ quotidie decantat. Habet incantatorẽ suũ dominũ Iesum, per quem magorũ incantantium carmina, & serpentũ uenena euacuauit: & ipsa sicut serpens exaltatus, deuorat colubros Aegyptiorũ. Ferale licet carmen immurmuret, hebetatur in Christi nomine. Sic & Elymam magũ Paulus non solùm magicæ artis infirmitate, sed etiam oculorum amissione cæcauit. Sic Petrus Simonem alta cœli magico uolatu petentem, dissoluta carminum potestate deiecit & strauit.

Psal. 71
Cantic. 6
Rom. 13
Psal. 13
Gal. 2
Virgilius de pharmaceutria. Ouid. in Metamor. de Medea.

De clausione quarti diei, cum redargutione eorum qui numerum quartum cauere consueuerunt. Caput IX

P Vlchrè igitur, ut arbitror, cessit dies quartus. Quomodo ergo quartũ plerique consueuerunt cauere, & inutile putãt hoc numero aliquid ordiri, quo totus noua luce mũdus emicuit? An sinistris Sol cœpit auspicijs? Et quomodo alijs potest bona signa dare, qui sibi eligere diem sui nescijt exortus? Aut quomodo signa eius probãt, cuius ortum non probant? Quid etiam de Luna dicimus, quæ & quarto die cœpit, & quartadecima diem signat salutis? An displicet numerus quo celebratur mysteriũ redemptionis? Ideo dæmones declinandum fore persuadent numerum eum, quo eorum destructa nequitia est. Ideo gentiles nihil adoriendũ asserũt, quia sciunt tunc primũ artes suas uacare cœpisse, & populos gentiles ad ecclesiã demigrasse. Lunam certè quartam, si pura fuerit, neq; obtusis cornibus, dare reliquis diebus usq; ad exactum mensem indicium serenitatis existimãt. Nolunt ergo eisdem exordijs inchoare, quibus serenitas inchoatur. Sed iam cauendum ne nobis in sermone dies quartus occidat. Cadunt enim umbræ maiores de montibus: lumen minuitur, umbra cumulatur.

CAPITA QVINTI LIBRI HEXAEMERON.

De introductione quinti diei per repetitionẽ superioribus diebus factorum. Ac de obedientia aquarum ad producendum diuersa animantium genera: & increpatione hominis, qui sibi datis nõ contentus, interdicta alimẽta gustauit. De inenarrabili quoq; eorum multitudine quæ momento paruerunt mandato domini dicentis: Producant aquæ reptilia, &c. Et reptilia quæ dicantur. Caput I

De uirtute huius sermonis: Producant aquæ reptilia, &c. Et quod multo plura in mari quàm in terris sint. De singulari quoque aquarum gratia, quæ ex uiuentibus in ipsis declaratur. Caput II

De multis ac diuersis piscium generibus & usibus, de pietate, successionis puritate, & pudicitia ipsorum, ac reprehensione hominis commixtionem diuersorum seminum in animalibus procurantis. Caput III

De bonitate matris aquæ in pisces suos, atq; exhortatione hominis ut ex hoc discat quę sit pa-

ſit parentis & filiorum neceſſitudo. Quodq; propria natura, ſpecialis uſus, ac ſeparata quædam à cæteris uiuendi ſubſtantia ſit piſcium. Caput IIII

De dentibus ac uiolenta piſcium auaritia ſeinuicem deuorantium. Et quod in ſignũ facti ſint, ut in ijs noſtrorum morum uitia uideamus, exemplaq; caueamus. Quod præterea homo ſit piſcis, ex pulchræ comparationis inductione, & ad pericula cauenda diligenti admonitione. Caput V

Quod homo ſit piſcis ex Euangelicæ ueritatis atteſtatione. Quod etiam boni & mali pi ſces ſint, cum exhortatione ut bonus piſcis hamum, retia, ac ſinum Petri non timeat. Qua ratione præterea Euangelium pro mari poſitum ſit. Caput VI

De inſtructiua admonitione hominis, quia piſcis eſt, ut ſuper undas exiliat, & pericula caueat, aſtutiam ſerpentium imitando. Quodq; aſtuti ſimus circa quærenda & obſeruanda coniugia, ex pulcherrimi exempli de uipera adaptatione. Caput VII

De fraudulento ingenio polypi, & aſtutia cancri ad cibum prædandũ: notatione quoq; hominum qui ſimili ingenio ac fraude alios circunuenire & decipere nituntur: cum perſuaſiua adhortatione ut homo propriis ſit contentus, alieniſq; damnis non paſcatur. Caput VIII

De præſcientia echini maritimi, futurã tempeſtatẽ aut tranquillitatẽ nauigantibus prænunciantis: & unde tam exiguũ animal hoc munus acceperit. Ac de indulgentiæ dei creatoris ingenti præconio. Caput IX

Quod unumquodq; genus piſcium præſcripta ſibi habeat domicilia, cum increpatione humanæ auiditatis. Qua ratione etiam quædam genera quandoque mutent loca, & unde hoc habeant ingeniũ. De ſpecialibus quoq; aliquorũ piſciũ uirtutibus. Cap. X

De ſingulari Atlantici maris cõmendatione ex ijs quæ in ipſo naſcuntur aut fiunt, cum concluſione ſermonis de piſcibus. Caput XI

De pulchra introductione ſermonis de natura auium habendi Caput XII

De ordine dicẽdorũ, ac natura auiũ quæ circa aquas maris fluminũq; uerſant. Ca. XIII

Cur poſt deſcriptionem piſcium de ijs auibus quæ aſſuetæ ſunt aquis, ſermo ſucceſſerit, & de diuerſis exinde auium generibus ac differentijs. Caput XIIII

A quibus auibus exordium ſequentis ſermonis ſumendum ſit. Ac de gruibus quomodo ſolicitam exerceant cuſtodiam, & uolantes ſeruent ordinẽ, exemplumq; exercendæ politiæ præbuerint hominibus. De commendatione præterea ſtatus antiquæ reipub. Et de cauſſa atq; accuſatione humanæ incuriæ. Caput XV

De ciconijs, quemadmodum proficiſcantur quo pergendum putant. Qualiter etiam à cornicibus deducantur, atq; adiuuentur in bellis. Et de earundem cornicum cõmendabili hoſpitalitate, humanæq; negligentiæ increpatione. De illarum quoq; erga patres ſuos pietate. & noſtræ impietatis notatione. Caput XVI

De hirundinis materna ſedulitate, induſtria, ac pietate in filios. De cõmendatione præterea paupertatis ipſius, & moleſtia atq; improbitate noſtra: cum paupertas, inopia, uel indigentia nobis occurrerit. Caput XVII

Vt ex uſu & pietate cornicũ diſcant homines amare filios, & de fœminarũ noſtri generis patrumq; in filios impietate, & hinc de excuſatione accipitrũ & aquilarum, qui duram aduerſus fœtus ſuos feruntur habere inclementiam, de pietate quoq; fulicæ, quæ abdicatum aquilæ pullum cum ſua prole connectit & nutrit. Caput XVIII

De turturis uiduitate, exhortationeq; mulierum ut diſcant quanta ſit uiduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Caput XIX

De integritate auiũ, quę, ut in uulturibus deprehenditur, abſq; cõcubitu, & ſine ullo maſculorũ ſemine cõcipiunt & generant. Ac de confutatione eorũ qui impoſſibile putant quod uirgo Maria conſeruata uirginitate dei filium pepererit. Caput XX

De natura & admiranda induſtria ac diligentia apũ, quæ uelut quandam rempublicam curare uidentur. Caput XXI

De conſideratione eius quod ait Propheta: Producant aquæ reptilia &c. ac de diuerſitate quam inter ſe habent aues. Caput XXII

De imitatione uermis Indici, chamæleontis, leporum, atq; phœnicis, ut illorũ exemplis ad commutationis fidem, quæ in reſurrectione futura eſt, prouocemur. Vnde etiam uultures

iultures habeant ut quibuſdam ſignis mortem hominum annuncient. Quod denicꝙ uſcꝙ ad locuſtam diuina gratia penetrauerit. Caput XXIII
De natura & proprietatibus auium nocturnarum, uidelicet luſciniæ, noctuæ, ueſpertilionis, & galli, quarum uſu & exemplis admonemur & inſtruimur. Caput XXIIII
De deuota authoris ad dominum Ieſum Chriſtum deprecatione, cum clauſione quinti diei. Caput XXV

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIBER V, DE DIE QVINTO.

De introductione quinti diei per repetitionẽ ſuperioribus diebus factorũ. Ac de obedientia aquarũ ad producendum diuerſa animantiũ genera, & increpatione hominis, qui ſibi datis nõ contentus, interdicta alimenta guſtauit. De inenarrabili quoꝙ eorũ multitudine quæ momento paruerunt mandato domini dicentis: Producant aquæ reptilia, &c. Et reptilia quæ dicantur. Caput I

TErra diuerſis ueſtita germinibus uirebat omnis, cœlum quoꝙ Sole & Luna geminis uultus ſui luminibus, ſtellarumꝙ inſignitum decore fulgebat. Supererat elementũ tertium, mare ſcilicet, ut & ipſi gratia uiuificationis diuino proueniret munere. Aethereo enim ſpiritu omnes terrarum fœtus aluntur. Terra quoꝙ ſemina reſoluens, uniuerſa uiuificat: & maximè tunc primum uerbo dei iuſſa uirideſcere, uiuificationis ſuæ munere pullulabat. Vacabat aqua, & à diuinæ operationis feriata beneficio uidebatur. Habet adhuc creator quod illi conferat, quo munia terrarum poſſit æquare: reſeruabat ei ut & ipſa proprium ſibi, & ſpeciale aliquid prærogatiuæ collati ſibi muneris uindicaret. Viuificat prius terra, ſed ea quæ ſpirantem animam non habebant. Aqua iubetur ea producere quæ uiuentis animæ uigorem dignitatemꝙ præferrent, & ſenſum tuendæ ſalutis, & fugiendæ mortis acciperent. Dixit itaꝙ deus: Producant aquæ reptilia animarum uiuentium ſecundum genus ſuum, & uolatilia uolantia ſecus firmamentum cœli.] Gen. I
Venit mandatum, & ſubitò aqua iuſſos fundebatur in partus: generare fluuij, uiuificare lacus: mare ipſum cœpit diuerſa reptilium genera parturire, & ſecundum genus effundere quodcunꝙ formauerat. Non exigui gurgites, non cœnoſę paludes uacabant, quin omnia datam ſibi creandi aſſumerẽt poteſtatem. Piſces exilibant de flumine, delphines præludebant in fluctibus, conchæ ſaxis, oſtreæ adhærebant profundis, adoleſcebant echini. Væ mihi, ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, noſtræ mater luxuriæ. Ante hominem delitiæ. Prior ergo hominũ tentatio quàm natura. Sed nihil creatura deliquit: alimenta dedit, non uitia præſcripſit. Hæc tibi communia dedit, ne tibi aliqua uelut propria uindicares. Tibi ſuos fructus terra producit, tibi ſcaros & accipenſeres, & omnes fœtus ſuos generant aquæ: & his non contentus, interdicta tibi alimenta guſtaſti. Ad inuidiam tuam omnia cõgeruntur, ut præuaricatio tuæ auiditatis oneretur. Sed neꝙ cꝙ multæ ſpecies & nomina ſint, poſſumus enarrare, quæ omnia momento diuinæ præceptionis animata ſunt. Simul coibat forma corporis, & operabatur anima, uitalis etiam uigor reliquæ uirtutis. Repleta erat terra germinibus, mare impletũ animantibus. Ibi inſenſibilia pullulant, hic ſenſibilia uerſantur. In terris quoꝙ aqua ſuas ſibi uindicat portiones. Lambunt terram piſces aquarum, & ex ea ſibi prædam requirunt. Culices quoꝙ & ranunculi circa genitales ſtrepunt paludes, & ipſæ audierunt domini mandatum, dicentis: Producant aquæ reptilia animarum uiuentium.] Scimus reptilia dici Ibidem
genera ſerpentũ, eò quod ſuper terram repant: ſed multo magis omne quod natat, reptandi habet uel ſpeciem uel naturã. Nam etſi in profundum qui ſe demerſerint, aquam uideantur findere: tamen cum ſupra innatant, repunt toto corpore, quod trahunt ſuper quædam dorſa aquarum. Vnde & Dauid ait: Hoc mare magnum & ſpacioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus. Quinetiam cum pleraꝙ pedes habeant, & ambulandi uſum, eò quod ſint amphibia, quæ uel in aquis uel in terris uiuant, ut ſunt focæ, crocodi- Pſal. 103

li, equi fluuiales, quos hippopotamos uocant, eò quod hi generentur Nilo in flumine, tamen cum in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant: nec uestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tanquam remo ad reptandum. Siquidem & nauis acta remis labitur, & aquas sulcat carina.

De uirtute huius sermonis: Producãt aquæ reptilia. Et quod multo plura in mari quàm in terra sint. De singulari quoq; aquarum gratia, quæ ex uiuentibus in ipsis declaratur. Caput II

PRoducant aquæ reptilia, dixit dominus. Breuis sermo, sed uehemens, & late patens, cõmunem minimis & maximis naturam infudit. Eodem momento producitur balena, quo rana: eiusdem ui operationis nascitur. Non laborat in maximis deus, non fastidit in minimis. Nec doluit natura parturiens delphinas, sicut non doluit cum exiguos murices cochleasq; produceret. Aduerte ô homo quanto plura in mari quàm in terris sint. Numera si potes omnia piscium genera, uel minutorũ, uel etiam maximorum: sepias, polypos, lithostracos, carabos, cancros, & in his innumerabilia sui generis. Quid dicam genera serpentium, dracones, murænas, anguillas? Nec prætermittã scorpios, ranas, testudines, mustelas quoq;, & canes maritimos, uitulos marinos, cete immania, delphinas, focas, leones. Quid attexam etiam merulas, turdos, pauos quoq;, quorum etiam colores in auibus uidemus expressos: ut nigri merulæ, pauí diuerso colore dorsa & colla depicti sint: turdi aluo uarij, & cætera quorum sibi terræ species & nomina uindicarunt? Nam prius in mari ista cœperũt, diuersisq; fluminibus. Siquidem aqua prior animarũ uiuentium reptilia diuino nutu imperata produxit. Adde hanc gratiam, quòd ea quæ timemus in terris, amamus in aquis. Etenim noxia in terris, in aqua innoxia sunt: ut ipsi angues uenenosi in terris, sine ueneno in aquis. Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus. Muræna, quam ferunt aliquid habere noxium, esca pretiosior est. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus ferè præstat alimentis. Plura si quis uult cognoscere, à diuersis locorũ piscatoribus quærat. nemo enim potest omnia comprehendere. Canes sanè & in mari caue, quos & in ecclesia molestos esse & cauendos Apostolus docet, dicens: Cauete canes, cauete malos operarios. Mustelę gratuis in terris odor, in aquis suauis. Terrena se nouit uindicta fœtoris ulcisci: hæc non minorem habet gratiam capta, quàm libera. Neq; te inhonoratum nostra prosecutione tymalle dimittam, cui à flore nomen inoleuit: seu Ticini unda te fluminis, seu amœni Atesis unda nutrierit, flos es. Deniq; sermo testatior, quod de eo qui gratam redolet suauitatem, dictum facete sit, Aut piscem olet, aut florẽ: ita idem pronũciatus est piscis odor esse qui floris. Quid specie tua gratius? Quid suauitate iucundius? Quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras. Quid lòquar coruorum, quid etiam luporum tenerítudines? Nescit hos lupos agnus timere. Tanta est aquarũ gratia, quarũ uitulos fugiũt & leones, ut his propheticũ illud dictũ de Ecclesię sanctitate iure cõueniat: Esa. 65 Tunc lupi & agni simul pascentur, leo & bos simul paleas manducabunt. Nec mirum, quandoquidem etiã in ecclesia aquæ illud operantur, ut prædonũ abluta nequitia cum innocentibus cõparentur. Quid etiam purpuras memorẽ, quæ ornant regũ conuiuia, amictus imbuũt? Aquarũ est igitur quod in regibus adoratur: aquarũ est species illa quæ fulget. Adde porcos marinos etiam ludæis gratos: quia nihil est cõmune quod nõ aqua abluat, & ideo communes eos sicut in terra editos æstimare non possunt.

De piscium generibus.

De leone aquatili.

De Muræna.

De Rana.

De Cane. Philip. 3

De Mustela.

De Tymallo.

De multis ac diuersis piscium generibus & usibus: de pietate, successionis puritate, & pudicitia ipsorum, ac reprehensione hominis cõmixtionem diuersorum seminum in animalibus procurantis. Caput III

INumeri itaq; usus, innumera genera piscium. Alij oua generãt, ut ij quos tructas uocant, & aquis fouenda cõmittunt. Aqua igitur animat & creat, & adhuc mandati illius primi tanquã legis perpetuæ munus exequit, blanda quædam mater animantium. Alij uiuos fœtus edunt de suo corpore, ut mustelæ, & caniculæ, & cete ingentia: delphines & focæ, aliaq; cætera huiusmodi. Quæ cum ediderint partus, si quid fortè insidiarum terroriscq; præsenserint circa catulos suos quemquã moliri, quo tueantur eos, uel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio partus suos dente suspendere, interno quoq; recipere corpore, & genitali

nitali feruntur aluo abscondere. Qui humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Oscula nobis satietati sunt, illis non satis est aperire uiscera, natosq; recipere, ac reuocare integros, atque iterum fotu quodam eos sui caloris animare, & spiritu alere, duosq; in corpore uno uiuere, donec aut securitatem deferant, aut corporis sui obiectu natos suis defendant periculis. Quis hæc uidẽs, & si possit obtinere, non tantæ piscium pietati cedat? Quis non miretur & stupeat? Seruat natura in piscibus, quod non seruat in hominibus. Pleræq; ex suspicione nouercalibus odijs appetitos suos occiderunt filios: aliæ in fame, ut legimus, partus proprios comederunt. Humanis pignoribus mater sepulchrum facta est: piscium proli parentis est uterus sicut murus: uallo quodam internorum uiscerum pignora inoffensa conseruat. Diuersa igitur piscium genera diuersos usus habent: alij oua generant, alij uiuos pariunt atq; formatos. Et qui oua generãt, non nidos texunt ut aues, non diuturni fotus laborem induunt, nõ cum molestia sui nutriunt: Cecidit ouum, quod aqua gremio quodam naturæ suæ quasi nutrix blanda suscepit, & animal celeri fotu reddidit. Continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit. Tum deinde quàm pura & inuiolata successio? Nullus alteri, sed generi suo miscetur: Tymallus tymallo: Lupus lupo. Scorpena quoq; castitatem immaculati connubij generi suo seruat. Itaq; habet pudicitiam generis sui, sed uenenum generis sui non habet. non enim percutit Scorpena, sed reficit. Nesciunt igitur alienigenarũ genera piscium adulterina contagia, sicut sunt ea quæ coeunt asinorum equarumq; inter se genera, quæ magna cura hominum perpetrantur: uel rursus cum equus asinæ miscetur: quæ sunt uera adulteria naturæ. Nam utiq; maius est quod in naturæ colluuionem committitur, quàm quod in personæ iniuriam. Et homo ista procuras, interpres adulterij iumentalis: & illud animal preciosius putas, quod adulterinum, quàm quod uerum est? Ipse genera alia confundis, diuersaq; misces semina, atq; ad uetitos coitus plerumq; cogis inuitos, & hoc industriam uocas? Hoc quia de hominibus facere non potes, ut diuersi generis commixtio fœtum possit excudere, tollis homini quod natus est, & uirum de uiro exuis: abscissaq; corporis parte, sexum negas, spadonem efficis: ut quod negauit natura in hominibus, impleret audacia. De Scorpena

De bonitate matris aquæ in pisces suos, atq; exhortatione hominis ut ex hoc discat quæ sit parentis & filiorum necessitudo. Quodq; propria natura, specialis usus, ac separata quædam à cæteris uiuendi substantia sit piscium. Caput IIII

QVam bona autem mater sit aqua, etiam hinc considera. Tu ô homo docuisti abdicationes patrum in filios, separationes, odia, offensas: disce quæ sit parentis & filiorum necessitudo. Viuere pisces sine aqua non queunt, nec à sui parentis consortio separari, neque à suæ altricis discerni munere: & fit hoc natura quadam, ut separati moriantur illico. Neq; enim ut omnia huius aeris uiuunt spiramine, quia hauriendi spiritus & respirandi natura his non suppetit: alioquin sub aquis semper non possent uiuere, non capientes spiritus infusionem. Quod est nobis spiritus, illis est aqua. Sicut nobis spiritus, ita illis aqua uiuendi ministrat substantiã. Nos intercluso cõmeatu spiritus, quia nec breui quidem spatio possumus exortes esse spiritus uitalis, statim extinguimur: pisces quoq; sublati de aqua, sine substantia sui uiui esse non possunt. Et caussa manifesta est, quoniam nobis pulmo per thoracis laxiora penetralia recipit spiritum: & cum sit ipse plerisq; penetrabilis, spiritus infusione interiorem calorem refrigerat. Thorax enim ut suscipit alimenta, ita superflua ciborum, & succos salubres, sanguinemq; discernit. Fit pulmo peruius, unde facilius ad eum potest aspiratio spiritus peruenire. Pisces uero branchias habent, quas nunc plicant & colligunt, nunc explicant atque aperiunt. In hanc ergo collectionem & apertionem dum suscipitur aqua, & transmittitur ac penetrat, respirationis munus uidetur implere. Propria igitur natura est piscium, nec communis cum cæteris, specialis usus, & à cæteris uiuendi quædam separata & secreta substantia. Propterea non nutriuntur, neq; ut terrena animalia manus humanæ tactu & alimento & delinimento aliquo delectantur, sed etiam si seruantur, in uiuarijs suis uiuunt.

De dentibus ac uiolenta piſcium auaritia ſe inuicem deuorantium. Et quòd in ſignum facti ſint, ut in ijs noſtrorum morum uitia uideamus, exemplaq; caueamus. Quòd præterea homo ſit piſcis, ex pulchræ comparationis inductione, & ad pericula cauenda diligenti admonitione. Caput V

Vid autem de denſitate dicam dentiũ? Non enim ut bos aut ouis ex una parte dentes habẽt, ſed utraq; pars armata eſt dẽtibus, quia in aqua ſunt: etſi diutius cibũ uerſarent, & nõ cito tranſmitterẽt, aquarũ alluuione de dentibus eorũ eſca poſſet auferri ac dilui. Ideo denſos & acutos habẽt, ut cito incidant, cito conficiant, cibũ facilè & ſine aliqua mora & dilatione tranſmittãt. Deniq; nõ ruminant. ſolus tamen ſcarus in his ruminare perhibeẽ: ut ferunt, quibus aut euẽtus, aut uſus fuit, aut ſtudium talia cõprehendere. Sanè nec ipſi à ſuis potẽtiæ euaſere uiolentiam, & auaritiæ potentiorũ ſubiecti ubiq; inferiores ſunt. Quo quiſq; infirmior, eo prædæ patet. Et pleriq; quidem herbis paſcunt, ac minutis uermibus. Sunt tamen qui inuicẽ ſe deuorent, & ſua carne paſcant. Minor apud illos eſca maioris eſt: rurſus ipſe maior à ualidiore inuaditur, & fit eſca alterius, prædator alieni. Itaq; uſu uenit, ut cum ipſe alium deuorauerit, ab alio deuoretur: & in unũ uentrẽ uterq; ueniat cum uoratore proprio deuoratus: ſitq; ſimul in uno uiſcere prædæ uindictæq; cõſortium. Et ipſis poſtea ſponte hæc accreuit iniuria, ſicut in nobis nõ ex natura cœpit, ſed ex auaritia. Aut quia ad uſum hominũ dati ſunt, in ſignũ quoq; facti ſunt, ut in his noſtrorũ morũ uitia uideremus, & caueremus exempla, ne quis potior inferiorẽ inuaderet, daturus in ſe potentiori exemplum iniuriæ. Itaq; qui alterũ lædit, ſibi laqueum parat, in quẽ ipſe incidat. Et tu piſcis es, qui uiſcera inuadis aliena, qui demergis infirmũ, qui cedentẽ perſequeris uſq; in profundum. Caue ne dum illum ſequeris, incidas ipſe in ualidiorẽ: & deducat te in alienas inſidias, qui tuas uitat, priuſq; tuam ſpectet ærumnã, qui te perſequente propriam reformidabat. Quid intereſt inter diuitẽ improbæ cupiditatis ingluuie abſorbentem infirmorũ patrimonia, & ſilurũ de minorũ piſcium uiſceribus aluum replentem? Defunctus eſt diues, & nihil ei ſua ſpolia profuerunt: imò magis eum rapinarũ ſuarum deteſtabiliorem fecit infamia. Captus
De Siluro eſt ſilurus, & inutilis præda detecta eſt. Quanti in eo reperiũtur qui alios deuorauerũt? Et tu diues habes in ſinu tuo alterius prædatorẽ. Ille habebat facultates pauperis, quas inuaſerat: tu eum opprimens, duo patrimonia tuis facultatibus addidiſti: & adhuc tanto non ſatiaris augmento: & dicis quòd alios uindicaueris, cum eadem cõmittas quæ ulciſceris: iniuſto iniuſtior, & iniquo iniquior, auaro auarior. Vide ne idem te qui piſcem illum finis inueniat: hamum caue, caue retia. Sed præſumis de potentia, quòd nemo tibi poſſit reſiſtere. præſumebat & ſilurus quòd hamũ nemo ſibi iaceret, nemo retia tenderet: & ſi incidiſſet, uniuerſa dirumperet: & tamen fuſcinam nõ euaſit, aut nexus uinculi ualidioris incurrit, quibus ſe non poſſet exuere. Sine dubio & hominum iniquitas quo grauiora commiſerit, eo magis ſcelere ſuo tuta eſſe non poterit, quin aliquando diſſoluat quod ſcelerum precio conſtat difficilè poſſe uitari.

Quòd homo ſit piſcis ex Euangelicę ueritatis atteſtatione. Quod etiam boni & mali piſces ſint, cum exhortatione ut bonus piſcis hamum, retia, ac ſinum Petri non timeat, qua ratione præterea Euangelium pro mari poſitũ ſit. Caput VI

Matth. 13 Iſcis ergo es ô homo. Audi quia piſcis es: Simile eſt regnum cœlorum retiP miſſo in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Cum autem eſſet impletum, duxerunt id ad littus, & ſedentes elegerunt optimos in uaſis ſuis, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſeculi: Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis. Sunt ergo boni & mali piſces. boni ſeruantur ad precium, mali ſtatim ardent. Bonum piſcem nec retia inuoluunt, ſed eleuant: nec hamus internecat atq; interficit, ſed precioſi uulneris perfundit ſanguine: in cuius oris confeſſione bonum precium reperitur, quo tributum Apoſtolicum, & cenſus Chriſti poſſit exolui. Sic enim ſcriptum eſt, dicente domino: Reges ter-
ibidem 17 ræ à quibus accipiunt tributum uel cenſum? A filijs ſuis, an ab alienis? Et reſpondente Petro, Ab alienis, ait dominus: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ibi ſtaterem. illum ſumens, da eis pro me & te. Noli igitur ô bone piſcis Petri hamum timere. non occidit, ſed conſecrat. Noli

quaſi

quasi uilem te contemnere, quia uides corpus infirmum. habes in ore tuo quod & pro Petro & pro Christo offeras. Noli timere Petri retia, cui dicit Iesus: Duc in altum, & laxate retia. Nō enim in sinistram partem mittit, sed in dexteram, sicut iussus à Christo est. Noli timere sinum eius, quia dictum est ei: Ex hoc eris homines uiuificans. Ideo misit retia, & complexus est Stephanū, qui de Euangelio primus ascendit, habens in ore suo stateram iustitiæ. Vnde confessione constanti clamauit dicens: Ecce, uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram dei. Pro hoc pisce stabat dominus Iesus. scie bat enim esse in ore eius precium sui census. Denicp glorioso martyrio & Petri iudicium atcp doctrinam, & Christi gratiam locuples assertor impleuit. *Luce 5* *Acto. 7*

De instructiua admonitiōe hominis, quia piscis est, ut super undas exiliat, & pericula caueat, astutiam serpentiū imitando: Quodcp astuti simus circa quærenda & obseruanda cōiugia, ex pulcherrimi exempli de uipera adaptatione. Cap. VII

Ec te moueat quòd pro mari Euangelium posui. Euangeliū est, in quo Chri-
N stus ambulauit: Euangelium est, in quo licet titubauerit Petrus, non tamē negauit, quando per dexteram Christi fidæ munimentū stationis inuenit: Euangelium est, de quo martyr ascendit: Euangelium est mare, in quo piscantur apostoli, in quo mittitur rete quod simile est regno cœlorum: Euangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria: Euangelium est mare, in quo Hebræus euasit, Aegyptius interemptus est: Euangelium est mare, in quo est sponsa Christi ecclesia, & diuinæ gratiæ plenitudo, quæ supra maria fundata est, sicut dixit propheta: Ipse super maria fundauit eam. Exili super undas ô homo, quia piscis es: nō te opprimant seculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altū & profundum: si serenitas, lude in fluctibus: si procella, caue à scopuloso littore, ne te in rupē furens æstus illidat. Scriptū est enim: Estote astuti sicut serpētes. Et quia de serpentibus astutis propositū exemplum est, simus astuti circa quærenda & seruanda cōiugia, diligamus tributa nobis consortia. Et si ij qui longinquis fuerāt ortus sui tempore regionibus separati, inter se cōuenerint, & si uir ad peregrina contenderit, nulla longinquitas, nulla absentia cōplacitam minuat charitatem. Eadem lex præsentes absentescp connectat, idem naturæ uinculum inter distantes & consistentes coniugalis charitatis iura constringat: eodem iugo benedictionis utriuscp colla socientur, etiam si alter obeat separatarū regionum longa diuortia: quia non corporis ceruice, sed mentis, iugum gratiæ receperunt. Vipera nequissimum genus bestiæ, & super omne quod serpentini est generis astutior, ubi coeundi cupiditatem assumpserit, murænæ maritimæ no tam sibi requirit copulam, uel nouā præparat: progressacp ad littus, sibilo testificata præsentiam sui, ad coniugalem amplexū illam euocat. Muræna autē inuitata nō deest, & uenenatæ serpēti expetitos usus suæ impertit cōiunctionis. Quid sibi uult sermo huiusmodi, nisi ferendos esse mores coniugū: etsi absens est, eius operiendam præsentiam: sit licet asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus? Quid peius ueneno, quod in coniuge muræna nō refugit? Vocata nō deest, & serpentis lubricum sedula charitate cōplectitur. ille tua mala portat, & leuitatis fœmineæ facilitatem: tu uirū tuum nō potes ô mulier sustinere? Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam. Quem uocauit ad culpam mulier, iustum est ut eum gubernatorem assumat, ne iterū fœminea facilitate labat. Sed horridus & incultus est. Semel placuit. Nunquid uir frequēter est eligendus? Comparē suū & bos requirit, & equus diligit: & si mutetur alius, trahere iugū nescit compar alterius, & se non totū putat. Tu iugalem repudias tuum, & putas sæpe mutandum: etsi uno defuerit die, suspicaris riualem: & statim incognitam, quasi cognitam pudoris exequeris iniuriam. Vipera absentē requirit, absentem uocat, & blando proclamat sibilo: atcp ubi aduentare comparem senserit, uenenum euomit, reuerentiam marito deferens, uerecundata nuptialem gratiam: tu mulier aduenientem de longinquo maritū contumelijs repellis. Vipera mare prospectat, explorat iter coniugis: tu iniurijs uiam uiro obstruis: tu litium moues uenenū, non reijcis: tu coniugalis amplexus tempore dirum uirus exæstuas: nec erubescis nuptias, nec reuereris maritū. Sed etiam tu uir, (possumus enim etiam sic accipere) depone tumorē cordis, asperitatē morum, cum tibi sedula uxor occurrit: propelle indignationem, cum blanda coniux ad charitatem prouocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te deus uo- *Matth. 10* *De uipera*

luit esse sexus inferioris, non præpotentẽ. Redde studio uicem, redde amori gratiã. Vipera uenenũ suum fundit: tu nõ potes duritiam mentis deponere? Sed habes naturalem rigorẽ: debes temperare eum cõtemplatione coniugij: reuerentia cõiunctionis. Potest & sic: Nolite quærere uiri alienũ thorũ, nolite insidiari alienæ copulæ. Graue est adulterium, & naturæ iniuria. Duos primũ deus fecit, Adam & Euam: hoc est, uirũ & uxorem. Et uxorẽ de uiro, hoc est de costa Adam: & iussit ambos esse in uno corpore, & in uno spiritu. Quod unũ separas corpus, unũ diuidis spiritum: naturæ adulterium est. Sed hoc docet murænæ & uiperæ, non iure generis, sed ardore libidinis expetitus amplexus. Discite ô uiri, qui alienã permolere quærit uxorẽ, cuius serpentis sibi ascíscere cupiat contuberniũ, cui etiam cõparandus ipse serpenti sit. Festinat ad uiperam, quæ se in gremiũ uiri nõ directo tramite ueritatis, sed lubrico deuij amoris infundit. Festinat ad eam, quæ uenenũ suũ resumit: ut uipera, quæ fertur peracto coniunctionis munere, uenenũ quod
Prouerb. 23 euomuerat, rursus haurire. adultera enim uipera est. Vnde & Salomon ait quod is qui fuerit temulentus, cum per uinum libido feruere consueuerit, tanquam à colubri ictu extenditur, & tanquã à cornuta diffunditur illi uenenũ. Et ut scias quòd de adultera dixit, adiecit: Oculi tui cum uiderint alienam, os tuũ loquitur peuersa. Nec quisquã uelut contraria posuisse nos credat, ut & ad bonum, & ad malum uiperæ huius exemplo uteremur, cum ad institutionem utrumq; proficiat, si erubescamus aut fidem non exhibere dilecto, cui exhibet serpens: aut relinquentes sancta coniugia, lubrica & nocitura salutaribus præferamus: quod facit qui cum serpente miscetur.

De fraudulento ingenio polypi, & astutia cancri ad cibum prædandum: notatione quoq; hominũ qui simili ingenio ac fraude alios circunuenire & decipere nituntur: cum persuasiua adhortatione ut homo proprijs sit contentus, alienisq; damnis non pascatur. Caput VIII

E T quia de astutia cœpimus sermonẽ subtexere, qua unusquisq; fratrem suum circunuenire & decipere nititur, & in nouas se fraudes cõponere: ut quem ui obtinere nõ potest, circunscribat dolo, & fuco quodam artis obducat: frau-
De polypo dulentum illud polypi ingeniũ non præteribo, qui uadoso in littore petram nactus, affigit ei: atq; eius nebuloso ingenio colorẽ subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine ulla suspicione fraudis allapsos, dum notã nõ præcauent, & saxũ opinantur, cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodã suæ carnis intercipit. Sic spontanea uenit præda, & talibus capitur argumẽtis: qualia sunt eorũ qui ingeniũ suum sæpe cõmutant, & diuersas nocendi artes mouent, ut singulorũ mentes sensusq; pertentẽt, cum cõtinentibus continentiã prædicantes, in cœtu intemperantiũ tanq; deuij ab studio castitatis, & demersi intẽperantiæ uolutabris: ut qui eos audiunt aut uident, incauta facilitate se credant: eoq; citius labunt, dum distinguere nõ norunt, nec cauere quod noceat: dum grauior sit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata uelamine. Et ideo cauendi sunt qui crines suæ fraudis, & brachia longè lateq; dispergunt, uel speciẽ induunt multiformẽ. Et isti enim polypi sunt, nexus plurimos habẽtes, & callidorũ ingeniorũ uestigia,
De cancro quibus irretire possint quicquid in scopulos sitæ fraudis inciderit. Cancer quoq; quas cibi gratia præstigias struit? nãq; & ipse ostreo delectatur, & carnes eius epulũ sibi quærit. Sed quia ut appetẽs cibi, ita prospiciens est periculi: quoniã cum difficilis est uenatio, tũ periculosa: (difficilis, quia testis ualidioribus esca interior includit. nam uelut muris qui busdam mollitiẽ carnis præcepti imperialis interpres natura muniuit: quã medio testarũ quodã sinu cõcauo nutrit ac fouet, & quasi in quadã ualle diffundit: & ideo cassa omnia tentamẽta sunt cancri: quia aperire clausum ostreũ nulla ui potest: & periculosum est si chelas eius includat) ad argumẽta confugit, & insidias noua fraude molit. Itaq; quia omnia genera delectatione mulcent, explorat siquando ostreũ remotis in locis ab omni uento cõtra Solis radios diptychũ illud suũ aperiat, & reseret claustra testarũ, ut libero aere uisceris sui uolupratẽ quandã capiat: & tunc clanculo calculũ immittẽs, impedit conclusionẽ ostrei, ac sic aperta claustra reperiens, tuto inserit chelas, uisceraq; interna depascitur. Sunt ergo homines qui cancri usu in alienæ usum circunscriptionis irrepãt, & infirmitatẽ propriæ uirtutis astu quodam suffulciant, fratri dolum nectant, & alterius pascantur ærumna. Tu aũt proprijs esto contentus, & aliena te damna non pascant. Bo-

nus

nus cibus est simplicitas, innocentiæ suæ bona habens: insidiari nescit alienis, nec auaritiæ facibus inardescit: cui lucrum omne ad uirtutem dispendium est, ad cupiditatẽ incendium. Et ideo beata est, si bona sua nouerit cum ueritate paupertas, & omnibus prę ferenda thesauris: quia melius est exiguũ cum dei timore, cꝫ thesauri magni sine timore eius. Quantũ est enim quod hominẽ alat? Aut si quæris quod etiam alijs abundet ad gratiã, id quoꝙ non multum est. Melior enim est hospitalitas in oleribus cum gratia, quam uitulorũ pinguium præparatio cum discordia. Vtamur ergo ingenio ad quærendam gratiam, & salutem tuendam: non ad alienam circunscribendam innocẽtiam. Licet nobis uti exemplis maritimis ad profectum nostræ salutis, non ad alienum periculum.

De prę scientia Echini maritimi, futuram tempestatẽ aut tranquillitatẽ nauigantibus prę nunciantis: & unde tam exiguum animal hoc munus acceperit. Ac de indulgentiæ dei creatoris ingenti præconio. Caput IX.

E Chinus animal exiguum, uile ac despicabile, maritimũ loquor, plerũꝙ index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis adnuncius solet esse nauigantibus. Deniꝙ cum procellam uentorũ prę senserit, calculum ualidum arripit: eumꝙ uelut saburram uehit, & tanquam anchorã trahit, ne excutiatur fluctibus. Itaꝙ nõ suis se librat uiribus, sed alieno stabilit & regit pondere. Quo indicio nautæ uelut signũ futuræ perturbationis capessunt, & sibi præcauent, ne eos imparatos turbo improuisus inueniat. Qui Mathematicus, qui Astrologus, quiue Chaldæus sic potest siderum cursus, cœli motus & signa comprehendere? Quo ingenio ista collegit? quo doctore percepit? quis ei fuit tanti interpres augurij? Sæpe homines confusionem aeris uident, & sæpe falluntur, quod plerumꝙ ea sine tempestate discutiatur. Echinus non fallitur, echinum sua nequaquã signa prætereunt. Vnde exiguo animali tanta scientia, ut futura prænunciet? Quo magis in eo nihil est, quo tantã possit habere prudentiã, credo quod per indulgẽtiã domini rerũ omniũ id quoꝙ prę scientię huius munus acceperi. Etenim si fœnum deus sic uestit, ut miremur: si pascit uolatilia: si parauit coruis escam: pulli enim eius ad dominũ clamant: si mulieribus dedit texturæ sapientiam: si araneam, quæ tam subtiliter ac docte laxos casses suspendit in foribus, sapientiæ non reliquit immunẽ: si ipse uirtutem equo dedit, & soluit de ceruice eius formidinẽ, ut exultet in campo, & occurrens regibus irrideat, odoretur bellum eminus, excitetur sono tubæ: si hæc irrationabilia pleraꝙ, & alia insensibilia, ut fœnũ, ut lilia, repleuit suæ dispositione sapientiæ: quid dubitamus, quod etiam echino contulerit huius gratiam præscientiæ? Nihil enim inexploratũ, nihil dissimulatũ reliquit. Omnia uidet, qui pascit omnia: omnia replet sapientia, qui omnia in sapientia fecit, ut scriptũ est. Et ideo si echinũ uisitationis suæ exortem nõ prętermisit, si eum considerat, & futurorum informat indicijs, tua nõ considerat? Imò uero considerat, sicut testatur eius diuina sapientia dicens: Si respicit uolatilia, si pascit illa, nonne uos pluris estis illis? Si fœnũ agri, quod hodie est, & cras in ignem mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos modicæ fidei? De Echino. Matth. 6

Quod unumquodꝙ genus piscium præscripta sibi habeat domicilia, cum increpatione humanæ auiditatis. Qua ratione etiam quædam genera quandoꝙ mutent loca, & unde hoc habeant ingenium. De specialibus quoꝙ aliquorum piscium uirtutibus. Caput X.

N uero sine quadam dote naturæ manere piscibus etiam illam putamus
A gratiam, quod unumquodꝙ genus piscium præscripta sibi domicilia habet, quæ sui generis nullus excedat, non incurset alienus? Quis geometra his diuisit habitacula, nullis rumpenda temporibus? Sed geometrã audiuimus, thalassometram nunquã audiuimus, & tamen pisces mensuram suam norunt: non muris urbium, portisꝙ præscriptam, non ædificijs domorũ, non agrorum finibus limitatam, sed mensuram eius quod oporteat, ut tantum satis sit unicuiꝙ quantum ad usum abundet, non quantũ auiditas quædam immoderata sibi uindicet. Lex quædam naturæ est, tantũ quærere quantum sufficiat ad uictum, & alimentorũ modo sortem censere patrimonij. Hoc genus piscium in illo sinu maris alitur & gignitur, illud in alio. Denique non reperies confusa genera piscium, sed quod hic abundat, alibi deest. Et iterũ ille sinus maris cephalos alit, lupos ille: ille saxatiles, locustas alius. Non est libera uagandi potestas, nec tamen

tamen intercluſa montibus copia, aut fluuijs interlabentibus tranſitus impeditur, ſed uſus naturæ impreſſus tanquam patriæ finibus unumquemq; ſe retinere, & ultra incolas prodire ſuſpectum. At nobis longè alia ſententia eſt, mutare exilio domos, incolarũ faſtidio teneri, aduenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos, quos poſuerũt patres noſtri, agrum ad agrum iungere, domum ad domũ. Deficit terra hominibus, ſternuntur & maria. Rurſus pro ſingulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, ut inſulas faciant, ut poſſideant freta, ſpatia maris ſibi uindicant iure mancipij, piſciumq; iura ſicut uernaculorum conditione ſibi ſeruitij ſubiecta commemorant. Iſte, inquit, ſinus maris meus, ille alterius. Diuidunt elementa ſibi potentes. His oſtreæ in fluctibus nutriuntur, his in uiuario piſcis includitur. Luxuriæ nec mare ſufficit, niſi apothecas habeant oſtrearum. Itaq; ætates earum numerant, & piſcium receptacula inſtruunt, ne conuiuia diuitis mare nõ poſſit implere. Nam uicini nomen quibus audiunt auribus? quibus oculis intuentur poſſeſſiones eorum? Quemadmodum dies noctesq; excogitant ut aliquid proximi auferant? Nunquid ſoli habitabitis ſuper terram? clamat Propheta. Cognoſcit hæc dominus, & uindictæ reſeruat. Quantũ aliena à piſcibus auiditatis rapina? Illi naturalia captant ſecreta, & ultra terminos orbis terrarum mare norunt, quod nullæ interpolant inſulæ, nec terra aliqua interiacet, uel ulterius ulla ſit poſita. Illic igitur ubi diffuſum late mare omnem ſpectandi uſum, utilitatis gratia nauigandi intercludat auda-

Eſa. 5

De Cetis.

ciam, condere ſe feruntur cete, illa immenſa genera piſcium, æqualia montibus corpora, ut tradiderunt nobis qui uidere potuerunt: illic quietum æuum exigunt, diſcreta ab inſulis, & ab omnibus maritimarũ urbium contagijs ſeparata. Habent ſuas regiones, & habitacula diſtributa, manent in his inoffenſo uicinorum limite, nec uago tranſitu mutationes quærunt locorum, ſed tanquam patrium ſolum diligunt, & in his immorari dulce arbitrantur. Quæ ideo elegerunt, ut ſolitariam uitam remota poſſint arbitrorũ interpolatione tranſigere. Sunt tamen aliqua genera piſcium qui non ingenij facilitate loca mutent, ſed fouendi partus neceſſitate, quæ opportuno atq; legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis à diuerſo ſinu maris innumeri uelut cõmuni conſilio conuenientes, coniuncto agmine Aquilonis flatus petunt: & ad illud ſeptentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas, ſi aſcendentes uideas, rheuma quoddam eſſe, ita proruũt, fluctusq; interſecant, per Propontidem in Euxinum Pontum uiolento impetu profluentes. Quis piſcibus hæc annũciat loca, præcepta, tempora? Quis tribuit diſpoſitionem uiandi, comitandi ordinem, metas, & tempora reuertendi? Homines ſuũ imperatorẽ habent, cuius expectatur imperiũ, procedit teſſera, proponũtur edicta prouincialibus, ut conueniant, Tribunis militum literæ diriguntur, dies ſtatuitur, & plericq; ad dies ſtatutos occurrere non queunt. Quis imperator piſcibus præceptũ dedit? Quis doctor hanc tribuit diſciplinam? Qui metatores itinera diſponunt? Qui duces iter dirigunt, ut nullius deſit occurſus? Sed agnoſco quis ille ſit imperator, qui ordinatione diuina ſenſibus uniuerſorũ ſuũ infundat imperiũ, qui tacitus mutis animantibus naturalis diſciplinæ ordinẽ tribuat: nec ſolũ magna penetret, ſed etiã per minima queq; ſe fundat. Diuinæ legi piſcis obſequit̃, & homines cõtradicunt. Piſcis ſolenniter obaudit mandata cœleſtia, & homines irrita faciunt dei præcepta? An cõtemptibilis tibi uidetur, quia mutus eſt, rationiſq; expers? Sed uide ne tu tibi magis incipias eſſe cõtemptui, ſi irrationabilior deprehendaris. Quid aũt rationabilius hoc piſcium tranſitu, cuius rationẽ quidem uerbis non explicant, ſed factis loquuntur? Pergunt enim æſtatis tempore ad fretũ Ponti, eò quòd reliquo maris ſinu hic ſinus dulcior ſit. Non enim tamdiu Sol eo freto, quamdiu cæteris immoratur: eaq; fit cauſſa ut non omnẽ aquam exhauriat quæ dulcis atq; potabilis eſt. Quis autem ignorat quòd etiam ea quæ maritima ſunt, aquis plerumque dulcibus delectentur? Denicq; dum flumina ſequuntur, & ad ſuperiora aſcendunt, frequenter alieni piſces generis capiuntur in fluuijs. Cum hæc igitur cauſſa Pontum illis faciat gratiorem, uel quod æſtus temperet ſolennis illic flatus Aquilonis, tum opportuniorẽ cæteris iudicant in quo generare, & partus poſſint proprios enutrire: quòd teneri fœtus laborẽ alienæ regionis ferre uix poſſint, quos illic fouet aeris blanda clementia. Itaq; peracto munere omnes ſimul eo quo uenerãt agmine reuertunt. Quænam iſta ſit ratio, cõſideremus. Obiectus eſt Ponti ſinus Boreæ, cæterorumq; uentorum uiolentiſſimis

tissimis flatibus: unde grauis illic procella furit, & tempestates mouentur, ita ut de profundo arena uerratur: cuius rei fluctus arenosus indicio est, qui uentorũ motu insurgens altius, tum pondere grauior, haud dubiè non solùm nauigantibus, sed etiam maritimis ipsis animantibus intolerabilis habetur. Accedit illud, quod cõplurima & maxima Ponto flumina misceantur, cum hyberno tempore sinus ipse frigidiore torrentium rigescat allapsu. Propterea pisces tanquam arbitri fluentorũ, æstate illic aspirantis auræ clementiam captare consueuerunt, cuius amœnitate perfruiti, rursus hyemis aspera declinare contendunt, & Septentrionalis plagæ sæua fugientes, in reliquos se sinus conferunt, in quibus aut uentorum mollior sit placiditas, aut Solis soleat uernare temperies. Nouit igitur piscis pariendi tempus, quod pro magno mysterio dixit Salomon in Sapientia: nouit tempus eundi atq; redeundi, nouit tempus perfunctionis & iactationis, & nouit ut non queat falli: quia non rationis æstimatione, & disputationis argumẽto utitur, sed inspiratione naturæ, quæ uera est magistra pietatis. Denicq; omnia animantia præscripta habent pariendi tempora, homo solus indiscreta atq; confusa. Reliqua genera clementiam temporis quærunt, mulieres solæ partus suos inclementer effundunt. Vaga enim & intemperans libido generandi, uagam pariendi ætatem exhibet. Pisces tanta maria transmittunt, ut utilitatẽ aliquam generi suo quærant. Nos quoq; diffusa æquora transfretamus. Sed quanto honestius quod successionis amore, quàm quod pecuniæ auiditate suscipitur? Denicq; illis ad pietatem, nobis ad quæstum transmissio deputatur. Illi sobolem præferunt omnibus mercibus chariorem, nos mercem longe imparem ad periculi uicem misera lucri cupidine reportamus. Itaq; illi patriam repetunt, nos derelinquimus. Illis nando incrementum generis acquiritur, nobis minuitur nauigando. Quis igitur neget diuinitus illis infusum ingenium esse huiusmodi atque uirtutem? cum uideat istos in Aquilonem tam solennem obeundæ fœcunditatis peregrinationem uiuaci ingenio componere, alios in exiguo corpore tantum ualiditatis assumere, ut maximas nauium plenis currentes uelis, in medijs fluctibus sistant: sicut breuis pisciculus Echeneis tanta facilitate memoratur nauem ingentem statuere, ut quasi radicatam mari hærere uideas, nec moueri. Aliquandiu enim immobilem seruat. An & huic putas sine creatoris munere tantum potuisse suppetere uirtutis? Quid gladios loquar, aut serras, aut canes maritimos, aut balenas, aut zigenas? Quid etiam turturis centrum, & hoc mortuæ? Sicut enim uiperæ os si quis calcauerit, recens dumtaxat, grauius quàm uenenum nocere perhibetur, & immedicabile uulnus serpere, ita etiam turtur aculeo suo mortua amplius quàm uiua periculi afferre memoratur. Lepusculus quoq; timidum animal in terris, in mari formidabile, citam, & quæ non facilè possit auferri, corruptelam inuehit. Voluit enim te creator nec in mari satis ab insidiantibus esse securum, ut propter pauca quæ noceant, quasi in excubijs positus, arma fidei semper & scutũ deuotionis accinctus, a domino tuo debeas salutis sperare præsidium.

De singulari Atlantici maris commendatione ex ijs quæ in ipso nascuntur aut fiunt, cum conclusione sermonis de piscibus. Cap. XI

Eniamus ad Atlanticum mare. Quàm ingentia illic & infinitę magnitudinis cete? quæ si quando supernatãt fluctibus, adnare insulas putes, montes altissimos summis ad cœlum uerticibus eminere. Quæ non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur uideri, ut eorũ conspectu nautę à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur, nec secreta elementorũ adire, supremæ terrore mortis usurpent. Sed iam assurgamus ipsi de profundo maris, & aliquantulũ sermo noster emergat, atq; ad superiora se subrigat. spectemus ea quæ usitata multis, & plena sint gratiæ, quomodo aqua in salis uertatur soliditatẽ, ut ferro sæpe cædatur: quod de Britannicis salibus nihil mirum, qui in speciem marmoris ualidi, eiusdem metalli niueo candore resplendent, salubres corporis cibo, & potui nimis grati. Quomodo etiam nõ indecorus lapis coralliũ in mari herba sit, si in aerẽ transferatur, lapidis firmitate solidet. Vnde etiam ostreis preciosissimam margaritam natura infixerit, quomodo eam maris aqua in tam molli carne solidauerit. Quæ difficile apud reges inueniuntur, ea in littoribus quasi uilis iacent alga, & in saxis asperis & cautibus colligunt. Aureũ etiam uellus aqua nutrit, & lanam in memorati speciem metalli gignũt littora, cuius colorem nullus

adhuc

adhuc eorum qui fucis diuersis obducunt uellera, imitari potuit: adeo naturæ maritimę gratiam humana implere nescit industria. Scimus qua solicitudine uellera ouium etiam minus preciosa curentur: sint licet optima, nequaquam tamen his fucus innascitur. Hic naturalis color est, quem nullus adhuc fucus æquauit: hoc quoq; piscis est uellus. Sed & ipsi murices qui insigne dant regium, sunt maritimi. Et quæ pratorum gratia, uel hortorum amœnitas potest cerulei maris æquiparare picturam? Aurum licet in pratis flores refulgeant, auri quoq; fulgorem in mari lana resplendet: & illi cito marcescunt, ista diu duratura seruatur. Lilia in hortis eminus nitent, uela in nauibus: Hic odor, illic uentus aspirat. Quæ utilitas in folio? In nauibus quanta cõmercia? Lilia suauitatem nariũ, uela hominũ salutem inuehunt. Adde pisces salientes, & delphinas ludentes: adde rauco sonantes fluctus murmure, adijce currentes naues ad littora, uel de littoribus exeuntes. Cum è carceribus mittuntur quadrigæ, quanto studio spectantium & amore certatur? Equus tamen inuanum currit, nõ inuanum nauigia. Ille inuanum, quia uacuus: ista ad utilitatem, quia plena frumenti. Quid ijs gratius, quæ non uerbere aguntur, sed uentorum spiramine: ubi nemo refragatur, sed omnes fautores sunt: ubi nemo uincitur quicunq; peruenerit, sed omnes puppes quæ peruectæ fuerint, coronantur: ubi palma merces salutis, uictoria precium regressionis est? Quantum etiam distat inter directos cursus ac reflexos? Isti perpetuantur, hi resoluuntur. Adiunge remis contexta littora, quibus uexillum exeundi aura de cœlo est. Itaq; aurigæ plausum inanem referunt, hi soluũt uota seruati. Quid de Iona dignũ loquar, quem cetus excepit ad uitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Emendauit aqua, quem terrena deflexerant: psallebat in utero ceti, qui mœrebat in terris. Et ut utriusq; redemptio non prætereatur elementi, terrarum salus in mari antè præcessit, quia signum filij hominis, signum Ionæ. Sicut iste in utero ceti, sic Iesus in corde terræ. In utroq; remedium, maius tamen in mari pietatis exemplum: quoniam exceperunt pisces, quem homines refutarunt: & quem homines crucifixerũt, pisces seruauerunt. Petrus quoque in mari titubabat, sed non labebatur: & confessus in fluctibus, negauit in terris. Itaq; illic quasi deuotus manu apprehenditur, hic quasi oblitus aspectu censorio conuenitur. Sed iam rogemus dominum, ut sermo noster quasi Ionas eijciatur in terram, ne diutius in salo fluctuet. Et bene iam exiuit cucurbita, quæ obumbret nos à malis nostris, sed & ipsa procedente sole arefacta admonet requiescendũ, ne interæstuare incipiamus ingenio, & nobis etiam uerba deficiant. Certè plus nobis quàm Niniuitis data est in aquis remissio peccatorum.

Matth. 12

Ibidem 14

Ionæ 4

De pulchra introductione sermonis de natura auium habendi. Caput XII

E T cum paululum conticuissem, iterum sermonem adorsus aio: Fugerat nos fratres dilectissimi necessaria de natura auium disputatio, & sermo huiusmodi nobis cum ipsis auibus euolauerat. Fit enim natura quadam, ut hi qui aliquid intuentur, uel dicendo exprimere uolunt, eorum qualitatem quæ uel intuentur uel loquuntur assumant, ut & cum pigrioribus immoremur, & cum uelocibus celeri rapiamur aspectu, stylo quoq; aut tardiore utamur aut rapidiore. Itaq; cum caueo ne mari demersa præteream, & aquis operta me lateant, effugit omne uolatile: quia dum inclinatus imos aquarum gurgites scrutor, aerios nõ respexi uolatus, nec umbra saltem pennæ me præpetis reclinauit, quæ in aquis relucere potuit. Verùm ubi omne negocium expeditum putaui, & absolutum me credidi, & diem quintum consummatũ arbitratus sum, uenit in mentem auium natura, quæ cum eunt cubitum, quasi peracto lætæ munere, æthera cantu mulcere consuerunt: quod uelut solenniter surgente & occidente die instaurare consuerũt, ut decursi uel adoriendi nocturni iuxta ac diurni temporis laudes suo referant creatori. Magnum igitur incentiuum excitandæ nobis deuotionis amiseram. Quis enim sensum hominis gerens, non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutissimæ aues solenni deuotione & dulci carmine ortus dierum ac noctium persequantur? Redeat igitur nobis uolaticus sermo, qui pene fuerat elapsus ex oculis, & aquilæ modo alta petens, uolatus suos obduxerat nubibus, nisi quia oculos abluti aqua dum de gurgite leuamur ad cœlum, speculati uacuum aeris uolatibus ferri, ad necessitatem styli putauimus esse reuocandum. Eritis uos iudices, qui estis aucupes uerbi, utrum consultius euolasset, an utiliter in nostra retia sit relapsus. Nec

uereor

uereor ne fastidium nobis obrepat in uolatilibus inquirendis, quod non obrepsit in gur gitibus perscrutandis: aut aliquis nobis in disputatione obdormiat, cum possit auium cantibus excitari. Sed profecto qui inter mutos pisces uigilauerat, non dubito quod inter canoras aues somnum sentire non possit, quin tali ad uigilandũ gratia prouocetur. Neq; uero uile putetur quod potuit præteriri, cum sit tertia pars in animantibus creaturæ. Tria enim genera animantium esse non dubium est, terrenum, uolatile, aquatile. Deniq; sic scriptum est: Producant aquæ reptilia animarum uiuentium secundum genus, & uolatilia uolantia super terrã secus firmamentũ cœli secundum genus.] Reuocamur ad superiora sicut obliuiosi uiatores, qui cum inconsulto præterierint, in sua reuertentes uestigia, incuriæ suæ mulctam repetito itineris labore suscipiunt. Est tamen etiam bonus uiator qui dispendium regressionis, reliqui itineris compendiosa celeritate compenset, ut mihi faciendum arbitror: maximè cum de auibus sermo sit, quæ solent oculos hominum uolatu properatiore perstringere. Quid enim conuenit ijs immorari, in quibus celeritas placere consueuit? Auius igitur atq; inusitatus in tali genere scriptionis sermo nos ster canoris auibus resonet ac resultet. Sed unde mihi cygnea carmina, quæ etiã sub graui mortis imminentis terrore delectant? Vnde mihi illos naturalis modulos catilenę, quibus etiam paludes sonoræ cantus edunt dulcissimi suauitatem? Vnde mihi uocẽ psitaci, dulcedinemq; merularum? Vtinam saltem luscinia canat, quę dormientem de somno excitet. Ea enim auis significare solet diei surgentis exortum, & effusiorem diluculo deferre lætitiam. Tamen si illorum suauitas deest, sunt gementes turtures, & raucæ columbæ, tum etiam cornix plena uoce pluuiam uocat. Vnde rurale auiarium sermone quo possumus, scientia quam nos rusticani docuerunt, persequamur.

Genes. 1

De ordine dicendorum, ac natura auium quæ circa aquas maris fluminumq; uersantur. Cap. XIII

E T quoniã de aquatilibus reptilibus diximus, arduũ est ut subito ad aues cœli sermo noster ascendat. Et ideo de ijs auibus prius dicamus, quæ circa aquas maris fluminumq; uersantur, cũ quibus possimus emergere. Itaq; ab halcyone sermonem adoriamur. Ea est auis maritima, quæ in littoribus fœtus suos edere solet, ita ut in arenis oua deponat medio fere hyemis. Nam id temporis fouendis habet deputatum partubus, quando maximè insurgit mare littoribus, uehementiorq; fluctus allidítur, quo magis repentinæ placiditatis solennitate auis huius eluceret gratia. Namq; ubi undosum fuerit mare, positis ouis subito mitescit, & omnes cadunt uentorum procellæ, flatusq; aurarum quiescunt, ac placidum uentis stat mare, donec oua foueat halcyon sua. Septem autem dies fotus sunt: quibus decursis educit pullos, fœtusq; absoluit: illicò alios quoq; septem dies adiungit, quibus enutriat partus suos, donec incipiant adolescere. Nec mireris tam exiguum nutrimenti tempus, cùm absolutio fœtuũ tam paucorum dierum sit. Tantam autem gratiam minuscula auis diuinitus indultam habet, ut hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos & halcyonidas uocant, quibus nullus motus procellosæ tempestatis horrescit. Nonne uos passeribus pluris estis? dominus ait. Si igitur auis minusculæ contemplatione & insurgit mare, & repente comprimitur, atq; aspera hyemis inter ingruentes procellas tempestatesq; uentorum detergit cœli nubila, fluctusq; componit elementis omnibus subito infusa tranquillitas: quantum præsumere debeas ô homo ad imaginem dei factus, agnoscis: si tamẽ auiculæ istius fidem studio deuotionis imiteris. Illa tempestates uidens insurgere, sæuire uentos, inter hyberni sæua non reuocatur neq; reflectitur, sed impellitur. Deniq; in littore sua oua constituit, ubi ea relabente fluctu madida adhuc arena suscipiat: nec insurgentes fluctus quos immurmurare atq; allabi uidet, reformidat. Et ne putes quòd ouorum uideatur habere contemptum, continuo ubi deposuerit oua, nidificat, & suo partus corpore fouet, nec saluti propriæ alluuione littoris pertimescit, sed secura de dei gratia, uentis se committit & fluctibus. Parum est hoc: Adiungit totidem alios ad nutriendum dies, nec interim turbari tot diebus infidi maris tranquillitatem ueretur, tentatq; meritum suum naturæ iam solennitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis aliquibus abscondit aut tectis, nec includit cauernis, sed nudo & rigenti committit solo, nec defendit à frigore, sed diuino fotu quo magis cætera despiciat, tutiores fore existimat.

De halcyone.

Luc. 12

Quis noſtrum paruulos ſuos non ueſtimentis tegat, tectisq; abſcondat? Quis non claudat eos ſeptis cubiculorum? Quis non ita diligenter undique feneſtras obſtruat, ne qua poſſit aura penetrare? Merito quos tam ſolicite induimus ac fouemus, exuimus eos clementiæ cœleſtis inuolucro: halcyon uero quos nudos proiicit, eos diuino ueſtit indutu.

De mergis. Nec uos præteribo mergi, quibus ab aſſiduitate mergendi nomen hoc hæſit, quomodo ſæpe mergentes aurarum ſigna colligitis, & præuidentes tempeſtatem futuram, prope

De fulicis. medio reuolatis ex æquore, & ad littorum tuta cum clamore contenditis. Quomodo etiam fulicæ quę marino delectamini profundo, refugientes poſteaquam præſenſeritis

De ardea. commotionem maris, in uado ludítis? Ipſa ardea quæ paludibus inhęrere conſueuit, notas deſerit ſedes, imbresq; formidans, ſupra nubes uolat, ut procellas nubium ſentire nō poſſit. Conſideremus diuerſas uolucres maris, quemadmodū imminente uentorum motu ad tutiora & tunc temporis dulciora ſibi ſtagna ſe conferant, atq; in abſcondito terra

De anſeribus. rum ſinu incognita ſibi alimenta rimentur. Nocturnas autem anſerum quis non miretur excubias, qui uigilias ſuas etiam cantus aſſiduitate teſtantur? Deniq; eo etiā Romana capitolia à Gallo hoſte ſeruauerunt. Merito illis debes Roma quod regnas. Dij tui dormiebant, & uigilabant anſeres. Ideo illlis diebus anſeri ſacrificas, non Ioui. Cedunt enim dij ueſtri anſeribus, à quibus ſe ſciūt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur.

Cur poſt deſcriptionem piſcium, de ijs auibus quæ aſſuetæ ſunt aquis, ſermo ſucceſſerit, & de diuerſis exinde auium generibus ac differentijs. Cap. XIIII

P Vlchre autem poſt deſcriptionem piſcium, de ijs auibus quæ aſſuetæ ſunt aquis, ſermo ſucceſſit, quia & ipſę ſimiliter & uſu natandi delectantur & munere. Vnde & prima cognatio uidetur auibus iſtis eſſe cum piſcibus, quoniā natandi communia quædā uidentur utriuſq; generis eſſe conſortia. Secunda quoq; cognatio omnibus auibus & piſcibus eſt: eò quòd uolandi uſus, ſpecies ſit natandi. Sicut enim aquam natando piſcis incidit, ita auis aerem uolatu celeri ſecat. Atq; utriq; generi ſimiliter cauda ſuppetit, alarumq; remigium, ut piſces ad priora ſe alis ſubrigant, atq; ad ulteriora procedant: caudæ quoq; gubernaculo uel quò uelint ſe facile conuertant, uel impetu quodam è regione iter ſuum dirigāt. Aues quoq; aeri uolatibus ſuis uelut aquis innatant, & quaſi quædam extendunt brachia: cauda quoq; ſe uel ad ſuperiora ſubrigūt, uel ad inferiora demergunt. Vnde quoniam in nonnullis idem uſus & ſpecies, ideo de aquis utriuſq; generis natiuitas diuina præceptione proceſſit. Dixit enim deus: Producant aquæ reptilia animarum uiuentium ſecundum genus, & uolatilia uolantia ſecus firmamentum cœli ſecundum genus.] Non immerito igitur quia de aquis genus utrunq; producitur, natandi proprietas utriſq; ſuppeditat. Sane cum & coluber lubricus, omneſq; ſerpentes: (ideo enim ſerpendi nomen eſt inditum, quia non poſſint ambulare, ſed ſerpere) dracones quoq; ſimili modo ut piſces plerique ſine pedibus ſint: nullum auium genus pedum officio caret, quia omnibus uictus è terris: & ideo pedum munere fulciuntur, quia huiuſmodi ad eſcam quærendam indigent miniſterio. Itaq; aliæ uolucres unguibus armantur ad raptum, ut accipitres & aquilæ quę rapinam uenationis exercent: Alię uel ad incedendum, uel ad cibum ſibi parandum uſu miniſterioq; potiuntur accommodo. Vnum autē nomē auium, ſed genera diuerſa. Quę quis poſſit memoria aut cogitatione cōprehendere? Sunt itaq; aues quę carne ueſcuntur. Ideo his ungues aſperi, curuatum atq; acutum os, uelox uolatus, quoniam raptu uiuunt, ut poſſint facile corripere prędam quam ſequuntur, propere uel ore uel unguibus euiſcerare. Sunt etiā aues quę reperto paſcuntur ſemine, alię diuerſo & fortuito cibo. Eſt etiam diuerſitas copularum, quarum gratia carent fere aues quę intendunt rapinis. Nam propter auiditatem prędandi, uel propter inſidias explorandi, nec ipſis inter ſe conuenit, & ideo declinant ſui copulā. Refugit enim auaritia conſortiū plurimorū. Deinde coniunctio plurimorum facile ipſa ſe proderet. His ergo auibus nihil eſt copulatoriū, pręter iugale cōſortium. Ergo aquilis, accipitribusq; hic uſus eſt uitę. Contrà uero palumbes, grues, ſturni, coruí atq; cornices, etiā turdí gaudent plurimorū connexione. Alia quoq; auium genera enchoria, quę manent in locis ſemper: alia aduētitia, quę obeūt regiones alias, & peracta hyeme reuertuntur. Sunt alię quę hyeme redeunt, ęſtate peregrinantur à nobis: ſiue quod alia hyemis tempore ad calidiora ſe conferant, ſiue quod pleraq; rurſus ęſtatem

in ijs locis exigant, quæ amœniora nouerunt. Turdi denicp autumni fine, hyemis confinio, quasi exacta æstate se referũt. Quibus nos inhospitali immanitate molimur insidias, & diuerso genere nunc infida decipula decipere, nunc uisco eos fallere, nunc laqueis captare contendimus. Ciconiæ reditus, uexillum ueris attollit. Grues qui alta petunt, amant frequenter peregrinari. aliæ aues ad manum se subijciunt, & mensæ herili assuescunt, tactucp mulcentur: aliæ reformidant: aliæ ijsdem quibus homines domicilijs delectantur, aliæ secretam in desertis uitam diligunt, quæ requirendi sibi uictus difficultatem, libertatis amore compensant. Aliæ uocibus tantum strepunt, aliæ canoro delectantur suauicp modulamine. Quædam ex natura, aliæ ex institutione diuersarum uocum ob loquuntur discrimine: ut hominem putes locutum, cum locuta sit auis. Quàm dulcis merularum, quàm expressa uox psitaci est? Sunt etiam aliæ simplices, ut columbæ, aliæ astutæ, ut perdices: gallus iactantior, pauus speciosior. Sunt etiam uitæ in auibus & operum diuersitates: ut aliæ ament in commune consulere, & collatis uiribus uelut quandam curare rempublicam, & tanquam sub rege uiuere, aliæ sibi quæcp prospicere, imperium recusare: & si capiantur, indigno uelint exire seruitio.

A quibus auibus exordium sequentis sermonis sumendũ sit. Ac de gruibus quo modo solicitam exerceant custodiam, & uolantes seruant ordinẽ, exemplumcp exercendæ politiæ præbuerint hominibus. De cõmendatione præterea status antiquæ reipublicæ. Et de caussa atcp accusatione humanæ incuriæ. Cap. XV

A Bijs igitur ordiamur, quæ nostro usui imitationem dederunt. In illis enim politia quædam & militia naturalis, in nobis coacta atcp seruilis. Quàm iniussi, & uoluntario usu grues in nocte solicitam exercent custodiam? dispositos uigiles cernas, & cæteris consortibus generis quiescentibus, aliæ circumeunt & explorant, ne qua ex parte insidiæ tententur, atcp omnem deferunt impigro sui uigore tutelam. Post ubi uigiliarũ fuerit tempus impletum, perfuncta munere, in somnum se præmisso clangore componit, ut excitet dormientem, cui uicẽ muneris traditura est. At illa uolens suscipit sortẽ, nec usu nostro inuita & pigrior somno renunciat, sed impigre suis excutitur stratis, uicem exequitur, & quam accepit gratiã, pari cura atcp officio repręsentat. Ideo nulla desertio, quia deuotio naturalis: ideo tuta custodia, quia uoluntas libera. Hunc etiam uolantes ordinem seruant, & hac moderatione omnem laborem alleuant, ut per uices fungantur ductus sui munere. Præcedit enim una, & pręcurrit cæteris præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde conuertitur, & sequenti sortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius? & laborem omnibus & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiã, sed quadam in omnes uoluntaria sorte transcribi. Antiquæ hoc reipublicę munus, & instar liberę ciuitatis est. Sic ab initio acceptã à natura exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, ut communis esset labor, cõmunis dignitas: per uices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiacp diuidere, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerũ status, nec insolescebat quisquã perpetua potestate, nec diuturno seruitio frãgebatur, quia & sine inuidia erat ordine muneris & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior uidebatur, quæ cõmuni cadebat sorte custodia. Nemo audebat aliũ seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem mutua forẽt subeunda fastidia: nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret. Sed postquam dominandi libido uindicare cœpit indebitas, & susceptas nollet deponere potestates, posteaquam militia non ius commune cœpit esse, sed seruitus, posteaquam nõ ordo factus est suscipiendæ potentiæ, sed studium uindicandę, cœpit etiã ipsa laboris functio durius sustineri: & quæ nõ est uoluntaria, cito locum relinquit incuriæ. Homines quàm inuiti subeunt uigiliarũ munia, quàm ęgre unusquisqp in castris periculũ sortitus excubat, quod tuendũ sibi regali præceptione committitur? Proponitur pœna desidię: & tamẽ plerumcp obrepit incuria, nõ seruantur excubię. Necessitas enim quę inuito imponit obsequiũ, affert plerunch fastidium. Nihil est enim tam facile quin habeat difficultatem quod facias inuitus. Ergo & iugis labor auertit affectum, & continua & diuturna potentia gignit insolentiam. Quem inuenias hominũ qui sponte deponat imperiũ, & ducatus sui cedat insigne, fiatcp uolens numero postremus ex primo? Nos autem non solum de primo, sed etiã de medio sępe contendimus,

De gruibus.

tendimus,& primos discubitus in conuiuio uindicamus:ac si semel delatum fuerit,uolumus esse perpetuũ.Ideo inter grues æquanimitas in laboribus est, humilitas in potestatibus.Admonentur ut exerceãt custodiæ uices, nõ admonentur ut de potestate decedãt, quia ibi naturalis quies somni interpellanda,hic uolũtarię sedulitatis gratia pręstãda est.

De ciconijs quemadmodum proficiscantur quò pergendum putant. Qualiter etiam à cornicibus deducantur,atq; adiuuentur in bellis. Et de earundem corni cum commendabili hospitalitate,humanæq; negligentiæ increpatione.De illarum quoq; erga patres suos pietate,& nostræ impietatis notatione. Cap. XVI

De ciconijs. Iconias ferũt collecto proficiscí agmine, si quò pergendum putant, & simul
C plerisq; circa Orientem locis inuehi, & quasi tessera militari pariter omnes moueri. Exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes uiandi,comi-
De cornicibus. tandiq; & præeundi ordinem seruant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt,& uelut quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur, adeo ut adiumenta quædam bellantibus aduersus inimicas aues conferre credantur,& proprijs periculis bella aliena suscipere.Cuius rei indicium est, quia nullæ per interuallum aliquod temporis residere in illis locis reperiuntur. Et quia cum uulneribus reuertentes, manifesta quadam sanguinis sui uoce cæterisq; loquuntur indicijs,grauium se certaminum subijsse conflictum.Quis igitur illis pœnam desertionis indixit? Quis derelictæ militiæ supplicia præscripsit formidolosa, ut nulla prosequendis hospitalibus turmis sese subtrahere nitatur,sed certatim omnes deductionis munere officioq; fungantur? Discant homines hospitalia seruare iura,& ex auibus cognoscant quid religionis hospitibus sit deferendum,quod obsequium deputandum,quibus cornices etiam pericula sua negare non soleant.His igitur nos ianuas claudimus,quibus aues etiam animas suas conferunt? & quos illæ consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio? & quorum illæ bella suscipiunt,his nos bella frequenter inferimus? Mentior, si non Sodomitanis hæc fuit caussa supplicij:& Aegyptius furor genti hospitæ dum bellum conatur inferre, inhospitalitatis pœnas infidę naufragio plebis exoluit.Quàm uero rationabilium excedat pietatem ac prudentiam auis huius clementia, considerandum, quam nec post exemplum quidem irrationabilium quisquam nostrorum imitari poterit. Nam depositi patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumq; remigio nudatos, circunstans soboles pennis proprijs fouet.Et quid dicã collatitio cibo pascit,quãdo etiã ipsa reparat naturæ dispendia, ut hinc atq; inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad uolandum exerceant,& in pristinos usus desueta iam reuocent pij membra parentis? Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia uix credibile habetur? Quis,ut pius sit non hoc seruulis mandat obsequium? At uero auibus non est graue, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod soluitur naturæ debito.Non recusant aues pascere patrem,quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarum plerisq; hominum recusarunt. Aues non scripta,sed nata lex stringit.Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio.Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare. Est enim uectura pietatis: quod eousq; frequenti testificatione percrebuit, ut congruæ mercedem remunerationis inuenerit.Nam Romanorum usu pia auis uocatur. Et quod uix uni imperatori consulto senatus delatum dicitur,hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istæ decreta patrum ad proprię insigne clementię. Pios enim filios,patrum prius oportuit iudicio prędicari.Habent etiam uniuersorum suffragia. Nam retributio beneficiorum,antipelargosis nominatur.Pelargos enim ciconia dicitur.Virtus itaq; ab his nomẽ accepit,cum relatio gratiarum ciconię uocabulo nuncupatur.

De hirundinis materna sedulitate,industria ac pietate in filios. De commendatione pręterea paupertatis ipsius, & molestia atq; improbitate nostra, cũ paupertas,inopia uel indigentia nobis occurrerit. Cap. XVII

De hirundine. Abemus auiariæ sobolis erga cultus patrios pietatis exemplum: accipia-
H mus nunc maternę sedulitatis in filios grande documentum.Hirundo minuscula corpore,sed egregiè pio sublimis affectu, quę indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit,quia sapiẽter nidificat.Nidus enim sapiẽtię,pretiosior est auro.

auro. Quid enim ſapientius, quàm ut & uolandi uaga libertate potiatur, & hominũ domiciliſ paruulos ſuos, & tecta commendet, ubi ſobolem nullus incurſet? Nam & illud eſt pulchrum, ut à primo ortu pullos ſuos humanæ uſui conuerſationis aſſueſcat, & præſtet ab inimicarum auium inſidiis tutiores. Tum illud præclarum, qua gratia domos ſibi ſine ullo adiutore tanquam artis perita cõponat. Legit enim feſtucas ore, easq; luto illinit, ut conglutinare poſſit. Sed quia lutum pedibus non poteſt deferre, ſummitatẽ pennarum aqua infundit, ut facile his puluis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim feſtucas uel minutos ſurculos ſibi colligat, atq; adhærere faciat, eo genere nidi totius fabricam ſtruit, ut quaſi pauimenti ſolo pulli eius intra ædes ſuas ſine offenſione uerſentur, nec pedem aliquis interſerat per rimulas texturarũ, aut tectis frigus irrepat. Sed hoc induſtriæ officium prope commune multis auibus: illud uero ſingulare, in quo eſt præclara cura pietatis, & prudentis intellectus & cognitionis inſigne, tum quædam medicæ artis peritia, quod ſi qua pulli eius fuerint cęcitate ſuffuſi oculos, ſiue compuncti, habet quoddã medendi genus, quo poſſit eorũ lumina intercepto uſui reformare. Nemo igitur de inopia queratur, quòd uacuas pectiniæ proprias ædes reliquerit. Pauperior eſt hirundo, quæ uacua ęris, abundat induſtria. Aedificat, nec impendit: tecta attollit, & nihil aufert proximi: nec indigentia & paupertate ad nocendum alij compellitur, nec in grauí filiorum imbecillitate deſperat. Nos uero & paupertas afficit, & inopiæ neceſſitas uexat, & pleroſq; indigentia cogit in flagitiũ, impellit in crimen. Lucri quoq; ſtudio in fraudes uerſamus ingenium, aptamus affectũ, atq; in grauiſſimis paſſionibus ſpem deponimus, fractiq; animo reſoluimur, improuidi & inertes iacemus: cum de diuina miſeratione tunc ſperandum amplius ſit, cum præſidia humana defecerint.

Vt ex uſu & pietate cornicũ diſcãt homines amare filios. Et de fœminarũ noſtri generis patrumq; in filios impietate. Et hinc de excuſatione accipitrũ & aquilarum, qui durã aduerſus fœtus ſuos ferũtur habere inclemẽtiã. De pietate quoq; fulicę quę abdicatum aquilę pullum cum ſua prole connectit & nutrit. Cap. XVIII

Diſcant homines amare filios ex uſu & pietate cornicum, quę etiam uolantes
D filios comitatu ſedulo proſequuntur, & ſolicitę ne teneri forte deficiant, cibum ſuggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia nõ relinquunt. At uero fœminę noſtri generis cito ablactant etiã illos quos diligunt: aut ſi ditiores ſunt, lactare faſtidiunt. Pauperiores uero abijciunt paruulos, & exponunt, & deprehenſos abnegant. Ipſę quoq; diuites, ne per plures ſuũ patrimonium diuidatur, in utero partus proprios necant, & parricidalibus ſuccis in ipſo genitali aluo pignora ſui uentris extinguũt priusq; aufertur uita, quàm traditur. Quis docuit niſi homo filios abdicari? Quis reperit tam immitia patrũ iura? Quis inter naturę fraterna cõſortia fratres impares fecit? Vnius diuitis filij diuerſa ſorte cęduntur. Alius totius paternę ſortis adſcriptionibus inundatur alius opulentę hæreditatis patrię deplorat exhauſtam atq; inopem portionẽ. Nunquid natura diuiſit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad naſcendi atq; uiuendi poſſint habere ſubſtantiam. Ipſa uos doceat non diſcernere patrimonio, quos titulo germanitatis ęquaſtis. Etenim quibus dediſtis communiter eſſe quod nati ſunt, nõ debetis his ut id cõmuniter habeant in quod à natura ſubſtituti ſunt, inuidere. Accipitres ferun- *De accipitribus.*
tur in eo durã aduerſum proprios fœtus habere inclementiã, quod ubi eos aduerterint tentate uolatus primordia, nidis eijciunt ſuis, cõtinuoq; eliminant, ac ſi morẽtur propulſant pennis atq; præcipitant, uerberant alis, coguntq; audere quod trepidant, nec ullum poſtea deferunt his munus alimonię. Quid mirũ tamẽ ſi rapere aſſueti, nutrire faſtidiũt? Conſideremus ad hoc eos eſſe generatos, ut etiã aues ad cauendum formido exerceat, ne paſſim curas relaxent, ſed pericula prędonibus declinanda proſpiciant. Deinde cum his natura quoddã prędandi munus inoleuerit, magis à tenero pullos ſuos inſtituere uidentur ad prędã, quã paſtus abdicare cõpendijs. Cauẽt in tenera ętate pigreſcant, ne ſoluantur delicijs, ne marceſcant ocio, ne diſcãt cibũ magis expectare quã quęrere, ne naturę ſuę deponant uigorẽ: Intermittunt ſtudia nutriendi, ut in uſus rapiendi audere compellant. Aquila quoq; plurimo ſermone uſurpatur, quòd ſuos abdicet fœtus: ſed non u- *De aquila.*
trunq;, uerum unum ex pullis duobus. Quod aliqui fieri putauerunt geminandorũ alimentorum faſtidio. Sed id non arbitror facilè credendum, præſertim cum Moyſes tantũ

teſtimonium pietatis in pullos ſuos huic dederit aui, ut diceret: Sicut aquila protegit ni-
Deut.32 dum ſuũ, & ſuper pullos ſuos confidit, & expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos, & ſuſcepit ſuper ſcapulas ſuas: dominus ſolus ducebat eos. Quomodo ergo expandit alas ſuas, ſi occiderit alterũ? Vnde puto nõ auaritia nutriendi eum inclementẽ fieri, ſed examine iudicandi. Semper enim fertur probare quos genuit, ne generis ſui inter omnes aues quoddam regale faſtigiũ, degeneris partus deformitas decoloret. Itaq; aſſeritur quòd pullos ſuos radijs Solis obijciat, atq; in aeris medio pio paruulos ungue ſuſpendat: ac ſi quis repercuſſus Solis lumine, intrepidam oculorum aciem inoffenſo intuendi uigore ſeruauerit, probatur quòd ueritatem naturę ſyncери obtutus conſtantia demonſtrauerit: ſin uero lumina ſua præſtrictus radio Solis inflexerit, quaſi degener & tanto indignus parente reijcitur: nec æſtimatur educatione dignus, qui fuit indignus ſuſceptione. Non ergo eum acerbitate naturę, ſed iudicij integritate condemnat: nec quaſi ſuũ abdicat, ſed quaſi alienum recuſat. Hanc tamen, ut quibuſdam uidetur, regalis auis inclementiã, plebeiæ
De fulica. auis excuſat clementia. Auis enim cui fulica nomen eſt, quæ Græcè dicitur Phene, ſuſceptum illum ſiue abdicatum ſiue non agnitũ aquilæ pullũ cum ſua prole connectit, atq; intermiſcens ſuis, eodem quo proprios fœtus maternæ ſedulitatis officio, & pari nutrimentorũ ſubminiſtratione paſcit & nutrit. Ergo Phene alienos nutrit, nos uero noſtros immiti crudelitate proijcimus. Aquila uero ſi proijcit, non quaſi ſuum proijcit, ſed quaſi degenerẽ nõ recognoſcit: nos, quod peius eſt, quos noſtros recognoſcimus, abdicamus.

De turturis uiduitate, exhortationeq; mulierum, ut diſcant quanta ſit uiduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Cap. XIX

De turture. S Ed ueniamus ad turturem, quam lex dei uelut caſtæ hoſtiæ munus elegit. Denicq; cum dominus circumcideretur, oblata eſt: Quia ſcriptũ eſt in lege domini, ut darent hoſtiam, par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc eſt enim uerum Chriſti ſacrificium, pudicitia corporalis, & gratia ſpiritalis. Pudicitia ad turturem refertur, ad columbã gratia. Fertur etenim turtur ubi iugalis proprij fuerit amiſſione uiduata, pertæſum thalamos & nomen habere coniugij, eò quòd primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam, quoniã & infidelis ad perpetuitatẽ fuit, & amarus ad gratiam: qui plus doloris ex morte quã ſuauitatis ex charitate generauerit. Itaq; iterare coniunctionem recuſat, nec pudoris iura aut cõplaciti uiri reſoluit fœdera, illi ſoli ſuã charitatẽ reſeruat, illi cuſtodit nomen uxoris. Diſcite mulieres, quanta ſit uiduitatis gratia, quæ etiam in auibus prędicatur. Quis igitur has leges turturi dedit? Si hominẽ quæro, nõ inuenio. Homo enim nullus eſt auſus, quando nec Paulus auſus eſt leges tenendę
Leuit.12 uiduitatis præſcribere. Denicq; ipſe ait: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario. Et alibi: Bonum eſt illis ſi ſic permaneant: quod ſi ſe non cõtinent, nubant. Melius eſt enim nubere, quàm uri. Optat Paulus in mulieribus, quòd in turturibus perſeuerat. Et alibi iuniores hortatur ut nubant,
1.Timo.5 quia mulieres noſtræ turturum pudicitiam implere uix poſſunt. Ergo turturibus deus
1.Cor.7 hunc infudit affectum, hanc uirtutem continentiæ dedit, qui ſolus poteſt præſcribere quod omnes ſequantur. Turtur non uritur flore iuuentutis, non tentatur occaſionis illecebra: turtur neſcit primam fidem irritam facere, quia nouit caſtimoniam ſeruare prima connubij ſorte promiſſam.

De integritate auium, quæ, ut in uulturibus deprehenditur, abſq; concubitu, & ſine ullo maſculorũ ſemine cõcipiunt & generãt. Ac de cõfutatione eorũ qui impoſſibile putant quòd uirgo Maria cõſeruata uirginitate dei filiũ pepererit. Ca. XX

De uulturibus. D Iximus de uiduitate auium, eamq; ab illis primum exortam eſſe uirtutẽ: nunc de integritate dicamus, quæ in pluribus quidem auibus ita eſſe aſſeueratur, ut poſſit etiam in uulturibus deprehendi. Negantur enim uultures indulgere concubitui, & coniugali quodam uſu, nuptialiq; copulæ ſorte miſceri, atq; ita ſine ullo maſculorum concipere ſemine, & ſine coniunctione generare, natosq; ex his in multam ętatem longæ uitæ procedere: ut uſq; ad centum annos uitæ eorum ſeries producatur, nec facilè eos anguſti æui finis excipiat. Quid aiunt, qui ſolent noſtra ridere myſteria, cum audiunt quòd Virgo generauit & impoſſibilẽ innuptæ, cuius pudorem nulla uiri conſuetudo temeraſſet, exiſtimant partũ? Impoſſibile putatur in dei matre, quod in

uulturibus

uulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia desponsata uiro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionē? Nónne aduertimus, quod dominus ex ipsa natura plurima exempla antè præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret, & astrueret ueritatem?

De natura & admiranda industria ac diligentia apum quæ uelut quandam rempublicam curare uidentur. Cap. XXI

N Vnc age, quę aues uelut quandam rempublicā curare uideantur expediam, atq; uitæ huius ætates agere sub legibus. Hic enim reipublicæ usus est, leges omnibus esse communes, atq; obseruari eas deuotione communi. Vno omnes teneri uinculo, nō alterius esse, quod alius intelligat sibi non licere: sed quod liceat, licere omnibus: & quod non licet, omnibus non licere. Esse etiam communem reuerentiam Senatorum, quorum consilio respublica gubernetur, commune omnibus urbis domicilium, communis conuersationis officium, unum præscriptum, omnibus unum esse consilium. Magna hæc, sed quanto in apibus præstantiora, quæ solæ in omni genere animantium, cōmunem omnibus sobolē habent, unam omnes incolunt māsionem, uniusq; patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, cōmunis cibus, cōmunis operatio, cōmunis usus & fructus est, communis uolatus. Quid plura? Cōmunis omnibus generatio, integritas quoq; corporis uirginalis omnibus cōmunis, & partus, quoniam neque ullo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & subito maximum filiorū examen emittūt, è foliis & herbis ore suo prolem legentes. Ipsæ sibi regem ordinant, ipsæ sibi populos creāt, & licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ. Nam & prærogatiuam iudicij tenēt, & fidæ deuotionis affectū: quia & tanquam à se substitutum diligunt, & tanto honorāt examine. Rex autem non sorte ducitur, quia in sorte euentus est, non iudicium, & sæpe irrationabili casu, sorte melioribus ultimus quisq; præfertur: neq; imperitæ multitudinis uulgari clamore signatur, quæ non merita uirtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumēta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto: neq; priuilegio successionis & generis regalibus thronis insidet. siquidē ignarus publicæ conuersationis, cautus atq; eruditus esse non poterit. Adde adulationes atque delicias, quæ teneris inolitæ ætatibus, uel acre ingenium eneruare consueuerunt, tum institutiones spadonum, quorum plerique suo magis quæstui, quàm usui publico animum regis inclinant. Apibus autem rex naturæ clarus formatur insignibus, ut magnitudine corporis præstet & specie: tum (quod in rege præcipuum est) morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, tamen eo non utitur ad uindicandum. Sunt enim leges naturę non scriptæ literis, sed impressę moribus, ut leniores sint ad puniendum, qui maxima potestate potiuntur: sed & apes illæ quæ non obtēperauerint legibus regis, pœnitenti condemnatione se mulctant, ut immoriantur aculei sui uulneri. Quod Persarum populi hodieq; seruare dicuntur: ut pro commissi precio, ipsi in se propriæ mortis exequantur sententiam. Itaq; nulli sicut reges Persarum tam grauissimas in subditos habent leges. Non Indi, non populi Sarmatarum tantam, quantam apes reuerentiā deuotionis obseruant, ut nullę è domibus exire audeant, nō in aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit egressus, et uolatus sibi uindicauerit principatum. Processus autem est, per rura redolētia, ubi inhalantes horti floribus, ubi fugiēs riuus per gramina, ubi amœna riparū: illic ludus alacris iuuentutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio. Opus ipsum suaue de floribus, de herbis dulcibus fundamina castrorū prima ponūtur. Quid em̄ aliud est fauus, nisi quædā castrorū species? Denicq; ab his præsepibus apū fucus arcetur. Quæ castra quadrata tantum possunt habere artis & gratiæ, quantum habent crates fauorum, in quibus minutæ ac rotundæ cellulæ connexione sui inuicē fulciunt? Quis enim architectus eas docuit hexagonia illa cellarū indescreta laterū æqualitate cōponere, ac tenues inter domorum septa seras suspēdere, stipare mella, & intexta floribus horrea, nectare quodā distendere? Cernas omnes certare de munere, alias inuigilare quærēdo uictui, alias solicitam castris adhibere custodiā, alias futuros explorare imbres & speculari cursus nubiū, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere: nullam tamen alienis insidiari laboribus, & raptu uitam quærere: atq; utinam raptorum insidias non timerent. Habent tamen spicula sua, & inter mella fundunt uenenum, si fuerint lacessi-

De Apibus.

tæ,animasq; ponũt in uulnere ardore uindictæ. Ergo mediis castrorum uallibus humor ille roris infunditur,paulatimq; processu temporis in mella cogitur,cum fuerit liquidus ab exordio,& coalitu ceræ florumq; odore, fragrare mellis incipit suauitatem. Merito quasi bonam operariam scriptura apem prædicat,dicens: Vade ad apẽ,& uide quomodo operaria est.Operationem quoq; quàm uenerabilem mercatur,cuius laborem reges & mediocres ad salutem sumunt.Appetibilis enim est omnibus & chara. Audis quid dicat propheta? Mittit utiq; te ut apiculæ illius sequaris exemplum,imiteris operationem. Vides quàm laboriosa,quàm grata sit.Fructus eius ab omnibus desideratur & quęritur, nec pro personarum diuersitate discernitur, sed indiscreta sui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali suauitate dulcescit.Nec solum uoluptati,sed etiam saluti est:fauces obdulcat,& curat uulnera,internis quoq; medicamentum infundit ulceribus.Itaq; cum sit infirma robore apis,ualida est uigore sapientiæ, & amore uirtutis. Deniq; regem suum summa protectione defendunt,& perire pro eo pulchrum putant.Incolumi rege nescium mutare iudicium,mentem inflectere:amisso fidem seruandi muneris derelinquunt atq; ipsæ sua mella diripiunt, quod is qui principatum habuit muneris,interemptus est. Itaq; cum aues aliæ uix in anno edant singulos fœtus,apes geminos creant,& duplici cęteris fœcunditate præponderant.

De consideratione eius quod ait propheta:Producant aquæ reptilia &c.ac de diuersitate quam inter se habent aues. Cap.XXII

Genes. 1

C Onsideremus nunc quid sit quod ait:Producant aquę reptilia animarum uiuentium,& uolatilia uolantia super terram secundum genus, & secus firmamentum cœli.] Cur super terram dixerit,certum est,quia uictũ de terra quærunt.Secus firmamentũ autẽ cœli quomodo,cum aquilæ ultra cæteras aues uolent,& tamen ipse non secus firmamentũ cœli? Sed quia Græce ἀέρνος dicitur quod latine cœlum appellamus: ἀέρνος autem ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι, id est à uidẽdo,ideo quod aer perspicuus sit,& ad uidẽdum purior,in aere uolitãtia genera dixit animantiũ. Et ne moueat quod ait,Secus firmamentum cœli:non proprie firmamentũ hic posuit,sed abusiuè,eò quod comparatione ætherei illius corporis,etiam iste aer quem possumus oculis comprehẽdere, quasi crassior & densior uicem habeat firmamẽti.Nunc quia diximus, quæ uolatilia quam naturam habeãt & gratiã,& ea pauca de multis:neq; enim uacat uniuersa describere, cum sint similia,atq; eiusdem generis:tamen aues ipsę quam inter se diuersitatẽ habeant,consideremus.Inuenimus enim cornicis pedes uelut quibusdã digitis distantibus separatos atq; diuisos, coruorum quoq; atq; pullorum aliter etiã formatos à natura pedes:auium uero quæ carne uescuntur,cernimus quasi incuruos atq; sinuatos ac uelut ad prædã paratos.Eæ uero quæ natandi habent usum & consuetudinem,latos habẽt pedes,& membrana quadam illos digitos pedum sibi copulatos atq; coniunctos. In quo admirabilis patet ratio naturæ, ut & illa ad uolandum uel ad rapiendum cibum usu accõmodo fulciantur,& ista ad natandum adiumenta habeant competẽtia, quo melius aquis possint supernatare,& quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarũ fluenta propulsent.

De cygno.

Cygnus quoq; cur proceriore collo utatur,in promptu est,ut quia est paululum segnior corpore,nec facile potest aquarum inferiora penetrare,ceruicem extendat ad prædam,quæ quasi præuia reliqui corporis escam quam inuenerit,rapiat atq; eruat de profundo.Adde & illud, quia suauior & magis canorus per procera modulus colla distinguit,& lõgiore exercitatione purior lõge resultat. Quàm dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena, quarum cantibus medio æstu arbusta rumpuntur,eò quòd magis canoræ meridianis caloribus,quo puriorẽ aerem id temporis attrahunt spiritu,eo cantus resonant clariores.Nec apes ipsæ insuaue quiddã canunt. Habent enim gratã in rauco illo uocis suæ murmure suauitatem, quam nos fracto tubarum sonitu lentius primũ uidemur imitari, quo crepitu ad excitandos animos in uigorem nihil aptius æstimatur.Et hæc illis gratia manet: cum pulmonẽ respirandiq; munus atq; usum nequaquam habere prodantur,sed aerio uesci spiramine.Deniq; si quis eas superfundat oleo,propere necantur:eò quòd obstructis poris aerium spiramen illud haurire non possint:continuoq; si quis acetum his superfundat, illico reuiuiscunt, eò quòd uis aceti cito illos poros qui concretione olei obstruuntur,humore feratur aperire.

De

De imitatione uermis Indici, chamæleontis, leporum atq; phœnicis, ut illorum exemplis ad commutationis fidem quæ in resurrectione futura est, prouocemur. Vnde etiam uultures habeant ut quibusdam signis mortem hominum annuncient. Quod deniq; usq; ad locustam diuina gratia penetrauerit. Cap. XXIII

E T quia de uolatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti quæ de uerme Indico tradit historia, uel eorum relatio, qui uidere potuerunt. Fertur hic corniger uermis conuerti primum in speciem caulis, atq; in eam mutari naturam, inde processu quodam fieri bambilius: nec eam tamen formam figuramq; custodit, sed laxis & latioribus foliis uidetur pēnas assumere. Ex his foliis mollia illa Seres depectunt uellera, quæ ad usus sibi proprios diuites uindicarunt. Vnde & dominus ait: Quid existis in desertum uidere? hominem mollibus uestimentis indutū? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. *Matth. 11*

Chamæleon quoq; diuersas species fertur uario colore mentiri. Lepores certe, quod de proximo facile cognouimus hyeme albescere, æstate in suum colorem redire non dubium est. Hæc ideo libaui, ut ad commutationis fidem quæ in resurrectione futura est, etiã ista exẽpla nos prouocent: sed ita, ut commutationem illam dicamus quam Apostolus euidenter expressit dicens: Omnes quidẽ resurgemus, non omnes autem immutabimur. Et infra ait: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelã, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Plericq; enim cõmutationis genus & formas quas nõ acceperant interpretati, nequaquã præsumptionis indebitę incongrua usurpatione carue runt. *1. Corin. 15*

Phœnix quoq; auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atq; ea usq; ad annos quingentos, longęua ætate procedere. Quæ cum sibi finẽ uitæ adesse aduerterit, facit sibi thecam de thure & myrrha & cęteris odoribus, in quam impleto uitę suę tempore intrat, & moritur. De cuius humore carnis uermis exurgit, paulatimq; adolescit, ac processu statuti temporis induit alarũ remigia, atq; in superioris auis speciẽ formamq; reparatur. Doceat igitur nos hæc auis uel exemplo sui resurrectionem credere, quæ & sine exẽplo, & sine rationis perceptiõe, ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Et utiq; aues propter hominem sunt, non homo propter aues. Sit igitur exemplo nobis, quia author & creator auium sanctos suos in perpetuũ perire non patitur, qui auem unicam perire non passus, resurgenti eam sui semine uoluit reparari. Quis igitur huic annũciat diem mortis, ut faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atq; ingrediatur in eam, & moriatur illic ubi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu ô homo tibi thecam: expolians ueterem hominẽ cum actibus suis, nouũ indue. Theca tua, uagina tua, Christus est, qui te protegat & abscõdat in die malo. Vis scire quia theca, quia protectio est? Pharetra inquit, mea protexi eum. Theca ergo tua est fides: imple eam bonis uirtutum tuarũ odoribus, hoc est, castitatis misericordiæ, atq; iustitiæ, & in ipsa penetralia fidei suaui factorum præstantium odore redolẽtia totus ingredere: ea te amictum fide exitus uitæ huius inueniat, ut possint ossa tua pingue scere, & sint sicut ortus ebrius, cuius cito semina suscitantur. *De Phœnice. Colos. 3*

Cognosce ergo diem mortis tuæ, sicut cognouit & Paulus, qui ait: Certamen bonum certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, reposita est mihi corona iustitiæ. Intrauit igitur in thecam suam quasi bonus Phœnix, quam bono repleuit odore martyrij. Interrogabo te, tu autem responde mihi, unde uultures mortem hominum signis quibusdam annunciare consueuerint: quo indicio edocti atq; instructi sint, ut cum bellum lachrymabile inter se aduersæ acies instruant: multo prædictæ uolucres sequantur agmine, & eo significent quia multitudo hominum casura sit bello, futura præda uulturibus? Quod utique ex specie institutionis humanæ quadam uidentur ratione colligere. *2. Tim. 4*

Vsque ad locustam quoq; gratia diuina penetrauit, quæ cum agmine confer- *Locusta.*
to regionis cuiusce occupauerit latitudinem, innoxio primum feriatur habitaculo, nec fructus inhospitali incursione depascitur, nisi diuinæ signum præceptionis acceperit. Etenim sicut in Exodo legimus, ea quoq; cœlestis ultionem offensionis exequitur, piæ ministra uindictæ. Hanc quoque auis deuorat Seleucis: sic enim Græco auis nuncupatur nomine, data ad remedium malorum quæ locusta consueuit inferre: cui creator inexplebilem dedit deuorandi naturam, ut insatiabili pastu plagam quam supra diximus possit extinguere. *Exod. 10*

De

De natura & proprietatibus auium nocturnarum, uidelicet luciniæ, noctuæ, uespertilionis, & galli, quarum usu & exemplis admonemur & instruimur. Cap. XXIIII

Ed quid hoc est? Dum sermonem producimus, ecce iam & nocturnæ aues circunuolant, & in eo ipso in quo finiendum sermonem admonent, sui quoq; assumendam commemorationem producũt. Repetunt diuersæ aues auiaria sua, quas uesper nocte cogit decedere, & se in latibulis suis abdunt, canoro occasum diei carmine prosequentes, ne immunes abeant gratiarum, quibus creatorẽ suum omnis creatura collaudat. Habet etiam nox carmina sua, quibus uigilias hominum mulcere consueuit, habet & noctua suos cantus. Quid autem de luscinia dicam, quæ pernigil custos cum oua quodam sinu corporis & gremio fouet insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suauitate solatur: ut mihi uideatur hæc summa eius esse intentio, quo possit non minus dulcibus modulis, quàm fotu corporis animare in fœtus oua quæ foueat. Hãc imitata tenuis illa mulier, sed pudica incussum molæ lapidẽ brachio trahẽs, ut possit alimentũ panis suis paruulis non deesse, nocturno cantu mœstũ paupertatis mulcet affectũ. Et quamuis suauitatẽ luscinię non possit imitari, imitatur tamẽ eam sedulitate pietatis. Noctua ipsa quemadmodũ magnis & glaucis oculorũ pupillis nocturnarum tenebrarũ caligantẽ nõ sentit horrorẽ: & quo fuerit nox obscurior, eo cõtra usum auiũ cæterarũ inoffensos exercet uolatus. Exorto autẽ die, & circunfuso splẽdore Solis, uisus eius hebetat, quasi quibusdã erret in tenebris. Quo indicio sui declarat esse aliquos qui cum oculos habeant ad uidendũ, uidere non soleant: & uisus sui officio, solis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi & non uidẽt, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulãt, dum dæmoniorũ tenebrosa rimant, & cœli alta se uidere credunt, describentes radio mundũ, mensurã aeris ipsius colligẽtes. Porro autem à fide deuij, perpetuæ cæcitatis tenebris implicant, habentes in proximo diem Christi, & lumen ecclesiæ, & nihil uidentes. aperiunt os quasi scientes omnia, acuti ad uana, hebetes ad æterna, & longæ disputationis anfractu prudentes, inscij propriæ inscitiæ. Cæcitatem itaq; dum cupiunt subtilibus euolare sermonibus, quasi noctuæ in lumine euanuerunt. Vespertilio animal ignobile, à uespere nomẽ accepit. Est autem uolatilis, eademq; quadrupes, & dentibus utitur, quos in alijs auibus reperire nõ soleas. Parit ut quadrupedia, non oua sed pullos uiuentes. Volitat autem in aere auium more, sed crepusculo uespertino consueuit ostendi. Volitat autem non aliquo pennarum sed membranę sue fulta remigio, quo suspensa uelut pennarũ uolatu circunfertur atq; uegetatur. Habet & illud hoc uile animal, quod sibi inuicem adhærent, & quasi in speciem botri ex aliquo loco pendent: ac si se ultima quæq; laxauerit, omnes resoluuntur. Quod fit quodam munere charitatis, quæ difficile in hominibus huius mundi reperitur. Est etiã galli cantus suauis in noctibus: nec solum suauis, sed etiã utilis, qui quasi bonus cohabitator & dormientem excitat, & solicitum admonet, & uiantem solatur, processum noctis canora significatione protestans. Hoc canente latro suas relinquit insidias, hoc ipse lucifer excitatus oritur, cœlumq; illuminat, hoc canente mœstitiam trepidus nauta deponit, omnisq; crebro uespertinis flatibus excitata tempestas & procella mitescit, hoc canente deuotus affectus exilit ad precandum, legendi quoq; munus instaurat, hoc postremo canente, ipsa ecclesiæ petra culpam suam diluit, quam priusquam gallus cantaret, negando contraxerat. Istius cantu spes omnibus redit, ægris leuatur incommodum, minuitur dolor uulnerum, febrium flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapsis, Iesus titubantes respicit, errantes corrigit. Denicq; respexit Petrum, & statim error abscessit: pulsa est negatio, secuta confessio. Quod non fortuito accidisse, sed ex sententia domini, lectio docet. Sic enim scriptum est, quia dixit Iesus ad Simonem: Non cantabit gallus, priusquam me ter abneges. Bene fortis in die Petrus, nocte turbatur: & ante galli cantum labitur, & labitur etiam tertio: ut scias non inconsulta effusione sermonis esse prolapsum, sed mentis quoq; mutatione turbatum. Idem tamẽ post galli cantum fit fortior, & iam dignus quem Christus aspiciat. Oculi domini super iustos. Agnouit uenisse remedium, post quod iam errare non posset: & in uirtutem ab errore mutatus, amarissime fleuit, ut lachrymis suis deleret errorem.

De luscinia.

De noctua.

De uespertilione.

De gallo.

Matth. 27

Psalm. 33

Matth. 27

Deuota

Deuota authoris ad dominum Ieſum Chriſtum deprecatio cum clauſione quinti diei. Cap. XXV

R Eſpice nos quoq; domine Ieſu, ut & nos propria recognoſcamus errata, ſoluamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. Ideo conſulto ſermonem protraximus, ut nobis quoq; gallus cãtaret, & loquentibus ſubueniret, quo ſi quod delictum obrepſiſſet in uerbo, culpã Chriſte donares. Da queſo lachrymas Petri, nolo lætitiam peccatoris. Fleuerunt Hebræi, & per mare ſunt dehiſcentibus undis liberati. Lætatus eſt Pharao quòd Hebreos tenebat incluſos: & mari merſus cum populo ſuo occidit. Exultauit & Iudas in mercede proditionis ſuę, ſed ipſius ſe mercedis laqueo ſtrangulauit. Fleuit errorem ſuum Petrus, & meruit ut aliorum aboleret errores. Sed iam tempus eſt quo finire ſermonem & claudere debeamus. Tempus eſt quo melius aut tacetur aut fletur, tempus eſt quo celebratur indulgẽtia peccatorum. Nobis quoq; gallus iſte myſticus in ſacris cantet, quoniam iam Petri gallus in noſtro ſermone cantauit. Fleat pro nobis Petrus, qui pro ſe bene fleuit, & in nos pia Chriſti ora conuertat. Approperet Ieſu domini paſſio, quæ quotidie delicta noſtra condonat, & munus remiſſionis operatur. Bonus dominus dimittere ieiunos nõ uult, ne quis deficiat in uia. Si ille dicit, Miſereor huius turbæ, quia triduum eſt quod perſeuerant mecum, & non habent eſcam, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia: cuius intenta ſermoni Maria apparatus recuſabat epularũ: quanto magis nos conſiderare debemus quia non multi ſunt qui in uerbo dei uiuunt, & ideo refectio corporis deſideratur? Certè illius triduo noſtrum hoc poſtridie laborioſius eſt. Et ideo qui cum auibus luſimus, cum gallo cantauimus, iam domini canamus myſteria, & ad corpus Ieſu cõueniant aquilæ peccatorum ablutione renouatę. Iam enim cetus ille magnus uerum nobis Ionam reddidit, & gratulemur quòd factus eſt nobis ueſpere dies quintus. fiat nobis mane dies ſextus. Matth. 15

CAPITA SEXTI LIBRI HEXAEMERON.

De introductione ſexti diei, cum urbana auditorũ ad coronationẽ inuitatione. Cap. I
De nunc dicendis, & ordine in eis ſeruando. Quomodo etiam ſecundum authoris ſententiam accipiendæ ſint naturæ uniuſcuiuſq; generis, ubi ſcriptura dicit: Producat terra animam uiuentem &c. cum arrogantiæ ab ſe repulſione. Cap. II
Quomodo per dei uerbum in conſtitutione mundi animantium generibus præſcripta ſit lex generationis & ſucceſſionis. Quod præterea uolens ad uſum hominis deriuare quæ genita ſunt, non debet ueritatem propriæ naturæ unicuiq; generi denegare, cum increpatiua admonitione ut homo more pecudũ uiuere caueat. De quibuſdam quoq; animalibus quorum proprietates uitare debemus. Cap. III
De quadrupedibus quibuſdam animalibus in quorum natura eſt aliquid quod imitari debemus. Cap. IIII
Qua ratione dominus alijs beſtijs anguſtiora, alijs prolixiora colla formauerit. Et de elephantorum deſcriptione quantum ad membra, & proprietates eorum. Cap. V
De prælibatione commendationis humanæ creaturæ, cum exhortatione ut homo ſeipſum noſcat, & ſibi attendat. Cap. VI
De noſtræ creationis ſerie. Et ſit quid imago dei, cum iterata adhortatione ut homo ſibi attendat, & ſeipſum ſciat. Cap. VII
De elimatiore tractatu ſit quid ad imaginem dei: & utrum de ea dici potuerit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram. utrum præterea ſecũdum corpus an ſecundum animam iuſtificatio conferri uideatur: cum uehementiori incitatione ut homo ſeipſum cognoſcat, & ſibi attendat. Cap. VIII
De præſtantia, decore & gratia humani corporis, ac membrorum ipſius. Cap. IX
De fine ſermonis, & completione ſexti diei, cum humili gratiarum actione. Cap. X

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS HEXAEMERON LIBER VI, DE DIE SEXTO.

De introductione sexti diei, cum urbana auditorum ad coronationem inuitatione. Caput I

SExtus iste est dies, quo mundanæ creaturæ origo concluditur: & ideo etiam sermonis nostri quem de rerum exordijs assumpsimus, finis paratur. Qui etsi per quinq; iam dies nõ mediocri labore nobis processerit, tamen hodierno die maiore curarũ accrescit fœnore, quia in hoc & superiorum dierum periculum est, & totius summa certaminis. Etenim si in fidibus aut cantibus & athletarum contẽtionibus crebris licet & maximis ludicris, tamen superiores dies sine ullo coronę transiguntur dispẽdio, postremus autem dies habet sortem coronę, in quo & certandi periculũ est, & cedendi opprobriũ, & uincendi præmium: quanto magis in hoc tanto agone sapientiæ, tãto non paucorum sed uniuersorum iudicio, cum hodie nobis uelut quædam certaminis corona procedat, maior solicitudo angit, ne & superiorum effundamus laborem dierum, & præsentis sub eamus pudorem? Neq; enim eadem dicendi cõditio, quæ canendi atq; luctandi: cum in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis. Illic si pecces, spectãtium fastidium est: hic damnum est audientium. Assistite igitur mihi tanquam coronæ iudices, & ingredimini mecum in hoc magnum & admirabile totius uisibilis theatrũ creaturæ. Etenim si is qui explorans nouorum aduentus hospitum, toto eos circunducit urbis ambitu, præstantiora quæq; opera demonstrans, non mediocrem locat gratiam: quanto magis sine fastidio accipere debetis quòd uelut quadam sermonis manu per hanc communẽ uos circunduco patriam, & singularum rerum species & genera demonstro, ex omnibus colligere cupiens, quanto uobis creator uniuersorum gratiam uberiorem quàm uniuersis donauerit? Vobis igitur hæc corona proponitur, uos hodie cupio uestro iudicio coronare. Nõ enim nos athletarũ modo marcentia serta deposcimus, sed uiride uestræ sanctitatis examen, quo decernatis per omnes quidem creaturas prouidentiam penetrare diuinam: & cum cæteris uobis commune corporeæ fragilitatis esse consortium, præ cæteris tamen uos animi uirtute constare, quæ sola nihil habet commune cum cæteris.

De nunc dicendis, & ordine in eis seruando. Quomodo etiam secundum authoris sententiam accipiende sint naturæ uniuscuiusq; generis ubi scriptura dicit: Producat terra animam uiuentem &c. cum arrogãtiæ ab se repulsione. Cap. II

Genes. I

NVnc age, naturas bestiarum dicamus, & hominis generationẽ. Audio enim iamdudum aliquos insusurrare dicentes: Quandiu aliena discimus, & nostra nescimus? Quandiu de reliquis animantibus docemur scientiã, & nosmetipsos ignoramus? Illud dicat quod mihi prosit, unde meipsum nouerim. Et iusta est quæstio: sed ordo seruandus est quem scriptura contexuit, simulq; quia non possumus plenius nos cognoscere, nisi prius quæ sit omnium natura animantiũ, cognouerimus. Producat, inquit, terra animam uiuentem secundum genus, quadrupedes & serpẽtes, & bestias terræ secundum genus, & pecora secundum genus, & omnia repentia terræ ad genus. Et fecit deus bestias terræ, & omnia pecora ad genus, & omnia repentia terræ ad genus. Et uidit deus quia bona, & dixit deus: Faciamus hominem.] Hoc loco non ignoro quosdam bestiarum & pecorum & serpentium terræ species alio retulisse: ut hæc ad immanitates criminum, stultitiam peccatorum, nequitiam cogitationũ referrent. Ego autem simplices naturas uniuscuiusque generis accipio. Nec uereor, ne quis me pauperis conuiuæ præsumptione conferendum putet, qui studio humanitatis complures roget, nec his quicquam nisi uiles & usitatos apponat cibos, & tenui mensæ pauperis apparatu plus reprehensionis incurrat ex fastidio conuiuarum, quàm gratiæ referat ex hoc hospitalitatis affectu. Nec enim Helisæum amici quasi malum conuiuam agrestia apponentem

Genes. I

nentem olera refutarunt. Simile uarijs relationibus exquisitum illud & accuratum opi-
pare conuiuium est, in quo phasiani aut turturis species apponitur, & in his pullus man-
ducatur, aut pullus infertur, & ostreis est fartus, aut spondylis: aut poculũ bibitur, quod
diuerso colore atq; odore in alienos mutetur sapores: maritima terrenis, terrena marití-
mis farciuntur. Hoc est reprehendere prouidentiam creatoris, qui nobis ad uictum om-
nia donauit, quod non illa miscuerit. Sed hęc dulcia primo uidentur, & postea fiunt ama
ra. Quo enim copiosior fuerit luxuries, eo pernicíosior intemperantia est. Helisęus autẽ
amara apposuit, sed postea facta sunt dulcia. Denicq; qui ante in illo cibo mortem puta-
bant, postea in eo suauitatis & uitæ gratiam sunt adepti. Necq; rursus formidini est, ne plu
res uidear inuitasse, quàm possim pascere, & uobis panes deficiant uerborum meorum:
quia & Helisæus etsi merito inimitabilis, nobis imitandus fide, non considerauit quan- 4. Reg. 4
tos panes haberet, sed quos haberet: diuidere omnibus uoluit, & sufficere omnibus iudi
cauit. Itaq; decem panes hordeacos diuidere in plebem iussit ministro. Et dixit minister:
Quid? dabo hoc in conspectu centum uirorum? Et respondit: Da, & manducent, quo- Ibidem.
niam hæc dicit dominus: Manducabunt, & relinquent. Fides igitur uestra faciet abunda
re pauperis linguæ conuiuium. Nec uereor, ne ieiunia uos edaciores faciant, quo minus
repleti & esurientes ac uacui reuertamini, quia scriptum est: Confirmat iustos dominus; Psalm. 36
& in diebus famis saturabuntur. Multo pulchrius est hordeaceos panes non erubescere
& apponere quod habeas, quàm negare. Helisęus qui sibi nihil reliquit, populis abunda
uit. Helisæus ergo hordeaceos panes non erubuit apponere, nos erubescimus simplices
intelligere creaturas, quæ simplicibus & suis declarantur uocabulis? Cœlum legimus,
cœlum accipiamus: terram legimus, terram intelligamus frugiferam. Quid mihi quære-
re quæ sit eius mensura circuitus, quàm geometræ centumoctoginta milibus stadiorum
æstimauerunt? Libenter fateor me nescire, quod nescio, imò quod scire nihil prodest.
Melius est genera terrarum scire quàm spatia: quæ circunfuso mari, interiectis Barbaro-
rum regionibus, suffusa atq; inuia paludibus humo, quemadmodum possumus compre
hendere qui homines sumus, quod impossibile esse hominibus scriptura demonstrat, di
cente deo: Quis mensus est manu aquam, & cœlũ palmo, & uniuersam terrã clausa ma- Esa. 40
nu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Et infra: Qui te-
net gyrũ terræ & habitantes in ea sicut locustas: qui statuit cœlũ ut camerã. Quis igitur
æqualem sibi cũ deo potestatem & scientiam audeat uindicare, ut quæ deus maiestatis
suæ esse proprio signauit oraculo, hæc sibi homo ad cognitionẽ suppetere posse præsu-
mat? Certe Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorum: sed quia spiritũ dei ac
cepit, quasi minister dei inanẽ illã & usurpatoriã philosophiæ doctrinam ueritatis ratio-
ni posthabuit, & ea descripsit mihi quæ nostræ spei accommoda iudicauit: quòd terram
fecerit deus, quòd produxerit terra iuxta dei omnipotentis imperium operationemq;
domini Iesu uirgulta de terris, & omnem animã uiuentem secundum genus. An ille pu-
tauit dicendum, quantum de spatio aeris occupet umbra terræ cum sol recedit à nobis,
diemq; abducit, inferiora axis illuminans, & quemadmodũ in regionẽ mundi huius in-
cedens lunæ globus eclipsin faciat: quando quæ nihil ad nos, quasi nihil profutura præ-
terijt? Vidit enim in sancto spiritu, non illas marcescẽtis iam sapientiæ uanitates sequen
das, quæ rebus inexplicabilibus mentem nostrã occupant, luduntq; operam: sed ea po-
tius describenda, quæ ad uirtutis spectauere profectum.

Quomodo per dei uerbũ in constitutione mundi animantiũ generibus præscri
pta sit lex generationis & successionis. Quod præterea uolens ad usum homi-
nis deriuare quæ genita sunt, nõ debet ueritatẽ propriæ naturæ unicuiq; generi
denegare, cum increpatiua admonitione ut homo more pecudũ uiuere caueat.

De quibusdam quoq; animalibus quorum proprietates uitare debemus. Cap. III

I Nhæreamus igitur propheticis dictis, nec spiritus sancti quasi uilia despe-
ctui habeamus alloquia. Producat, inquit, terta animam uiuentem pecorum
& bestiarũ & reptilium.] Quid argumentamur alia ubi euidenter creatura-
rum terrestrium natura formatur? Currit enim in constitutione mundi per omnem crea
turam dei uerbum, ut subito de terris omnia quę statuit deus animantium genera produ
cantur, & in futurum lege præscripta, secundum genus sibi similitudinemq; uniuersa

succedant,ut leo leonem generet,tigris tigridem,bos bouem cygnus cygnum,aquila aquilam.Semel præceptum,in perpetuũ inoleuit naturę. Et ideo ministerij sui obsequiũ prębere terra non desinit, ut priscæ animantium species reparabili generis successione in nouas reparentur ætates.Sed uis ad usum hominis deriuare quæ genita sunt? Noli ueritatem unicuiq; generi naturæ propriæ denegare, & multo magis ea ad gratiam aptabis humanam.Primum,quia omnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium,in aluũ natura prostrauit,ut alia uentre repant,alia quę pedibus sustinentur,diuersa magis quadrupedo corporis gressu,& uelut affixa terris uideas esse quàm libera.Siquidem erigendi se non habent facultatem,de terra uictum requirunt, & uentris in quem deflectuntur,solas sequuntur uoluptates.Caue ô homo pecudum more curuari.Caue ne in aluum te nõ tam corpore quàm cupiditate deflectas. Respice corporis tui formam,& speciem congruentem celsi uigoris assume. Si sola animalia prona pascũtur,cur te in edendo sternis ipse,quem natura non strauit? Cur eo delectaris,in quo naturę iniuria est? Cur noctes & dies cibo intentus,pecorum more terrena depasceris? Cur illecebris corporalibus deditus,ipsum te inhonoras,dum uentri atq; eius passionibus deseruis? Cur intellectum tibi adimis,quem tibi creator attribuit? Cur te iumentis comparas,à quibus te uoluit deus se
Psalm.31 gregari dicens:Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus? Aut si te edacitas equi intemperantiaq; delectat, & adhinnire ad fœminas uoluptati est,delectet in fræno maxillas tuas chamoq; constringi. Si crudelitate pasceris (ferarum hæc rabies
De asini pigritia. est,quæ propter sæuitiam trucidantur) uide ne in te quoq; crudelitatis tuæ uertatur immanitas.Piger asinus,& expositus ad prædam,sensuq; tardior,quid aliud docet, nisi nos uiuaciores esse debere,nec desidia corporis animiq; pigrescere,confugere ad fidem,quę
De uulpis fraudulentia. onera grauia alleuare consueuerit? Fraudulenta uulpes foueis se latibulisq; demergens, nónne indicio est infructuosum esse animal, odioq; dignum propter rapinam,despectu
De perdicis astutia. propter infirmitatem,& ideo suæ incautum salutis,dum insidiatur alienæ? Perdicem astutam nouimus,quæ aliena oua diripiat,hoc est perdicis alterius,& corpore foueat suo sed fraudis suæ fructum habere non posse, quia cùm eduxerit pullos suos, amittit eos: quia ubi uocem eius audierint,quæ oua generauit, relicta ea ad illam se naturali quodã munere & amore conferunt,quam ueram sibi matrem ouorum generatione cognouerint,significantes hanc nutricis fungi officio,illam parentis. Sic itaq; incassum propriosfundit labores,ac fraudis suæ precio multatur. Vnde & Hieremias ait:Clamauit perdix,
Hierem.17 & congregauit quæ non peperit:id est oua cõgregauit & clamauit quasi ouans suę fraudis effectu.Sed ludit operam, quia impenso labore alij educat, quos ipsa diuturno fotu sedulitatis animauerit.Huius imitator est diabolus,qui generationes creatoris æterni rapere contendit,& si quos insipientes & sensus proprij carentes uigore potuerit congregare,fouens eos illecebris corporalibus, ubi primum uox Christi paruulis fuerit infusa, discedunt,atq; ad eam se conferunt matrem, quę pullos suos sicut auis materno amore complectitur.Congregauit enim diabolus gentiles, quos nõ creauerat:sed ubi in Euangelio suo uocem Christus emisit,ad eum se potissimum contulerunt,quos sub umbra a-
De leonis superbia & ferocitate. larum suarum ipse suscepit,& matri dedit ecclesiæ nutriendos.Leo naturæ suæ ui superbus,ferocitatem sui aliarum ferarum generibus miscere nescit, sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium.Qui etiam cibum fastidit hesternum & ipsas suæ escæ reliquias auersatur. Quæ autem se ei sociare fera audeat, cuius uoci tantus naturaliter ineſt terror,ut multa animantium quę per celeritatem possent impetum eius euadere,
De coloris pardi uarietate. rugientis eius sonitu uelut quadam ui attonita atq; icta deficiant? Nam de pardi specie nec scriptura siluit,quòd uarietate coloris, motus uarios animę suę prodat. Dicit enim
Hierem.13 Hieremias:Si mutabit Aethiops pellem suam:& pardus uarietatem? Non solum enim de figura,sed etiam de mobilitate furoris istud accipitur, eo quòd tenebrosis & inquietis ac mobilibus infidæ mentis atq; animi mutationibus decoloratus populus Iudæorũ,

boni propositi gratiam iam tenere non possit,nec ad emendationem ullam correctionemq; remeare,qui semel ferinam induerit immanitatem.

De qua-

De quadrupedibus quibusdam animalibus, in quorum natura est aliquid quod imitari debemus. Cap. IIII

E Et tamen etiam in natura quadrupedum quod imitari nos sermo adhortatur propheticus, quo exemplo caueamus desidiam, exiguitate uel infirmitate corporis à uirtutis studio non reflectamur, neq; reuocemur ab ullius propositi magnitudine. Exigua est enim formica, quæ maiora suis audet uiribus: neq; seruitio ad operandum cogitur, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimentorum subsidia sibi præstruit. Cuius ut imiteris industriam, scriptura commonet te, dicens: Confer te ad formicam ô piger, & æmulare uias eius, & esto illa sapientior. Illa enim nullã cultura possidet, neq; eam quæ se cogat habens, neq; sub domino agens: quemadmodum præparat escam, quæ de tuis laboribus sibi messem recondit: & cum tu plerumq; egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inuiolabiles acerui. Spectat custos, furtaq; prohibere non audet: aspicit sua damna possessor nec uindicat. Nigro cõuectatur agmine præda per campos, feruẽt semitę comitatu uiantium, & quę cõprehendi angusto ore nõ possunt, humeris grandia frumenta truduntur. Spectat hæc dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia. Quid autẽ de canibus loquar, quibus insitũ est natura quadã referre gratiam, & solicitas excubias pro dominorũ salute prætendere? Vnde ad immemores beneficij, & desides atq; ignauos clamat scriptura: Canes muti, nescientes latrare. Sunt enim canes qui noue rint latrare pro dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde & tu disce uocem tuã exercere pro Christo, quando ouile ecclesiæ incursant lupi graues. Disce in ore tuo uerbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodã præuaricationis silentio deseruisse uidearis. Talis canis uiator & comes angeli est, quem Raphael in libro propheticõ ociose sibi & Tobię filio adiungendum putauit, quando perrexit ut Asmodæum fugaret, firmaret copulam cõiugalem. Memoris enim affectus gratia pellitur dæmonium, stabilitur coniugium. Mutæ itaq; specie bestiæ sanctus Raphael angelus. Tobiæ iuuenis quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectũ. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum uideat etiã bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ seruant memoriam, tu nõ seruas salutis acceptę? Vrsa insidians licet, ut scriptura ait, est enim plena fraudis fera, tamẽ fertur informes utero partus edere, sed natos lingua fingere, atq; in speciẽ sui similitudinemq; formare. Nõ miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinẽ, tu filios tuos instituere similes tui non potes? Quid quod etiam medendi industriã non prætermisit? Siquidem graui affecta cæde, & consauciata uulneribus mederi sibi nouit, herbæ cui nomẽ est phlomos, ut Græci appellant, ulcera subijciens sua, ut solo curentur attactu. Serpens quoq; pastu feniculi cæcitatem repellit exceptã. Itaq; ubi oculos obduci sibi senserit, nota remedia petit, nec fraudatur effectu. Testudo uisceribus pasta serpentis, cum uenenum aduerterit sibi serpere, origano medicinam suę salutis exercet. Et cum sit uolutabris palustribus mersa, curare se tamen proprio nouit antidoto, certoq; auxilio sanitatis, potestates herbarum etiam ipsa scire se comprobat. Videas etiam uulpem lachrymula pinus medentem sibi, & tali remedio imminentis mortis spatia proferentẽ. Clamat ipse dominus in Hieremiæ libro: Turtur & hirundo, agri passeres custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognouit iudicia domini. Nouit hirundo quando ueniat, quando etiam reuertatur: nouit etiam pia auis annũciare aduentus sui testimonio ueris indiciũ: nouit etiam formica explorare serenitatis tempora. Nam cũ aduerterit madidatos imbre fructus suos humescere, explorato diligentius aere quando iugẽ possit seruare tẽperiem, aceruos reserat suos, & de cauernis foras suis humeris exportat, ut iugi sole propria frumenta siccentur. Denicq; haudquaquam illis diebus omnibus rumpi de nubibus imbres uideris, nisi cum fruges suas horreis proprijs formica reuocauerit. Boues pendente pluuia ad præsepia se tenere nouerunt. Idem ubi naturali sensu mutationẽ cœli collegerint, foras spectant, & ultra præsepia ceruices extendũt suas una omnes specie, ut prodire se uelle testentur. Ouis sub aduentũ hyemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eo quòd præsentiat asperitatẽ hyemis futuram, ut se prius herbæ pabulo farciat, quàm gelu

De formicæ industria. Prouer. 6

De canum gratitudine Esa. 56

Tob. 6, & 11

De ursæ pietate in partus suos.

De medendi industria eiusdẽ. De serpẽtis cõtra cæcitatẽ remedio per feniculum.

De testudine.

Hierem. 6

De exploratione serenitatis à formica.

De prænotitia pluuiæ ac cœli mutationis à bobus.

De Echini terreni cautela.

adurente omnis herba deficiat. Echinus iſte terrenus quẽ uulgo hericium uocãt, ſi quid inſidiarum præſenſerit, ſpinis ſuis clauditur, atq; in ſua ſe arma colligit, ut quicunq; eum contingendum putauerit, uulneretur. Idemq; echinus futuri prouidens, gemínas ſibi reſpirandi uias munit, ut quando Boream flaturum collegerit, ſeptentrionalem obſtruat: quando Noto cognouerit detergi aeris nubila, ad ſeptentrionalem ſe conferat, ut flatus declinet obuios, & è regione nocituros. Vnde dignam domino laudem Propheta detu

Pſalm. 103

lit dicens: Quàm magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti. Omnia penetrat diuina ſapientia, implet omnia: idq; locupletius ex irrationabilium ſenſibus, quàm ex rationabilium diſputatione colligitur. Validius eſt enim naturæ teſtimonium, quàm doctrinæ argumentum. Cuiq; animanti incognitum eſt quemadmodum ſuam tueatur ſalutem: ſi uirtus ſuppetit, reſiſtendo: ſi uelocitas, fugiendo: ſi aſtutia, præcauendo. Quis eas uſum medendi, herbarumq; docuit habere notitiã? Homines ſumus, & ſæpe ſpecie herbarũ fallimur, & plerunq; quas ſalubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus letalis irrepſit, & inter ipſas aulicorũ excubias miniſtrorũ,

De naturæ admiranda uirtute.

uitalia regum feralis eſca penetrauit? Feræ ſolo norunt odore noxia & profutura diſcernere: nullo præuio, nullo præguſtatore carpitur herba, nec lædit. Melior enim magiſtra ueritatis natura eſt. Hæc ſine ullius magiſterio ſuauitatẽ ſanitatis noſtris infundit ſenſibus, eadem doloris acerbitatem docet eſſe fugiendam. Hinc uita dulcior, mors amarior. Hæc cõmendat leænæ catulos ſuos, & immitẽ feram materno mollit affectu: hæc tigridis interpellat ferocitatem, & imminentẽ eam prædæ reflectit. Namq; ubi uacuũ raptæ

De tigridis pietate in prolem, & eius deluſione.

ſobolis cubile reperit, illico ueſtigijs raptoris inſiſtit. At ille quamuis equo uectus fugaci, uidens tamen uelocitate feræ ſe poſſe prẽuerti, nec euadendi ullũ ſuppetere ſibi poſſe ſubſidium, technam huiuſmodi fraude molitur: ubi ſe contiguum uiderit, ſphæram de uitro proijcit. At illa imagine ſui luditur, & ſobolem putat, reuocat impetum, colligere fœtum deſiderans. Rurſus inani ſpecie retenta, totis ſe ad comprehendendum equitem uiribus fundit, & iracundiæ ſtimulo uelocior fugienti imminet. Ille iterum ſphæræ obiectu ſequentem retardat, nec tamen ſedulitatem matris memoria fraudis excludit: caſſam uerſat imaginem, & quaſi lactatura fœtus reſidet. Sic pietatis ſuæ ſtudio decepta, & uin-

Epheſ. 6

dictam amittit & prolem. Quid nobis ſcriptura affert quæ dicit? Filij diligite patres ueſtros, parentes nolite ad iracundiã prouocare filios ueſtros? Natura hoc beſtijs infundit, ut catulos proprios ament, fœtus ſuos diligant. Neſciunt illæ odia nouercalia, nec mutato concubitu parentes à ſobole deprauantur, neq; nouerunt præferre filios poſterioris copulæ, ſuperioris autem negligere. norunt pignora ſua, neſciunt charitatis differentiã, odiorum incentiua, offenſionum diſcrimina. Simplex ferarum natura eſt, neſcit ueritatis calumnias. Sic enim omnia temperauit deus, ut quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus. Quæ fera pro catulis ſuis non ipſa potiſſimũ ſe offerat morti? Quæ fera fœtus ſuos, innumeris licet obſeſſa cuneis armatorum, non ſuis uiſceribus tegat? Ingruat licet telorũ ſeges, illa tamen paruulos ſuos muro ſui corporis ſeptos immunes præſtat periculi. Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam obliterat? filius patrem deſpicit, pater abdicat filium, & hoc putant ius eſſe, ubi damnatur fœcunditas. Se potius pater damnat, qui facit irritum eſſe quod genuit. Et hoc putatur authoritatis eſſe, ubi ſterilitate natura multatur. Exortem rationis canem eſſe nemo dubitauerit: tamen ſi ſenſus

De canis ſagacitate & uigore ſenſus.

eius uigorem conſideres, cenſes eum ſentiendi ſagacitate uim ſibi rationis aſciſcere. Denicq; quòd pauci in gymnaſiis conſtituti, qui totam in diſcendo uitæ longæuitatem contriuerint, uix potuerunt cognoſcere, ut ſyllogiſmorum coniunctiones contexerent, hoc naturali canes eruditione comprehendere, facile poterit æſtimari. Nam ubi ueſtigiũ leporis cerui ue repererit, atq; ad diuerticulum ſemitæ uenerit, & quoddam uiarum compitum quod partes in plurimas ſcinditur, obiens ſingularum ſemitarum exordia, tacitus ſecũ ipſe pertractat, uelut ſyllogiſticam uocem ſagacitate colligendi odoris emittens: aut in hanc partem, inquit, deflexit, aut in illam, aut certe in hunc ſe anfractum contulit, ſed nec iſtam, nec illam ingreſſus eſt: ſupereſt igitur ut in iſtam ſe partẽ ſine dubitatione contulerit. Quod homines uix prolixa compoſitæ artis meditatione componunt, hoc canibus ex natura ſuppetit, ut ante mendaciũ deprehendant, & poſtea falſitate repudiata inueniant ueritatẽ. Nonne totos dies conterunt philoſophi, propoſitiones ſibi in pul

uerem

uerem diuidentes, qui radio sibi describunt singulas, & ex tribus, cum unam earũ ueram esse necesse sit, duas primo interficiunt tanquam mendacio cõgruentes, & sic in ea quæ relicta est, uim ueritatis inhærere definiunt? Quis tam tenax potest esse beneficij, & memor gratiæ? quando quidẽ pro domino etiã in latrones insilire nouerũt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, & cõmori cum dominis sint parati? Sæpe etiam necis illatæ euidentia canes ad redarguendos reos indicia prodiderũt, ut muto eorũ testimonio plerumq; sit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiori parte urbis crepusculo necatũ uirum, qui canem sibi adiunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minister cædis extiterat, tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat: iacebat inhumatũ cadauer, frequens spectantiũ uulgus astabat, canis questu lachrymabili domini deflebat erumnam. Forte is qui necem intulerat (ut se habet uersutia humani ingenij) quo conuersandi in medio authoritate præsumpta fidẽ adscisceret innocentiæ, ad illam circunspectantis populi accessit coronã, & uelut miserans appropinquauit ad funus. Tũ canis sequestrato paulisper questu doloris, arma ultionis assumpsit, atq; apprehensum tenuit, & uelut epilogo quodã miserabile carmen immurmurãs, uniuersos conuertit in lachrymas, fidemq; probationi detulit, quòd solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Denicq; perturbatus ille, quòd tam manifestum rei indicem, neq; odij, neq; inimicitiarum, neq; inuidiæ, aut iniuriæ alicuius poterat obiectione euacuare, crimen diutius nequiuit refellere. Itaq; quod erat difficilius, ultionem persecutus est, quia defensionem præstare non potuit. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo uescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpe inimicis dei eas quas à deo accepimus, epulas exhibemus? Quid agniculis simplicius, quos minusculæ paruulorum cõparamus infantiæ? Sæpe ex his in magno grege agniculus per ouilia tota uagatus errat à matre, & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem incitat, ut responsuræ uocẽ excitet, quo ab eius sono errabunda replicet uestigia, multis licet uersetur in milibus ouiũ, recognoscit uocem parentis, festinat ad matrem, lactis quoq; materni notos sibi fontes requirit, quamuis cibi desiderio detineatur & potus, transcurrit tamen aliena ubera grauida, licet humore lactis exundent, solam matrẽ requirit, solius sibi materni uberis pauperes succos significat abundare. Illa quoq; inter multa agniculorum milia solum filium nouit, unus quamuis plurimorum balatus, eadem species, sed illa tamen fœtum suum discernit à cæteris, & solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretione ouium, agniculus in agnitione matris nescit errare. Pastor fallitur specie, sed ouis pietate non fallitur. Vnus odor omnibus, sed tamen habet natura odorem suũ domesticum, quem soboles chara speciali quadã uidetur proprietate redolere. Habet suos usus natura, & sensus domesticos. Vix infantulo cœperunt dentes prorumpere, & iam nouit sua arma tentare. Nondũ catulo dentes, & tanquam habeat, ore proprio se quærit ulcisci. Nondum ceruo cornua, & tamẽ fronte præludit atq; ex ea quæ nondũ expertus sit tela minitatur. Lupus si prior hominem uiderit, uocem eripit, & despicit eum tanquã uictor uocis ablatæ. Idem si se preuisum senserit, deponit ferociam, non potest currere. Leo gallum, & maxime albũ ueretur. Caprea uulnerata dictamũ petit, & de uulnere excludit sagittas. Norunt & bestiæ remedia sua. Leo æger simiam quærit ut deuoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ agrestis sanguinẽ bibit, & uim languoris euitat. Omnis fera ægra canis hausto curatur sanguine. Vrsus æger formicas deuorat. Ceruus oleæ ramusculos mandit. Ergo feræ norũt expetere ea quæ sibi prosunt, tu ignoras ô homo remedia tua? Tu nescis quomodo uirtutẽ eripias aduersario, ut te tanquã præuẽtus lupus effugere non possit, ut oculo tuę mentis eius perfidiã deprehendas, & prior cursum uerborũ eius impedias, impudentiã eius, & acumen disputationis obtundas. Quod si te ille præuenerit, uocẽ tibi aufert: & si obmutueris, solue amictũ tuũ ut sermonem resoluas. Et si in te insurrexerit lupus, petrã capis, & fugit. Petra tua Christus est. Si ad Christũ confugias, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petrã quæsiuit Petrus cũ titubaret in fluctibus & inuenit quod quæsiuit, quia dexterã amplexus est Christi. Quid dicã allio homines delectari, & illud ad escã sumere, quod & leopardus fugit? Denicq; si cubi allium aliquis confricandũ putauerit, leopardus inde exilit, nec resistit. Cuius uenenata fera odorem non potest sustinere, id tu pro cibo sumis, & uisceribus infundis internis? Sed medi

De memoria beneficiorum, & fidelitate canũ.

De ereptione uocis hominis à lupo.

Quod leo gallum ueretur.

1. Cor. 10

Quod alliũ fugiat leopardus.

catur interdum doloribus. Sumatur pro medicamento non pro cibo: sumatur ab ægrotantibus, non ab epulantibus. Medicamentum quæris, & ieiunium fugis, quasi maius aliud remedium reperire possis. Ieiuni hominis sputum si serpens gustauerit, moritur. Vides quanta uis ieiunij sit, ut & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritalem. Quantam dominus etiam minusculis infudit prudentiam? Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superiacit. Nouit enim quod huiusmodi folia lupi fugere consuerint. Nouit auicula quomodo posteritatem foueat suam, & tu ignoras, tu negligis quomodo aduersum lupos nequitiæ spiritalis posteritatē uitæ huius habeas tutiorem?

Qua ratione dominus alijs bestijs angustiora, alijs prolixiora colla formauerit. Et elephantorum descriptio quantum ad membra, & proprietates eorum. Cap. V

Sed reuertamur ad seriem creaturæ, & consideremus qua ratione dominus alijs bestijs angustiora colla formauerit, ut leonibus atq; tigridibus, ursis quoque: alijs prolixiora, ut elephantis, & camelis. Nónne euidens causa est, quia illis feris quæ carne uescuntur, nō erat opus prolixitate ceruicis? Non enim in terras pascendi gratia ceruicem atq; ora dejiciunt, sed aut ceruum inuadunt, aut bouem ouemq; discerpunt. Camelus uerò cum sit altior, quomodo herbis minutissimis pasceretur, nisi longiora usq; ad terram colla ad usum pastionis extenderet? Itaq; camelus pro ratione proceritatis suæ prolixiora colla sortitus est. Equus pro ratione, bos quoq; simili modo. Hi enim pascuntur herbis. Elephantus autem etiam prominentem promuscidem habet quia cum sit eminentior cunctis, se inclinare ad pascendum non potest. Itaq; promuscidis ad colligendum cibum utitur ministerio. Ea immani bestiæ largi potus infundit humorem, ideoq; concaua est, quo ad restinguendam tantæ beluæ sitim plenos lacus hauriat, aut collecto flumine possit undare potantem. Ceruix sane minor est quàm poscat tanti corporis moles, ne ea quoq; oneri magis esset quàm usui. Ideoq; nec genua inflectit, quia rigidioribus opus fuit cruribus, quo uelut columnis tanta possit membrorum machina sustineri. Calcaneum leuiter incuruat, rigent cætera pedum à summo usq; ad imum. Nec sicut nos, in chylas nos sæpe deponimus, ita se etiam bestia potest tanta deflectere, meritoq; non uoluendi se, neq; recubandi usum cum cæteris animantibus potest habere cōmunem. Fulcitur hincinde trabibus maximis, ut in somnū aliquantulū sine periculo reflectatur, quia pes eius nulla artuū coniunctione distinguitur. Mansuetis igitur ueluti quædam fulcra eorum quibus hic usus est, parantur ingenio: feris autem & agrestibus quia nemo huiusmodi quibus sustentari queant fulcra substernit, hinc uenit usus periculi. Namq; arbori innixi aut costas fricāt, aut in somnū sese relaxant. Quæ non nunquam uicta atq; inflexa tanto corpore frangitur, atq; ille qui sese in candē resuderat, corruit, nec erigere atq; eleuare se potest, ibiq; iacēs interit, aut gemitu suo proditus sternitur, dum uentre cæteriscq; iuxta mollioribus ad uulnus patet. Nā dorsum eius cæteraq; exteriora non ulla facile solent tela penetrare. Sunt autem qui propter ebur has illis insidias parent, ut arbores eas quibus se applicare cōsueuerint, ex alia parte quà infrequentior usus eis sit, aliquantulū recidāt: ut reflectente se elephanto, pondus membrorū eius sustinere nō possint, ruinamq; eius arcessant. Sed si quis ista reprehendit, reprehendat etiam altitudines ædificiorum, quæ citius grauē minantur ruinam, & difficilius lapsa reparantur. Verum si illa aut propter pulchritudinē, aut propter speculā frequenter attollimus, hæc quoq; in elephantis probare debemus, quia magnū rebus bellicis usum ministrāt. Inde gens Persarū ferox bellis, ualida sagittis, omniumq; telorū iactu, quia de superioribus ad inferiora ualidiore nisu tela torquentur, acies eorū uelut gradientibus turribus septa procedit. In medijs campis tanquā de muro dimicant, & uelut in arce quadam & specula collocati, spectāt magis bella quàm subeunt. Ita alieni à periculo uidētur, tuti molibus bestiarū. Quis em̄ eos adire audeat, cùm desuper iaculis facile figatur, inferius elephantorum conteratur incursu? Deniq; cedunt illis acies & armatorum cunei, & castra illa quadrata soluuntur. Intollerabili nanq; impetu in hostes ruunt, ut nullo agmine bellatorum, nulla constipatione militū, nullo clypeorum retardentur obiectu: uelut quidam mobiles montes uersantur in prælijs, & ut colles alto eminent uertice, mugitus fragore om-

Elephanti promuscis.

De eiusdem ceruice.

Cur trabibus fulciatur.

De insidijs quæ elephantis propter ebur parā tur.

De usu quem elephanti rebus bellicis ministrant.

gore omniũ perturbant confidentiam. Quid his faciat pedes, quamuis lacertis ualidus, & manu promptus, cum sibi septus armatorũ populus gradientium ut murus occurrat? Quid faciat eques, cum equus eius perterrefactus, tantæ bestiæ immanitatẽ diffugiat? Quid faciat sagittarius, quum desuper ferrata uirorum corpora iaculi ictum sentire non possint: bestia quoq; nec nuda facile penetrabilis ferro sit, & munita loricis obuias sine sui periculo acies secet, & conterat turmas? Itaq; ut immensa ædificia, ita elephanti fundamentis ualidioribus sustinent, alioquin imparibus fulti pedib. intra breuem laberentur ætatem. Nunc autem & trecentis & amplius feruntur annis uitam producere, quia omnia sibi ad magnitudinẽ membra conueniunt. Ideoq; non distincti ut nobis sed compacti artus sunt, quo sint robustiores. Quàm cito hominibus, si diu steterint, aut uelocius cucurrerint, uel iugiter ambulauerint, genua uexant & plantæ. Cõiuncta enim & articulata facilius quàm concreta atq; solidata, aut doloris sensum, aut casum offensionis admittunt. Et quid miraris, si uestiti armis timentur, quandoquidem dentibus suis tanq; naturalib. spiculis semper armati sunt? Promuscide sua quicquid inuoluerint, frangunt: pede quicquid compresserint, uelut quodam lapsu ruinæ ingẽtis exanimant. Inuoluunt promuscide nemora ad sui escam, & quasi quidam altissimi dracones serpentinis quos ceperint spiris flagellant. Plerunq; eas in orbem colligunt, maximè cum de terra cibus legitur, aut potus hauritur. Documento itaq; nobis sunt, quòd nihil superfluum sit creatum, & tamen hæc tantæ molis bestia subiecta nobis, imperijs seruit humanis.

De lõgitudine uitæ elephantorum.

De dentib. quibus armantur elephanti.

De promuscidis & pedis uiribus.

De prælibatione cõmendationis humanæ creaturæ, cum exhortatione ut homo seipsum noscat, & sibi attendat. Cap. VI

E Tenim quoniã de hominis creatura dicturi sumus, cõmendationem ei præstruere & prælibare debemus. Videbatur nihil elephantis creatura habere robustius, nihil tam terribile uel procerum, nihil tam ferum quàm leones uel tigrides sunt: & hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliuiscunt quòd nata sunt, induunt quod iubentur. Quid multa? Docẽtur ut paruuli, seruiunt ut infirmi, uerberant ut timidi, corrigunt ut subditi, in mores transeũt nostros, quoniam motus propríos perdiderũt. Mirabilis igitur natura in maximis, mirabilis eẽ in excelsis dominus, mirabilis etiam in minimis. Sicut enim non minus plana camporũ quàm montium alta miramur, nec plus altitudinem cedri stupemus, quàm uitis aut oleę breuis fœcunditatem: ita non amplius miror elephantum quia procerus est, q̃ murem qui terribilis elephanto est. Naturæ igitur hæc potentia est: ut terribilia alijs, alijs meticulosa sint. Est enim donata prærogatiua quædam singulis creaturis, ut quibusdã priuilegijs propríjs fulciantur. Formidabilis tauris elephantus, murem timet. Leo quidẽ rex ferarum, exiguo scorpionis aculeo exagitatur, & ueneno serpentis occidit. Eximia leonis pulchritudo comantes ceruice thoros excutit, cum sublato serpens pectore attollit ora. Sed quis non miretur tam breui scorpionis aculeo ut incorporeum putes, ingentiũ corporũ excire mortem? Nec hoc quisquam reprehendat, quòd creator serpentes creaturis suis aliaq; uel animantiũ uel herbarum genera uenenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad correptionẽ nostram, nõ ad deformationem. Nam quæ ignauis, aut infirmis, aut impijs plerunq; offensioni atq; terrori, sunt alijs usui. Ita sunt hæc ut pædagogi paruulis. Amari uidentur, acerbi & molesti, formidabiles uerbere, libertatem lasciuiendi negãt, necessitatẽ disciplinæ exigunt, pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore constringũt, ideoq; horũ austeritate frugi euadunt, sobrij, continentes, laudi magis quàm ludo dediti. Vides quid terribilia illa flagella proficiant? Sic & serpentes flagella sunt eorum quibus infirma animi ætas, & quædam puerilis mentis est uirtus: cæterum fortioribus nocere non possunt. Denicq; confidenti in domino dictũ est: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconem. Paulũ momordit uipera, & putabant eum quasi peccatorẽ uix de naufragio seruatum, ueneno esse moriturum: sed posteaq; inuio labilis permansit, excussa in ignem uipera, plus apud intuẽtes uenerationis inuenit. Sed & ipse dominus ad omnes ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui uerò nõ crediderit, condemnabit. Signa aũt credentium hæc dixit fore, ut serpentes manu mulceant, uenena his atq; omne mortiferũ, etiamsi biberint, nocere nõ possint. Tua igit̃ tibi magis incredulitas ô homo, q̃ uenena metuenda serpentium sunt. Time igitur illa,

Psalm. 90

Act. 28

Matth. 16

ut saltem dum formidantur illa, ad fidem prouocare te possint. Quòd si deũ non times, uel ultricia perfidiæ uenena formides. Nunc quoniã & elephantos uides tibi subditos, & leones esse subiectos, nosce teipsum ô homo: quod non (ut ferunt) Apollinis Pythij, sed Salomonis sancti est, qui ait: Nisi scias te formosa in mulieribus. quanq; multo antea Moyses in Deuteronomio scripserit: Attende tibi ô homo. Attende tibi, ait lex. Et propheta ait: Nisi scias te. Cui hoc dicit? Formosa, inquit, in mulieribus. Quæ est pulchra in mulieribus, nisi anima, quæ in utroq; sexu præstantiam possidet pulchritudinis? Et meritò decora est, quæ non terrena sed cœlestia: non corruptibilia sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non soleat. Corporalia enim omnia processu ætatis, aut ęgritudinis inæqualitate marcescunt. Huic attende, dicit Moyses, in qua tu totus es, in qua
Matth. 7 melior tui portio est. Denicq; interpretatus est dominus quis sis tu, dicens: Attendite uobis à falsis prophetis. Isti enim animam debilitant, mentẽ subruunt. Non igit̃ caro tu es. Quid enim est caro sine animæ gubernaculo, mentis uigore? Caro hodie sumitur, cras deponitur. Caro tẽporalis, anima diuturna. Caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis uestimento. Non igitur tu uestimentũ es, sed qui uestimento uteris. Ideo
Coloss. 3 tibi dicitur, ut expolians ueterem hominem cum actibus eius, nouum induas, qui nõ in corporis qualitate, sed in spiritu mentis, & agnitione renouatur. Nõ, inquam, caro es tu.
1. Cor. 3 Neq; enim carni dicitur: Templum enim dei sanctum est, quod estis uos. Et alibi: Templum dei uos estis, & spiritus sanctus habitat in uobis. Sed renouatis dicit̃, & fidelibus,
Ibidem. in quibus permanet spiritus dei. In carnalibus autem non permanet, quia scriptum est:
Genes. 3 Non permanebit spiritus meus in istis, quoniam carnes sunt.

De nostræ creationis serie. Et quid sit imago dei, cum iterata adhortatione, ut homo sibi attendat, & seipsum sciat. Cap. VII

Genes. 1 Ed prius ipsius creationis nostræ seriem considerabimus. Faciamus, inquit, ho
8 minem ad imaginem & similitudinem nostram.] Quis hoc dicit? Non'ne deus qui te fecit? Quid est deus? Caro, an spiritus? Nõ caro utiq;, sed spiritus. Cuius similis caro esse non potest, quia ipse incorporeus & inuisibilis est, caro autẽ comprehenditur & uidetur. Cui dicit? Non sibi utiq;, quia non dicit faciã, sed faciamus. Non angelis, quia ministri sunt: serui aũt cum domino, & opera cum authore non possunt operationis habere consortium: sed dicit filio, etiamsi Iudæi nolint, etiam si Arriani repugnent. Sed & Iudæi conticescant, & Arriani cum suis paribus obmutescant, qui dum unum à consortio diuinæ operationis excludunt, plures inferũt: & prærogatiuam quam filio negant, seruulis donant. Sed esto, ut adminiculo seruulorum ad operandũ deus uobis indiguisse uideatur. Si operatio cõmunis est cum angelis deo, nunquid deo & angelis imago cõmunis est? Nunquid angelis diceret: Faciamus hominem ad nostram ima-
Coloss. 1 ginem & similitudinem? Sed qui sit imago Dei, audi dicentẽ: Qui eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suę, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorũ, qui est imago dei inuisibilis, & primogenitus uniuersæ creaturæ. Ipse est imago dei patris, qui semper est, & erat in principio. Denique
Ioan. 4 imago est qui dicit: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem. Et quomodo tu cum imaginem uiuam patris uiuentis uideas, dicis: Ostende nobis patrẽ? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Imago dei, uirtus est, non infirmitas: imago dei sapientia est, & imago dei iustitia est. Sed sapientia diuina est sempiterna iustitia. Imago dei est solus ille
Ibidem 10 qui dixit: Ego & pater unum sumus: ita habens similitudinẽ patris, ut diuinitatis & plenitudinis habeat unitatẽ. Vbi dicit, Faciamus: quo modo inæqualitas? Cum iterũ dicat, Ad similitudinẽ nostram: ubi est dissimilitudo? Sic & in Euangelio ubi dicit: Ego & pater, utiq; nõ una persona est: ubi aũt ait, Vnũ sumus, nulla est discrepantia diuinitatis aut operis: nõ igit̃ in utroq; una persona, sed una substãtia est. Et bene addidit, Sumus: quia semper esse diuinũ est, ut coæternũ credas, quem putabas dissimilem esse. Aeternus est
Exod. 3 enim, de quo dicit Moyses: Qui est, misit me. Pulchrè etiam illud prẽmisit: Ego & pater. Nam si patrẽ præmisisset, tu minorem filiũ iudicares: sed præmisit filium, quem nõ conuenit credi patre superiorẽ. Adiunxit patrẽ, ut aduertas deum patrẽ & filiũ eius ordinis præiudicio non teneri. Attende, inquit, tibi soli. Aliud enim sumus nos, alia sunt nostra, alia quæ circa nos sunt. Nos sumus, hoc est, anima & mens: nostra sunt corporis mẽbra,

& sensus

& ſenſus eius: circa nos pecunia eſt, ſeruí ſunt, & uitæ iſtius apparatus. Tibi ergo attende, & teipſum ſcito, hoc eſt non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas poſſeſsiones, quantam potentiam, ſed qualem animam ac mentẽ, unde omnia conſilia proficiſcunt, ad quam operum tuorum fructus refertur. Illa eſt ẽm plena ſapiẽtiæ, plena pietatis atq; iuſtitiæ, quoniã omnis uirtus à deo eſt. Cui dicit deus: Ecce ego Hieruſalem pinxi muros tuos. Illa anima à deo pingitur, quę habet in ſe uirtutum gratiam renitentem, ſplendoremq; pietatis. Illa anima bene picta eſt, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta eſt, in qua eſt ſplẽdor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget, pictura precioſa eſt. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum: ſed ubi lapſus eſt, depoſuit imaginem cœleſtis, ſumpſit terreſtris effigiem. Sed fugiamus hanc imaginem quæ intrare ciuitatẽ dei non poteſt, quia ſcriptum eſt: Domine in ciuitate tua imaginẽ eorum ad nihilum redíges. *Pſalm. 72*

Et non intrat indigna imago, & quæ intrauerit excluditur, quia non intrabit, inquit, in eam omne cõmune, & qui facit execrationem & mendacium, ſed ille intrabit in eam cuius in fronte agni nomen ſcriptum eſt. Anima igitur noſtra ad imaginem dei eſt. In hac totus es homo, quia ſine hac nihil es, ſed es terra, & in terram reſolueris. Denique ut ſcias quia ſine anima caro nihil eſt: Nolite, inquit, timere eos qui poſſunt corpus occídere, animam autem non poſſunt. *Matth. 10*

Quid igitur in carne præſumis, qui nihil amittis, ſi carnem amiſeris? Sed illud time, ne animæ tuæ defrauderis auxilio. Quam enim dabit homo cõmutationem pro anima ſua, in qua non exigua ſui portio, ſed totius humanæ uniuerſitatis ſubſtantia eſt? Hæc eſt per quam cæteris ferarum auiumq; dominaris animantibus: hæc eſt ad imaginem dei, corpus autem ad ſpeciem beſtiarum. In hac pium diuinæ imitationis inſigne, in illo cum feris ac beluis uile conſortium. *Matth. 16*

De elimatiori tractatu quid ſit ad imaginem Dei. Et de anima quomodo ſit ad imaginem dei. Et utrum de ea dici potuerit: Faciamus hominẽ ad imaginẽ noſtram: utrum pręterea ſecundum corpus, an ſecundũ animam iuſtificatio conferri uideatur, cum uehementiori incitatione ut homo ſeipſum agnoſcat, & ſibi attendat. Cap. VIII

Ed tractemus elimatius quid ſit ad imaginem dei. Caro nunquid ad imaginem dei eſt? Ergo in deo terra eſt, quia caro terra eſt? Ergo corporeus deus? Ergo infirmus ut caro, paſſionibusq; ſubiectus? Et forte caput tibi uideatur ad ſimilitudinem dei, quia eminet: aut oculi, quia intuentur: uel aures, quia audiunt. Si altitudinem ſpectes, num proceri uidemur, quia paululum uertice eminemus à terris? Sed id non pudet, eò nos ſimiles dei dici, quia ſerpentib. cæterisq; reptantibus, aut quia damulis atq; ouibus aut lupis celſiores ſumus? Et quanto in hac parte camelí nobis atq; elephanti proceriores ſunt? Obtutus eſt quidem præſtans, ſpectare elemẽta mundi, cognoſcere quæ nullus annunciet, ſed tuus deprehendat aſpectus: uerùm hoc ipſum quantum eſt quod uidemus, ut eo ad ſimilitudinẽ dei nos eſſe dicamus, qui omnia uidet, ſpectat omnia, latentes deprehendit affectus, ſcrutatur cordis occulta? Non pudet hoc dicere, cum ipſe me totum uidere non poſſim? Quod ante pedes eſt, uideo: quod à tergo eſt, uidere non poſſum. Ceruicem meam neſcio, non noui occipitium, renes meos uidere non poſſum. Similiter quantum eſt quod audimus, cum id quod paululum diſtet, uidere & audire non poſſim? Si interiecti parietes ſint, impeditur aſpectus, impeditur auditus. Deinde corpus noſtrũ uno in loco hæret, anguſto includitur ſpacio. Omnes feræ latiores ſunt homine, omnes etiam uelociores. Non ergo caro poteſt eſſe ad imaginem dei, ſed anima noſtra, quæ libera eſt, & diffuſis cogitationib. atq; cõſiliis huc atq; illuc uagatur, quæ cõſiderando ſpectat omnia. Ecce nunc ſumus in Italia, & cogitamus quæ ad Orientales aut Occidẽtales partes ſpectare uidenẽ: & cũ illis uerſari uidemur, qui in Perſide ſunt cõſtituti, & illos uidemus qui degũt in Africa. ſi quos cognitos nobis ea terra ſuſceperit, ſequimur proficiſcẽtes, inhęremus peregrinantibus, copulamur abſentibus, alloquimur ſeparatos, defunctos quoq; ad colloquiũ reſuſcitamus, eosq; ut uiuentes cõplectimur, & tenemus, & uitę officia his uſumq; deferimus. Ea igitur eſt ad imaginẽ dei, quæ non corporeo æſtimatur, ſed mentis uigore: quæ abſentes uidet, tranſmarina uiſu obit, percurrit aſpectu, ſcrutatur abdita, huc atque illuc uno momento ſenſus ſuos per

totius orbis fines & mundi secreta circumfert, quæ deo iungit, Christo adhæret, descendit in infernum, atq; ascendit, libera uersatur in cœlo. Denicq; audi dicentem: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Non est ergo ad imaginem dei, in qua deus semper est?

Philip. 3 Sed audi quia ad imaginem dei. Dicit enim Apostolus: Nos itaque omnes reuelata fa-
2. Corinth. 3 cie gloriam dei speculantes, ad eandem imaginẽ reformamur, à gloria in gloriam, sicut à domini spiritu. Quia igitur cognouimus animam esse ad imaginem dei, nunc consideremus utrum de anima potuerit dici, Faciamus hominem ad imaginẽ. Sed audi & istud,
Genes. 1 Exod. 1 quia anima nomine hominis nuncupatur. Scriptum est enim in Genesi: Filij aũt Ioseph qui facti sunt illi in Aegypto: animæ nouem. Omnes ergo animæ quæ intrauerunt cum Iacob in Aegyptũ, septuagintaquinq;. Et multo aptius anima uel homo Latinè, uel Græcè ἄνθρωπος dicit: alterum ab humanitate, alterũ ab intuendi habens uiuacitate: quę magis animæ & corpori conuenire non dubium est. Cui rei etiam illud iure concurrit dictum in Threnis Hieremiæ: Bonus est dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit
Thren. 3 eum. De hominibus dixit, & animã adijciendam putauit. Melius enim quærit ista si sola sit, abducens se à corporis cœno, & à cupiditate carnali. Ipsa est ad imaginem dei, cõformis domini Iesu. Qui aũt conformes filij dei, sancti sunt. Sic enim legimus, dicente Paulo:
Rom. 8 Scimus aũt quoniam diligentibus deum omnia concurrunt in bonum, ijs qui secundum propositũ uocati sunt sancti: quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos aũt prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & clarificauit. Vtrum igitur secundum corpus, an secundũ animam iustificatio tibi conferri uideatur, quæso respondeas. Sed dubitare non potes: cum iustitia, unde iustificatio deriuata est, mentis tuæ utiq; nõ corporis sit. Pictus es ergo ô homo, & pictus à domino deo tuo. Bonum habes artificem atq; pictorem. Noli bonam delere picturam: nõ fuco, sed ueritate fulgentem: non cera expressam, sed gratia. Deles picturam mulier, si uultũ tuum materiali candore oblinas, si acquisiticio rubore perfundas. Illa pictura uitij, non decoris est: Illa pictura fraudis, non simplicitatis est: Illa pictura tẽporalis est, aut pluuia aut sudore tergitur: Illa pictura fallit & decipit, ut neq; illi placeas cui placere desideras, qui intelligit non tuum sed alienũ esse quod placeas: & tuo displiceas authori, qui uidet opus suũ esse deletũ. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterũ, qui opus illius superioris nouis operibus obducat, nonne indignatur ille qui opus suum adulteratũ esse cognouerit? Noli tollere picturam dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est: Tol-
1. Cor. 6 lam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit. Quod si quis adulterat opus dei, graue crimen admittit. Graue est enim crimen, ut putes quod melius te homo & deus pingat. Graue est ut dicat de te deus, Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, nõ agnosco uultũ quem ipse formaui, reijcio ego quod meũ non est. Illum quære qui te pinxit, cum illo habeto consortium: ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. Quid respondebis? Quod si graue est adulterare opus dei, quid de illis dicemus qui interficiũt opus dei, qui humanũ sanguinem fundunt, qui uitam quam deus donauit extorquent, qui dicunt: Tollamus iustũ, quia inutilis est nobis? Vnde bene le-
Matth. 8 ctum est hodie: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, ubi requiescant: filius autem hominis nõ habet ubi caput suum reclinet. Vulpes ergo se abscondit in fouea, auis se tuetur in nido: homo non absconditur in fouea, sed decipit. Fouea uerò os hominis est, fouea alta pectus est hominis, ubi sunt noxia & fraudulenta consilia, malæ cogitationes. Tu ambulas, & alius tibi foueam parat. In medio laqueorũ ambulas, quos absconderunt tibi in uia inimici tui. Omnia ergo circumspice, ut effugias sicut damula de retibus, & sicut auis de laqueo. Damula retia aspectus uiuacitate declinat: auis deuitat laqueos, si ad superiora se cõferat, & terrena superuolet. In superiorib. eñ nemo tendit retia, laqueũ nullus abscõdit. Ideo cuius cõuersatio in supernis est, huius nõ solet in prædã uenire captura. Sed quid miraris si homo decipit ab homine, quando filius hominis ubi requiescere non habebat? Et ille quidẽ talem hominẽ fecit, in quo caput suum reclinaret. Sed posteaquã in pectore nostro non requies proximi cœpit esse sed fouea, posteaquam alter alteri nectere cæpit insidias, quem iuuare deberet, caput suum Christus auertit à nobis. Sed postea tamen maluit illud morti offerre pro nobis. Noli igitur esse fraudulentus

dulentus, crudelis, immitis, ut in te Christus caput reclinet. Deniq; cum fecisset piscium beluas, cum fecisset ferarum genera & bestiarũ, non requieuit. Requieuit autem postea quàm hominem ad imaginem suam fecit. In quo requiescat, audi dicẽtem: Supra quem requiescam, nisi super humilẽ & quietum, & trementẽ uerba mea? Esto ergo humilis & quietus, ut in tuo deus requiescat affectu. Qui non requieuit in bestijs, multo magis non requiescit in pectore bestiali. Sunt enim animi bestiales, sunt ferę forma hominum indutæ, de quibus dicit dominus: Attendite uobis à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueste ouium, intus autẽ sunt lupi rapaces. In his ergo non requieuit deus: sed requieuit in moribus humanis, quos fecit deus ad imaginem suam & similitudinem: quando fecit uirum, qui non debet uelare caput suum, quoniã imago & gloria est dei. Huius uiri animæ dicit: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Nõ dixit: pinxi uentrem tuum, non dixit: pinxi inferiora tua, sed dixit: Pinxi muros tuos, ualida se asserẽs homini murorum dedisse præsidia, ut si peruigil speculator in portis sit, obsidionis possit periculum propulsare. Dicit itaq; Non tibi uoluptates dedi, non illecebras cupiditatũ, non incentiua luxuriæ, non alieni decoris concupiscentiam: sed dedi tibi fundamẽta muralia, dedi tibi turrium excelsa fastigia, in quibus cõstitutus expugnari ab hoste non metuas, nec ingruentium legionum terribilia licet tentamẽta formides. Deniq; habes in Esaia, quia iusti anima dicit uel ecclesia: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Munita per Christũ, obsessa per diabolum. Sed non debet obsidionẽ uereri, cui Christus adiutor est. Munitur enim gratia spiritali, & secularibus periculis obsidetur. Vnde & in Canticis habes dictũ: Ego murus, & ubera mea turres. Murus est ecclesia, turres eius sunt sacerdotes, quibus abundat & de naturalibus uerbum, & de moralibus disciplina. Cognosce ergo te decora anima, quia imago dei es: cognosce te homo, qui gloria es dei. Audi quomodo gloria. Propheta dicit: Mirabilis facta est cognitio tua ex me. hoc est, in meo opere tua mirabilis est facta maiestas: in consilio hominis tua sapientia prædicatur. Dum me intueor, quem tu in ipsis cogitationibus occultis & internis affectibus deprehẽdis, scientiæ tuę agnosco mysteria. Cognosce ergo te ô homo quantus sis, & attende tibi, ne quando laqueis implicatus diaboli, fias præda uenantis: ne forte in fauces tetri illius leonis incurras, qui rugit & circuit quærens quẽ deuoret. Attẽde tibi, ut cõsideres quid in te intret, quid ex te exeat. Non de cibo dico, qui absorbetur & egeritur: sed de cogitatiõe dico, de sermone affero. Non in te intret alieni thori concupiscentia, non irrepat in tuã mentem: non rapiat oculus tuus trãseuntis fœminæ pulchritudinẽ, animus nõ includat: nõ sermo tuus tentamentorum machinas nectat, nõ in dolo prodat, nõ maledico proximũ aspergat opprobrio. Venatorem te fecit deus, non expugnatorem, qui dixit: Ecce ego mitto uenatores multos: uenatores non criminis, sed absolutionis: uenatores non culpę utiq; sed gratię. Piscator Christi es, cui dicit: Amodo eris homines uiuificans. Sic mitte retia tua, sic mitte oculos tuos, sic mitte sermones tuos, ut nullum opprimas, sed alleues fluctuantem. Attende inquit, tibi. Sic sta, ne cadas: sic curre, ut ad brauium peruenias: sic certato, ut sæpe decernas, quia legitimo debetur corona certamini. Miles es, hostẽ diligenter explora, ne tibi nocturnus irrepat: athleta es, manibus aduersario propior esto quàm uultu. Ne oculum feriat tuum, liber obtutus sit, argutus incessus, ut irruẽtem effundas, cedentem occupes, uulnus uigilanti aspectu exeas, forti congressu repellas. Quòd si fueris uulneratus, attende tibi, curre ad medicum, quære remedium pœnitentiæ. Attende tibi, quia carnem habes quę cito labitur. ueniat tibi bonus animarum medicus, sermo diuinus, aspergat tibi oracula domini tanquam medicamenta salubria. Attende tibi, ne fiat uerbum absconditum in corde tuo iniquum. Serpit enim sicut uenenum, & letalia infert contagia. Attende tibi, ne obliuiscaris deum qui fecit te, ne nomen eius in uanum accipias. Attende tibi; lex dicit, ne cum manducaueris, & satiatus fueris, & domos ædificaueris, & habitare cœperis, & pecoribus tuis repletus fueris, & auro & argento abũdaueris, & omnibus quæcunq; tibi fuerint, in multitudine exaltes te corde, et obliuiscaris dominum deum tuum. Quid enim habes homo quod nõ accepisti? Nónne hæc omnia sicut umbra prætereũt? Nónne domus tua hæc puluis est & ruina? Nónne hæc omnia, fabula? Nónne seculi thesaurus, uanitas est? Nónne tu ipse es cinis? Respice in sepulchra hominũ, et uide quid ex te nisi cinis & ossa remanebũt, hoc est ex corpore tuo: respice, inquã, & dic mihi quis ibi dives,

Esa. 66

Matth. 7

1. Corin. 11

Esa. 27

Cantic. 8

Psal. 138

1. Petr. 5

Hierem. 16

Luc. 5

Deut. 8

1. Cor. 4

dīues, quis pauper sit. Discerne inopes ac potentes. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadauera mortuorū, nisi forte quòd grauius fœtēt diuitū corpora distenta luxurie. Quem audisti pauperem cruditate defunctū? Prodest illi inopia
Psalm.36 sua: exercet corpus, non opprimit. Nec tamen audiuimus iustum derelictum, & semen eius quærens panem: quoniam qui bene operatur in terra sua, abūdat alimētis. Attende ergo tibi dīues, quia & tu carnē portas sicut pauper. Attēde tibi pauper, quia anima tua preciosa est: & si caro mortalis, diuturna anima: & si tibi deest pecunia, non deest gratia: & si non est domus ampla, non diffusa possessio, cœlum patet, terra libera est. Omnibus in cōmune elementa donata sunt, patēt æque diuitibus atq; pauperibus ornamēta mundi. Nūquid pulchriora preciosissimarū domorū aurata laquearia, quàm cœli facies, stellis insignita fulgētibus? Nunquid latiora diuitū rura, quàm spatia terrarū? Vnde ad eos
Esaiæ 5 qui domum ad domū, & uillam ad uillā iungunt, dictum est: Nunquid soli habitabitis su
Baruch.3 per terram? Maiorem domum tu habes pauper, in qua clamas, & exaudiris. O Israel, inquit propheta, quàm magna est domus dei, & ingēs locus possessionis eius: magnus, &
Matth.19 non habet finem, altus & immensus. Domus dei diuiti est communis & pauperi. Difficile est tamen diuitem intrare in regnum dei. Sed forte doles quòd nullum tibi auratorum lychnorum lumen refulgeat. Sed multo illustrior tibi lumine circunfuso luna resplēdet. De hyeme forsitan quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus uaporentur: sed habes solis calorem, qui tibi orbem terrarum temperet, & hyberno te defendat à frigore. An illos beatos putas, qui seruitiorum sequentiū stipantur cateruis? Sed qui alie nos pedes requirunt, suis uti nesciunt. Deniq; à paucis præceduntur, à plurimis portantur. Nisi forte illud miraris, quòd abundant auro, argento, pecunia. Quantis abundant uides, quantis egeant nō uides. Sed eburneis lectis accumbere preciosum putas, & non consideras preciosiorem esse terram, quæ pauperi thoros graminum sternit, in quibus dulcis requies, suauis est somnus, quem ille aurea compositus sponda, tota peruigil nocte quærit, & non capit. O quanto te ille beatiorem iudicat uigilans quiescentem. Illud prætereo, quod multo est præstantius, quoniam iustus uir qui hic eguerit, illic abundabit: & qui hic laborem tolerauerit, illic consolationem habebit. Qui autem hic receperit bona, illic mercedem eorum sperare non poterit. Paupertas enim mercedem suam reseruat, census absumit. Attende ergo tibi pauper, attende dīues: quia in paupertate &
Proucr.30 uitijs tentamenta sunt. Ideo quidam sapiens dicit: Diuitias & paupertatē ne dederis mihi. Et qua ratiōe petierit hoc, dicit: Satis est enim homini habere quod sibi sufficit. Quia diuitiæ ut epulis uentrem, ita animum curis, solicitudinibusq; distendunt. Ideoq; petit constitui sibi quæ opus sunt & sufficientia. Ne repletus, inquit, mendax fiam, & dicam: Quis me uidet? aut factus pauper, furtum faciam, et iurem in nomine domini. Fugienda igitur & cauenda sunt tentamenta mundi, ne pauper desperet, ne opulēs insolescat. Scriptum est enim: Cum expuleris gētes, & cœperis uti terris eorū, ne dicas: Virtus mea & manus mea hanc mihi possessionem parauit. Sic est qui opes suas merito adscribit suo. Et ideo quasi probatus proprium non agnoscit errorē, sed longo trahit fune peccatum. Nam si credat quod accessio pecuniæ, aut fortuiti euentus, aut turpis astutiæ sit, non habet locum insolentia, in quibus aut nulla laus, & inanis labor, aut cupiditas inuerecunda sit, modum nesciens ponere uoluptati.

De prestantia, decore, & gratia humani corporis, ac membrorum ipsius. Cap. IX

Ed etiam de ipso aliqua dicenda sunt corpore hominis, quod præstantius cę
§ teris decore & gratia esse quis abnuat? Nam & si una atq; eadem omniū terrenorum corporum uideatur esse substantia, firmitudo & proceritas, quibusdam maior in bestijs: forma tamen humani corporis est uenustior, status erectus & celsus: ut neq; enormis proceritas sit, neq; uilis & abiecta pusillitas, tum ipsa habitudo corporis suauis & grata, ut neq; beluina uastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati.

De præstantia capitis. Ac primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum imminet aeri, terris maria, quæ uelut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumq; esse omnium tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter relīqua urbis mœnia. In arce autem hac regalem quandam habitare sapientiam secundum Propheticum

dictum,

dictum: Quia oculi sapientis in capite eius: hanc esse cæteris tutiorem, & ex illa omnibus membris uigorem prudentiamq; deferri. Quid enim robur & ualiditas lacertorum proficiat, quid uelocitas pedum, nisi capitis uelut principis sui imperialis quædã adminiculetur potestas? Ex hoc enim aut destituuntur uniuersa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totũ corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorũ illuminetur aspectu. Quod ergo sol & luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol & luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari: speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam & ex sopore membris cæteris citius excitantur, & uigilantes circũspectant omnia. uiciniores enim sunt cerebro, unde omnis manat usus uigendi. Neq; uerò præpropere quisquã huc descendisse me credat, quòd relicto uertice oculos prędicem, cum alienum non sit, summam rem in parte laudare. Oculos enim certum est esse capitis portionẽ. Caput itaq; oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit abscondita, audit quid aliis agatur in terris. Ipse autem uertex capitis quàm suauis & gratus? Quàm speciosa cęsaries, quàm reuerenda in senibus, quàm ueneranda in sacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adolescentibus, quàm cõpta in mulieribus, quàm dulcis in pueris? Alium sexum crinita nõ decet, alium tonsa nõ decet. Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo: illius coma nos aut à pluuijs tegit, aut defendit à sole. Tolle arbori comã, tota arbor ingrata est. Quanto igitur maior humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrũ, hoc est sedem originemq; nostrorum sensuum capillis capitis munit & uestit, ne aut frigore uexetur aut æstu? Illic enim fons uniuersorum est: & ideo ubi iniuria nocet, ibi gratia præminet. Quid sine capite est homo, cùm totus in capite sit? Cum caput uideris, hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest: iacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine. Sola ære fusa principũ capita, & ducti uultus de ære uel de marmore, ab hominibus adorantur. Non immerito igitur huic quasi consultori suo cætera membra famulãtur, & circũferunt illud seruili gestamine sicut numen, atq; in sublime locatũ uehunt. Vnde censoria potestate quo uult dirigit quorundam obsequia seruulorũ, & præcepta singulis obeũda decernit. Videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendũt, & ministerium suum exhibent: parent ut principi, ancillantur ut domino. Inde uelut quædã proceditt tessera, quam debeant pedes obire regionem, quæ militiæ munia manus cõsummandis operibus exequantur, quam uenter abstinendi uel edendi formam impositæ teneat disciplinæ. Huic frons libera, nudis aperta temporibus, quæ mentis habitum specie sui prodat: nunc læta, nunc tristior: nunc directa ad seuerítatem, nunc ad lenitatem remissior, quæ signis forensibus internam exprimat uoluntatem. Imago quædã animi loquitur in uultu, fidei basis, in qua quotidie domini nomen inscribitur & tenetur. Eam geminæ rupes superciliorũ sequuntur, quæ oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam: ut & uenustas decoris arrideat, & diligentia protectionis assistat. Si quid enim de capite fordiũ decidat, aut arenæ puluis, aut ros nebulæ, aut humescentis uerticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie uisiones molliũ perturbet oculorũ. Adhærent uelut quibusdã montium superciljs oculi, ut & protegente mõtis cacumine tutiores sint, & tanquam in summo locati, de quadam scena superiore uniuersa prospectent. Neq; enim oportebat eos humiles esse, sicut aures, uel os, ipsosq; nariũ interiores sinus. Specula enim semper in alto est, ut aduenientiũ cateruarum hostilium explorari possit aduentus, ne improuiso occupent ociãtem uel urbis populum, uel imperatoris exercitum. Sic latronũ quoq; cauẽtur incursus, si exploratores in muris aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, ut desuper spectent plana regionum, in quibus insidię latronum latere nõ possint. In mari quoq; positus si quis terræ appropinquare se conspicit, in ipsa mali fastigia, & celsa antennarum cornua uoti explorator ascendit, & adhuc inuisibilem reliquis nauigãtibus eminus terram salutat. At forte dicas: Si specula editior necessaria fuit, cur non supra summũ uerticem capitis oculi constituti sunt, sicut cãcris uel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa tamen cæ-

Eccl. 2

De uertice & cæsarie.

De gratia capitis.

De fronte.

De situ oculorum.

tero corpore celsiora sunt? Sed illis testa ualida, nec tam tenuis membrana sicut nobis quæ facile possit offendi, ruboq; & cæteris interscindi sentibus. Alijs quoq; animãtibus huiusmodi species, ut possint oculos aut ad ceruicem cõferre, ut equi ac boues, ac propemodum omnes feræ: aut ad alas suas, ut aues, quo tuta quiete potiãtur. Nobis autem & in summa propemodũ corporis parte constitui, oculos oportuit, tanquam in arce, & ab omni uel minima offensione defendi: quæ duo sibi cõpugnantia uidebantur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur: si in uertice, paterẽt ad iniuriam. Itaq; ne uel usui muneris aliquid detraheretur, uel aliquid ad propulsandã iniuriam non prospiceretur, eo loci oculos cõstituit, cui supercilia desuper non minimũ protectionis impertiant, subter malæ aliquantulũ eleuatæ haud exiguum munitionis adiungant, interiorem partem sepiant nares, exteriorem quoq; frontis malarumq; gibbi extuberent: & licet ossium cõpage connexa, & æquata confinia circumuallare uideantur, inter hæc

De orbibus oculorum.

medij sunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem refulgentes. In quorum medio pupillę sunt, quæ uidendi munus operantur. Hæ ne qua incidentis iniuriæ offensione lædãtur, pilis hincinde cõsertis uelut quodã uallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium postulans Propheta ait: Custodi me domine ut pupillã oculi. ut protectionis diuinæ fieret ei tam solicita & tuta custodia, quàm pupillam oculi tutissimo quodam naturæ uallo munire dignatus est: Simul quia innocentia & integritas leui sorde aspersa uiolatur, & gratiæ suæ munus amittit. Et ideo prospiciendũ ne quis eam puluis erroris oblimet, aut ulla uexet festuca peccati, quia scriptum est: Eijce primum trabem de oculo tuo, & tũc uidebis eijcere festucam de oculo fratris tui. Itaq; propter oculos ferunt medendi periti cerebrum hominis in capite locatũ, alios autem nostri corporis sensus propter cerebrũ finitimo quodam esse domicilio cõstitutos. Initium enim neruorum & omniũ sensuum uoluntariæ cõmotionis cerebrum est, atq; inde omnis eorum quæ diximus causa manat. Initium autem arteriarum insiti caloris, quo animantur, & tepefiunt uitalia, cor esse plericq; arbitrãtur. Sensuum autem singulorum uelut organũ nerui sunt, qui uelut chordæ & fides quædam de cerebro oriuntur, & per partes corporis in singula quæq; officia deriuantur. Ideoq; mollius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus, unde omnes nerui quærunt uniuersa quæ uel oculus uiderit, uel auris audierit, uel odor inhalauerit, uel lingua increpuerit, uel os saporis acceperit. Quod enim molle, ad cõpassionem aptius: quod autem durum ex aliquo rigore neruorum, ad agendũ efficacius. Præstantissimum quoq; audiendi munus est, & uisui suppar gratia. Ideo aures extantiores,

De auditu & auribus.

ut & ornatus decorem præferant, & excipiant omne illud quicquid de uertice sordium humori sue defluxerit: simul ut in earũ sinibus uox repercussa sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ita esset, quis non ad omnem fortioris sonum uocis attonitus redderetur, cum inter ipsa subsidia frequenter improuiso ictus clamore nos obsurdescere sentiamus? Tum uelut quædam propugnacula uideas prætendere aduersus frigoris asperitatem, caloriscq; flagrantiam: ut neq; frigus penetret ductus patentes, neq; nimius adurat æstus. Sinuatio autem interiorum aurium, modulandi quendã numerum præstat & disciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressæ sonus uocis exprimitur. Tenaces præterea sermonis accepti ipsos esse anfractus aurium, usus ipse nos docet. Siquidem uelut in concauis montium, uel in recessu rupium, uel in anfractu fluminũ uox auditur dulcior, & responsa suauia referens Echo resultat. Ipsæ quoq; sordes aurium non inutiles, quæ ligant uocem: ut tenacior eius in nobis & memoria sit, & gratia. De naribus autem quid loquar,

De naribus & odoratu.

quæ biuio & procero foramine antrum quoddã recipiendis odoribus præstant, ut non perfunctorie odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, & earum ductu cerebrum sensusq; depascat? Ideo diutius odor fragrat acceptus, quàm sermo resonat, aut uisus apparet. Plerunq; quod momento breui fueris odoratus, toto die tibi spirat in naribus. per eas quoq; purgamenta capitis defluunt, & sine fraude atq; offensione aliqua corporis

De tactu.

deriuantur. Est etiam non mediocris sensus in tactu, atq; in eo uoluptas gratissima, syncerumq; iudicium. Plerunq; enim tactu probamus, quæ oculis probare non possumus. Postremum quoq; officium est oris aut linguæ, quòd tamen omnibus uires ministrat.

Nam neq;

Nam neq; oculi uigorem uidendi haberent, nisi uirtutem substantiæ corporalis accipe- *De officio oris, & cibo & potu.*
rent, quæ cibo defertur & potu: neq; aures audiendi, aut nares odorandi, aut manus tan
gendi, nisi corpus omne confortetur alimentis. Deficimus enim uiribus, nisi eas cibi
competentis assiduitate reparemus. Denicq; confecti fame, nullis oblectantur sensuum
uoluptatibus, sed quasi exortes eorum delinimenta non sentiunt. Quid ego describam
dentium uallum, quo cibus conficitur, & plenæ fit uocis expressio? Quæ sine dentibus *De dentibus.*
alimonia delectaret? Denicq; æui maturos plerunq; cernimus hoc ipso citius senescere,
quod amissis dentibus nullam possint cibi uirtutem ualidioris assumere. Ideo muta in-
fantia, quia non habet adhuc organum uocis. Linguæ quoq; non solũ in loquendo, sed *De munere linguæ.*
etiam in edendo munus preciosissimum est. Ea enim uelut plectrum loquentis, & quę-
dam edentis est manus, quæ defluẽtem cibũ dentibus suggerit & ministrat. Vox quoq;
aeris quodam remigio uehitur, & per inane portatur, eademq; uis quę aerem uerberat,
nunc cõmouet, nunc demulcet audientis affectum, iratum mitigat, fractum erigit, sola-
tur dolentem. Sit igitur nobis canorum cõmune cum auibus. Sed apud quem, quo so-
no uocis utatur, quod est rationabile, non potest cum omnibus animantibus irratione-
bilibus scilicet esse cõmune. Nam & ipsi sensus cõmunes nobis sunt cum animantibus
cæteris: sed tamen non eadem his cæteris animantes industria utuntur. Erigit bucula ad
cœlum oculos, sed quid spectet, ignorat. Erigunt feræ, erigunt aues: omnibus est liber
aspectus, sed soli inest homini eorum quæ aspicit affectus interpres. Spectat oculis or-
tus obitusq; signorum, uidet ornamentum cœli, miratur stellarũ orbes, fulgores quoq;
diuersos intelligit signorum, quando Hesperus surgat, quando Lucifer: cur ille uesper-
tinus, hic matutinus irradiet: quos motus Orion habeat, quos Luna defectus: quemad-
modum Sol suos norit occasus, circuitus quoq; cursus sui solennitate custodiat. Audiũt
quoq; animantes cæteræ, sed quis præter hominem audiendo cognoscit? Secreta sa-
pientiæ solus homo ex omnibus generibus quæ in terris sunt, auditu & meditatione &
prudentia colligit, qui potest dicere: Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Hoc *Psalm. 84*
est preciosissimum, quòd homo diuinæ uocis sit organum, & corporalibus labijs expri
mit cœleste oracullum, sicut illud est: Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum. Acce *Esaiæ 40*
pit quod diceret, & clamauit. Sibi habeant prudentiam suam qui radio cœli spatia ter-
rarumq; describunt: Sibi habeant intellectum suum, de quo dicit dominus: Et intelle- *1. Corint. 1*
ctum prudentium reprobabo. Neq; numeros orationis ac modos, & modulos musicæ
sapientiæ hoc constituam loco, sed eam sapientiam definio, de qua dicit Propheta: In- *Psalm. 50*
certa & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quid autẽ loquar de osculo oris, quod *De osculo oris.*
pietatis & charitatis est pignus? Osculantur se & columbæ. sed quid ad humani osculi
uenustatem, quo amicitiæ insigne humanitatisq; præfulget, in quo plenæ charitatis fi-
delis exprimitur affectus? Vnde & dominus uelut prodigij genus in proditore cõdem
nans ait: Iuda, osculo filium hominis tradis? Hoc est, Charitatis insigne cõuertis ad sig- *Luc. 22*
num proditionis, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore uteris ad officium crude-
litatis. Bestiali igitur oris obsequio inferentem potius necem, quàm charitatis fœdera
deferentem, diuinæ arguit uocis oraculo. Illud quoq; præcipuũ, quòd soli homines ore *De sermone oris.*
exprimimus, quæ corde sentimus. Itaq; cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signan
tur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, au-
la uerborum, promptuarium uoluntatis? Absoluimus uelut quandam humani corpo-
ris regiam, in qua sit licet quædam quantitas portionis, forma tamen uniuersitatis est.
Sequitur guttur, per quod totius corporis uitale cõmercium, & spiritus huius cõmea- *De gutture.*
tus infunditur. Succedunt brachia, & ualidi lacertorum thori, ualidæ ad operandũ ma- *De brachijs manibus, ac digitis.*
nus, & procerioribus digitis habiles ad tenendum. Hinc aptior usus operandi, hinc scri
bendi elegantia, & ille calamus scribæ uelociter scribentis, quo diuinæ uocis exprimun *Psalm. 44*
tur oracula. Manus est quæ cibum ori ministrat, manus est quæ præclaris enitet factis, *De singulari præconio manuum.*
quæ conciliatrix diuinæ gratię sacris infertur altaribus, per quam offerimus & sumimus
sacramenta cœlestia: manus est quæ operatur pariter atq; dispensat diuina mysteria, cu-
ius uocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente Dauid: Dextera domi- *Psalm. 117*
ni fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me. Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit
Deus omnipotẽs: Nonne manus mea fecit hæc? Manus est totius corporis propugna-

culum, capitis defensatrix. Quę cum sit loco inferior, totum uerticem comit, & honesto uenustat ornatu. Quis digne explicet pectoris cratem, uentrisq; mollitiem? Aliter enim uiscera molliora non possent foueri, & intestinorum sinus duris hauddubie ossibus læderentur. Quid tam salutare, quàm ut pulmo cordi finitimo limite iungeretur, ut cum exarserit cor ira & indignatione, pulmonis sanguine atq; humore citius temperetur? Ideoq; mollior pulmo est, quia madet semper, simul ut rigorem indignationis emolliat. Hæc ideo strictim percurrimus, ut tanquam indocti obuia perstringere, non tanquam medici plenius scrutari uideamur, & persequi, quę naturæ latibulis abscõdita sunt. Lien quoq; cum iecore habet uicinia fructuosam: qui dum assumit quo ipse pascatur, abstergit quicquid sordium deprehenderit, ut per fibras iecoris minutiores, ciborum possint tenues atq; subtiles reliquiæ transire, quæ uertantur in sanguinem, uiribusq; proficiant, & non cum fimo & sordibus egerantur. Intestinorum uerò circũplexi orbes, & sine aliquo licet nodo, sibi tamen inuicem nexi, quid aliud nisi diuinã prospicientiam creatoris ostendunt, ut nõ cito esca pertranseat, & statim à stomacho decurrat? Quòd si fieret: iugis fames, & continua uorandi libido hominibus gigneretur. Exinanitis enim uisceribus & exhaustis, dum momentaria effusione uacuarentur, necesse erat inexplebilem atq; insatiabilem cibi & potus generari cupiditatem, quam sine dubio matura mors sequeretur. Ideoq; prouide cõficitur primum esca in utero superiore, deinde in iecore coquitur, quousq; uapore digestus transfunditur succus eius in reliquas corporis partes, eaq; substantia artus alũtur humani, quam iuuenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseuerandum: reliquum autem uelut superfluum per intestina deducitur, & per illud ex transuerso ostium deriuatur. Deniq; etiam in Genesi arca Noe ad fabricam humani corporis accipitur, de qua dixit Deus: Fac tibi arcam ex lignis quadratis, nidos facies in arca, & bitumінabis eam intus & foris bitumine, & sic facies arcã. Et infra: Ostium uerò facies ex transuerso, inferiora autem arcę bicamerata & tricamerata facies. Hoc ergo significat dominus, quòd ostium ex posteriori sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. Decore enim creator noster ductus reliquiarũ à uultu hominis auertit, nedum aluum purgamus, inquinaremus aspectum. Simul illud considera, quòd ea quę pudoris plena sunt, eo loci constituta sunt, ubi operta uestibus elucere non possint. Venarũ pulsus, uel infirmitatis internuncius, uel salutis est. Eædem tamen cum toto diffusę sint corpore, neq; nudæ atq; intectæ sunt, & ita lenibus operiuntur uisceribus, ut explorandi copia sit, & celeritas sentiendi, quando nulla est uiscerũ crassitudo quæ pulsum possit obducere. Ossa quoq; omnia tenui operta sunt uiscere, & reuincta neruis, præcipue tamen capitis leui tecta sunt corio. Vnde quo possint aliquod aduersum imbres & frigora habere munimen, capillis dẽsioribus uestiuntur. Quid de genitalibus loquar, quæ uenis è regione ceruicis per renes lumboq; deductis, suscipiũt genitale semen ad munus & ad gratiam procreandi? Quid de officio pedum, qui totum corpus sine ulla sustinent oneris iniuria? Flexibile genu, quo præ cæteris domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia prouocatur. Hoc enim patris summi erga filium donum est, ut in nomine Iesu omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua cõfiteatur quoniam dominus Iesus in gloria est Dei patris. Duo enim sunt, quæ præ cæteris Deũ mulcent, humilitas, & fides. Spes itaq; exprimit humilitatis affectũ, & sedulæ seruitutis obsequium: Fides æquat filium patri, atq; utriusq; eandem gloriam cõfitetur. Recte autem non plures sed duo sunt homini pedes. quaterni enim pedes feris ac beluis sunt, bini auibus. Et ideo unus quasi de uolatilibus est homo qui alta uisu petat, & quodam remigio uolitet sublimium cogitationũ. Et ideo de eo dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. eo quod propior sit cœlestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere: Nostra conuersatio in cœlis est.

De pectore & uentre.
De pulmone.
De liene & iecore.
De intestinis.
De stomacho.
De ano. Genes. 6
De pudendis.
De uenis.
De ossibus.
De capillis.
De genitalibus.
De officio pedum.
De genu. Philip. 2
Cur duo tantum pedes homini.
Psalm. 102
Philip. 3

De fine sermonis, & complexione sexti diei, cum humili gratiarũ actione. Cap. X

Sed iam finis sermoni nostro sit, quoniam cõpletus est dies sextus, & mundani operis summa concluſa est, perfecto uidelicet homine, in quo principatus est animantium uniuersorum, & summa quędã uniuersitatis, & omnis mundanæ gratia creaturæ. Certe deferamus silentium, quoniam requieuit Deus ab omnibus mundi operibus: requieuit autem in recessu hominis, requieuit in eius mente

atq;

atq; proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, uirtutũ æmulatorem, cupidum cœlestium gratiarum. In his requiescit Deus, qui ait: Super quem requiescam, nisi supra humilem & quietũ, & tremẽtem uerba mea? Gratias ergo domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret. Fecit cœlum, nõ lego quòd requieuerit: fecit terram, nõ lego quòd requieuerit: fecit solem, lunã, & stellas, nec ibi lego quod requieuerit: sed lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuit, habẽs cui peccata dimitteret. Aut forte tunc iam futurę dominicę passionis pręcessit mysterium, quo reuelatũ est, quia requiesceret Christus in homine, qui requiẽ sibi prędestinabat in corpore pro hominis redemptione: secũdum quod ipse dixit: Ego dormiui, & requieui, & exurrexi, quoniã dominus suscepit me. Ipse enim requieuit qui fecit. Cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen. Esaiæ 66 Psalm. 3

FINIS.

LIBER DE DIGNITATE HVMANAE CONDITIONIS, NOTATA IN EO QVOD SCRIPTVM EST: FACIAMUS hominem ad imaginem & similitudinem nostram, qui sancto Ambrosio authori à quibusdam adscribitur, fœliciter incipit.

Qua ratione homini tanta dignitas sit collata. Caput I

FACIAMVS hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. Tanta itaq; dignitas humanæ conditionis esse cognoscit, ut nõ solo iubentis sermone, sicut alia sex dierũ opera, sed consilio sanctę trinitatis, & opere maiestatis diuinæ creatus sit homo: ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantũ deberet suo conditori, dum tantũ in cõditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei cõditor, ut tãto ardentius amaret conditorem, quãto mirabilius se ab eo esse conditum intelligeret. Nec ob hoc solũ quòd consilio sanctæ trinitatis sic excellenter à conditore conditus est, sed etiam quòd ad imaginem & similitudinem suam ipse creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Genes. 1

De dignitate hominis sumpta ex ratione imaginis. Caput II

Væ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda.

Q Primo quidem quòd sicuti Deus unus semper ubiq; totus est, omnia uiuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quòd in eo uiuimus, mouemur, & sumus: sic anima in suo corpore ubiq; tota uiget, uiuificans illud, mouens, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis sui mẽbris, maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei quã anima habet in se. Quę quoq; quandã sanctę trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut Deus est, uiuit, & sapit: ita anima secũdũ suũ modũ est, uiuit, & sapit. Est quoq; & alia trinitas in ea, qua ad imaginẽ sui conditoris perfectę quidẽ & summæ trinitatis, quę ex patre & filio & spiritu sancto, condita est. Et licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectũ, uoluntatẽ, & memoriã. Quod idẽ, licet alijs uerbis in Euãgelio designat cum dicitur: Diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. id est, ex toto intellectu, & ex tota uoluntate, & ex tota memoria. Nã sicut ex patre generat filius, & ex patre filioq; procedit spiritus sanctus: ita ex intellectu generat uoluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum triũ unum aliquod quantũ ad suã pertinet beatitudinem, sine alijs duobus integrum constat. Et sicut Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus est, nõ tamen tres dij sunt, sed unus Deus tres habens personas: ita & anima intellectus, anima uoluntas, anima memoria: non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates: atq; in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere conditorem, ut inquãtum intelligitur diligatur: & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius uolũtas: imò nec Matth. 22

hæc duo sufficiunt nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, ut sicut non potest esse momentum quo homo non utatur uel fruatur Dei bonitate & misericordia, ita nullum debeat esse momentum quo præsentem eum non habeat memoria. Et ideo dilectissime fili, iuste mihi uidetur dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei. Anima enim nominatur totus interior homo, qua uiuificatur, regitur, continetur lutea illa massa humectata succis, ne arefacta dissoluatur. Deus
Psalm. 146 dicitur uis illa ineffabiliter magna, & innumerabiliter sapiens, ut scriptum est: Magnus dominus noster, & magna uirtus eius, & sapientię eius non est numerus. & incompara-
Psalm. 144 biliter suauis, ut alibi dicit: Suauis dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ex qua, & per quam, & in qua sunt omnia quę sunt, regũtur omnia quę sunt, cõtinentur omnia quæ sunt. Omnia dico, ipsam uniuersitatem, quæ est totũ, quod aliud est quàm ipse qui fecit, & non est factus, sed ipse est ex quo, & qui ex eo, & quo. Quod ipse Deus ex quo est, pater dicit̃ à nobis pauperibus sensu, pauperioribus uerbis: quod qui ex eo, filius dicitur: quod quo, spiritus sanctus. Ideo autem dicitur Deus pater, quia ipse est ex quo, & sapientia est qua ordinantur omnia, & dilectio qua se uolũt omnia ita manere ut ordinata sunt. Ex quo ergo, & qui ex eo, & quo se diligũt, ipsa duo, tria sunt, & illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab ipso nõ sint separata, sed ex ipso sunt, quia non à se. & in ipso, quia non separata, & ipsum ipsa quod ipse, & ipsum ipse quod ipsa, & non ipsum ipsa qui ipse, & non ipsa ipse quæ ipsa. Vis ista Deus est, & ipse Deus tria est, & unumquodq; horum trium Deus est, & omnia tria illa non dij, sed Deus est. Ad imaginem ergo suã conditor, ut dictum est, fecit animam hominis, quæ tota dicitur anima. Non autem aliud significo hominis quàm animam cum mentem dico, sed propter aliud animam, & propter aliud mentem. Nam totũ quod uiuit, hominis anima est. Cum autem anima in se agit se, & ex se, & per se sola mens dici solet, sensus uerò ad sua ministeria implens consuetius anima dicitur. Mens ergo scire gignit, & amat scire quod scit. Non illud scire dico, quod repente scitur res aliqua, quæ ante nescirí putabatur, sed illud unde & aliquid & omne quicquid scitur uel nescitur, sciri potest. Illud ergo scire mens gignit, & cum genitum est, scientia potest dici. Sunt ergo iam duo, mens, & quod ipsa mens scit: restat tertium utriusq; cõmune. Omnis mens quicquid scit, amat scire. Amor non minus quàm inter duos est, amãtem & quod amatur. Vnus est ergo amborum amor, qui & tertius est. Non autem potest negari hoc totum unam esse animam, & unam animam hæc tria esse. Sicut enim hęc tria uere una anima sunt, sic nõ minus uere una anima est hoc unum, & hoc alterum, & hoc tertium. Comparet igitur se hęc creatura tam eminens creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc, & multũ supra se amoto, quòd omnis bonitas, & omne bonum, & omnis bonitatis & boni dulcedo creatoris à seipso est. Creatura uerò non solum quod est, sed etiam quod talis est, ab alio est, non à se: & ipsa quod est, semper est, licet & ipsa anima quodam modo suo incõmutabilis est. Nam semper anima est postquam esse cœperit, & scit, & scire uult. Cõparet ergo, ut dixi, se anima eo modo quo potest creatori suo, ut dicatur mens pater, quia gignit scire: dicatur scire filius, quia ex alio est, & non est aliud quàm ipsum, quod ipse est ex quo est: dicatur amor spiritus sanctus, quia amborum est eorum qui se amant. Vnde in nostris
8 scripturis sæpius amor, id est charitas, quæ in Deo est erga nos, & quæ à nobis in Deum spiritus ipse appellatur. Et hæc de imagine ô dilectissime fili habeto.

De dignitate hominis sumpta ex ratione similitudinis. Caput III

N Vnc uero de similitudine aliqua intellige, quæ minoribus cernenda est, ut sicut Deus creator qui hominem ad similitudinem suam creauit, est charitas, est bonus & iustus, patiens atq; mitis, mundus & misericors, & cætera uirtutum sanctarum insignia, quæ de eo legũtur: ita homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset & iustus, ut patiens atq; mitis, mũdus & misericors foret. Quas uirtutes quanto plus quisq; in seipso habet, tanto propius est Deo, & maiorem sui cõditoris gerit similitudinem. Si uerò (quod absit) aliquis per deuia uitiorum, & diuortia criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo
Psalm. 48 quod scriptum est: Et homo cum in honore esset, non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Qui maior honor potuit homini esse, quàm ut ad

similitudinem

ſimilitudinem ſui factoris cõderetur,& eiſdem uirtutum ueſtimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur, Dominus regnauit, decorem indutus eſt, id eſt omniũ uir- Pſalm. 92
tutum ſplendore,& totius bonitatis decore ornatus. Vel quod maius homini poteſt eſſe dedecus, aut infœlicior miſeria, quàm ut hac ſimilitudinis gloria ſui cõditoris amiſſa, ad informem & irrationabilem brutorũ, iumentorum delabatur ſimilitudinem? Quapropter ô dilectiſſime, quiſq; diligentius attendat primæ cõditionis ſuæ excellentiã, & uenerandam in ſeipſo ſanctæ trinitatis imaginem agnoſcat, honoremq; ſimilitudinis diuinæ ad quem creatus eſt, nobilitate morum, exercitio uirtutũ, dignitate meritorum habere cõtendat, ut quando appareat qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat, qui ſe mirabiliter ad ſimilitudinem ſuam in primo Adam condidit, mirabiliusq; in ſecũdo reformauit.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE PARADISO.

De difficultate inueſtigandi & explanãdi quid, ubi, ac qualis ſit paradiſus: quod tamen authorem paradiſi, de quo in Geneſi legitur, inuenire poſſimus, ac de plantatione eiuſdem ſecundum myſticam interpretationem. Qua etiam ratione uideatur paradiſus eſſe anima, in qua uirtus unaquæq; plantatur. Caput I

Quod lignum ſcientiæ boni & mali fuerit in paradiſo. Et qua ratione in ſcripturis diuinis non facile debeamus reprehendere aliquid quod intelligere non poſſumus. Cur etiam lignum ſcientiæ boni & mali in paradiſo ſit exortum,& à Deo permiſſum, ſimiliterq; ſerpens ac diabolus, quanuis pleriq; uelint diabolũ in paradiſo non fuiſſe. Præterea quid per ſerpentem, mulierem, atq; uirum, quidam intelligi exiſtiment. Cap. II

Quæ ſubſidia in tolerandis periculis habeat anima per paradiſum figurata, ex fonte diuiſo in quatuor initia ſiue flumina, in quibus quatuor uirtutes principales exprimuntur, quæ etiam uelut mundi iſtius incluſerunt tempora. Caput III

De apprehenſione hominis, & poſitione eius in paradiſo ut operaretur & cuſtodiret. Et qua ratione extra paradiſum uir factus ſit, mulier uero intra paradiſum. Quid præterea interſit inter operari & cuſtodire, & cur primus homo in paradiſo legitimi laboris ſpeciem ſuſceperit. Caput IIII

De præceptis Adæ in paradiſo datis,& de huius quæſtionis: Cur Deus ubi præcepit ex omni ligno edendum, ſingulariter dixerit Edes: ubi autem de ligno ſcientiæ boni & mali, pluraliter Edetis dixerit, abſolutione. Quodq; ei interpretatio Symmachi non præiudicet. De reſponſione quoq; ad tres quæſtiones, quas pleriq; quorum author Apelles eſt, proponunt. Caput V

De ſolutione aliarum quarundam quæſtionum, quas circa obeditionem & cognitionem præcepti faciunt. Caput VI

De pertractatione quæſtionis unde mors acciderit Adæ, utrum uidelicet à matura ligni, an à Deo. Caput VII

De abſolutione quæſtionum quas quidam circa præſcientiam Dei de præuaricatione Adæ,& impreſſionem opinionis boni & mali faciunt. Caput VIII

Cur Deus cum mandatum daret homini, de manducando & non manducando putauerit eſſe mandãdum. Qua etiam ratione dominus Deus Adę dixerit: Morte moriemini: & quid interſit utrũ aliquis dicat moriemini, an addat, morte moriemini. Cap. IX

De abſolutione quæſtionum incidentium circa factionem mulieris Adæ. Caput X

De ſolutione quæſtionum occurrentium circa adductionem beſtiarum & uolatilium ad Adam, ſoporem quoq; ipſius Adæ, atque exiſtentiam beſtiarum & pecorum in paradiſo. Caput XI

De ſapientia ſerpentis,& cauſa inuidiæ, argumentiſq; quibus confidebat ſe poſſe hominem uincere. Quomodo etiam aggreſſus fuerit mulierem. Quòd præterea neq; detrahere aliquid debeamus diuinis mãdatis, neq; addere. Vtrum deniq; præter adiectionem quæ mandato per mulierem fuit applicata, quod additum eſt, obfuiſſe uideatur: & ex quo ligno Deus dixerit eſſe guſtandum. Caput XII

Quomodo tentamenta diaboli plena sint mẽdacij. Et de deceptione mulieris, & lapsu Adæ. Quemadmodum etiam cognorint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid significent. Caput XIII

De uoce domini deambulantis ad uesperum, & interrogatione uel potius increpatione Adam: Vbi es? Cur præterea antè increpetur Adam, cũ mulier antè gustauerit, & quid mulier pro sua excusatione responderit: ac de mysterijs istorum. Caput XIIII

Qua ratione ueniabilis fuerit deceptio mulieris. Et quemadmodũ serpens typus sit delectationis, & de sententia damnationis in serpentem, ac etiam cõdemnatione Adę, & de discretione inter istas sententias. Caput XV

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE PARADISO LIBER VNVS.

De difficultate inuestigandi, & explanandi quid, ubi, ac qualis sit paradisus. Quod tamẽ authorem paradisi de quo in Genesi legitur, inuenire possimus, ac de plantatione eiusdem secundum mysticã interpretationem. Qua etiã ratione uideatur paradisus esse anima, in qua uirtus unaquæq; plantatur. Caput I

DE paradiso adoriundus sermo, nõ mediocrem ęstum nobis uidetur incutere, quidnam sit paradisus, & ubi sit, qualis' sue sit, inuestigare, & explanare cupiẽtibus: maxime cum Apostolus siue in corpore, 2. Corint. 12 siue extra corpus nesciat, raptũ se tamẽ dicat usq; ad tertiũ cœlũ. Et rursus: Scio, inquit, huiusmodi hominẽ, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniã raptus est in paradisum, & audiuit arcana uerba, quę nõ licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me aũt nõ gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Si enim uoluero gloriari, non ero stultus, nã ueritatẽ dico. Ergo si huiusmodi paradisus est, ut eũ solus Paulus, aut uix aliquis Pauli similis, cũ in hac uita degeret, uidere potuerit: idẽ tamẽ siue in corpore, siue extra corpus uiderit, meminisse nõ possit: audierit tamen uerba quibus prohibitus sit uulgare quod uiderat: quo tandẽ modo nos paradisi situ poterimus absoluere, quẽ nec uidere potuimus, & si potuissemus uidere, tamen prohiberemur alijs intimare? Simul cũ Paulus extollere se reuelationũ sublimitate sit ueritus, quãto magis nobis timendũ est id solicitius indagare, cuius etiã reuelatio obnoxia sit periculo? Nõ hylen igit' hũc paradisum ęstimare debemus, & ideo relinquamus Pauli esse secretum. Tamen quoniã legimus in Genesi à Deo paradisum esse plantatũ secundũ orientem, & ibi Genes. 2 esse positũ hominẽ quẽ plasmauit Deus: istius paradisi authorem iam possumus inuenire. Quis est enim qui potuit fingere paradisum, nisi omnipotẽs Deus, qui dixit, & facta sunt, nunquã indigẽs eorũ quę generari uellet? Ipse ergo plãtauit paradisum, de quo Psalm. 148 dicit sapiẽtia: Omnis plãtatio quã nõ plãtauit pater meus, eradicabit'. Bona angelorum Matth. 15 plãtatio, bona sanctorũ. Sancti enim sub ficu & uite ducunt' in illo pacis futuri tẽpore, in quibus typus est angelorũ. Ergo paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructi- Psalm. 95 fera: ligna plena succi, atq; uirtutis, de quibus dictũ est: Exultabunt omnia ligna syluarũ: Psalm. 1 ligna semper florentia uiriditate meritorũ, sicut illud lignũ quod plãtatum est secus decursus aquarum, cuius foliũ non defluet, quia totus in eo fructus exuberat. Hic ergo paradisus est. Locus autẽ eius in quo est plantatus, uoluptas dicit'. Vnde & sanctus Dauid Psalm. 35 ait: Ex torrẽte uoluptatis tuæ potabis eos. legisti enim: Quia fons procedit ex Eden qui Genes. 2 rigat paradisum. Hæc igitur ligna quæ plãtata sunt in paradiso, quasi profluuio quodã Psalm. 35 torrentis spiritus irrigantur. De quo alibi ait: Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei. Est autem ciuitas illa quæ sursum est, Hierusalem libera, in qua diuersa sanctorum Genes. 2 merita pullularunt. In hoc ergo paradiso hominem Deus posuit quem plasmauit. Intelige etiam

lige etiam quod non eum hominem qui ſecundum imaginem Dei eſt poſuit, ſed eũ qui ſecundum corpus. Incorporalis enim in loco non eſt. Poſuit autem eum in paradiſo ſicut ſolem in cœlo, expectãtem regnum cœlorũ, quemadmodum creatura expectat reuelationem filiorũ Dei. Ergo ſi paradiſus eſt in quo erant exorta uirgulta, uidetur paradiſus anima eſſe, quę multiplicat ſemen acceptũ, in qua uirtus unaquęq; plãtatur, in qua erat etiã lignũ uitę, hoc eſt ſapientia, ſicut dixit Salomon: quia ſapiẽtia nõ de terra exorta eſt, ſed de patre. Eſt enim ſplendor lucis æternæ, & manatio omnipotentis gloriæ. *Sapien. 7*

Quod lignum ſcientiæ boni & mali fuerit in paradiſo, & qua ratione in ſcripturis diuinis non facile debeamus reprehendere aliquid quod intelligere nõ poſſumus. Cur etiam lignum ſcientiæ boni & mali in paradiſo ſit exortũ, & à Deo permiſſum, ſimiliterq; ſerpens ac diabolus: quanuis plerique uelint diabolum in paradiſo non fuiſſe. Quid præterea quidam per ſerpentem, mulierem atq; uirum intelligi exiſtiment. Caput II

E Rat autem lignum ſcientiæ boni & mali in paradiſo. Sic enim habes: Quia produxit Deus lignum ſpecioſum ad aſpectum, & bonum ad eſcam, & lignum uitæ in paradiſo, & lignũ ſcientiæ boni & mali.] Poſtea uidebimus utrum & hoc lignum ſpecioſum ad aſpectũ, & bonum ad eſcã fuerit, ſicut cætera. Eo enim loci hoc opportunius diſputabitur, quo hominem ex hoc guſtantẽ ligno inueniamus eſſe deceptũ. Interim nihil habemus quod nunc reprehẽdere debeamus, etſi rationem ſcire nõ poſſimus. Neq; enim in hac creatura mũdi ſiqua nobis difficilia intellectu uidentur, & incõprehenſibilia ingenio noſtro, temerario quodã debemus cõdemnare iudicio, ut creaturã ſerpentium, uenenatiq; alicuius animantis: quippe homines qua ratione ſingula quæq; ſint facta, intelligere adhuc & ſcire nõ poſſumus. Sic ergo & in ſcripturis diuinis non facile reprehendamus aliquid quod intelligere non poſſumus. Sunt enim plurima quæ nõ noſtro ingenio metiẽda ſunt, ſed ex altitudine diuinæ diſpoſitionis & uerbi ſunt æſtimanda. Pone enim, ſine præiudicio tamen aſſertionis futuræ, ideo tibi hoc lignum de ſcientia boni aut mali diſplicere, quia poſteaquam guſtauerũt ex eo homines, intellexerunt ſe nudos, attamen ad cõſummationem diuinæ operationis, dicam tibi & hoc lignum in paradiſo exortum, & ideo à Deo eſſe permiſſum, ut poſſimus ſupereminentiam boni ſcire. Quomodo enim ſi nõ eſſet ſcientia boni & mali, inter bonum & malum diſcretionem aliquã diſceremus? Nam neq; quod malum erat, malũ iudicaremus eſſe, niſi eſſet ſcientia boni. (Scientia autem boni eſſe nõ poſſet, niſi eſſet & mali) neq; rurſus quod bonũ erat, ſciremus bonum eſſe, niſi eſſet ſcientia mali. Cape exemplum de ipſa cõditione humani corporis. Nempe habet & amaritudinem quãdam felliſ: quæ ſi in cõmune proſpicias, ad ſalutem hominis utilis inuenitur. Ergo & quod malum putamus, plerunq; non per omnia malum eſt, ſed in cõmune utile. Nam ſicut fel in parte eſt corporis, & tamen ad totius utilitatem corporis prodeſt, ita utilitati omnium profuturã ſciens Deus ſcientiã boni & mali, in parte conſtituit, ut in cõmune prodeſſet. Deniq; ſerpentem in paradiſo inuenis, utiq; nõ ſine Dei uoluntate generatũ. In ſerpentis autem figura diabolus eſt. Fuiſſe enim diabolũ in paradiſo etiam Ezechiel propheta docet: qui dicit ſuper principẽ Tyri: In uoluptate, inquit, paradiſi factus es. Principẽ Tyri autem in figura accipimus diaboli. Nũquid & hinc accuſabimus Deũ, quia theſauros eius altitudinis & ſcientiæ abſconditos in Chriſto & occultos cõprehendere non poſſumus, niſi quos ipſe reuelare dignatus eſt? Reuelauit tamen, ut ſciremus etiã diaboli malitiam ad ſalutem prodeſſe hominibus. Non quòd diabolus prodeſſe uelit, ſed quòd malitiam eius etiã repugnantis conuertit nobis dominus ad ſalutem. Deniq; huius malitia lob ſancti uiri fecit eſſe uirtutem & patientiã clariorem. Huius malitia iuſtitiã eius exercuit, ut certaret & uinceret, & uictoriã corona ſequeretur: Nemo enim niſi qui legitime certauerit, coronatur. Ioſeph quoq; caſtimonia nunquã ad noſtri memoriam peruenifſet, niſi mulier domini eius cõtubernalis, ignitis diaboli ſpiculis incitata, tẽtaſſet eius affectum, niſi poſtremo affectaſſet eius interitũ, quo clarior eſſet caſtimonia uiri, qui mortem pro caſtitate cõtemſerit. Vis ſcire conſiliũ Dei? Nempe diabolo authore neces uidentur iuſtis hominibus præparari, exerceri quoq; parricidia filiorum, attamen dominus etiam Abraham hac arte tentauit, ut immolari ſibi filiũ ab eodem poſtularet. Qua tentatione

Ezech. 28

2. Tim. 2

Geneſ. 22

tentatione Abraham fidelis est domino cõprobatus, quòd à deuotionis obsequio nec dilecti filij miseratione reuocatus sit. Ita ergo & lignum scientiæ boni & mali in paradiso, quod erat speciosum ad uisum, & bonũ ad escam specie uidebatur. Non enim usu bonum ad escam erat, quoniam esca eius uidetur hominibus obfuisse. Ergo est quod singulis noceat, in cõmune prosit, ut Iudæ nocuit diabolus, sed præter illũ omnes Apostolos coronauit, qui malitiæ eius tentamenta uicerũt. Itaq; neq; dubitandũ, neq; reprehendendum quod in paradiso diabolus erat, quandoquidem occludere sanctis non potuit iter ne quis ascenderet. Neq; enim iustis habitationem incolatus tanquã possessor eripuit. Esto enim ut aliquos desides atq; uitiosos ab incolatu supernæ possessionis auerterit, illud multo augustius, multoq; pulchrius, quod sanctorũ orationibus excluditur, cũ com
Luc. 10 pletum fuerit illud: Videbam sathanã sicut fulgur de cœlo cadentem. Ergo non metuamus eum, qui eousq; infirmus est, ut & ipse casurus sit in terram. Accepit quidem tentandi licentiã, sed nõ accepit copiã subruendi: nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium nõ norit accersire. Et ideo qua fraude tentauerit primũ hominem, quidue in homine putauerit esse tentandũ, quo ordine, qua arte, cognoscere opus est, ut cauere possimus. Pleriq; tamen qui uolunt in paradiso diabolũ non fuisse, licet in cœlo astãtem cum angelis legerimus, ne in nostro sermone uideantur offendi, secundũ suam accipiãt uoluntatem interpretationem istius lectionis. Nanq; ante nos fuit, qui per uoluptatẽ & sensum præuaricationem ab homine memorauerit esse cõmissam, in specie serpentis figuram accipiens delectationis, in figuram mulieris sensum animi mentisq; constituens, quam αἴσθησιν uocant Græci: deceptã autem per sensum pręuaricatricem secundum historiam mentem asseruit, quam Græci νοῦν uocãt. Recte igitur in Græco νοῦς uiri figuram accipit, αἴσθησις mulieris. Vnde & quidã Adam νοῦν terrenũ interpretati sunt. Dominus autem uirgines illas in Euangelio accensis facibus uel extinctis expectantes sponsi aduentum, pro sensibus uel integris sapientiũ, uel corruptis insipiẽtium posuit. Nã si Eua, hoc est sensus primæ mulieris, accensas habuisset faces, nunquã præuaricationis suę nos criniculis implicuisset, neq; ex illa uirtutis immortalitate cecidisset.

Quæ subsidia in tolerandis periculis habeat anima per paradisum figurata ex fonte diuiso in quatuor initia siue flumina, in quibus quatuor uirtutes principales exprimuntur, quæ etiam uelut mundi istius incluserunt tempora. Caput III

E St ergo paradisus terra quædam fertilis, hoc est anima fœcunda, in Eden plantata, hoc est in uoluptate quadã, uel exercitata terra, in qua animæ sit delectatio. Est etiam νοῦς tanquã Adam: est & sensus, tanquã Eua. Ac ne haberes quod ad infirmũ retorqueres naturæ, uelut obnoxiam in tolerandis periculis conditionem, cõsidera quæ habeat anima ista subsidia. Erat fons qui irrigaret paradisum.
Genes. 2 Qui fons, nisi dominus Iesus Christus, fons uitæ æternæ, sicut & pater? quia scriptũ est:
Psalm. 35 Quoniam apud te fons uitę. Deniq; flumina de uentre eius fluent aquę uiuę. Et fons le-
Ioann. 7 gitur, & fluuius legitur, qui irrigat paradisi lignũ fructuosum, quod ferat fructum in uitam æternam. Hic ergo fons, sicut legisti: Fons enim procedit, inquit, ex Eden, id est in
Prouerb. 5 anima tua fons est. Vnde & Salomon ait: Bibe aquã de tuis uasis, & de puteorũ tuorum fontibus. Hic est fons qui procedit ex illa exercitata & plena uoluptatis anima: hic fons qui irrigat paradisum, hoc est uirtutes animæ eminentissimo merito pullulãtis. Et diui-
Genes. 2 ditur, inquit, hic fons in quatuor initia. Nomen est uni Phison, hic est qui circuit omnem terrã Euilath, ubi est aurũ. Terræ autem illius aurũ bonum est, ubi est carbũculus, & lapis prasius: Et nomen secundi Geon, hic est qui circuit omnem Aethiopiam: Et flumen tertiũ Tigris, hic est qui uadit cõtra Assyrios: Et flumen quartũ est Euphrates. Hæc igitur quatuor sunt flumina. Hic Phison secũdum Hebræos Pheoison dicitur, Ganges autem secundũ Græcos: qui fluit contra Indiam. Geon autem Nilus, qui circuit terrã Aegypti uel Aethiopiam. Mesopotamia autem dicitur, quòd Tigris & Euphrates incluserint eam, eo quòd inter duo hæc flumina constituta sit, quod etiam longe positis nomen ipsum & opinio cõmunis expressit. Sed quemadmodũ fons dicitur sapientia Dei?
Ioann. 7 Fons enim est secundũ Euangelium dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Fons est
Prouerb. 9 & secundũ prophetã qui ait: Venite & edite de meis panibus, & bibite uinũ quod miscui uobis. Sicut ergo fons uitæ est sapientia, fons gratiæ spiritalis: ita fons uirtutum est

cæterarum

cæterarum quæ nos ad æternæ cursum dirigunt uitæ. Ex hac igitur anima quæ culta est, nõ ex ea quæ inculta, fons iste procedit ut irriget paradisum, hoc est quædã diuersarum frutecta uirtutũ, quarũ sunt quatuor initia in quę sapientia ista diuiditur. Quæ sunt quatuor initia uirtutum, nisi unum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iustitiæ? quæ etiã sapientes istius mundi ex nostris assumpta, in suorũ scripta librorum transtulerunt. Itaq; sicut fons sapientiæ, ita etiam flumina ista quatuor quædam ex illo fonte manantia sunt fluenta uirtutum. Phison igitur prudentia est, & ideo habet aurum optimum, splendidum carbunculũ, & prasium lapidem. Aurum enim pro inuentis prudentibus frequenter accipimus. Vnde & dominus per prophetam ait: Dedi illis aurum & argentum. Et Dauid de prudentibus dicit: Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargẽtatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri: eo quòd ueteri & nouo qui inhæserit Testamẽto, in ipsa secreta sapiẽtiæ Dei disputationis possit ubertate procedere. Hoc ergo bonũ aurum dicit, non monetale, quod corruptibile ac terrenum est. Habet etiã splendidum, inquit, carbunculum, in quo quidem animæ nostræ uiuit igniculus. Habet & prasiũ lapidem, qui uiride quiddã atq; uitale coloris sui specie ostentare uideatur. Virent enim arbusta quæ uiuunt, arescunt contrà quæcunq; moriuntur: uiret terra dum floret, uirent & semina dum prorũpunt. Et bene primo loco hic fluuius positus est Phison, qui secundũ Hebræos Feoison dicitur, hoc est oris mutatio, qui nõ unam gentem circũfluit, sed etiam per Lydiam fluit. Non enim angusta quędã, sed diues utilitatum prudentia est, quę pluribus prosit. Ideo prima. Vt si quis de paradiso fuerit egressus, uelut quoddã eum prudentiæ flumen excipiat, ne cito possit arescere, sed per hanc ad paradisum facile reuertatur. Hic fluuius à multis hominibus frequentatur, pulchritudinemq; & fertilitatem maximã habere perhibetur. Et ideo prudẽtia in specie huius accipitur, quæ plurimos fructus attulit in domini saluatoris aduentu. Atq; in extrema terrarum fluit, quia per sapientiã omnes homines sunt redempti. Vnde & dictũ est: In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines terræ uerba eorũ. Secundus est fluuius Geon, iuxta quem lex data est Israelitis, cũ essent in Aegypto cõstituti, ut ex Aegypto recederent, & succincti lũbos ederent agnũ, quod insigne est temperantiæ. Castos enim & sanctificatos oportet domini pascha celebrare. Et ideo iuxta istum fluuiũ legitima primo obseruantia cõstituta est, quia significat nomen hoc quẽdam terræ hiatum. Sicut igitur terra quæcunq; uel purgamenta uel sordes in ea sunt, hiatu absorbet, ita castitas omnes corporis passiones abolere cõsueuit. Meritoq; ibi primum obseruantiæ cõstitutio, quia per legem absorbetur carnale peccatũ. Bene ergo Geon, in quo figura est castitatis, circumire terrã Aethiopiam dicitur, ut abluat corpus abiectũ, & carnis uilissimæ restinguat incendiũ. Aethiopia enim abiecta & uilis Latina interpretatione signat. Quid autem abiectius nostro corpore? Quid tam Aethiopiæ simile, quod etiã nigrũ est quibusdam tenebris peccatorũ? Tertius est fluuius Tigris, qui uadit cõtra Assyrios, ad quem præuaricator Israel captiuus est ductus. Hic fluuius dicitur uelocior esse omnibus. Quẽ incolũt Assyrij, hoc est dirigentes: hoc enim significat interpretatio. Ergo quicunq; fortitudine animi præuaricantia corporis uitia captiuauerit, dirigens ad superna, iste huius fluminis similis estimatur. Et ideo etiã fortitudo de illo qui est in paradiso dei fonte emanat. Fortitudo autem quodã cursu rapido resistentia quæq; transuerberat, nec aliquibus cursus eius impedimentorũ hęret obstaculis. Quartus est fluuius Euphrates, qui Latine fœcunditas atq; abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores uidetur habere fructus uirtus, quàm æquitas atq; iustitia, quæ magis aliis quàm sibi prodest, utilitates suas negligit, cõmunia emolumenta præponens. Plericq; Euphratem ἀπὸ τ῀ εὐφραίνεσθ dictum putant, hoc est à lætando, eò quòd hominum genus nullo magis quàm iustitia & æquitate lætetur. Causam autem cur cæteri qua cõmeant fluuij, describuntur regiones locorũ, qua Euphrates cõmeat, non describatur, illam accipimus, quia aqua eius uitalis asseritur, & quæ foueat atq; augeat. Vnde Auxen eum Hæbræorum & Assyriorum prudentes dixerunt: contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum. Deinde quia ubi prudentia, ibi & malitia: ubi fortitudo, ibi iracundia: ubi temperantia, ibi intemperãtia plerunq; est, aut alia uitia sunt: ubi autem iustitia, ibi concordia uirtutum est cæterarum,

Oseæ 2
Psalm. 67
Genes. 2
Psalm. 18

ideo non

ideo non ex locis qua fluit, hoc est, nō ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, sed quasi mater est omniū. In his ergo fluminibus quatuor, uirtutes principales quatuor exprimuntur, quæ ueluti mundi istius excluserunt tempora. Primum igitur tempus ex mundi principio usq; ad diluuiū prudentiæ fuit, quo in tempore iusti numerantur, Abel à Deo iustus dictus: & Enos, hoc est homo ad imaginem Dei factus, qui sperauit inuocare nomē domini Dei: & Enoch, qui dicitur Latinè Dei gratia, raptus ad cœlū: & Noe, qui & ipse iustus, & quædā requietis directio. Secundum tempus est Abrahā & Isaac & Iacob, reliquorumq; numerus patriarcharū, in quibus casta & pura quædam temperantia religionis effulsit. Immaculatus enim Isaac per repromissionem Abrahæ datus est filius, nō tam corporalis partus, quàm diuinæ munus præferens indulgentiæ, in quo uera
Galat. 3 immaculati figura præcessit, ut Apostolus docet dicens: Quia Abrahę dictę sunt repromissiones, & semini eius. Non dicit seminibus, tanquā multis, sed sicut in uno, & semini tuo, qui est Christus. Tertium tempus est in Moysi lege, & cæteris prophetis. Deficiet enim me tempus enarrādi de Gedeon, Barac, Sampson, Salomone, Dauid, & Samuel, & cæteris prophetis: Anania, Azaria, Misael, Daniel, Helia, Helisæo, qui per fidem de-
Hebr. 11 uicerunt regna, operati sunt iustitiā, perceperunt repromissiones, obstruxerūt ora leonum, extinxerunt uirtutem ignis, effugerunt acies gladij, eualuerunt de infirmitate, fortes fuerunt in bello, castra ceperunt exterorum. Non immerito igitur in his species fortitudinis est. Secti enim sunt, sicut infra habes, tentati, in mactatione gladij mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egentes, angustiati, & doloribus afflicti, quorū meritis non erat dignus orbis. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in foueis terræ. Recte igitur in his speciem fortitudinis collocamus. Secūdum autem euāgelium
Matth. 3 digna est figura iustitiæ, quia uirtus est in salutem omni credenti. Deniq; ipse dominus ait: Sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam: quæ quidem parens cæterarum est fœcunda uirtutum. In quo enim aliqua harum (quas diximus principalis) est uirtus, in eo etiam cæteræ præsto sunt: quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæq; uirtutes.
Hebr. 11 Nam utiq; Abel iustus & fortissimus, ac patientissimus Abraham, & prudētissimi prophetæ, & Moyses eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, maiorem honestatem æstimauit Aegypti thesauris opprobriū Christi. Et quis sapientior quàm Daniel? Salomon quoq; sapientiā popposcit, & meruit. Dictum est ergo de quatuor uirtutum fluminibus, quorum potus est utilis. Et quia Phison aurum bonum terræ, & carbunculū, & lapidem prasium habere dictus est, hoc quoq; quale sit consideremus. Videtur enim nobis tanquam aurum bonum Enos, qui prudenter Dei nomen scire desiderauit. Enoch autem qui translatus est, & mortem non uidit, carbunculus quidā est lapis boni odoris, quem operibus suis sanctus Enoch Deo detulit, gratiam quandam factis & moribus spirans. Noe uerò tanquā prasius lapis uitalem colorem prætulit. Siquidem diluuij tempore solus ac ueluti futuræ constitutionis uitale semen in illa arca est reseruatus. Ergo bene paradisus, qui pluribus fluminibus irrigatur, secundū orientem, non contra orientem: hoc est secundum illum orientem cui nomen est oriens, id est, secūdum Christum, qui iubar quoddam æternæ lucis effudit, & est in Eden, hoc est in uoluptate.

De apprehensione hominis, & positione eius in paradiso ut operaretur & custodiret. Et qua ratione extra paradisum uir factus sit, mulier uerò intra paradisum. Quid præterea interfit inter operari & custodire, & cur primus homo in paradiso legitimi laboris speciem susceperit. Caput IIII

Genes. 2 T apprehēdit Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari & custodire.] Vides quoniam, qui erat, apprehenditur? Erat autem in terra plasmationis suæ. Apprehendit ergo eum uirtus Dei, inspirans processus & incrementa uirtutis. Deniq; in paradiso eum collocauit, ut scias apprehensum quasi afflatū diuina esse uirtute. Quo loci illud aduerte, quia extra paradisum uir factus est, & mulier intra paradisum: ut aduertas, quod non loci, nō generis nobilitate, sed uirtute unusquisq; gratiam sibi cōparat. Deniq; extra paradisum factus, hoc est in inferiore loco, uir melior inuenitur: & illa quæ in meliore loco, hoc est in paradiso facta est, infe-
1. Pet. 3 rior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & uirū ipsa decepit. Vnde Apostolus Petrus subiectas fortiori uasi mulieres sanctas uiris suis uelut dominis obedire memorauit. Et

ast. Et Paulus ait: Quia Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. 1.Tim.2
Deinde contuendum, quia nemo debet sibi facile præsumere. Nam ecce illa quæ Ephes.5
in adiumentum facta est uiro, præsidio uirili indiget, quia uir caput est mulieris: ille autem quia adiumentū uxoris habiturum se esse credebat, lapsus est per uxorem. Vnde nemo debet facile alteri se credere, nisi cuius uirtutē probarit: nec arrogare sibi qui se pro auxilio putarit ascitum, sed magis si inuenerit fortiorem, cui se putabat esse præsidio, ab ipso gratiam mutuetur, sicut & uiros mulieribus honorem impertire Apostolus præcipit Petrus dicens: Viri similiter cohabitantes secundū scientiam tanquā infirmiori uasi 1.Petr.3
mulieri impartientes honorem, tanquā cohæredi gratiæ uitæ, ut ne impediantur orationes uestræ. Ergo positus est in paradiso uir, facta est in paradiso mulier. Sed etiam tunc priusquā à serpente mulier deciperetur, habuit uiri gratiam, quoniā de uiro sumpta est: licet hoc sacramentum magnum sit, sicut Apostolus dixit. Et ideo causam uitæ ex eo traxit. Ideoq; de uiro tantum scriptura dixit: Quia posuit eū in paradiso operari & custodire. Non idem est operari & custodire. In opere enim quidam uirtutis processus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quòd quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, ut & operibus noua quærat, & parta custodiat, quod est generale. Philon autē quoniā spiritalia Iudaico nō capiebat affectu, intra moralia se tenuit ut diceret, hæc duo queri, opera in agro, custodiā in domo. Et quāuis paradisus operibus, inquit, ruralibus nō egeret, tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideo legitimi etiā in paradiso speciē suscepit laboris, ut nos ad operationē, & custodiā debiti officij, & hereditarię successionis munus adstringeret. Hæc duo ergo à te exiguntur, siue moraliter, siue spiritualiter. Quod etiam Psalmus te propheticus docet, quia scriptum est: Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt, qui ædificant eam: Nisi dominus custodierit ciuitatem, in uanum laborauerunt qui custodiunt eam. Vides illos laborare qui in operis sunt ędificationisq; processu, istos uerò uigilare qui iam custodiam perfecti operis receperunt. Vnde & dominus Apostolis quasi iam perfectioribus: Vigilate, inquit, & orate ne intretis in tentationem. Docens perfectę natur ę munus & plenę uirtutis gratiam esse seruandam, nec quenquam etiam perfectiorē, nisi uigilauerit, sui debere esse securum. Matth.6

De pręceptis Adę in paradiso datis, & de huius quęstionis: Cur deus ubi pręcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit, Edes: ubi autem de ligno scientiæ boni & mali, pluraliter Edetis dixerit, absolutione. Quodq; ei interpretatio Symmachi non prędiudicet. De responsione quoq; ad tres quęstiones quas plerique, quorum author Apelles est, proponunt. Cap. V

ET præcepit dominus deus Adę dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes: de ligno autem quod est scientię boni & mali, nō edetis. Quā die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini.] Qua ratione ubi pręcepit ex omni ligno edendum, singulariter dixerit, Edes: ubi autem de ligno scientiæ boni & mali, pluraliter, Edetis dixerit, nō ociosa quæstio. Verùm si diligenter intendas, scripturarum authoritate absolui potest. Quod enim bonū, hoc est faciendū: quod autē bonum & faciendum, consonans & adhęrens: quod uerò turpe, hoc dissonans, incompositum atq; discretum est. Et ideo dominus unitatem semper intendens, secundum unitatē pręcepit. Deniq; unitatē operatur, qui fecit utraq; unū. Nec solum utraq;, sed etiam omnes unū fecit. Omnes enim unum corpus & unum spiritum esse nos iussit. Per omnia autem primogenitus, cum sit in unitate cum patre, coniunctissimus patri semper est, quia uerbum erat apud deum. Deniq; ait: Ego & pater unum sumus, ut unitatem sibi maiestatis & diuinitatis cum patre esse monstraret. Sed & nos unū esse pręcepit, & suę naturę unitatisq; similitudinē in nos gratię adoptione transfudit, dicens: Pater, sicut ego & tu unum sumus, ita & isti in nobis unum sint. Ergo ubi bonū pręcipit, tanquam ad unū præcipit, dicens: Non edes. Vnitas enim preuaricari non potest. Vbi uerò de ligno scientiæ boni & mali dicit non esse gustandū, quasi ad plures dicit: Nō edetis. Quod enim prohibitorium est, tanquā pluribus imperatur. Ego tamen aliud puto, & quid futurū sit, in ipso iam dei sermone reperio. De omni ligno gustandū Adę soli præcepit, quem seruaturum sciebat: de ligno autē scientię boni & mali non esse gustandū, iam non singulariter Genes.2

sed pluraliter dicit: sciebat enim præuaricaturam mulierē, & ideo per pluralitatē ostendit non seruaturos, quia plurium discreta sententia est. Et quantum ad septuaginta uirorum sententiam spectat, solutum est quod mouebat. Sed quia Symmachus utrunq; singulariter dixit, intelligimus id secutum, quia in lege quoq; cū populum alloquitur deus,
Deut. 6 singulariter loquitur, sicut habes: Audi Israel, dominus deus tuus dominus unus est, &, diliges dominum deum tuum. Nec mihi præiudicat Symmachi interpretatio, qui unitatem patris & filij uidere non potuit, etsi aliquoties in sermone & Aquila & ipse confessi
Rom. 7 sint. Nec quisquam de eo quod præuaricaturum populum diuina mandata singulariter alloquitur, putet superiori nostro obuium esse sermoni, quia populus Iudæorum etiam singulariter data præscripta uiolauit. Lex enim spiritualis est: & ideo alterum in sermone, alterum in prædestinatione diuino populum deus alloquebatur oraculo. Denicq; ait:
Exod. 23 Non coques ouē in lacte matris suæ. Facilis abhinc præceptorum cœlestium series uideretur, nisi quæstionem plurimi cōmouerent. Quibus respondēri oportet à nobis, ne simplices mentes malitiosa interpretatione traducant. Pleriq; enim quorum author Apelles, sicut habes in tricesimo & octauo tomo eius, has quæstiones proponunt: Quomodo lignum uitæ plus operari uidetur ad uitam, quàm insufflatio dei? Deinde si hominē non perfectum fecit deus: unusquisq; autem per industriam propriam perfectionem sibi uirtutis asciscit: nónne uidetur plus sibi homo acquirere, quàm ei deus contulit? Tertium obijciunt. Et si homo non gustauerat mortē, utiq; quam nō gustauerat, scire nō poterat. Ergo si nō gustauerat, nesciebat: si nesciebat, timere nō poterat. Frustra igitur deus mortem pro terrore obiecit, quā homines nō timebant. Discamus igitur quod ibi lignū uitæ, ubi etiam lignum scientiæ boni & mali produxerit deus. Habes enim quia produxit lignum uitæ ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, hoc est in medio paradisi. Apud nos enim intelligitur quod in medio produxerit. Ergo in medio paradiso & uita erat, & causa mortis. Intellige quia non homo fecit uitam, sed uel operando, uel custodiendo mandata dei po-
Coloss. 3 tuit inuenire. Erat autem uita, sicut Apostolus dixit, abscondita cum Christo in deo. Homo ergo siue in umbra uitę erat propter figuram futuram, quia umbra est hæc quæ nunc nostra uita in terra, siue in quodam pignore uitæ erat, quia habebat insufflationem dei. Habebat ergo pignus immortalitatis, sed in umbra uitæ positus. abscónditam uitā cum Christo in deo uulgari quodam tactu & aspectu uidere & capere non poterat. Etsi nondum peccator, non tamen incorruptæ inuiolabilisq; naturæ, utpote qui postea peccato lapsus est, nequaquam autem adhuc peccator. Denique in umbra uitæ erat. Qui autem
Esa. 9 peccatores sunt, in umbra mortis sunt. Peccatorum autem populus, sicut Esaias docet, sedebat in umbra mortis, cui lux orta per dei gratiam, non per suæ uirtutis est meritum. Ergo inter insufflationem dei, & escam ligni uitæ, nulla discretio. Nec hominem quis potest dicere plus sibi posse acquirere, quàm diuina ei largitate collatum est. Vtinam acceptum tenere possemus. Labor etenim noster eò proficit, ut quę tributa sunt resumamus. Tertium illud quod propositum est, quia qui mortem non gustauerat, mortem timere non poterat, facile ex communis naturæ usu absolutionem habet. Est enim natura insitum omnibus, ut etiam quę nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Vnde enim columbæ in ipso ortus sui uisu, terror accipitris? Vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? Quod si in ijs quæ irrationabilia sunt animantia, quidam de aduerso genere animantium naturalis est terror, ut etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant, quanto magis in primo homine rationis utiq; plenissimo, naturalis quædam opinio mortis debuit esse uitandæ?

De solutione aliarum quarundam quæstionum quas circa obeditionem & cognitionem præcepti faciunt. Cap. VI

R Vrsus faciunt alias quæstiones hoc modo: Non semper malum est non obedire præcepto. Si enim bonum est præceptum, honesta est obeditio: quòd si improbum præceptū, non obedire utile: ergo nō semper malum est non obedire præcepto, sed bono præcepto non obedire improbum est. Bonum autem est operatorium cognitionis boni & mali lignū, quandoquidem & deus & bonum & malum
Genes. 3 nouit. Denique ait: Ecce Adam factus est tanquam unus nostrum. Si igitur bonum est scientiam habere boni & mali, bona autem est quam etiam deus habet: uidetur qui

interdicit

interdicit eam hominibus,non recte interdicere,idq; proponere.Sed si intelligant quid sit cognoscere, quam uim habeat hoc uerbum, si sic intelligant quemadmodum oportet:cognouit enim dominus qui sunt ipsius:cognouit utiq; eos qui unum ex pluribus factí sunt,in quibus inhabitat, & in quibus perambulat: Cognoscere utiq; non in sola & perfunctoria scientia est, sed in eorum operatione quæ oporteat fieri. Oportuit autem hominem obedire mandato, non obediendo autem præuaricatus est.Igitur qui non obediuit,errauit, quia præuaricatio peccatum est. Verumetiam si extenuare uelint uim cognitionis,ut perfunctoriam scientiam boni & mali interdictam putent,in eo quoque præuaricationis culpa est,non obeditũ esse mandato, quia etiam tumultuariã scientiam boni & mali dominus deus putauit inhibendã. Alia quæstio: Qui non cognoscit bonũ & malum,nihil à paruulo distat. Paruuli autem apud iustũ iudicẽ nulla est culpa.Iustus autẽ operator mundi nunquã paruulum uocasset in culpã,propter quod non cognouerat bonũ & malum, quia paruulus sine ullo est crimine præuaricationis & culpæ. Verũ cum in superioribus dixerimus duplicẽ esse intellectum scientiæ boni & mali:si perfunctoriam scientiam accipimus,utiq; falsum est quòd nihil distat à paruulo,qui nõ cognouit bonum & malũ.Si autem falsum est quòd nihil distet à paruulo, ergo non paruulus Adam:Si nõ paruulus,adscribitur utiq; ei quasi non paruulo peccatũ. Si peccatũ adscribitur,sequitur pœna peccatum: quia dignus inuenitur pœna qui peccatum uitare non potuit.Potest etiam fieri ut etiã qui scientiam non habet boni & mali, paruulus non sit: quoniam priusquam sciuit puer bonum & malum, non credidit malitiæ. Et iterum habes:Quia priusquã sciet puer uocare patrẽ & matrem,accipiet uirtutẽ Damasci, & spolia Samariæ. Perfectus ergo qui operatur bonum, etiã si boni & mali scientiã non adeptus sit:ut multi priusquã sciant legem,ipsi sibi lex sunt.Quod Apostolus priusquã disceret,Non concupisces:malum esse concupiscentiam nesciebat.Deniq; ipse ait:Peccatum non cognoui nisi per legem.Nam concupiscentiã nesciebam,nisi lex diceret:Non concupisces.Ad quam partem etiam puer potest esse perfectus iure naturæ,priusquam sciat concupiscentiam crimen esse,uel concupiscentiæ crimen admittat. Ergo secundum perfunctoriam sciẽtiam noluit deus hominem scire quod malum est, ne quasi imperfectus uitare non posset.Non obediendo autem mandato incurrimus in culpam:ergo culpam fatemur. Rursus autem si altam & profundam scientiam dicimus boni & mali,quę qui dem profunda scientia perfectum facit,non statim autem paruulus qui ad altam & profundã scientiam peruenire non potuit:recte ergo sicut nõ paruulus condemnatur. Iterũ quæstiones serunt.Qui nescit,inquiunt,bonũ & malum,ne ipsum quidem nouit esse malum non seruare mandatum,nec ipsum bonum nouit quod est obedire mãdato. Et ideo quia non nouerat,uenia,inquiunt,dignus fuit, qui uon obediuit, non condemnatione. Quæ quidem quæstio de his absolutionem habet,quæ ante memorauimus. Cõsiderare enim potuit homo ex ijs quæ deus ante ei contulerat, quòd insufflationem dei accepit, quod erat in paradiso uoluptatis locatus, summam authori obedientiam deferendã.Et ideo si uim nesciebat boni & mali,tamen quia tantorũ author dixerat de ligno scientiæ boni & mali non esse gustandum, fidem præceptori seruare debuerat.Non enim ab eo peritia,sed fides exigebatur. Intelligebat utiq; deũ omnibus præminere,ideoq; personã iubentis spectare debuerat.etsi non intelligebat uim qualitatemq; iussorũ, sciebat tamẽ præceptori deferendam esse reuerentiam. habebat in natura hanc opinionem,etsi non habebat iudicium boni & mali. Deniq; & mulier serpenti dicit:Ex omni ligno paradisi manducabimus,de fructu autem ligni quod est in medio paradisi,dixit deus:Non manducabitis ex eo.Ita ergo sciebat obediendum esse mandato, ut diceret:Ex omni fructu manducabimus,quod dominus imperauerat:de ligno autem quod est in medio paradiso,imperatum à deo dicit,non esse gustandũ,ne morte morerentur. Ergo qui sciuit deferendum esse mandato,sciuit utiq; malum esse præuaricari,& ideo iustè præuaricata damnatur.Accipe aliud.Si assumptio de ligno scientiæ boni & mali ita operatoria erat,ut bonum & malũ agnosceretur,quod uidetur scriptura ostendere dum dicit:Quia ubi manducauerunt ambo,aperti sunt oculi eorum,& cognouerunt quod nudi essent,hoc est,aperti sunt oculi cordis, & cognouerũt turpe esse nudos se degere:sine dubio ubi gustauit mulier de ligno scientiæ boni & mali, peccauit, & se peccasse cognouit. Quæ igitur

2.Tim.2

Esa.8

Rom.7

Genes.3

se peccasse cognouerat, uel uirum ad peccati communionem inuitare non debuit. Illiciendo autem uirum, & dando ei quod ipsa gustauerat, non uitauit, sed iterauit peccatū. Nam utiq; si uere rationē spectes, eum quem diligebat, non trahere ad consortium pœnæ, sed magis ab eo quod cognouerat ipsa esse peccatū, uel inscientem reuocare debuerat: quanuis uideatur hæc mulier sciens quòd post culpam in paradiso esse non posset, metuisse ne sola de paradiso eiiceretur. Deniq; absconderunt se ambo post culpam. Excludendam igitur se esse cognoscens, consortio uiri quem diligebat, noluit defraudari. Iterum accipe: Non cognitio mali malū est, sed cum actus implet malitiam. Non enim statim qui nouit malum, quod malum est facit: sed qui quod malum esse nouit, operatur. Incentiuum autem ad operandum quod malum est, aut iracundia aut cupiditas esse consueuit. Nec statim necesse est ut habens scientiam mali, faciat quod improbum nouit, nisi aut iracundia aut cupiditate uincatur. Vnde quod diximus incentiuum peccandi, uel ira, uel cupiditas est, uel plerunq; formido, licet ex formidine oriatur cupiditas, dum unusquisq; uult uitare quod metuit. Et ideo recte iracundiam & cupiditatem duorum reliquorum posuimus incentiua uitiorum. Consideremus igitur utrum Eua his ad uitium stimulis incitata sit. Sed neq; irascebatur marito, neq; cupiditate uicta est: in secūdo dum taxat errat, ut edendum uiro daret quod iam ipsa gustauerat. Primo fuerit cupiditas author erroris ut ipsa ederet, sequentisq; fuit causa peccati. Quod enim iam gustauerat, desiderare non poterat: & gustando, mali fuerat scientiam consecuta. Malum igitur quod aduerterat, in uirum deriuare non debuit, neq; coniugem proprium præuaricatorem diuini facere mandati. Sciens igitur prudensq; peccauit, sciens uirum in suum traxit errorem. Alioquin inuenietur falsus esse de ligno scientiæ boni & mali sermo, si etiā postea quam de ea arbore manducauit, scientiam mali habere non potuit. Quod si uerus est sermo, cupiditatis utiq; causam habere non potuit: licet plerique sic excusandam putent, quod diligens uirum ab eo timuerit separari, & hanc causam cupiditatis prætendant, quòd esse uoluerit cum marito.

De pertractatione quæstionis unde mors acciderit Adæ, utrum uidelicet à natura ligni, an à deo. Cap. VII

Iterum alia quæstio subrepit, unde mors acciderit Adæ, utrum à natura ligni eiusmodi, an uero à deo. Si naturæ hoc ligni adscribimus, uidetur ligni huius fructus uiuificanti insufflationi dei præstare, siquidem quem uiuificauerat insufflatio, fructus huius ligni traxit ad mortem. Aut si deum operatorem mortis esse memoramus, dicunt quod gemina eum opinione accusemus: quòd aut ita immitis ut noluerit ignoscere, cum posset ignoscere: aut si ignoscere non potuit, uideatur infirmus. Videamus igitur quomodo diluendū sit. Nisi fallor, mortis causa inobediētia fuit: & ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens deum suæ mortis authorem. Neq; enim si medicus præscripserit ægrotāti à quibus uideatur cauendū, atq; ille ab interdictis non putauerit abstinendū: causa ei mortis est medicus: sed utiq; ipse sibi reus mortis est propriæ. Itaq; deus quasi bonus medicus prohibuit ne Adam nocitura gustaret. Iterum accipe: Scire bonum melius est, quàm nescire: & ei qui bonum sciat. pulchrum est scire etiam quod malum est, ut sciat cauere quod malum est, ut prudens subeat custodiæ cautionem. Rursus autem non satis est hoc solum scire quod malum est, ne quomodo malū scias, scientia boni incipias defraudari. Pulchrius est igitur ut utrūq; norimus, ut & quia scimus bonum, fugiamus quod malum est: & ex eo quod cognoscimus malū, boni gratiam præferamus. Sed ita debes utrunq; scire, ut profunde noueris, & quod noueris exequaris, actusq; scientiæ congruat. Alioquin tolerabiliorē scriptura indicat eum qui utrunq; nesciat, quàm qui perfunctorie utrunq; cognouit. Grauat enim scire, quod uel exequi uel uitare non possis. Grauat scire, sine usu atq; opere cognitionis profundæ. Deniq; obest ad existimationem medico scire quid prosit, & quid noceat ægro, nisi cognitione ea quemadmodum oportet utatur: & ideo non est cognitio bona nisi ea utaris ut oportet. Item accipe: Non frustra lignum scientiæ boni & mali productum est in medio paradiso: & si cuicunq; homini productum esset, superflua interdictio. Sed neq; frustra factum est, neq; alij nisi homini factum est, qui mandatum accepit, ut non solo eo, sed eo cum cęteris uteretur. Nam si multa discutias, complura reperies, & plane innumera, quę

ei qui

ei qui uti neſciat, poſſint nocere. Nec ipſas diuitias inuenies fructuoſas, ſi habens diues ſubſidia largitatis, neget alimenta pauperibus, excludat inopem ſubſidio deſtitutum, aliena extorqueat, quia præualet poteſtate. Pulchritudo ipſa, & gratior coporis forma frequenter in uitium quàm deformitas trahit. Nunquid igitur quiſquã deformiores quàm pulchriores filios habere deſiderat, & inopes potius liberos ſuos cupit eſſe quàm diuites? Plura ſunt huiuſmodi quę non ad impudentiam largientis referenda ſunt, ſed ad male utentis errorem. Et ideo utentem accuſandum potius quàm donantem.

De abſolutione quæſtionum quas quidam circa præſcientiam dei de præuaricatione Adæ, & impreſſionem opinionis boni & mali faciunt. Cap. VIII

1 Terum queſtio. Sciebat præuaricaturum deus Adam mandata ſua, an neſciebat? Si neſciebat, non eſt iſta diuinæ poteſtatis aſſertio: ſi autem ſciebat, & nihilominus ſciens negligenda mandauit, non eſt dei aliquid ſuperfluum præcipere. Superfluo autem præcepit protoplaſto illi Adæ, quod eum nouerat minime ſeruaturum: nihil autem deus ſuperfluo facit, ergo non eſt ſcriptura ex deo. Hoc enim obiiciunt, qui Vetus nõ recipiunt teſtamentum, & has interſerũt quæſtiones. Verum hi ſua ſententia & opinione uincendi ſunt. Cum enim Noui teſtamenti nõ refutant fidem, exemplo ſunt arguendi ut uetus credant: quoniam cum ſibi diuina præcepta & facta conueniant, unius authoris teſtamentũ utrumq; liquet eſſe credendum. Diſcant igitur non ſuperfluum, non iniuſtum etiã præuaricaturo præſcriptum eſſe mandatum. Nam & ipſe dominus Ieſus elegit Iudam, quem proditorem ſciebat. Quẽ ſi per imprudentiam electũ putant, diuinæ derogãt poteſtati. Sed hoc æſtimare nõ poſſunt, cũ ſcriptura dicat: Quia ſciebat Ieſus quis eum proditurus eſſet. Conticeſcant igitur repugnatores iſti Veteris teſtamenti. Sed quoniam etiã gentilibus, ſi forte iſtud obiecerint, reſpondendum uidetur, qui exemplum non recipiunt, rationẽ exigunt: accipiant etiã ipſi qua ratione dei filius uel præuaricaturo mãdauerit, uel elegerit prodituru. Venerat dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere ſuã debuit uoluntatem. Et ideo nec proditurum debuit præterire, ut aduerterent omnes quòd in electione etiã proditoris ſui, ſeruandorum omnium inſigne prętendit, nec in eo læſus eſt uel Adam quia mandatum accepit, uel Iudas quia electus eſt. Non enim neceſſitatẽ deus uel illi præuaricationis, uel huic proditionis impoſuit, quia uterq; ſi quod acceperat cuſtodiſſet, à peccato potuit abſtinere. Deniq; nec Iudæos omnes credituros ſciebat, & tamẽ ait: Non ueni niſi ad oues perditas domus Iſrael. Ergo non in mandante culpa eſt, ſed in præuaricãte peccatum eſt. Et quod in deo fuit, oſtendit omnibus quòd omnes uoluit liberare. Nec tamẽ dico quia prędestinationem neſciebat futuram, imò quia ſciebat aſſero, ſed non ideo pereuntis proditoris inuidiam in ſe debuit deriuare, ut adſcriberetur deo quod uterq; ſit lapſus. Nunc autẽ uterq; redarguitur, atq; recõuincitur: quia & ille mandatũ ne laberetur accepit, & hic etiam in Apoſtolatus munus aſcitus eſt, ut uel beneficio dei reuocaretur à proditionis affectu: ſimul ut dum alij reuincuntur, prodeſſet omnibus. Non enim conſiſteret peccatum, ſi interdictio non fuiſſet. Non cõſiſtente autem peccato, non ſolũ malitia ſed etiam uirtus fortaſſe non eſſet: quæ niſi aliqua malitiæ fuiſſent ſemina, uel ſubſiſtere uel eminere nõ poſſet. Quid eſt enim peccatũ, niſi præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia prędeceptorum? Non enim auribus corporis de mandatis cœleſtibus iudicamus, ſed cum eſſet dei uerbum, opiniones quædam nobis boni & mali pullulauerunt, dum id quod malũ eſt, naturaliter intelligimus eſſe uitandum: & id quod bonum eſt, naturaliter nobis intelligimus eſſe petendum. In eo igitur uocem domini uidemur audire, quod alia interdicat, alia præcipiat. Et ideo ſi quis non obedierit illis quæ ſemel à deo præcepta credimus, pœnę obnoxius æſtimatur: dei autẽ præceptũ non quaſi in tabulis lapideis atramento legimus inſcriptum, ſed cordibus noſtris tenemus impreſſum, ſpiritu dei uiui. Ergo opinio noſtra ipſa ſibi legem facit. Si enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendũt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis. Opinio igitur humana ſibi tanquam dei lex eſt. Iterũ hinc aliam faciunt quæſtionẽ, ut ad uicẽ mandati eius quod diximus in hominis opinione cõſiſtere, hãc ipſam opinionẽ impreſſam à deo nobis tanquã

Ioan. 13

1. Tim. 1

Matth. 15

1. Cor. 3

Rom. 2

præscriptum diuinę legis accusent. Nouerat, inquit, hominem peccaturum qui creauit eum, & has opiniones boni & mali impressit, an non nouerat? Vt si dixeris quia non nouerat, alienum à maiestate dei sentias. Si autẽ dixeris quia sciens deus peccaturũ hominem, cõmunes tamen opiniones ei boni & mali impressit, ut propter admixtionem malorum uitę perpetuitatẽ seruare non posset: sicut in illo non præsagũ futuri, ita in hoc nõ bonum deum significare uidearis. Atq; hinc argumentantur quia nõ est creatura hominis à deo facta. Nam sicut supra ostendimus eos dicere quòd non est mandatũ dei, sic & hic dicunt. Non ergo creatura hominis à deo, quia deus malum non fecit. Homo autem opinionem accepit mali, dum à malis præcipitur abstinere. Hoc autem genere alium bonum deum, alium operatorẽ hominis conantur asserere. Quibus respondendum est illicò secundum opinionem suam. Si enim hominem nolunt à deo factum, quia peccator est homo, & hoc refugiunt, ne bonus deus peccatorem fecisse uideatur, quia non putant bonum qui fecerit peccatorem: dicant utrum operatorem hominis à deo factum putent. Si enim à deo factus ille (ut dicunt) operator est hominis, quomodo bonus deus operatorem mali fecit? Vtique non bonus. Nam qui peccatorem facit non bonus, cauendum ne grauius sit operatorem peccatoris fecisse. Debuit enim bonus deus prohibere natiuitatem eius, qui peccati substantiam habebat inducere. Quòd si dicunt non esse genitum operatorẽ mali, requirendum utrum bonus deus potuerit inhibere quoquo modo incipientem malitiam, an non potuerit. Si enim non potuit, infirmus: si potuit & non fecit, non bonus. Ergo si sibi ista non congruunt, nec suæ sibi hæreticorum conueniunt opiniones, requiramus ne forte rationis fuerit, qua caussa deus siue geniti siue non geniti illius operatoris siuerit malitiam introire in hunc mundum, cum possit inhibere. Itaque seruantes unum & eundem deum bonum atque operatorem, id si possimus astruamus, quod gratiæ utrique conueniat, nec accusationis eorum declinemus inuidiam, qui ita dicunt: Quomodo bonus deus qui non solum passus est introire in hunc mundum malitiam, sed etiam in tantam confusionem uenire permisit? Verum hæc accusatio tunc locum haberet, si ita animæ uim & intimæ secreta mentis inficeret, ut nullo pacto posset aboleri, & immedicabilium uulnerum menti atque animæ nostræ uirus insideret, esset enim aptior huius querelæ locus, quod cum omnia possit deus, hominem tamen perire sit passus. Verum cum deus nostri misericors respuendi erroris remedia reseruauerit, abolendiq; omnis contagij non aboleuerit facultatem: quomodo irrationabile uel iniustum est si permisit nostrum materiale tentari quadam trepidatione fragilitatis humanæ, ut fœneratior postea gratia per pœnitentiam delictorum in hominis redire affectum, & fragilitatis suæ conscius, quòd tam facilè à diuinorum mandatorum serie deuiando trepidauerit, tanquam clauum animæ fluctuantis mandata cœlestia timeret amittere, diuinæ misericordiæ plus tribuens quod recepit amissum, & sibi aliquid usurpans gratiæ quod reuertatur.

Cur deus cum mandatum daret homini, de manducando & non manducando putauerit esse mandandum. Qua etiam ratione dominus deus Adę dixerit, Morte moriemini: & quid interfit utrum aliquis dicat moriemini, an addat, morte moriemini. Cap. IX

NVnc quæ sit illa ratio consideremus, quid sit istud quòd cum mandatum daret homini de illa admirabili beataq; uita præscribens, ne contra faciens morte moreretur, de manducando & non manducando putauerit esse mandandum. Sunt enim qui putant nequaquam mandatum istud conuenire cœli & terrę atque omnium creatori: nequaquam dignum incolis paradisi, eò quòd illa uita similis angelorum sit. Et ideo non terrenum & corruptibilem hunc cibum esui fuisse possumus æstimare, quia qui non bibunt neque manducant, erunt sicut angeli in cœlo. Cum igitur in cibo neque præmium sit, quia esca nos non commendat deo: neque magnum periculum sit, quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore: uidetur indignum tanto authore præceptum, nisi hunc cibum ad illud propheticum referas, quod pro magno præmio dominus de sanctis pollicetur suis: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, uos autem esurietis. Hic est enim cibus in quo uita definitur æterna, quo quis-

Matth.22
1.Cor.8
Matth.15
Esa.65

quis

quis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis uiuus atque cœlestis ipse dominus est, qui uitam dat huic mundo. Vnde & ipse ait: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam æternam. Erat ergo panis aliquis de quo præscripserat edendum paradisi incolis. Quis ille? Accipe quem dicat: Panem, inquit, angelorum manducauit homo. Est enim bonus panis, si facias uoluntatem dei. Vis scire quis bonus panis? ipse filius manducat hunc panem, de quo ait: Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Iterum uideamus qua ratione dominus deus Adæ dixerit: Morte moriemini: quid interfit, utrum aliquis dicat, Moriemini: an addat, Morte moriemini. Ostendere enim debemus nihil superfluũ in dei esse mandato. Itaq; hoc arbitror, quum duo sibi sint contraria, mors & uita: secundum simplicem sermonem à uita uiuere dicimus, à morte mori. Si autem geminare uelis utrumque, quia uita uitam facit, dicitur, Vita uiuit: sicut habes in lege. Et quia mors mortem facit, dicitur, Morte morietur. Non est autem superflua ista geminatio. est enim uita ad mortem, & est mors ad uitam: quia quis & dum uiuit moritur, & dum moritur uiuit. Fiunt ergo quatuor distinctiones, uita uiuere, morte mori, morti uiuere, uitæ mori. Quum igitur hæc ita se habeant, usus & consuetudinis præiudicium debemus excludere, quia usus hoc habet, ut communiter dicatur uiuere & qui uitæ uiuit, & qui morti uiuit: & communiter dicatur mori uel ille qui morti moritur, uel ille qui uitæ uiuit. Itaq; ex quatuor illis duo significat, ut dicat uiuentẽ uiuere, nec melius deteriusq; distinguat, & dicat morientem mori, nec inter malam & bonam mortem uideatur esse discretio. Nam indiscreta quędam uita significatur, qualis irrationabilium aut etiam paruulorum & indiscreta mors æquè sequestratio. Igitur usu communi quid sit uita uiuere, & quid sit morte mori, & quid sit uiuere morti, & mori uitæ, consideremus. Puto enim secundum scripturas, quia uita uiuere admirabilem quandam illam uitam, beatamq; significet, & hunc uiuendi usum spirandi' que munus cum beatæ uitæ gratia ueluti coniunctum, & quadam participatione permixtum demonstrare uideatur. Hoc est enim uita uiuere, uirtute uiuere, beatę uitæ actus habere in istius corporis uita. Contrà autem morte mori, quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cuius & caro communi uiuendi munere defraudetur, & anima uitæ æternæ usum habere non possit? Est etiam qui uita moritur, ut qui uiuit corpore, sed actu moritur suo: quales illi sunt, qui, ut ait propheta: Descendunt in infernum uiuentes. Et illa de qua Apostolus dicit: Quoniam uiuens mortua est. Quartum supereſt, quòd sunt qui etiam morte uiuunt, ut martyres sancti, qui utique moriuntur ut uiuant. Moritur caro, sed uiuit gratia mortuorum. Ergo absit à nobis ut participes mortis uiuamus, sed contrà participes uitæ moriamur. Sanctus enim nec uitæ istius se uult esse participem, qui ait: Cupio dissoluí, & cum Christo esse, multo enim melius. Et alius: Heu me quòd incolatus meus prolongatus est. Dolens utique cum consortia uitæ speret æternæ, istius uitæ fragilitate se contineri. Et ideo possum ecõtrario dicere, quia etsi uita uiuere bonum est, uitæ tamen uiuere ambiguum sit. Potest enim dici quis uitæ uiuere, hoc est, uitæ æternæ istius uita corporis militare. Potest etiam dici uitæ uiuere, hoc est, uel quemcunque uel sanctum istius uitæ habere desiderium corporalis. Vt uerbi gratia, si quis ideo honestè putet esse uiuendum, ut is longæuitatem uitæ bonis actibus consequatur, quales plerique infirmiores sunt quos hæc uita delectat. Sicut ergo uitæ uiuere quid sit accepimus, quid sit morti mori accipiamus, uel morti uiuere. Possunt enim esse qui moriantur morti, & qui uiuãt uitæ. Nam qui non ita uiuit, ut secundum mortem animæ suæ uiuat, is morti moritur, quia non est obnoxius morti, id est, nexus eum ærumnosæ mortis amisit, non constringitur uinculis mortis æternæ. Mortuus est morti, hoc est, mortuus est peccato, mortuus est pœnæ. Cui contrarium est pœnæ uiuere, hoc est, quando quis uiuit ad pœnam, uiuit ad mortem. Qui autem moritur ad pœnam, moriť ad mortẽ. Est etiam qui in hac uita positus moriať ad uitam, sicut ille qui ait: Viuo aũt iam nõ ego, uiuit aũt in me Christus. Peccato enim mortuus est, deo uiuit, hoc est mors in eo mortua est, sed uita uiuit, qui est dominus Iesus. Ergo bona uita eorum qui deo uiuunt, mala uita eorum qui peccato uiuunt. Est etiam media uita, ut animantium cæterorum, sicut

Ioan. 6
Psalm. 77
Ioan. 4
Genes. 2
Psalm. 54
1. Tim. 5
Philip. 1
Psal. 119
Gal. 2
Genes. 1

habes ſcriptum: Producat terra animam uiuentem ſecundum genus. Eſt uita etiam mortuorum, ut deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob, quia deus mortuorum non eſt, ſed uiuorum. Sunt etiam quibus communitas eſt quædam mortis & uitæ, de quibus ait
Rom. 6 Apoſtolus, dicens: Si commortui eſtis, & conuiuetis. Si enim complantati, inquit, ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: ſcientes quia uetus homo noſter ſimul confixus eſt cruci, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Sicut autem figuras multas uitæ diximus, ita etiam mortis inuenimus. Dicitur enim mors mala, ſecundum il-
Ezech. 18 lud: Anima quæ peccat, ipſa morietur. Dicitur & mors communiter, ſicut habes uerbi gratia quia Adam uixit tot annos, & mortuus eſt, & appoſitus eſt ad patres ſuos.
Rom. 6 Dicitur etiam mors per baptiſmatis ſacramentum, ſicut habes: Conſepulti ſumus cum
Ibidem. illo per baptiſmum in mortem. Et alibi: Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus etiam quòd ſimul uiuemus cum illo. Vides quia mors quidem appellatione dicatur, ſed hæc uita, uita ſit noſtra.

De abſolutione quæſtionum incidentium circa factionem mulieris Adæ. Cap. X

Geneſ. 2 Tem alia quæſtio (quia dixit dominus: Non eſt bonum ſolum eſſe hominẽ.)
1 Primo omniũ cognoſce quia in ſuperioribus ubi hominem finxit deus de limo terræ, non addidit: Vidit deus quia bonum eſt, quemadmodũ in ſingulis operibus ſuis. Nam ſi dixiſſet illic bonũ eſſe quia homo factus eſt, inueniretur hoc eſſe contrarium, ut hic bonum nõ eſſe diceret, cum in ſuperioribus bonum eſſe dixiſſet. Sed hoc ibi cognoſce, ubi ſolum Adam fecit. Cęterùm ubi cõmuniter comprehendit uirum & mulierem factos, licet ne ibi quidem dixerit, ſpecialiter tamen quia poſtea habes, Vidit deus omnia quæ fecit, & erant bona ualde: euidenter eſt declaratum bonũ eſſe quòd & uir ſit factus, & mulier. Sed ex hac quæſtione alia quæſtio rurſus emerſit: Quomodo enim quando ſolus factus eſt Adam, non dictum eſt bonum eſſe factum Adam: quando autem & mulier ex eo facta eſt, tunc eſſe bona omnia comprehenſum eſt? Licet illic omnem laudauerit creaturam, & uniuerſitatis creatio ſit probata, quoniam in homine naturæ prædicata cõmunitas eſt: tamen non uidetur ocioſum, qua ratione ubi ſolus factus eſt Adam, nõ ſolum nequaquam prædicatio boni complacito operi adiecta ſit, ſed etiam dictum ſit non bonum eſſe ſolum hominem, cum ſciamus quòd antequam fieret mulier, non errauerit Adam: poſtea uero q̃ mulier eſt facta, prior diuinum præuaricata mandatum, etiam uirum ſuum traxerit in errorem, & incentiuum eius extiterit. Si igitur uiro culpæ author eſt mulier, quemadmodum pro bono uidetur adiecta? Verùm ſi conſideres quia deo uniuerſitatis eſt cura, inuenies plus placere domino debuiſſe id in quo eſſet cauſa uniuerſitatis, quàm condemnandum fuiſſe illud, in quo eſſet cauſa peccati. Et ideo quia ex uiro ſolo non poterat humani eſſe generis propagatio, pronũciauit dominus non eſſe bonũ, ſolum hominem. Maluit enim deus plures eſſe quòs ſaluos facere poſſet, & quibus donaret peccatum, quàm unum ſolum Adam qui liber eſſet à culpa.
1. Timot. 1 Deniq; quia idem utriuſq; author eſt operis, uenit in hunc mundũ ut ſaluos faceret peccatores. Poſtremo nec Cain parricidij reum priuſquã generaret filios, paſſus eſt interire. Ergo propter generationem ſucceſſionis humanæ debuit mulier adijci uiro. Denique hoc ipſa uerba declarant dicentis dei, non bonum ſolum eſſe hominem. Nam etſi mulier prior peccatura erat, tamen redemptionem ſibi paritura, non debuit ab uſu diuinæ
1. Timot. 2 operationis excludi. Quamuis enim Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta & in præuaricatione fuerit: ſalua tamen, inquit, erit per filiorum generationem: inter quos generauit & Chriſtum. Nec illud ocioſum, quòd non de eadem terra de qua plaſmatus eſt Adam, ſed de ipſius Adæ coſta facta ſit mulier, ut ſciremus unam in uiro & muliere corporis eſſe naturam, unum fontem generis humani, ideo nõ duo à principio facti uir & mulier, neq; duo uiri neq; duæ mulieres, ſed primũ uir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam uolens hominum conſtituere deus, ab uno principio creaturæ huius inci-
Geneſ. 2 piens, multarum & diſparium naturarũ eripuit facultatẽ. Faciamus, inquit, ei adiutoriũ ſimile ſibi. Adiutorium ad generationem conſtitutionis humanæ intelligimus. Et uere

bonum

bonum adiutorium. Nam si pro meliore accipis adiutorium, maior quædam in causa generationis operatio mulieris reperitur: sicut istius terræ, quæ semina primo accepta cohibendo paulatim fotu suo adolescere facit, & producit in segetem. In eo igitur adiutorium bonũ mulieris: quanꝯ etiam inferior dicatur adiutor, ut & in usu reperimus humano, quia dignitate potiores pleruncꝯ adiutorem meriti inferioris ascisc unt.

De solutione quæstionũ occurrentium circa adductionem bestiarum & uolatilium ad Adam, soporem quoꝯ ipsius Adæ, atꝯ existentiam bestiarum & pecorum in paradiso. Cap. XI

Secta nunc cur deus adhuc finxerit de terra omnes bestias agri, & omnia uolatilia cœli, & adduxerit ea ad Adam ut uideret quid uocaret ea. Qua ratiõe hoc factum est, cum tantummodo bestias agri, & uolatilia cœli ad Adam adduxerit deus? Erant enim pecora secundum genus suum. Deniꝯ habes infrà: Quia imposuit Adam nomina omnibus pecoribus, & omnibus bestijs agri. Adæ aũt non est inuentus adiutor similis illi.] Quæ igitur absolutio est, nisi quia indomitæ bestiæ, & uolatilia cœli diuina potestate ad hominẽ deducantur? De pecoribus aũt domitis cõgregandis & homo habuit potestatem. Itaꝯ illud diuinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentiæ. Simul accipe qua causa omnia deducta sint ad Adam: ut in omnibus uideret ex utroꝯ sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo & fœmina, & ipse usu exemploꝯ cognosceret necessariũ sibi consortiũ mulieris adiectũ. Et immisit, inquit, deus soporem in Adam, & obdormiuit. Quis est iste sopor, nisi quia paulisper ad coniugiũ copulandum cum intendimus animũ, ueluti intentos oculos ad dei regnũ, inclinare atque inflectere uidemur ad quendam somnum istius mundi, & paulisper obdormire diuinis, dum in secularib. mundanisꝯ requiescimus? Deniꝯ posteaꝯ soporem immisit in Adã & dormiuit, tunc ædificauit dominus deus costam quam sumpsit de Adam, in mulierẽ. Bene ædificauit dixit, ubi de mulieris creatiõe loquebat, quia in uiro & muliere domus uidetur quædã plena esse perfectio. Qui sine uxore est, quasi sine domo sit, sic habetur. Sicut enim uir publicis officijs, ita mulier domesticis ministerijs habilior æstimat. Considera quia ex corpore costam sumpsit, non ex anima portionem: hoc est, non animam ex anima, sed os de ossibus, & carnem de carne. Hæc uocabitur mulier. Ergo causam humanæ generationis agnouimus. Sed quia pleroſꝯ mouet qui diligentius intuent, quomodo si uel primo magnum munus dei fuit circa homines, ut in paradiso homines collocarentur, uel postea magnorum remuneratio uideretur esse meritorum, ut ad paradisum iustus unusquisꝯ rapiatur, dicuntur etiam bestiæ, & pecora agri, & uolatilia cœli in paradiso fuisse. Vnde pleriꝯ paradisum animam hominis esse uoluerunt, in qua uirtutũ quædam germina pullulauerint. Hominem autem & ad operandum, & ad custodiendum paradisum esse positum, hoc est, mentẽ hominis, cuius uirtus animam uidetur excolere, nec solum excolere, sed etiam cum excoluerit custodire. Bestiæ aũt agri, & uolatilia cœli quæ adducunt ad Adam, nostri irrationabiles motus sunt, eò quòd bestiæ uel pecora, quædam diuersæ sint corporis passiones, uel turbulẽtiores, uel etiam languidiores. Volatilia aũt cœli quid aliud æstimamus, nisi inanes cogitationes, quæ uelut uolatilium more nostram circumuolant animam, & huc atꝯ illuc uario motu sæpe traducũt? Propterea nullus inuẽtus est menti nostræ similis adiutor, nisi sensus, hoc est, αἴσθησις. Similem sibi solam νῦς noster potuit inuenire. Sed forte arguas, quia hęc quoꝯ deus in tali paradiso locauit, hoc est, passiones corporis, & uanitatem quandam fluctuantium uel inanium cogitationum, quasi ipse nostri fuerit author erroris. Considera quid dicat. Habete, inquit, potestatem piscium maris, & uolatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Vides quòd ille tibi tribuerit potestatem, ut de omnibus iudicare tu debeas, singulorũ genera iudicij tui sobria definitione discernere. Vocauit ad te omnia deus, ut supra omnia mentem tuam esse cognosceres. Cur quæ tibi similia minimè reperisti, ascisc ere tibi et copulare uoluisti? Dedit tibi certè sensum quo uniuersa cognosceres, & de cognitis iudicares: meritoꝯ de illo fœcundo paradisi agro eiectus es, quia non potuisti seruare mandatũ. Sciebat enim deus esse te fragilem, sciebat iudicare non posse, ideo dixit quasi fragilioribus: Nolite iudicare ut non iudicemini. Ergo quia sciuit infirmũ te esse ad iudicandum, uoluit obedientem esse mandato, ideo præceptũ posuit.

Genes. 2

Genes. 2

Matth. 7

Quòd

Quòd si non præuaricatus esses, periculum incerti iudicij incidere nequiuisses. Itaque
Genes.3 quoniam iudicare uoluisti, ideo addidit: Ecce Adam factus est tanq; unus ex nobis, ut
scíat bonum & malum. Voluisti tibi arrogare iudicíũ, ideo pœnam praui iudicij refuta-
re non debes. Posuit tamen te contrà paradísum, ne memoriam eius possis abolere. De-
2.Corinth.12 níque iusti in paradísum sæpe rapiunt̃, sicut & Paulus raptus est in paradísum, et audíuit
uerba ineffabília. Et tu si à primo cœlo ad secundũ, à secundo cœlo ad tertiũ mentis tuæ
uigore rapiaris, hoc est, quod primũ unusquisq; homo est corporalis, secundo animalis,
tertio spíritualis: si ita rapiaris ad tertiũ cœlum, ut uideas fulgorem gratiæ spíritalis. Ani
1.Cor.2 malis enim homo quę sunt spíritus dei nescit: & ideo tertij cœli ascensio tibi est necessa-
ria, ut rapiaris in paradísum: rapieris iam sine periculo, ut possis díjudicare omnia, quia
Ibidem. spíritalis díjudicat omnia, ipse autem à nemine díjudicatur. Et fortasse quasi adhuc fragi
lis audies uerba ineffabília quæ non licet homini loqui: & tunc quod acceperis reseruato,
& quod audieris custodito. Paulus apostolus custodiebat ne laberetur, uel alios cer-
2.Cor.12 tè faceret errare. Aut fortasse ideo dixit Paulus quia nõ licet homini loqui, quia erat ad-
Rom.7 huc in corpore cõstitutus, hoc est, uidebat ístius corporis passiones, uidebat legem car-
nis suæ repugnantem legi mentis suæ. Hoc enim malo intelligi, ne uideamur quendam
adhuc futuri periculi iactare errorem. Si enim uel propter hanc uitam securitas, ut nul-
los præuaricationis post hanc futuræ laqueos formidemus: ergo quicunq; fuerit in pa-
radíso ascensione uirtutis, audiet mysteria dei arcana illa atq; secreta, audiet dícentẽ do-
minum tanquam latroni illi à scelere ad confessionem, & ad fidẽ à latrocínio reuertẽti:
Luc.23 Hodie mecum eris in paradíso.

De sapientia serpentis, & causa inuidiæ, argumentisq; quib. confidebat se posse
hominem uincere. Quomodo etiam aggressus fuerit mulierẽ. Quod præterea
neq; detrahere aliquid debeamus diuinis mandatis, neq; addere. Vtrum denicq;
præter adiectionẽ quæ mandato per mulierẽ fuit applicata, quod additum est,
obfuisse uideatur, & ex quo ligno deus dixerit esse gustandum. Cap. XII

Genes.3 Serpens aũt erat sapientior omnium bestiarũ quæ erant super terram, quas fe
S cit dominus deus. Et dixit serpens mulieri: Quid utiq; dixit deus, ne edatis
ab omni ligno quod est in paradíso?] Cum dicit sapientiorẽ serpentẽ, intelli
gis quem loquatur, id est, illum aduersarium nostrum, qui tamen habet huius sapientiã
mundi. Sed & uoluptas atq; delectatio bene sapiens dícitur, quod & carnis appellat̃ sa-
Rom.8 pientia, sicut habes: Quia sapientia carnis inimica est deo. Et ad exquirenda delectatio-
num genera astuti sunt, qui appetẽtes sunt uoluptatum. Siue ergo delectationem intel-
ligas, quædam est diuino aduersa mandato, & inimica sensibus nostris. Vnde Apostо-
Rom.7 lus ait: Vídeo aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuan-
tem me in lege peccati. Si autem ad diabolum referas, uerus inimicus est generis huma-
Sap.2 ni. Quæ autẽ causa inimicitiarum nisi inuidia? Sicut Salomon ait: Quia inuidia diaboli
mors introiuit in orbem terrarum. Inuidiæ autem causa, beatitudo hominis in paradíso
posíti. Et ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, inuidit ho-
mini, eò quòd figuratus è límo, ut incola paradísi esset, electus est. Cõsiderabat enim dia
bolus quòd ipse qui fuisset superioris naturæ, in hæc secularia & mundana ceciderat, ho
mo aũt inferioris creaturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod inuidet dicens: Iste infe-
rior adipiscetur quod ego seruare non potui? Iste de terris migrabit ad cœlum, cum ego
de cœlo lapsus in terram sim? Multas uias habeo quibus hominem decípere possim.
De límo factus est, terra ei mater est, corruptibílib. inuolutus est. Etsi anima superioris
naturæ, tamen & ipsa lapsui potest esse obnoxia, in corporis carcere constituta, quando
ego lapsum uitare non potui. Est igitur uia prima, ut decipiatur, dum conditione sua ma
iora desíderat. Hic enim quidam conatus est industriæ. Deinde carnis est, quod non ha-
beat, desíderare. Postremo in quo uídeor ego omnibus esse sapientior, nisi circumscribã
hominẽ, & uersutia & fraude contendam? Itaq; machinatus est ut non primo Adã ado-
riretur, sed Adam per mulierem circunscríbere conaretur. Non adorsus est eum qui co-
ram acceperat cœleste mandatũ, sed eam adorsus est quæ à uíro didicerat, nõ à deo quid
obseruaret, acceperat. Neq; enim habes quia mulieri dixit deus, sed quia Adæ dixit: &
ideo per Adam cognouisse mulier æstimanda est. Cognoscens igit̃ hoc loco tentamẽti

genus

genus,plurima etiam alijs locis tentamẽti genera reperies. Alia sunt per principẽ istius mundi,qui quædam uenena sapientiæ in hunc mundum euomuit, ut uera putarent homines esse quæ falsa sunt,& specie quadam hominũ caperẽt affectus.Non enim semper quasi apertus hostis ingredit, sed sunt quædã potestates quę amorẽ simulent,gratiamq; prætendant,ut paulatim cogitationib.nostris uenenũ suæ iniquitatis infundãt:à quibus oriunt illa peccata quæ uel ex delectatione, uel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt etiam aliæ potestates quæ ueluti colluctant nobiscum. Vnde Apostolus ait: Quia non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ,sed aduersus principes,& potestates,& rectores huius mundi tenebrarũ harum: aduersus nequitiã spiritaliũ, quæ sunt in cœlestibus. Volunt enim hac quadam contentione nos frangere,& ueluti quoddam animæ nostræ corpus elidere. Vnde & Paulus quasi bonus athleta non solum ictus aduersantiũ potestatũ uitare cognouerat,uerumetiã aduersantes ferire. Vnde & ait:Percutio pugnis,nõ ut aera cædens. Et ideo quasi bonus athleta ad coronã meruit peruenire. Ergo multiplicia tentamenta sunt diaboli. Et ideo bilinguis serpẽs habetur,atq; letalis, eò quòd diaboli minister aliud lingua loquatur,aliud corde meditetur. Sunt & alij ministri,qui & cordis & uocis suæ infectas ueneno ueluti uerborũ suorũ iactant sagittas,quibus dominus ait:Generatio uiperarũ,quomodo potestis bona loqui,cum sitis mali? Et dixit serpens mulieri: Quid utiq; dixit deus ne edatis ex omni ligno quod est in medio paradiso? Et dixit mulier serpenti:Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi,dixit deus:Non manducabitis ex eo,neq; tangetis ex eo, ne moriamini.] Cum audieris sapientiorem bestijs omnibus esse serpentem, hic eius iam quære uersutiam. Simulat se uerba dei dicere,& proprios intexit dolos. Cum enim dixisset deus:Ex omni ligno quod est in paradiso,edetis ad escam:de ligno autem quod est scientia boni & mali non edetis:qua die aũt manducabitis ex eo, morte moriemini:serpens quasi interrogans mulierem,cum dixisset deus,Ex omni ligno quod est in paradiso edetis:de ligno autem uno nõ edetis:inseruit mendaciũ,ut diceret, Ab omni ligno non edetis:cum de uno tantum ligno scientiæ boni & mali præceperit deus nõ esse gustandum.Qua ratione aũt fefellerit,nihil mirum,quia ijs qui aliquem circumscribere conant,consuetudo est fallere.Non est igitur interrogatio ociosa serpentis. Sed ut scias in mandato nullum uitiũ esse potuisse, respondit mulier, & ait: Ex omni ligno paradisi manducabimus,de fructu aũt ligni quod est in medio paradisi,dixit deus: Non manducabitis ex eo, neq; tangetis ex eo, ne morte moriamini. In mandato quidem nullũ uitiũ est,sed in relatione mandati. Etenim quantum præsens lectio docet, discimus nihil uel cautionis gratia iungere nos debere mandato.Si quid enim uel addas uel detrahas,prę-uaricatio quædam uidet esse mandati. Pura enim & simplex mandati forma seruanda, uel testimonij series intimanda est.Plerunq; testis dum aliquid ad seriem gestorũ ex suo adijcit, totam testimonij fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur uel quod bonũ uidetur,addendum est.Namq; hic quid offensiõis habet prima specie,quod addidit mulier:Neq; tangetis ex eo quidquã. Tangetis enim deus non dixerat,sed,Non edetis.Sed tamen lapsus incipit esse principium.Nam quæ addidit,uel superfluum addidit: uel addendo de proprio,semiplenum intellexit dei esse mandatum.Docet igitur nos præsentis series lectionis, neq; detrahere aliquid diuinis debere mandatis, neq; addere. nam si Ioannes hoc iudicauit de suis scriptis:Si quis apposuerit,inquit,ad hæc,adijciet in illum deus plagas quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dempserit de uerbis his prophetiæ huius,delebit deus partem illius de libro uitæ:quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati. Et plerique putant hoc uitium non esse mulieris,sed Adæ fuisse:ita Adam dixisse mulieri,dum eam uellet facere cautiorem,ut adderet mandasse deum,Neq; tangetis ex eo quicquã.Habemus enim quia Adã nõ Eua mandatum acceperit à deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Ipsa quidem uerba Adæ quibus mulieri dicit,formam seriemq; mandati non prodit lectio: sed intelligimus per uirũ ad mulierẽ præuaricatricẽ seriem transisse mandati. Viderint tamẽ alij quid sentiant,mihi tamẽ uidet à muliere cœpisse uitium,inchoasse mendaciũ. Nam etsi de duobus uideat incertũ,tamen sexus prodit qui prius potuerit errare. Adde quia præiudicio illa constringit,cuius & postea prior error inuentus est. Viro eñ mulier,nõ mulieri

Ephes.6

1.Cor.9

Matth.12

Genes.3

Apoc.22

1.Tim.2 lieri uir author erroris est. Vnde & Paulus ait: Adam, inquit, non est deceptus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Nunc uideamus utrum præter adiectionẽ quæ mandato est applicata, quod additũ est, obfuisse uideatur. Nam reuera si bonum est, neq; tangetis ex eo, & ad cautionem proficiebat: cur deus hoc minimè interdixerit, non interdicendo permisisse uideatur? Itaq; utrumq; quærendum, qua ratione nec permiserit, nec interdixerit. Sunt enim qui dicant, qua ratione quod fecit uideri, non iussit & tangi? Verùm cum in eo ligno audieris naturam fuisse scientiæ boni & mali, potest æstimari quia
Luc. 10 noluit te malum tangere. Satis est enim nobis uidere sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, secundum uocem domini, & dantem escam non luminis sed noctis et tenebrarum filijs, quia scriptum est: Dedit eum in escam populis Aethiopum. Hoc igitur de eo
Psalm. 73 dictum est, quod nõ mandauerit tangi. Quod autem non prohibuerit, quid intelligam, accipe. Sunt multa quæ noceant si ante uoluerimus haurire, & quæ sint illa cognoscere. Nam & de cibis & potu plerunq; usu uenit. Quippe si id quod amarum est, ante cognoscas, indues patientiam: & si intelligas illa quæ sunt amara, prodesse, & indues tolerantiam, ne offendat amaritudo te repẽtina, & incipias reijcere profutura. Prodest ergo ante cognoscere, ut ex eo quod cognoueris profuturũ, nec amara fastidias. Sed hæc minus nocere possunt: illud quod magis, nisi prouideatur, nocere possit, aduerte. Gentilis quidam est, ad fidem tendit: Catechumenus est, maiorẽ uult accipere doctrinæ & fidei plenitudinem. caueat ne dum uult discere, male discat, & discat à Fotino, discat ab Arrio, discat à Sabellio: tradat se huiusmodi magistris quorũ quædam eum teneat authoritas: & inductus quadam magistrorũ præsumptione, teneris sensibus impressa dijudicare non nouerit. Prius igitur oculis mentis perspiciat quid sequat, uideat ubi uita sit. Tangat denique diuinarũ uitalia lectionum, ut nullo prauo offendatur interprete. Legit illi Sabel-
Ioan.14 lius: Ego in patre, & pater in me: & dicit unam esse personam. Legit Fotinus: Quia me-
1.Tim.2 diator dei & hominũ homo Christus Iesus. Et alibi, Quid me uultis occidere hominem?
Ioan.7 Legit etiam Arrius quia dixit, Quoniam pater maior me est. Legitur quidem manife-
Ioan.14 stum, sed qua ratione dictum sit, debet ante pertractare secum, ut rationem dictorũ possit aduertere. Ducitur quadam magistrorũ authoritate, sed profuisset ei non quæsisse, & talem inuenisse doctorem. Sed etiam gentilis si quis scripturas accipiat, legit: Oculum
Leuit.24 Matth.5 pro oculo, dentem pro dente. Legit etiam: Si scandalizauerit te dextera tua, abscinde illam. non intelligit sensum, nõ aduertit diuini arcana sermonis. peius labitur, quàm si nõ legisset. Et ideo docuit quemadmodum dei uerbum inuestigare deberent: non perfunctoriè, non improuidè, sed diligenter atq; solicitè. Quod erat, inquit, ab initio, quod audiuimus, & quod uidimus, oculis nostris perspeximus, & manus nostrę perscrutatę sunt
1.Ioan.1 de uerbo uitæ: & uidimus, & testamur, & annunciamus uobis. Vides quod ante uelut manibus quibusdam perscrutatus sit dei uerbum, & postea annunciauerit: & ideo nihil Adæ & Euę fortasse nocuisset uerbum, si pertractantibus diligenter mentis quibusdam manibus ante tetigissent. Infirmi enim pertractando, & diligentius requirẽdo, uniuscuiusque quam non intelligunt possunt inuestigare sententiam. Certe illi infirmi id lignũ in quo scientiam mali esse cognouerant, ante, quemadmodũ tangerent, debuerant perscrutari. Nam & mali sępe nobis potest prodesse cognitio. Et ideo diaboli fraudes uel in hac legimus lectiõe, uel in prophetia, ut discamus quemadmodũ artes eius cauere possimus. Cognoscenda sunt enim tentamẽta eius, nõ ut sequamur, sed ut docti instructiq; caueamus. Sũt hoc loco qui dubitationẽ habeãt utrũ ex omni ligno ita dixerit deus esse gustandum, aut cum de omni ligno, ita de scientiæ boni & mali ligno gustaret: an uerò de omni ligno gustandũ, de solo ligno scientiæ boni & mali dixerit non esse gustandũ. Qui ne id quidem putant inutilis esse rationis, quod quamuis noxia esca huius ligni fuerit, tamen si cum cæteris ederetur, noxia esse non possit: quandoquidem etiam antidotũ theriacũ de corpore serpentis confici solere dicat, quod utiq; uirus corpusq; serpentis cum solum sumitur, nocet: cum admiscetur alijs, sanitati est & saluti. Scientia quoq; boni & mali, si quis sapientiam habeat, si quis uitæ semper intendat, si quis cętera uirtutũ genera consequatur, nequaquam inutilis æstimatur. Hac igitur ratione plericq; putauerunt posse etiã illud intelligi, ut uideat deus id inhibuisse, ne absq; cæteris solũ lignũ scientiæ boni & mali gustaret, nõ prohibuisse cum cętęris. Et hoc ideo putant dictum,

quia

quia ait deus ad Adam: Quis tibi indicauit quoniam nudus es, nisi quia de ligno à quo præceperã tibi, ab hoc solo ne manducares, manducasti? Quod uideretur dare aliquẽ interpretandi locum, nisi mulier in superioribus dicente serpente, Quid utiq; dixit deus, Ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso? respõdisset: Ex omni ligno paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit deus, Non manducabitis ex eo. In quo quamuis mulieris præuaricaturæ fides uideatur infirmior, tamen non omnibus Adam spoliabo uirtutibus, ut uideatur in paradiso nullam assecutus fuisse uirtutem, nihil de cæteris gustauisse lignis priusquã culpam incidisset, quàm fructus esse alicuos consecutum. Non spoliabo ergo Adam, ne genus humanum omne dispoliẽ: quod innocens est antequã sensum accipiat scientiæ boni & mali. Neq; enim ociose dictũ est: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnũ cœlorũ. Puer enim cum maledicitur, non remaledicit: cum percutitur, non repercutit: ambitionum & rapinarum tentamenta nõ nouit. Ergo uerius puto, quod ne cũ alijs quidẽ fructibus lignum edendũ hoc esse præcepit. Nam etsi bona scientia perfecto, imperfecto tamen inutilis est. Imperfectum ausim omnem hominem dicere, quando ipse Paulus quasi imperfectus dicat: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autẽ si comprehendam. Et ideo imperfectis dicit dominus: Nolite iudicare, ut nõ iudicemini. Ergo imperfecto inutilis scientia. Deniq; peccatum nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Et infra: Sine lege enim peccatum mortuũ est. Quid enim mihi proderat scire, quod uitare non poteram? Quid mihi proderat scire, quod lex carnis meæ impugnaret? Impugnatur Paulus, & uidet legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ, & captiuari se in lege peccati. Nec de conscientia sua præsumpsit, sed per Christi gratiam cõfidit se à mortis corpore liberandum: & tu quemquam opinaris scientem non posse peccare? Paulus dicit: Non enim quod uolo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago: & tu arbitraris homini prodesse scientiam, quæ delicti augeat inuidiam? Esto tamen ut perfectus peccare non possit. In Adam deus omnes homines præuidebat, & ideo promiscue generi non conueniebat humano habere scientiam boni & mali, quam per carnis uitia, ut oportebat, exercere non poterat.

Genes. 3

Matth. 18

Philip. 3

Matth. 7

Rom. 7

Quomodo tentamenta diaboli plena sint mendacij. Et de deceptione mulieris, & lapsu Adæ. Quemadmodum etiam cognouerint se esse nudos, & succinctoria sibi fecerint, & quid significent. Cap. XIII

D Iscamus igitur tentamenta diaboli plena esse mendacij. Vix enim unum uerum uidetur ex ijs quę pollicitus est, reliqua falsa composuit. Sic enim habes: Et dixit serpens mulieri: Non morte moriemini. Ecce unũ falsum: nam mortuus est homo, qui secutus est promissa serpẽtis. Deinde addidit: Scit, inquit, deus quia quacunq; die comederitis ex eo, adperientur oculi uestri. Hoc solum uerum, quia infra habes, Quia manducauerunt ambo, & aperti sunt oculi eorum. Sed & hoc uerum quod noceret. Deniq; non omnibus aperire oculos utile, quia scriptum est: Videbũt, & non uidebunt. Sed statim agglutinatum mendacium est, quia adiunxit: Et eritis sicut dij, scientes bonum & malum. In quo licet aduertere idololatriæ authorem esse serpentem, eò quòd plures deos induxisse in hominum uideatur errorem, quadam serpẽtis astutia. Et hoc fefellit, quia eritis sicut dij. nõ solum enim sicut dij esse homines desierunt, sed etiam qui quasi dij erant, quibus dictum est: Ego dixi, dij estis: sui gratiã perdiderũt. Et uidit mulier quia bonum est lignum ad manducandum, & quia gratum oculis ad uidendũ & speciosum est ad intuendũ. Infirma author iudicij, quæ de eo quod non gustauerat, iudicabat. Et ideo nõ facile, nisi si quod diligentius pertractauerimus, quod interiore probauerimus affectu, uidetur ad opus aliquod esse sumendum. Accipiens, inquit, de fructu eius manducauit, & dedit uiro suo simul, & manducauerunt ambo. Bene prætermissum est ubi decipitur Adam, quia nõ sua culpa, sed uitio lapsus uxorio est. Et aperti sunt, inquit, oculi eorum, & cognouerunt quod nudi essent. Et antè quidem nudi erant, sed non sine uirtutum integumentis. Nudi erant propter morum simplicitatem, & quod amictũ fraudis natura nesciret. Nunc autem multis simulationũ inuolucris mens humana uelatur. Ergo posteaquam spoliatos se illa syncerítate, & simplicitate uiderunt integræ incorruptæq; naturæ, quærere mundana & manufacta cœperunt, quibus nuda suæ

Genes. 3

Psalm. 81

mentis operirẽt: delectationes delectationibus, & mundi huius umbratiles uoluptates uelut folia foliis assuentes, quibus obumbrarent genitale secretũ. Nam quomodo clausos oculos corporis habuit Adã, qui omnia animantia ita uidit, ut his & nomẽ imponeret? Quomodo cognouerunt? Id est, interiore & altiore scientia, non tunicã sibi, sed uirtutum deesse uelamina. Et assuerunt folia ficus, & fecerunt sibi succinctoria. Ficũ hoc loco pro qua specie debeamus accipere, diuinarũ nos docet series lectionũ: quandoquidẽ sanctos esse qui sub uite & ficu requieſcũt, scriptura memorauerit, & Salomon dixerit: Quis plantat ficũ, & de fructu eius nõ manducat? Et dominus ad ficum uenerit, sed ideo
Marc. 11 sit offensus, quòd non inuenerit fructũ, sed folia tantũ. Docet ergo me Adam quid sint folia, qui posteaquam peccauit, de foliis ficus fecerit sibi succinctoriũ, qui de fructibus
Galat. 5 magis eius gustare debuerit. Iustus fructum elígit, folia peccator. Quis est fructus? Fructus, inquit, spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio. Non habebat fructum, qui gaudiũ non habebat: Non habebat fidẽ, qui præuaricatus erat mandatum: Non habebat continentiã, qui de interdicto sibi gustauerat ligno. Ergo quicunq; præuaricatur mandatũ dei, spoliatur atq; nudatur: & fit ipse sibi turpis. uult se operire quibusdam ficus foliis, fortasse quibusdam inanibus uel umbratilibus sermonibus, quos cõpositis mendacijs assuens, & uerbum de uerbo struens, ad operiendam conscientiam suæ mentis, factiq; uelamen peccator intexit, ut pudenda sua contegat. Iacit enim supra se folia, qui culpam uelare desiderans, aut diabolum delicti memorat authorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. Et de scripturis diuinis frequẽter promit exempla quibus iustos in culpã perhibet incidisse, dicens, si forte in stupris fuerit deprehensus: Et Abrahã cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & sibi asciuit uxorẽ. Assuit enim sibi quędã folia, quædam exempla de propheticarũ serie scripturarũ, fructum earũ non putat requirendum. Nonne tibi uidentur etiã Iudæi folia assuere, dum legis spiritalis uerba corporaliter interpretãtur? Quorũ interpretatio fructum omnẽ uiriditatis amittit, damnata maledicto ariditatis æternæ. Bona igitur interpretatio, hoc est, spiritalis ficus est fructuosa, sub qua iusti sanctiq; requieſcunt. Quam qui plantauerit in animis singulorum, sicut Paulus ait:
1. Cor. 3 Ego plantaui, Apollo rigauit &c. manducabit ex ea fructum. Mala autem interpretatio fructum ferre, uiriditatẽ seruare nõ poterit. Quod igitur grauius est, hac se Adam interpretatione succinxit eo loco, ubi fructũ magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quædã semina generationis esse dicuntur. Et ideo male ibi succinctus est Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non fructũ futurũ, sed quædã peccata signaret, quæ manserunt usq; in aduentũ domini saluatoris. Cæterùm po
Luc. 13 steaquam dominus aduenit, ficũ inuenit incultam: rogatus ne eam iuberet excidi, ut co-
Ibid. 12 leretur permisit. Et ideo iam non foliis, sed diuino succingimur sermone, quia ipse domi-
Matth. 10 nus ait: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernę ardentes &c. Vnde etiam pecuniã in zonis nostris portare prohibet. Non enim seculária, sed æterna debet zona nostra seruare.

De uoce domini deambulãtis ad uesperam, & interrogatione uel potius increpatione Adam: Vbi es? Cur præterea ante increpetur Adam, cũ mulier ante gusta uerit: & quid mulier pro sua excusatione respõderit, ac de mysterijs istorũ. Ca. XIIII

Genes. 3 T audierunt, inquit, uocem domini deambulantis ad uesperã.] Quæ est ambulatio dei, qui ubiq; semper est? Sed puto deambulationem quandam esse dei per diuinarum seriem scripturarum: in quibus dei quædam uersatur præ-
Psalm. 33 sentia, cum audimus quia ipse aspicit omnia, & oculi domini super iustos: cum legimus,
Matth. 9 quia Iesus sciebat cogitationes eorum: cũ legimus: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Ergo dum hæc recensemus, quasi deambulantem cognoscimus deum. Fugerat ergo peccator, non quo dei posset latere conspectum, sed intra conscientiam suam latere cupiebat, opera sua lucere nolebat. Iusti est enim facie ad faciem uidere, quia iusti mens
Esa. 1 non solum deo prẽsens est, sed etiam cum deo disputat, sicut scriptum est: Iudicate pupillo, & iustificate uiduam, & uenite disputemus, dicit dominus. Ergo cum legit peccator has scripturas diuinas, audit uocem dei quasi ambulantis ad uesperam. Quid est ad uesperam, nisi quia culpam suam sero cognoscit, & sero uenit quædam erroris præteriti uerecundia, quæ errorẽ præuenire debuerat? Nã dũ culpa feruet in corpore, & anima exagitatur

gitatur corporis passionibus,non cogitat deum sensus errantis,hoc est,non audit deum ambulantem in scripturis diuinis,ambulantẽ in mẽtibus singulorum. Dicit enim deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum deus. Ergo cum in Leuit. 26
animæ sensum redierit formido diuinæ,tunc erubescimus, tunc nos gestimus absconde re:tunc in peccatorum nostrorum positi cogitationibus,in medio ligni paradisi ubi pec cauimus,deprehendimur,latere cupientes,& arbitrantes quod deus nõ requirat occulta.Sed scrutator animorũ & cogitationum usq; ad diuisionem animę penetrans dicit:Adam ubi es? Quomodo loquitur deus? nunquid uoce corporea? Non utiq;,sed uirtute quadam præstantiore,quã uox corporis potest esse,fundit oracula.Hanc uocẽ eius prophetæ audierunt,hanc uocem fideles audiunt,impij non intelligunt. Denicq; in Euangelio habes quod audiuit Euangelista dicentem patrem:Et clarificaui, & iterum clarificabo:sed Iudæi non audierunt.Denicq; dicebant:Tonitruum factũ est.Illis ergo sicut supra habes quia sentiebatur deambulans deus, qui nõ deambulabat:sic audiebatur loquens deus,qui non loquebatur.Sed quid loquatur,cõsideremus: Adam ubi es? Adhuc in his remedium sanitatis est,quia audiunt dei uerbum. Denicq; Iudęi,qui sibi clauserunt aures ne audirent:hodiecq; non merentur audire.Deinde habent remedium, qui se absconderunt.Nam qui absconditur,erubescit:qui erubescit,conuertitur: sicut scriptum est:Confundantur & conuertantur omnes ualde uelociter.Deinde hoc ipsum quod uocat, indicium sanaturi est,quia dominus quos miseratur,& uocat.Dicendo autem: Vbi es? nõ locum quærit qui nouit arcanum.neq; enim deus clausos oculos habebat, ut non uideret latentem.Denicq; ideo dixit,Factus est Adam tanquam unus ex nobis, quia aperuit oculos.Et hic quidem aperuit oculos,ut culpam suam uideret,quam uitare non potuit.Magis enim postquam peccauimus, nescio quomodo,nostra delicta cognoscimus: & tunc peccatũ esse intelligimus,quod antequã peccaremus,nõ putabamus esse peccatũ.Certe non quasi peccatũ putabamus esse damnãdum. nam si damnaremus, nõ admitteremus. Deus autem omnium uidet culpas,& omnium delicta cognoscit: super omnẽ animam, super omniũ occulta oculos habet.Quid est ergo:Adam ubi es? Id est,non in quo,sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus,inquit, bonis,de qua beatitudine,de qua gratia in quã miseriã recidisti? Dereliquisti uitam æternã, & attumulatus es morti,cõsepultus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia cõfidentia? Timor iste culpam fatetur,latebra præuaricationẽ.Vbi ergo es,hoc est, non in quo loco quęro,sed in quo statu. Quò te perduxerunt peccata tua, ut fugias deum tuũ quẽ ante quærebas? Fortasse moueat cur ante increpatur Adã,cum mulier ante gustauerit. Sed à præuaricatione sexus infirmior cœperit,à uerecundia & excusatione fortior: ut fœmina erroris caussa fuerit,uir pudoris.Et dixit mulier:Serpens decepit me,& manducaui. Veniabilis Genes. 3
culpa,quã sequitur professio delictorũ.Ideo nõ desperata mulier, quæ non reticuit deo, sed magis confessa peccatum est,quã medicabilis secuta sententia est. Bonũ est condemnari in peccato,& flagellari in delicto, ut cũ hominibus flagellemur. Denicq; Cain quia Genes. 4
uoluit crimen negare,indignus iudicatus est qui puniretur in peccato,sed remissus est sine præscripto pœnæ, fortasse nõ tam maiori crimine parricidij,illud enim cõmisit in fratrem,quàm sacrilegij:quod deo credidit mentiendũ,dicens: Nescio,nũquid ego custos fratris mei sum? Et ideo accusatori diabolo eius accusatio reseruata est,ut cũ eius angelis flagelletur,qui cũ hominibus noluit flagellari.Denicq; de talibus dictũ est:Non est declinatio mortis eorũ,& cũ hominibus non flagellabuntur.Alia ergo ratio mulieris, quæ licet culpam præuaricationis inciderat,tamen de paradisi lignis habebat adhuc uirtutis escam:& ideo dixit peccatum suum, & reputatum est ei ad ueniã. Iustus enim accusator Prouer. 18
est sui in principio sermonis.Neq; enim potest quisquam iustificari à peccato,nisi fuerit peccatum ante confessus. Vnde dominus ait: Dic iniquitates tuas,ut iustificeris. Ergo Esa. 43
quia Eua ipsa confessa delictum est,mitior sequitur & profutura sententia,quæ cõdemnaret errorem, & ueniam non negaret,ut ad uirum suum conuersa seruiret.Primum,ne eam facile delectaret errare:deinde ut sub fortiore uase locata non traduceret uirum,sed magis uiri consilio & ipsa regeretur. In quo quidem mysterium Christi & ecclesiæ euidenter agnosco.Designatur enim ecclesiæ ad Christũ futura conuersio, & religiosa seruitus subdita dei uerbo,quæ multo sit melior,quàm seculi huius libertas. Denicq; scriptũ

Matth. 4 est: Dominum deum tuũ adorabis, & ipsi soli seruies. Hæc igitur seruitus dei donum est. Deniq; inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium. nam & Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, ut seruiret fratri suo. Deniq; benedictionẽ ille poscebat, etsi unam sibi cognouisset esse præreptam, tamen aliã postulabat dicens: Num quid una benedictio tibi est pater? Per hanc igitur seruitutem ille qui per gulam primitias suas ante uendiderat, & studio uenationis agrestis gratiam benedictionis amiserat, credidit seipsum futurũ esse meliorem, si typum Christi ueneraretur in fratre. Hac enim seruitute pollet populus Christianus, sicut & dominus ad discipulos suos ait: Qui uult
Matth. 20 inter uos primus esse, sit omniũ seruus. Deniq; hãc seruitutem operatur charitas, quę &
Galat. 5 spe maior & fide est. Vnde scriptum est: Per charitatem seruite inuicem uobis. Hoc est
Ephes. 5 ergo mysterium quod ait Apostolus esse in Christo & in ecclesia. Hæc enim uere in præ
1. Tim. 2 uaricatione ante fuit, sed salua erit per filiorum generationem in fide, & charitate, & sanctificatione, cum castitate. Preuaricata utiq; in patribus generatio hominum, saluatur per filios: ut quod in Iudæis offenderat, in Christiana posteritate corrigeret.

Qua ratione ueniabilis fuerit deceptio mulieris. Et quemãdmodum serpens typus sit delectationis, & de sententia damnationis in serpentem, ac etiã condemnatione Adæ: & de discretione inter istas sententias. Cap. XV

Genes. 3 Erpens, inquit, me suasit.] Et hoc ueniabile deo uisum est, eò quòd nosset
s multas ad decipiendum uias esse serpentis: quia transfiguratur in angelũ lu-
2. Cor. 11 cis, & ministri eius sicut ministri iustitiæ sunt, falsa imponentes rebus singulis nomina, ut temeritatem dicant esse uirtutem, & auaritiæ nomen imponãt industriæ. Serpens enim mulierem decepit, uirum mulier ad præuaricationem de ueritate deduxit. Serpentis typum accepit delectatio corporalis: mulier symbolũ sensus est nostri, uir mentis delectatio. Itaq; sensum mouet, sensus menti transfundit quam acceperit passionem. Delectatio igitur prima est origo peccati. Ideoq; nõ mireris cur ante serpẽs damnetur iudicio dei, secundo mulier, tertio uir. Secundum erroris ordinẽ, damnationis quoq; ordo seruatus est. Delectatio enim sensum, sensus autem mentem captiuam facere consueuit. Vt scias autem quia serpens typus est delectationis, damnationem eius aduerte. Supra pectus, inquit, tuum, & in utero tuo ambulabis. Qui sunt qui utero suo ambulant
Philip. 3 nisi qui uentri & gulę uiuunt? quorum deus uenter est, & gloria in pudendis eorum, qui terrena sapiunt, & cibo onerati ad terrena curuantur? Bene ergo delectationi ait, quæ cibis intenta, terrã uidetur manducare, Supra pectus tuum & in utero tuo ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus uitæ tuę. Tollenda est omnis excusatio diaboli, ne forte malitiæ suæ aliquid possit obtendere, ut dicat iniquitatem suam ex condemnatione uenisse, & ideo ad nocendum hominibus pertinaciter obniti, quia ideo damnatus est ut noceret. Quod uidetur esse proximum opinioni, si tanquã damnationis accipimus istam sententiam. Non enim deus ad hoc serpentẽ damnauerat ut noceat, sed quid futurus esset, ostẽdit. Et quidẽ tentatio illa quod amplius hominibus prosit, superius demon
1. Reg. 2 strauimus: sed tamen cũ legerimus quod scriptum est, dicente deo: Honorificantes me, honorificabo, & cõtemptor mei honore priuabitur: licet nobis ex his uerbis aliquid æstimare. Deus enim operatur quod bonũ est, non quod malũ. Ergo doceant te uerba diuina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit, Honorificãtes me, inquit, honorificabo: honorem bonorũ operationis suæ esse declarans. Et contemptores, inquit, mei: non dixit, honore priuabo, sed honore priuabuntur. Non suæ operationi deputãs eorum iniuriam, sed quid futurũ esset ostendens. Ergo hic non dixit, Facio te supra pectus tuũ, & utero tuo ambulare, & terrã mãducare omnes dies uitæ tuę: sed ambulabis, inquit, & manducabis: ut prædixisse magis de serpente quæ futura sunt, uideretur, quàm præscripsisse quid faceret. Terra, inquit, tibi cibus erit, non anima. nam & hoc peccatoribus prodest.
1. Cor. 5 Vnde & Apostolus tradidit huiusmodi in interitũ carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Pectore autẽ & uentre ait reptare serpentẽ, nõ tam propter corporis figurã, quàm quòd propter terrenas cogitationes de illa cœlesti beatitudine sit lapsus. Pectus enim frequenter recessus quidã accipitur sapiẽtię. Et ideo Apostolus supra pectus Christi reclinat caput, nõ in terrã deiicit. Ergo si sapientia diaboli ferís immanissimis comparatur, quibus intra pedes pectus sit: & etiã homines qui terrena sapiunt, nec

interiore

interiore affectu eriguntur ad cœlum, utero uidentur reptare per terram: utiq; uentrem animæ nostræ non corruptibilibus seculi huius implere, sed magis dei uerbo satiare debemus. Bene igitur Dauid personam suscipiens Adæ dicit: Humiliata est in puluere anima mea, adhęsit in terra uenter meus. Adhæsit enim, dum configuratur serpenti, qui pascitur iniquitate terrena. Ideoq; nos Apostolus cõfigurari dicit oportere Christo, ut uirtus Christi prætendat in nobis. Quæ sententia nõ putatur in serpentẽ grauis, cum etiam Adam, qui leuius peccauit, tali condemnatur sententia. Scriptũ est enim: Maledicta terra in operibus tuis. In tristitia manducabis eam omnes dies uitæ tuæ. Videtur certè similitudo quædã esse sententiæ, sed tamẽ in ipsa similitudine magna discretio. Interest enim utrum manducet aliquis terram, sicut serpenti dictũ est quia terrã manducabit: an uero sicut homini dictum est: In tristitia manducabis. Adiectio enim ista, in tristitia, discretionem facit. Discretio quam uim habeat, cõsidera. Bonum est mihi in tristitia magis terrã manducare, quàm in delectatione, hoc est ut in actu quodam & sensu corporis contristari uidear, quàm delectari in peccato. Multi enim propter nimias iniquitates nõ suscipiũt peccati conscientiã. At uerò ille qui ait: Castigo corpus meum, & seruituti redigo: contristatur in nostrorum pœnitentia peccatorum, quia sua tanta delicta non habuit, ut in his contristari deberet. Deniq; & nobis suadet utilem istam esse tristitiam, quæ secundũ deum, non secundum seculum est. Oportet, inquit, uos contristari in pœnitentia secundum deum. nam secundum deũ tristitia salutem operatur, seculi autem tristitia mortem operatur. Sed & de Veteri testamento accipe illos ad gratiã peruenisse, qui cõtristabantur in operibus corporalibus: illos uero in supplicio remansisse, qui delectabãtur huius mundi operibus. Deniq; Hebręi qui ingemiscebãt in laboribus Aegypti, iustorum gratiam consecuti sunt. Et quia panem in tristitia manducarũt, esca donati sunt spiritali. Aegyptij uero, qui talia opera cum exultatione celebrabant, regi detestabili seruientes, nullam ueniam sunt adepti. Sed & illa distinctio, quod serpenti dicitur: Quia terrã manducabit: Adæ autem, In tristitia, inquit, manducabis, & cum sudore manducabis, & manducabis fœnũ agri: ut quendam intelligamus in his esse processum, & quando terram manducamus, in quadam malitia esse uideamur: quando fœnum, in quodam processu: quando uero panem in Christo cum cõsummata fuerit fortitudo. Ergo & nos habeamus processum uitę huius, sicut habuit & Paulus qui dicit: Viuo autem iam non ego, hoc est, nõ ego qui terram ante manducabam: non ego qui fœnum, quia omnis caro fœnum: sed uiuit in me Christus, hoc est, uiuit panis ille uiuus, qui uenit è cœlo, uiuit sapientia, uiuit gratia, uiuit iustitia, uiuit resurrectio. Deinde considera quia non est maledictus homo, sed maledictus est serpẽs: nec terra in se maledicta est, sed maledicta, inquit, in operibus tuis ad Adam dictum est. Tunc terra maledicta est, si habeas opera terrena, id est, opera secularia. Et maledicta non in uniuersum, sed ut spinas & tribulos generet, nisi fuerit humanæ studio operationis exercita. Quod si eam exercuerimus: in labore quidem & sudore, sed tamen panem manducabimus. Repugnat enim lex carnis legi mentis. Et laborandum nobis est ac desudandum ut castigemus corpus, & seruituti redigamus, & quæ sunt spiritalia seminemus. Si enim carnalia seminauerimus, quæ carnalia sunt metemus: si uero spiritalia seminauerimus, metemus ea quæ sunt spiritalia.

Psalm. 43

Genes. 3

1. Cor. 9

2. Cor. 7

Galat. 2

Esa. 40

Rom. 7

1. Cor. 9

Galat. 6

CAPITA LIBRI PRIMI DE CAIN ET ABEL.

Quid author in hoc opere prosequi intendat ex continuatione huius libri ad superiorem. Et de generatione Cain & Abel. Quid etiã per istos duos fratres similiterq; per Esau & Iacob iuxta unum intellectum mysticè atq; moraliter significetur. Cap. 1

De mysterio in præmemoratis fratribus secundum scripturam & authoris intelligentiã figurato. Et quid per hoc intelligi detur quod in libris Regũ legitur: Et appositus est ad patres suos. De comparatione præterea Isaac & Moysi quantum ad typum & figuram quæ in eis præcessit: & qua ratione de Moyse non legatur sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, ac de ignorantia sepulturæ ipsius. Cap. 11

Quid iuxta moralem interpretationem author significari uelit per hoc quod superius commemoratum est: Et adiecit parere Abel. Et de statibus ac officijs Abel, & Cain.

Qua ratione etiam, cum ante generatus sit Cain, in descriptione uitæ status & operis usus Abel prius commemoretur. Cap. III

Quod non solum naturæ exemplis, sed & fidelibus diuinæ scripturæ testibus comprobetur malitiam tempore præcedere uirtutem. Et quemadmodum secundum mysterium latens in literis duæ mulieres unicuiq; nostrũ cohabitẽt, inimicitijs & discordijs dissidentes, quarum una uoluptas, altera uero uirtus nominatur. De uoluptatis quoque descriptione, & retibus ipsius, fallacibusq; suasionibus quibus mentem hominis capere nititur. Cap. IIII

De occursu uirtutis saucium & cito casurum miserantis. Ac ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur, pulcherrimis illã rationibus à fallaci uoluptate auertentis, & ad se trahentis: cum detestatione cõmemoratæ meretricis, & falsitatis ipsius detectione. Quod etiam dominus Iesus docuerit quemadmodũ aduersus huius mundi tentationes resistatur: & de tribus laqueis quos illi diabolus tetenderat. De uituperatione quoq; gulæ atq; auaritiæ, & contrariarum uirtutum commendatione. Cap. V

De rememoratiua superiorum recapitulatione, & tribus non prætereundis quibus dominus Iesus officia humanæ deuotionis definiuit: & quemadmodum mens hæc audiens, se à uoluptate auertat, & uirtuti adiũgat, studiaq; illius eligat, quibus & sanctus Iacob uir plenus exercitationis mentem intendit. Quodq; ideo pastor ouium inducatur, quia imperitare corpori, & sensibus eius, ac uoluptatibus, uotiq; modum tenere, præstantius æstimetur, quàm regere populos, uel urbibus præesse. Cap. VI

De oblatione Cain ex fructibus terræ, & criminatione illius: ac de informatione & instructione per legem diuinam quomodo uota solui debeant. Cap. VII

Quod prima uoti gratia sit celeritas solutionis, ut ex studio immolationis Abrahæ, & scriptura diuina, & uocatione Zachæi comprobatur. De incitatione quoq; ac admonitione ut cito uota nostra soluamus. Cap. VIII

De reprehensione Pharaonis, qui ut pro eo rogaretur, in crastinum distulit: & exaltatus mente deum obliuiscebatur. Quantumq; humilitas orationem commẽdet. Et quod melior uotorum sit solutio laudare deum. Quod præterea illa commendanda sit orationis & uoti disciplina, ut non diuulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria, sicut Abraham & patres tenuerunt, & quemadmodum dominus in Euangelio docuit: & quæ in oratione cauere debeamus. Cap. IX

De transitu ad aliud uitium oblationis ipsius Cain, qui obtulit non de primis fructibus primitias deo, & quid per primitias intelligatur. Quodq; Abel obtulerit hæc munera & etiam talia qualia lex probauerit, cum pulchra mysteriorum legis explanatione: & quemadmodum interiora mundare debeamus, & ibidem quærere quæ domino sanctificemus. De similitudine quoq; conceptionis ac parturitionis fœminarum & animæ, partuumq; eiusdem distinctione. Cap. X

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE CAIN ET ABEL, LIBER PRIMVS.

Quid Author in hoc opere prosequi intẽdat ex continuatione huius libri ad superiorẽ. Et de generatione Cain, & Abel. Quid etiã per istos duos fratres, similiterq; per Esau & Iacob iuxta unũ intellectũ mystice atq; moraliter significetur. Ca. I

DE paradiso in superioribus pro captu nostro, ut potuimus, quod dominus infudit, sensus inuenit, digessimus, in quibus Adæ atq; Euæ lapsus est comprehensus. Nunc quoniam illa penes authores non stetit culpa, sed quod peius est, deteriorem inuenit hæredem, sequẽtem adoriamur historiam: & ea quæ secundum scripturas annexa sunt diuinas, nostro opere prosequamur. Adam autem cognouit Euam mulierẽ suam, quæ concepit & peperit Cain, & dixit: Acquisiui hominem per deum. Quæ acquirimus, ex quo, &

Genes. 4

quo,& à quo,& per quid acquiramus,considerari solet. Ex quo,tanquam ex materia: à quo,quis author: per quid,tanquam per aliquod instrumentum. Nunquid hic sic dicit: Acquisiui hominem per deum, ut deum intelligas instrumentum? Non utique, sed ut intelligas authorẽ & operatorẽ deum. Vnde magis deo detulit,cum dixit: Acquisiui hominem per deum, ut & nos cum aliquid acquirimus, uel omnes euentus secundos deo magis deferre, quàm nobis arrogare debeamus. Et adiecit parere Abel. Cum adijcitur aliquid,quod prius erat,tollitur. Idq; colligitur ex Arithmeticæ proportionibus, aut animæ cogitationibus. addito enim numero,fit alius numerus, aboletur superior: & cogitatio accedens noua excludit superiorem. Ergo cum adijcitur Abel: aufertur Cain. Quod nominum interpretatione plenius deprehenditur. Cain etenim dictus est acquisitio, quòd omnia sibi acquireret: Abel, qui omnia referret ad deum pia deuotus mentis attentione,nihil sibi arrogans, ut superior frater, sed totum tribuens conditori quod accepisset ab eo. Duæ itaque sectæ sunt sub duorum fratrum nomine compugnantes inuicem, & contrariæ sibi. Vna quæ totum menti suæ deputat tanquam principali, & quasi cuidam cogitationis & sensus & motus omnis authori,hoc est, quæ omnes inuentiones humano adscribit ingenio. Altera, quæ tanquam operatori & creatori omnium deo defert,& eius tanquam parẽtis atque rectoris subdit omnia gubernaculo. Illa prior Cain significatur, hæc posterior Abel dicitur. Has duas sectas anima una parturit: & ideo germanæ habentur, quòd uno fundantur utero. Sed contrariæ sunt, quia oportet eas,cùm quodam animæ partu editæ fuerint,diuidi ac separari. Compugnantibus enim hospitium unum perpetuò esse non potest. Denique Rebecca quum duas naturas humani ingenij parturiret,unam mali,alteram boni,easq; exilire intra uterum sentiret suũ, (Esau enim typus erat malitiæ,Iacob figuram bonitatis gerebat) mirata quid illud esset quòd discordiam quandam concepti cerneret fœtus, cõsuluit deum ut passionem proderet, medelam daret. Itaque precanti est responsum editum: Duæ gentes in utero tuo sunt,& duo populi de uentre tuo exibunt. Quod si ad animam referas, eandem genetricem boni & mali intelliges: quia ex eodem fonte animæ utrumque demanat. Sed hoc sobrij solet esse ueri' que iudicij,ut repudiato malo enutriat quod bonum est, atque confirmet. Prius ergo quàm pariat, bonum est exhibere reuerentiam deo debitam, ut ipsi totum deferat, sua non præferat. Cum uerò genuerit confessionem qua defertur deo, deponit cordis sui tumorem. Adijciens ergo deus bonum animæ dogma Abel, abstulit improbum dogma Cain. *Genes. 25* *Ibidem.*

De mysterio in præmemoratis fratribus secundum scripturam, & authoris intelligentiam figurato. Et quid per hoc intelligi detur, quod in libris Regum legitur: Et appositus est ad patres suos. De cõparatione præterea Isaac & Moysi quantum ad typum & figuram quæ in eis præcessit. Et qua ratione de Moyse non legatur sicut de cæteris quia deficiens mortuus est: ac de ignorantia sepulturæ ipsius. Cap. II

E Go tamen hoc loco secundum scripturam mysteriũ magis duorum populorum intelligo, quod deus adijciendo ecclesiæ suæ fidem piæ plebis, abstulit perfidiam populi præuaricantis, quandoquidem uerba ipsa hoc significare uideantur, dicente deo: Duæ gentes in utero tuo sunt,& duo populi de uentre tuo exibunt. Hæc figura synagogæ & ecclesiæ in his duobus fratribus ante præcessit, Cain, & Abel. Per Cain parricidalis populus intelligitur Iudæorũ, qui domini authoris sui,& secundum Mariæ uirginis partũ fratris,ut ita dicam,sanguinẽ persecutus est. Per Abel aũt intelligitur populus Christianus adhærens deo, sicut & Dauid ait: Mihi autẽ adhærere deo bonum est: ut & cœlestib. se attexeret,& à terris separaret. Et alibi: Defecit,inquit, anima mea in uerbũ tuum: eò q; ordinem uiuendi atq; usum non in terrenis uoluptatibus,sed in uerbi agnitione posuisset. Ex quo cognoscitur,nec illud ociose scriptum esse, sed perpense atq; examinatè,quod legimus in Regnorum libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur quòd patrum similis fuerit fide. Vnde claret non ad sepulturam corporis,sed ad consortium uitæ relatum. Denicq; de Isaac non perfunctorie scriptum putatur,quod requirens corporis istius speciem,quæ animæ suæ attexebat,appositus sit ad genus suum, eò quòd patris sui moribus adhæserit. Pulchrè aũt ad genus ait: *Psalm. 72* *Ibid. 118*

nō ad populum, sicut alibi. Nam legimus alijs locis appositos fuisse ad populum suum. Sed isti non tam præstantes: præstantior autem, qui paucorum similis fuerit, & non plurimorum. Plures in populo suo quàm genere: & præstantius dicitur paucorum similem esse, quàm plurimorum. Qui ergo dei erat generatus promissione, qui ad sacrificiū probandæ pietatis electus, qui unius uxoris, hoc est, solius sapientiæ societate contentus, superni illius generis, quod est unum, sibíque semper conueniens, non plebeiæ uilitatis imitator, astruendus fuit scripturæ diuinæ testimonio. Etenim ubi labor, doctrinæ meditatio, illic cum pluribus commune collegium, & quoddam populare consortium est. Audiendo enim plerique proficiunt, quos nominauit populum. Vbi autem non humana traditione, sed ingeniosa collectione sine usu laboris disciplina percipitur, illic sublimis generis incorrupta sinceritas est. Et ideo Isaac tanquam dei munus ad genus suum magis quàm ad populum appositus legitur, ut diuinorum potius quàm humanorum imitatorem esse sedulū recognoscas. Beata & illa mens, quæ species & ipsum genus supergre
Exod. 34 diens, meretur audire quod dictum est ad Moysen cum separareť à populo: Tu autē sta mecum. Nam sicut in Isaac dominicæ incarnationis typus humanę generationis supergressus consuetudinem, uicit priores, ita ut in eo non uulgaris popularisque gratia, sed
Gal. 3 specialis prærogatiua præcelleret, sicut lectio docet: Abrahæ enim dictę sunt repromissiones, & semini eius: non dicit & seminibus, tanquam in multis, sed sicut uni, hoc est semini tuo, quod est Christus: ita etiam in Moyse uenturi doctoris figura, qui legem doceret, Euangelium prædicaret, impleret testamentum uetus, nouum conderet, cœleste populis alimentum daret, humanæ dignitatem conditionis excessit eousque, ut dei do-
Exod. 7 naretur nomine: sicut habemus scriptum dicente domino: Posui te deum Pharaoni. Etenim uictor passionum omnium, nec ullis captus seculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subijciens, & regia quadam authoritate castigans, nomine dei uocatus est: ad cuius similitudinē se perfectæ uirtutis ubertate formauerat. Et ideo non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per uerbum dei mortuus est. Deus enim neque defectionem aut deminutionem patitur, neque adiectionem capit. Vnde & addidit scriptura: Quia nemo scit sepulturam eius usque in hodiernum diem, quod ad translationem magis quàm ad interitum intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ & corporis. Mortuus igitur est per uerbum dei, ut ait scriptura, non secundū uerbum: ut aduertas non nuncium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse dei filius in Euangelio demonstrauit? De-
4. Reg. 2 nique & Helias simul est à quibusdam uisus, qui translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur. uiuit enim, qui cum dei filio est. Moyses autem mortuus quidem legi-
Psalm. 32 tur, sed per uerbum dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem dei cœli firmati sunt. Per uerbum igitur dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam uerbi cœlestis operatione donatus & munere, ut quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit. Bene autem inter dominum & seruum seruatur distantia, ut prærogatiuam domini intelligas, serui gratiam. De Moyse legitur quia sepulturam eius nemo scit: de Christo autem, sepultura eius de terra sublata est: quia ille secundum mysterium legis expectabat redemptionem, ut resurgeret: hic secundum Euangelij donum redemptionem nō expectabat, sed donabat. Et ideo sepultura eius ignorata non est, sed eleuata: quam diutius creatura tenere non potuit, quia per ipsum omnis creatura properauit à corruptionis seruitijs eleuari. Nemo ergo scit sepulturam Moysi, quia uitam eius omnes nouerūt. Christi autem sepulturam uidimus, sed nunc iam non nouimus, qui resurrectionem eius agnouimus. Debuit enim cognosci tumulus eius, ut resurrectio manifestareť. Et ideo in Euangelio tumulus summa expressione describitur. In lege non quæritur, quia licet resurrectionē eius lex annunciauerit, nobis tamē Euangelij series plenissimè comprobauit.

Quid

Quid iuxta moralem interpretationem author significari uelit per hoc quod superius cōmemoratū est: Et adiecit parere Abel. Et de statibus ac officijs Abel, & Cain. Qua ratione etiam, cum ante generatus sit Cain, in descriptione uitæ status & operis usus Abel prius cōmemoretur. Cap. III

ERgo ut quod proposuimus, compleamus: Adiecit, inquit, parere Abel, hoc est, meliorem Eua, quæ grauiter ante peccauerat, ex se generauit sentētiam, ut superioris sententiæ aboleret errorem. Mentior, nisi hoc in uniuersis comprobatur. Ita enim nascimur, ut ante infirmus infantię sensus in nobis sit, postea pueritię corporis tantummodo curam sciens, nullum cultum, nullam habens obseruantiam diuinorū. Vnde & euidenti naturæ nouitate ortum Iesum Christū ex Virgine ut probaret propheta, ait: Ecce uirgo in utero accipiet, & pariet filiū, & uocabit̄ nomē eius Emmanuel: butyrū & mel manducabit priusquā sciat malum aut bonum: non credet maliciæ, ut eligat quod bonum est. Et infrà: Priusquam sciat puer uocare patrem ac matrem, accipiat uirtutem Damasci, & spolia Samariæ cōtra regem Assyriorum. Solus enim fuit qui non est captus seculi huius uanitate, & carnali tumore: utpote qui se humiliauit factus obediens usq; ad mortem. Longè unicuiq; nostrū dissimilis, quia nos frustra extollimur mente carnis inflati. Vnde & nemo sine peccato, nec unius diei infans. Ille autem peccatum non fecit. Et ideo in nobis ante nascitur Cain seipsum præferens: postea Abel generatur, in quo sit reuerentia diuinitatis. Prius ergo irrepit quod malum est, postea agnoscitur quod bonum est. Vbi autem bonum, ibi iustum: ubi iustitia, ibi sanctitas: hoc est, Abel qui adhæret deo. Et factus est, inquit, Abel pastor ouium, Cain autem operabatur terram. Non est ociosum quòd cum antè generatus sit Cain, ut lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel: nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturę. Quid sibi uult mutatio ordinis, ut prius iunioris meminerit, ubi scribitur uitæ status, operisq; usus? Officiorum interrogemus distantiam, ut colligamus causam prælationis. Operari terram usu prius est, gratia inferius quàm oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam doctoris & principis. Meritoq; prior se à uetustioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, nullos tribulos germinarent, nulli sententiæ essent obnoxia. Deniq; peccati reus Adam de paradiso dimissus est uoluptatis, ut operaretur terram. Rectè ergo ubi nascuntur hi fratres, seruatur etiam in prædicando ordo naturæ: ubi uerò exprimitur disciplina uiuendi, seniori iunior antefertur: quia etsi tempore iunior, uirtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est quàm malitia, & quadam suppar ætate: sed meritorū nobilitate antiquior. Senectus enim uenerabilis est, non annis incana, sed moribus. Et ætas, inquit, senectutis uita immaculata. Vbi ergo generatio exprimit̄, præueniat Cain: ubi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel. Adolescentiā igitur, & ipsam in exordijs iuuentutem uariarum illecebris passionum feruere quis abnuat? Sed ubi maturior ętas successerit, tanquam pubescentis lasciuię tempestate discussa tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassæ animæ nauigium subducere. Itaq; graues motus nostræ adolescentiæ fida senectutis statione placidantur.

Genes. 4
Esaiæ 7
Ibid. 8
Philip. 2
Iob 15
1. Pet. 2
Genes. 4
Ibid. 3
Sap. 4

Quòd non solū naturæ exemplis, sed & fidelib. diuinæ scripturæ testibus comprobetur malitiam tempore præcedere uirtutem. Et quemadmodū secundum mysteriū latens in literis, duæ mulieres unicuiq; nostrū cohabitēt, inimicitijs & discordijs dissidentes, quarū una uoluptas, altera uerò uirtus nominat̄. De uoluptatis quoq; descriptione, & retibus ipsius, fallacibusq; suasionibus, quibus mentem hominis capere nititur. Cap. IIII

NE ergo dubites talibus naturæ admonitus exemplis, quòd malitia præcedat tempore, sed iuuenescat infirmitate. Habet illa ętatis stipendium, uirtus aūt pręrogatiuam glorię, qua plerunq; iusto iniquus iudici cedit. Cuius rei testis est fidelis diuina scriptura, quæ docet Esau cognomine stultitię uirum cessisse patienter primatus suos fratri suo Iacob, ita ut diceret: Vt quid mihi primatus? Sed quos iste posthabuit, hos uir cognomento exercitationis pręditus quęsiuit mereri. Nonne tibi uidet̄ Esau tanquam in agone uictus, & proprię mentis infirmitate imparem se existimans, cessisse uictori coronā, quem uidebat nullis passionū illecebris inflecti, quarū ipse puluerē sustinere nō poterat? Vt quid mihi, inquit, primatus? Apud ignauos em̄ nulla sunt

Genes. 25

insignia

insignia uirtutis, apud sapientes prima habentur. studia enim uirtutis quædã instrumenta sunt. Itaq; sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione uirtus.

Matth. 11 Vnde & dominus in Euangelio ait: A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum cogi
Ibidem 6 tur, & cogentes diripiunt illud. Et alibi: Quærite regnum dei, & ecce omnia pręsto sunt uobis. Non dormientibus, neq; ociantibus, sed uigilantibus & laborantibus pollicẽt præmia, & labori merces parata est. Qui licet non suauis ad gratiam, tamẽ fructuosus ad
Deut. 21 pręmium est. Docet hoc sermo legis, sicut scriptum inuenimus: Si fuerint, inquit, uni homini duæ uxores, una earum dilecta, altera odibilis: & pepererint ei ambæ filios, dilecta & odibilis, & fuerit primitiuus filius mulieris odibilis: qua die hæredes reliquerit filios in substantia sua, non poterit primatum dare filio mulieris dilectæ, omittens filium odibilis: sed primitiuum filium odibilis cognoscens, det illi dotem ex omnibus quæ inueniuntur ei: quia ipse initium filiorum eius est, & ipsi debentur primitiæ. Quàm profunda latent mysteriorũ secreta in literis? Recognosce anima partus tuos, & odibilis istius mulieris quære mysterium. Intra te ea inuenies, si requiras. Repete cogitationes, relege sensus tuos, & cui primitiæ debeant, agnosces. Duæ enim mulieres unicuiq; nostrũ cohabitant, inimicitijs ac discordijs dissidentes, uelut quibusdam zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animæ domum. Vna earũ nobis suauitati & amori est, blandę conciliatrix gratiæ, quæ uocatur uoluptas. Hanc nobis opinamur sociam ac domesticam, illam alteram immitem, asperam, feram credimus, cui nomen uirtus est. Illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus precios as iuuenũ animas capit (oculus enim meretricis, laqueus est peccatoris) quemcũq; uiderit sensu dubio prætereuntem in angulo transitus domus suæ, sermonibus adoritur gratiosis, faciens iuuenum uolare corda, domi inquieta, in plateis uaga, osculis prodiga, pudore uilis, amictu diues, genas picta. Etenim quia uerũ decorem naturæ habere non potest, adulterinis fucis affectatæ pulchritudinis lenocinat speciem, non ueritatem. Vitiorum succincta comitatu, nequitiarum choro circumfusa, dux criminum, talibus uerborum machinis murum mentis aggreditur humanæ: Sacri-
Prouer. 7 ficium pacis est mihi: hodie reddo uota mea: hac ex causa progressa sum obuiam tibi, desiderans faciem tuam inuenire. Institis texui lectum meum, & tapetis ab Aegypto straui. Aspersi lectum meum croco, domum autem meam cinnamomo: ueni, fruamur amicitia usq; in diluculum: ueni, colluctemur cupidine. Hanc enim per os Salomonis speciem fornicariæ uidemus expressam. Nam quid tam meretricium, quàm secularis uoluptas? quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens: & penetrat cito, si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium uias, nõ in legis interna mysteria obtutum mentis intendas. Ea profecto est quæ ualidioribus uinculis uelut cubile quoddam cõsociatæ nobis cõmunitatis intexit, ut qui reclinauerit se, ligetur. & opprobriosæ fraudis uelamine operit corporis sui stratum, ad solicitandos iuuenum animos, absentiam uiri, hoc est, incuriam legis obtexens. Lex enim absens peccantibus est. Nam si adesset, non delinqueretur. Et ideo ait: Non enim adest uir meus in domo, abijt autem uiam longissimam inuolucro pecuniæ accepto in manu. Quid hoc esse dicam, nisi fortè quia diuites putant nihil esse quod non cedat suæ pecuniæ, & in gratiam sui legem uelint esse uenalem? Spargit odores suos uoluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos cõcubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, uitam sine sollicitudine, mollem somnũ, inexplebilem cupiditatem. Seducens eum, inquit, multo blandimento sermonum, & laqueis labiorũ suorum alligans, domum adusq; attraxit. At ille secutus eam circumuenitur. Nitebat aula regio luxu splẽdida, cælatis parietibus, & solo humido natabant pauimenta uino. Fragrabat unguento humus, spinis cooperta piscium, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comessantiũ tumultus, concertantium clamor, litigantiũ cædes, concentus cœnantiũ, saltantiũ strepitus, ridentiũ cachinnus, lasciuientium plausus, confusa omnia, nihil naturæ ordine. Saltatrices tonsæ, & crispantes pueri coma, epulantium cruditas, edentium ructus, ebriorũ sitis, hesterna crapula, hodierna temulentia, repleta uomitu bibentiũ pocula, maiore odore ebrietatis, q̃ si recentia tantum uina fragrarent. Ipsa in medio stans: Bibite, inquit, & inebriamini, ut

cadat

cadat unusquisq;,& non resurgat,ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est.Ille mihi gratior,qui sibi nequior. Calix aureus Babylonis in manu mea inebrians omnem terram,à uino meo biberunt omnes gentes. Qui est ergo insipientior,diuertat ad me,& indigentibus sapientia præcipio dicens:Panibus absconditis suauiter utimini,& aquam furtim dulciorẽ bibite. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Transiet uita nostra tanquam uestigia nubis, & tanquam nebula dissipabitur. Venite ergo fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in iuuẽtute celeriter. Vino precioso & unguentis nos impleamus,& non prætereat nos flos temporis.Coronemus nos rosis antecq; marcescant. Nullum pratũ sit quod non pertranseat luxuria nostra,ubicq; relinquamus signa lætitiæ. Hæc omnia relinquunt, nihil secum quis feret, nisi quòd corporis uoluptate quis pepercerit. Denicq; ipsam ego instituí philosophiam,nec est alia uerior nisi ea quæ bonum asserit quod suaue atq; iucundum sit.Ergo uel philosophiæ uel sapientiæ Salomonis credite. *Hierem.51*

De occursu uirtutis saucium & cito casurũ miserantis.Ac ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur,pulcherrimis illam rationibus à fallaci uoluptate auertentis, & ad se trahentis, cum detestatione cõmemoratæ meretricis, & falsitatis ipsius detectione.Quòd etiam dominus Iesus docuerit quemadmodum aduersus huius mundi tentationes resistatur, & de tribus laqueis quos illi diabolus tetenderat.De uituperatione quoq; gulæ atq; auaritiæ,& contrarium uirtutum commendatione. Cap. V

H Is auditis,uelut ceruus sagittatus in iecore hæret saucius. Quem miserãs uirtus,& casurum cito uidens,improuisa occurrit ueritate,ne inter moras illecebris demulcentibus mens capiatur humana. Palàm,inquit,apparui tibi non quærenti me. Ne fallat imprudentem, & circumueniat te mulier effrenata & luxuriosa, quæ nõ nouit pudorem:sedet in foribus domus, in sella palàm,in plateis aduocans prętereuntes.Nunc igitur fili audi me,& intende uerbis oris mei: Non declinet in uias eius cor tuum. Multos enim uulnerando deiecit,& sunt innumerabiles quos trucidauit. Vię inferorum domus eius,deducentes in secessum mortis.Auer igitur prauum os,& iniusta labia longè à te propelle.Oculi tui recta uideant,noli intẽdere fallaci mulieri. Mella enim distillabũt à labijs mulieris fornicariæ,quę ad tẽpus impinguat fauces tuas,postea uerò amariorem felle inuenies. Dies me citius defecerit quàm uitia eius exponam,quæ tamen in Prouerbijs ore sapiẽtiæ descripta atq; expressa sunt. Non te uincat formæ concupiscentia. Adulterina est,fucis illita,nequaquam uero ac sincero fulgẽs decore. Necq; capiaris oculis.circumfusa enim retia sunt. Esto magis similis illius, & sequere eum qui salit super mõtes,& transilit super colles, prospiciens per fenestras,eminens super retia. Mala sunt uoluptatis uincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsa adiungit,uera subducit,spõdet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam. Tu autẽ accipe potius disciplinam quàm pecuniam, & scientiam super aurum probatum. Melior est enim lapidibus preciosis. Non te celabo quæ summa eius feruntur,ne uidear operire quæ displicent in uoluptate,& obumbrare quæ placeant. Eleuat enim & extollit mentem suasorijs uerbis, ostendit omnia regna terræ, dicens: Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me,Ibi tu caue ne rapiaris præterlabentibus et non manentibus, in quibus magna tentatio est. Docuit te certè dominus Iesus quemadmodum aduersus huiusmodi tentationes resistas. Tetenderat diabolus primum laqueum gulæ dicens:Si filius dei es,dic huic lapidi ut panis fiat.Respondit dominus:Nõ in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Laqueum soluit hoc dicto. Posuit iterum diabolus secundum iactantiæ laqueum,qui etiam bonam mentẽ prosperis currentem semitis solet strangulare.Et duxit illum,inquit, in Hierusalem, & statuit eum supra pinnaculum templi,& dixit illi:Si filius dei es,mitte te hinc. Scriptum est enim quòd angelis suis mandauit de te ut conseruent te, quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Itaq; cum posset sine ullo periculo mittere se dominus Iesus, cui suppeterent spiritales uolatus: tamen ne iactantiæ genus esset, respondit diabolo: Non tentabis dominum deum tuum. Simul docuit nos cauere ne faciamus uoluntatem diaboli. Si ergo uerè iactantia declinanda est, quanto magis nemo debet falsa *Prouer.7* *ibid.5* *Cantic.2* *Luc.4*

iactare

iactare pro ueris? Tertius supereſt laqueus auaritiæ atq; ambitionis. Oſtendit in monte poſito omnia regna terræ in momento temporis. Bene in momento, quia diuturna eſſe nequeunt. Paululum expecta, & cito tranſeunt. Itaque qui ſequuntur ea, in monte ſibi eſſe uidentur, ſed nõ ſunt perpetui, ſicut habes ſcriptum: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſuper cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat. Sed qui maximè ea facit, adorare uidetur diabolum, cui deus uenter eſt, & in pudendis gloria. Tu autem in deo gloriam quære, qui tibi ait: Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, à quo æterna accipias non temporalia. Tamen ſi quem etiam iſta delectẽt, ab eo moderatius petuntur, qui uerus omniũ fons eſt. Nam & ipſa peculiaria quæ poſſidere ſibi uidetur diabolus, aliena ſunt, ſicut ipſe dixit: Tibi dabo poteſtatem hanc uniuerſam & gloriam eorum, quia mihi tradita ſunt. Ab eo ergo ſpera. licet breuis uitæ non ſit longum uiaticum requirendum, tamen ab eo ſpera qui uniuerſam creaturam condidit, qui diabolo ea ad tempus tradidit: non ut poſſideat, ſed ut tentet. Non enim poterat corona eſſe ſine certamine. Probandi erant dubij, ut iuſti coronarentur. Dedit itaq; diabolo ea, quia in his ipſis pœna accipientis eſt, ſi uti neſciat. Quid eſt enim theſaurus luxurioſo, niſi ſumptus luxuriæ? Sed non luxurioſus, ſed frugi probatur. Et ideo utere quaſi frugi ijs quæ tibi apponuntur, ut non cum manducas multum, odibilis fias. Vigiliæ enim & tormenta uiro edaci. Et infrà: Si coactus fueris in edendo, ſurge & uome, & refrigerabit te, & non addu ces corpori tuo infirmitatem. Plurimos itaq; gula ſua occidit, nullum frugalitas: Innumeris uina nocuerunt, nulli parſimonia. Plerique inter epulas fudere animas, & menſas proprio repleuere ſanguine. Alijs cruditas uocem ſimul rapuit & ſenſum: & ſi aliquib. cruditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas: alios in crimen egit ebrietas: & ſi ipſa crimen non ſit, alios ad egeſtatem redegit. Poſtremo audi quos Chriſtus excludat. Cum intrauerit, inquit, paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtiũ dicentes: Aperi nobis. & reſpondens dicet: Neſcio uos unde eſtis, recedite à me operarij iniquitatis. Tũc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. Et dicet uobis: Neſcio unde eſtis. Audiſtis quid de manducantibus dixerit. Audi nunc quid de ieiunantibus dicat: Beati qui nunc eſuriunt & ſitiunt, quia ſaturabuntur. Et infrà: Væ uobis qui ſaturati eſtis, quoniam eſurietis. Sed uis manducare, uis bibere? Veni ad conuiuium ſapientiæ, quæ inuitat omnes cum magna prædicatiõe dicens: Venite & edite panes meos, & bibite uinum quod miſcui uobis. Delectant cantica quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem eccleſiam, non ſolũ in canticis, ſed etiam in Canticis canticorum: Manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini patres mei. Sed hæc ebrietas ſobrios facit, hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ eſt. Lętitiam generat, non titubantiam. Nec uerearis ne in conuiuio eccleſiæ aut gratí odores tibi, aut dulces cibi, aut diuerſi potus, aut conuiuæ nobiles deſint, aut decentes miniſtri. Quid Chriſto nobilius, qui in conuiuio eccleſiæ & miniſtrat, & miniſtratur ei? Iſtius conuiuæ recumbentis annecte te lateri, ac te deo coniunge. Nec faſtidias menſam quam Chriſtus elegit, dicens: Introiui in hortum meum ſoror mea ſponſa, uindemiaui myrrham cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo, & bibi uinum cum lacte meo. In horto, hoc eſt in paradiſo eſt conuiuium eccleſiæ ubi erat prius Adam quàm peccatum committeret. Ibi recumbebat Eua priuſquam culpam crearet et pareret. Ibi uindemiabis myrrham, hoc eſt Chriſti ſepulturã, ut conſepultus cum illo per baptiſmũ in mortem, quemadmodum ille ſurrexit ex mortuis, & tu reſurgas. Ibi manducabis panem qui confirmat cor hominis. Mel guſtabis, quo tuarũ dulceſcat meatus faucium. Vinũ bibes cum lacte, hoc eſt cum decore & ſinceritate, ſiue quòd meri pura ſimplicitas ſit, ſiue quòd immaculata gratia, quæ in remiſſionem ſumitur peccatorum, ſiue quòd paruulos conſolationis ſuæ lactet uberibus, ut ablactati in delicijs, in plenitudinẽ perfectæ ætatis adoleſcant. Succede ergo in hoc conuiuiũ. An metuis ne anguſtior domus & breuis conuiuij locus te comprimat? O Iſrael quàm magna eſt domus dei, & ingens locus poſſeſſionis eius? magnus, & non habet finem, altus & immenſus. Ibi fuerũt gigantes illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes prælium. Non hos elegit deus. Et meritò non elegit, quia prælium, non pacem ſciebant. Et ideo tu pacem diſce, ut eligaris à deo. Sed ne fortè inçomptam domus magnitudinem putes, & diuerſoria te

Pſal. 36
Philip. 3
Luc. 4
Eccl. 31
Luc. 13
Luc. 6
Prouerb. 9
Cantic. 5
Ibidem.
Pſal. 103
Baruch. 3

columnata

columnata delectent: Sapientia ædificauit sibi domũ, & sculpsit columnas septem. Ipse etiam dominus Iesus multas mansiones apud patrem suum esse cõmemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibo, potuq; mentis, ut postea non esurias neq; sitias unquam. Qui enim manducat, manducat usq; ad satietatẽ: & qui bibit, usq; ad ebrietatẽ bibit. Sed hæc ebrietas pudicitiæ custos est. Illa uini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes uaporantur interna uiscera, animus ignescit, anima exuritur. Seuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietũ patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negocio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, usuq; accenditur. Nullus peccãdi modus, & inexplebilis scelerũ sitis, nisi morte amantis extingui non potest. Et ideo ait Apostolus: Fugite fornicationẽ. ut ueloci fuga tanq; furiosæ dominę declinare sæuitiam & tetro seruitio exire possimus. Nam quid de auaritia dicam, insatiabili pecuniæ cupiditate, & quadam æris libidine, quæ quo plura abstulerit, eo magis inopem esse se credit? Omnibus inuida, sibi uilis, in summis diuitijs inops, affectu extenuat quod censu abũdat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura cupiendi. Sic inflammat animũ, sic igne suo pascit animũ, ut hoc solo distet, quod illa formarũ adultera sit, ista terrarum. Elementa concutit, mare sulcat, terram effodit, cœlum uotis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, condemnat prouentus annuos, fœtusq; terrarum arguit. Sed hæc ægritudo est animæ, non sanitas. Deniq; Ecclesiastes dicit: Est languor malus quẽ uidi sub sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas. Et suprà: Qui diligit argentũ, non satiabitur argento, nec est finis acquisitionis eorum. Si quæris thesauros, accipe inuisibiles & occultos, quos in cœli altissimis, non quos in terrarũ uenis requiras. Esto pauper spiritu, & eris dives qualicunq; censu, quia non in abundantia diuitiarum uita est hominis, sed in uirtute ac fide. Istæ te diuitiæ uerum diuitem facient, si sis in deum dives.

Sapien. 9
Ioan. 14
1. Cor. 6
Eccli 5

De rememoratiua superiorum recapitulatione, & tribus nõ prætereundis, quibus dominus Iesus officia humanæ deuotionis definiuit, & quemadmodũ mẽs hæc audiens se à uoluptate auertat, & uirtuti adiungat, studiaq; illius eligat, quibus & sanctus Iacob uir plenus exercitationis mentẽ intendit. Quodq; ideo pastor ouium inducatur, quia imperitare corpori & sensibus eius ac uoluptatibus, uotiq; modum tenere, præstantius æstimetur, quàm regere populos, uel urbibus præesse.

Caput VI

A Vdisti uoluptatis mysteria, audisti etiam copiarum nostrarũ munera, quas ego non supellectili operiendas, sed scripturæ nudis sermonibus demonstrandas putaui, ut sua luce refulgerent, ut ex se ipsæ uocem emitterent sibi inuicem. Neq; enim sol & luna interprete indigent. Habent interpretem fulgorẽ sui luminis, quo totus repletus orbis est. Illis illuminatio est fides sine indice, quędam, ut ita dicam, intestata testis, quæ alieno non indiget testimonio, & subito se uniuersorum oculis effundit. Non ergo nunciantur opera nostra sed clamant, & se ipsa nunciant. Sane ut & hoc quod laboriosum in nostris ducitur, non præteream, fides exigitur, studium desideratur, facta quæruntur. His enim tribus dominus Iesus deuotionis humanæ officia diffinit dicens: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Et infrà: Omnis ergo qui audit uerba mea hæc, & facit ea, similis est uiro sapienti. Hęc qui studiose fuerit prosecutus, primatus benedictionis accipiet, sicut patriarcha Iacob, qui continentia & fide humanarũ supplantauit uestigia passionum. Iste ait: Misericordiam mei habuit deus, & sunt mihi omnia. Hanc itaque misericordiam nos fide, studio operibusq; mereamur, quibus disciplinis inuenit Israel gratiam dei, & per ipsam omnia. Non enim mundi huius copias, sed uirtutũ disciplinas sibi suppetere gaudebat. Has nobis substituamus hæredes, quas sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omnẽ operum suorum deputans hæreditatẽ sapienti & iusto uiro, nec ullum ius hæreditarium ancillis uel ancillarum filijs derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectæ enim uirtutes totum accipiunt glorię patrimonium, usitatis & mediocribus uile aliquid aspergitur. Et ideo Agar, quæ aduena Latinè dicitur atq; accola, & Cethura quæ odorifera significatur, hæredes nõ sunt: Qui enim mediis utitur disciplinis, accola nõ inhabitator est sapientiæ. Odore aspersus, nõ fructu expletur. Sanitatem autem cibus, nõ odor

Matth. 15
Gen. 25

inuehit, quia odor fructuũ nuncius est. Principales itaq; disciplinas sequentibus, & indigenas accolis agnoscimus præferendas. Hoc secundum ingenium. At uero secundum mysteriũ, Abraham pater gentium, semini suo legitimo, quod est Christus, hæreditatem omnẽ fidei suæ detulit, quia in hac terra uelut aduena fuit, ut uitæ huius odorem magis quàm fructum referret. Hæc cum audit mens, auertit se à uoluptate, uirtutiq; adiungit, ueri decoris admirans gratiam, purum affectum, simplicem sententiam, mediocrem uestem, hoc est, non in persuasione sermonis, sed in ostentatione spiritus, qualis est Apo-
1.Cor.3 stolicæ forma sententiæ, amictum sapientiæ atq; pietatis omni preciosiorem auro refulgens: tamen chorum prudentiæ, temperãtiæ, fortitudinis, iustitiæ suscipiens, quæ fragrabant odorem disciplinarũ, incutientes reuerentiam, infundentes gratiam. Itaq; talibus mota, elegit studia uirtutis, quibus Iacob uir plenus exercitationis mentem intendit suam. Et ideo ouium pastor inducitur, eo quòd imperitare corpori & sensibus eius ac uoluptatibus, uotiq; modum tenere, ne uelut ouis uagetur incerta, præstantius æstimatur q̃ regere populos, uel prę̃esse urbibus. Difficilius enim quispiam se q̃ alterum regit. Animum uincere, iracundiam cohibere, compugnãtesq; leges carnis & mentis in unum
Exod.3 cogere, immortalis cuiusdam est uiri, quem inferni porta non susceperit. Deniq; ipse sibi legislator uindicauit hoc munus, ut oues pasceret Iethro, qui dicitur superfluus, & ageret in desertum: eò quòd irrationabilem & superflui uulgarisq; sermonis loquacitatẽ in secreta quædam sobriæ doctrinæ coegit mysteria. Ideoq; Aegyptijs abominationi erant pastores ouiũ. Omnes enim qui corporis dediti passionibus huiusmodi, & uoluptatibus indulgẽt suis, disceptatorẽ uerbi doctorẽq; uirtutis quadã execratione declinant. Et ideo per ænigmata hæc docuit Moyses apta deo esse sacrificia, quę refugit omnis insipiẽs, hoc est opera & præcepta uirtutis. Ideoq; pastor Abel, Cain aũt operator terræ legit, qui in fratre suo uir insipiens formã speciemq; uirtutis expressam ferre non potuit.

De oblatione Cain ex fructibus terræ, & criminatione illius, ac de informatione & instructione per legem diuinam quomodo uota soluí debeant. Cap. VII

T factum est post dies, obtulit Cain ex fructibus terræ munus domino.]

E Duplex culpa: una quod post dies obtulit, altera quod ex fructibus, nõ ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia.

Eccli 5 Vnde præceptum est: Si uoueris uotum, non facias moram reddere illud. Melius est enim non uouere uotum, quàm uouere & non reddere. Cùm enim moram facis, non reddis uotum. Est autem postulatio bonorum à deo cum soluendi muneris promissione. Et ideo cum impetraueris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Sed interdũ aut negligentibus irrepit obliuio impetratorũ, aut tumidis & elatis: arrogare euentus sibi, hebetis cordis est, & bonũ quod agit, uel quod à deo consequitur, propríjs uirtutibus uindicare nec authoris deputare gratiæ, sed ipse se suorum bonorũ authorem ducere. Tertium genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantiæ, eorum scilicet qui datorem bonorũ deum non negant, sed quæ acciderint, ea sibi propter prudentiam suam cæterarumq; merita uirtutũ iure delata arbitrantur. Propterea etiam diuina dignos habitos gratia, quod nequaquã uiderentur indigni quibus talia diuinis beneficijs prouenirent. Ne quid ergo huiusmodi accidat, unde uotum tuum tibi in peccatũ fiat, lex te in-
Deut.8 formauit atq; instruxit, dicẽte domino qui legem dedit: Attende tibi ne obliuiscaris beneficia domini dei tui, & nõ custodias mandata & iudicia & iustitias illius quæ ego præcipio tibi hodie, ut cum manducaueris, & repletus fueris, & cum domos bonas ædificaueris, & habitare cœperis in eis, & oues tuę & boues tui cum repleti fuerint, & cum ære, argẽto & auro cõpletus fueris, & omnia possidere cœperis, & plena fuerint horrea tua, exaltes cor tuũ, & obliuiscaris dominũ deum tuũ. Tunc ergo obliuiscẽris dominũ, cum oblitus fueris tui. Si aũt cognoscas infirmũ te esse, cognosces deum esse super omnia, & immemor esse nõ poteris ut ei reuerentiam debitam soluas. Disce nunc quemadmodũ unusquisq; moneatur, ne se ipse authorẽ suorum putet bonorũ. Ne dicas, inquit, in corde tuo, uirtus mea & potentia mea fecit mihi uirtutẽ hanc magnam: sed in mente tua ha-
1.Cor.4 bebis dominũ deum tuũ, quoniam ipse dat uires ut facias uirtutes. Vnde bene Apostolus quasi legis interpres non gloriabatur in uirtute sua, sed minimũ Apostolorum se esse dicebat, & quicquid esset, gratiæ diuinæ esse, nõ meriti sui, nihilq; nos habere quod non

accepe-

acceperimus. Quid enim, inquit, habes, quod nō accepisti? Si aūt accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Didicisti ergo humilitatem magis sequi q̄ arrogantiam, sedulitatem affectare q̄ potestatē. Accepisti salutaria præcepta, noli negligere utilia instrumenta medicinæ, quibus fibra omnis letalis uulneris exsecatur. Ille quoq; qui se iustificat, ne infletur cordis sui tumore, & ipse accepit salubre mandatū, in huiusmodi sententiam resultante oraculo: Ne dicas in corde tuo cum cōsumere cœperit dominus deus tuus gentes illas à conspectu tuo, dicens: Propter iustitiam meam induxit me dominus possidere terram istam. Sed propter iniquitates gentium istarū extirpauit illos dominus à facie tua. Non propter iustitiam tuā, non propter bonitatē tuam, nec propter æquitatē cordis tui intrasti possidere terrā istam, sed propter iniquitatē gentiū disperdidit eos dominus à conspectu tuo, & restituit testamentū quod iurauit patribus uestris. Testamentū perfecta dei gratia est. Nihil enim imperfectū dat deus, perfecta autē uirtus est, & opera uirtutis. Testamentū autem dicitur quo defertur bonorū hæreditas. Merito & testamentum dicitur, & diuinū, cum ea quæ uere bona sunt, attestatione mandatorū cœlestium conferuntur. Et testamētum dicitur, quoniam sanguine dedicatū est: uetus in typo, nouum in ueritate. Quo testamēto diuinæ gratiæ pignus tenemus, quia sic dilexit deus hunc mundum, ut unigenitum filium suum pro nobis omnibus daret. Vnde perfectionem gratiæ prædicans Apostolus ait: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Deut. 9 Ioan. 3 Rom. 8

Quod prima uoti gratia sit celeritas solutionis, ut ex studio immolationis Abrahæ, & scriptura diuina, & uocatione Zachæi cōprobatur. De incitatione quoque ac admonitione ut cito uota nostra soluamus. Caput VIII

PRima igitur uoti gratia, est celeritas solutionis. Denicq; Abraham filiū suum ad holocaustū iussus offerre, non post dies ut Cain obtulit, sed exurgens mane strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suū, & cōcidens ligna ad holocaustum, surgens abijt, & uenit ad locum quem dixerat ei deus, die tertia. Primo aduerte immolantis studium maturū atq; festinum, ut mora expectationis nō esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde ut sterneret asinam suam, obsequiū omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria præpararet, duabus quoq; fide & spe uirtutibus comitantibus hostiam suā duceret: de potestate dei certus, & de bonitate securus. Quod autem ait: Die tertia: uel quod continua esse debeat & perpetua deuotio. Tripertitum est enim tempus: præteritum, præsens, & futurū. Quo admonemur quòd nec præteritorū beneficiorum dei uel præsentium uel futurorū irrepere debet ulla obliuio, sed tenax gratiæ memoria perseuerare, & obedientia non deesse: uel quia is qui sacrificat, in unum splendorem, in unam lucem debeat credere trinitatis. Ei enim qui fideliter sacrificat, dies lucet, nox nulla est. Sic & in Exodo Moyses ait: Viam trium dierum ibimus, & immolabimus domino deo nostro. Sed etiam alibi cum uisus esset deus Abrahæ ad ilicem Mambre: Respiciens, inquit, Abraham oculis suis uidit, & ecce tres uiri stabant super eum. Et uidens, occurrit obuiam illis ad ostium tabernaculi sui, & adorauit super terram, & dixit: Domine si inueni gratiam ante te. Tres uidit, unum adorauit. Tres mensuras offert similaginis. Nam etsi immensus deus, tamen mensuram omnium tenet, sicut scriptum est: Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & uniuersam terram clausa manu? Perfectæ igitur in personis singulis trinitati, interiore mentis arcano, hoc est, similaginis spiritalis sanctus patriarcha sacrificium deferebat. Hæc est similago quā in Euangelio molit mulier illa quæ assumetur. Vna enim, inquit, assumetur, altera relinquetur. Assumetur ecclesia, relinquetur synagoga. Vel mens bona assumitur, improba derelinquitur. Vt scias autem quia & Abraham in Christum credidit: Abraham, inquit, diem meum uidit, & gauisus est. Et qui credit in Christum, credit & in patrē. Et qui perfecte credit in patrem, credit in filium & spiritum sanctum. Tres ergo mensuræ, una similago, hoc est, unum erat sacrificium quod uenerabili trinitati pari quadam mensura deuotionis & congrua plenitudine pietatis oblatum est. Adhuc cognosce celeris studia deuotionis. Cucurrit, inquit, & accepit uitulum unum tenerum & bonū, & dedit puero, & festinauit facere eum. Vbiq; impigra deuotio, & ideo deo fuit munus eius acceptum. Habes & alibi ut solis ortum oratione præuenias, Occurre, inquit, ad solis ortū. Habes in Euangelio dicentem dominum Iesum: Zachæe festinans descende. Et ille Exod. 3 Gen. 18 Esa. 40 Matth. 24 Ioan. 8 Luc. 19

quia impetrauerat quod uolebat,ut Christum uideret,& amplius impetrauerat ut uideretur & uocaretur à Christo, festinans descendit,& accepit illum gaudens. Et ideo probauit dominus eius affectum, & cum celeri remuneratione donauit, dicens: Quia hodie salus domui huic facta est. festinauit enim & dominus ad beneficium, & ideo non expectauit ut promitteret & impleret omnia, sed ante fecit, postea declarauit. Dixit enim: Facta est salus: quòd utiq; præuenienti seruit,non promittenti.Iustus ergo uotum suum celeritate commendat. Et ideo patres nostri festinantes manducabant pascha succincti lumbos,& pedes suos calceamentorum exuentes uinculis,& tanquam onus corporeum deponentes, ut essent parati ad transitum. Pascha enim domini transitus est, à passionibus ad exercitia uirtutis.Et ideo pascha domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni,ueritas dominicæ passionis annunciabatur,& nunc eius celebratur gratia.

Gen. 27 Cito ergo hoc quære anima, ut cito etiam audias, sicut audiuit & Iacob: Quid est hoc quod tam cito inueneristi fili? Et ille secundum dogma respondit, Quod tradidit domi-

Psal. 148 nus deus tuus in manus meas.Cito dat deus: quia dixit,& facta sunt: mandauit, & creata sunt. Verbum enim dei (non sicut quidam ait) opus est,sed operans: sicut habes scri-

Ioan. 5 ptum: Pater meus usque modo operatur,& ego operor.Præuenit omnia.Est enim ante

Hebr. 3 omnia sicut pater,& in omnibus sicut idem pater,penetrans omnia. Validũ enim & acutum,& omni gladio acutius est,penetrans usq; ad diuisionem animæ & spiritus, artuũq; & medullarum.Præueniens omnium cogitationes: de quo ait pater deus: Iam uidebis si comprehendit te uerbum meum, aut non. Vbi enim deus, & uerbum est: sicut dixit:

Ioan. 14 Veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.Et sicut habes in alijs de deo lectum: Ego

Ibidem 1 steti hic priusquàm tu: ita & uerbum dicit: Priusquàm starem sub arbore fici, uidi te. Et

Ibidem de ipso dictum est uerbo,hoc est filio dei: Medius autem uestrum stat, quem uos nescitis. Vbicunq; enim sancti,ibi in eorum medio dei uerbum,in singulorũ præcordijs complens maria & terras. Et cum hic est, etiam alibi est, non mutato loco, sed repleto ubiq; sui præsentia. Vbiq; enim est qui est per omnia, & in omnibus, nullum locum immunẽ sui relinquens. Et ubi adest,erat: & ubi erat,adest. Et ideo qui nouit uelox esse uerbum dei,cito petit,& cito impetrat.

De reprehensione Pharaonis,qui ut pro eo rogaretur in crastinũ distulit, & exaltatus mente deum obliuiscebatur. Quantumq; humilitas orationem cõmendet.Et quòd melior uotorum sit solutio,laudare deum. Quòd præterea illa commendanda sit orationis & uoti disciplina, ut non diuulgemus orationem, sed abscondita teneamus mysteria, sicut Abraham & patres tenuerunt, & quemadmodum dominus in Euangelio docuit: & quæ in oratione cauere debeamus.

Caput IX.

A Tuero Pharao qui opinionibus uanis & inanibus studium impendebat suum: ranis repleta Aegypto,sonum inanem rerum & strepitum uariũ red-

Exod. 8 dentibus,dicenti Moysi, Constitue mihi quando pro te orem,& pro famulis tuis,& pro populo tuo,ut exterminet dominus ranas: cum debuerit in tanta positus necessitate rogare ut iam oraret, nec differret, respondit, Crastina die, ociosus & negligens,moræ pœnam,Aegypti soluturus excidio. Itaq; iste ubi impetrabat,immemor fiebat gratiç,& exaltatus mente carnis suæ obliuiscebatur deum.Humilitas autem cõmen-

Lucæ 18 dat orationẽ.Siquidem & Pharisæus ille reprehensus est,qui ieiunia sua uelut beneficia enumerabat,& tanq; obiectabat deo,& se criminũ memorabat exortem.Publicanus autem prædicatus est,qui à longe stans nolebat oculos ad cœlũ leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Domine deus,propitiare mihi peccatori.Et ideo diuina eum sententia prætulit dicens: Quia descendit hic Publicanus iustificatus magis q; Pharisæus. Ille

Esa. 43 enim iustificatur qui peccatũ proprium confitetur, sicut locutus est ipse dominus: Dic

Psal. 50 iniquitates tuas ut iustificeris. Et Dauid ait: Sacrificium deo, spiritus contribulatus. Et

Baruch 3 iterum: Cor contritũ & humiliatum deus non spernit. Hieremias quoq; ait: Anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te. Ergo & Pharao, & rex Assyrius qui dicebat: Quis deorũ gentium istarum liberauit terram suam de manu mea? quomodo liberabit dominus deus tuus Hierusalem de manu mea? exaltatione sua deiecti sunt. Iustus autẽ, sicut Iacob,ad authorẽ deũ refert quæcunq; fuerit bona consecutus,dicens de omnibus

quæ

quæ sibi prosperari cognouerit: Quoniã tradidit ea dominus deus in manus meas: Hæc igitur melior uotorũ solutio est, sicut & Dauid ait: Immola deo sacrificium laudis, & red de altissimo uota tua. Laudare deum, cõmendare est uotum, & soluere. Vnde & Samaritanus ille alijs antefertur, qui cum leprosis alijs nouem secundum præceptum domini mundatus à lepra, solus regressus ad Christum amplificabat deum, & agebat gratias. De quo Iesus ait: Non fuit ex illis qui rediret, & gratias ageret deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, & uade: quia fides tua te saluũ fecit. Est etiam illa cõmendandæ orationis & uoti disciplina, ut nõ diuulgemus orationẽ, sed abscondita teneamus mysteria, sicut tenuit Abrahã, qui subcinericias fecit. Tenuerunt & patres qui coxere consperſum quod extulerãt de Aegypto, subcinericia facientes azyma, quæ Græcè ἐγκρύφια dicũt, eò quòd abscondantur in cinere, significantes fermentũ illud quod abscondit mulier illa Euangelica mensuris tribus donec fermentaretur totũ: mysteriorũ quoq; innuentes premendam esse doctrinam. Quod apertius dominus in Euãgelio docuit, sic dicẽs: Tu autẽ cum orabis, intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio patrem tuum ora in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Orantes autẽ nolite multum loqui. Et infrà: Scit enim pater uester quid uobis opus sit antequã petatis ab eo. Cubiculum tuũ, mẽtis arcanũ, animiq; secretum est. In hoc cubiculum tuũ intra, hoc est, intra in alta præcordia, totus egredere de corporis tui exteriori uestibulo, & claude ostium tuum. Quid sit ostium tuum, disce: Pone domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labijs meis. Et Paulus petit orari pro se, Vt aperiatur mihi, inquit, ostium uerbi, ad loquendum mysterium Christi. Sed ille, utpote electus ad Euangelij prædicationẽ, rectè sibi ostium uerbi optabat aperiri, quia de ore eius exibat salus gentium, de ore eius prodibat uita populorum. Nos autẽ claudamus ostium ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat. Intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatũ. Exiuit multiloquium, peccatũ intrauit, quia in multiloquio si nequaquã qui exit sermo trutinatur, imprudenter labitur: licet ipsum ultra mensuram aliquid loqui grande peccatum sit. Et ideo caue ne imprudenter loquaris. Labia enim imprudentis inducunt eum ad mala. Caue ne in oratione te extollas. Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit. Caue ne incaute symboli uel dominicæ orationis diuulges mysteria. An nescis quàm graue sit in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? Certè dominus per prophetam docuit hoc graue esse maledictũ, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum. Nisi forte mediocre id tibi putas esse. Diffidere est enim de potentia dei, æstimare quod non audiaris, nisi clamaueris. Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament passiones tuæ, clamet sanguis tuus, sicut sancti Abel, de quo dixit deus ad Cain: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. Audit enim in occultis, qui mundat in occultis. Nos nisi loquentem aliquem audire non possumus: apud deum loquuntur nõ uerba, sed cogitationes. Et ut hoc uerum scias, dicebat dominus Iesus ad Iudæos: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Non interrogantis uox ista est, sed scientis. Quod tibi manifestat Euangelista dicens: Iesus autẽ sciebat cogitationes eorũ. Sicut ergo filius nouit, nouit & pater. Filium nosse cognouisti, patrem nosse, audi consiliarium & testem patris dicentem: Scit enim pater uester quid uobis opus sit, antequam petatis ab eo. Coque ergo subcineritiam tuam uapore spiritus sancti: Coque etiam animi passiones uerbi calore. Et si crudiores sunt passiones tuæ, nuper fortasse de Aegypto egredientes, operito eas, & lento calore excoque, ne fortiorem ignẽ dum ferre non possint, semiustulentur potius q̃ coquantur. Sunt enim plurima quę præmaturo sermone infidis auribus uel infirmis quasi incocta cõmittas, ad quæ auertatur auditor, & cum horrore fastidiat: si coctiora gustaret, spiritalis cibi perciperet suauitatẽ. Diuinè autem dominus Iesus & bonitatẽ te docuit patris, qui bona nouerit dare, ut quæ bona sunt, à bono poscas: & impense & frequenter monuit orandum, nõ ut fastidiosa continuetur oratio, sed ut assidua frequenter effundatur. Plerunq; inanis gloria longæ precationi, intermissæ autẽ prorsus obrepit incuria. Deinde monet ut cum ipse ueniam tibi poscis, tum maximè largiẽdam alijs noueris, quo precem tuam operis tui uoce cõmendes. Apostolus quoq; docet orandum sine ira & disceptatione, ut nõ turbetur, non interpoletur oratio tua. Docet etiã orandum in omni loco, cum saluator dicat: Intra in cubiculum tuũ. Sed intellige cubicu-

Psal. 49 — Lucæ 17 — ibid. 13 — Matth. 6 — Psal. 140 — Coloss. 4 — Prouerb. 10 — Eccli 35 — Psal. 108 — Gen. 4 — Matth. 9 — ibid. 6

lum non incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculũ quod in te eſt, in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo uerſantur ſenſus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum ubiq; tecum eſt, & ubiq; ſecretũ eſt, cuius arbiter nullus eſt niſi ſolus deus. Orandum autem præcipue & pro populo doceris, hoc eſt pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ, in quo mutuæ charitatis eſt inſigne. Si enim pro te roges, tantummodo pro te rogabis. Et ſi pro ſe tantum ſinguli orent, minor peccatoris quàm intercedentis eſt gratia. Nunc autem quia ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis. Ergo ut cõcludamus, ſi pro te roges: tantum, ut diximus, pro te rogabis. Si autẽ pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Siquidem & tu in omnibus es. Ita magna remuneratio eſt ut orationibus ſingulorum acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia. In quo arrogantia nulla, ſed humilitas maior eſt, & fructus uberior.

De tranſitu ad aliud uitium oblationis ipſius Cain qui obtulit non de primis fructibus primitias deo, & quid per primitias intelligatur. Quodq; Abel obtulerit hæc munera, & etiam talia qualia lex probauerit, cum pulchra myſteriorum legis explanatione: & quemadmodum interiora mũdare debeamus, & ibidem quærere quæ domino ſanctificemus. De ſimilitudine quoq; conceptionis ac parturitionis fœminarum & animæ partuumq;, eiuſdem diſtinctione. Caput X.

§ Ed iam tempus eſt aliò tranſire, quoniam de eo quod poſt dies obtulit Cain, plene diximus. Factus eſt indicium reſupini, cum ipſa poſtulatio uoti matura eſſe debeat, ne uideamur de humanis artibus, hoc eſt, medendi peritia, herbarumq; ſuccis, ſperaſſe magis remedium, quàm de deo ſubſidiũ popoſciſſe. Ad ipſum enim prius eſt confugiendum, qui noſtræ curare poſſit animæ paſſiones. Verùm homines quidam præpoſtero ordine ante ſibi ab hominibus opem arceſſunt: ubi autem humana ſubſidia defecerint, tunc opinantur diuini poſtulandam fauoris gratiam. Concluſo ergo illo & conuicto Cain crimine, aliud oblationis uitium diſcutiamus. Obtulit, inquit, à fructibus terræ, non à primis fructibus, primitias deo. Hoc eſt primitias ſibi prius uindicare, deo autem ſequentia deferre. Itaq; cum uere anima corpori tanquã ſeruo domina ſit præferenda: utiq; primitias eius, hoc eſt animæ prius quàm corporis offerre debemus. Primitiæ animæ, primatus ſunt bonarum diſciplinarum. Quæ licet tempore poſteriores ſint, quàm corporis primitiæ, quæ ſunt eſca, incrementum, uiſus, auditus, & tactus, odor, uox: mens autem & ſenſus pars animæ, pars corporis eſt: tamen priores ſunt diſciplinis. Quarum primitiua eſt, puro corde & ſimplici ſermone oblata deo gratiarum actio. Hæc munera obtulit Abel, & ideo reſpexit deus in munera eius, quoniam à primitiuis obtulit. Accedit ergo quia de primitiuis ouium, & de adipibus earum: conſidera quia non de inſenſibilibus, ſed de animantibus obtulit. Plus eſt enim animalis quàm ter-
1.Cor.15 renus. ſiquidem animalis proximus ſpiritali eſt. Non enim prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Quod animale, ſpirat, habet uitalem ſpiritum, non ita quod de terrarum fructibus. Deinde obtulit non ſecunda, ſed prima: non exigua, ſed
Exod.13 pinguia, qualia lex probauit, & iuſſit offerri, ſicut ſcriptum eſt: Et erit, inquit, cum inducet te deus in terram Chananæorũ, ſicut iurauit patribus tuis, & dabit tibi, tolles omne quod aperit uuluam maſculinũ domino. Omne quod aperit uuluam de armentis & pecoribus tuis, quæcunq; nata fuerint tibi maſculina, ſanctifica domino. Omne quod aperit uuluam aſinę, mutabis illud oue: ſi autem non mutabis, redimes illud. Quid tam profundi myſterij, tam altæ ſecretæq; ſapientiæ, quàm in quibuſdam inuenis uerborum ſimplicium? Deprehendas licet atq; haurias ubertatem gratiæ ſpiritalis. Chananæi etenim mobiles & inquieti ſunt. Cum igitur in eorũ terram fueris ingreſſus, quos aduertis propter leuitatem, inquietudinem, & inſtabilitatem morum, poſſeſſione deiectos, tu teneto conſtantiam. Non te uilis ratio, nõ leuis ſermo perturbet. Hoc eſt enim Chananæus, mobilis ſermo, affectus inſtabilis, & inquieta contentio. Sed magis tranquillitatem cordis, & animi ſerenitatem placidus ſeruato, ut tanquam in ſalo maris tutam nauibus ſtationem portu quodam tuæ mentis exhibeas. Hanc poſſeſſionem tibi dominus pollicetur, & quodam ſacramenti promittit uinculo, ut conſtantiam tuam firmet. Neque enim ideo deus iurat, quòd fide credentis indigeat, aut teſtimoniorũ aſtipulationibus deſtitu-

tus,

tus,ſuffragium ſacramenti requirat,ſicut homines qui fidem nobis aſciſcimus ſacramento,& ideo iuramus ut credamur uera dixiſſe.Deus autem & cum loquitur fidelis eſt, cuius ſermo ſacramentum eſt. Non enim propter ſacramentū fidelis omnipotēs deus, ſed propter deum etiam fidele ſacramentum eſt. Qua ratione igitur Moyſes iurātem deum inducit? Quia nos uſu quodam mortalium claudimur, & uelut echini cortice quodam nos uulgaris opinionis inuoluimus, aut uelut cochleæ quæ niſi intra teſtæ operimentū ſint, ſpirare non poſſunt,nec aerem liberum carpere aut ſuſtinere: ſic nos non niſi intra quædam humanæ conſuetudinis latibula terrena uerſamur. Vnde quia illud uerius ſolemus credere,quod iureiurādo firmat: ne noſtra claudicet fides, iurare deſcribitur deus. Qui ipſe non iurat, ſed iurantium iudex, & ultor eſt periurantium. Denicp ſcriptum eſt: Iurauit dominus,& non pœnitebit eum,tu es ſacerdos in æternum.Seruauit utic; quod iurauit,dedit nobis æternum principem ſacerdotum:ut &tu quod iuraueris,ita noueris eſſe ſeruandum,ut quia per eum iuras qui non mentitur,ſcias eum futurum ſi mentiaris ultorem.Expulſis igitur inquietis & mobilibus cogitationibus, dabit tibi deus uacuam poſſeſſionem cordis & mentis,ut eam cultu quodam tranquillitatis exerceas, & fructū ex ea capias,nec ſuſtineas in ea Chananæos,hoc eſt turbidos ſenſus recurrere, eradices gentilium uitiorum omne conſeptum,lucos eorum diruas quibus obumbratur ueritas, & quidam liber cœleſtis uiſus cogitationis,horrore tenebroſæ diſceptationis abſcondi tur.Sed hoc niſi diuino donatus munere efficere nō potes.ideo ait:Dabit tibi deus,hoc eſt,cogitationes optimas, placida conſilia, tranquillas inuentiones. Cum dederit hæc, tolles omne quod aperit uuluam maſculinum, & ſanctificabis domino. Non totū exigit à te deus,qui totū donauit.Multa enim ad uſum ſubſtantiæ largitur humanæ, & hoc non poteſt eſſe diuinū ſacrificium ubi eſt uſus naturæ. Edere,bibere,dormire, aliac; etiā miniſteria corporis dono ſunt tibi collata,non à te relata deo munera. Quicquid autem ſanctū cogitaueris,hoc dei munus eſt,dei inſpiratio,dei gratia: ſicut econtrario illa quæ cum in uſu naturæ humanæ ſint,non coinquinant hominem,ſed quod exit de ore,furta, falſa teſtimonia, ſacrilegia, hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Interiora ergo noſtra mundemus,ut poſſit oblatio non diſplicere. Ibi quæramus omne quod aperit uuluā maſculinum,hoc eſt iuſtum &principale,quod ſanctificare domino debeamus. Nec; enim hi nos corporei fœtus atc; conceptus partuſc; ſanctificant, quibus uulua fœminea deflorato pudore uirginitatis aperitur. Nam etſi mulier ſanctificat uirum & uir mulierem, tamen plerumc; contingit,uirginis uuluam etiam ſine coniugij ſanctitate reſerari. Nec; rurſus ſola uirilis eſt gratia,mulier autē ſanctificationis aliena eſt,aut utriuſc; ſexus confuſa natura eſt,ut uterc; corporeos fundatur in partus. Habent ſua munia uiri,habēt mulieres ſexus ſui officia diſcreta. Generatio iſta ſucceſſionis humanæ mulierem decet, impoſſibilis eadem uiro. Ergo ſi carnis uſui non quadrat hic ſenſus,officia animæ diſcutiamus.iſtam ſanè inuenio quæ nullo diſcreta ſit ſexu: & cum concipit,parit. Et ſicut fœminis dedit uuluam natura,in qua uniuſcuiuſc; animantis generatio per menſtruas formatur ætates,ita eſt quædam uirtus animæ,quæ uelut quodam uuluæ genitalis ſecreto cogitationū noſtrarum ſuſcipere ſemina, conceptus fouere,partus ſolet edere. Nec; enim aliter diceret Eſaias: In utero accepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis: niſi uuluam animæ nouiſſet. Harum generationum quædam fœmineæ ſunt,malitia,petulantia,luxuries,intemperantia,impudicitia, aliac; huiuſmodi uitia, quibus animi noſtri quædam eneruatur uirilitas. Maſculinæ ſunt caſtitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iuſtitia,quibus mens noſtra &caro ipſa firmat,& ad obeunda impigrè munia uirtutis erigit. Hos partus aluus ille propheticus parturiuit. Et ideo ait:In utero accepimus & parturiuimus ſpiritū ſalutis. Maſculū igit & parturiuit & peperit, qui ſpiritū ſalutis effudit.

Pſal. 109

Matth. 15

Eſa. 26

CAPITA LIBRI SECVNDI DE CAIN ET ABEL.

Qua ratione anima noſtra partus in clauſione ſuperioris libri commemoratos parturire ac parere debeat, & de maturiori & latiori iſtorum partuum proſecutione, cum pulchra legis ſuperius inductæ declaratione, latentiumc; myſteriorum apertione. Caput I

Quæ sit uis primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitiæ in sanctitate. Et quod ante omnia fides nos debeat commendare deo. Quodq; ipsa cum operibus perfectis plenum & perfectum sit sacrificium, sicut & ipse dominus docet, & uerba Legis significant. Caput II

De astructione legis præmemoratæ per exemplum de populo Hebræorum. Ac de mysterijs in lege recognoscendis ex uerbis domini in Euangelio laborãtes ad se uocantis. Quomodo etiam inquinamenta delictorum nostrorum lauare, & quo precio crimina nostra redimere debeamus. De redemptoris quoq; nostri per Leuitẽ significati in nos misericordia, cum morali & ædificatiua affectus instructione. Caput III

Qua ratione Moyses primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas appellauerit, ciuitatesq; Leuitarum redemptrices significauerit. Cur etiam non sit absurdum quòd facinorosi cohabitent pijs, & maculosi sacratis. Quodq; non abhorreat à uero, quòd Leuites in se manus injiciat, ut interficiat uoluptates sui corporis. De duobus præterea principalibus in deo generibus uirtutum, uno quo remittit, alio quo uindicat: & quomodo cum impius occiditur, Christus infundatur. Quodq; semper egressus malitiæ uirtutis operetur ingressum, sicut & ingressus malitiæ uirtutem excludit, ut Euãgelicæ ueritatis exempla comprobant. Caput IIII

De adipibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum. Caput V

Quid sibi uelit quod dominus ait: Si rectè offeras, non rectè aũt diuidas, peccasti: quiesce. Et de quatuor generibus quibus sacrificia commendabantur, quorum si aliquid desit, sacrificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione. Caput VI

Quod quia Cain ordinẽ diuisionis non seruauit, dictum sit ei: Peccasti, quiesce. Et quẽadmodum deus omnia docuerit, & quid moraliter illud significet. Caput VII

Quomodo Cain admonitus ut quiesceret, auxerit insolẽtiam, & flagitium acerbauerit. Et quid sibi uelit quod ait: Eamus in campum. Caput VIII

Qua ratione interrogauerit deus Cain ubi esset frater suus, & de ipsius redargutione atque condemnatione, cum moralis intellectus explanatione. Caput IX

Qua de causſa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies uindictã exoluet. Et qua ratione signum super eum positum fuerit ne occideretur, cum pulchra morali interpretatione atq; instructione. Caput X

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE CAIN ET ABEL, LIBER SECVNDVS.

Qua ratione anima nostra partus in clausione superioris libri commemoratos parturire ac parere debeat, & de maturiori & latiori istorum partuũ prosecutione, cum pulchra legis superius inductæ declaratione, latentiumq; mysteriorum apertione. Caput I

HOS partus anima nostra parturiat, nec solum parturiat, secundũ quod legitur, sed etiam pariat, & diebus pariat impletis, ne immaturos partus dies iudicij deprehendat. De his enim partubus dixit dominus Lucæ 21 Iesus: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Maturius igitur absoluatur hic partus, & cogitationes nostræ bonorum operum processibus explicentur, ut nihil imperfectum finis noster inueniat, nihil inexplicatum terminus uitæ nostræ offendat, nihil tanquam in incude positum usus nostri operis relinquat. Festina igitur anima formare partus tuos, properantius absoluere, celerius quos genueris enutrire. Quæ tanti forma sit partus, demonstrat Apostolus dicens: Filioli mei quos iterũ parturio donec formetur Christus in uobis. In hanc formam Gal. 4 tota mentis nostræ coalescant uiscera, & in illo genitali aluo animæ nostræ Christus refulgeat: Partus noster fides sit, nutrimenta nostra præcepta doctrinæ sint. His quædam cordis

cordis nostri imbuatur infantia, instituatur pueritia, iuuenculescat adolescentia, senecta canescat. Aetas enim senectutis uita est immaculata. Itaq; ea demum bona est animæ senectus, quam nulla perfidiæ inquinamenta maculauerunt. Et ideo partus suos ab hac macula Paulus defendit: Ego uos, inquit, genui in Euangelio. ne cuius sæua insusurratio rudis fidei tentaret infantiam. Masculina igitur generabat, qui in uirum perfectũ populos quos docebat, fidei gestiebat unitate concurrere, & in agnitione filij dei perfectam plenitudinis Christi tenere mensuram. Hoc enim sacrificium acceptabile deo nouerat, de quo scriptum est: Omne quod aperit uuluam masculinum, domino. Et quia addidit: Omne quod aperit uuluam de armentis & de pecoribus quæ sunt tibi, masculinum sanctifica domino: ne quid obscuritatis habeat, consideremus. Dixerat de principalibus generationibus, hoc est plenis capacibusq; rationis: addidit & de gregalibus, hoc est reliquis uelut plebeijs sensibus, qui irrationabilibus cõparantur iumentis. Quæ tamen cum à rectore aliquo gubernantur, facilè mansuescunt & imperata exequi, & iugum subire, & ad uocem magistri accelerare gradum aut sistere, aut deflectere, aut aliqua munia sui operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire consuerunt. Tantum ualet institutio, ut uincat naturam. Itaq; illa quæ consortium nostræ substantiæ non habent, agnoscunt tamen nostræ uocis imperium: & cum suæ naturæ nullam rationem habeant, nostræ naturæ rationem capessunt, & quodam modo transfusam acquirunt. Equos uidemus popularibus incitari studijs, gaudere plausibus, blanditijs delectari magistri. Toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cum sint ipsi terribiles, discunt timere. Cæditur canis ut paueſcat leo: & qui sua iniuria exasperatur, coercetur aliena, alterius q; exemplo frangitur. Quoties parata præda & cibo obuio famem perpeti malunt dum offensam magistri uerentur? Quoties repentino impulsi motu, aperta ad morsus ora iussi resoluunt? Ita dum nostræ uoluntati obsequuntur, suæ obliuiscuntur. Non ita illæ feræ uel illa armenta equorum, uel genus omne pecudum quæ sine rectore uagantur ullo, & omni domitoris gubernaculo destituta exasperantur. Et ideo appositi sunt armentarij, opiliones, cæteriq; pastores, quidam magistri gregum, officia sua singulis animantium cõmissorum sibi conditione formantes. Videtur ergo & sensuum nostrorũ quoddam genus aliud domitum & mansuetũ, aliud indomitum, quod armentario quodam motu mentis uelut deside atq; resoluto proruat ad irrationabiles delectationes corporis: mansuetum aũt quod uelut duci cuidam moderationi mentis se subijciat & subdat. Quæcunq; ergo eius naturæ reguntur, ea sunt masculina atq; perfecta: quæcunque autem sine duce ullo plebeia præsumptione quadam dominantur, uelut ciuitatis alicuius, quæ regis optimatumq; consilio priuata sit, ita corporis sui omnẽ statum & uirilem uigorẽ muliebri quadam dissolutione effœminãt. Ex his illa lex carnis est, quæ legẽ Apostolicæ mentis impugnans, captiuam trahebat eam quadam lege peccati. Et ideo ut de illo mortis corpore liberaretur, spem suã Paulus omnẽ non in sua uirtute, sed in Christi gratia reponebat. Vnde liquet, quod hæ commotiones quæ secundum legem mentis sunt, diuino fauore præcedunt, alij autem sensus ex uoluntate corporea. Illa igitur quę sancta sunt, primitiua sunt nostrorũ sensuum: ista uelut de quodam grege sunt, & uilitate plebeia: quod uarie uidetur Moyses nominibus significasse diuersis. Hoc enim declarat etiam illa area legis mystica de qua ait: Initia areæ tuæ & lacus tui non nouissima facies. Primitiua filiorum tuorum dabis mihi. Sanctæ cõmotiones sensuum nostrorũ, quæ secundum uirtutes sunt, ipsæ sunt primitiæ areæ spiritalis: propterea etiam rurali areę comparantur, in qua uentilantur frumenta. Sicut enim in hac rurali area excutitur triticum atq; hordeum, & dum sæpius uentilatur, separatur à paleis, quia paleæ cæteraq; purgamenta messis in diuersum leuis auræ spiramine dissipantur, illa uero quæ solidiora sunt, in locum eundem excusso puluere relabuntur: ita cogitationum nostrarum fruges quę sunt solidæ atque optimæ, puram atque synceram exhibent uirtutis alimoniam, sicut scriptum est: Quia non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei: quæ autem inutiles sunt & uacuæ, dispergunt ut fumus ac nebulæ: quia sicut fumus oculis, sic iniquitas utentibus ea. Et rectè fumo iniquitas comparatur, quæ uelut quadam seculari caligine aciem mentis obducit. Et ideo dominus dicit: Cum intraueritis in terram in

Sapient. 4

1. Cor. 4

Exod. 13

Rom. 7

Deut. 8

Prouerb. 10

quam

quam induco uos, & cum manducare cœperitis de panibus terræ illius, offeretis oblationem separatam domino, primitias conspersionis uestræ, panem sicut oblationem de area, & sic auferetis primitias confusionũ uestrarũ, & dabitis domino. Confusio nos sumus, diuersorum elementorũ quadam cõmixtione compositi. Siquidem frigidum calido, & humidum sicco miscetur in nobis. Hæc cõspersio multas habet carnis illecebras, & plurimas delectationes, sed nõ sunt hi primitiui huius corporis sensus, quia ex anima & corpore constamus & spiritu. Hæc est conspersio principalis, in qua sanctificari nos
1. Thess. 5 Apostolus cupit, sicut ait: Ipse autem deus pater sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in die domini nostri Iesu Christi seruetur. Cuius conspersionis primitiæ spiritales sunt, hoc est inuentiones & generationes sensuum qui ex uigore animæ procedunt. Sed non omnes primitiui sensus, nisi qui malitiæ & improbitatis atq; omnis erroris exortes sunt. Sunt etiam necessariæ corporis delectationes, ut dormiendi, edendi, bibendi, deambulandi, & cæteri sensus huiusmodi, sed nõ in his primitiæ. Et ideo non in his, sed in illis domini sacramentũ, ubi castitas, pietas, ubi fides atq; deuotio. Cuius rei manifestum & euidens exemplum est oblatio patriarchæ Isaac, quem sacrificij modo obtulit pater nullius motu passionis inflexus humanæ, mundam offerens deo hostiam, uacuamq; formidinis, & corporeæ cupiditatis immunẽ, cum ipsa pietas patris deuotioni cederet immolantis.

Quæ uis sit primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitiæ, an sanctitate. Et quòd ante omnia fides nos debeat commendare deo. Quodq; ipsa cum operibus perfectis plenũ & perfectum sit sacrificium, sicut & ipse dominus docet, & uerba legis significant. Caput II

NVnc consideremus quæ sit uis primitiarum, & utrum tempore æstimentur primitię, an sanctitate, hoc est, utrum omnia primogenita sanctificationem habeant primitiarum. Primitiæ etenim fructuum sanctæ secundum legem, quia in his optimum festinæ fidei sacrificium est. sed fiunt sanctæ deuotione, non tẽpore: quas non prouentus sanctificat, sed deuotio. Denicq; ubi celer prouentus est, si deuotio moretur, offensa contrahitur. Non ergo omnia primogenita sancta, sed omnia quæ sancta sunt, sunt etiam primogenita. Denicq; Cain primogenitus, sed non sanctus. Sanctus quoq; Israel dei populus, sed non primus ætate, & tamen primogenitus appellatur,
Exod. 3 sicut scriptũ est in prophetis: Primogenitus meus Israel. Leui sanctus, sed non primogenitus. Nam tertius Lyæ filius legitur, & tamẽ Leuitæ primogeniti nuncupati, quibus ab
Num. 3 eo nomen est deriuatũ. Scriptũ est enim in Numeris: Ecce tuli Leuitas de medio filiorũ Israel pro omni primogenito qui aperit uuluam à filijs Israel, & erunt mei Leuitæ. Mihi enim omne primogenitum, in qua die percussi omne primogenitũ Aegypti, sanctificaui omne primogenitum Israel. Ergo Leuitæ primogeniti nuncupati, qui sanctificatione
Hcb. 12 utiq; cæteris filijs Israel antelati sunt. Qua ratione primogeniti sunt, audi Apostolum dicentem: Sed appropinquastis Sion monti, & ciuitate dei uiui Hierusalem quæ in cœlo est, & decem millibus lætantium angelorũ & ecclesiarum primitiuarũ, quæ scripta sunt in cœlo. Quatuor ordines fecit: montis Sion, ciuitatis Hierusalem, celebritatis angelorum, & ecclesiarum primitiuarũ. Tulit ergo dominus deus de medio populi Israel Leuitas, quia nõ humanarũ eos consortes uoluit esse curarũ, sed diuinæ religionis ministros. Et primogenitos sibi fecit qui uuluam aperiunt spiritalem: & ideo non errant ab utero naturæ, sicut diuersorum criminũ peccatores, sed destructis cultoribus eligũtur. Vnde non habent cum plebeia possessione consortium, nec in medio populi computantur,
Matth. 18 quia uerbum dei in medio sui possident, sicut scriptũ est in Euangelio: Vbi sunt duo uel
Ioan. 1 tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorũ. Et alibi: Medius uestrũ stat, quem uos nescitis. Hinc ergo cognoscimus quòd ante omnia fides nos commendare deo debeat. Cum fidem habuerimus, elaboremus ut opera nostra perfecta sint. Siquidẽ hoc plenũ est & perfectum sacrificium, sicut ipse dominus docet dicens de donis & datis tuis: Obseruabitis offerre mihi in diebus festis meis, nihil detrahẽtes, neq; despicientes, sed plena & integra & perfecta offerentes. Festus autem dies domini est, ubi perfectarum uirtutum gratia est. Quæ tunc perfectæ sunt, si solicitudinũ secularium, & corporalis illecebræ uictor animus deliniamenta uoluptatis excludat, liber à seculo, deo deditus,

ditus, nihilq; de tramite rectæ intentionis imminuens, nec affectus sui quoq; tempora nunc luxuriæ diuidens, nunc labori. Solus itaq; sapiens hanc celebrat solennitatem, nullus alius. Immunem enim mihi huiusmodi passionum animam reperire difficile est. Diuide ergo secundum rationem animæ principalia & obedientia, & tunc quid masculinum, quidue fœmineū sit deprehendes. Nulla enim sine labore uirtus, quia labor processus uirtutis est. Quod etiam legis ipsius uerba significant, quæ dicit: Omne quod aperit uuluam asinæ, mutabis oue. Immunda enim animalia lex à sacrificio separauit, & pro his ad uicem munda iussit offerri. Asinæ ergo partū, hoc est immundum, iubet mutari oue, quæ munda & apta sacrificio est. Hoc est secundum literam. Cæterùm si quis sensum spiritalis intelligentiæ altius persequatur, considerabit quòd asina laboriosum sit animal, ouis fructuosum. Fructu ergo dicit mutandum laborē, ut finis operis sui fructus sit. Vel certe hoc modo, omnem laborem tuum, omnem industriam puro & simplici commendabis affectu. Si autem non mutabis, inquit, redimes. Iubetur ergo secundum literam ut animal aliud pro immundo animali offeratur, aut precium, ne inter decimas fructuum, uel minus aliquid uel immundum uideatur offerri. Intellectus autem profundior liberandam animam tuam docet, ut desistat ab ijs quæ fructum non habēt. Qui enim redimit se, liberat & quodam exuit debito. Relinquenda sunt opera quæ uerum fructum bonosq; processus habere non possunt, qualia sunt ista mundana, quorum usus non potest esse diuturnus. In quibus ipse nudus & ueri uacuus effectus est: & quamuis summo quæsitus fuerit labore, animam nihil iuuat. Ea enim quæ seruitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus. Magna uidetur præliantium uictoria, triumphantium gloria, sed frequenter ipsos uidemus qui uicerint, rursus bellorum subiacere incertis, & transferri ad hostem euentu prælij, & eo ipso quo uictores ante fuerint, fieri miseriores. Opus est ergo ut opera tua ad deum dirigas, & eius tibi aspiret fauor. Athleta ipse qui suis non alienis decertat uiribus, quoties cōgreditur, dubios casus subire se credit. Et cum ad coronam peruenerit, intelliget citius hanc mundi gloriam tanquam coronæ ipsius folia marcescere. Gubernator cum in portus nauim duxerit, uix finem impositum labori putat, & statim quærit laboris exordium. Soluitur corpore anima, & post finem uitæ huius, adhuc tamen futuri iudicij ambiguo suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur. Vnde uotis & pura conscientia & spiritu charitatis adhæreamus deo nostro, & diuinum nobis conciliemus fauorem, precantes, ut secularibus curis tanquam ab immitibus & agrestibus dominis possimus absolui atq; exui, mundanoq; exire seruitio, in libertatem supernæ cognitionis, quæ uera & sola est libertas, uocati.

Exod. 13

De astructione legis præmemoratæ per exemplum de populo Hebræorū. Ac de mysterijs in lege recognoscendis ex uerbis domini in Euangelio laborantes ad se uocantis. Quomodo etiam inquinamenta delictorū nostrorum lauare. & quo precio crimina nostra redimere debeamus. De redemptoris quoq; nostri per Leuitem significati in nos misericordia, cum morali & ædificatiua affectus instructione. Caput III

E T ut præceptum legis exemplo astruamus, cum deprimerēt Aegyptij Iudæorum populum in operibus uarijs, & luto ac lapide, ingemuerunt filij Israel, & domini prouocauerunt in se misericordiam, & dixit ad Moysen: Ego exaudiui gemitum filiorum Israel, quomodo Aegyptij in seruitutem deprimunt eos, & memor factus sum testamenti mei. Vade, & dic filijs Israel: Ego dominus, & educam uos de potentia Aegyptiorum, & eruam uos de seruitute eorum, & liberabo uos in brachio excelso, & iudicio magno: & sumam uos mihi in plebem, & ero uester deus, & scietis quoniā ego sum dominus deus uester, qui educam uos de potentia Aegyptiorum, & inducam uos in terram in quam extendi manum meam. Ecce quomodo populus Hebræorū fructu mutauit laborem, ut qui luto operabatur, spe regni operaretur æterni. Et ideo dominus in Euangelio inanem populorū gentilium miseratus laborem, qui lateres construerent lutulentæ superstitioni, & uoluptati corporis dediti, solidū fidei murū ædificare nō possent, uelut ad quosdā asinæ fœtus locutus ait: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego uos reficiam. Tollite iugū meū super uos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,

Exod. 3

Matth. 11

corde,& inuenietis requiem animabus uestris. Qua uocatione plenius mihi uideor uer ba legis & mysteria recognoscere, quia asinam aut commutandam oue docuit, aut redi mendam pecunia: ut nō solum asinæ partum oue, hoc est mundis immunda mutemus, sed etiam redimamus. Quod uidetur exprimi, si prius sacrificio purificationis, & mysterio baptismatis delictorum nostrorum inquinamēta lauemus, crimina quoq; nostra bonis operibus, fideiq; precio, & miseratione redimamus. Precium nostrum sanguis est
1.Pet.1 Christi. Vnde & apostolus Petrus ait: Non auro uel argento redempti estis, sed precio-
1.Cor.7 so sanguine. Et Paulus dicit: Precio empti estis, nolite effici serui hominum. Vnde non
Marci 11 ociose in sancto miramur Euangelio quod pullum asinæ sederit dominus Iesus, quia po pulus gentilis cœpit esse Christi hostia, qui secundum legem habebatur immundus. Vn de & de Leuitis scriptum est, quòd sint redemptiones eorum, eo quòd & sanctitate uitæ suæ & oratione peccata plebis leuarent. In quibus figuralis agni præcessit mysterium: uerum uenturum Leuiten, qui proprij corporis passione tolleret peccatum mundi. Leuites significatur susceptus pro me, uel ipse mihi leuis. Ipse enim perfectæ uirtutis habet impertiendæ populo sanitatis indicium. Ipse ergo qui pro salute uniuersorum expectatus aduenit, pro me est utero editus uirginali, pro me oblatus, pro me gustauit mortem, pro me resurrexit. In quo omnium hominum suscepta est redemptio, assumpta est resurrectio. Ipse est uerus Leuites, ut nos Leuitas faceret adhærere deo, ipsi continuas preces fundere, de ipso salutem sperare, fugere terrena negocia, in dei possessione numerari, sicut scriptum est: Domine posside nos. Ea est enim sola possessio, quæ nullis obnoxia tempestatibus, perpetuæ gratiæ ferat fructus. Redemptor Leuites est, quia uir sapiens redemptio insipientis est. Qui tanquam medicus ægrum insipientis animum fouet, & quædam aspergit solidiora menti prudentiæ medicamina, imitatus illum medicum qui de cœlo uenit ut demonstraret hominibus prudentiæ uias, & sapientiæ semitas paruulis reuelaret. Videbat enim laborantes non posse sine remedio saluari, & ideo medicinam tribuebat ægris. Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicunq; perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset euadere. Christi autem manifesta in omnes prædicetur misericordia, eo quòd ij qui pereunt, sua pereant negligentia: qui autem saluantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui
1.Tim.2 omnes homines uult saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Deniq; & Sodoma
Gen.18 si habuisset quinquaginta iustos, non esset euersa: & si decem habuisset, esset redempta, eo quòd sermo remissionis peccatorum animam seruitute exuat, & disciplinæ plenitudo perfectæ mentem non sinat edaci libidinum uapore consumi. Plurimum tamen refert, & moralem ædificat affectum, si etiam numerum iustorum simpliciter accipiamus prodesse populorum saluti. Comprimit & resecat inuidiam, confundit improbitatem, uirtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudem quæ sibi prosit: atq; improbus quisque redemptorem suum dum suscipit, frequenter imitatur. Certe ueneratur, plerunq; etiam diligit. Ipse etiam si se alijs profuturum sciat, studijs augetur, eaq; gratia connectit populos, accumulat charitatem ciuium, urbium gloriam. Quàm beata ciuitas quæ plurimos iustos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atq; perpetuus eius status existimatur. Quàm gaudeo cum aliquos mites ac sapientes diu uiuere uideo, cum uirgines castas, uiduas graues aspicio longæuas, uelut quandam incanam ecclesiæ curiam prætendant ipso quodam uultu & specie grauitatis, quod reuereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipsis gaudeo, cum uiuendo multa subeant tædia seculi huius, sed quia prosunt pluribus. Similiter cum aliquis huiusmodi decidit, quamuis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuuenum muro senili. Deniq; perituræ urbis aut malorum imminentium uel futuræ labis hoc primum indicium est, si decidant uiri consultores, uel etiam grauiores fœminæ. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo urbs tota solidatur atq; augetur cœtu sapientium, uel obitu labefactatur: ita sermo grauis, & quidem senilis, plenus prudentiæ stabilire uniuscuiusq; animam, & confirmare mentem solet. Iam si accedat multarum lectionum usus, plurimorum præceptorum & consiliorum quidam senatus, uelut perpetuum urbis eius, quæ in singulorum est præcordijs, statum efficit.

Qua

Qua ratione Moyſes primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas appellauerit, ciuitatesq; Leuitarum redemptrices ſignificauerit. Cur etiam non ſit abſurdum quòd facinoroſi cohabitent pijs, & maculoſi ſacratis. Quodq; non abhorreat à uero, quòd Leuites in ſe manus inijciat, ut interficiat uoluptates ſui corporis. De duobus præterea principalibus in deo generibus uirtutum, uno quo remittit, alio quo uindicat: & quomodo cum impius occiditur, Chriſtus infundatur. Quodq; ſemper egreſſus malitiæ, uirtutis operetur ingreſſum, ſicut & ingreſſus malitiæ uirtutem excludit, ut Euangelicæ ueritatis exempla comprobant.

Caput IIII

1 Deo ergo primogenitos & redemptores cæterorum Leuitas Moyſes appellauit, quòd maturioris & utilis ſententiæ uiri, altero ſenectutē quandam animæ præferant, altero redemptionē conferant, Vnde & ciuitates Leuitarū redemptrices ſignificauit Moyſes: quia is qui confugit ad eam animā, in qua habitat Dei uerbū, quę urbis modo munita atq; uallata ſit, perpetuam libertatē acquirit ſibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarum erat pœnarū remiſſio, ut ſi quis ad eas confugeret, qui nō uoluntariam necē hominis admiſerat, nulli eum occidere liceret, intra urbes dumtaxat poſitū Leuitarum: ita quem peccati proprij pœnitet, quod aut imprudenter aut inuitus admiſit, ſi Leuitarū adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus qui dei mandata diſpenſant, recedendū non putet, lex ipſa ab omni eum cōmiſſi flagitij pœna ſupplicioq; liberat. Nec abſurdum putes quòd facinoroſi cohabitant pijs, maculoſi ſacratis. Opus enim habent purificari qui aliquo polluti ſunt delictorum contagio. Et quodammodo diuerſo genere cauſa concurrit. Sicut enim Leuites mundanis uoluptatibus abdicatus, exul eſt culpæ: ita ſanguinis reus, fugitiuus eſt patriæ. Sed hoc intereſt, quòd iſte neceſſitate ſuos deſerit propter metū legis, miniſter autē dei humanarū conſortijs renunciat paſſionum, & quadam carnalis illecebræ ſe abdicat neceſſitudine propter ſtudia uirtutis. Etiā illud nō abhorret à uero, quòd etiam iſte uelut quaſdam in ſe manus inijcit, ut interficiat uoluptates ſui corporis, & quendā ſuæ carnis operetur interitū. Interfecit nempe Moyſes Aegyptium, & fugax factus eſt de terra Aegypti, ut declinaret eius terræ tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Aegyptium hominē, niſi in ſe prius Aegyptium nequitiæ ſpiritalis interemiſſet, & abdicaſſet regalium luxum honorū, maius patrimonium æſtimans theſauris Aegypti opprobriū Chriſti. Quod ſtultis quidem uidetur opprobriū, nobis autem illud opprobrium dominicæ crucis uirtus dei eſt atq; ſapiētia. Accedit eo, quòd duo quędam in deo principalia ſunt genera uirtutū: unum quo remittit, aliud quo uindicat. Remittuntur peccata per dei uerbum, cuius Leuites interpres & quidam executor eſt: remittuntur etiam per officiū ſacerdotis, ſacrumq; miniſteriū, puniuntur quoque per homines, ſicut per iudices, qui poteſtate ad tempus utūtur, ſicut Apoſtolus docet, dicens: Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſtra eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt uindex in ira ei qui malum agit. Puniuntur peccata etiam per populos, ſicut legimus, quia ſæpe alienigenis dei iuſſu excitatis, propter diuinæ maieſtatis offenſam ſubiectus eſt populus Iudæorum. Nec is quidem qui inuitus aliquod fecerit homicidium, extra miniſterium eſt. Siquidem lex ait de eo: Quia deus dedit eum in manus eius. Manus ergo eius inſtrumenti modo diuinæ ultioni miniſteriū præbuerunt. Leuites igitur miniſter remiſſionis eſt. Percuſſor autem, qui tamen non ex diſpoſitione, ſed præter uoluntatem fecerit homicidium, diuinæ miniſter eſt ultionis. Illud quoq; ſpecta, quia cum interficitur impius, Chriſtus infunditur. Et ubi abominatio aboletur, ſanctificatio congregatur, quia dominus dixit: In ea die qua interfecero omne primogenitum Aegypti, ſanctificabo mihi omne primogenitum Iſrael. Quod nō ad unum diem afflictionis Aegypti referes, ſed ad omne tempus. Cum enim renūciatur improbitati, ſtatim aſciſcitur uirtus. Egreſſus enim malitiæ, uirtutis operatur ingreſſum: eodemq; ſtudio quo crimen excluditur, innocentia copulatur. Habes hoc in Euangelio, quia ubi Sathanas immiſit ſe in cor Iudæ, Chriſtus receſſit ab eo: momentoq; eo quo illum recepit, hunc amiſit. Denicq; ſic ſcriptū eſt: Et poſt buccellam introiuit in eum Sathanas. Dixit ergo illi Ieſus: Quod facis, fac celerius. Quid illud? Vt quia introierat in

Num. 35

Exod. 2

Hebr. 11
1. Cor. 1

Rom. 13

Num. 3

Ioan. 13

illum Sathanas, ipse abiret à Christo. Ejicitur itaq; & excluditur, eo quòd iam cum domino Iesu esse nō possit, quia cœperat esse cum diabolo. Nulla enim cōmunicatio Christi ad Belial. Vnde statim imperio expulsus abscessit, sicut legimus dicēte Euangelista: Qui cùm accepisset buccellam, exiuit continuo: Erat enim nox. Non solum exiuit, sed continuo, & nocte exijt. Nec mirū si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat. Verùm sicut ipse receptus à diabolo, exclusus à Christo est: ita Zachæus renuncians auaritię, Christum recepit. Meritoq; uidens studium eius quòd in arborem ascendisset, ut transeuntē Iesum uideret, dicit dominus: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua manere me oportet. Et descendit festinans, & excepit illum gaudens. Sed excipiendo Christum excluſit auaritiam, relegauit perfidiam, renunciauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus nisi ut uitia excludat, quia non cohabitat erroribus. Deinde de templo ejiciebat nummularios, quia ipse uolebat habitare. Vnde Zachęus hoc intelligens, quia Christum uetere suo sucipere affectu non poterat, superiora uitia exire suo iussit hospitio, ut Christus intraret. Merito igitur Pharisæis obmurmurātibus quòd dominus Iesus ad hominem peccatorē diuertisset manere, dixit ad dominū: Ecce dimidium bonorum meorum omnium do pauperibus: & si cui aliquid fraude abstuli, reddo quadruplum. In quo illis respondit qui dicebant peccatorem Christo hospitium nō debuisse præbere. Hoc est, iam non sum publicanus, non sum ille Zachæus, non prædo, non fraudator. Reddo quæ sustuli, reddo quæ auferre consueueram. Iam dono pauperibus quos ante nudabā, iam mea confero qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina postquam Christus intrauit. Discussa est omnis carnalium cæcitas passionum, ubi æternę uitæ lumen infusum est.

Ioan. 13

Luc. 19

Ioan. 2

De adipibus & pinguedine sacrificiorum & hostiarum. Caput V

Psal. 62
Ibid. 19

D Iximus de primogenitis, dicamus etiam de adipibus, de quibus satis docet Dauid dicens: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et suprà ait: Et holocaustum tuum pinguę fiat. hoc docens acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidum, & quodam pabulo fidei ac deuotionis, uerbiq; cœlestis uberiore alimonia saginatum est. Frequēter pingue opus dicimus quod spissum & operosum intelligi uelimus: & opima hostia prædicatur, quę non sit tenuis, non sit exilis. Vnde & sacrificium pingue recte nuncupamus, quod opimum cupimus declarare. Sed etiam illud documento est quod pingues uaccæ prophetica interpretatione annis fertilibus comparatæ sunt.

Gen. 41

Quid sibi uelit quod dominus ait: Si rectè offeras, non rectè autē diuidas, peccasti: quiesce. Et de quatuor generibus quibus sacrificia cōmendabantur, quorum si aliquid desit, sacrificium non probatur, cum pulcherrima istorum morali interpretatione.

Caput VI

Ibid. 4

N Vnc considerem⁹ quid sit quod ait dominus: Si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti, quiesce.] Quod indicium est, deum non muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu. Deniq; condemnati oblator muneris Cain, quia pro conscientia insynceræ oblationis intellexit deo sacrificium suum nō probatū, tristis est factus. Quando enim mens sibi recti est conscia, gratulatur, uel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio, cū alicuius uel studia uel opera à deo probantur. Tristitia igitur Cain, conscientiæ testimoniū, repulsæ indicium est. Et quamuis obtulit munus, tamē quia nō recte & iure diuisit, culpam incidit. Quatuor enim genera sunt quibus sacrificia cōmendabantur. Si aut noua nouorū essent, aut frixa, aut diuisa, aut cōtinua. Noua nouorū primo tempore anni, quæ specie in primogenitis fructibus æstimabantur: nunc autē reuelatum est eos significari, qui per baptismatis sacramēta renouantur. Hoc est enim uere sacrificium primitiuū, quando unusquisq; se offert hostiam, & à se incipit, ut postea munus suum possit offerre. Noua igitur fides renouatorū, ualida, pubescens, incrementū uirtutis acquirens, non remissa, non fessa, non senio quodam marcida, & uigore ignaua, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam uirenti germine sapientiæ, & iuuenili diuinæ cognitionis feruore pubescat. Habeat tamē succum doctrinæ ueteris. Sicut enim noui, ita & ueteris testamenti debet doctrina cōcurrere, quia scriptū est: Manducate uetera ueterum, & uetera à facie nouorū auferte. Cibus nobis sit cognitio

Leuit. 25

patriar-

patriarcharum.epuletur animus in prophetarũ oraculis:talis ſagina mens paſcatur interior.Sed illa non ſpecies agni ſit,ſed ueritas corporis Chriſti.Non umbra legis præſtringat oculos,ſed aperte dominicæ gratia paſſionis & ſplendor reſurrectionis aciem mentis illuminet.Si autem offeres ſacrificium de primitiuis ouibus,frixum in igne, frixũ pingue,offeres ſacrificium primitiuorũ,ſicut ſcriptum eſt,quod ſignificat fidem tuam uelut igni probatã eſſe debere,& ſancto feruere ſpiritu.Denicꝙ coxit lentẽ Iacob,& fratri primatus benedictionis eripuit, quos utiq; ſolida conſequeretur fides. Hic ergo robuſtus & uiuidus augebatur,ille autẽ qui cibũ ſitum coquere neſciebat,fatigatus atq; deficiens defluebat. Vtatur igitur uerbo domini ſicut igne uirtus animæ tuę. Vide uſtum Ioſeph, ſicut ſcriptũ eſt: Eloquium domini uſſit eum. Torreatur fides tua ſicut ſpicæ meſſium. Tunc enim maturitatẽ fructuum præferunt,cum eas primo ſolis proceſſu tẽpora æſtiua torruerint.Sermo igitur plurimus ſcripturarũ animam confirmat, & quodam ſpiritalis gratiæ colorat uapore.Rationabilia quoq; inuenta corroborat,diſſoluitq; omnẽ uim irrationabilium paſſionũ. Ideoq; Eſau laxatis uirtutis ſuæ nexibus diſſolutus eſt. Illi autẽ qui ſuccincti lumbos nõ crudum neq; coctũ aqua,ſed aſſum igni caput agni edere iubebãtur,ſicut habes in Exodo, forti ac fideli animo pedeſtri itinere maria transfretauerũt. In Euangelio quoq; aſſos piſces dominus Ieſus manducabat,ſicut ſcriptũ eſt:in quo plenitudo ſancti ſpiritus redundabat.Et fortaſſe ideo deficiebat Eſau,quia coctum in aqua deſiderabat cibũ, quem Iacob quaſi inhabilem ſibi donauit infirmo. Oblationẽ autem atq; orationẽ oportet non confuſam eſſe,ſed cõpetenti diuiſione diſtinctam. In omni enim confuſione melior eſt diſtinctio, multo magis in oratione atq; oblatione: quæ niſi certas diuiſiones habeat,fit obſcurior.Ideo hoſtiæ plerunq; membra lex diuidi iubet, & holocauſta offerri,ut ſine admixtione & operimento aquæ nudum ſacrificium ſit, eò q; nuda atq; omnibus exuta inuolucris debet fides noſtra feruere,ne uanis & fallacibus opinionibus induatur,ſed pura atq; ſyncera ſimplicitas mentis appareat: deinde in partes diuidatur congruas. Virtus enim genus eſt, quæ diuiditur in plurimas ſpecies. Sed principales quatuor ſunt: Prudentia,temperantia,fortitudo,iuſtitia. Redoleat igitur oratio tua prudentiam erga cognitionẽ dei,& ueritatẽ fidei, redoleat temperãtiam, quã etiam à coniugibus exigendam putauit Apoſtolus dicẽs: Nolite fraudare inuicẽ, niſi forte ex conſenſu ad tempus,ut uacetis orationi. Et lex caſtigatos ante heſternũ & nudiuſtertiũ diem ad ſacrificiũ accedere iubet.Fortitudinẽ teneat oratio,ut nullo interpoletur metu, nulla laſſitudine deficiat. Tunc enim debet eſſe intentio ad precandum robuſtior, cum urgemur aduerſis.Iuſtitiam cuſtodiat precatio, quam ſi tenuiſſet Iudas, nõ in peccatum facta eſſet eius oratio. Quando enim magis ab iniuſtis operibus ac prauis ſtudijs abſtinere debemus,q; tunc quando dei iuſtitiam deprecamur? Et ideo dominus,ut cordi nobis eſſet iuſtitia: Beati,inquit,qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam: ipſorum eſt enim regnum cœlorũ.Hæc enim defuit Iudæ.Nam ſi adfuiſſet, non tradidiſſet dominũ, non prodidiſſet magiſtrũ.Defuit ſacrificio etiam Cain iſtius,qui ſi tenuiſſet iuſtitiam,domino debuit primitiua munera non poſteriora deferre. Defuit itaq; ei diuiſio,ideoq; reſponſum ait: Si rectè offeras,non recte autẽ diuidas,peccaſti: quieſce. Vides quantũ ſit uitij. Vbi deeſt diuiſio,ibi totũ ſacrificium refutatur. Supereſt ut de cõtinua & iugi oratione dicamus, quod immorari nos & uacare orationi oportet. Pernoctabat dominus in oratione,nõ ut ſibimet prodeſſet,ſed ut nos doceret. Frequens enim oratio quandã operaẽ diſciplinã orandi,quia ipſe uſus docibiles dei facit,indocibiles negligẽtia. Bona igitur exercitatio. Denicꝙ corporis uirtus exercitatione augetur frequenti,at inexercitata minuitur & labit. Plurimi enim exercitij diſſuetudine etiam naturalem diſſoluere uirtutẽ. Similiter animæ fortitudo exercitationis aſſiduitate ſolidatur, ut labor ipſe diſcipli na ſit: nõ oneri futurus, ſed uſui. Hunc cibũ menti noſtræ deferamus,qui multa attritus meditatione ac politus,cor hominis ſicut illud cœleſte manna cõfirmet.Quod nõ ocioſe tritũ ac politum accipimus, eo q; cœleſtium ſcripturarũ alloquia diu terere ac polire debemus,toto animo & corde uerſantes, ut ſuccus ille ſpiritalis cibi in omnes ſe uenas animæ diffundat.Ergo ſi tanq; pubeſcens adoleſcat fides,quæ defectũ ſeneſcentis deuotionis ableget,& ſpiritu ferueat,& congrua diſtinctione teneatur menſura legitimæ diuiſionis,& aſſiduitas cõmendet gratiam:tunc fit illud pingue, & tanquam adipale pre-

Gen.25

Pſal.104

Exod.12

Lucæ 24

1.Cor.7

Matth.5

Lucæ 6

Psal. 22 cationis genus, de quo dicit scriptura: Impinguasti in oleo caput meũ. Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oues bene pastæ adipe nitent, ita Apostolico succo pasta fideliũ pinguescit oratio. Horũ si desit aliquid quæ suprà diximus, sacrificiũ non probatur. Ideoq; dictũ est ad Cain: Si recte offeras, non recte autẽ diuidas: peccasti. Namq; mundus ipse distincte legitur factus, cum esset ante incomposita pars eius, quia terra erat inuisibilis & incõposita. Nempe lux primũ facta est, & uocauit deus lucẽ, & separauit deus inter lucem & tenebras, & uocatæ sunt tenebræ nox. Et per ordinem singula q; facta sint legimus, cœlum, terra, ligna fructifera, animalia diuersa. Distributa aũt sunt leuiora superioribus, ut aer & ignis: & grauiora inferioribus, hoc est terra & aqua. Vtiq; simul omnia fieri iubere potuit deus, sed distinctionẽ seruare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negocijs, & maxime in uicissitudinibus gratiarũ. In quibus non satis est reddere quod acceperis, sed cõmendare quod reddas. Nam si quis debitũ soluat, & in referendo iniuriam faciat creditori, intolerabilius est utiq; quàm nõ reddidisse quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur, & affectus. Recte igitur Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, & indicium gratiarũ est: sed non recte diuisit, quia ante omnia deo debuit deferre primitias, ut à gratia inchoaret authoris. Etenim diuisionis hic ordo est, ut prima secundis, non primis secunda præcurrant: & cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur.

Quod quia Cain ordinẽ diuisionis non seruauit, dictum sit ei: Peccasti, quiesce.
Et quẽadmodũ deus omnia docuerit: & quid moraliter illud significet. Cap. VII

Ed quia Cain confundit hunc ordinẽ, dicitur ei: Peccasti, quiesce. Omnia docet deus. Primum ne pecces, ut in Adam monuit: secundo si peccaueris, quiescas, ut in Cain doceris. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum, nõ defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Et silendo corrigimur, contentione prolabimur. Sit saltem uerecundia, ubi nõ est absolutio. In-
Prouerb. 28 de illud: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Et iterũ ab ipso domino alibi dictũ
Esa. 43 legimus: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Quanta pudoris gratia, ut iustitiam teneat uerecundia, quam culpa reatus abstulerit. Ideo autem ait: Quiesce, quoniam non habes quod excuses. Culpæ ipsius ad te conuersio est. Nõ enim frater ei adijcitur, sed error adscribitur, cuius ipse sibi author est. In te, inquit, reuertitur crimen quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas tua, tu princeps es illius. Bene ait: Tu princeps es illius. Etenim impietas mater quædam est delictorum: & qui grauiora peccauerit, in cętera facile prolabitur. Quomodo enim potest ab humanis tẽperare qui diuina uiolauit, & hominibus bonus esse qui deum læsit? Atrociorem igitur scelerum reatum uitia reliqua sequuntur, quoniam quò flagitiosa propenderint, eò inclinant cætera. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, non imprudentem error attraxit, sed uoluntarius reus iudicio non lapsu fecisti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reum ipse conuincis.

Quomodo Cain admonitus ut quiesceret, auxerit insolentiam, & flagitium acerbauerit. Et quid sibi uelit quod ait: Eamus in campum. Caput VIII

Dmonitus igitur ut quiesceret, auget insolẽtiam, acerbat flagitium. Quid
Gen. 4 A igitur sibi uult quod ait, Eamus in campũ: nisi quia locus nudus gignentiũ eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi, nisi ubi fructus deesset? Tanquam præsagiens natura tanti sceleris loco germina denegauerat: quia nõ conueniebat, ut idem solum & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret. Merito ipse dicit: Eamus in campum. Non dicit, eamus in paradisum, ubi poma florent, non in aliquẽ cultum & fructiferũ locum. Ipsi parricidę indicant fructum se sceleris habere nõ posse, nec penes eos fructũ manere qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorũ benignitatem, ut iste Cain, qui uidetur ueritus, ne largior boni terra prouẽtus triste facinus impediret, & liberalitatis assuetudine genitalis qua facit sibi fœtus & fructus uarios germinascere, in hoc quoq; criminis apparatu uel muta specie sui fraternũ reuocaret affectum. Latrocidem refugit quasi criminis testem, lucẽ adulter erubescit, quasi adulterij conscium, parricida terrarum fœcunditatem fugit. Quomodo enim poterat communis partus uidere

consor-

consortia, qui consortem sui sanguinis trucidabat? Ioseph in lacum mittitur siccũ, Ammon intra domum occiditur. Iustum igitur natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurũ parricidium, muneris sui dote priuando: ut ex innocentis soli quadam damnatione ostẽderet futura supplicia noxiora. Propter scelus igitur hominum & ipsa elementa damnantur. Denicp Dauid montibus, in quibus Ionatas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optauit dicens: Montes qui estis in Gelboe, necp ros necp pluuia cadat super uos, montes mortis. Gen. 37 4. Reg. 1 Ibidem

Qua ratione interrogauerit deus Cain ubi esset frater suus, & de ipsius redargutione atcp condẽnatione, cum moralis intellectus explanatione. Cap. IX

N Vnc consideremus qua ratione interrogauit deus Cain ubi esset frater suus, quasi nescíret occisum. Sed quod ad scientiam dei spectat, negãtem arguit, & inficiãti quasi sciẽs respõdit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, quod autem ad rationẽ profundam attinet, peccantes admonet ad pœnitentiã. Confessio enim, pœnarũ compendium est. Inde in iudicijs secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quædam tangit iudicẽ miseratio confitentis. Est quædam in peccatis uerecundia, & pœnitentiæ portio, crimen fateri, nec deriuare culpam, sed recognoscere. Mitigat iudicẽ pudor reorũ, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te prouocare ad pœnitentiã deus, uult de se sperari indulgentiã, uult demonstrare tua confessione quod nõ sit author malitiæ. Nam qui peccatũ suum ad quandam referunt, ut gentiles asserũt, decreti aut operis sui necessitatẽ, diuina arguere uidentur, quasi ipsorũ uis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Ea uerò quæ ânobis sunt, excusationẽ non habent: quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto grauius peccato ipso, ad deũ referre quod feceris, & reatus tui inuidia transfundere in authorẽ non criminis, sed innocentiæ? Perpende autẽ parricidæ responsionem. Nescio inquit: Nunquid custos fratris mei ego sum? Etsi cõtumaciam prodat hic sermo, sonat tamen quia si bonũ fratrem considerasset, custos debuit esse pietatis. Quem enim magis quàm fratrẽ seruare debuerat? Sed quomodo germanitatis seruaret officiũ, qui necessitudinis nõ agnouisset affectum? Aut quomodo fieri posset, ut naturę obedientiã deferret, qui deo reuerentiam nõ exhiberet? Negat primũ quasi apud ignorantẽ, recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ, declinat iudicem quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatẽ non agnouit, qui nõ agnouit authorẽ? Et ideo doceris hac serie scripturarũ, fidem esse radicẽ uirtutũ omnium. Vnde & Apostolus ait: Quia fundamentum nostrũ Iesus Christus est: & quicquid supra hoc fundamentũ ædificaueris, hoc solũ ad operis tui fructum, & ad uirtutis proficere mercedem. Congrue igitur respondit dominus tam impudenter negãti dicens: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat. Hoc est, cur nescis ubi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos frater te latere nõ debuit. An quia parentes tui accusatores esse nõ possunt? Nolo enim ut ea necessitudo quæ est author salutis, fiat author periculi. In te solo leges suas natura amiserit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare nõ debent? Sed eo maior est condemnatio tua. Nã si chara necessitudinis nomina accusare nõ debent, multo magis non debent occidere. Sed si me testem abnuis, & refugis arbitrũ, uox sanguinis fratris tui testis est, quæ ad me clamat. Illa te maiore authoritate arguit, & si frater uiueret. Soli eratis: Quis eum potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidam probas. Potuit fratrem occidere, qui nõ parcit parentibus. Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat, nõ frater clamat. Hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne uideatur parricida. Non accusat uox ipsius, nõ anima eius, sed uox sanguinis accusat, quẽ ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, nõ frater accusat. Simul querela criminosa adimit. Non potest de alieno testimonio queri, qui crimẽ proprio facinore confitetur. Minor est sermo & factum. est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinẽ. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra. nõ dixit, de fratris clamat corpore, sed de terra clamat. Et si frater parcit, terra nõ parcit. Si frater tacet, terra cõdemnat. Ipsa est in te & testis & iudex. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet: Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, ut aperiret os suũ, & excíperet sanguinẽ fratris tui de manu tua. Et illa quidẽ Rom. 3 1. Cor. 3

aperuit os suum, quasi exceptura de fratribus uerba pietatis, nihil timens cum fratres uideret, quæ sciret ius germanitatis amoris incentiuum esse, non odij. Nam quomodo poterat parricidium suspectare, quę adhuc nō uiderat homicidium? Sed tu effudisti sanguinem, cuius dolens ipsa contagiū, Non augebit, inquit, uirtutē suam dare tibi. Quàm innocens ultio, ut quæ tam grauiter uiolata fuerit, satis habens nō prodesse, nō quærat nocere. Nō mediocre etiam dogma quod ait: Vox sanguinis fratris tui ad me clamat: quia deus iustos suos audit etiam mortuos, quoniam deo uiuunt. Et merito pro uiuentibus habentur, quia etiam si corporis gestauerint mortē, uitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorū splendore meritorū, luce quoq; fruuntur æterna. Iustorū ergo audit & sanguinē, auertit se autem à precibus impiorū, quoniam etiam si uideantur uiuere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnē suam sicut tumulum circunferentes, cui infœlicē infoderunt animā suam. Quid enim aliud est cę sepulta quæ intra humū uoluitur, & terrenæ auaritiæ cupiditatibus cæterisq; uitijs includitur, ut gratię cœlestis auram spirare nō possit? Huiusmodi peccator à terra maledictus est, quæ est infima & postrema pars mundi. Superius uticq; cœlū, & quæ in cœlo sunt, Sol, Luna, & stellæ, throni, dominationes, principatus, & potestates, Cherubim & Seraphim. Non est ergo dubium quod eum & superiora damnauerint quē inferiora damnauerūt. Nam quomodo absoluitur puræ illi cœlestiq; sententiæ, quē nec terræ potuerūt absoluere? Et ideo gemens & tremens iubetur esse super terram. Euidens generalisq; ratio, quia omni improbo mala assunt, & affutura sunt. Quæ assunt, tristitiam operantur: quæ futura, formidinē. Sed im-
Gen. 4 probum plus præsentia, cę futura solicitant. Vnde & Cain dixit ad deū: Maior causa mea est. Si derelinques me, hodie à facie tua abscondam me. Nihil enim grauius quam errantem à deo deseri, ut se reuocare nō possit. Mors peccatoris finē peccandi affert, uita aūt diuino gubernaculo destituta præcipitatur, & in grauiora prolabitur, ut si gregē pastor relinquens, incursent bestiæ: ita cum deus deserit hominē, ingruit diabolus. Graue est, præsertim insipientibus, non habere rectorem. Serpit malitia, uulnus augetur, ubi medicina defuerit. Absondit se autem qui uelare uult culpam, & tegere peccatū. Qui enim
Ioan. 3 male agit, odit lucem: & amat tenebras suorum, & latibula delictorum. Iustus autem nō abscondere à domino deo suo, sed ipse magis se offerre consueuit, dicēs: Ecce sum ego, qui non habet criminosam conscientiam quam timeat deprehendi. Merito ergo se ab-
Gen. 4 scondit male conscius, & ait: Omnis qui inuenerit me, occidet. Angustæ mentis homo præsentem mortem ueretur, perpetuam negligit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura uiolauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris qui hominē docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse cōmitti. Potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerunt posteri de parente.

Qua de causa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies uindictam exoluet. Et qua ratione signum super eum positum fuerit ne occideretur, cum pulchra morali interpretatione atq; instructione. Caput X

Ibidem N Vnc cōsideremus qua causa dixerit deus: Omnis qui occiderit Cain, septies uindictā exoluet. Et qua ratione signū super eum ponitur ne occidatur parricida, cum prospectū non fuerit, ne innocens occideret. Octauus est homo, habet rationabile quo præstet cæteris, habet & quinq; corporis sensus, habet etiam uocem, habet & generandi gratiam. Hæc septem nisi illo rationabili teganť, subiecta morti sunt, & ideo stultus in his habet omne periculū sui. Qui ergo rationabile illud amiserit, frustra de istorū sibi usu septem carnalium munerū blandietur. Dissoluuntur hæc omnia, nisi habenis quibusdam rationis adstricta sint. Mors itaq; rationis, mortē operatur irrationabilium passionū. Sed illud melius, quod septimus numerus quietis & remissionis est. Ergo qui alij nō pepercerit peccatori, & munus ei remissionis peccatorū inuiderit, ipse sibi spem remissionis eripiet, & erit in eo pari mensura uindicta de gratia. Quod autē signum posuit super Cain ne quis eum occideret, reflectere uoluit errantē, & beneficio suo inuitare ad correctionē. Ipsis enim nos facilius cōmittere solemus, quorum habemus gratiam. Nec tamen magna cōcedit, sed in eo ipso imprudentiam insipientis ulciscitur.

eiscitur. Qui cum esset perpetuis supplicijs obnoxius, non remitti sibi pœnã popoſcit, ſed uitam corporis huius obſeruandam putauit, in qua plus ærumnæ eſt q̃ uoluptatis. Mors enim una eſt in ſeceſſione animæ & corporis, & in fine iſtius uitæ: quę ſimul ut uenit, omnes corporis dolores auferre nõ augere conſueuit. Metus uerò qui hanc uitã uiuentibus frequenter ingruunt, mœſtitiæ, dolores, gemitus, diuerſiq̃ cruciatus grauitatum, & ægritudinũ uulnera plurimas etiam mortes generi humano inferũt, ut iſta mors remedium eſſe uideatur, nõ pœna. Non enim peremptoria eſt, per quã non adimitur uita, ſed ad meliora transfertur. Nam ſi nocentes moriunt, qui gradum à peccatis reuocare noluerint, uel inuiti: tamẽ finẽ non naturæ, ſed culpæ adipiſcunt, ne plura delinquãt, quibus uita fœnus eſt delictorũ. Si autẽ bonæ ſpei compotes ſunt, migrare magis q̃ deficere credendi ſunt. Inſeritur hoc loco dogma de incorruptione animæ, quod ipſa uera & beata uita ſit, quã unuſquiſq̃ bene conſcius uiuit multo purius ac beatius cum huius carnis anima noſtra depoſuerit inuolucrũ, & quodam carcere iſto fuerit abſoluta corporeo, in illum ſuperiorẽ reuolans locum, unde noſtris infuſa uiſceribus compaſſione corporis ingemuit, donec cõmiſſi gubernaculi munus impleret, ut carnis huius irrationabiles motus, rationabili ductu regeret & coerceret. Inde eſt quod poſtea prophetæ in captiuitatẽ cum populo Iudæorũ tranſierunt, ne reliqua plebs ſuorũ deſtituta præſidio, conſilioq̃ uiduata, grauiorẽ ſubiret ærumnam, ſed magis frequentibus cõmonita oraculis prophetarum, ad dominũ deum ſuum pio rediret affectu, ne aduerſis captiuitatis attrita, prorueret in perfidiæ peccatũ, ſalutiſq̃ perpetuæ remediũ deſperaret. Redarguuntur itaq̃ hoc in loco qui unicã hanc uitam putant eſſe quæ ſit in hoc ſeculo (Omnia plena lapſus, plena mœroris ſunt) & redarguuntur ſimplici ſerie geſtorũ. Ecce enim iuſtus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrẽs, immaturus adhuc æui ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatẽ, duxit uxorẽ, poſteritatẽ reliquit, urbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina. Non'ne in his aperte uox dei clamat: Erratis, qui putatis hic eſſe omnẽ uiuendi gratiam? Non intelligitis, nõ aduertitis ſenectutem hanc miſeriarũ eſſe ueteranam, proceſſionemq̃ ætatis, ærumnarũ ſtipendia, & Scyllæo quodam uſu circunſonari nos quotidianis naufragijs, tũdi fluctibus, in ſcopuloſis habitaculis degere, & in his delectari, ſicut illud nõ tam æternũ animal quàm immortale malum? Ergo & iſti Cain longæuitas indulta uindicta eſt, eo quòd uixit in metu, & prolixum ſpatium multo cucurrit & infructuoſo labore, qua pœna nihil grauius quàm ut quis ipſe ſibi maiorũ cauſa pœnarum ſit. Vide igitur quàm perpetua uita iuſtorum, & nulla ſit improborum. Iuſti ſanguis clamat, & mortui, uita autẽ peccatoris abſconditur. Tertium eſt, quoniã cum parricidium eſſet admiſſum, hoc eſt ſcelerum principatus: ubi peccatum obrepſit, ſtatim & lex diuinæ manſuetudinis prorogari debuit: ne ſi continuò uindicatũ eſſet in reum, homines quoq̃ in iudicando nullam patiẽtiam moderationemq̃ ſeruarent, ſed ſtatim reos ſupplicio darent. Diuinæ autem ſententiæ prouidentia huiuſmodi eſt, ut magnanimitatem & patientiã doceret iudices, ne quis præpropere raperetur ſtudio uindictæ, & ipſa deliberationis immaturitate puniret innoxium, aut pœnam acerbaret irati, nec tamẽ penitus inultum eſſe pateretur in eo qui nullam pœnitentiam ſceleris induiſſet. Repulit enim eum à facie ſua, & à parentibus abdicatum, ſeparatæ habitationis quodam relegauit exilio, eò quod ab humana manſuetudine tranſiſſet ad ſæuitiam beſtiarum. Verunta men homicidio noluit homicidam uindicari, qui mauult peccatoris correctionẽ quàm mortem. Vnde in Lamech ſeptuagieſſepties uindicatur, quia grauior culpa eius eſt, qui nec poſt damnationem ſe correxit alterius. Cain impetu quodam improuido ante peccauerat: Lamech utique quod in altero reprehenſum aduerterat, cauere debuerat. ſuo quippe iudici ſententia debebatur, ne quis paſſim reum eſſe feriendum putaret. Et ut ad myſterium uenias, non debuit interimere eum qui uſq̃ ad naturalem terminis ſuę, agendæ habebat ſpatium pœnitentiæ. Excuſare poſſet quod ſe redemiſſet uel ſera actione pœnitentiæ, niſi eum præmatura pœna rapuiſſet.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE NOE ET ARCA.

Quod dignum sit ut iustus Noe qui ad renouandum semen hominũ reseruatus fuit, ad imitationem omnium describatur, ut & nos requiescamus ab omni istius mundi solicitudine, operibusq; iniquitatis, ac terrenæ conuersationis cura. Caput I

De significationibus nominum trium filiorum Noe, & de instructione aciei ac munitionibus bonitatis naturæ, quæ nos ad huius mundi prælia generauit. Caput II

Quid significet quòd secuturo diluuio nõ solum Noe, sed & uniuersa generatio quàm maxime abũdauerit filiorum procreatione. Et quomodo beneficij gratiam sequi debet sobriæ disciplinæ censura. Qua etiam ratione spiritus sanctus hominibus detur, non autem permaneat. Caput III

Quod gigantibus qui fuerunt in terra ætate Noe, similes sint homines cultui carnis suæ studentes. Et qui dicantur filij dei. Et quo pacto deus dicatur irasci, aut moueri. Quẽadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud deum inuenerit. Caput IIII

Quomodo omnis terra dicatur fuisse corrupta, & tempus omnis hominis uenisse ante deum. Caput V

De ædificatione arcæ, & quemadmodum in ea descripta fuerit humani corporis figura. Quodq; nidi eiusdem, quibus singula corporis nostri membra significantur, bitumine intus & foris linienda sint, ne facile corrumpantur. Caput VI

De comparatione arcæ Noe ad arcam fœderis quo ad materiam ligni, glutini, & cõmotionis. Quomodo etiam longitudo & latitudo arcæ singulos humani corporis sensus denotent ad usum aliquem esse compositos. Cap. VII

Quid significet ostium ex aduerso in arca factum. Et quemadmodum qui retro erant, priores facti sint. Caput VIII

Quid sit quòd inferiora arcæ bicamerata & tricamerata esse debeant. Et quòd deus per arcæ figuram uoluerit nos edocere quemadmodum à diluuio intẽperantiæ tuti essemus per remedium electionis iusti. Caput IX

De tribus causis ob quas muta animantia, quæ peccandi sensum nõ habent, per diluuiũ subiecta sint pœnæ, cum altiori mystica quadam interpretatione. Caput X

Quod absumptis omnibus terrenis diluuio, solus iustus se & domum suam seruet. Et q̃ pulchre iuxta mysticam interpretationem dominus ad Noe dixerit: Quia uidi te iustum in generatione ista. Caput XI

Qua ratione de iumentis mundis septem & septem, masculus & fœmina iubeantur in arcam induci, de immundis autẽ duo & duo, secundum naturalem atq; moralem expositionem. Caput XII

Qua de causa postquam ingressus est Noe in arcam, post septem dies diluuium factum fuerit. Quare etiam cum satis fuisset quadraginta diebus dixisse diluuium fuisse, adiecerit & quadraginta noctibus. Et qua ratione quadraginta diebus durauerit. Quid præterea sibi uelit quod inquit dominus: Et delebo omnem resurrectionem carnis à facie terræ. Quid postremo quòd dicitur, & fecit omnia Noe quę mandauit ei dominus deus. Caput XIII

Qualiter sit considerandũ quòd sexcentesimo anno Noe, uicesima & septima mensis factum sit diluuium. Et quemadmodum omnes fontes rupti dicantur, ac cataractæ cœli apertæ, tam secundum literalem, quàm etiam altiorem intellectum. Cap. XIIII

Cur dominus à foris arcam clausisse dicatur: Et quomodo exundante aqua arca ferebatur super flumina aquarum, quę quindecim cubitis super montes excelsos eminebat, iuxta literalem & allegoricam interpretationem. Caput XV

De euidenti explanatione & allegoria eius quod scribitur: Deleuit deus omne quod erat super faciem terræ. Quare etiam scriptura dicat: Memor fuit dominus Noe, & bestiarum, & iumentorum, & non fecerit mentionem de mitioribus quę post hominem sunt, sed fortioribus. Qualisq; fuerit spiritus quem induxit dominus super terram ut cessarent aquæ. Caput XVI

Quid sit quod ait scriptura: Clausi sunt fontes aquarum, & cataractæ cœli. Et de comprehensione loci illius ubi dicitur: Et sedit arca septimo mense septima & uicesima mensis.

menſis. Et quid ſit oſtium arcæ quod iuſtus aperuit ut emitteret coruum non reuerſurum. Caput XVII

Quid ſibi portendat, quòd poſt coruum nõ reuerſum columba dimiſſa dicitur, quodq; Noe extendens manũ ſuſceperit eam, & ad ſe introduxerit. Quodq; ſeptem aliis diebus tenuerit columbam, & iterum eam emiſerit. Caput XVIII

Cur columba dicatur ad ueſperum eſſe regreſſa cum ramo oliuæ in ore: Et unde cognouerit Noe aquas defeciſſe. Et de columba tertiò poſt dies ſeptem emiſſa, quæ tamen non regrediebatur. Caput XIX

Quid ſibi uelit illa adiectio, quod ſcriptura alia die aquam minutam, alia ſiccatã terram commemorat. Quomodo etiam Noe tectum arcæ denudauerit. Et quod ait primum menſem uel ſecundum. Caput XX

Quare Noe non ſua ſponte exiuerit arcam, ſed expectauerit oraculum diuinum, quo ſibi dicebatur: Exi de arca, tu, & uxor tua, & filij tui. Et quare in ingreſſu, ordinis delectus fuerit habitus, ut primo ipſe & filij, deinde uxores ingrederentur, in egreſſu autem id commutatum, ut fœminæ cum uiris exirent. Caput XXI

Qua ratione Noe circa arcam nihil fecerit, niſi iuſſus à domino, & tamen poſt egreſſum ab arca non monitus arã deo ædificauerit. Et quare dicatur deo, & non domino. Cur etiam ſumpſerit à beſtijs & uolatilibus mũdis ut offerret holocauſta. Quidq; ſit quod ait dominus: Recogitans non adijciam maledicere terræ. Caput XXII

De explanatione literali & morali eius quod dominus dixit: Semen & meſſis, hyems & æſtas, die & nocte non requieſcent. Caput XXIII

De prerogatiua poteſtatis hominibus in cetera animalia attributa per id quod dominus benedixit Noe & filijs eius dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Et quomodo intelligatur quod ſubditur: Omnia reptilia quæ ſunt uiua, ſint uobis in eſcam: cum tamen quædam reptilia ſint uenenata. Cap. XXIIII

An ſub his uerbis quibus ait dominus: Sicut olera pabuli dedi uobis omnia, oleribus magis quàm carnalibus epulis uti debeamus. Et quemadmodũ abſtinere debeamus à ſanguine, in quo eſt anima: Ac de diuerſis philoſophorũ opinionibus circa naturam animæ. Caput XXV

Quod per hoc quod ait: Etenim ueſtrum ſanguinem & animarum ueſtrarum exquiram de omnibus beſtijs, & de manu hominis fratris, detur intelligi hominem grauius peccare qui fratri inſidiatur. Et quis dicatur frater. Quare etiam dixerit: Ad imaginẽ dei fecit hominem, & nõ ad imaginem meam, cum reprobatione opinionis philoſophorum, qui negant deum habere curam ſuper homines. Caput XXVI

Quomodo intelligendum ſit quod inquit dominus: Non erit diluuium ut corrumpat omnem hominem. Et quod ſubdit: Arcum meum ponam in nube. Et qualis fuerit arcus ille. Caput XXVII

Qua ratione cum tres filios Noe, Sem, Cham, Iaphet, ſupra computauerit, hoc loco medij filij, id eſt Cham generationem prius comprehenderit. Et quomodo ille Chananæorum author fuerit. Caput XXVIII

Quomodo Noe egreſſus ab arca, factus ſit agricola. Et de differentia inter operatorem terræ, & agricolam. Quid etiam ſit quòd iuſtus primum uineam plantauerit, & non triticum aut hordeum. Et quid uelit quod ſubdit: Bibit de uino, & inebriatus eſt. Et de duplici ſpecie ebrietatis, & gemina nudatione ſapientis. Ac de operimentis animæ. Caput XXIX

Quare non ſimpliciter dixerit: Vidit Cham nudationẽ patris, ſed uidit Cham pater Chanaan. Et cur Cham nudatum patrem riſerit. Caput XXX

De euidenti pietatis affectu in bonis filijs Sem & Iaphet, qui nudatum amictu patrẽ uidere cauerunt. Et quomodo mens ſapiens retrorſum ambulet. Quid etiam ſignificet quòd ſomno recedente Noe ſobrius factus ſit à uino. Et quare ſcriptura Cham, quem primo medium inter filios poſuit, poſtea minorẽ appellauerit, dicens: Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior. Caput XXXI

De benedictione Sem filij, & quare Noe dominum & deum dixerit, & ſpecialiter deũ filij ſui Sem. Et qua ratione cum Cham peccauerit, non ipſum, ſed filium illius ſeruituti

tuti addixerit. Et de benedictione filij Iaphet, & multiplici dilatatione bonorum. Caput XXXII

Quid significet quod post diluuium Noe dicitur uixisse trecentis & quinquaginta annis. Et quod de generatione Iaphet Rhodus & aliæ insulæ sint nationū. Ca. XXXIII

Qua ratione Cham illius improbi filium seniorem scriptura fuisse memorauerit. Et quòd Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat uenator ante deum. Et de interpretatione nominis Nemroth. Quod quę idem principium fuerit regni Babylonis. Caput XXXIIII

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, LIBER DE NOE ET ARCA.

Quod dignum sit ut iustus Noe qui ad renouandum semen hominum reseruatus fuit, ad imitationem omnium describatur, ut & nos requiescamus ab omni istius mundi solicitudine, operibusq; iniquitatis, ac terrenæ conuersationis cura. Caput I

NOE sancti adorimur uitam, mores, gesta, altitudinem quoq; mentis explanare, si possumus. Nam dum ipsa prophetia dixerit nihil difficilius quàm hominis interiora comprehendere, quanto magis uiri iusti mentem cognoscere? Etenim quem dominus deus ad renouandum semen hominum reseruauit, ut esset iustitię seminarium, dignum est ut nos quoq; describamus eum ad imitationem omnium & requiescamus in eo ab omni istius mundi solicitudine, quā quotidie diuersis exagitationibus sustinemus. Pudet filijs superuiuere, tædet cum tot aduersa audiamus charissimorum, lucem hanc carpere, ipsarum ecclesiarum diuersos fluctus tempestatesq; uel præsentes subire uel animo recipere. Quis tam fortis ut patienter ferat? Et ideo nobis quoq; affectanda hæc requies fuit, ut dum Noe sanctum maiore intentione consideramus, reficiamus & nos, sicut omne genus in illo requieuit ab operibus suis, atq; tristitia. Vnde & Noe dicit, quod Latinè dicitur iustus, uel requies. Denicq; & parentes eius dixerunt: Quia hic faciet nos requiescere ab operibus, & à tristitia, & à terra cui maledixit dominus deus. Quod utiq; si ad ea quæ facta sunt, referendum putes: cum diluuium sub eo factū sit, nō requies hominibus, sed interitus uideatur illatus: nec remissio malorum, sed cumulus miseriarū. Verùm si iusti uiri mentem consideres, aduertes iustitiam solam esse quæ alijs potius nata est, quàm sibi: non quod utile sibi est quærat, sed quod omnibus. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis: hæc reuocat à tristitia: quia dum ea quæ iusta sunt, gerimus: nihil timemus puræ conscientiæ securitate, non dolemus graui dolore. Nihil est enim quod maioris doloris sit, q̄ culpæ reatus. Requiescamus etiam ab omni cura terrenæ conuersationis, quæ corpus nostrum atq; animum frequentibus uexat doloribus, uitamq; atterit.

Gen. 5

De significationibus nominum trium filiorum Noe, & de instructione aciei ac munitionibus bonitatis naturæ, quæ nos ad huius mundi prælia generauit. Cap. II

Gen. 5. & 6

VIc uerò tres filij nati, Sem, Cham, Iaphet. Quæ nomina significant bonum, & malum & indifferens: ut & naturæ gratia bonitatē habuisse, & malorum tentamenta ei nequaquam defuisse, & indifferentibus, hoc est uelut supellectili uirtutum abundasse uideatur. Qua ratione autē malum in medio posuerit, ratio euidens est, quia naturæ bonum omnibus ineſt: nec quasi naufragos in lucē proiecit: sed & suffulsit uiribus, ut nō opprimantur tentamentis malitiæ, nec tanquam inualidi succumbant, sed munit & uestit uelut quibusdam tegumentis indifferentibus, quę sunt salus, ualitudo bona, pulchritudo, impigritia, diuitię, generis claritudo, ut ea dote muniti tueant bonita-

bonitatem naturæ, & malum illud includant ne possit nocere, & quasi clausum strāgulent. Non ne cernimus uelut aciem quandam uirtutum ordinatam in prælium, ut inferiores in medio sint, dextra læuaq; uelut in cornibus ualidiores, per quos tota acies robur accipiat? Vnde & quidam poeta Græcus ait: κακὸς δ' ἐς μέσον ἔλασσεν, hoc est, malos autem in medium inseruit. Ita ergo & natura quasi bonus dux imperante deo, quæ nos ad huius mundi prælia generare nouerit, quæ bona habet, primo ordine constituit, quæ officiant secundo, quæ adiuuant tertio, ut tanquam in medio incluſus hostis, geminatis, quocunq; se contulerit, opprimatur uiribus, ne singulæ eorum uelut æquatis fatigentur prælijs, & euadendi de angustijs naturalibus, ac serpendi latius facultatem haberet. Sed quia ubi generantur, hic ordo est, ubi autem generant, Iaphet primo loco scribitur, tertio Cham: ideo ne cōtraria nos posterioribus dixisse quis arbitretur, etiam illius loci explananda ratio est. Bonum quidem, quod uelut in quadam naturæ nobilitate est, præcedit, malum autem sequitur. Sunt enim cogitationes mentis contrariæ, quæ utiq; oriuntur postea. Hæc quandiu uelut intus clausa sunt, nec tanquam in herbis germinant, quodam sinu bonæ mentis fouentur ne prodeant. Nam quandiu in uoluntate est malum, non in entelechia, hoc est in opere atq; effectu bonitas mentis gubernatoris uelut aurigæ modo cohibet uel refrenat malitiam tentantem prorumpere. Cùm uerò efferbuerit, atq; in ulcus eruperit, ne possit latius serpere, & finitima contaminare: tunc iusta succedit prouidentia, ne illud indifferens, quod secundum bonum dicunt, uelut loco cedat, cum iam feruenti malo non possit resistere. Itaq; ne latius fundat uirus noxium, & plurimas inficiat generando coruptiones: illud primū bonum, quod natura bonum est, dum locum mutat, ordinem mutat, ut quasi laboranti cornui opem ferat, & eam partem aciei suscipiat quæ plus laborat. Virtus enim bellatoris difficilioribus locis est necessaria: sicut etiam boni custodis præsentia ibi frequentior, ubi muri fragiliores. At ne qua pars sine defensore sit: dum illud bonum inclinatiora sustentat, tunc illud indifferens locū superiorem suscipit, uelut deputante sibi eam partem perfectiori bono. Nihil enim uirtute perfectius. Indifferentia autem non habent robur ualidæ uirtutis, sed eius augent & diffundunt gratiam. Vnde Iaphet dictus est, quod latitudo significatur Latine.

Quid significet quod secuturo diluuio nō solùm Noe, sed & uniuersa generatio quàm maxime abundauerit filiorum procreatione. Et quomodo beneficij gratiam sequi debet sobriæ disciplinæ censura. Qua etiam ratione spiritus sanctus hominibus detur, non autem permaneat. Caput III

N Ec solum sanctus Noe abundauit filiorum generatione, sed etiam uniuersa se effudit quàm maxime eo tempore generatio. Quod non ociosum uidetur. Secuturo enim diluuio non debuit æstimari defuisse gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluuia absorbuerunt: ut quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputetur gratię: quod diluuium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris auertimus dei misericordiam. Sic & in posterioribus inuenies quod secuturam Aegypti sterilitatē præcessit totidem annorū fœcunditas. Principale est enim uirtutis inchoare à beneficijs, & præseminare gratiam. Vnde & Dauid ait: Misericordiam & iudiciū cantabo tibi domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ. Diuinum est igitur, quòd bona præmittuntur, nostrum quòd mutantur. Ipse hoc declarat deus, dicens: Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt. Spiritus sanctus, spiritus sapientiæ est, spiritus cognitionis. Habet ergo sapientiam, habet & disciplinam: sicut & de Beseleel, qui sacrum tabernaculum diuino oraculo iussus est facere, ait scriptura: Quia repletus est spiritu prudentiæ & disciplinæ. Hic ergo spiritus datur hominibus, sed non permanet. Qua autem ratione non permanet, causa proditur, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia uoluptati obtemperat. Denicq; de solo domino Iesu scriptum est: Super quem uideris spiritum descendentem de cœlo, & manētem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. In eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabant, quo minus incorruptæ & impermixtæ ordinem disciplinæ teneret, cuius caro non uidit corruptionem.

Gen. 41
Psal. 100
Gen. 6
Exod. 31
Ioan. 1
Act. 2

Quod

Quod gigantibus, qui fuerunt in terra ætate Noe, similes sint homines cultui carnis suæ studentes. Et qui dicantur filij dei: & quo pacto deus dicatur irasci aut moueri. Quemadmodum etiam irrationabilibus propter hominis peccatum deletis, Noe tamen gratiam apud deum inuenerit. Caput IIII

Gen. 6 Igantes autem erant in terra in diebus illis.] Non poetarum more gigantes illos terræ filios uult uideri diuinæ scripturæ conditor, sed ex angelis & mulieribus generatos asserit, quos hoc appellat uocabulo, uolens eorum exprimere corporis magnitudinẽ. Et considerem us, ne forte gigantũ sint similes homines cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam curam habentes: sicut illi qui de terra secundũ poeticam fabulam orti, mole corporis sui freti feruntur habuisse contemptum superorũ. An dispares æstimandi sunt, qui cum ex anima constẽt & corpore, mentis uigori (quo nihil habet anima precio sius) auersantur, & se carnis huius imitatores uelut maternæ exhibent stoliditatis hæredes? Itaq; inuanũ laborant, cœlum uotis usurpantes superbis, & terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris, & cõtemptu superioris consortij, tanquã uoluntarij obnoxij peccatis grauiori condemnantur securitate. Plerunq; angelos filios dei uocat scriptura, quia ex nullo homine generantur animæ. Itaq; uiros fideles filios suos dici non est aspernatus deus. Sicut ergo uiri probabilis uitæ filij dei uocantur: ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis, scripturarum authoritate. Dicit enim Ioannes euangelista: Quia quotquot dominũ Iesum receperunt, dedit eis potestatem filios dei fieri, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Ideo posthea habes, quia iratus dominus est, quoniam quamuis cogitaret, hoc est sciret, quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse nõ possit (terra enim uelut quidam tentationũ locus est, caroq; corruptelæ illecebra) tamẽ cùm haberent mentem rationis capacem, uirtutemq; animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo reuocare se nollent. Neq; enim deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei noua succedat sententia, neq; irascitur quasi mutabilis: sed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorũ nostrorũ acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam: tanq; coussq; increuerit culpa, ut etiam deus, qui naturaliter nõ mouetur, aut ira, aut odio, aut passione ulla prouocatus uideatur ad iracundiam. Minitatus est præterea quod deleret

Gen. 6 hominẽ. Ab homine, inquit, usq; ad pecus, & à reptilibus usq; ad uolatilia delebo. Quid læserant irrationabilia? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo utiq; deleto propter quem facta sunt, consequens erat, ut etiam illa delerentur: quia nõ erat qui his uteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur, quia homo mens est, quæ est rationis capax. Homo enim definitur animal uiuũ, mortale, rationabile. principali igitur extincto, etiam sensus omnis extinguitur, eo quòd nihil reliqui ad salutẽ supersit, cùm salutis fundamentũ uirtus defecerit. Ad condemnationẽ autem cæterorum, & ad expressionem pietatis diuinę, dicitur Noe apud deum gratiam inuenisse. Simul ostenditur quòd hominem iustum nõ obumbret aliorũ offensio, quando ipse ad totius generis reseruatur seminariũ, qui non generationis nobilitate, sed iustitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim uiri genus, uirtutis prosapia est: quia sicut hominũ genus homines, ita animarum genus uirtutes sunt. Etenim familię hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore uirtutis.

Quomodo omnis terra dicatur fuisse corrupta, & tempus omnis hominis uenisse ante deum. Caput V

C Orrupta est autem terra coram deo, & impleta est, inquit, iniustitia.] Causa terrenæ corruptelæ manifestata est, eò quòd iniustitia hominum terram

Ibidem corruperit. Vnde & dominus deus ait: Tempus omnis hominis uenit ante me, quia impleta est terra iniquitatibus suis. Tempus quidem omniũ hominũ in conspectu dei, & in eius uoluntate est. Non enim (ut uulgo aiunt) fatale decretũ alligatur. Sed tamen spiritualiter hic dictũ puto, quia in Euangelio dominus redempturus hominũ genus passione sui corporis, & emundaturus sanguine suo, sacramentoq; baptismatis,

Ioan. 17 ait: Pater uenit hora, clarifica filiũ tuũ, ut & filius tuus clarificet te. Ergo quia in diluuio per arcã Noe seruatæ sunt reliquiæ generis humani ad seminariũ reparatiõis & renouationis

uationis futuræ, ideo præmisit hic: Tempus omnis hominis uenit, quia repleta est terra iniquitatibus suis. Hoc in figura. In ueritate autem ait: Reliquiæ per dilectionem gratiæ Rom. 11 & 5
salua factæ sunt. Ideoq; exclamat Apostolus dicens: Superabundauit peccatum, ut superabundaret gratia. Corrupit, inquit, omnis caro uiam suã. Carnem hic posuit pro ho- Genes. 6
mine terreno, in quo carnis illecebra uiam eius corruperit. Qui si intellexisset quod munus accepisset à Deo, non utiq; passus esset, ut caro obstaret animę uirtutibus. Itaq; caro causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ uelut origo & locus est quidam uoluptatis: ex qua uelut à fonte prorumpunt concupiscentiarum malarumq; passionum flumina, lateq; exundãt. Quibus demergitur animæ quoddam excusso gubernatore remigium, cum ipsa mens uelut quibusdã tempestatibus & procellis uicta, loco suo cedit. Pulchre autem ait: Quia homo uiã naturæ suæ corrupit. Nam uia sua in paradiso erat, in illo beatitudinum tramite, in illo uirtutum flore, in illa incorruptibili gratia, quã uiã terrenis inquinauit uestigijs. Alij habẽt: Viã ipsius, hoc est Dei. Hoc solet uerbo domini declarari.

De ædificatione arcæ, & quemadmodum in ea descripta fuerit humani corporis figura. Quodq; nidi eiusdem, quibus singula corporis nostri membra significantur, bitumine intus & foris linienda sint, ne facile corrumpantur. Caput VI

Sed iam de ipsa Noe arca dicendum: quam si quis uelit impensius considerare, inueniet in eius ædificatione descriptam humani figuram corporis. Quid est enim quod ait Deus: Fac tibi arcã de lignis quadratis? Quadra- Genes. 6
tum certe hoc appellamus, quod omnibus bene cõsistat partibus, & cõueniat sibi. Itaq; & Deus author nostri corporis, naturæq; fabricator adstruitur, & opus ipsum perfectũ esse ijs sermonibus significatur. Quadrata autem hominis membra esse euidens ratio, si cõsideres pectus hominis, cõsideres uentrem pari mensura longitudinis & latitudinis, nisi cum uoluptatibus & epulis uentre distento, mẽsura naturalis exceditur. Iam pedes & manus, brachia, fœmora, & crura quadripertita quis non ipso usu aduertat? Sunt autem pleraq; eorum, etsi non eiusdem lõgitudinis aut latitudinis, tamen quæ analogiam ita seruent, ut in ijs quoq; cõgrua mensura ratioq; concurrat: longitudo prolixior quàm latitudo sit, latitudo quàm altitudo. Et sicut ligni arcæ trina distantia est, siquidẽ trecentorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorũ altitudinem seruandã esse præscripsit: ita & in nostro corpore summa est, & media, & minima distantia. Summa secundum longitudinem, media secũdum latitudinem, minima secũdum altitudinem: totum tamen corpus attextum ex singulis membris, quadratum uidetur. Nam & in usu ita est, ut eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & ualidos robusti qualitate corporis æstimamus. Quid etiam sibi uult quod ait: Nidos facies in arca, nequaquam silendum uidetur. Naturaliter enim dictũ arbitror, eo quòd omne corpus nostrum attextũ est sicut nidus, ut spiritus uitalis omnes partes uiscerum penetret, atq; de principali nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidã sunt oculi nostri, quibus se uisus inseruit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit, & uelut in foueam altam deijcit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus maior cæteris, hiatus oris, in quo nutrit donec adolescat sapor: & unde uox euolat, in quo latet lingua, quæ uelut organum uocis sonos eius artifici suauitate modulatur. Et cũ sit ipsa irrationabilis, rationabilem uocem exprimit. Nidus est hemicraneũ. Nidus est membrana illa quæ cerebrũ fouet, & intra cohibet. Nidi sunt uiscera pulmonis & cordis. Spiritus quidem nostri, hoc est eius quem carpimus, & quo alimur in hac uita, nidus est pulmo: sanguinis autem & spiritus nidus est cor. Duo sunt enim eius uteri. Vnus quo sanguinem uelut quodam sinu suscipit, & transfundit in uenas: alter quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias iugi meatu. Ossa quoq; ualidiora nidos habẽt. Sunt enim intus cauata, in quibusdam foraminibus est medulla. In uisceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt. Et alia si quis cõsideret, etiam plures nidos inueniet in hac fabrica humani corporis. Vnde puto & illum in Psalmo non solum mystice, sed etiam naturaliter dixisse: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum ubi Psalm. 83
reponat pullos suos. Est enim iam in hoc corpore nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis cõcupiscentiæ. Sed ubi ante partus deformes nutriebat libido, ibi nunc decoræ castitatis adolescit hęreditas. Illinies, inquit, eam bitumine. Ex multis ossibus, ner- Genes. 6

uiſcq́, & cæteris alijs conſtat humanum corpus. Et foris igitur & intus apta cõpage connexum ſibi adhæret, & habitudine propria, quàm ἁφὼ Græci dicunt, tenetur, ut intus clauſus ſpiritus qui infunditur, uel ſpiritalis ſubſtantia quæ intus operatur, ueluti geminis conſtricta uinculis non euagetur: ſed ad unitatem aptam & cõtinentem connexionemq́ ualidam cohibetur. Ideo bitumine conſtringi arca iubetur: eſt enim bitumen uehementis ad conſtringendum naturæ. Vnde Græcè dicitur νάφθα, πρὸ τοῦ ζωάπτειν, quod diſiuncta connectat, nexuq́ conſtringat indiſſolubili, ita ut naturali unitate ſibi credas conuenire. Ob hanc cauſam intus & foris bitumine arca conſtringitur, ne connexio illa facile rumpatur.

De comparatione arcæ Noe ad arcam fœderis, quo ad materiam ligni, glutini, & cõmotionis. Quomodo etiam longitudo & altitudo arcæ ſingulos humani corporis ſenſus denotent ad uſum aliquem eſſe compoſitos. Caput VII

Exod. 25 A Libi autem, hoc eſt in Exodo, etiam deauratur foris & intus arca illa, quæ in ſanctis eſt mũdi intelligibilis imitatrix imago. Sicut enim precioſius aurum bitumine, ita illa quæ in ſanctis eſt arca, quàm iſta pręſtantior. Deniq́ hic ſimpliciter ligna poſuit, ibi autem ligna quidem, ſed imputribilia cõprehendit, declarans merita ſanctorum. Addidit etiam illic ſupportatoria immobilia eſſe, quod ſanctorum ſtatio ſtabilis & firma ſit: quia uitę probabilis tramitẽ uirtutis ductu ſecuti ſunt, corruptelæ declinantes cõſortia. Hæc autem arca, utpote in diluuio huc atq́ illuc motu impellebatur incerto, eo quòd peccatorũ ſtatus mobilis ſit, & uitæ eorũ quodã redundantium paſſionũ diluuio corruptioni obnoxię errore inconſtanti uagentur. Nec illud Geneſ. 6 prætereundũ, quòd cum dixiſſet: Et facies arcam trecentorum cubitorũ longitudine, & quinquaginta cubitorũ latitudine: & triginta cubitorum altitudine: addidit colligens: Facies arcam, & in cubito cõſummabis eam à ſummo: ut reliquo corpori menſuræ ſibi cõuenientis ad gratiam decorè quadret caput hominis, tanquã regale arcæ adiungeret: ex quo cũ ſenſus omnes ad cęteras partes corporis trãsfunderentur, tum maxime oculi, uelut ſpectatores & cuſtodes, naturæ appoſiti prouidentia, prope totũ orbis noſtri ſtatum deſuper contuerentur. Ipſaq́ mens illic locata ſecundum plurimorum ſententiã, & Eccl. 2 maximè Salomonis, qui ait: Oculi ſapientis in capite eius: quaſi in aula imperiali uirtutum conſiliũ ſibi contrahat, quo ſtipata comitatu & ipſa munitior ſit, & tanquã ex edito quodã tuendi totius corporis regnum impertiat, reſpõſa proferre, per quem poſſimus noſipſos non ſolum retro reſpicere, nec ſolũ quod ante pedes eſt uidere, ſed etiam cœli ipſius ſecreta profundo obtutu ſapientiæ ſpectare. Ibi igitur ſumma noſtræ ſalutis, ubi gratia. Inde cuſtodia, inde etiam pulchritudo corpori toto acquiritur, quæ primum in uultu uernat. Decet enim præſtantiorem eſſe aulæ regalis nitorem, in qua ſicut uſus maior, ita ſplendor eſt. Nanq́ ſi ſpectes, ſingula quę in hominis forma ad uſum aliquẽ compoſita uidentur, ut uiſus ad uidendum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad loquendum: ita uſus miniſtrant, ut præſtant decorem. Quàm deformes ſunt uultus cæcorum? Et quid mirum ſi uultus hominis abſq́ oculis deformis eſt, quando ipſum cœlũ ſine ſole non habet ſuum decorem? Triſtes ſine ſole dies ducimus, noctes ſine luna non placent. ipſi enim ſunt quidã mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina, & quædam eſt in cœlo ipſo cæcitatis deformitas. Pili ipſi qui orbem oculorũ prętexunt, & uelut quãdam aciem prętendunt, ne ſorde aliqua uel pulueris caligine pupilla lędatur: & ipſi excipiũt ſi quid fuerit illatum quod oculũ poſſit lædere: ſi lippitudine intercidant, dedecet: ſi palpebra cõtractior fuerit: ſi radantur ſupercilia, quæ præcioſorum monilium ſpecie uelut intexta gemmis refulgent. Aurium quoq́ ut neceſſarius uſus, ita decora ſpecies: quas ſi quis truncauerit, toto uultui infert deformitatem. In quibus ita laborauit os ſuum natura, ut ipſi anfractus cauernarum mira prudentia ſinuati, plurimum utilitatis afferant, ne repente feriat ſecreta capitis ſonus. Deniq́ ſæpe multos improuiſo clangore cõſternari uidemus, & attonitos, aut uocis alicuius, aut tumultus ſono expaueſcere. Sordes ipſæ quæ inter eoſdem gignuntur anfractus, uelut quodam glutino auditum ligant. Simul ſi uehementior pulſus fuerit alicuius ſonus, infringitur ac retardatur, ut prænunciatus potius mulceat, quàm improuiſus interna concutiat. Vermiculi quoq́ (ſi aurem penetrare tentauerint) quodam ſordium uiſco tenentur. Nares ſimæ contra naturam uidentur: iam ſi

iam ſi inciſæ fuerint, quomodo poteſt uita ſubſiſtere ſublato ſpirandi meatu? Quemadmodum pecudis magis facies, quàm uultus hominis ęſtimat. Capilli capitis quàm grato amictu caput ueſtiunt, uelut quidã aulæ regiæ ſtipatores, ne cerebrum aura lędat, aut imber feriat, aut ſol adurat. Quos ita tamen dedit natura, ut pro ſexu aut prolixiores placeant, aut reciſi, & pro ętate, aut plerunq; pro tẽporis & anni qualitate. In ſenibus grata canicies, in pueris prodigioſa: ęſtate delectat preſſius, hyeme indulgentius: mulieribus ornamento eſt coma, dedecori eſt uiris. Denicq; Apoſtolus euidentius expreſſit hoc dicens: Nã ipſa natura docet uos quod uir quidẽ ſi comã nutriat, ignominia eſt illi: mulier uero ſi capillos habeat, gloria eſt illi. Quid de ipſa regia loquar, per quã aulici ſermones prodeunt, quidã mentis noſtrę indices, animiq; internuncij? Quid de ipſo dentiũ ordine, qui cũ ſuo opere toti quidẽ corpori uires miniſtrẽt, tum etiã modulatores ſunt uocis ipſius? De quibus ſi quid ſic ceciderit, uox claudicat. Hæc de capite prolixius diximus, quia oportuit ſenſus omnes in ſummo locari, unde omnia per reliquas partes officia diuiderentur. Capiti autẽ noſtro à tergo ceruix proxima, dextera læuaq; brachia ſunt, quę arcem imperialem tanquã fida tuẽtur cuſtodia. Denicq; hæc in nobis ualidiora, quę propiora capiti, hæc præſtantiora. Pectus quoq; uelut quoddam ſacrarium ſapientiæ, & ſtomachus uelut quidam teſtis (ut medici aiunt) & conſcius ſecretorũ capitis, cõpaſſioniſq; conſors, cui ſua omnia uel ſalubria uel aduerſa transfundat. Latera, naticæ, fœmora, & crura, menſuræ latitudinem ipſa ſpecie ſignificant, pedumq; greſſus. Qui etſi exiliores uidentur, fiunt tamen latiores cum incedimus.

1.Corint.11

Quid ſignificet oſtium ex aduerſo in arca factum. Et quemadmodum qui retro erant, priores facti ſint. Caput VIII

Genes.6

p VIchre autem addidit: Oſtium ex aduerſo facies.] Eam partem declarans corporis, per quam cibos egerere conſueuimus: ut quæ putamus ignobiliora eſſe corporis, his honorem abundantiorẽ circundaret. Quod multo gratius ſcriptura expreſſit, quàm Socrates in libro Platonis dixiſſe legitur. Nam iſtud in Moyſi ſcriptis ſiue ipſe Socrates, ſiue Plato, qui in Aegypto fuit, potuerit uel legere, uel ab alijs percipere qui legerant: decoro motus inuento, oſtium ſibi apertum putauit, ut operatoris noſtri conſilium prædicaret, laudans, eo quòd id potiſſimum decori cõuenerit, ut ductus quoſdam uel exitus cuniculorum noſtrorũ à tergo auerteret, ne in purgationibus uentris conſpectus noſter offenderetur. At uero Apoſtolus: Quę uidentur, inquit, membra corporis infirmiora, neceſſaria ſunt: uno ac ſimplici uerbo deſcriptiones philoſophiæ ſupergreſſus: & quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem circũdamus: & quę inhoneſta ſunt noſtra, honeſtatem abũdantiorem habent. Sobrietatis enim noſtræ & temperantię indicium pręcipue illic cognoſcitur. Helluones enim aut diſtenduntur cruditate uſq; ad periculũ, aut plerunq; ſoluuntur uiſceribus exinanitis. Quod pulchre etiam ad eccleſiæ membra Apoſtolus retulit. Quæ enim inhoneſta ſunt noſtra ac ſuperflua, niſi luxuria, niſi laſciuia? Quibus ſi quis iuuentæ irretitus tempore, cum ad maturiorem ętatem proceſſerit, ueniat ad baptiſmũ, renunciet ſuperioribus, moreſq; priores exuat, peccata deponat, conſepeliatur cũ domino Ieſu Chriſto, crucifigatur ei mundus, & ipſe mundo: nonne is peccatorum remiſſione donatus, abundantiorem honeſtatem, quàm ille catechumenus, cuius uita innocentior, habere æſtimatur? Et ut Apoſtoli ipſius exemplo utamur, Iudęus erat, perſecutor erat: uocatus ad gratiam Chriſti, cœpit eſſe Apoſtolus. Et quia plus ei dimiſſum eſt, plus cœpit diligere, abundantius cæteris Apoſtolis laborare: uas electionis factus, doctor Gentium miſſus. Nonne etiam Apoſtolorum ipſorum plurimis uberiorem & honeſtiorem conſecutus eſt gloriã, qui ante & inhoneſtus & inglorioſus fuit, cũ perſequeretur eccleſiam Dei? Pauper iſte debilis, in eccleſia te redemit ſuis uotis. Et (ut maiora aperiamus myſteria) quid tam ignobile quàm gẽtilis populus? Pauper, utpote qui nulla haberet eloquia Dei, debilis & utroq; pede claudus, qui nec in legem, nec in Euangelium credidiſſet: uocatus tamen credidit ei, baptizatus accepit gratiã. Itaq; quia plus ei dimiſſum eſt, plus dilexit. Remanſit Iudæorũ populus, licet uno pede claudus: quanquã & in ipſa lege claudicet. Itaq; ille qui glorioſiſſimus habebat, amiſit omnia, mirabilem cõſiliarium, & prudentem architectũ, & ſapientem auditorem. Iſte qui immobilis erat,

1.Corint.12

Luc.7

adeptus omnia, fidei titulo, trophæo martyrũ, angelorum gloriatur consortio. Ergo Plato quod potuit, sermonis nitorem adhibuit: Apostolus autem qui habebat Dei spiritũ, reuelauit mysteriũ. Satis dictum est de ostio, quoniam qui retro erãt, priores facti sunt.

Quid sit quod inferiora arcæ bicamerata, & tricamerata esse debeant. Et quod Deus per arcæ figuram uoluerit nos edocere quemadmodum à diluuio intemperantiæ tuti essemus per remedium electionis iusti. Caput IX

NVnc illud quæramus, quid sit quod ait dominus: Inferiora arcæ bicamerata & tricamerata facies. Inferiora quidem dicendo, aduertimus quòd pulchre nos sentire uoluerit inferiori loco æstimanda ciborum receptacula, hoc est ea uiscera quæ acceptũ conficiunt cibum. Corruptibilis enim esca est. Quod aũt corruptibile, nõ superioribus sed inferioribus cõparandum, simul quia cibus deorsum fertur: cuius exigua portio uiribus corporis alimoniæq; proficit. Reliqua uero pars aluo purganda deducitur, quia intestina sunt per quæ descendunt ciborum superflua. Ita operator noster instituit, ut nõ extenta à stomacho ad imum, sed sinuata sint ac reflexa, quo uitæ nostræ usus propagaretur. Nam si extenderentur intestina hominis quę suscipiunt & deducunt cibum, statim sine ulla pertransiret mora: & necesse esset semper esurire nos, iugiter epulari: aut deficiente alimentorum substantia, deficere ilicò. Nunc autem in illa intestinorum reflexione ac sinuatione bipartita ac tripartita adhæret cibus, & descendẽdo paulatim uires ministrat, succum infundit corpori, tenet satietatem, differt edendi appetentiam: nec subita effusio, nec repentina euacuatio est, nec inexplebilis appetentia est, nec insatiabilis epulandi libido. Primũ ergo indigentia est, & fames. Deinde ex his sequitur edendi sine intermissione continuatio. Quid autem deformius, quàm semper uentri studere? Qui cũ repletur, uacuandus est: cum uacuatur, replendus. Tertium quid superat, nisi mors inter ipsos cibos epulasq; permixta? Quomodo enim poterant diutius uitam producere, simul edentes, & esurientes, bibentes sitientesq;: & prius quã replerentur, exinanientes omne quod sumpserant, statimq; esurientes? Nunc autem, dum paulatim descendit esca, famem & cruditatẽ naturalis temperat prouidentia. Primũ enim in stomacho, quem plericq; uentrem appellant superiorem, cibus conficitur: deinde coquitur in iecore, atq; eo digeritur uapore. Succus eius diuidit certis uiscerũm portionibus, ex quo omne corpus ualescit. Quod satis iuniorum incremẽta, senum testificatur perseuerãtia. Reliquum cibi in uentrem defluit, quem omnes uentrem appellamus sine adiectione. Plericq; dicũt uentrem inferiorem, ex quo fimus necesse est (qui plenus iam corruptionis descenderat) egeratur per illud ex trãsuerso ostium. Hęc cum ita naturali institutione ad Dei præceptionem cõposita uideantur, tamen si non edendi à nobis agendiq; modus seruetur, tanquã exuberantibus passionibus generatur diluuiũ, & quædam totius labes corporis. Intemperantia enim accendit libidinem, cruditatem generat, corruptelã creat. Itaq; aut duritia interna tenduntur & quatiuntur doloribus, aut incocto ciborum humore, & indigestionis asperitate interior quidam intestinorum amictus raditur: quia uelut chartæ specie geminus eorũ amictus asseritur. Vnus exterior, quem cõtinuum aiunt periti, uel qui curiosius scrutati sunt, à summo ad imũ directus: Alius interior, tanquã lateribus attextus: unde aiunt non totũ solui cum raditur. Nam si cõtinuus esset interior, immedicabilis eius scissura foret, illic per moram adiunctionum, adhærere ciborũ reliquias. Quę si adiunctiones soluantur, transire semesos cibos, & potus defluos, hoc est hominis diluuiũ. Vnde mihi uidetur per arcæ huius figurã uoluisse Deũ nos edocere, quemadmodũ ab hoc spiritali tuti simus diluuio. Corruptela enim diluuij causa est: ea ubi erepserit, aperiuntur aquæ, ebulliũt omnes fontes cupiditatum, ut totum corpus tanto & tam profundo uitiorũ fluuio mergatur. Nihil est enim quod tam misere seruituti subijciat hominem, quàm libido, atq; eiusmodi cupiditates quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miserã conscientiam, ut se nequeat attollere, utpote quæ libertatem innocentię amiserit. Maximum ergo in hoc diluuio est remedium, ut iustũm preferas, eumq; mandati cœlestis executorem elígas. Quis est iustus in nobis, nisi mẽtis uigor, qui intra istam arcam includat omne animantiũ genus, quod est super terrã? Cohibe ergo & tu omnes irrationabiles passiones tuas, omnesq; sensus tuos, menti subijce, animiq; imperijs assuesce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas,

exire

exire in uulgus libidinem: & per rationabilem mentem poteris etiã irrationabilia tua, & immunda peccata ab omni periculo diluuij liberare.

De tribus cauſis ob quas muta animantia, quę peccandi ſenſum non habent, per diluuium ſubiecta ſint pœnæ, cum altiori myſtica quadam interpretatione. Cap. X

O Mnia, inquit, quæ ſunt in terra, morientur. Quid itaq; muta deliquerant animãtia, quia ſubiecta ſunt pœnæ, quę peccandi ſenſum nõ habent? Sed quemadmodum in bello cum Imperator ab hoſte occiditur, cõmoritur eius exercitus, atq; omnis cõminuitur uirtus militaris: ſic non diſcrepare à iuſtitia uiſum eſt, cum interiret homo, cui regalem quandam dominus Deus in omne animantiũ genus poteſtatem dedit, ut omnibus uolatilibus, feris, beſtijs imperiali præeſſet authoritate, quòd etiã pecudes, & quęcunq; erant irrationabilia, cõmorerentur animalia. Deniq; ſi quando eſt peſtilentia, corrupto cœli tractu, prius ea quæ ſunt irrationabilia, lues dira contaminat, & maxime canes, equos, boues: atq; ea inficit, quæ cum hominibus conuerſari uidentur. Sic morbi uis genus humanum implicat. Hæc igitur prima cauſa, ut arbitror, iuſtæ aſſertionis. Secunda illa, quia nemo accuſat naturam cur reliqua corporis noſtri membra moriantur ſolo capite ſublato, cum multos uideamus amputatis manibus & pedibus ſuperuiuere. Sed non eadem cæterorum membrorum eſt prærogatiua, quæ capitis. Ideoq; abſciſſo eo, unde ſenſus noſtri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur etiam omnia membra: nec in eo, aut operatoris prouidentia deſeritur, aut ſubſtantia humana redarguitur. Similiter ergo nemo nũc arguat, quia caput & principale quoddam cæterorum animalium homo eſt: quo moriente non debet mirum uideri, ſi cætera moriantur animalia. Tertium illud eſt, quia rationis expertia nõ propter ſe, ſed propter hominem generata ſunt animalia: hominis enim cauſa, eſſe præcepta ſunt, ut eorum ſubiectione, humana præſtaret conditio. Deniq; gratiæ hominis attribuit Propheta dicens: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora cãpi, uolucres cœli, & piſces maris: quia propter ipſum illa omnia: alia propter utilitatem: alia delectationis gratia, alia uoluptatis. Conſequens ergo erat, ut cùm deleretur homo à facie terræ, propter quem facta ſunt, etiam ipſa pari delerentur occaſu. Hęc ſecũdum ſimplicem lectionis expoſitionem. Altior autem & profundior interpretatio illud attexit, quod ubi anima mole paſſionum curuatur graui, & quaſi diuerſarum cupiditatum mergitur æſtu, terrenæ omnes cogitationes & concupiſcentiæ in præceps ruunt: quia peccator unuſquiſq; quo grauiora flagitia cõmiſerit, eo fit inſolentior. Nanq; uſu atq; exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur audacia. Recedit itaq; ab omni reſpectu honeſtatis, & in eo terrena omnia moriũtur letalis peccati acerbitate, quę uera perpetua morte peccatorem deleat. Nemo enim grauius moritur, quàm qui peccato uiuit. Moriuntur in eo actiones ſingulæ, moritur uiſus, qui peccatũ annunciat: qui mulieri fallaci intẽdit: qui capit alieni uultus decore: quem oculi meretricis ligauerint: quem aſpectus illaqueauerit fornicariæ. An non uidetur mori, qui ſibi libidinis telum impreſſerit, qui ſpontaneus in foueã mortis irruerit? Moritur & auditus, cum infert crimina: cũ ſolicitantis adulteri ſermonem annũciat: cum inſerit animis uerba meretricis, quę ſeducit iuuenem multo blandimento ſermonis, laqueis autem labiorum ſuorum illigat eũ. Moritur ex ſilentio, ſi nõ confiteatur Deo. Moritur multiloquio, quia ſcriptum eſt: Ex multiloquio non effugies peccatũ. moritur per iracundiam, cum prætergreditur menſuram ultionis. Omnis nanq; poſtremo ſenſus moritur, ſi miniſter ſit iniquitatis. *Prouerb. 10*

Quod abſumptis omnibus terrenis diluuio, ſolus iuſtus ſe & domum ſuam ſeruet. Et quàm pulchre iuxta myſticam interpretationem dominus ad Noe dixerit: Quia uidi te iuſtum in generatione iſta. Caput XI

E T ideo quia terrena omnia moriuntur diluuio, ſolus autem iuſtus in æternum manet, ad ipſum dicitur: Statuã teſtamẽtum meum ad te: quia ipſe diuinæ eſt hæres gratiæ, ipſe cœleſtis poſſeſſor hęreditatis, beatiſſimorũ conſors bonorũ. Et homines quidem cum moriuntur, patrimonium ſuum teſtamento trãſcribere ſolent: nec cedit hæreditas donec uiuit teſtator. Deus autem cũ ſit ſempiternus, transfundit iuſtis diuinę hęreditatem ſubſtantię: & ipſe nõ indigens, donat ſua ſine ullo donationis diſpendio, quem nõ grauant ſuorũ conſortes bonorum, magiſq; fruitur eo, *Geneſ. 7* *Geneſ. 6* *Hebr. 8*

1. Corint. 8 quo nos utimur. Deniq; dominus Iesus pauper factus est, cũ diues esset, ut illius inopia ditaremur. Qui testamentum utrunq; suo cõsummauit sanguine, ut nos uitæ suæ cohæredes, & mortis faceret hæredes: quo & uitę haberemus cõsortium, & mortis beneficiũ. Multum autem tribuit iusto dicendo: Statuã testamentum meum ad te, eo quòd rationabilis ipse uir, sit testamentũ Dei. Ipse est enim hæreditas, ipse possessio, in quo uirtus diuini testamenti est, in quo fructus iudicij, in quo hæreditas promissionis, de quo Da-
Psalm. 126 uid dicit: Ecce hæreditas domini, filij merces, fructus uentris. Sed iam salua expositione
Genes. 7 profundioris mysterij, ad reliqua pergamus. Intra, inquit, tu, & omnis domus tua in arcam, quia te uidi iustũ in generatione ista. Manifeste fides propheticæ sentẽtiæ etiã hoc adstruitur loco: quia stultus sibi soli stultus est, sapiens autem sibi & plurimis sapit. Itaq; Noe iusti merito etiã domus eius in diluuio seruatur: sic in mari nauigantes, & in bello exercitus, si illis nõ desit gubernatoris peritia, istis imperatoris prudentia, à periculo tuti sunt aliena ope. Sed quia boni imperatoris bonus exercitus, ideo etiã laudem iusti in eo intelligimus nõ pręteriri, qui talem instituit domum suã, ut uirtutis fulgeret consortio. Meritoq; inuenit salutẽ cognatio: nec repugnat, quia postea aut filius aut uxor offendit. Dormiebat iustus, cũ erraret filius. Fœmina quoq;, utpote sexus fragilioris, mole periculi turbata, quę totũ orbẽ diuino incendio perire crederet, quid miraris si uirũ nõ potuit sequi, cũ ipse iustus ab angelis monitus uix euaserit? Quid autem mirũ si homini obrepit error, aut se relaxat intẽtio? Argue ergo quia & iustus inebriatus est. Sed hæc loco suo reseruanda arbitror: nunc quod superest, cõsideremus. Pulchre enim dixit: Quia uidi te iustũ in generatione ista. Multi hominibus iusti uidentur, pauci Deo: aliter homi-
1. Reg. 16 nibus, aliter Deo. Hominibus secundũ uitę speciem, Deo secundũ puritatẽ animi, uirtutis ueritatẽ. Homines quæ foris sunt probãt: Deus quę intus, examinat. Perpense autem addidit, In generatione ista, ut neq; superiores condemnaret, neq; posteriores excluderet, rectęq; diluuiũ factũ adstrueret interitu generationis eius, quæ nõ haberet cõsortiũ æquitatis. Hæc secundũ literã. Altior aũt sensus prouocat nos ut hoc putemus uigorem mentis in anima esse, & animã in corpore, quod paterfamilias in domo sua. Quod enim in anima mens, hoc anima in corpore. Si mens tuta est, tuta est domus, tuta est anima: si anima incolumis, incolumis caro. Mẽs enim sobria passiones omnes cohibet, sensus gubernat, sermonem regit. Ideoq; bene dicit dominus iusto: Intra tu, hoc est, intra teipsum, intra tuã mentem, in tuæ animę principale, ibi salus est, ibi gubernaculũ, foris diluuium, foris periculũ. Si autem intus fueris, & foris tutus es: quia ubi mens sui arbitra est, bonæ sunt cogitationes, bonæ sunt executiones. Si enim nihil uitij mentẽ obũbret, syncerę cogitationes sunt. Si studio sit castitas, cordi sit temperantia, nulla inardescit flãma libidinis, nulla ulcera proserpunt ægritudinis. Sobrietas enim mentis, medicina est corporis.

Qua ratione de iumentis mũdis septem & septem, masculus & fœmina iubeantur in arcam induci: de immundis autem duo & duo, secundum naturalem atq; moralem expositionem. Caput XII

Genes. 7 N Vnc considerabimus qua ratione induci in arcam iubet à iumentis mundis septem & septem, masculum & fœminã: ab immundis autem duo & duo, ut nutriatur semen in omnem terrã. Et, ut ego arbitror, inire mundam asserit hebdomadam, quia mundus & sacer septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur. Ideoq; uirgo dicitur, quia nihil ex se generat. Meritoq; tanquã materniexors, immunisq; partus muliebris copulæ, etsi hebdomas fœmineo nuncupetur no-
Exod. 34 mine, uirilis habet sanctificationis gratiã. Omnis enim masculus adaperiens uuluã, san-
Esaiæ 66 ctus domino uocabitur. Et in propheta habes: Effudit, & peperit masculum, id est sanctum. Secundus autem numerus non est plenus, quia diuisus. Quod autem non est plenum, uacuum habetur. Septimus autem numerus plenus, quia hebdomas ut decas: & similis illius primi, quia facta est ad similitudinem illius, qui est semper, à quo profluũt, & mouentur quæ sunt in omni genere uirtutes. Hæc naturalia. De moralibus autem ut dicamus, non est dubium quin rationabile animæ nostræ in quinq; sensus diuidatur, & uocem & generatoriũ, quę natura uidentur esse fœminea, quia sensus nostri in materialia & secularia cito repunt. Vnde claret eos mollioris naturæ habere substantiã. Sed erudito & industrio uiro munda omnia, quia sapientia exercitati uiri & uirtus, firmamentum his

tum his uirili transfundit iudicio. Ergo prudentis & propositum gubernantis est, infirmioris sexus qualitatem in fortiorem substantiam transferre. Valida enim sapientis & fixa sententia est: non mutabilis, ut stulti & insipientis, qui consilio nutat incerto: ut improbi, qui non quod uerũ & iustum sit eligit, sed quod sibi cõmodum uelit, scindit à uero, secernit à iusto. Iustitia enim singulare est bonum, per seipsam suo tãti spectatur precio. Iniquitas uerò uelut diuidua parit, nunc odio inflexa, nunc quęstu ea quæ sunt diuidenda confundit. Stultus enim ut luna mutatur: & uersicolor, aut humorum uarietate difformis, animam suam in leprosi corporis speciem turpi contagione cõmaculat, salubres cogitationes noxijs sępe permiscens. Sed fortasse quia munda & immunda induci in arcam præcepit carnis animantia, iure mouere possit, quia dixi honestis disceptationibus indecoras non esse miscendas. Nec ego abnuo irrationabilium quidem, mundorum tamen motuum aliqua esse semina & quasi principia in anima nostra, & eorum qui mundi non sint. Natura enim hominis contrariorum capax est, ut & malitię in ea sit uis, & uirtutis ingressus, meritoq; in principio libri huius, qui est Genesis, per arboris speciem in paradisi medio, legisti boni & mali scientiam. De quo ligno scientię boni & mali pręceptum est non esse gustandum, eo quòd mens nostra, in qua est cognitio & disciplina, boni & mali recipit notionem. Itaq; naturæ opifex, sicut ad propagãdum, uel etiã reparandum genus animantia reseruauit, ut uniuersæ terræ animantium semine replerentur: ita etiam corporis nostri terrenam substantiam uacuam non putauit passionum huiusmodi tanquam immundorum animalium relinquendam, quæ cum delicijs & luxurie tanquam uice diluuij ingurgitatur, memoratis fluctuat passionibus. Vbi autem sobrietate & continentia unusquisq; inundantium uacuauerit diluuium passionum, & quandam animæ retexit siccitatem, uiuificare incipit suum corpus, & animę puritatem, cui regnum sapientia est. Eccl. 27

Qua de causa postquam ingressus est Noe in arcam, post septem dies diluuium factum fuerit. Quare etiam cum satis fuisset dixisse diluuiũ fuisse quadraginta diebus, adiecerit, & quadraginta noctibus: & qua ratione quadraginta diebus durauerit. Quid pręterea sibi uelit quod inquit dominus: Et delebo omnem resurrectionem carnis à facie terræ. Quid postremo quod dicitur: Et fecit omnia Noe quæ mandauit ei dominus Deus. Caput XIII

I Llud quoq; studio est quærere, quæ causa est cur postquam ingressus est Noe in arcam, & induxit animantia, post septem dies diluuium factum sit. Genes. 7

Non enim ociosum uidetur quod haud plures aut pauciores interpositi sint dies, sed tot quot in constitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus, septimo die requieuit Deus ab operibus suis. Quo declarauit indicio, ipsum se esse authorem mundi, atq; diluuij. Mundum propter bonitatem suam condidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorũ. Admoniti sunt igitur homines uel ex numero dierum quibus mundus est conditus, quod conditorem suum nõ lachrymis solum & præcatione, sed correctione morum recõciliare debuerant. Ergo spatium dedit ad pœnitentiam dominus, magis uolens ignoscere, quàm punire, ut imminentis diluuij terrore suspensos, ad ueniam cogeret postulandam: quo dum periculum futuræ mortis horrescũt, impietati atq; iniustitię renunciarent. Secundũ est, ut hinc quoq; domini supra modum clementiam misericordis colligamus: quia multorum annorum offensionem à cõstitutione mundi, in finem usq; cõtractam, paucis diebus, si pœnituisset eos, uoluit relaxare. Est enim Deus peccati immemor, uirtutis remunerator, sicut ipse ait in propheta: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Cum enim aduerterit uerã animæ refusam esse uirtutem, tantum ei honoris attribuit, ut non solũ ueniam superiorum indulgeat peccatorũ, uerumetiã gratiã & iustificationes impertiat. Expectauit ergo & septimo die ipso quo ab operatione requieuit, ut si uenia posceretur, sequeret correctio, & ab indignatione requiesceret. Illud quoq; curæ fuit nõ prętermittere, eo quòd diluuiũ factũ dixerit quadraginta diebus, & addiderit, quadraginta noctibus. Scimus enim diẽ dici, quẽ sol terras illuminãs signat: noctem, quam circũfusæ tenebræ à diei claritate disterminãt: & plerunq; à nobis ita diem significari, ut noctem nõ cõprehendamus, plerunq; ut cõplectamur. Esaiæ 43

mur. Significantes enim mensem triginta dierum, significamus & noctes. Vnde cum satis fuisset Moysi dixisse diluuium fuisse quadraginta diebus, cur addiderit quadraginta noctibus, quæritur. Et aliqui ita acceperũt qui ante nos fuerũt, ut & uirorum & mulierum factus interitus demonstraretur: diem ad uirum referentes, qui sit purior, similis lucis: noctem ad mulierem, quæ uiro dormiente creata describitur, simul quia uir prior quasi author, qui uirtutem moueat mulieris, atq; in partus excitet: actu ille clarior publico, ista obscurior, tanquã domesticis clausa parietibus, & nocti proxima, secundo orta loco, & creationis suæ formata iam costæ uiri debens gratiam: superiori quoq; potioris obnoxia priuilegio, & pariendi usu materialibus cõparanda. Consonans in utroq; numerus periculi, quia peccata etiam consonantia: meritoq; nõ distant spatia temporum, quia non distant merita delictorũ. Non mediocriter etiam scrutantur plerique qua ratione quadraginta dies diluuium fuerit. Et possumus dicere materialem numerum tristioribus, hoc est delendæ creaturæ deputatũ: hebdomadã autem constitutioni totius mundi, hoc est lætioribus: Sed fortasse referatur, quid quod etiam lex quadraginta diebus lata est, tot dies obseruauit Moyses in monte Sina, & demoratus est, cum præscripta legis acciperet. Recte ergo eodem numero declinandorum peccatorũ præcepta tribuuntur, quo pœnæ culpa est persoluta, ut cognoscamus quod de eodem uitæ tẽpore debeat ex correctione laus cõparari, quo potest punienda culpa cõmitti. Vnde nunc iam nõ pœnæ præscripti sunt dies quadraginta, sed uitæ, ut hoc numero ieiuniis & orationibus crebrioribus nostrorum leuemus supplicia peccatorũ, atq; ad decreta legis intenti, deuotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaq; per domini resurrectionem quadragesimus dies iam non habetur nouissimus, sed primus: atq; inde uita numeratur, ubi ante mortis numerus ad cõsummationem mundi & humani generis excidium computabatur. Et delebo, inquit dominus, omnem resurrectionem carnis à facie terræ. O cœlestiũ pulchritudo uerborũ, si quis se decoro intellectu piæ mẽtis examinet. Indignatur Deus peccatis nostris, sed nõ obliuiscitur pietatis. Minatur supplicium, sed non permittit excidium. Moderatur uindictã, reuocat seueritatem. Deleturum se dicit omnem carnem, nõ à terra, sed à facie terrę. Florem decutit, radicem seruat: sinit ut in profundo substãtiæ uirtus maneat humanæ, quę in superficie laboret, intus passibilis perseueret, immunisq; noxæ ad eorum substitutionem qui non sunt reatu obnoxij, reseruetur. Pulchre autem posuit: Delebo, tanquam literarum apices, qui delentur sine fraude librorũ, & sine imminutione tabularum. Atramentum deletur: sed lignum manet. Delentur elementa, ut scribantur plerunq; meliora. Atramentũ tollitur, substantia non exterminatur. Delebo, inquit, corruptelã carnis ut scribam incorruptionem. Delebo resurrectionem carnis a facie terræ, ut scribam in cœlestibus resurgentes. Delebo de libro terræ, ut scribam in libro uitæ. Deleantur domine meus, domine deleantur cito elementa ferri, ut scribantur elementa Christi. Aboleatur resurrectio terrena, ut cœlestis gratia redũdet. Veni Moyses, præpara gremium, legem accipe, suscipe apices, quos iam misericordia diuina non deleat. Suscipe tabulas quas dominus statuat in æternum. Vtinam ipse non frangas. Et ipsas mihi mea culpa sustulerat, nisi dominus reddidisset. Iure quidem Moyses indignatus est, ne haberent diuina priuilegia, qui nõ deferrent obsequia. Sed puto quòd nõ mihi eas, sed Iudæis fregeris. Fregisti Iudęis, recepisti mihi. Fractę sunt priores, ut posteriores manerent. Fregisti eas in pectoribus Iudæorũ. Quid enim proderat ut tabulas tenerent, quarum scripta tenere non possent? Ecce secundas tabulas dicunt se tenere, sed nõ tenent. Dicunt se legere diuina elementa, sed non legunt. Digito Dei scriptas esse tabulas Moyses dicit: illi digitum Dei non legunt, ferrũ legunt. Atramentum uident, spiritũ Dei non uident. Sed ecclesia nescit atramentum, spiritũ nouit. Ideoq; Paulus nouit scribere, nõ atramento, sed spiritu Dei uiui. O sacrilegum ineptum populum Iudęorũ. Homo spiritu Dei scribit, & homo sub lege nutritus, & illi uolunt Deum atramento scripsisse, non spiritu. Ergo, ut ad superiora redeamus, delet Deus resurrectionẽ carnis, tanquam apicũ scriptionem: quo declaratur quod superfluam hominum natiuitatem propter impietatem eius deleuit specie literarũ: substantiã autem & cõuersationem generis seruare humani uoluit perpetuitate tabularũ, ut ex ea semen reliquũ pullularet. Cui sententiæ conuenire etiam illud uidetur quod ait: Delebo, inquit, omnem resurrectionem

Genes. 7

Deuter. 9

carnis

carnis. Resurrectioni autem cõmuni usu naturæ contraria uidetur esse purgatio, quia purgatione rescinditur & reprimitur resurrectionis luxuria. Omne tamen quod purgatur, speciem amittit: substantiam suã seruat, atq; meliorat. Repressit igitur dominus purgatione diluuij corporeum usum, conuersationemq; generationis eius quæ degenerauerat à decore naturæ, & accepti muneris uenustate. Hæc secundum literam. Quod autem ad altiorem pertinet sensum, diluuij species typus est purgationis animæ nostræ. Itaq; cum mens nostra se à corporalibus mundi huius illecebris, quibus ante delectabatur abluerit: bonis quoq; cogitationibus ueteris colluuiem cupiditatis absterget, tanquam purioribus absorbens aquis turbidorum prius amaritudinem fluentorum. Et fecit, inquit, omnia Noe quæ mandauit ei dominus Deus. Iustus mandata accipit, seruus imperia. Hic amici censetur loco, qui fecerit quecunq; exequenda susceperit: ille qui nutat obsequijs, oneri seruitutis addicitur. Deniq; & dominus Iesus dicit in Euãgelio: Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio uobis. Iam non dicam uos seruos. Mandatur ergo ut amico, mandatur ut ei qui ualida charitate, sobrio consilio ea quæ mandata sunt exequatur. Nec fefellit dominũ iudicium suum, impleuit iustus uniuersa, nõ partem, sed uniuersa quæ mãdata sunt ei: & ideo scripturæ diuinæ accepit testimonium. Nec superfluum putes, quia simul posuit Dominum & Deum. Nam & Deus in domino, & dominus in Deo, sed ut patris & filij intelligas cõmune præceptum. Aliqui tamen ante nos sic interpretati sunt, eo quòd Dominum & Deum dicendo hoc loco, & uindicaturi & ignoscituri geminam expresserit potestatem. Et quia hic uindicat prius in peccatores, ideo ante Dominum dixerit: quoniam uerò postea, ut iusti seminariũ propagaretur, indulget, ideo Deum postea nominauerit. Deniq; facturus mundũ, Deus dicitur. In principio fecit Deus cœlum & terram. Et dixit Deus: Fiat lux. *Genes. 1*

Qualiter sit considerandũ quòd sexcentesimo anno Noe, uicesima & septima mensis factum sit diluuiũ. Et quemadmodũ omnes fontes rupti dicant, ac cataractæ cœli apertę tam secundũ literalem, quàm etiã altiorẽ intellectũ. Caput XIIII

Et etiam illa non perfunctoria cõsideratio, quod sexcentesimo anno Noe, uicesima & septima mensis fit diluuiũ. Secundum mensem uerni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atq; animãtium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuium, quãdo dolor eorum maior foret qui in sua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior, tanquam dicentis Dei: Ecce omnia secundũ liberalitatis diuinæ prouidentiæ gratiam diues natura generauit, omnia in usum hominũ germinauit terra fœcundior, segetes spectantur, tritico & hordeo campi replentur, comę arborũ uenturi fructus floribus uestiuntur: nõ deest terra obsequijs suis, nõ bestiæ desunt muneribus suis, quæ solennes soluuntur in partus, ut homini nihil desit: homo solus partubus suis deest, nescit authorem suũ, à quo ei omnia ministrantur, negligit cõditorem. Despicit homo remuneratorem suum, cũ Deus opus suum nõ despexerit. Pereãt cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis diuitijs consumatur homo, cum sua dote moriatur. Nihil ante hominem terra deliquerat, nullis errauit in fructibus: in homine solo se degenerasse cognoscit, spinas & tribulos pro fructibus ferens. Quod solum munus admirabile est, principale mentis interijt. Cur igitur omnia illa seruantur? Ideo non post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis, quàm diluuium terra sentiret. Deniq; uerno apud Aegyptios tempore, sed mense diuerso, Nilus exundat, ut iaciendis seminibus terra mollescat, & blãdiore sinu, clementiore gremio semina missa suscipiãtur. Quod autem sexcentesimo Noe anno fit diluuium illud, uidetur ostendere quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus est par, & in authore & in reparatore seruatur, quia fons sexagesimi & sexcentesimi, sextus est numerus. Idem autem & primus & septimus mensis dicitur. Sed magis primum obseruare debemus, quòd post diluuium uerno tempore colendorum cura reparetur agrorum, & placidi atq; uberis soli incipiat fœtura procedere. Quo significatur nunquam Deum eo numero uel tempore interitum hominum fuisse facturum, quo fecit exordium, nisi immanibus delictis esset offensus. Simul ueniam temporis & numeri ratio promittit, quod etiam iratus admoneatur tam præcedentibus causis beneficiorum suorum, ut non penitus deleat eorum substantiam, quos ipse donauit. Et rupti sunt *Genes. 7* *Ioann. 15* *Genes. 7* *Ibidem*

omnes

omnes fontes abyſſi,& cataractę cœli apertę ſunt. Vim diluuij conuenienter ſcriptura expreſſit,dicens cœlum & terram pariter eſſe cõmota:è quibus elementis conſtat iſtius mundi omne principiũ. Vndicę ergo influentibus aquarum molibus concluſum genus hominũ purgetur.Hæc ſecundum literam. Quod autem ad altiorem pertinet ſenſum, cœli ſymbolo mens humana ſignificatur:terræ autẽ appellatione corpus & ſenſus.Magna igitur naufragia, quãdo mentis pariter & corporis ſenſuumcę omniũ turbo & procella miſcentur.Diligenter dicta penſemus. Plerunqę fraus mentis & dolus ſuum exercent uenenum:ſed tamen ſobrietas corporis & cõtinentia obumbrãt mentis improbitatem.Frequenter incerto fidei atqę opinionis ſuę mens lubrica eſt,ſed tamen caro delicijs & luxuriæ uacat,ut fragilitas errorem mentis excuſet:ſicut multi ſunt hæreticorum qui prætendere uolunt corporis continentiã,ut aſſertionis ſuæ fidem teſtimonio ſobrię carnis acquirãt:etſi ſenſu lubrici,tamen quo minus turpes,aliquanto excuſabiliores habentur.Cum autem uenena mentis,& cõtagia corporeę obſcœnitatis, ſenſum omnem uiroremcę confundunt, atqę animus incerto lubricus motu, malitiæ fœdus atramento, crudelitatis furore ſuccenſus,etiam corporalibus flagitijs incitatur, auarus quoqę affectus impatiens mediocrium facultatum,luxuriæ cupiditate,effundendicę libidine præcipitatur in facinus appetendæ ſalutis alienæ:tunc magnum eſt diluuium,omnibus pariter ingruentibus paſſionibus:tunc ſe inſipientia,iniuſtitia,temeritas,improbitas, perfidia,de ſuperiori parte tanquam cataractæ mentis uidentur effundere. Inde erumpunt de corporis fonte terreni libido,temulentia,luxuria, poſtremo diuerſorũ criminũ prolapſiones,quæ penitus & corporis robur & uigorem mentis effœminant.

Cur dominus à foris arcam clauſiſſe dicatur: Et quomodo exundãte aqua arca ferebatur ſuper flumina aquarum,quæ quindecim cubitis ſuper montes excelſos eminebant,iuxta literalem & allegoricam interpretationem. Caput XV

ET clauſit dominus à foris arcam.] Sermo manifeſtus eſt ſecundũ literam. Claudenda fuit arca,& tuto ſepienda munimine,ne eã uaga diluuij fluenta penetrarent.Altioris quoqę ſenſus non incongrua interpretatio, ſi corpus humanum (cui arca hæc quæ deſcribitur,figuratur) ſeptum corio, indicemus à frigore æſtucę defendi,quod artifex Deus ad omnium membrorũ protectionem naturalibus ueſtiuit exuuijs,& quodam circunfuſo induit operimento, ut neqę frigore congelaſcat,nec æſtiuo calore ſoluatur.Exundauit igitur aqua,& leuauit arcam, & ferebatur ſuper ſummũ aquarum.Non immerito exundauit aqua,quando cœli cataractæ apertæ ſunt,& de terra rupti ſunt fontes aquarũ & flumina. Quod magna emphaſi dictum eſt. Vbi enim eruptio,ibi irreuocabilis effuſio ſit neceſſe eſt. Nec retineri facilis ingentium prolapſio fluentorũ.Manifeſtum eſt igitur quod ſcriptũ eſt. Verum ſi altius ſpectãdum putes,caro noſtra diuerſis agitatur fluctibus,& freti modo fluctuat paſſionibus,quibus huc atqę illuc tanquã ſuper undas moleſtiarum ſuarum nunc fame,nunc ſiti, nunc cupiditate,nunc gaudio,nunc dolore iactatur. Illud quoqę non prætermittendum arbitror,
Geneſ.7 quia ſcriptura non præterijt,quãtis numero cubitis aqua ſuper terrã fuerit. Quindecim enim cubitis ſuper excelſos montes aquam fuiſſe dixit. Simplex itacę intellectus patet. Allegoria autẽ quincę ſenſus cõplectitur,qui ſunt in corpore noſtro uelut excelſi montes,qui hanc carnem paſſionũ obumbrant,& plerunqę incurſantur beſtijs, & exagitantur cõdenſa & opaca eorum. Vnde dominus per nationum credentium fidem ueniens
Cantic.4 ad eccleſiã ſuam,uenit à Libano,ſicut habent Cãtica canticorũ.Ita enim legimus: Ades huc à Libano ſponſa,ades huc à Libano. Tranſibis & pertrãſibis à principio fidei, à cubilibus leonum,& montibus pardorũ. quod gentiles populi,qui uelut beſtialium paſſionum graues patiebant incurſus,nũc altitudine fidei,& ſublimitate deuotionis meãt. Per hos igitur montes Chriſtus aduenit,cõprimens Euãgelicis diſputationibus feroces corporis motus,atqę illã altitudinem cordis,& ſe extollentem ſuperbiam obedientia & humilitate ſui deſtruens:meritoqę fructus mãſuetudinis ferre cœperunt,quos ante grauium diluuia paſſionũ ſubruebãt.De numero autem cubitorum ſic quidã ante nos eſtimauerunt,quòd quincę ſenſus triplicem collectionem habeant, eo quòd uiſus uiſibile uidet,& auditus audibile audit,& odoratus odorabile odoratur, & guſtus guſtabile guſtat,& tactus quod tãgendi ſubſtantię ſubiacet,tãgit.Ideo quincę ſenſus tripliciter eſtimati

mati sunt,uel secũdum illud:Scribe tibi tripliciter.Ego tamen cõmodius puto illud, ut sensus terreni hominis atq; animalis & spiritalis accipiam, quos illa diluuij fluenta trãscenderint.Merito mortua est omnis caro quę mouebatur. Quod & secundum literã liquet,& proprie ac naturaliter carnis corruptelã indicio procellosę cõmotionis expressit.Cõmotio enim uitiosa non est nisi per affectus corruptionem. Mouet enim uoluptates caro,& ipsa uoluptatibus cõmouetur.Talis autem cõmotio corruptelã creat. Causa autem corruptelæ,cõmotio istius mundi est, per quam anima uniuscuiusq; degenerat. Cùm enim uitiosæ passiones mentem mouent,corruptela generatur:cũ excitant studia uirtutũ,disciplinæ profectus est.Omnis igitur qui erat in arida, mortuus est. Nec enim poterant nõ mori quos tanti diluuij unda dimerserat. Hoc secũdum scriptum seriemq; uerborum.Cæterũ si allegoriam quæras,nõ dubium est quia exemplum ligni aridioris, quod simul ut lambere cœperit ignis exurit:ita anima nisi diuersarum humescat rore uirtutum,poculo quodã irrigata sapientiæ,& fonte iustitię atq; irriguo castitatis,tanquam arefacta radice uitali,cupiditatum deflagrata incendio, uel profluuio carnis illisa procumbit. Vnde semper epulari debet anima bonorũ operum cogitationes,ut prudentię succo inebriata pinguescat,quo nõ facile diluuij corporalis cedat iniuriæ, atq; arida incuriæ,siti euirata moriatur.Ideoq; nos admonet dominus à fonte sapientię non recedere,pocula uirtutis haurire,ne quis sole iniquitatis arescat, & procellã persecutionis sustinere non possit.Scriptum est enim:Quod si in humido hoc faciunt,in arido quid fiet? *Prouerb.22* *Genes.7* *Luc.23*

De euidẽti explanatione & allegoria eius quod scribitur: Deleuit Deus omne quod erat super faciem terræ. Quare etiam scriptura dicat: Memor fuit dominus Noe,& bestiarum,& iumentorũ: & non fecerit mentionem de mitioribus quæ post hominem sunt,sed ferocioribus.Qualisq; fuerit spiritus quem induxit dominus super terram ut cessarent aquæ. Caput XVI

D Eleuit,inquit,Deus omne quod erat super faciem terræ.] Scripti euidens explanatio.Allegoria autem expositam nobis declarat superbiam, quæ se extollit in hac terrena fragilicq; substantia,& immemor diuinorũ, humana despiciens,ipsum arrogantis uiri habitum incessumq; deformat: quales describit Esaias Iudææ filias oculorum micantes nutibus, & alta se ceruice iactantes. Sunt enim huiusmodi erigentes supercilia,inflato corde, elato pectore,ceruice resupina:qui solum quidem uestigijs pedum perstringant, toto autem se librent corpore, & inani suspendant examine:in priora gressu procedãt, ad posteriora uerticem reclinantes:cœlũ spectent, terram autem fastidiant,tanquam ceruicis dolore suffixi, ut eam inclinare non possint. Hos igitur deleuit de libro uitæ Deus dicẽs:Omnis qui se exaltat, humiliabitur:nec inter merita sanctorum cõmentis adhærere facit cœlestibus. Omnibus igitur qui extra arcam fuerunt interemptis,derelictus est Noe solus in arca cum ijs qui cũ ipso erant. Non indiget interpretatione sermo simplicior. Concurrit intellectus cum litera. Altior autem & interior significatio demonstrat iustum uirum amatoremq; sapientiæ,tanquã arborem fructuosam,internecatis quę escam eius solebant arrodere,comam obumbrare, coartare processus ramorum,uelut exortem irrationabilium passionum solum remansisse cum suis.Sui autem sunt,puræ animi disceptationes quæ uirtuti adhęreant.Et bene addidit in arca remansisse, quasi uix credibile amputatis corporalibus passionibus uideretur eum adhuc uersari in corpore:quod licet iam terrenis careret cõtagijs, incorruptam licet,corporis tamen adhuc substantiam reseruabat, & uelut incorporeus corpore superferebatur diluuio,non absorbebatur:corpus quidem gerens quasi in arce positus interno,sed qui corpus ipsum insuperabilis passionibus quasi incorporeus in medio tantorum motuum gubernaret.Memor fuit dominus Noe,& bestiarum,& iumentorum,ut inquit scriptura diuina.Mouentur pleriq;,qua causa nõ dixerit scriptor quod etiam uxoris & filiorũ Noe memor fuit dominus,cum bestiarum & iumentorum fuerit memor.Sed cum dixerit quod Noe memor fuerit,in authore & præsule domus, necessitates eius reliquas cõprehendit. Simul exprimi uidetur quidam reliquarum consensus necessitudinum.Etenim cum omnes inuicem sibi chari sunt,una est domus:cùm autem discrepant,separantur & scinduntur in plures domos. Vbi ergo charitas, ibi senioris nomine de quo pendent cæteri,domus omnis significat: ut si quis arborẽ dicat,utiq; *Esaiæ 3* *Luc.14* *Genes.7* *Genes.8*

comprehendit

comprehendit & ramos: si quis ramos nominet, etiã fructus qui in ea sunt, pariter uno atq; eodem sermone complectitur. Nec illud ociosum quod primo dixit, quia memor fuit Deus Noe, deinde bestiarum, postea iumentorum, hoc est, cur non animantia quæ mitiora sunt, post hominem nominauit, sed ferociora. In quo uidetur illa esse ratio, ut ea quæ ferociora erant, utriusq; partis uicinitate mãsuescerent. Quod uidetur etiam in illo
Iliad. δ uersu poetico declarari, Κακὸυς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν. Hinc enim etiam poeta usurpauit, ut dispositionem dimicaturi ita ordinaret exercitus, quo inferiores collocaret in medio, quo magis hincinde à fortioribus iuuarentur, & dimicationem utriusq; partis assumerent. In his scripti series manifestatur. Altiore autem sensu certum est quod iustus in medio habet, non in parte cogitationes cordis sui: & quoad carpit hanc uitam, habeat necesse est in corpore tãquam in illa arca bestias graues. Nulla enim mens est, nulla anima quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. Itaq; insipientis anima ferinos acuit motus, atq; adolet uenena serpentũ, sapientis autem uigor mitigat & coer
Genes. 8 cet. Et induxit dominus spiritum super terrã, & cessauit aqua.] Non puto hoc ita dictũ, ut spiritus nomine uentum accipiamus. Neq; enim uẽtus poterat siccare diluuiũ. Alioquin cum mare uentis exagitetur quotidie, exinaniretur profecto. Nam quomodo nõ euacuaretur mare uentorum ui, cui cessisset toto diffusum orbe diluuiũ, usq; ad Herculis, ut aiunt, columnas, & mare magnum tectis montiũ excelsorũ uerticibus exęstuans? Spiritus igitur uirtute inuisibili diluuium illud repressum esse non dubium est, cœlesti
Psalm. 103 operatione, non flatu. Vnde scriptum est: Omnia à te expectant, ut des illis cibũ in tempore: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auferes spiritũ eorum, & deficient, & in puluerem suum conuertentur. Emittes spiritum tuũ, & creabuntur, & renouabis faciem terrę. Est ergo spiritus cuius operationi cedere uniuersa uideantur, in
Psalm. 32 quo cœli ipsius uirtus sit, sicut scriptum est: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum: qui spiritus est creator uniuersorum, sicut etiam Iob di-
Iob 17 cit: Spiritus diuinus qui fecit me.

Quid sit quod ait scriptura: Clausi sunt fontes aquarum, & cataractę cœli. Et de comprehensione loci illius ubi dicitur: Et sedit arca septimo mense septima & uicesima mensis. Et quid sit ostium arcæ quod iustus aperuit ut emitteret coruum non reuersurum. Caput XVII

Genes. 8 Vnc consideremus quid sit quod ait scriptura diuina: Clausi sunt fontes aquarum, & cataractæ cœli.] Nec obscurum arbitror. His enim causis minuitur diluuiũ, quibus creuit. Erupti erant fontes aquarum, apertæ fuerãt cataractę cœli, ut undiq; influentibus aquis terra inundaret. Debuerãt claudi ea ex quibus diluuij origo manauit, ut eius inciperet esse defectus. Hoc litera sonat. Subtilior autem interpretatio exprimit, eo quòd diluuium animæ uitio mentis & luxuriæ corporalis influxerat, ut malitia passioni, passio malitię misceretur: ingrediente medico Dei uerbo ad uisitationem animæ quæ diutina ægritudine laborabat, disceptationum improbitate, & passionum acerbitate, prius debuerunt causæ ægritudinis amputari. Principiũ enim medicinæ est causas languoris incidere, ne diutius ea quę nocent, ad incremẽtum ægritudinis ministrentur. Quod nos etiam lex docet. Cũ enim steterit lepra, ut iam non diffundatur, tunc ait mundam esse lepræ stationem quandam & mansionem. Quicquid enim præter naturam mouetur, immundum est. Hæc igitur est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset erroris, sistatur culpa ne serpat. Cessante incentiuo culpæ atq; delicti, salus tuta est, atq; inoffensus uigor animæ se refundit. Et sedit, inquit, arca septimo mense, septima & uicesima mensis. Nisi diligenter intendas, etiam secundũ literam difficilis loci istius cõprehensio. Et primum omnium cauendum, ne quem septimi mensis repetitio crebra perturbet. Sic enim scriptum est, sexcentesimo anno, secundum
Genes. 8 Hebraicam ueritatem, mense uerò septimo, septima & uicesima mẽsis cœpisse diluuiũ, centum quinquaginta diebus fuisse infusionem aquarum, sedisse arcam in monte septimo mense, septima & uicesima mensis: postea minui cœpisse aquas misericordia Dei, centũ quinquaginta diebus deminutionem aquarum factam, postea apparuisse capita
Ibidem montium: deinde post quadraginta dies aperuisse ostium arcæ sanctum Noe, dimissum coruum nõ reuertisse, dimissam columbam reuertisse uacuã, iterum dimissam reuertisse

cum ramo

cum ramo oliuæ, tertio post septem dies dimissam non reuertisse, tunc aduertisse Noe quòd aqua omnis recessisset: ac sic annus conclusus ostenditur septimo mense, septima & uicesima mensis. Ac sic annus cõclusus ostenditur sexcentesimoprimo anno Noe, in secundo anno, septima & uicesima mensis. Quod igitur ad explanationem apertam pertinet, eodem mense atq; eodem die restituitur æqualitas terræ post diluuium, quo corrupta est, incipiente infusione diluuij. Veris enim tempore omnis ager uiret, & terra parturit fructus. Tunc incipiunt gemmare arbores, germinare fructus. Diuitem ergo reformauit dominus & restituit qualitatem. Mense igitur secundo, hoc est Aprili, (primus enim mensis Martius est, quo habet iustus natalem, quando noctium dierumq; æqualitas æstimatur) hoc est, octauo, ut Romani putant, uel ut alij quinto kal. April. mense inquam secundo, hoc est Aprili, septima & uicesima mensis cœpit diluuium. Ver igitur initium anni æstimatur, non secundum usum temporis, sed secundum naturę prærogatiuã, ut quia tunc spes anni inchoat, & incipit se fructus ostendere, tũc uideatur anni esse principium. Septimus autem mensis secundum numerum is qui September dicitur computatur: quia etsi à Septembri mense annus uideatur incipere, sicut indictionum præsentium usus ostendit, tunc enim seminum iactus: uere tamen ex quo plenior gratia se incipit demonstrare, ex eo anni origo subducitur: & ideo qui alia ratione primus putatur, diuersa æstimatione septimus habetur. Tunc ergo sedit arca, hoc est in mẽse septimo septima & uicesima mensis super montẽ quadrati. Ex illo minui diluuiũ cœpit. Similiter cõsidera quia eisdem numeris quibus aliqua incipiunt, resoluuntur: ut diluuiũ cœpit secundo mense anni, septima & uicesima mensis: centum quinquaginta diebus influxit diluuium, centum quinquaginta diebus alijs cessit diluuium: quadraginta diebus nimia uis cœlesti imbre & fontium eruptione exæstuauit, quadraginta diebus alijs exactis uisa sunt capita montium: undecimo mense, primo die mensis dimisit coruum sanctus Noe. ita constat eodem numero quo cumulatum est, diluuium esse imminutum. Vnde docet nos scriptura ordinem esse seruandum. Quod autẽ ostium sit arcæ quod aperuit iustus, secundum corporis rationem supra dictum est. Secundum altiorem autẽ interpretationem illud dicẽdum uidetur, quod corporis sensus uelut ostiorum similes habentur. Per hos enim tanquam per ostia ingreditur in nostram mentem uelut quædam sensibilium comprehensio. Ergo mens nostra per hos sensus respicere uidetur, & maxime per uisionem quæ omnibus sensibus præstabilior æstimatur, quia domestica est luminis: & per eã aspicientes cœlum, terrã, maria, solem quoq; lunam, & stellas, quibus axis ornatur, intelligimus deum esse operatorem mundi atq; rectorem, nec sine authore deo tantorumq; operum cõditore hæc potuisse fieri credimus, aut posse cõsistere. Per hãc igitur fenestrã coruum primum iustus emisit. Quærenda causa, nec tamen latet quantũ ad literã pertinet: quia plerisq; quasi annuncium futurorũ coruũ æstimant, & uoces eius obseruant, uolatusq; rimantur. Sensus autẽ altior significat, quod omnis iustus quando mundare se incipit: quæ tenebrosa sunt & immũda & temeraria, primo à se repellit. Siquidẽ omnis impudentia atq; culpa tenebrosa est, & mortuis pascitur sicut coruus. Lumini autẽ uicina uirtus, quæ mentis puritate & simplicitate resplendet. Et ideo tanquam emittitur & fugatur culpa, & separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in uiri iusti mẽte tenebrosum. Deniq; egressus coruus nõ reuertitur ad iustũ, quia fugitans culpa omnis æquitatis, nec probitati uidetur & iustitiæ cõuenire. Deniq; euasisse se credit iniustus tanquã de uinculis, cũ iustus ab eius se consortio separauerit, diluuij cuiusdã & corruptelæ familiaris, ut coruus, qui cum siccitatẽ terræ nusquã inuenerit, nõ reuersus est, sed remansit. Considerandũ etiã quare nõ regressum dixerit coruũ donec siccaret aqua à terra, quasi uerò postea sit regressus. Sed hæc locutio familiaris est scripturæ diuinæ. Siquidẽ & in Euangelio habes scriptũ de sancta Maria quod non cognouerit eam Ioseph donec peperit filiũ, cum utiq; nec postea cognouerit. Deinde quæ est locutio ista ut diceret, donec siccaret aqua à terra, nõ terra ab aqua? Et quidem usus loquendi etiã hoc habere consueuit. Tamen nonnulli ante nos æstimauerunt, eo quòd immoderata quædam uideatur uis expri mi passionum hac locutione uerborum, quia turbidis passionibus ac procellosis consumatur anima: deficientibus autẽ & uelut arescentibus uirtutẽ resumat. Nõ redit igit culpæ species in animã iusti, quasi sicca & mortuã derelinquẽs, & cui iam nocere nõ possit.

Genes. 8

Matth. 1

Quid ſibi portendat quòd poſt coruum non reuerſum columba demiſſa dicitur, quodq; Noe extendẽs manũ ſuſceperit eam, & ad ſe introduxerit. Quódque ſeptem alijs diebus tenuerit columbam, & iterum eam emiſerit. Cap. XVIII

Genes. 8 Ec illud uacuum, quòd poſtea columba dimittitur. Malitiam etenim ſimpli-
N citas, & culpam uirtus reſoluit. Malitia igitur amat diluuium, conſortium iuſtæ mentis refugit, & quaſi deſolata, & ſine aliqua ſtatione remanet, nullam habens cum uirtute communionem. Virtus autem redit, amans iuſtorum conſortia, & largiendæ familiarior utilitati, quæ conferat ſalutaria, & cauenda ea quæ ſunt nocitura cõmoneat: ſicut columba dimiſſa cum uideret ceſſaſſe aquam, reuerſa eſt tanquam plena iuſtitiæ, ut ei à quo miſſa fuerat, nunciaret quid adhuc cauere deberet, atq; expectando, fructu meliore poſtea potiretur. Quod autẽ columba non inueniens requiem ſuam regreditur ad eum, manifeſtũ indicium dedit per huiuſmodi aues, quantum interſit inter malitiam & uirtutem exprimi. Siquidem coruus ante dimiſſus, cum aliquanto uideretur amplius exundare diluuium, uiſus eſt locum inueniſſe reſidendi. Et certe non eſt huiuſmodi coruus ut aliæ aues quæ in aquis conuerſationẽ habere cõſuerunt. Cum ergo coruus ubi remaneret inueniſſe uideatur: columba autẽ non inuenerit, euidẽs ratio eſt altiore interpretatione ſignari, quia malitia inquietis paſſionibus & cupiditatibus, quibus corrumpitur anima, ſe miſcere conſueuit, & quaſi cognatis & domeſticis delectatur, ibiq; cõmorationem ſuã locat: uirtus autem prima ſtatim ſpecie uiſionis offenſa, regredi feſtinauit ad mentẽ animamq; iuſti, quòd illic diuerſorium ſibi tutiſſimũ ſit locatum: eò quòd alibi tanquam columba, ita huiuſmodi uirtus ſtationẽ tutiſſimã inuenire non poſſit. Tarde enim inter aſtutias iſtius mundi & ſecularium fluctus cupiditatũ portum ſolet inuenire ſimplicitas. Itaque ſicut iuſtitia uelut uiſendi gratia progreſſa pauliſper, ad mentẽ optimã redire feſtinat, nec longius diſcedit à iuſto: ita etiã iuſtus & ſtudioſus uirtutis ubi uirtutẽ appropinquare nouerit, gremiũ ſuæ mẽtis expãdit. Quid enim ſibi uult
Genes. 8 quod uir ſtudioſus uirtutis Noe extendẽs manũ ſuſcepit eam, & introduxit ad ſe? Quod & ſi ſecundũ literã planum uidetur: nõ tamen facile colligas, niſi uiri ſapientis tibi nota ſit cõſuetudo, qui uelut ſpeculatrice uirtute utitur, & ei explorandorũ negociorũ gerendorumq; prærogatiuã quandã uidetur cõmittere. Ea ergo uirtus expendit naturas, ut ſi qua earũ ſibi uidetur cõmittere profectũ, ei poſſit adiungere. Cõmunis enim quædã eſt bonitas ſapientię, & liberalis & largę utilitatis: ita ut quas morigeras ſibi cernit, aſſocieti: ubi autẽ propoſito ſuo uiderit aliquorũ recalcitrare naturã, uelut ad hoſpitiũ familiare ſibi reuolat & recurrit: quam ſapiens & induſtrius tanquã manu quadã mẽtis feſtinat excipere, omne cor aperiens ſuũ, quo etiã eam abſentẽ tenebat. Nunquã enim poteſt ſapiẽs exors eſſe propriæ uirtutis. Quid præterea ſibi uelit quòd tenuit ſeptem diebus alijs co-
Ibidem. lumbã, & iterũ emiſit eam, niſi ut aduertas quòd bonũ ſapiẽtis optimumq; propoſitum ſemper ſibi etiã alios adiungere ſtudet, errantes emendare, corrigere uagantes? Si quem in principio reſilire cõſpexerit, tamẽ cõmutandi eius & corrigendi non deſperet profectum. Sicut enim bonus medicus etſi tẽpus medicinæ nõ ſit, tamen uiſitationis ſpeculã ante præmittit, deinde nõ negligit iuſtæ expectationis excubias, & pauliſper paſſionibus cedens operitur facultatẽ medendi, quæ cum fuerit oblata, ſuũ non intermittit officium: ita ergo & ſapiens uerbis ac diſputationibus, tanquã medicus medicamẽtis cõtrarias curare deſiderat paſſiones. Et quia in omnibus remedio diuini fauoris utendũ eſt, ideo ſeptẽ expectauit dies, quibus mundus omnis deſcribitur abſolutus, & operatori requies miniſtrata, ut ex illo authore omnium ſumeretur diſciplina operationis humanæ.

Cur columba dicatur ad ueſperum eſſe regreſſa cum ramo oliuæ in ore. Et unde cognouerit Noe aquas defeciſſe. Et de columba tertiò poſt dies ſeptem emiſſa, quæ tamen non regrediebatur. Cap. XIX

Egreſſa eſt igitur columba ad ueſperum habens folium oleæ & ramum in o-
R re ſuo. Non ocioſe poſuit & ueſperum, & regreſſam, & habentem foliũ oleæ & ramum in ore ſuo, ut non fugitantem uirtutem arbitreris profectus futuri, ſi quos poſſit acquirere, neq; rurſus tanquam ſine lumine eam fuiſſe cognoſcas, & quibuſdam tenebris occultam, ſed diurno candore fulgentem expectaſſe uſq; ad occaſum diei, & ſic ad eum regreſſam, apud quem etiam ueſperi tenebras habere non poſſet. Fo-

lium

lium quoq; quod secum detulit, etsi breue illud foliũ detulisse uideatur, spem eorũ quos sui pœniteret erroris, etsi non magnam, aliquam tamen significauit. Foliũ enim sine uirgulto esse non poterat. Ergo quasi germinantis corruptionis, licet non magnũ aliquod tamen uexit insigne & folium oleæ, in qua arbore oliua generatur, ex qua oleum conficitur, quo materiale hoc lumen fouetur, & tenebrarum fugatur obscuritas. Quid autem magis quàm lumen familiare uirtuti est? Folium ergo & ramulus insigne est correptionis, correptio autem quasi radicem sui pœnitentiam habet, quæ pœnitentia non potest in turbidis, sed in ijs qui spiritalem iam sermonem acceperint, germinare. In ore quoq; non frustra ramulus oleæ uidetur esse delatus, eo quòd uirtus & sapientia in sermone sui habeat claritatem, & ipsa statim specie lumen eius effulgeat, maxime cum pacifica loquitur, quoniam hunc quoq; ramulum petentes præferre consueuerunt. Tulit ramulũ, eo quòd simplicitas puritate ac synceritate semina quædam auribus nostris utilitatis infundit, & bonæ doctrinam uirtutis & ad iustitiam prouocat, & inuitat ad præmium bonæ si bi commissum disciplinæ, aut gerendæ pœnitentiæ, & sequendæ conuersationis cupiditatem inijcit peccatori. Vnde & præterea cognouerit sanctus Noe quia defecerit aqua à terra, sicut scriptũ est, cõsiderandũ uidetur. Primo omniũ secundum literã, quia potuit intelligere utrũ siccum an humidum folium esset allatũ. Deinde quia non est huiusmodi columba, ut possit fructus latentes sub aqua eruere. Sed utrum illud folium ante diluuiũ fuerit exortum, an tempore diluuij, contuendum est tibi. Si ante diluuium, uir iustus gauisus est fructũ de ueteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, quæ fructũ demonstraret, cui nõ potuissent nocere diluuia. Si diluuij tempore natũ est folium, aduertit utiq; iustus noua semina misericordiæ fructificasse cœlestis, ut radices arborum uiuerent, & quasi resumpta anima fœtus germinarent uetustos, atq; in assuetos partus redirent, quorum indicium præmissa folia demõstrarẽt. Sed hoc alta potius interpretatione collegit, quia dominus deus noster quamuis acerbis iniquitatis nostræ offensus sit erroribus, tamẽ antiquæ nobis prosapię, patriæq; uirtutis semen aliquod uel exiguum reseruaret, ne penitus operis & creaturæ suę omne circa humanum genus amputaretur insigne. Vnde & Esaias ait: Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semem, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes essemus. in alterius nomine ciuitatis exprimens cæcitatis indicium, in alterius sterilitatem. Ita enim lingua patria Chaldæi nuncuparunt Sodomam & Gomorram, cæcitatem & sterilitatem significantes. Meritoq; dominus in huiusmodi specie ciuitatum amputauit magis humana uitia, quàm puniendos homines indicauit. Tertio dimittitur columba post septem dies, atq; eadem non regreditur. Vnde cõsideremus ne id quod supra diximus inueniatur esse contrariũ. Si uerbo quidem columba, opere autẽ uirtus non reuertitur ad iustum, ergo destitutus est iustus & defraudatus munere suo? Nequaquã. Nunquam enim uir huiusmodi à uirtute disiungitur, nec cum ex ore emittit iustitiam, disputationemq; alterius uirtutis inducit, uirtute se exuit, & imitãda alijs æquitate dispoliat, sed uice solis alios illuminat, cũ radios suæ lucis emittit. Ignis nẽpe calefacit appropinquantes, ita ut calorẽ naturæ suæ ipse possideat. Nunquid deficit lux diei cum totum mundũ illuminat claritate? Habet inoffensum cursum suum, illibatamq; naturã. Sic & ista in columbæ specie uirtus, cum adhuc ferueret diluuium, secundum auem tamen in terris, secundũ uirtutem in hominũ passionibus: reuertitur ad iustum, quia in iniquorũ pectoribus uirtus ut posset hærere, non potuerat inuenire. Et ideo in illo secundo diuersorio sui regrediens, hæret atq; requiescit. At uero ubi deferbuerint diluuia passionum, & auditi uerbi, compertæq; doctrinæ, plurimi studuerint esse consortes, iam non unius patrimonium, sed cõmune bonum esse incipit disciplina uirtutis, & tanquam sapientiæ poculũ hauritur à plurimis, qui ante sitientes bibere noluerunt: sicut nunc feruẽt diluuia in pectoribus ludæorum: & cum aqua cœlestis doctrinæ exundet, potusq; exuberet, non putant esse potandum. Euangeliũ legitur, uirtus exit de sermone cœlesti, tractat sacerdos in ecclesia. Sed ne forte intra arcam solus positus non possit audiri, interdum & egressus ecclesiam, ubi Iudæus occurrerit, monet, exemplum affert cœlestium scripturarũ. Claudunt aures, ne uel inuitos fons abluat, & uerbi dominici humor aspergat. Si qui uero crediderint, currunt ad fontẽ, doctrinã expetunt, insinuari sibi Euangelium concupiscunt,

Esa. 1

Genes. 8

nec satiantur assiduitate potandi. Ita fonte sapientiæ certatim repleri desiderant, quem ante fugere gestiebant. Quem fontem? Audi dicentẽ: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.

Quid sibi uelit illa adiectio quod scriptura alia die aquam minutam, alia sicca tam terram commemorat. Quomodo etiã Noe tectum arcæ denudauerit. Et quod ait primum mensem uel secundum. Cap. XX.

I N primo & sexcentesimo anno Noe primo die mensis imminutam aquam dicit à facie terræ, in secundo autẽ mense, septima & uicesima die mensis siccatam terram esse commemorat. Quid sibi uult illa adiectio de aquæ imminutione, cum supputata ratio superior annum conclusisse uideatur, qui annus à secundo mense incipit, & in secundum mensem anni alterius usq; progreditur? Nisi forte hic iusti formam declaratam uelimus accipere, ut primus annus is fuerit quo cœpit diluuiũ, post sexcentesimum scilicet annus primus, primus iterum annus & primus mensus post sexcentesimum annum, quando imminuta est aqua à facie terræ: eò quòd iustus in peccatorum generatione, quæ propter delicta deleta est, uirtute primus erat, & in secunda generatione, quæ cœpit post diluuiũ, eo ordine, quia primus secũdæ generationis fuit, & merito primus euaserat. Rectè enim ei honor defertur, qui & primę generationis primus fuit, & posterioris principiũ, qui meruerit & de illa euadere, & isti ad seminariũ propagari. Cum enim alij deperissent, solus uitę egregię merito, & prerogatiua uirtutis apud deũ dives, non est expertus malitiæ corruptelam, per quem factum est ne totum corpus generis humani uel abolitum uideretur in terris, uel à dei abscissum gratia relinqueretur.

Genes. 8 Et denudauit, inquit, Noe tectũ arcæ. Cum arcam, sicut supra interpretati sumus, pro specie corporis acceperimus, quid sit denudari corpus intelligamus, secundum altiorẽ scilicet sensum. Cæterùm liquet quemadmodũ arca potuerit aperiri secundũ literã. Quod igitur tectum humani corporis sit quod clausum in diluuio fuit, nisi forte delectationem accipiamus, quæ operiebat corpus nostrum, & quasi tegebat per illũ Adæ errorem? Et eo maximè tectis similis æstimatur, quia sensus omnis in capite, inde delectatio, quę corpus omne subiectum habebat. Sed ubi mens iusti uiri sobria atq; integra à corruptione diluuij, diuinę cognitionis inflammata desiderio exilire atq; euolare uoluit in superiora detexit omnia quæ erant impedimenta, & speciem uoluptatis, quæ quodam operimento cæteras tegebat partes corporis, redoperuit ac retexit, ut non solum corpus à seruitio dominatricis ignobilis liberaret, uerumetiam ea quæ erant incorporalia comprehende-

2. Cor. 4 ret. Quæ enim non uidentur, æterna sunt. Et ideo iustus quem non uidebat dominũ requirebat, corruptelæ exors, cupidus æternitatis. Quod autem ait primum mensem uel secundum, eumq; esse uerni temporis diem, habes & alibi dictum: Hic mensis primus e-

Exod. 12 rit uobis in diebus anni. Qui enim in gratia primus post periculum, hic rectè prærogatiuam primi mensis accepit. Ne te autem moueat quod diximus supra folium in ramo repertum post diluuium potuisse generari: etsi sub aqua plerumq; herbæ soleant germinare, tamen ut scrupulus omnis tollatur, quid magnũ si deo iubente uno die, quo imminuta fuerit aqua, statim germinauit & terra, cũ idem sit fructuũ reparator & conditor, atq;

Genes. 1 operis sui usum non fuerit oblitus? Deniq; habes & in Genesi, statim quod iusserit, ut terra herbam pabuli germinaret, & lignum fructiferum cum fructu suo, & statim eiecit terra herbam pabuli, habentem semen secundũ genus suum, & lignũ fructiferũ: & ille dies unus fuerit, quo hæc deus iussit aut fecit. Ergo beneficij sui deus non immemor, memor autem nostræ iniquitatis, opus suum eiusdem qua cœpit temporis quantitate reparauit.

Quare Noe non sua sponte exiuerit arcam, sed expectauerit oracului diuinũ quo sibi dicebatur: Exi de arca tu & uxor tua: & filij tui. Et quare in ingressu ordinis delectus fuerit habitus, ut primo ipse & filij, & deinde uxores ingrederentur: in egressu autem id commutatum sit, ut fœminę cum uiris exierint. Cap. XXI.

Genes. 8 T dixit dominus deus ad Noe: Exi de arca tu & uxor tua & filij tui.] Itaq; re-

E cedente aqua & siccata terra exire potuit Noe de arca. Sed iustus nihil sibi arrogat, sed totum se diuino committit imperio. Et maximè qui cœlesti fuerat ingressus oraculo, cœleste debuit ut egrederetur expectare responsum. Verecunda enim iustitia est, quia inuerecunda iniquitas, quę usurpat indebita, nec reuereẽ authorẽ.

Nunc

Nunc quæramus qua ratione quamdiu ingrediebantur in arcã, hic ordo fuit ingredientium, ut primo ipse ingrederetur & filij eius, inde eius uxor, & uxores filiorũ eius: quando autem exierunt, cõmutatum sit. Nam scriptum est: Exiuit ipse & uxor eius, & filij & uxores filiorum eius. Et litera quidem significat in ingressu abstinentiam generationis, in egressu generationis usum. Tunc enim pater cum filijs prius introiuit, & filij cũ parente, & postea uxor eius, & filiorum eius uxores, id est, non commiscetur sexus in introitu, commiscetur in egressu. Aperte igitur uelut ordine ipso ingressionis uocem quandam iustus emittit, tempus illud non esse concubitus neq; deliciarum, quo omnibus imminere ret interitus. Vnde in Euangelio dominus ait reprehendẽs quod temporibus Noe manducarent & biberent, uxores ducerẽt, & filias nuptum traderent: & ideo propter intemperantiam eorum superueniisse diluuium. Mœroris igitur tempus illud, non lætitiæ erat. Et inde iustus consortio non delectabatur uxoris, uel filij iusti petebant copulã coniugalem. Quàm enim indecorũ, ut quo tempore uiuentes morerentur, tunc perituri generarentur? Postea autem rectè ad seminarium cæterorum usus & cura coniugij, cum diluuium recessit. Itaq; non uiri cum uiris, sed fœminæ cum uiris exeunt, ut uirilis in se interdicta permixtio, permissa autem uirilis & fœmineæ legitima sorte coniugij copula uideretur. Sensus autem altior hoc habet: ubi periculum est, uiriles quędam & fortiores disceptationes menti adhæreant, & eo se mens quasi quandam tueatur sobolem filiorum, quo tempestatibus & grauioribus passionibus acies quædam uirilis occurrit. Decurso autem periculo, nihil obest si molliores cogitationes ualidioribus copulentur, non ut effœminẽtur à mollioribus fortiores, sed ut molliores sensus uelut quibusdam uirilibus roborentur, cum omnia consilia nostra ad uirtutem, iustitiam, integritatem, fortitudinẽ dirigantur, & quodam usu seminarioq; uirtutum creari atq; adolescere possint ualidiora consilia. Non est igitur utile cum uitiorum aliqua confusio est, quæ mentem occupet, serere aliquas cogitationes atq; generare & parturire mentem. Cum autẽ compressæ fuerint cupiditates, & mens requieuerit, tunc seminario quodam disceptationis accepto, uirtutes possunt & bona opera germinari.

Luc. 17

Qua ratione Noe circa arcam nihil fecerit nisi iussus à domino, & tamẽ post egressum ab arca non monitus aram deo ædificauerit. Et quare dicatur deo, & non domino. Cur etiam sumpserit à bestijs & uolatilibus mundis ut offerret holocausta. Quidq; sit quod ait dominus: Recogitans non adijciam male dicere terræ.

Cap. XXII

Ædificauit, inquit, Noe aram deo.] Qua ratione supra dominus admonuit quæ faceret, & fecit Noe omnia: hoc autem quod non admonitus est fecerit, fortasse requiratur. Sed utiq; dominus non debuit quasi auarus mercedẽ gratiæ postulare, & iustus eam intellexit ueram actionem gratiarum esse, quæ non iuberetur, sed deferretur: itaq; nec dilationem passus est. Etenim grata animi uirtus passionem dubitationis excludit. qui autem debitum gratiæ ut à se exigatur expectat, ingratus est. Quod autem ædificauit, inquit, deo & non dixit domino, sed deo: secundum nominis interpretationem, non coacta uidetur hæc actio esse gratiarum quasi domino, sed uirtus iusti morigera & grata quasi deo. Quod imperiale est, sequestrauit: quod beneficij, nominauit. Et sumpsit à bestijs & à uolatilibus mundis, & obtulit, inquit, holocausta. Litera euidens est, quod ea quæ incontaminata sunt, debemus offerre, in quibus affectus reluceat offerentis. Altior autem interpretatio hoc habet, quod bestiæ mundæ uidentur sensu esse sapientis, uolatilia autem intellectus, qui sunt longe subtiliores atq; leuiores. Nunc uero consideremus diligentius quid sit quod ait: Et dixit dominus deus, Recogitans non adijciam maledicere terram propter opera hominum, quia permanet cor hominis diligenter super mala à iuuentute. Non ergo adhuc percuteret omnem terram, sicut fecit omnibus diebus terræ. Etsi uindicauerat in hominum genus, tamen cognouerat quia uindicta legis ad timorem proficit, & cognitionem doctrinæ, magis quàm ad naturæ commutationem, quæ corrigi in aliquibus potest, in omnibus mutari non potest. Vindicauit ergo dominus, quod timeremus: pepercit, ut reseruaremur. Et uindicauit semel ad exemplum timoris, pepercit in reliquum ne dominaretur semper amaritudo peccati: simulq; si quis peccata cupiat sæpius uindicare, asper magis quàm censorius

E

Genes. 8

Ibidem.

Ibidem.

habetur.

habetur. Ideoq; dicit dominus: Nō adijciam maledicere terrę propter opera hominum, id est, quia pietatem suam circa uniuersitatem hominum uoluit declarare, & tamen securitatem & negligentiam quandam mentibus humanis afferre non debuit: in paucos uindicat, plures reseruat. Deinde cum dicit, Non adijciam, ostendit quod alleuet magis ærumnas hominum quàm ingrauet, sciens quod penitus peccata hominum auferri non queant. Tanquam in Prouerbio: Si quis reti subtili haurire cupiat aquam, sic qui malitiam ex pectoribus hominum conatur auferre. Non adijciam, inquit, maledicere terræ propter peccata hominum, quia permanet sensus hominis diligenter super mala à iuuentute. Vide quomodo studiose nos delinquere deus significet dicendo permanere super mala sensum hominis diligenter: quo dicto significare uidetur diligenter cor hominis ad peccata propendere, & inesse principali nostro lubricum delinquēdi, & quod peius est, studium non deesse. Ideo enim ait diligenter, quasi soliciti simus ne immunitas culpę nobis possit obrepere. Deinde non in unum malum dixit, sed in multa mala. Et à iuuentute addidit. Ex illa enim ętate crescit malitia, licet alibi legerimus, quod non sit sine peccato nec unius diei infans. Sed & infantia sine peccato non sit, propter corporis infirmitatem. Diligentia enim & studium peccandi incipit à iuuentute, ut puer quasi infirmus peccet, iuuenis tanquam improbus, qui studiose cupiat peccata committere, & in criminibus glorietur. Apud plerosq; enim innocentia pro ignauia, & culpa pro laude habetur. Ita se luxuria & delicijs, & adulteriorum affectibus iuuenes iactare consuerunt. Crescit ergo cum ætatibus culpa. Omne igitur genus hominum iam non consumendum declarat cum dicit, Non adijciam percutere omnem carnē: sed in parte uindicta seruatur.

Iob. 15

Genes. 8

De explanatione literali & morali eius quod dominus dixit, Semen & messis, hyems & æstas, die & nocte non requiescent. Cap. XXIII.

Vid sit etiam quod ait: Semen & messis, hyems & æstas, die & nocte non requiescent? Secundum literam significat permansura manentibus secundum institutionem domini & statum suum incorrupta temporibus animalia, uel nemorosa futura omnia. Nam cū corrumpuntur tempora, corrumpuntur etiam illa quæ temporibus suis quæq; gignuntur. Si autem confusio sit temporum, quomodo possunt confusione facta etiam ea quæ sunt gignentia permanere? Ergo tempora sunt quæ aut corrumpunt, aut seruant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoq; annus ex contrarijs ducitur, uere, autumno, æstate, hyeme, sicut harmonia cantilenæ permixtis grauibus & acutis uidetur consistere. Sic ergo & mundus iste ex contrarijs continetur, aere & terra, igni & aqua. Nostra quoq; corpora frigore & calore, humore & siccitate, quendam naturæ ordinem seruant. Nam si naturalis ordo ac mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus. Ergo certum ordinem temporum dominus remota confusione diluuij ad perseuerantiā mundi promittit futurū. Altior autem sensus hoc habet, ut per semen intelligamus principiū, per messem intelligamus finem. In utroq; salutis est caussa. Alterum sine altero imperfectū est: quia ubi principiū est, finis quæritur: nec potest esse sublato fine principium, & finis in principiū currit. Ergo semper in eadem recursurum, dum in hoc mundo est, genus memorat humanum, ut cum incipit annus finiatur, cum finitur incipiat, non medio mundus tempore resoluatur. Ita & mens quando aliquid uidetur incipere, ad finem usq; contendat, & operis sui terminum quærat. Quando finit aliquod opus, nō quasi consummato opere finiatur, sed in alia recurrat opera, & semper in crementa uirtutis exerceat: quando quidē uidet quod in fructus suos semper terra renouetur, qui diuersi aut uere, aut æstate, ut in partibus orientis, aut æstate autumnoq; nascantur, ut in partibus occidentis. Alio tempore terrarum seminaria partus suos educūt, alio autem tempore fructus arborum carpimus. Diuidui ergo fructus sunt necessarij, & uoluptarij. Necessarij ex seminibus terrarum, at uero ex arborū fructibus uoluptarij. Itaq; corpus nostrum tanquam uere hoc est aere, cibo pascitur naturali. Aer autē Græco nomine, uer Latino dicit. Ideo scriptura de partibus orientis, & maximè Aegypti per quā transiuit Hebræus, uel ex partibus Phœniciæ sumpsit exemplum. Anima autē uoluptarijs, hoc est sapientiæ fructibus alitur: cui iterum, ut corpori nostro contrarium frigus & æstus, ita timor & iracundia uidentur aduersa. Sed quia in corpore est, & iracundiam habet & timorem, nec potest sine hac esse in corpore necessitate naturæ. Et ideo mens sapientis

pientis moderamina iusta dispensat, nẽ iram & timorẽ permisceat, & fiat confusio quædam animo illius atq; diluuiũ. Die quoq; & nocte quod ait: per diem intelligis illuminantem uirtutem, per noctem recognoscis tenebrosam insipientiam. Itaque & in timorẽ tanquam in frigore potest esse illuminans uirtus. Similiter & iracundiam potest reprimere temperantia, ut in timore aliqui nõ penitus resoluantur, & magis timorẽ dirigant ad opera uirtutis. Verbi gratia, si persecutor insistat: ut plus deũ timeas, & perpetua magis supplicia q̃ præsentia putes esse uitanda, quę dum times, accendaris ad gloriã, perfidiæ iratus sceleri. Rursus iracundia succensus, diuino cõmotionem timore modereris.

De prærogatiua potestatis hominib. in cætera animalia attributa per id quod dominus benedixit Noe & filijs eius dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Et quomodo intelligatur quod subditur: Omnia reptilia quæ sunt uiua, sint uobis in escam: cum tamen quædam reptilia sint uenenata.

Cap. XXIIII

E T benedixit dominus Noe & filijs eius, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius, & timor uestri & tremor erit omnibus quæ mouentur super terram, & in omnibus piscibus maris.] Hæc prærogatiua potestatis in ceteris animalibus uidetur hominibus attributa & in superioribus partibus. Sed eo loco ubi dixit quod deus hominem fecit, dicitur, Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius, & potestatem habete super pisces maris, & uolatilia, & bestias terræ, & reptilia. Quod ego admonui, ut intellígas geminam hominis generationem expressam: unam secundum imaginem dei, alteram secundum figmentum de luto terræ. Denique illa creatio hominis de luto terræ, uidetur esse facta post mundum, postquam requieuit deus ab operibus suis. Sero quodam modo terrenæ statuæ figmentum gignitur. Non erat pluuia super terram, nec homo terram operabatur. Tunc de limo terræ finxit deus hominem, & insufflauit in faciem eius spiritum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Ille autem sexto die, quasi perfecto numero quo omnia conclusa sunt opera dei, quasi perfecta operatione constitutus homo secundum imaginem Dei est, & cui etiam iste comparatur qui in diluuio iustus inuentus est. Et ideo supra terrena omnia eum constituit deus, sicut & illum ad imaginem dei factum, quia utrumque à uitijs terrenis temperabat. Ille qui ita generatus est, ut nihil terreno deberet contagio: iste qui in periculis fuerat approbatus, & examinatus in passionibus, & repertus q̃ in confusione non fuisset obnoxius passioni. Altior autem sensus habet quod iustus magnitudine & multitudine uirtutis augetur, atque doctrina, & replet terram, quasi cor quoddam, in quo sit receptaculũ intelligibilium. Ita nihil uacuum sapientia esse patitur, quod insipientia possit inuadere. Domitis igitur non solum terrenis omnibus passionibus, sed etiam sensibus corporalibus, bestias quoque sibi quodam terrore subijcit & timore, in quibus species uidetur esse malitiæ atque feritatis. Immitis enim & agrestis est omnis malitia, inflatur aerio quodam tumore. Nec illud obscurum, quod reptilia quædam letalium quandam habent speciem passionum, à quibus uenenum quoddam menti uidetur infundi. Omnibus ergo his imperat iustus, quibus nõ commiscetur, sed coercet ea, si mens eius non delectatione, non cupiditate ducatur, non tristitia & timore frangatur, nõ etiam luxuria atque delicijs tanquam lubricum & caducum uitæ huius agat cursum, & continentia & temperantia abigat à se uir sapiẽs huiusmodi passiones. Sed quia subdidit statim, Omnia reptilia quæ sunt uiua, erunt uobis in escam: ne fortè te moueat quia antè de reptilib. diximus uenenatis, cognosce alia esse reptilia uenenata, alia mansueta. De mansuetis igitur reptilibus accipe, quæ etsi non omnia uentre & pectore repunt sicut colubri, exiguos tamen pedes habent, ut repere magis quàm ambulare uideantur. Ergo uenenatorum reptilium similes immundas in corpore accipe passiones, mansuetorum autem decoras. Omnis enim affectus qui est præter deformis delectationis illecebram, passio quidem est, sed bona passio. Cupiditas mollior est, & ira & timor, hæ noxiæ animæ passiones sunt. Affectus autem innoxij passiones sunt. Et his uiuendi quidam nobis usus ministratur, & causa, harum cibo utimur ad uitæ gratiam, harum epulis delectamur.

Genes. 2

Ibid. 1

Ibid. 9

An sub his uerbis quibus ait dominus: Sicut olera pabuli dedi uobis omnia, olerib⁹ magis quàm carnalibus epulis uti debeamus. Et quemadmodũ abstinere debeamus à sanguine, in quo est anima. Ac de diuersis philosophorum opinionibus circa naturam animæ. Cap. XXV

Genes. 9

Vid est etiam quod ait: Sicut olera pabuli dedi uobis omnia? In quo & ij qui simpliciter intellígunt, ut non expendant sermonis examen, non nobis uidentur esse contrarij. Sunt enim qui putant, ut olera ad escam nobis dei nutu attributa uideantur, quo his magis quàm carnalibus epulis uti debeamus. Ego autem libenter his acquiescerem, ut generi hominũ ad parsimoniam & temperantiam olerum usus inoleseceret, nisi uiderẽ ab ijs qui non libenter accipiunt, posse referre mihi, quia nõ omnia olera esse homini inueniantur accõmoda. Deinde quia non omne hominum genus sapientiæ & continentiæ amore ducitur, ut cõtinentiam sequi possit. Et ideo quod generale præceptum est, ad portiunculam paucorum hominum deriuare nõ possumus. Omnibus enim hominibus hoc præceptũ datur. Ideoq; consideremus quid dixerit: Sicut olera, inquit, pabuli dedi uobis omnia, non olera omnia dedi uobis ad escam. Vtantur igitur qui utunt̃ carne tanquam oleribus, non ad distentionem, nec ad aruinam corporis, quàm epulæ carnis facere consuerunt. Sed quemadmodum & olera nõ omnia ad escæ usum habilia sunt: ita etiam non omne uiuum reptile accõmodũ ad usum epulandi. Siquidem ab omnibus uenenatis debemus abstinere: licet huc quoq; processerit luxuria, ut magis delectationi consulat quàm periculo, & in plerisq; resecto quod dicitur uenenatũ naturaliter ineſſe, reliquam partem ad cibum uindicet, quæ etsi non plena periculi, tamen uicina periculo est, & corruptela aliqua necesse est in totius succum se carnis infuderit. Pleriq; etiam sagittis uenenatis transfigunt ceruos, & huiusmodi uelocia animalia, & postea resecta quadam parte membrorũ, reliquo corpore ad cibum utunt̃. Quod aũt ad altiorem sensum pertinet, hoc est, unde magis dictum est quòd irrationabiles passiones ita debeant menti sapiẽtis, ut olera rustico esse subiecta, atq; his utamur reptilibus cogitationibus, ut agricola oleribus, quæ licet obesse non possunt, cibi tamẽ non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus, & cõmune præceptum, non altiora indicit genera uirtutũ, quæ utiq; paucorum sunt. Sed & si quis uirtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, huiusmodi tamen habeat passiones, quæ non noceant, sed delectẽt. Ideo in principio sanctus Moyses informauit nos atq; instruxit de insufflatione animę, ut non laberemur opinionibus diuersis philosophorũ, qui sibi constare nõ possunt. Pleriq; enim uaria senserunt, uti Tricias, & eius discipuli, sanguinẽ esse animam dicentes: istam utiq; animam qua uiuimus, quæ est sensibilis: non illam animam quæ rationabilis & intelligibilis interioris hominis æstimatur. Hippocrates aũt etsi non Triciæ improbauit ingenium, nec disputationem eius redarguit, tamen sententiæ non acquieuit. Aristoteles entelechian dixit. Ignem alij esse uoluerunt. Nos igitur huiusmodi diuisionem teneamus, ut separemus quod est rationabile animæ, cuius substantia diuinus est spiritus, sicut ait scriptura, quia insufflauit in faciem eius spiritum uitæ. Esse autẽ in ea nutrimentũ quoddam uitale, quo hoc corpus animat̃, esse etiam delectabile. Illarũ igitur et uitalis & delectabilis animę partium substantia, sanguis appellatur à quibusdã, licet etiam scriptura dixerit: Anima totius carnis, sanguis est. Propriè igitur animam carnis sanguinem appellauit. In carne enim delectatio & passio est, non mens & ratiocinatio. Tamen si diligenter intendas, hic locus illum explanat. Cum enim hoc loco animã sanguinẽ dixerit, utiq; significauit aliud esse animã, aliud sanguinẽ, ut sit animæ substantia spiritus uitalis: sed ipsum spiritũ uitalem non per se tantũ & sine sanguine usum afferre uiuendi, sed cõmisceri sanguini: quia sunt quæ uocantur arterię uelut receptacula spiritus, quæ non solum aerem purum amplectunt̃, sed etiam sanguinem, sed minorẽ longè sanguinis portionem. Gemina enim cum uasa sint, aliud est uenæ, quæ φλὲψ Græce appellatur, aliud arteriæ. Vena plus habet sanguinis quàm spiritus, hoc est φλὲψ: arteria minus habet sanguinis, multo amplius spiritus. Iam temperatio pro diuersitate naturæ est hominũ singulorũ. Altior aũt sensus delẽctare te debet, qui significat sanguinem animam ideo dictũ, quia sanguis calidus & ignitus est, sicut est uirtus. Quicunq; igit̃ studio uirtutis fuerit accensus, & uaporem laudis assumpserit, omnes delicias uentris excludit.

Ibid. 2

Leuit. 17

Ea

Ea igitur cogitationum quæ sunt carnalia atque terrena, in uirtutis, inquit, ardore positi reiicietis, quasi inhabilia spiritali cibo. Non enim carnem manducabat, hoc est, terrenũ aliquod cogitabat, qui dixit, Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei, qui in cœlis est: studium hominibus uirtutis inspirans, & cupiditatem diuinæ cogitationis infundens. Ergo terrenæ cogitationes & infirmæ, quasi euiratæ & sine usu sanguinis habent. Et ille euiratus dicitur, qui sanguinis plurimum amiserit. etenim sanguinis amissione frigescit. Quisquis igitur diligens uirtutũ est, cibos ablegat & reiicit corporales, nisi quantum scit satis esse naturæ. Quisquis autem negligentior tanquam lubricum & aquosum uitæ istius fuerit cursum sequutus, quasi amissis uestigijs in uterum decidit, & uentrem. Itaq; quæ sunt terrena desiderat, cibi cœlestis alienus, & qui non possit dicere: Nostra cõuersatio in cœlis est. Ideoq; ut ad secretos prouocaret, ait idem: Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt ad corruptelam ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientię, in obseruatione religionis, & humilitate cordis, non in indulgentia corporis, nõ in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis. Ioan. 4 Philip. 3 Coloss. 2

Quod per hoc quod ait, Etenim uestrũ sanguinem & animarũ uestrarũ exquiram, de omnib. bestijs, & de manu hominis fratris, detur intelligi hominẽ grauius peccare qui fratri insidiat. Et quis dicat frater. Quare etiã dixerit: Ad imaginem dei fecit hominẽ: & non, Ad imaginẽ meam: cum reprobatione opinionis philosophorũ qui negant deum habere curam super homines. Cap. XXVI

D Enique hunc sensum esse, posteriora approbant. Sic enim ait: Etenim uestrũ sanguinem & animarũ uestrarum exquiram de omnibus bestijs, & de manu hominis.] Bestiali malicię cõparauit, imò etiam acerbauit iniquitatem hominis ultra bestiarum feritatem, dicendo, De manu hominis fratris. Etenim bestiæ nihil nobiscum habent cõmune naturæ, nullo uelut fraterno iure deuinctæ sunt. Si nocẽt hominibus, quasi extraneis nocent. Naturę iura non uiolant, germanitatis non obliuiscuntur affectum. Ideo grauius homo peccat qui fratri insidiatur, & dominus seuerius uindicaturum se esse promisit, dicens: Sanguinem hominis de manu fratris eius exquiram. Genes. 9 Ibidem.

An non frater est quem rationabilis naturæ quidam uterus effudit, & eiusdẽ matris nobis generatio copulauit? Eadem enim natura omnium mater est hominum, & ideo fratres sumus omnes, una atq; eadem matre generati, cognationisq; eodem iure deuincti. Ideoq; & dominus fratrem appellauit & eum à quo sanguis fratris exquiritur, significãs magis ab his periculum pertimescendum qui fraterno sibi iure sociant. Hinc etenim insidiæ, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur. Et ut specialia comprehendamus, fratribus specialius in hæreditatis diuisione frequenter odia succrescũt. Deinde si fratri amplius collatum fuerit à parentibus, fratres alij indignantur magis, & gratiam à parentibus collatam parricidio auferre conantur. Ista magis bella suspecta, bella nõ cibi tantum, sed singularũ domorum. Illos ergo dominus ad ultionis iudiciũ comprehendit, quos magis insidiaturos sibi esse cognouit. Tertium est quod in eo fratrem dixit, nõ quo dignus pietatis nomine parricida sit, sed quo magis pietatis grauetur uocabulo, atque inde fiat sceleris incrementum, quo iustior sit uindicta scelesti. Ergo dominus deus noster ultionẽ promittit, ut uel sic frangatur metu, qui pietatis est oblitus, ut sciat quòd etiamsi homines effugiat homicida, dei tamen iudicium non possit euadere, sed maiori & æterno supplicio reseruetur. Altiore autẽ sensu hoc intelligimus, nõ solum ab extraneorum, uerumetiam à nostris, hoc est domesticis nobis cogitationibus cauendũ. Deinde obseruandum nobis nõ solum à malicia mentis, uerumetiam ab ipsis sermonib. nostris. Ideoq; ait: De multiloquio nõ effugies peccatũ. Ergo hoc significari uidetur, nõ solum operis nostri, sed etiam sermonis qui est magis domesticus, rationem domino esse reddendam. Et ideo diligentius considerandum, ne uel sermone uel opere cõtrahamus offensam, quia sicut ore confessio fit ad salutem, sic ore fit lapsus ad mortem. Qui effudit, inquit, sanguinem hominis, pro sanguine hominis eius effundetur. Non erauit locutio, sed emphasis, id est, exaggeratio facta uerborũ est, eò quòd is qui effuderit sanguinẽ hominis, ipse quasi sanguis effundetur, quòd spem ei posteritatis eripiat: quia sicut sanguis effusus in terrã hac atq; illac spargit, ita impiorũ anima à corpore fragilitatis more Prouer. 10 Rom. 10 Genes. 9

ſoluatur: quia & de anima dictum eſt morte eius eſſe corruptionem, eò quòd gratię cœleſtis munere defraudetur, & uelut colliſa malitiæ ſcopulis ſalubritatis ſuæ corpus immi-
Geneſ. 9 nuat. Mouet etiam pleroſq; quod dixerit, Ad imaginem dei fecit hominem: & nō dixit,
Ioan. 1 Ad imaginē meam, cum ipſe ſit deus. Sed intellige & patrem eſſe & filium eſſe. Et licet per filium omnia facta ſunt, tamen legimus quia pater fecerit omnia, & fecerit per filiū,
Pſalm. 103 ſicut ſcriptum eſt: Omnia in ſapientia feciſti. Siue ergo pater dicit, ad imaginem uerbi fecit: ſiue filius dicit, ad imaginem dei patris fecit. Et ideo familiarem quandam & domeſticam deo demonſtrat hominis eſſe naturam, id eſt rationabilis hominis ſecundū quod ad imaginem dei creati ſumus: eaq; cauſa inultum non eſſe apud deum quod in domeſticum animal ſibi uideat crudeliter & impiè eſſe cōmiſſum. Cauſa ergo uindictæ additæ facit, ut primum excludamus philoſophorum quorundam opiniones, qui negāt deum habere curam ſuper homines: Deinde ſcientes prærogatiuam noſtræ ultionis apud deū manere, neq; in alios cōmittamus quod diuino iudicio uindicandum ſit, neq; mortem ipſi uehementius pertimeſcamus, cum ſciamus necati hominis innocentis apud deum nullum eſſe contemptum.

Quomodo intelligendum ſit quod inquit dominus: Non erit diluuium ut corrumpat omnem hominem. Et quod ſubdit: Arcum meum ponam in nube. Et qualis fuerit arcus ille. Cap. XXVII

Geneſ. 9 On erit, inquit, diluuium ut corrumpat omnem hominem.] Dubium uidet:
N Vtrum enim diluum non erit, intelligendum ſit, quòd diluuium corrumpat terram (hoc enim diluuia facere conſuerunt) an uero non erit tale diluuium quo terra omnis corrumpatur, quod poſteriora aperiunt cum dicit omnem terram non corrumpendam. Oſtendit enim diluuia quidem eſſe futura, ſed non talia quibus poſſit omnis terra corrumpi. Senſus autem hoc altior habet, quod iam prouidentia futura ſit domini, ne tantum ſit diluuium corporalium paſſionum, ut anima omnis intereat. Et quidem non audeo dicere quia uidetur dominus ſtatuere quod nullius anima poſſit penitus interire. Quid eñ de parricida dicimus? Quid etiam de homicida? Quid de adultero? quid de præuaricatore? Quas ei partes animæ ad ueniam reſeruamus? Vnde magis illud arbitror, quod prouocet dominus deus, ne ſi quis leuiores alias habeat paſſiones, penitus diuinam deſperet gratiam, nec omnimodis uicturum ſe eſſe diffidat. Sed etiamſi eſt luxurioſus, nec poteſt ſtudium uitare luxuriæ, ab adulterio ſtudeat tamen temperare: ſit epulandi delectatio, non ſtuprandi ſit. Etiamſi neſcio quis auarus qui aliena diripuit, eiecit pupillos, eliminauit uiduas, poſtea tamen in pœnitentiam regreſſus reſti-
Luc. 19 tuat quod abſtulit. Deniq; Zacheus ideo ueniam meruit, quia non ſolum reſtituturū ſe, ſed quadruplum promiſit, quibus aliqua ſuſtuliſſet, pauperibus quoq; medietatē ſui pa-
Geneſ. 9 trimonij donaturum. Conſideremus etiam diligentius quid ſit quod ait: Arcum meum ponam in nube, et erit ſignum teſtamenti æterni inter me & inter terram, & erit cum inubilà uenerit nubes ſuper terram, parebit arcus meus in nube, & memor ero teſtamēti mei. Non enim (ſicut plerique arbitrantur) arcū iſtum dicit quem aiunt homines eſſe quo pluuiarum ſigna aliqua declarētur, in quo colores diuerſi tanquam radiorum ſolis nūc rutilantiū, nunc lumine lucentiū clariore figurant, unde & pluuia futura ſignificatur, eò quòd inconſtantia quædam ſerenitatis uerſicolora ſpecie demonſtretur. Arcum hunc Irim quidam appellant. Sed abſit ut hunc arcum dei dicamus. Hic enim arcus qui Iris dicitur, per diem uideri ſolet, per noctem non apparet. Etiam per ipſum diem, ſi obductus aer tetris nubibus fuerit, ne ſic quidē uidetur, ni fortè cum grauiores nubes ſe cœperint relaxare. Ergo uideamus ne quia arcus quo ſagittæ iaciuntur, nunc tenditur, nunc reſoluitur, quandam extenſionē & remiſſionē uideatur ſcriptura ſignificare, per quam neq; penitus per nimiam extenſionem uniuerſa rumpantur, ſed ſit quædā menſura, & quoddam diuinæ uirtutis examē. Eſt ergo uirtus inuiſibilis dei, quæ & ſpecie iſtius arcus extendendi & remittendi moderat pro diuina uoluntate, miſericordia, poteſtate, quæ neque omnia confundi nimia ſolutione, neq; dirumpi nimia irruptione patiat. Quā ideo in nubibus dicit poni, quia tunc maximè opus eſt diuinæ auxilio prouidentiæ, quando agmina nubiū in procellas tempeſtatesq; coguntur. Ideoq; dicit: Arcū meum ponam in nube, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentū iaculandæ ſagittæ eſt. Itaque non

ipſe

ipſe arcus uulnerat, ſed ſagitta. Et ideo dominus in nubibus arcum magis quàm ſagittã ponit, id eſt, non illud quod uulneret, ſed quod habeat terroris indicium, uulneris effectum habere non ſoleat.

Qua ratione cum tres filios Noe, Sem, Cham, Iaphet, ſupra computauerit, hoc loco mediũ filiũ, id eſt, Cham generationem prius comprehendérit. Et quomodo ille Chananæorum author fuerit. Cap. XXVIII

Q Va ratione autem cum ſupra tres filios Noe computauerit, Sem, Cham, Iaphet hoc loco comprehenderit mediũ filiũ generationem? Hoc eſt quod ait: Cham autem pater erat Chanaan. Iſti tres erant filiũ Noe, & maxime cum illi duo iuſti, iſte iniuſtus medius. Iniuſti ergo prius generatio quàm iuſtorum comprehenditur. Necꝙ enim poſſumus negare quod ſcriptum eſt: ſed ad coaceruandum delictum ipſius addita eius eſt generatio, qui cum haberet filium, & pater eſſet, ſolus ipſe patrem non cognouit, qui magis cognoſcere debuiſſet. Et ideo improbum habere meruit filiũ, quia improbus fuerat patri. Simul ſignificat ex illo Chanaan Chananæos fuiſſe, qui poſt multas generationes à populo iuſto oppreſſi, ceſſerunt in eius poſſeſſionem. Authorẽ ergo Chananæorum Chanaan fuiſſe manifeſtum eſt, qui fuit filius huius Cham, qui impius in patrem extitit. Altior autem ſenſus nominum interpretatione ſignatur. Cham enim calor eſt, Chanaan turbatio eorum. Qui enim calet, continuò mouetur & perturbatur: ideoꝙ euidentiſſimè declaratur non tam hominem patrem hominum fuiſſe, ſed paſſionem malam improbæ paſſionis generatricem, quæ eſſet à patris moribus, hoc eſt ab uſu uirtutis aliena. Geneſ. 9

Quomodo Noe egreſſus ab arca, factus ſit agricola. Et de differentia inter operatorem terræ, & agricolam. Quid etiam ſit quod iuſtus primũ uineam plantauerit, & non triticum aut hordeum. Et quid ſibi uelit quod ſubdit, Bibit de uino & inebriatus eſt. Et de duplici ſpecie ebrietatis, & gemina nudatione ſapientis. ac de operimentis animæ. Cap. XXIX

E T cœpit Noe homo agricola eſſe terræ.] Videtur quidẽ prima ſpecie Adæ illi qui de terra factus eſt, comparari Noe uir iuſtus, quia & de illo ſcriptũ eſt quòd de paradiſo eiectus cœperit operari terram: de iſto quoꝙ, quoniam egreſſus ex arca factus ſit agricola. Et propemodũ in utroꝙ præceſſerat quædam forma diluuij, quia & Noe poſt diluuium, & Adam poſt mundi conſtitutionem ſecundum figmentum corporis. Nam ut mundus fieret, congregata eſt aqua in unam congregationem, ut uideretur terra, quæ antè non poterat per aquarum confuſionem uideri. Ergo ſicut ille primigenes magiſter terram uidetur operatus, ita etiam egreſſus ex arca Noe ſeminationis & culturæ author eſt factus. Hæc putantur ſimilia. Sed ſi uerba conſideres, quæ iam uim ſenſus altioris exprimunt, aliud eſt operatorem terrę eſſe, aliud agricolam. Alius enim tanquam mercenarij, alius tanquam patriſfamiliâs loco fungitur. Denique Cain qui fratrem occidit, erat operarius terræ. Et ut ſcias quia operari terram magis ſeruile quàm liberum ſit, maledicto parricidalis eius operatio comprehenditur. Denique ſcriptum eſt: Quoniam operaberis terram, & non augebit uirtutem ſuam dare tibi, gemens & tremens eris ſuper terram. Terra autem caro noſtra eſt, quam improbus operatur, bonus autem excolit. Ille quaſi mercedem quærit è terra, iſte quaſi boni fructus capit gratiam diſciplinæ, ut magis fructiferum faciat agrum ſuum, & qui domini poſſit reſpondere culturis, & indulgẽtiam cultoris oſtendat. Operator aũt quid aliud niſi eſcam tantummodo corporis ſui quærit, uentris magis uſui ſtudens, atꝙ id ſolũ explicare contentus, quod ſibi prodeſſe poſſit ad uictum? Ille uero alius fructuũ utilitate paſcit. Quos fructus habeat iuſtus, agnoſcis. Fructus aũt ſpiritus, charitas, gaudium, pax, patiẽtia, bonitas. Bonus ergo agricola habet continentiam, caſtitatem, ut ſi quæ arbores cito curuantur in terram, & effuſius germinant, eas uelut quadam temperantiæ ſuæ falce ſuccidat, ut abij ciant quod infirmũ eſt, germinent quod decorũ. Quid eſt quod iuſtus primũ uineam plantat, & non aut triticum aut hordeum? Vnde aũt uinea poſt diluuium corruptionemꝙ terræ? Sed de hoc ſuprà diximus, quia ueris tempore etiam corruptarũ radices uitiũ pullulare potuerunt. Vnde et illud maiore ſolicitudine ſoluendũ arbitror, quia iuſtus prius quę uoluptaria, cꝙ quę neceſſaria ſunt requirit. Neceſſarij eñ fructus ſunt tri- Ibid. 3 Ibid. 4 Ibid. 3 Gal. 5 Geneſ. 9

tici

tici & hordei, sine quibus non possumus uiuere, uinum autem uoluptarium, & causa delectatiõis datum. Quod, quia iustus est, ideo sibi magis hoc quod secundum erat, quàm quod primũ est uindicauit. Necessaria enim alimenta uiuendi deo detulit quod erat. Superfluum autem uinum hominibus, & non necessarium. Sed fortè dicas ita sine potu nõ posse homines uiuere, quemadmodum etiam sine cibo. Necessarius est ergo potus sicut cibus. Non abnuo. Siti utiq; necessarius à domino constitutus. non repugno. Et ideo ad potum necessarium fontes & flumina conuenit deriuare, quæ non utiq; manu hominis effecta, sed domini dei nostri iussu & operatione fluxerunt. At ne quia diximus operationem domini, ad illud retorqueas, quod operatio Cain uidet maledictiones habuisse: considera non operationem maledicti nomen accipere, sed quia scriptũ est, operari terram. Qui enim operatur terram, mercenarius est. Ille autem non mercenarius, sed dominus, qui ait: Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Quid operatur huiusmodi operator? Audi: Meus cibus est ut faciam uoluntatem patris mei qui in cœlis est. Et bibit, inquit, de uino, & inebriatus est. Non dixit, Vinum bibit. neq; iustus uinũ ebibit, sed de uino, hoc est, de eius portione libauit. Ebriosi est omne absorbere uinum, et intemperantis euacuare quod sumpserit. Continentia aũt utendi mensura legitima est. Ebrietatis itaq; species gemina est. Vna quæ titubationem corpori afferat, atq; eius supplanter uestigia, sensumq; perturbet: altera quæ mentem uirtutis uaporet gratia, & omnem infirmitatẽ uideatur auertere. Vnde Apostolus ait: Vino modico utere propter frequentes tuas infirmitates. Sicut enim isto bibendi moderamine uinum nõ infirmitati est, sed saluti, atq; omnem infirmitatem alleuat corporis, ita etiam ebrietas illa pręclara omnem infirmitatem carnis excludit, de qua scriptum est: Et poculum inebrians quàm pręclarũ est. Quæ est ista ebrietas? Inebriamini, inquit, non uino in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto, Apostolus dixit. Et secundum literam igitur cautio est, & secundum sapientis altiorem sententiam, laudatio est. Cautus est qui etsi nudatur, in domo tamen nudatur sua, ubi operimenta non desint, & quædam tegmina ebrietatis, ut uitia sua norit abscondere. Corporalia igitur nudum corpus tegunt, ut parietes & tecta: animæ aũt quæ sint operimenta, uideamus. Sed tunc operimenta reperimus, si enudationem eius discutimus. Gemina autem nudatio sapientis. Gemino igitur amictu mens nostra uestitur: si aut peccatum imprudens admiserit (hæc est enim enudatio uelut ebriæ mentis, ut nesciat quod delinquat, quasi quæ temulentia quadam ignorantiæ in uitium deducta labatur) aut rursus negligentiæ & ignorantiæ somno sepulta errorem suum nesciat. Quæ cum inciderimus, imò cum peccata plura inciderimus etiam per scientiam (est enim naturalis quædã etiam nostræ infirmitatis ebrietas, ut impetu delectationis feramur in uitium, sicut pleriq; iuuenili accensi calore, aut luxuria & delectatione flammati, aut auaritiæ rapti cupiditate) certè omnibus his medicina quæratur, ut aliquis tegat huiusmodi infirmitatem suam, primum pudore quodam & uerecundia, ut etiam si in lubrico sit adhuc positus delinquendi, det tamen emẽdationis insigne. Etenim plurimũ interest utrũ peccata sua iactare desideret. In altero enim turpis impudentia, in altero tolerabilis uerecundia spem futuræ correctionis ostẽdit. Alia est autem denudatio animæ, quæ uelut quandam sarcinam corporis abiicit atq; exuit, sicut sepulchrum quoddam carnis effugiens. Sepulchrum enim patẽs est guttur huiusmodi hominum, in quo sepulchro uelut attumulatur anima delectationibus, & cupiditatũ passionibus onerata diuersis. Exuit igitur se à congestione terrena, & quasi retia quædã circumfusa euadit atq; effugit, quęcunque se ab omni nudauerit passionum laqueo, et omnem illam deformem speciẽ terrenæ labis auerterit, ut lucem uideat decoris æterni.

Genes. 4
Ioan. 5
Ibid. 4
Genes. 9
1. Timot. 5
Psal. 22
Ephes. 5

Quare nõ simpliciter dixerit: Vidit Cham nudationem patris, sed, Vidit Cham pater Chanaan. Et cur Cham nudatum patrem riserit. Cap. xxx

Q Vero nunc cur non simpliciter dixerit, Vidit Cham nudationem patris: sed, Vidit Cham pater Chanaan. utiq; Chanaan natus non erat: cur ergo nomen addidit filij, nisi ut & uitio authoris deformaretur hæreditas, & autor filij nequitia grauaretur? Et pater igitur in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoq; cõmune consortium. Nec poterat fieri, ut bonũ generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ & eruditionis degener extitisset.

Hæc

Hæc ſecundum literam. Quod autem ad altiorem ſenſum pertinet, omnes mores peſſimi erroribus delectantur alienis. Non ſolum erroribus, ſed etiam iſs quæ ipſis uideantur mala eſſe, etiam ſi non ſint. Nudum enim Noe ſe non ſentiebat, qui amictu erat indutus ſapientiæ. Denicꝙ nec Adam in paradiſo poſitus nudũ ſe putabat, niſi poſtea quàm commiſit præuaricationis errorem. Et reus, amictu ſapientiæ ac iuſtitiæ, mandatorum cœleſtium præuaricatione nudatus, nudũ ſe uidit, & foliꝭs operiendum putauit. Ridet igitur Cham nudatum patrem uidens. Omnis nanꝙ improbus quoniam ipſe deuius diſciplinæ eſt, aliorum lapſus non ſolum pro ſui erroris ſolatio accipit, quod conſortes inuenerit culpæ, uerumetiam improbo lætatur affectu, tanquam ſua ipſe dicta correxerit. Mala mens ergo lætatur præter propoſitum quid alicui accidiſſe ſapienti: cum utiꝙ corporis lapſus in uitio eſſe non debeat, etiam ſi lapſus putetur, niſi animus quoꝙ inclinetur ad culpam. Poſtremo uenialia iudicentur huiuſmodi errata, non odio proſequenda, nõ habenda ludibrio. Sed mens, ut dixi, improba cum putat erraſſe ſapientem, inſultandum arbitratur ei, cuius ſibi putat mores eſſe contrarios, quod peccatum ſuum uelut tacito quodam ſapientis teſtimonio redarguatur: eoꝙ lætandum ſibi, quòd iuſto uiro nec erruditio ipſius profuerit, nec iuſtitia ſuffragata ſit, nec ea quæ ſecundum corpus ſunt, habuerint proſperos curſus. Hæc enim pro ſummis bonis apud improbos æſtimantur, in diuitiꝭs aut honore poſita, quæ tamen nullum fructum ad laudem uirtutis conferunt. Propterea inſipientiæ defenſores uidentur, qui uirtutis amatorẽ proſperorum munere eſſe fraudatum, qui omne bonum temporalibus magis quàm perpetuis æſtimandum putant.

De euidenti pietatis affectu in bonis filiꝭs Sem & Iaphet, qui nudatum amictu patrem uidere cauerunt. Et quomodo mens ſapiens retrorſum ambulet. Quid etiam ſignificet quòd ſomno recedente Noe ſobrius factus ſit à uino. Et quare ſcriptura Cham quem primo mediũ inter filios poſuit, poſtea minorẽ apellauerit dicens: Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior. Cap. XXXI

Vid eſt quòd Sem & Iaphet impoſuerunt ueſtimentum ſuper humeros ſuos & perrexerunt retrorſum, & operuerunt nudum patrem, & non uiderũt nudationem eius? Litera euidentem pietatis expreſſit affectum, quod nudatũ amictu patrem boni filij uidere cauerunt, ne paterna reuerentia uel ipſo minueretur aſpectu. Siquidem etiam tacito uultu pietas frequenter offenditur. Vnde etiam Romæ uetus fuiſſe uſus dicitur, ne filij cum parentibus & maximè puberes intrarent lauacrum. Senſus autem altior hoc habet, quia inſipiens præſentia tantummodo uidet quæ in oculis ſunt futura non reſpicit, præterita non cogitat: Sapiens autem & præterita recordatur, & futura conſiderat. Omnis ergo mens ſapiens retrorſum ambulat, hoc eſt præterita ſpectat, nec naturæ quodam uſu impeditur, nihil uacuum, nihil nudum ſuorum patitur eſſe geſtorum. Operit quæ aliter geſta ſunt, amictu quodam & gratia uel præſentis operis, uel futuri, ut nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat. Vnde & Apoſtolus ſuperiora obliuiſcebatur, priora appetebat: ſed obliuiſcebatur, ut abſconderet perſecutionis errores, ut tegeret ſuperiora delicta, boniſcꝙ operibus abundaret. Beati enim & illi quorum tecta ſunt peccata, id eſt, ſi tegantur bonis operibus, & operiantur uirtutum ſequentibus diſciplinis. Et ſobrius, inquit, factus Noe à uino. Manifeſtum eſt, ex ebrietate intercedente ſomno ſobrios fieri homines. Mens autẽ ſobria eſt quando & præterita & futura cognoſcit. Sobria ergo erat mẽs iuſti & quãdo ebria putabatur. Eſt enim præclarum poculum inebrians iuſtos. Ille antem uere inebriatus erat qui ridebat patrẽ. Qui enim neꝙ præteritam generationis gratiam, neꝙ præſentem reuerentiam patris, neꝙ futuram pœnam paternæ iniuriæ conſiderabat, uere ebrius erat, & quod putabat uidere ſe, non uidebat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem uidere non poterat. Nã ſi uidiſſet patrem, non utiꝙ riſiſſet. Neꝙ enim ridendus, ſed uerendus eſt pater. Multo autem amplius mentem iuſti inſipiens uidere nõ poterat. Quomodo enim uidebat, qui in eo putabat dubietatis errorem, ubi erat perfectus ſapientiæ cæterarumꝙ uirtutum uapor? ſicut ſcriptum eſt: Vapor eſt enim uirtutis dei. Quando enim mens magis ſobria eſt, quàm tunc quando naturam omnium rerum, temporumꝙ præſentium & futurorũ ita ſpectat negocia, ut nulla in eo temporalis titubatio ebrietatis appareat? Quæro etiã qua ratione cum ante medium dixerit inter filios Cham, nunc iuniorem conſtituat? Sic

Geneſ. 9

Geneſ. 9

Philip. 3

Pſam. 31

Geneſ. 9

Pſalm. 22

Sapien. 7

enim scriptum est: Cognouit Noe omnia quæ fecit ei filius iunior. Nunquid ante scriptura in ordine generationis errauit? Non utique. Quid ergo? Contraria nunc scripta sunt? Non arbitror. Quomodo igitur soluitur, nisi iuniorem non ætate, non tempore accipias, sed rudem sensu, & in quadam intellectus infantia constitutum, qui prouectioris doctrinam ætatis non hauserit, nec perceperit senile consilium? Cani enim quidem sunt sensus hominum. Et ideo, inquit: Cum ueneris ad seniorum consilium, claude os tuum. ut alibi habet sententia: Discendum enim prius est quàm loquendum. Aures ergo paratas habe, ut aliquid de sapientium consiliis consequaris. Lingua reprimenda est, auditio præparanda.

De benedictione Sem filij, & quare Noe dominũ & deũ dixerit, & specialiter deũ filij sui Sem. Et qua ratione cũ Cham peccauerit, non ipsum sed filiũ illius seruituti addixerit. Et benedictione filij Iaphet, & multiplici dilatatione bonorũ. Ca. XXXII

Genes. 9 B Benedicens filium Sem ait Noe: Benedictus dominus deus Sem, & erit Chanaan seruus eius.] Et dominum & deum dixit, & specialiter deum filij sui cui nomen Sem est, eo quod deus iustorũ est, hoc est deus montium, non uallium, qui gratiam habeant uirtutis excelsæ. Denicq; qua ratione cum filius eius Cham peccauerit, non ipsum sed filium eius seruituti addixit? Et fortasse ideo, quòd plus afficitur iniurijs filij sui, maximè quarum reus & author existat, & uehementius contristatur sui peccati damnationẽ à filio persolutam, qui non tam suo quã patris merito puniretur, denicq; qui doctrinæ paternæ discipulus esset filius, & pessimarũ æmulus cogitationũ, uno corpore utercq; uteretur & mente, eademq; malitia. Indifferenter igitur uel paternæ uel suæ malitiæ filius precium luit, quoniam improbitatis commune consortium est. Quod igitur pro patris soluit improbitate, sine dubio & pro sua soluit, culpæ eius reus: uel certe diutius pœna producitur cũ etiam ad filium usq; pertendit, & successoris afflictio in tempora multa profertur. Hoc secundũ literam. Cæterùm non tam hic homines quàm mores comprehenduntur, quorum in utroq; una natura. Nam Cham calor, Chanaan commotio & inquietudo. Qui enim calidus est, utiq; inquietus atq; commotior est. In duobus igitur erat una passio, & unus affectus. Itaq; cum alter addicitur, uterque damnatur.

Genes. 9 Cum sanctus igitur Noe benedicens filium suum Iaphet, ait: Dilatet dominus Iaphet, habitet in domibus Sem, & fiat Chanaan seruus eius: diximus supra Iaphet quasi indifferens bonum significari. Indifferentia autem latitudinem habet, quæ est in salute, uigore, decore, fortitudine, diuitijs, gratia, nobilitate, amicis, potestatibus, & cæteris. Sed hæc licet indifferentia bona sint, tamen pleriscq; nocuerunt, qui ea non cum sapientia & iustitia possederunt. Multos enim ebrios fecêre diuitiæ, nobilitas & potestas superbos, pulchritudo luxuriosos, cuius suffragatio alienæ menti corrupit castitatem. Ergo pro utentis affectu horum quæ diximus indifferentię sunt, quorũ usus aut uirtutibus regitur, aut certe sine gubernatione uirtutum fraudi esse incipiunt, quæ possunt esse utilitati.

Quid significet quod post diluuium Noe dicitur uixisse trecentis & quinquaginta annis. Et quod de generatione Iaphet Rhodus & aliæ insulæ sint nationum. Cap. XXXIII

Genes. 9 N Vnc quoniam post diluuium Noe dicitur uixisse trecentis & quinquaginta annis, nequaquam prætereundum putamus. Nam in trecentis crucem Christi significari certum est, cuius typo iustus à diluuio liberatus est. In quinquaginta Iubilæus est numerus remissionis, quo spiritus sanctus missus à cœlo est, gratiam humanis pectoribus infundens. Perfecto igitur numero remissionis & gratię, iustus curriculum uitæ huius impleuit. De generatione, inquit, Iaphet, Rhodus & aliæ insulæ sunt nationum. Non immerito latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturę, hoc est maritimam, generatio eius processit. Vere enim tanquã latitudo non fuit eo contenta quod in usum hominibus natura præscripserat, hoc est terrę possessione, uerumetiam introgressa est mare, ad insulas usq; processit. Hoc secundum literam. Secundum altiorẽ autem sensum, ea quæ extra sunt, quæ dicuntur bona, diuitiæ, potestates, honores quasi diffunduntur latius, nec tamen his contenti sunt diuites quæ in manibus & in cõspectu sunt, sed longe lateq; diffundunt suas cupiditates, dum aut pecuniarum compendiũ de ulterioribus quæritur, aut honor à pluribus, aut potestas diffusior, aut cupiditas.

Qua

Qua ratione Cham illius improbi filium seniorẽ scriptura fuisse memorauerit. Et quòd Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat uenator ante deũ. Et de interpretatione nominis Nemroth. Quodq; idem principium fuerit regni Babylonis.

Cap. XXXIIII

NVnc quæro, qua ratione Cham illius improbi filiũ seniorem scriptura fuisse memorauerit. Duo genera terræ. Vnum uelut arenosum & puluerulentum, imò ut expressius dicam, puluis. Aliud genus terræ fructiferum atq; fœcundum, hoc est terra solidior & profunda. Quid igitur improbus nisi puluerem generat, ex quo generatio esse non possit? Ideoq; propheta puluerem impijs comparauit dicens: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ. Eò quòd etiam secundum altiorem sensum infœcunda sit impiorum anima, quæ fructus utiles generare non possit. Qua ratione etiam Chus Nemroth gigantem genuerit, qui erat uenator ante deum? Quid aliud qui puluis & arena generaret, nisi terrenum hominem, eò quòd impius cœlestibus terrena præponat? Gigantes enim uoluisse pugnare aduersum superna fabulæ inducunt, & terreno ascensu ascendendum ad cœlestia putauerunt. Altiore autẽ sensu illud significatur, quod qui terrenas diligit uoluptates, eas sequitur, & putat his se posse ad dei gratiam peruenire, & regnum cœleste huiusmodi erroribus deferendũ: is aduersum cœlestia cõtumaci prælietur affectu. Propterea & in prouerbio est de eo qui dereliquerit, sicut Nemroth gigas uenator ante deum. Nemroth autem per interpretationem dicitur Aethiops. Color Aethiopis tenebras animę squaloremq; significat, qui aduersus lumen est, claritatis exors, tenebris inuolutus, nocti similior quàm diei. Venatoris quoq; usus in syluis, inter feras ac bestias cõuersatio eius. Irrationabilis ergo miscetur irrationabilibus passionibus, & ea quæ sunt malitiæ agrestis atq; præduræ, uenator huiusmodi explorare consueuit atq; his potiri atq; delectari. Deniq; Nemroth huius principium regni Babylon, hoc est confusio, eò quòd malitia & potestas non in simplicitate & puritate, non in distinctione uirtutis, sed in confusione uitiorum est.

Psalm. i

Genes. 10

Ibidem.

Ibidem.

FINIS.

CAPITA PRIMI LIBRI DE ABRAHAM.

De huius libri titulo, authoris intentione, tractandi ordine, rationisq; propositi negocij expositione. Cap. I

De fidei Abrahæ singulari deuotione, quam obedientia admirabili comprobauit. Ca. II

De cæteris Abrahæ uirtutibus, uidelicet prudentia, iustitia, charitate atq; parsimonia. Et quemadmodum rixas inter seruulos suos ac nepotis eius exortas, fibram discordiæ amputando sedauerit. Cap. III

De defensione immunitatis adulterij Abrahæ, qui ex ancilla filium susceperit. Et cur circuncisio mandata fuerit, & tamen hodie non obseruetur. Cap. IIII

De hospitalitate Abrahæ hospitum explorantis aduentum, & angelos hospitio susci-pientis, cum diligenti exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem. Cap. V

De exitio Sodomorum à domino Abrahæ reuelato, & de hospitalitate Loth aduenientibus angelus exhibita, criminisq; Sodomorum ob hospitalitatis uiolationem aggrauatione. Cap. VI

De pudicitia Saræ uxoris Abrahæ sæpius tentata, & tandem à deo pulchra donata prole. Cap. VII

De tentatione Abrahæ, & multiplici eius probatione. Cap. VIII

De morte uxoris Abrahæ, fletuq; eius, & sepulturæ officio. De solicitudine quoq; ipsius ad prouidendum filio suo Isaac de uxore. Cap. IX

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE ABRAHAM LIBER PRIMVS.

De huius libri titulo, authoris intentione, tractandi ordine, rationisq; propositi negotij expositione. Cap. I

ABraham libri huius titulus est, quoniam per ordinem huius quoque patriarchæ gesta considerare animum subijt. De quo nobis moralis primo erit tractatus & simplex. Nam etsi altiori disputatione processus quidam & forma uirtutis, & species quædam exprimatur, tamen forensia quoq; actuũ eius uestigia spectare, uirtutis profectus est. Etenim si ea quæ natura ad uictum generauit hominum, non unius, sed geminæ aut etiã uberioris gratiæ sunt: quanto magis ea quibus epulantur animi, non angusti sed abundantioris usus & multiplicis cibi esse æstimari conuenit? Nõ mediocre autem aut ociosum negotium. Etenim cum dominus deus noster hunc locupleti benedictionis suæ dote donauerit, ut eius gratia prouocaret cæteros, iustitutione corrigeret: Moyses quoq; imitandum nobis descripserit, ut corda hominum in uitium labentia, huius uiri contuitu uelut quodam terreno busto resuscitaret: non perfunctorium debet uideri si nos quoq; scrupulosius eiusdem uiri uersemus uestigia. Nam si sapientes huius mundi, & Plato ipse princeps philosophorum, non ueram aliquã sed fictam & adumbratam sibi eam quam legimus πόλιν proposuit ædificandam, ut doceret qualem rempublicam esse oporteret: atq; ita quam nec audierat nec uiderat in aliqua urbe describendã putauit, ut ij quibus hoc munus est, quemadmodum rempublicam regerent, instituí possent, & si condiscipulus Platonis Xenophon ille Socraticus fictis & ipse rebus personam uoluit informare sapientis in eo libro quem κύρου παιδείαν inscribit, ut ex intimo philosophiæ sinu regis iusti & sapientis disciplina procederet: quanto magis nos non compositam figuram sapientis uiri, sed expressam uirtutem & diuino institutam magisterio recensere intentius, & uias eius debemus persequi, quem Moyses ita descripserit, ut retro quodammodo se ipse respiceret.

De fidei Abrahæ singulari deuotione, quã obedientia admirabili cõprobauit. Ca. II

M Agnus plane uir, & multarum uirtutum clarus insignibus, quem uotis suis philosophia non potuerit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit, maiorq; ambitioso eloquentiæ mendacio simplex ueritatis fides. Itaq; cuiusmodi fuerit in eo uiro deuotio, consideremus. Ea enim uirtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum: meritoq; hanc ab eo primam exegit deus dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.] Satis fuerat dixisse, de terra tua. Ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo. Sed ideo addidit singula, ut eius affectum probaret, ne forte aut imprudenter cœpisse uideretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur. Sed sicut coaceruanda fuerunt præcepta, ne quid lateret: ita etiam proponenda merita, ne forte desperaret. Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, prouocatur ut iustus meritoq; exiuit, quemadmodũ locutus est illi dominus. Et exiuit cum eo Loth. Hoc est quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur, ἕπου θεῷ, id est, sequere deum. Facto præuenit Abraham dicta sapientum, & secutus deũ, exiuit de terra sua. Sed quia ante terra ei fuerat alia, hoc est regio Chaldæorũ, de qua exiuit Thara pater Abrahæ, & in Charran demigrauit, & quia secum eduxit nepotem suũ, cui dictum fuerat, Exi de cognatione tua: cõsideremus ne forte hoc sit exire de terra sua de huius terræ, hoc est de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus, qui dixit: Nostra autem conuersatio in cœlis est. & de illecebris & delectationibus corporalibus quas uelut cognatas animæ nostræ dixit, quam cõpati necesse est corpori donec eius colligata uinculo adhæret. Ergo exire de conuersatione terrena, & à secularibus oblectamentis & superioris uitæ moribus atq; actibus debemus, ut nõ solum loca sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia.

Genes. 12

Genes. 12

Philip. 3

ptibilia. Sunt autē corruptibilia in nobis, caro, delectatio, uox obnoxia passionibus corruptilibus. Per uocē autem passiones intelligimus. Vnde quoniā anima διμερὴς est, hoc est bipertita, & rationabile habens & irrationabile, quod diuiditur per carnē, & delectationis corporalis illecebras, cæterasq; passiones corporis: qui iustus est uir, rationabile animæ suæ ab irrationabili seiungere debet ac segregare. Hoc est enim exire de Charra, tanquam de cauernis quibusdam & cuniculis latibulisq; egredi. Latere enim criminosæ conscientiæ est. Et nos igitur sequentes Abrahā exeamus de latibulis. Si enim filij Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus, ut luceāt opera nostra bona coram deo, & corā hominibus. Iustus dicit opera sua regi, peccator seipsum occultat, sicut Adam se occultare cupiebat, sed latere non poterat. Paruit itaq; mandato Abrahā, nec ulla legitur mora interueniſſe. Egressus perambulauit usq; ad Sichem. Quod interpretatione Latina dicitur humerus uel ceruix: per quæ executionem præscripti operis intelligimus. Siquidē & in frā habemus scriptum: Supposuit humerum suum ad laborandum. Vnde per figuram locorum id expressum aduertimus, quod ad deuotionem suam sanctus Abraham non solum studio sed etiam efficacia probauerit fructuosa, qua ad quercū usq; peruenerit. Quo loco apparuit illi dominus, & dixit: Semini tuo dabo terram hanc. Vide quomodo promisso frequenti tanquam inualidum adhuc informet atq; instituat: & ipse memor sui, totum deo deputet, nihil sibi uindicet. Ideo & aram ædificauit deo, qui apparuit ei, & recessit inde in montem contra orientem Bethel, surgentem adhuc solē iustitiæ cupiens uidere. Ideoq; non in uallibus sed in monte tabernaculum sibi locauit, quia deus montiū est, & non uallium. Et inuocauit nomē domini. Vbi Bethel, id est, domus dei: ibi & ara. Vbi ara, ibi & inuocatio dei nostri. Meritoq; processus tantos habuit, quia deum sperabat sibi auxilio fore. Exercetur athleta dei, & duratur aduersis: in desertum abijt, famem incidit, in Aegyptum descendit. Compererat in Aegypto lasciuam esse iuuenum luxuriam, petulantem cupiditatem, uoluptatum intemperantiā. Aduertebat inter huiusmodi uiros intutam uxoris pudicitiam fore, sibiq; coniugis pulchritudinem periculo futuram: monuit uxorem, ut sororem se diceret. Quo docetur non magnopere decorem quærendum coniugis, qui uiro necem plerumq; gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris quàm uirtus eius & grauitas delectat uirū: Qui suauitatē quærit coniugij, nō tam superiorem censu ambiat, quā necessitates non terreant maritales: nō monilibus ornatam, sed moribus, Offendit plerumq; uirum si se uxor nobiliorē nouerit. Hæc proxima superbiæ sunt. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat: ideo uirum imparem non putabat, ideo quasi parem gratia diligebat, ideo nō censu est retenta, nō parentibus, non propinquis, sed uirū propriū quocunq; pergeret sequebatur: externa adijt sororem se eius asseruit, contenta si ita esset necesse, se periclitari pudore quàm uirum salute. Vt tueretur maritum, mentita est germanitatem, ne insidiatores pudoris eius tanquam æmulum & uindicem uxoris necarent. Deniq; simul ut uiderunt illam Aegyptij, admirati quòd speciosa esset ualde, induxerunt illam ad regem suum, & cum Abraham bene egerunt, tanquam fratrem eius quæ placuisset regi honorantes. Afflixit autem dominus Pharaonem afflictionibus magnis & sæuissimis, & domum eius propter Saram uxorem Abrahę. Magnū testimonium documentumq; castitatis. Intuēdus locus ita hortatorius, ut unusquisq; se castum præbeat, alienum non affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate alienam uxorem incestet, non incuria aut stultitia prouocetur mariti, aut longiore absentia. Adest præsul coniugij deus, quē nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat, uicē absentis mariti tuetur, seruat excubias, imò sine excubijs deprehēdit reum ante quàm faciat quod parauerit: in animis singulorum, in mentibus uniuersorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles deum: & si maritum euaseris, & si iudicem fori luseris, non euades iudicem totius mundi. Ille grauius ulciscitur iniuriā inopis, contumeliam imprudentis mariti. Maior est enim iniuria authorē quā custodem thalami spretum & non cōsideratum. Ipse quoq; Pharao, licet rex Aegyptiorum, quem & insolentia regalis potentiæ supinaret, & Aegypti lasciuia atq; luxuries à studio castitatis abduceret: uocauit Abraham, & arguit eum dicēs: Quid hoc feciſti mihi? Quare nō dixiſti mihi quia uxor tua est, sed dixiſti mihi quia soror tua est, & sumpseram eam mihi uxorem? & nunc ecce mulier tua ante te. Et si natura ferus ac barbarus, tamen significat

Ioan. 8
Matth. 5
Psalm. 44
Genes. 3
Genes. 12
Genes. 12
Ibidem.
3. Reg. 20
Genes. 12

etiam exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui prætendit ignoratiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus ius nouit naturæ. muta animalia licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua quæ non solum paribus suis copulæ seruent fidem, uerumetiam coitus unius castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quàm legum præscriptio est. Non mirum ergo si & iste Aegyptius rex deum timuit qui hominem non timebat, & pœnam soluit adulterij, qui nullis tenebatur reus legibus: statimq; ubi alienam esse cognouit uxorem, non solũ marito reddidit uerumetiam prosecutores dedit qui deducerent eum, ne quis de populo barbaro irrogaret uiolentiam uel peculio uiri, uel uxoris pudori. Pulcherrimus & hic locus ad incitandæ studium deuotionis, quòd is qui deum sequitur, tutus semper est. Et ideo deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorumq; gratia, nec uxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cœlestium, quia deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaq; magnum exemplum deuotionis Abrahæ, quòd cum uxore speciosa descendit in Aegyptum. Erat quidem iusto uiro cura coniugalis pudicitiæ, sed maius erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis uideretur cœlestibus. Itaque quoniam propter deum contempsit omnia, recepit à deo multiplicata omnia, sed primã deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam sciebat coniugi. Nam quia studio obeundi cœlestis oraculi uxorem quoq; in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam coniugij defendit.

De cæteris Abrahæ uirtutibus, uidelicet prudentia, iustitia, charitate, atq; parsimonia. Et quemadmodum rixas inter seruulos suos ac nepotis eius exortas fibram discordiæ amputando sedauerit. Cap. III

P Rimas igitur partes sibi iusto ordine uindicauit deuotio. Videamus & cæterarum uirtutum gratiam. Mulcebatur sanctus Abraham nepotis præsentia, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter seruulos nepotis & patrui.

Genes. 13 Aduertit prudentior, seruulorum dissensionibus dominorũ concordiã solui solere, amputauit fibram discordiæ, ne contagiũ serperet. Tolerabilius enim putauit ut copula sequestraretur, quã gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, si forte huiusmodi aliquid incideris, ut seminarium dissensionis auferas. Neq; enim tu fortior quàm Abraham. Ille declinanda censuit non despicienda seruulorũ iurgia. Et si tu fortior, caue ne alter infirmior, qui aurem prębeat seruulorum susurris. Frequenter indiuisa seruitia inter parentes discordiam serunt. Diuide potius, ut maneat amicitia. Indiuisa domus duos non sustinet. Nónne melius est emigrare cum gratia, quàm cohibitare cum discordia? Ipsa quoq; cuiusmodi esse debeat diuisio, patriarcha edocet. Firmior diuidat, infirmior eligat, ne habeat quod conqueratur. Electionis enim suæ partem non poterit calumniari. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi, nec diuisor grauatur. Nam quo prudentior, eo cautior, ut nec in diuisione circũscribatur, nec in electione fraudetur. Diuisit Abraham: quia non capiebat, inquit, illos terra habitare simul, quia nimium diuites erãt.] Seculare uitium ut diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitũ cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior ad possidendum est. Extendere agri terminos cupit, & uicinũ excludere. Nunquid huiusmodi Abraham? Minimè, quamuis in principio & ipse imperfectior. Vnde enim perfectio ante aduentum Christi? Nondum uenerat qui

Matth. 19 diceret: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ueni sequere me. Tamen ut minimè auarus electionem offert, ut iustus dissensionem amputat.

Genes. 13 Non sit, inquit, rixa inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia omnes nos fratres sumus. Nónne ecce tota terra ante te est? Discede à me. si tu in dexteram, ego in sinistrã: uel si tu in sinistrã, ego in dextram. Et leuauit oculos Loth, & elegit irrigua, regionẽ, inquit, Iordanis, quia tota irrigabatur, & erat sicut paradisus dei.] Plerumq; possessiones obueniunt hæreditariæ: aliæ utiliores, aliæ amœniores. Non utiq; in portione secundæ sunt. Nã incipit minui singularũ meritũ. Sed si nõ queunt partes de utilioribus cõuenire, conferant amœnæ utilioribus. Diuersa hominũ ingenia sunt, alios utilia, alios amœna delectant. Infirmior amœniora eligit, utiliora fastidit. Villicus nonnunquam utilis est, uel actor agri confertur urbano. Si insipiens sit electior, aut cocum eligit, aut uocalem,

calem, quem uenustioris gratiæ putat, refutat utiliorem. Plerunq; etiam ubi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat. Cito inuidiã mouent, cito in se excitant mentem auari. Hic tamen nihil dixit scriptura de eo quòd alia pars utilior, alia amœnior fuerit, ne studio Abraham cepisse oculos adolescentis uideretur. Amœnam partem unam descripsit, non addidit alteram utiliorem. Necesse erat ut de tota regione duas partes faceret: deinde præsentia non absentia diuidebat. Vna regio capere utrumq; nõ poterat. Quod potuit summæ esse iustitiæ, electionem obtulit. Loth amœnam elegit, quæ cito prędonum oculos incurrit. Hinc bellum inter reges, aduersariorum uictoria, incolarum captiuitas. Itaque etiam Loth infirmioris consilij precium luit, non terrarum infœcunditate, sed amœnitatis inuidia deceptus, ut etiam ipse captiuus abduceretur, quoniã uitio seruilis nequitiæ à potiore deflexerat, & partem flagitiosorum elegerat. Sodoma enim luxuria atq; lasciuia est. Ideoq; declinatio Latina interpretatiõe dicitur Loth, quòd is uitia eligit qui à uirtute declinat, & ad iniquitatem deflectit. Quo comperto Abrahã numerauit seruulos suos uernaculos, & cum trecentis decem & octo uiris adeptus uictoriam, liberauit nepotem.] Probatur diuisionis affectus, quando sic amabat nepotẽ, ut pro eo nec belli declinaret periculum. Quid est numerauit? Hoc est elegit. Vnde illud non solum ad scientiam dei refertur, sed etiam ad gratiam iustorum, quod in Euangelio dixit dominus Iesus, Et capilli uestri numerati sunt. Cognouit autem dominus qui sunt ipsius: eos autem qui non sunt ipsius, non dignatur cognoscere. Numerauit autem trecentos decem & octo, ut scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim asciscit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in domini nostri Iesu Christi passionem crederent. Trecentos enim τ Græca litera significat, decem & octo autem summam ιη, exprimit nomen fidei. Ergo merito Abraham uicit, non populoso exercitu. Denique eos quibus quinque regum arma cesserũt, cum paucis egressus uernaculis triumphauit. Sed qui uincit, non debet arrogare sibi uictoriam, sed deferre deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior. Sacrificium denique obtulit, decimas dedit: ideoq; eum Melchisedech (qui interpretatione Latina dicitur rex iustitiæ, rex pacis) benedixit. Erat enim sacerdos summi dei. Quis est rex iustitiæ sacerdos dei, nisi cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est, dei filius, sacerdos patris, qui sui corporis sacrificio patrem nostris repropitiauit delictis? Quantum aũt illud quod de prędа uictorię nihil uoluit contingere, nec oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi, mercedis susceptio & beneficij arrodit gratiam, Plurimum enim refert, utrum pecuniæ an gloriæ dimicaueris. Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur cõseruatoris gloria. Iure sanctus de prædа usurpare aliquid uel oblatum recusat, ne dicat qui dedit, Quia ego diuitem feci eum. hoc solum sibi satis esse testificatur, quòd pastui præliantium iuuenum profecisset. Dicet aliquis: Cum ipse uicerit, quomodo dicit ad regem Sodomorum. Nihil sumã abste: cum prædа utique in potestate uictoris fuerit? Docet militarem disciplinam, ut regi seruentur omnia. Sanè ijs qui secum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumenti tribuendam asserit, tanquam mercedem laboris. Ideoq; quoniam sibi mercedem ab homine non quæsiuit, à deo accepit, sicut legimus scriptum: Quia post hæc factum est uerbum domini ad Abraham in uisu, dicens: Noli timere Abraham, ego protegam te, merces tua multa erit ualde.] Non est serus ad remunerandum dominus: & ei to promittit, & multa largitur: ne infirmos animos per dilationem aliquam subeat pœnitentia, contempsisse præsentia: & uelut quadam usuraria largitate compensat, ut ubériora restituat ei qui captus non fuerit oblatione præsentium. Ab ipso quoque domino mercedem quam postulet, consideremus. Non diuitias ut auarus exposcit, non longæuitatem uitæ istius ut meticulosus mortis, non potentiam, sed dignum quærit sui hæredem laboris. Quid mihi, inquit, dabis? Ego autem dimittor sine filijs. Et infrà: Quia mihi semen ait non dedisti, uernaculus meus mihi hæres erit. Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares, ne huiusmodi suscipiant liberos quos hęredes habere non possint, ut uel transfundendę hęreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digno studeant matrimonio. Sed si Abrahę sententia ad corrigendũ minus proficit, accipe oraculũ dei huiusmodi condemnantis hęreditatẽ. Nõ erit,

Genes. 14

Luc. 12

2. Tim. 2

Genes. 14

Psalm. 109

Genes. 15

ibidem

Geneſ.16 inquit, hæres tuus hic, ſed alter qui exierit de te, ille hęres tuus.] Quem dicit alterum? Peperit enim & Agar filium Iſmahel: ſed non ipſum dicit, ſed dicit ſanctum Iſaac. Et ideo addidit, Qui exierit de te. Ille enim uere exiuit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus eſt. Sed per Iſaac legitimum filium, illum uerum legitimũ poſſumus intelligere dominum Ieſum Chriſtum, quem in principio Euangelij ſecundum Matthæũ Abrahæ filium legimus, qui uerum ſe Abrahæ geſſit hæredem, authoris illuminans ſucceſſionẽ, per quem Abraham reſpexit in cœlum, & ſplendorem poſteritatis ſuę agnouit non minus illuſtrem, cꝫ ſtellarum cœleſtiũ fulget claritas. Sicut enim ſtella differt à ſtella in claritate, ita & reſurrectio mortuorum, Apoſtolus dicit, eò quòd reſurrectiõis ſuæ donans conſortia, homines quos mors ſolebat terris abſcondere, regni cœleſtis fecit eſſe participes. Quomodo aũt Abrahæ propago diffuſa eſt, niſi per hæreditatẽ fidei, per quam cœlo comparamur, conferimur angelis, æquamur ſtellis? Ideo ait: Sic erit ſemen tuum. Et

1. Cor. 15

Geneſ.15 credidit, inquit, Abraham deo. Quid credidit? Chriſtum ſibi per ſuſceptionem corpoIoan. 8 ris hæredem futurum. Vt ſcias quia hoc credidit, dominus ait: Abraham diem meum uidit, & gauiſus eſt. Ideo reputatum eſt illi ad iuſtitiam, quia rationem non quæſiuit, ſed promptiſſima fide credidit. Bonũ eſt ut rationẽ præueniat fides, ne tanꝫ ab homine, ita à domino deo rationem uideamur exigere. Etenim cꝫ indignũ, ut humanis teſtimonijs de alio credamus, dei oraculis de ſe non credamus? Imitemur ergo Abrahã, ut hæredes ſimus terræ per iuſtitiam fidei, per quam ille mundi hæres factus eſt.

De defenſione immunitatis adulterij Abrahæ, qui ex ancilla filium ſuſcepit. Et cur circunciſio mandata fuerit, & tamen hodie non obſeruetur. Cap. IIII

Geneſ.16 § Ed fortaſſe dicat aliquis: Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de ancilla ſuſceperit filiũ? Aut quid ſibi uult hoc eſſe, ut tantus uir huic errori fuerit obnoxius, cuius tanta opera miramur? Et ideo ne quodam more nauigantium, locum hunc, quem plericꝫ uadoſum putant, declinaſſe uideamur, rationem eius explanare cordi eſt. Non abnuo quòd Abraham de ancilla ſuſceperit filiũ, ut cognoſcas quoniam non ſuperioris cuiuſdam naturæ ac ſubſtantiæ fuit Abraham, ſed unus è numero & fragilitate uniuerſorum hominũ. Denicꝫ & de regione Chaldæorum uocatus eſt, quos ſuperſtitioni uanæ intentos eſſe magis cꝫ cæteros accepimus: & ideo maiorem inuenit gratiam apud deum, quia poſterioribus renunciauit, ad priora ſe extendit, ut ſequeretur deum. Propoſitus eſt enim ad imitandum tibi, ut & tu aduertas cꝫ ſi peccatis renuncies, poſſis emereri domini miſericordiam. Mouere tamen aliquos poteſt quod iam cum deo loquebatur, & ad ancillam introiuit, ſicut ſcriptum eſt: Quia dixit Sara ad Abraham: Ecce concluſit me dominus ut non pariam, intra ergo ad ancillã meam, ut filiũ facias ex illa. Et ita factum eſt. Sed conſideremus primum, quia Abraham ante legem Moyſi, & ante Euangelium fuit, nondum interdictũ adulteriũ uidebat. Pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio eſt, ſed ex lege. Non ergo in legem cõmiſit Abraham, ſed legem pręuenit. Deus in para-

Ezech. 18 diſo licet coniugium laudauerit, non adulteriũ damnauerat. Non uult enim mortẽ peccatoris: & ideo quod præmij eſt, pollicetur: quod pœnæ, non exigit. Mauult enim miti

Exod. 20 bus prouocare, cꝫ ſeueribus terrere. Et tu peccaſti cum gentilis eſſes, habes excuſationem: ueniſti ad eccleſiam, audiſti legem, Non adulterabis: iam excuſationem delicti nõ habes. Tamen quoniam cum his mihi ſermo eſt, qui ad gratiam baptiſmatis nomẽ dederunt: ſi quis tantum crimen fecit, ſciat ſibi tribuendam ueniam, ſed quaſi ei qui crimen cõmiſerit: in reliquum tamen abſtinendũ nouerit. Denicꝫ illi adulteræ quam in Euangelio obtulerunt Scribæ & Phariſæi, ignouit quidem dominus ſuperiora, ſed ait: Vade, &

Ioan. 8 amodo uide ne pecces. Quod cum illi dicit, tibi dicit. Feciſti gentilis adulterium, feciſti catechumenus: ignoſcitur tibi, remittitur tibi per baptiſmum: Vade, & poſt hęc uide ne pecces. Habes unam Abrahæ defenſionem. Secunda illa eſt quod nõ ardore aliquo uagæ ſuccenſus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio cõiugalem poſthabuit thorũ, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandę ſobolis. Adhuc poſt diluuiũ raritas erat generis humani: erat etiam religionis, ne quis nõ reddidiſſe debitũ uideretur naturæ. Denicꝫ & Loth ſancti filiæ hanc cauſam quærendæ poſteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia priuatam

culpam

culpam prætexuit: Nec ociosum est quod uxor author facti inducitur, ut excusetur maritus, ne uago raptus errore credatur: Simul ut discãt mulieres diligere uiros, nec agitari uana suspicione pellicatus, aut inuidere priuignis, si ipsę liberos non susceperint. Vxori bonæ cordi erat excusare apud uirum sterilitatem suam: & ne causa esset uiro quod liberos non haberet, suasit ut intraret ad ancillam. Hoc fecit Lya, hoc Rachel postea. Discite mulier zelum deponere, qui sæpe mulieres in furorẽ incitat. Sed & uos moneo uiri, maximè qui ad gratiã domini tenditis, non cõmisceri adulterino corpori: Qui enim se iungit meretrici, unum corpus est: nec dare hanc occasionẽ diuortij mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprũ, adulterium est: nec uiro licet, quod mulieri non licet. Eadem à uiro quæ ab uxore debetur castimonia. Quicquid in eam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine. Ergo aduertistis quid debeatis cauere, ne quis sacramentis se indignum præbeat. Accipite etiam aliud, quia huiusmodi intemperantia soluit charitatem cõiugij, superbas ancillas facit, iracundas matronas, discordes coniuges, concubinas procaces, inuerecundos maritos. Simul ut ex domino conceperit ancilla, spernit dominam suam, tanquam ditior partu. Domina se despici dolet, maritum authorem iniuriarũ suarum arguit. Deniq; Sara ipsa marito ancillæ suæ potestatem dederat, & postea dicit ad eum: Iniuriam accipio ego ex te. Dedi ancillam meam in sinum tuum: ubi autem uidet cõceptum esse, spreta sum, inquit, coram ab ea: iudicet deus inter me & te. Quantus dolor, quàm grauis querela sit fœminarum, lectione exponitur. Da improuidum & leuem maritum qui morigerari nesciat, & diuortij causas exhibet. Sed Abraham uir moderatus & prudẽs: Ecce, inquit, ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit.] Maluit enim uxorem tenere, quàm famulam. Nec hoc tamen plenum remedium. Accepit potestatem irata uxor, & immoderatius ultione permissa utitur. Quod si Sara moderationem non tenuit, quæ tenebit? Ideoq; scriptum est: Et afflixit eam Sara, & fugit à facie eius. Duo sunt quæ comprehendit scriptura, ut & dominę grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorẽ ac superbiam. Quod afflixit eam Sara, ad iracundiam affligentis refertur: quòd Agar fugit, contumeliam seruili patientia non ferebatur, quæ sibi herilis contubernij uindicabat fastigium: indignata est iniuriam, quæ induerat insolentiam. Deniq; interroganti angelo quò iret, respondit: A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. Et hoc tumoris immodici, ut prius nomen diceret, postea dominam significaret. Illud ad iniuriam pręmissum, hoc ad expressionem personæ additum. Non placuit angelo ancillæ insolentia. Et ideo dixit illi: Reuertere ad dominã tuam. Vtiq; nõ latuisset angelum si ui suppliciorum uicta fugisset, & magis reprehendisset uerberantis sæuitiam, quàm fugientis discessionem. Sed ut ostenderet quia tanquam superba fugiebat, ne subiecta esset dominæ, addidit: Et humiliare sub manibus eius. Opto igitur ut hoc uitium nullus incidat: sed si quis inciderit, discat ancillam suam humiliare uxori suæ, nedum uult ancillam uindicare, excludat uxorem. Ergo Abrahã & unus de populo erat gentili, & causa posteritatis introierat ad ancillam, quia uxor eius sterilitatem suam obumbrare cupiens, author eius facti fuerat uiro: & tamen non ociosum est quod post hoc deus statim, quia alia eius opera probaret, pro huius facti pœnitentia dixit illi: Ego sum deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela. Quasi adhuc plenè non emeruisset, qui desperaret sterilis partum uxoris, & de ancilla posteritatem quæreret. Esto, inquit, sine querela, hoc est irreprehensibilis, ut de te uxor non queratur, nec quisquam tua facta reprehendit. Mutat ei nomen littera addita, ut Abram uocaretur Abraham, hoc est de patre uano, sicut habet Latina interpretatio, uocaretur pater sublimis, pater electus: uel de patre fieret & pater filij. Vanus erat cum deum nesciret: electus factus est postquam cognouit deum. Pater erat cũ de ancilla prolem haberet: sed pater filij non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus coniugio. Peperit Sara, & factus est pater filij. Circuncidi iubetur, accepturus ueri seminis hæreditatem. Nónne euidenter circuncisio carnis, præceptum est castimoniæ, ut aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu ac lasciuia refrenet cupiditates? Etenim circuncisionis uocabulo id præscribitur, ut omnis impuritatis fœtor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur. Duabus usi sumus defensionibus. Tertia quoq; est, quam nobis apostoli Pauli tribuit authoritas, qui ait: Illa quę gessit Abraham ut de

1. Cor. 6

Genes. 16

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ibid. 17

Gal. 4

ut de ancilla ſuſciperet ſobolem, in figuram facta ſunt, & ſecundum allegoriam dicta. Allegoria eſt cum aliud geritur, & aliud figuratur, ſicut etiam ipſe Apoſtolus docet, dicens: Sub lege uolentes eſſe, legem non legiſtis? Scriptum eſt enim: Quoniam Abrahã duos filios habuerit, unum de ancilla, & unũ de libera: ſed is quidẽ qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui aũt de libera, per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriã dicta. Nam hæc ſunt duo teſtamenta, unũ quidẽ à mõte Sina in ſeruitutẽ generans, quę eſt Agar. Duos populos oſtendens de Abrahæ generatione manare, unum Iudęorum: qui legis ſyllabis ſeruiat, eò quòd de ancilla in ſeruitutem uideatur eſſe generatus: alterum Chriſtianũ, qui ad remiſſionem peccatorũ cœleſtis gratiæ libertatem acceperit. Quod ergo putas peccatum, aduertis eſſe myſterium, quo ea quę in poſterioribus erant futura temporibus, reuelabantur. Deniq; addidit: Vos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filij eſtis. Ideo, inquit, nolite quærere opera legis, quoniam non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et ut ſcias quia Chriſtianis dixit: Et nos, inquit, in Chriſtum Ieſum credidimus, ut iuſtificaremur ex fide Chriſti, & nõ ex operibus legis. Agnoſcamus ergo quoniam hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt, ſi ad correptionem noſtram ſcripta cauere nolimus, ſed magis id agamus, ut cum ſimus liberæ filij, quæ eſt Sara, legis laqueis ſeruiamus: cum Abrahã liberam tenuerit, ancillam eiecerit. Quo loci pleroſq; moueri ſcio. Si enim bona eſt circũciſio, hodieq; teneri debuit: ſi inutilis, mandari non debuit, præſertim diuino oraculo. Sed cum Apoſtolus dixerit Paulus: Quia Abraham ſignum accepit circumciſionis: utique ſignum non ipſa res, ſed alterius rei eſt: hoc eſt, non ueritas, ſed indicium ueritatis. Denique ipſe expoſuit & expreſſit, dicens: Signum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ & fidei. Vnde non incongrue intelligimus quia circunciſio corporalis, ſignum circunciſionis eſt ſpiritalis. Ergo ſignum manſit donec ueniret ueritas. Aduenit dominus Ieſus, qui ait: Ego ſum uia, ueritas, & uita. Qui non partem exiguam corporis in ſigno, ſed totum circuncidit hominem in ueritate: ſignum deſtruxit: ueritatem induxit: quia poſteaquam uenit quod perfectum eſt, quod ex parte erat, euacuatum eſt: & ideo ceſſauit circunciſio partis, ubi refulſit circunciſio uniuerſitatis. Iam enim non ex parte, ſed totus homo ſaluatur, in corpore ſcilicet & anima. Scriptum eſt enim: Qui uult poſt me uenire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hęc eſt perfectio circunciſionis, quia per corporis oblationem redimitur anima, de qua ipſe dominus ait: Quoniam qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Supereſt illa nunc quæſtionis portio, utrum debuerit pars præmitti, quum eſſet uentura perfectio. Qui locus eſt facilis ad diluendum uel ad diſcernendum, ſi conſideremus quibus pars mandata ſit, quibus ſeruata perfectio. Pars enim mandata eſt ſecundum legem populo Iudęorum, illi dura ceruice, illi infirmo, illi qui deum ſuum non cognouit. Quum ergo partem non potuerit ſuſtinere, quomodo perfectionem ſeruare potuiſſet? Vt ſi puerulum literis imbuas, à ſingulis literarum elementis inchoandum eſt tibi, ut à ſingulis apicibus ad ſyllabas, à ſyllabis eum per ordinem ad nomina orationem' que deducas. Nec poteſt mare quiſquam nauigare intrepidus, niſi qui antè in fluminibus nauigauerit. Denique ſi quid aut conficiendi itineris, aut leuandi oneris puero uelis prouectioriq; mandare, nunquid æquanda onera ſunt, aut æquandus labor? ita igitur noueris his perfectionem circunciſionis eſſe ſeruatam, qui à Chriſto inſtituti ualidioribus idonei uiderentur, ut & fideles probarentur: quorum multitudo innumera crucem ſuam tolleret, ſuam' que pro Chriſto animam deuoueret: & increduli non poſſent reſiſtere, qui in totius corporis immolatione quæri ſalutem putarent, qui exiguum circunciſionis ſuæ ſanguinem ſalutem arbitrarentur. Conſiderandum autem quod in præputio poſitum uocauit deus, in præputio adhuc manenti legitimi filij promiſſa eſt hæreditas, ut non Iudæorum tantummodo patrem, ut ipſi aſſerunt, ſed omnium credentium authorem per fidem credas. Sara quoque ante circumciſionem uiri in unius literæ adiectione non mediocri remuneratione benedicitur, ut principatum uirtutis & gratiæ haberet, de qua nationes & reges Gentium ſpondet futuros, ut in ipſa typus non ſynagogæ, ſed eccleſiæ conſtitueretur. Quod autem promiſſo ex ea filio riſit Abraham, non incredulitatis, ſed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem: qui adorauit & credidit: & adiecit, Si mihi

Gal. 4

Ibidem.

Rom. 3

Ibid. 4

Ioan. 14

1. Cor. 13

Luc. 9

Ibidem

Geneſ. 27

centum

centum annorum nascetur filius, & si Sara nonagínta annorum pariet? Et dixit: Ismahel hic uiuat in cõspectu tuo.] Nõ est incredulus in promissis, nec auarus in uotis. Hoc est: Non dubito quod facias ut & centũ annorum seni dones filium, & naturę author, naturæ metas relaxes. Beatus cui ista donantur, sed tamen etiam hic Ismahel, quem habeo de uernacula, si uiuat in conspectu tuo, abundat mihi gratia. Deniq; dominus & probauit eius affectum, & petitionem non abnuit, & sua promissa firmauit.

De hospitalitate Abrahæ, hospitum explorantis aduentũ, & angelos hospitio susci-pientis, cum diligenti exhortatione ad hospitalitatis illius imitationem. Cap. v

D Ximus de Abrahæ deuotione ac fide, prudentia, iustitia, charitate, parsimonia: nunc etiam de hospitalitate dicamus. Est enim non mediocris ea uirtus. Vnde & Apostolus principaliter eam in episcopo esse oportere geminę scriptionis docuit autoritate, ut præsto sit aduenientibus, & occurrat obuiam & itinera exploret, & assit nõ quærentibus, & rapiat prætergredientes. Ante ostiũ sedebat Abraham, sedebat meridie. Quando alij requiescebant, iste hospitum explorabat aduentus. Meritò illi deus apparuit ad quercum Mambræ, quia fructũ hospitalitatis studiosissimè requirebat. Et respiciens, inquit, oculis uidit, & ecce tres uiri stabant supra illũ. Et cum uidisset illos, cucurrit obuiam illis. Vide primò fidei mysteriũ. Deus illi apparuit, & tres aspexit. Cui deus refulget, trinitatẽ uidet, nec sine filio patrem suscipit, nec sine spiritu sancto filium confitet. Hęc alibi plenius. Nunc moralis persequendi propositũ est loci. Nõ ociosus sedet, qui longè aspicit: nec aspexisse contentus, cucurrit obuiam. Festinauit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures quod facias. Festinanter enim manducare pascha lex iubet. Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Discere ergo & impiger esse debeas, ut possis præuenire hospitẽ, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet copia. Bona est hospitalitas, habet mercedem suam, primũ humanæ gratiæ, deinde (quod maius est) remunerationis diuinæ. Omnes in hoc incolatu hospites sumus. Ad tempus enim habitandi habemus hospitiũ. Emigremus propere, cauęamus ne si nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiã nobis post uitę istius cursum sanctorũ hospitia denegent. Vnde in Euãgelio Saluator dicit: Facite uobis amicos de Iniquo mammona, qui uos recipiant in æterna tabernacula sua. Deinde etiam in hoc corpore, ut scitis plerũq; oborit peregrinandi necessitas. Quod ergo alij negaueris, id in te ipse decernis: & quod aljs detuleris, eo te facis dignũ uideri. Si omnes eam sententiam nõ suscipiendi hospites sequant, ubi erit requies peregrinantibus? Relictis igitur humanis habitaculis, captabimus secessus ferarũ, cubilia bestiarũ. Sed pauperiẽ prætendis. Non opes à te hospes requirit, sed gratiam: non ornatũ conuiuiũ, sed cibũ obuiũ. Melior est, inquit, hospitalitas cum oleribus ad amicitiam & gratiam, q; si uitulos occidas ad præsepia cum inimicitijs. Hęc est grata omnibus, & accepta deo. Vnde dominus Iesus in Euangelio eum quicunq; dederit hospiti potũ aquæ frigidæ, cœlestium asserit præmiorum non exortem futurum. Deniq; Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiã reperit, & uxorem acquisiuit. Deinde qui scis an deum suscipias, cum hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, deum atq; angelos eius hospitio suscepit: quamuis & cum hospitem suscipis, suscipias deum. Sic enim scriptũ in Euangelio legis, dicente domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me. quod enim uni horũ minimorum fecistis, mihi fecistis. Vnius horę hospitio uidua illa quę susceptit Heliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tẽpore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilẽ, ut nunquam de hydria farina deficeret. Helisæus quoq; defuncti pignoris resuscitatione donata resoluit hospitij pensionem. Non sola tamen facilitas susceptionis, sed etiam sedulitas suscipientis & affectus quæritur. Vtrumque te Abraham docet. Cucurrit obuiam, rogauit prior, dicens: Domine, si inueni gratiam ante te, ne prætereris seruum tuum. Sumatur aqua, & lauentur pedes uestri, & refrigerate sub arbore, & sumam panem, & manducate, & postea transietis. Propter quod declinastis ad seruum uestrum. Tres uidet, & unum deum appellat, ipsius solius se seruum fatetur. Deinde conuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium: iam non iure debito seruitutis astrictus, sed blando sedulitatis nomine usu' que famulatus.

1. Tim. 3 ad Tit. 1
Genes. 18
Exod. 12
Luc. 19
Prouer. 15
Matth. 10
Genes. 29
Matt. 25
3. Reg. 17
4. Reg. 4
Genes. 18

Et se-

Genes. 18 Et festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, & dixit ei: Festina, & consperge tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Bonus maritus exortem religiosi muneris esse non patitur uxorem, nec auare sibi totum munus usurpat. Rectè igitur & pietatis & uerecundiæ causa seruatur. Quod pietatis est, uult esse commune: quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum uir hospitum explorat aduentus: intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ uerecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat. Nec solum ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dicit uxori, sociam deuotionis ostendens, nec fide disparem. Cōsperge, inquit, tres mensuras similaginis, & fac subcinericia. Græcè ἐγκρύφια dicuntur, hoc est abscondita, eò quòd latere debet omne mysterium, & quasi operiri fidei silentio, ne prophanis temere diuulgetur auribus. Hoc pascitur diuina maiestas, hunc epulatur affectū qui parcus loquendi sit, nec sacra in medium ferat. Breuiter autem mysterium docet Sara unius similaginis tres mensuras faciens, quæ typum Ecclesiæ habet, cui dicitur: Lętare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis. Hæc enim quæ intimo fidem spiritu fouet, eiusdem diuinitatis asserens trinitatem, pari quadam mensura atque reuerentia patrem, filium' que, & sanctum adorans spiritum, & maiestatis unitate concelebrans, personarum' que proprietate distinguens, hac deuotionem tuam fidei assertione conspergit. Mulier similaginem offert, hoc est, interiora spiritalis frumenti uel grani illius de quo dictum est: quod nisi in terram ceciderit, nullum fructum affert. Vnde & prima uidit dominicæ resurrectionis mysterium, & festinauit non passim omnibus, sed solis Petro & Ioanni intimare sacræ salutis nuncium. Vir currat ad boues, sumat uitulū, & sacramentum dominicæ passionis festinato impiger studio, non lento ocio remissus accipiat, tradat illud puero, qui innocentiam teneræ seruet ætatis, dolum nesciat, referre non nouerit, incorrupti corporis castimoniam custodiat. De quo puero ait dominus Iesus: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, nō intrabitis in regnum cœlorum. Huic puero & similibus eius etiam sanctus Dauid diuinæ laudationis dispensat officium, dicens: Laudate pueri dominum. Nec illud ociosum, quod cucurrit ad boues, tenerum uitulum & bonum sumpsit, & cum lacte apposuit. Denique & in Exodo cum pascha domini declararet, ait Moses: Agnus sine macula mundus, consummatus anniculus, masculus erit uobis ab ouibus & hœdis. Sumetis & occidetis, inquit, illum tota multitudo synagogæ ad uesperum. Vnde & hic meridies esse describitur, quando Abraham domino offert hospitium. Sed ad cœnam uitulus immolatur, & cum lacte manducatur, hoc est, non in sanguine, sed cum fidei puritate. Bonus uitulus, utpote qui peccata dilueret. Tener, quia non dura ceruice, sed molli iugum legis agnouit, crucis patibulum non recusauit. Et meritò tener, de cuius capite & pedibus & intestinis nihil relictum est, & os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit. Talem nobis legis figurauit umbra, talem ueritas Euangelij demonstrauit. Manducauerunt, inquit, illi: Abraham autem stabat sub arbore.] Aduertimus humilitatis officium commendare humilitatem. Abraham stabat, tu primam accubitionis partem occupas? Denique ea humilitas inuenit gratiam, ut promitteretur ei filius. Dixit autem ad illum: Vbi est Sara uxor tua? Qui respondit & dixit: Ecce in tabernaculo.] Nunquid ignorabat dominus, qui in posterioribus Sodomorum futura excidia denunciat, ubi Sara esset? Sed docere nos uoluit, quantus pudor esse debeat fœminarum, nec procaci occursu hospitum in se oculos inflectant, salua uerecundia ministerium suum exerceant. Abraham quoque auribus tuis ingerit in tabernaculo Saram degere, ut discas quid ab uxore exigas. Prouectior ætate iam Sara iuuenilem custodit uerecundiam, ideo dominus spopondit ei filium. Defecerant, inquit, Saræ fieri muliebria. Non ociosè additum, ne putares fœmineæ adhuc possibilitatis fuisse ut pareret. Risit autem Sara.] Quod indicium futuri magis, quàm incredulitatis arbitror. Risit enim, licet adhuc nesciēs quid rideret, & publicam esset in Isaac paritura lætitiā. Ideo negauit se risisse, quia ignorauit: ideo risit, quia prophetauit.

Gal. 4

Ioan. 12

Gen. 18

Matth. 18

Psalm. 112

Exod. 12

Gen. 18

Ibidem.

Ibidem.

De exitio

De exitio Sodomorum à domino Abrahæ reuelato, & de hospitalitate Loth aduenientibus angelis exhibita, criminisq; Sodomorum ob hospitalitatis uiolationem aggrauatione. Caput VI

Genes.18 I Xurgentes autem uiri, conspexerunt in faciem Sodomæ & Gomorræ.] Sicut uisitatio domini timentibus exhibetur, ita etiam impijs pœna peccati reponitur. Abraham deducebat hospites, ad humanitatis gratiam addebat obsequia. Sodomitæ pro pietatis officijs impuritatis augebant flagitia. Non cœlo, Ibidem inquit, Abrahæ puero meo quæ ego facio. Senilis utiq; ætatis Abrahã superius scriptura significauit, quia nonaginta & nouem processisset annos: quomodo nũc puerum dicit? Sed cum immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, stãdi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nónne conuenire nomen pueri uidetur? Officijs meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat. Datur itaq; iusto benedictionis gratia, & posteritatis hæreditas. Offensa autem peccatorum exponitur. Clamor, inquit, Sodomorum & Gomor Ibidem ræ impletus. Magna domini patientia, ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat, expectãs correctionem: nec cõmoueatur ad ulciscendum, nisi peccator mensuram excedat. Vnde & dominus Iesus in Euangelio ad Iudæos ait: Implete mensurã patrum Matth.23 uestrorum. Descendam itaq;, ut uideam secũdum clamorem illorum uenientem ad me, Genes.18 si cõsummabuntur: sin autem, ut sciam. Non ignorabat Deus peccata Sodomorum, sed propter te instruẽdum uerba huiusmodi loquebatur, ut tu propius scruteris eorũ commissa in quos uindicandum arbitraris. Descendam, inquit, ut uideam: hoc est, etiam tu descende cura, descende indaginis studio, ne quid sit quod fallat aut lateat absentem, ut oculis facinus deprehendas. Eminus positi multa nescire possunt. Quem clamorem autem ait, nisi forte quia ei quem nihil latet, clamant omnia, clamare uidentur singulorum crimina? Deniq; ad Cain dicitur: Sanguis fratris tui ad me clamat, hoc est non latet, sed Genes.4 clamat parricidium tuum. Itaq; uelut excitatur Deus flagitiorum nostrorũ clamoribus, ut aliquando uindicet, qui libenter ignoscit. Deniq; Abrahæ petenti ne simul perderet iustos tanquam iniquos, & interrogãti: Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, perdes illos? respõdit: Non perdã, inquit ciuitatem, si fuerint in ea quinquaginta iusti, & totum Genes.18 locum seruabo. Et sic per ordinem interrogationum, & responsionum uicem, etiam si decem iustos inuenerit in ciuitate, tamen propter paucorum iustitiam, impunitatem toto populo promittit. Vnde discimus quantus murus sit patriæ uir iustus, quemadmodũ non debeamus inuidere sanctis, nec temere derogare. Illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoq; si habuisset uiros decem iustos, potuit non perire. Quid sibi autem uult quòd ipsi qui ad Abraham simul cum domino uenerant, Sodomam petierunt uiri, nisi ut aceruaretur crimen eorum, si quos iustus hono- Genes.19 rauerat, his maiore sacrilegio impij uim conarentur inferre? Nam quod uiros dixit, euidens est ratio, quia speciem præferebant uirorum. Sodomam uenerunt uesperi, meridie ad Abraham: quia iusto refulget angelorũ præsentia, impijs tenebras affert. Tamen potest referri etiam ad tempus dominicæ passionis, quod uesperi uenerunt ad eũ qui à Sodomitanis contagionibus & totius urbis excidio erat liberãdus. Vesper erat antequam Christus ueniret: quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum squalor tenebrosus urgebat. Venit dominus Iesus, redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. Venerunt autem angeli duo Sodomis ad uesperã. Vbi gratia largienda est, Christus adest: ubi exercenda seueritas, soli assunt ministri, deest Iesus. Ibidem Sedebat Loth ad portam. Emendauerant Loth sanctum aduersa captiuitatis, & solicitiorem fecerant. Itaq; processu ætatis didicerat imitari parentem. Ad portam itaq; sedebat, ut excíperet aduenientes. Deniq; exurrexit obuiam illis. Perfectior cucurrit obuiã, iste exurrexit, & adorauit in faciem super terram, & dixit: Ecce domini, declinate in domum pueri uestri. Et coegit illos diuertere. Qui dicebãt: In platea manebimus. Cõmendatur hic iusti sanctitas, & angelorũ gratia. Illi nolebant aduentum suũ hospiti grauiorem uideri: ille quidem inter quos habitaret, sciebat, tamen domum suam offerebat periculis, quibus auferret hospites. Certè quo tardius acquiescebant, diutius tentando plenius cõprobabant. Viri autem ciuitatis Sodomorum circundederunt domũ ab infante Ibidem

usq; ad senem, totus populus pariter.] Prestruitur iudicij diuini æquitas, ne forte quis di
ceret: Quid peccauerunt pueri, ut omnes excidio inuoluerentur? Ita nullus illic iustus,
nullus innocens fuit. Audi scripturam testificantem: Quia circundederunt domum ab
infante usq; ad senem, totus populus pariter. Nulla ætas erat culpæ immunis, ideo nul
lus immunis exitij fuit. Et qui possibilitatem perpetrandi criminis nõ habuit, habuit af-
Genes. 19 fectum. Effœtæ uires senum, sed mens plena libidinis. Offerebat sanctus Loth filiarum
pudorem. Nam etsi illa quoq; flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat, secundum na
turam coire, quàm aduersum naturam delinquere. Præferebat domus suæ uerecundiæ
hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem: Denicq; illic quoq; inof-
fensa hospitalitas est, ubi nec germanitas satis tuta est. Percusserunt autem illos angeli
cæcitate, ut ostium domus quod aperire cupiebant, non reperirent. Hic quidem mirabi
lis angelorum declaratur potestas, ut obfusa impuris cæcitate, non reperirentur domus
ostia. Sed etiam illud ostenditur, quia cæca est omnis libido, & ante se non uidet. Simul
quod hospitum manibus reuocatus est sanctus Loth in domum, demonstratur imme-
Ibidem mor periculi, memor fidei, non eripuisse se periculo, sed obtulisse. Munitur pietatis lo
cus, quod manifestata sibi per angelos totius regionis euersione, & generos habere
Loth sanctus inducitur, & monere eos ut fugerent: simul ne deserendo eos, nec admo-
nendo, minus pius uideretur circa filiarum maritos, uel erroris earũ causa ipsi assignare-
tur, quæ destitutæ uirili consortio, concubitum inebriati expetissent patris. Non ergo
indefensum sinit scriptura uirum sanctum relinqui. cum in ea & tradidisse maritis filias,
& monuisse generos inducitur. Sed uisum est illis quod derideret eos, & tamen adhuc
morabatur Loth ut persuaderet generis suis: & pene non est profectus ut euaderet, nisi
urgentibus angelis, & tenentibus manus eius, egredi coactus esset. Nõ ergo profectus,
sed eductus est, & mandatum accepit ne respiceret retro, nec resisteret in tota regione
illa, sed in montem ascenderet. Hoc cũ illi dicitur, omnibus dicitur. Si uis ergo & tu eua-
dere, ne respicias retro, sed ante. Aspice ubi Christus est, qui dicat tibi: Vade retro, sicut
Matth. 16 Petro dicit: Vade retro me. ut Christum sequeretur, Christum uideret. Retro Sodoma
Coloss. 2 est plena flagitij, retro Gomorra uitijs scatens, criminũ regio. Ne tetigeritis, inquit Apo
stolus, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelã. Fuge ergo So-
domam, relinque ocyus, desere elementa huius mundi, ne te imminentia inuoluant pe-
ricula, non resistas fugiens, nec in tota uitiorũ regione remoreris. Qui non respexit eua-
sit: quæ respexit, non potuit euadere. Excusantur autem filiæ sancti Loth, quia putaue-
runt nõ uicinæ regionis, sed totius orbis fuisse illud excidium, se solas cũ patre superfiti-
tes omnibus populis remansisse. Et ideo, ne genus deficeret humanũ, paternum petisse
concubitũ, ut semen generationis humanę de patre suo resuscitarent. Nõ ergo libidinis
Genes. 2 uitiũ fuit, sed generationis remedium, quod nõ puto criminis ducí loco. Nam & Eua à
uiro sumpta, supra cuius costam ędificata est mulier, os de ossibus eius, & caro de carne
eius, tamen propter seriem successionis humanæ uiro mixta est. Subducitur tamen huic
admisso conscientia uiri iusti. Inebriatus enim uino, quid generet, nesciebat. Vnde non
mirum si puellas decepit opinio, quæ putarent totius populos orbis periisse. Nõ eadem
esset Loth sancti excusatio, qui audierat ab angelis locum illum, non totum mundũ es-
se periturũ. Sane discimus uitandam ebrietatem, per quã crimina cauere nõ possumus.
Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorãtes cõmittimus. Parum est quòd ea in-
flammat libidinem, accendit cupiditates corporis: ipsam quoq; mentem subruit, & ani-
mum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquantur qui nimio uino indulgent, ia-
cent sepulti. Ideoq; si qua per uinum deliquerit, apud sapientes iudices uenia quidem fa
cta donantur, sed leuitatis notãtur authores. Quanta ipsa deformitas, ut soluãtur uires,
incessus uacillet? Multi se fortes putant: num fortiores quã Loth? nũ cõtinentiores quã
Noe? Non utiq; uitia patriarcharũ scriptura exposuit, quos uictos uino legimus: sed ut
tu disceres quid caueres. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noe iustus dece-
ptus est, quia uini uis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth
filiabus se credidit, & per senectutem madidã uino solutus, cõmisit incestum ignorans.
tu sic bibe, ne capiaris. Instruant Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errãtes. Ideo
iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmetur magisterium cautionis.

De pũ dicitia

De pudicitia Saræ uxoris Abrahæ sæpius tentata, & tandem à Deo pulchra donata prole. Caput VII

D Eniq; ideo tentatur Saræ pudicitia, ut exigatur omnium. Nam & Abimelech in uxorem sibi eam sumpserat, & dixit ei in nocte Deus: Ecce tu morieris propter mulierem. Aduertimus adulteriũ diuino iudicio morte puniri. Ideoq; addidit: Hęc autem cõmoratur cum uiro. Habent quidem omnes uiri mulieris q; concubitus nulla legitimi matrimonij sorte celebrati suam culpam. Discite etiam qui ad gratiam baptismatis tenditis, uelut quidam fidei candidati, continentiæ disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem præter uxorem. Ideo coniugij tibi datũ est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori, noli quęrere solutionem, quia non licet tibi uxore uiuente uxorem ducere: nam & aliã quęrere, cum habeas tuam, crimen est adulterij: hoc grauius, quod putas peccato tuo authoritatẽ legę quærendã. Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ usurpet authoritas. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare cõiuge, sed omne quod nõ habet potestatem coniugij. tamen locus iste docet grauius crimen esse, ubi celebrati cõiugij iura temerantur, & uxorius pudor soluitur. Ideoq; cum prætenderet Abimelech quòd uxorem alienam esse ignorauerit, quã sororem esse uir ipse suam dixerit, respondit ei dominus: Ecce ego cognoui quoniã puro corde fecisti hoc, & peperci tibi, ut non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere eam. Cognoscimus uelut præsulem custodemq; cõiugij esse Deum, qui non patiatur alienum thorũ polluí. Et si qui fecerit peccare eum in Deum, cuius legem uiolet, gratiam soluat. Et quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortiũ. Fortasse te moueat qua ratione Pharao quæstionibus ab omnipotente Deo grauiter afflictus sit, ut supra legimus, cũ & ipse ignorauerit uxorem esse Abrahæ Saram, quam sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnã exceperit. uerum cum Aegypti regem noueris ducem fuisse uitiorum, qui quo plus habuerit licentiæ, eo plus flagitij cõmiserit: Abimelech autem & fidelis æstimatus sit Deo, ut meruerit audire: Et ego cognoui quia puro corde fecisti hoc: rex nõ afflictionis, ut Aegyptius, sed munitionis, quod Gerarũ quibus præerat, docet interpretatio: nõ est dubium cæteris operibus eius indignationem domini esse reuocatam, qui uere interioris arbiter est cõscientiæ, & animi ac mentis interpres. Deniq; non ut Pharao ille conuentus à Moyse recusauit & spreuit mandatum Dei: nec obsequium distulit, sed statim uocauit Abrahã, uxorem suam ei reddidit, precio se ipse multauit quòd uidisset alienam, dotem pudoris exóluit. Hinc quoq; colligí potest Abimelech regem clemẽtiora meruisse, quòd Abraham pro eo rogauit & impetrauit. Peperit enim & uxor eius, & ancilla eius, quas ante cõclauserat Deus propter Saram uxorem Abrahæ. quod æque ad œconomiã pertinet, ut Saræ partus Dei donatus promissione, etiam hoc fulciretur testimonio, cum aduertas Dei offensione & fœcundas sterilescere, & rursum domini uoluntate steriles fœcundari, iuxta quod scriptum est: Nónne sterilem & pariẽtem ego feci? dicit dominus. Quamuis ad Synagogæ illud & Ecclesiæ mysterium dictum accipiatur, quia & Synagoga partus habere desiuit, quæ successionis fraudata est posteritate: & congregatio nationum, quę sterilis erat cum Deum ignoraret, partus cœpit habere æternos. Vnde lectum est: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non paturis, quoniam plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet uirum. Genitus est autem Abrahæ filius Isaac, cũ esset annorum centum.] Et tu si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, exultationis hæreditatem. Dixit & Sara: Risum mihi fecit dominus. Quicunq; enim audierit, congratulabitur mihi.] Non utiq; hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus pleriscq; obnoxia est, ut interdum melius nõ fuerit generasse, sed de generatione qua unusquisq; peccator agens pœnitentiam, cum redimitur à morte, angelis solet exhibere lætitiam. Et dixit Sara: Quis annunciabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara?] Moralis locus. Prouocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis cõmendent uiris. Deniq; eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactauerint uberibus suis. Fecit autem Abraham cœnam magnam quando ablactutus est Isaac filius eius. Non mediocre istud, nec usitatum. Non enim quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham,

Genes. 20

1. Corint. 7

Marc. 6

Genes. 20

Esaiæ 66

Galat. 4

Genes. 21

Ibidem

Ibidem

ſed quia idoneus habitus eſt Iſaac fortioris gratiæ cibo,& uirtutis alimento,non adhuc,
1.Corint. 3 ut Corinthij,lacte potandus,ſed epulis ſolidioribus mãdatorum cœleſtium mentis ſuæ lacertos firmans.Proſperitatem cito ſequitur inuidia.Pepererat Sara,ablactauerat filiũ,
Geneſ.21 uidit ancillæ filium ludentem cum filio ſuo Iſaac, & dixit ad Abraham: Eijce ancillam,
Gala.4 & filium eius:Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.] Durum erat hoc uiſum Abrahæ, ut eijceret filium ſuum, licet eum quem ſuſceperat ex uernacula. Et tu noli te miſcere ancillæ,ne ſuſcipias ex illa filium,& uxor tua non patiatur cohæredem illum filio ſuo fieri. Vides enim hinc ſoluí gratiam matrimonij.Certe ſi incidiſti, & habes filium,eijce ancillam,& filium eius.Melius eſt enim ut ancilla quàm uxor recedat, & filius ancillæ quàm legitimus eijciatur.Quod ſi dubitaueris, ſi contempſeris uxoris tuæ ſententiam,& durum tibi uiſum fuerit,dicit tibi Deus quod dixit Abrahæ. Quod illi enim dixit,tibi dicit,& omnibus dicit:Nõ ſit durum ante te de puero, & de ancilla. Omnia quæcunq; dixerit tibi Sara,audi uocem eius,quoniã in Iſaac uocabitur tibi ſemen.]
Geneſ.21 Nuſquam alibi dixit: Audi uocem uxoris tuæ,niſi hic:id eſt, feciſti iniuriam uxori tuæ, & non mitigaſti affectum eius:ſuſcepiſti ex ancilla filium,& non honoraſti uxoris filiũ. Nũquid poteſt in ancillæ filio ſemen tuum uocari?Non utiq;.in legitimo enim filio uera ſucceſſio eſt.Sed uereris,quia filius tuus eſt,ne forte eiectus intereat atq; occidat.Nõ ei deerit mea gratia.Omnes alit Deus noſter, ſuffulcit uniuerſos, & iuſtos & iniuſtos.
Matth.5 Deniq; & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.Sicut fecit Abrahã, facito & tu. Eijce ancillam, ut ſecura uxor & inoffenſa maneat domi.Eijce & ancillæ filium, ut non habeat hæreditatis conſortium,qui non habet originis priuilegium.

De tentatione Abrahæ,& multiplici eius probatione. Caput VIII

Geneſ.22 ET factum eſt poſt hæc uerba,Deus tentauit Abraham.] Aliter Deus tentat,aliter diabolus.Diabolus tentat ut ſubruat,Deus tẽtat ut coronet.Deniq; probatos ſibi tentat.Vnde & Dauid dicit: Proba me Deus, & tenta
Pſalm.138 me.Et ſanctum Abraham probauit ante,& ſic tentauit,ne ſi ante tẽtaret quàm probaſſet,grauaret.Probauit eum cum exire de Charra iuſſit,& obedientem reperit. Probauit cum fidei titulo fretus liberauit nepotem,cum de præda nihil attigit, cum promiſit ſeni filium,& cum eſſet centum annorum,quamuis Saræ genitalia conſideraret emortua, tamen credidit, nec fide hæſitauit, qui poſſet hæſitare ratione ſterilitatis aut ſenectutis: probauit eum hoſpitij ſedulitate.Probatum igitur, quaſi fortiorem tentandum putauit maioribus,& quibuſdam imperijs durioribus. Et hic quidem exemplo docemur, quia ueris probatur quis,tentatur autem cõpoſitis & fictis. Non enim uolebat Deus immolari à patre filium,nec impleri hoc munus uolebat, qui ouem pro filio immolãdam obtulit:ſed tentabat affectum patris, ſi Dei præcepta præferret filio, nec paternæ pietatis contemplatione uim deuotionis inflecteret.Et dixit ad eum:Abraham,Abraham. Repetitione nominis mentem excitat,ut eſſet paratior.Deniq; reſpondit illi: Ecce ego. Et
Geneſ.28 dixit:Accipe filium tuum dilectiſſimum,quem dilexiſti Iſaac, & uade in terram excelſam,& offeres mihi illum holocauſtum in uno montium, quem tibi dixero.] Non ſinit ocioſum eſſe affectum patris.A principio eum ſtimulat:& pungit pietatis aculeis: & filij nomen addit ad nomen neceſſitudinis,& uim amoris. Non ſatis putauit dixiſſe filiũ, adiungit amantiſſimum,quem dilexiſti Iſaac.Quid eſt quod ait:Quem dilexiſti, & non dixit,quem diligis?Poſſumus quidem uti ad defenſionem ſcripturæ conſuetudine diui
Matth.3 næ,quia præterita plerunq; ponit pro futuris uel preſentibus, ut in Euãgelio habes:Hic eſt filius meus dilectiſſimus,in quo complacui. cum utiq; ſemper in filio placeat pater.
Pſalm.109 Et in Pſalmo habes:Dixit dominus domino meo,ſede à dextris meis. cũ ſemper ſedeat. Poſſumus tamen & amantiſſimum ad præſens accipere,& quem dilexiſti ad id, ut non recenti quodam impulſu amoris, ſed inolito diu & probato amore ſignificaret dilectũ. Quod enim ad tempus augetur,ad tempus reſoluitur:quod autem diu aut ſemper placuit,cito aboleri non poteſt.Poteſt & illud non abſurdum uideri, quia morituros plus diligimus.Hoc eſt,quem ante dilexiſti:quaſi iam non diligat immolandum. Nec ocioſe addit nomen ſancti Iſaac,hoc eſt,eum quem ſuſcepiſti de uxore unicum, ſuſcepiſti in ſenectute, ſuſcepiſti tanquam fidei tuæ præmium, remunerationem operum tuorum, ſuſcepiſti ex promiſſione Dei,non coniugis fœcunditate,ex qua alium ſperare nõ poſ-

ſis. Offeres

sis. Offeres mihi holocaustum: sed prius uade in terram excelsam. Interponitur spatium, ne præcipitari subito uideatur affectus, ut illa dilatione obrepat pietatis gratia, desiderium patris. Adiecit: In uno montium, quem tibi dixero. Et hic similiter, ut dum ascenderet senex, infringeretur impetus, lassaretur dextera, deficeret intentio: dum quæreret montem discere, dediscceret apparatum. Exurgens autem non solum sequenti die, sed etiam diluculo, ut attulisse nox moras studio festinantis, patris uideretur, strauit asinam suam, & sumpsit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidit ligna ad holocaustum. Docemur parata omnia ad sacrificium Dei ferre: discimus etiam apparatum sacrificij, & ministerij munus ipsi nobis uindicare, non delegare alijs. Senex Abraham, & dues pecoribus, atq; abundans seruitiorũ, non quæsiuit comitatus sui agmina: ipse quoq; ligna concidit, & obsequia maiora uiribus suis non intermisit. Venit autem ad locum quem dixit illi Deus, die tertia, & cum duobus ipse tertius proficiscitur, hostiam suam secum ducens, & die tertio ad locum sacrificij uenit. Salutaris hic numerus, & conueniens sacrificaturis. Denicq; & in posterioribus Moyses dicit ad Pharaonem regem Aegypti: Viam trium dierum ibimus, & immolabimus Deo nostro, sicut dixit nobis. Et rectè tertio die celebratur trinitatis sacrificium. Et respiciens Abraham oculis, uidit locum à longe. Solicite explorat, qui properat implere. Quamuis senilem studio celeraret gradum, tamen hoc serum putans præcedebat oculis: uigebant singulorum officia membrorum, licet senilia membra non possent uigere. Solet hebescere usus senum, ut etiam propinqua non facile conspiciant. Hic non solum uidit locum, sed etiam longe positus aspexit. Nec dubitauit uidisse, sed ait pueris suis: Sedete hic cum asina, ego autem & infans pertransibimus usq; illuc: & cum adorauerimus, reuertemur ad uos. Merito typus in asina, quia & ueritas in pullo asinæ. In hoc enim animante figuratur populus Gentilium, ante oneri subiectus, nunc Christo subditus. Isaac ergo, Christi passuri est typus. Venit in asina, ut crediturum populum nationum significaret. Ideoq; & dominus cum ad subeundam pro nobis passionem ueniret, pullum asinę soluit, quem ipse conscientia mitem atq; mansuetum iam Christo sua terga credentem ascenderat. Quod autem ait, Ego & puer pertransibimus uiam, demonstrat quod non deficeret in tanto apparatu pater, non cederet filius: aut quia pertransirent pietatis remedio tanti facinoris austeritatem. Addidit: Ad uos reuertemur. Prophetauit quod ignorabat, ipse solus disponebat redire immolato filio, sed dominus per os eius locutus est quod parabat. Captiose autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negocio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu. Accepit autem ligna holocausti, & imposuit Isaac filio suo: accepit & ignem ipse in manu, & machæram. Consecratur sacris hostia ministerijs, & cõmendatur futura. Quæ pietatis hostia, pij antè ministerij uectura est. Ligna Isaac sibi uexit, Christus sibi patibulum crucis portauit. Abraham comitabatur filium, pater Christum. Nec Isaac solus, nec Iesus solus. Denicq; ait: Solum me relinquetis, & non sum solus, quia pater mecum est. Dixit autem Isaac ad Abraham patrem suum: Pater. Qui dixit: Quid est fili? Pulsatur pietatis uocabulis patris affectus, & fluctibus quibusdã hinc atq; inde tunditur. Filius uocat patrem, pater dicit fili, ut ipso uerborum sono se recognoscat pater. quàm impossibile est ut ferire possit, cuius se uulneri subijcere optaret. Hæc nomina uitæ solent operari gratiam, non ministerium necis. hæc uocabula incitare ad pietatem, non ad mortem solent. Addidit Isaac dicens: Ecce ligna, ubi est ouis ad holocaustum? Et hic prophetat sermone, non scientia. Ouis enim à domino ad sacrificium parabatur. Respondit denicq; similiter & Abraham: Deus prouidebit sibi ouem ad holocaustum fili. Inflexibilis à studio deuotionis minister uocare filium frequenter non timet: ita erat intentionis soliditate fundatus: & hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Deo. Non solum autem hoc prophetauit quod statim accidit, quia Deus prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: uerum illud magis, quod non hæc hostia diuinę esset dispositionis, sed alia esset hostia quam Deus sibi pararet, ut mundaret orbem terrarum: illa esset omnibus acceptior, per quam multi patres offerrent filios suos, & separari ab hoc seculo à filijs non timerent. Quotidie offerunt patres filios suos, ut moriãtur in Christo, & consepeliantur in domino. Quanti patres occisis martyrio filijs lætiores ab eorum tumu-

Genes. 22

Exod. 3

Genes. 22

Genes. 22

Ioann. 16

lo reuerterunt? Venit Abraham ad locum sacrificio prædestinatum, & ædificauit ibi aram, & imposuit ligna. Quanta molimina immolaturi, ne raptus subito ad immolandum æstimaretur? Et colligatis manibus ac pedibus Isaac filij sui, imposuit eum in aram supra ligna. Nectit filio manibus suis uincula pater, ne refugiendo filius, & ui ignis exu-
Genes. 22 stus peccatum incurreret. Et dixit Angelus: Abraham Abraham. Tenuit quodāmodo manum eius diuina uox, & ictum uibrantis occupauit dexteræ. Non semel uocauit, ne aut nō plene audiret, aut fortuitam uocem putaret. Sic reuocauit, quemadmodum imperauit. Repetiuit uocem, tanquam ueritus ne præueniretur studio deuotionis, & una uox impetum ferientis reuocare non posset. Non iniicias, inquit, manum in puerum, neq; facias ei quicquam. Nunc enim cognoui quia timeas Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me. Hoc est dicere: Affectum tuum inquisiui, non factum exegi. Tentaui mentem tuam, si etiam filio dilectissimo nō parceres propter me. Non aufero quod donaui ipse, nec hæredem inuideo, quem largitus sum non habenti. Nec ociose hic quoq; ei dilectissimum filium dixit, ut illud quod supra dixit, quem dilexisti, ita dictum ostenderet, ne æstimares quod iam diligere desisset. Et respiciens Abraham, uidit, & ecce aries unus hærens in uirgulto.] Qua ratione arietem? Quasi præstantem utiq; cætero gregi. Qua ratione suspensum? Vt aduerteres hostiam illam non esse terrenam. Qua causa cornibus suspensum, nisi quod carnem suam uirtute superio-
Esaiæ 9 re à terris leuaret? iuxta quod scriptum est: Cuius principatus super humeros eius. Quis
Psalm. 148 utiq; significatur, nisi ille de quo scriptum est: Exaltauit cornu populi sui? Cornu no-
Psalm. 44 strum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus: Speciosus forma præ filijs hominum. Solus eleuatus & exaltatus à terris, quemadmodum ipse nos docet, cum loqui-
Ioann. 8 tur: Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum. Hunc uidit Abraham in isto sacrificio, huius passionem aspexit. Et ideo ipse dominus ait de eo: Abraham diem meum
Genes. 22 uidit, & gauisus est. Vnde ait scriptura: Vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus uidet: ut dicant hodie: Dominus in monte apparuit, hoc est quod apparuerit Abrahæ reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit arietem, uirgultum illud patibulum crucis. Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus omnia traxit ad se, ut ab om-
Ioann. 8 nibus cognosceretur: Vnde & ipse ait: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Hinc quoq; promeruit Deum Abraham. Denicq; hæc est tertia benedictio. Tres enim plenarias accepit benedictiones: Vnam post uictoriam, qua libe-
Genes. 14 rauit nepotem, quando occurrit illi Melchisedech, quando dixit ei dominus: Respice
& 15 in cœlum, & enumera stellas si poteris sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo,
Galat. 3 & reputatum est illi ad iustitiam. Aliam quando iussus est nominari, & signaculum ac-
Genes. 17 cepit circuncisionis: Tertiam, quando dilectissimum filium suum holocaustum Deo
& 22 non dubitauit offerre. Hæc iterum benedictio præstitit superioribus. In illis enim propagationem seminis Abrahæ promisit futuram. In hac autem ait: Et benedicentur in semine tuo omnes reges terræ, quoniam audisti uocem meam. Et nos ergo audiamus uocem Dei nostri, & obediamus præceptis eius, si uolumus apud eum inuenire gratiam.

De morte uxoris Abrahæ, fletuq; eius, & sepulturæ officio. De solicitudine quoq; ipsius ad prouidendum filio suo Isaac de uxore. Caput IX

Genes. 23

LOcus qui sequitur, habet mortem uxoris, fletum mariti, sepulturæ officium, quibus maritalis affectus probatur. Et surrexit, inquit, Abraham à mortuo. Docemur ut non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij, deferamus. Festinauit autem pro loco sepulchri precium soluere, cum gratis daretur, ut non in alienis locis, sed nostris potius ædificemus tumulos parentum uel proximorum. Sæpe enim cum alienationibus possessionum uenales fiunt quæ in
Genes. 14 ijsdem locis sepulturæ sunt. Hoc autem ideo Abraham fecit, quia nondum erant huiusmodi Dei templa, in quibus fidelium in domino reliquiæ conderentur. Senuerat itaque Abraham, quod boni est patris, debuit uxorem prouidere filio: sed propter oraculum Dei non poterat redire eò, unde iussus erat exire. Habitabat autem in terris Chananæorum, ex quorum genere legitimam successionem sibi quærere fugiebat. Et

uocauit

uocauit puerum seniorem domus suæ,& dixit ei ut iret in Charram,& de proximis suis uxorem peteret iuniori domino suo.] Disce hinc quòd etiã senioris ætatis seruuli pueri dicantur à dominis, uel à quibuscq; potioribus. Vnde & quidam poeta hoc sequendum putauit, siue in eorum usum qui sibi docti & sapientes uidentur, ipse hoc reperit, siue de nostris ipse trãstulit, siue translatum inuenit. Pascite ut ante oues pueri, submittite tauros. Vnde & pueros dicimus, quando seruulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem. Aduerte nunc uirtutem boni patrisfamilias, & considera primum, quod munus, & cui mandet, ut & tu ita instituas seruulos, ut liberis tuis paternum affectum deferant, officia exequantur. Inuentus est de seruulis senior, tamen qui ad uxorem prouidendam domino iuniori eligeretur, & constrictus ut iuraret, & mitteret manum sub femur domini sui. Per femur generationem intelligimus: generatio autem Abrahæ, Christus est. Vnde Apostolus ait: Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones,& semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed sicut in uno, & semini tuo, quod est Christus: ostendens per ipsum nobis sanctum sacramentum, per ipsum tutum auxilium fore. Constrinxit autem eum ut non de semine Chananæorum uxorem accersiret domino suo, quorum generis author patrem non honorauerat, & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos: ut cognoscamus fidem,& quandam hæreditatem de authoris prosapia in ijs requirendam, quos nobis uolumus adiungere. Cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in alijs, quanto magis in coniugio, ubi una caro,& unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo caue Christiane Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Caue, inquam, Gentilem aut Iudæam atq; alienigenam, hoc est hæreticam,& omnem alienam à fide tua uxorem accersias tibi. Prima coniugij fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum neget, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ: quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis. Simul ad orationem nocte uobis surgendum est,& coniunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à tuo Deo tibi quod sortitus es coniugium datum. Vnde & Salomon ait: A Deo, inquit, præparabitur uiro uxor. Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo quem non colunt, putent sibi connubij impartitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla cõmouent. Species illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu uel amori consule, uel errorem caue. Primum ergo in coniugio religio quæritur. Ideo Abraham proximam quæsiuit dare uxorem filio suo. Et tu proximam quære. Quis est proximus? Qui fecit, inquit, misericordiam. In Euangelio hoc dixit dominus Iesus. Et tu proximam seminis Abrahæ require, & propinquam proximi tui. Semen Abrahæ Christus, ipse est proximus omnium, qui super omnes fecit misericordiam, tollens peccatum mundi. Disce deinde quid in uxore quæratur: non aurum, non argentum quæsiuit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. Deinde interrogatus, si nollet uenire mulier, utrúmnam eò filium domini sui duceret, ait: Attende tibi, ne reuoces filium meum illò. Dominus Deus cœli, & Deus terræ qui accepit me de domo patris mei, & de terra in qua natus sum, qui locutus est mihi, & iurauit dicens: Tibi dabo terram hanc, & semini tuo, ipse mittet Angelum suum ante te, & accipies filio meo uxorem inde. Quod si noluerit tecum uenire mulier in terram hanc, purus eris à iuramento hoc. Quò proficiat hoc, considera diligentius. Non licet tibi accipere alienigenam. Sane si Christianam se faciat, & laudem habebis ex ea. Ne te quoq;, si recusauerit Christiana fieri, studium nuptiarum à fide deflectat, instruit lectio. Abraham enim sequentem deduci admonuit, residentem non expeti, nec eò filium pergere. Sane domini sui, qui se ab incolatu terræ in qua habitabat, adduxerat, non defuturam misericordiam, ut præiret studio petitoris, & puellæ inclinaret animum. Quasi propheta hoc dixit in caussa filij, & quasi moralis doctor docuit te sperare de domino, quod iuuare dignetur incrementum fidei quærentem. Et surgens puer profectus est in Mesopotamiam, & iuxta uoti seriem quod proficiscens seruulus uouerat, occurrit ei Rebecca habens hydriam super humerũ, uirgo speciosa valde, quam uir non cognouerat. Descendit autem ad fontem,& impleuit hydriam, dedit

Virgil. in Bucol. æglog. 1

Galat. 3

Psalm. 17

Prouerb. 19

Lucæ 10

Genes. 24

puero bibere,adaquauit omnes camelos eius. Vnde puer Abrahæ accepit inaures aureas ſingularum drachmarum,& duas uirias dedit in manus eius, decem aureorum pondus earum, & quæſiuit ab ea ſi locus eſſet hoſpitio,& cuius eſſet filia. Simplicitas quidem moralis exprimitur,quod nullus fuerit uel in coniugij petitione ambitioni locus, ſed dominus præſul coniugij petitionem impleuerit. Tamen ſpectare licet Eccleſiæ myſteria. Vbi inuenitur Eccleſia,niſi in Meſopotamia? Inde quæritur,ibi accerſit, ibi duobus ſtipatur fluminibus,lauacro gratiæ, & fletu pœnitentiæ. Etenim niſi peccata propria defleueris,niſi gratiam baptiſmatis acceperis,non tibi acquiritur Eccleſiæ fides, & quædam coniugalis copula.muniunt eam Tygris,hoc eſt prudentia,& Euphrates, hoc eſt iuſtitia,& illumihatio fructuoſa,à barbaris ſeparans gentibus. Virgo autem ſpecioſa
Pſalm. 44 ualde,cuius decorem nulla corrupit ætas.Specioſa ualde,quia ſpecioſus & ille præ filijs hominum qui eam acquiſiuit ſibi:quam uir non cognouerat.nulli enim uiro erat copulæ ius,ſed ſoli Chriſto debita.Hydriam habens ſuper humerum, qua lauat actus hominum.Et quia ex congregatione gentilium cõſtat,qua ſuos lauit:ideo legis quia deſcen-
Ioann. 4 dit ad fontem,& impleuit hydriam,& aſcendit.Samaritana illa uenit ad fontem,ſicut in Euangelio ſcriptum eſt,ſed non deſcendit: puteus ei uidebatur, nec impleuit hydriam. Denicꝙ ait:Hydriam non habeo.Non habebat unde actus ſuos lauaret.Hęc ſola deſcendit,hæc ſola cognouit fontem uerum:hoc eſt,non aquæ fontem, ſed uitæ æternæ, ſicut
Pſalm. 35 dixit Dauid:Quoniam apud te eſt fons uitæ,& in lumine tuo uidebimus lumen. Ideoꝙ habuit quod daret ſitientibus,quia credidit. Nam quæ non credebat, ait fonti huic uolenti ſibi potum dare: Vnde mihi habes dare aquam uiuã? Hæc autem habuit unde non ſolum puerum,ſed etiam camelos adaquaret, quæ non ſolum iuſtos rigare conſueuit, ſed etiam iniuſtos replere. Ideo accepit inaures aureas, & uirias quas miſit Abraham, tanquam meritorum ſuorum præmia.Fortaſſe audientes hæc filiæ quæ ad gratiam domini tenditis,& uos prouocemini ut habeatis inaures & uirias, & dicatis: Quomodo prohibes hoc epiſcope ut habeamus quod Rebecca accepit pro munere, & hortaris ut ſimiles ſimus Rebeccæ? Sed non has inaures Rebeca habebat & uirias,quæ lites in Eccleſia ſerere ſolent,quę labuntur frequenter:alias inaures habebat, quas utinam uos habeatis,alias uirias.Inaures Rebeccæ pij auditus inſignia, & uiriæ Rebeccæ ornamenta
Geneſ. 2 factorum ſunt.Has inaures habebat, quæ non grauarent aurem, ſed demulcerent: has uirias,quæ manum non materiali auro onerarent,ſed ſpiritali actu leuarent.Ideo & fratri & parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu ſume inaures quas tibi Abraham reliquit: ſume quas tranſmiſit uirias.Audi uerba domini Dei tui, ſicut ipſe audiebat: exequere iuſſa,ſicut ipſe properauit implere. Pulcherrimus autem locus ad inſtruendos eos quibus aliquid iniungitur, quod non prius manducauit puer Abrahæ appoſitum ſibi panem,quàm mandatum domini exequeretur. Quo impetrato,uaſa aurea & argentea & ueſtem dedit Rebeccę. Vbi ſponſata eſt Eccleſia,accepit uaſa aurea & argentea, in quibus eſſet theſaurus fidei:ſunt etenim uaſa in honorem,ſunt & in contumeliam. Quę ſint
1.Corint. 4 ea uaſa,audi:Habemus theſaurũ in uaſis fictilibus. Vaſa fictilia,corpora noſtra ſunt: fides noſtra,theſaurus eſt.Et fortaſſe iam etiam ipſa corpora noſtra, quæ theſaurum habent,aurea ſunt,quia ſunt plena prudentię:& argentea uaſa ſunt,quæ uidentur mandati cœleſtis alloquijs refulgere. Honorantur autem & parentes muneribus. Conſulitur puella nõ de ſponſalibus (illa enim iudicium ſpectat parentum. Nõ eſt enim uirginalis pudoris eligere maritũ) ſed iam deſponſata uiro de profectionis cõſulitur die. Nec immerito dilationem nõ attulit:iure etenim properare debuit ad maritum. Vnde illud Euripideon,quod mirantur plerique, unde translatum ſit, manifeſtum eſt. Ait enim in per-
Hermione in Andromacha Euripidis ſic loquitur. ſona mulieris, quæ tamen maritum uolebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias: Νυμφευμάτων μὲν τ' ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς Μέριμναρ ἕξει, κ' οκ ἐμὸν κρίνῳ τάδε. Hoc eſt:Sponſalium quidem meorũ pater meus curã ſubibit:Hoc enim non eſt meũ.Ergo quod & ipſi philoſophi mirati ſunt,ſeruate uirgines.Mulier etiamſi qua amiſſo cito marito adoleſcentula laqueum infirmitatis ſuæ timet incidere,ſi uult,nubat tantum in domino, ut electionem mariti parẽtibus deferat,ne appetentiæ procacioris æſtimetur author, ſi ipſa de nuptijs ſuis electionem ſibi uindicet.Expetita enim magis debet uideri à uiro, quàm ipſa uirum expetiſſe. Verecundiam prę̃mittat antequam nubat,quo ipſum coniugiũ plus cõmendet uerecundia.

det uerecundia. Sed illi uerba imitantur, opera imitari nequeũt. Ineſſe quoq; in eo præclarum eccleſiæ myſterium liquet, eo quòd nemo auſus ſit eam ante Chriſtum uocare. Soli enim Chriſto hæc erat uocandarum nationũ repoſita prærogatiua. Vocata autem non fecit moram, & ideo acceptior domino, quia populus Iudæorũ, qui erat ad cœnam uocatus, dignus non fuit uenire: cõgregatio autem Gentium ſimul ut accerſiri ſe uidit, occurrit. Denicq; ut ſcias non ſine myſterio eſſe: cum ueheretur camelo, uenit ad ſponſum, eo quòd populus nationum beluina quadam horridus meritorũ deformitate, qui formæ ſuæ nullum haberet decorem, fidem eſſet atq; conſenſum eccleſiæ recepturus. Nec illud ocioſum, quòd cum ueniret Rebecca, uidit Iſaac deambulantem: & cum interrogaſſet, quis eſſet, cognito quod ipſe eſſet cui duceretur uxor, deſcendit, & caput ſuum obnubere cœpit, docens uerecundiã nuptijs præire debere. inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ ſe obnuberent. Diſcite ergo uirgines quemadmodũ ſeruetis uerecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cũ Rebecca iam deſponſata deſignatum maritum aperto capite non putauerit uidendum. Quis ille eſt ſeruulus qui prouidit has nuptias? Vnus utiq; de Apoſtolis, & ille maxime qui ait: Viri fratres, uos ſcitis quia à diebus antiquis in nobis Deus elegit ex ore meo audire nationes uerbũ Euangelij. Vel ille qui doctor appellatus eſt Gentium. Ipſi enim cum legũtur, ait Ioannes Euangeliſta, acquirunt Chriſto animam, ut credat quæ ante non credidit: & cupientibus Chriſtum uidere, ſermonibus demonſtrant ſuis. Itaq; Abraham celebratis filij nuptijs, longæua ætate, & bona ſenectute compleuit diem.

CAPITA LIBRI SECVNDI DE ABRAHAM.

De continuatione huius libri ad præcedentem, cum pulchra profundioris intellectus apertione: & qua ratione menti dicatur, ſicuti & Abrahæ dictum eſt, ut exeat de terra, cognatione, & domo ſua. Quomodo etiam uolens perfectam purgationem conſequi, à tribus ſe debeat diſiungere. Caput I

De exitu Abrahæ, quemadmodum locutus eſt ei dominus. Et quod proceſſus illius uiri propoſitus ſit nobis ad imitandum, & ſcriptus ad experimentum: ac qualiter reformet ſe mens in Abraham, & per gradus & incrementa ſe colligat. Caput II

De perambulatione Abrahæ uſq; ad locum ubi dominum ſibi apparẽtem uidit: quem, quandiu Chaldæus fuit, uidere non poterat. Quòd etiam mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, Deum non uidet. De ædificatione quoq; Aræ per Abraham, & inuocatione nominis domini. Caput III

De abitu Abrahæ & demoratione in deſerto, deſcenſuq; in Aegyptum. Quòd etiam mens tunc probetur ac tentetur quãdo eſt in deſerto. Quid præterea ſignificet quod Abraham deſcendens in Aegyptum dixit Saræ ne ſe uxorem ſed ſororem eius appellaret. Quid etiam increpatio Abrahæ per regem Aegypti, uxoriſq; reſtitutio, & abeundi licentia. Caput IIII

Diſceſſus Abrahæ de Aegypto cum uxore ſua Sara quid ſignificet. Quid etiã quod eo inducitur rediſſe unde in Aegyptum deſcenderat. Cur præterea diuitias eius ſcriptura expreſſerit. Et utrum Loth quoq; nepos eius diues fuerit. Caput V

Qua ratione ſcriptum ſit: Et Loth qui ambulabat cum Abraham. Cur etiam dictum ſit quòd nõ capiebat eos terra. Qui prẽterea ſint paſtores, & quorũ animantium. Quæ rixa inter paſtores Abrahæ, & inter paſtores Loth, & quomodo illã ſedare curauerit Abraham. Quanta quoq; prẽmiſerit ne Loth diſcedere cogeretur. De inſolentia denicq; ipſius Loth, & electionis neſcientia. Et quid nos eligere debeamus. Caput VI

Quomodo ex locutione domini ad Abraham, & oſtenſæ ſibi terrę promiſſione doceamur quantum mens ſuperfluis portionibus & irrationabilibus exhauſtis proficiat. Quemadmodum etiam inſtruamur ex triumpho quatuor regũ contra quinq;, quantum uitia uitijs adiuncta noceant. Caput VII

Quemadmodum ex oblatione Melchiſedech admoneatur mens plena prudentię ac iuſtitiæ, ut deuotior ſit erga Dei cultum. Quodq; expeditione regis Sodomorum, ubi ſe uiciſſe putat, tentari ſe diſcat, & qualiter ex Abrahæ reſponſione contagiũ intemperantiæ

perãtiæ declinare poſſit. Cur præterea poſt euentum belli, mercedem dominus ſpo-
ponderit. Quid deniq; ſignificet quòd Abrahæ cura poſteritatis fuit. Ac de myſtica
interpretatione totius ſacrificij Abrahæ. Caput VIII

Quid ſibi uelit quòd poſt ſolis occaſum exceſſus cecidit ſuper Abraham. Et quomodo
ei non tam quæ futura erant declarabantur, quàm præſcribebantur quæ facienda fo-
rent. Quid pręterea ſingulariter per ſuperiora author ſignificari arbitretur. Cap. IX

Quid ſignificet oraculo domini ad Abrahã dicẽtis: Semini tuo, dabo terrã hãc, &c. Ad
quid etiã pertineat Sara uxor Abrahæ, quæ ſterilis fuerat. Et quid ancilla eius Agar
ſignificet. Qua ratione pręterea Sara concluſa fuerit, & Agar filios pepererit. Cap. X

Quid nos doceat oraculum quo dictum eſt Abrahæ: Circuncidatis omne maſculinum
ueſtrum, &c. Quomodo etiam plerique moueãtur ex hoc quod dominus dixit: Quo-
niam qui non fuerit circunciſus maſculus, &c. Qua ratione præterea Saræ una litera
fuerit addita, ac de futuri filij promiſſione &c. Quid deniq; ſignificet quod Abra-
ham in faciem ceciderit. Et de promiſſi confirmatione, & reſponſione domini ad A-
brahæ petitionem. Caput XI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE ABRAHAM, LIBER II.

De continuatione huius libri ad præcedentem, cum pulchra profundioris in-
tellectus apertione, & qua ratione menti dicatur, ſicuti & Abrahæ dictum eſt,
ut exeat de terra, cognatione, & domo ſua. Quomodo etiam uolens perfectam
purgationem conſequi, à tribus ſe debeat diſiungere. Caput I

ORALEM quidem locũ perſecuti ſumus, qua potuimus intellectus
ſimplicitate, ut qui legunt, morum poſſint ſibi haurire magiſteria. Sed
quia ex utraq; parte acuta eſt acies gladij, ex utraq; parte præliaris: ſimi
Hebr. 4 liter uerbum Dei, quod eſt acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans
uſq; ad diuiſionem animæ, quocunq; conuerteris, paratum inuenies &
opportunum ut animam legentis pertranſeat ad reuelanda prophe-
ticarum ſcripturarum ænigmata. Vnde non abſurdum reor referre ad altiora ſenſum,
& per hiſtoriam diuerſarum perſonarum, uirtutis formæ quendam proceſſum explica-
re: maxime cũ iam in Adam intellectus profundioris exordia deguſtauerimus. Adam
etenim mentem diximus, Euam eſſe ſenſum ſignificauimus, ſerpentis ſpecie delecta-
tionem expreſſimus: ſed ibi de ſumma beatitudine, & quadam naturali uirtutum amœ-
nitate per circũſcriptionem ſenſus & delectationis illecebram deflexus ad culpam eſt,
hic autem profectũ mentis ſpeculari datur. Hoc enim legislator prouide egit, ut quem-
admodum lapſum mentis demonſtrauit, ut illas erroris caueremus ſemitas, ita etiam
proceſſum mentis & quendam ſuperiorem reditum ſignificaret, ut quemadmodum
infracta mens reformare ſe poſſit, cognoſceremus. Purgauerat enim terram dominus
in diluuij infuſione, lauerat humanæ colluuionem fragilitatis: ſed non ſatis erat ad uir-
tutum profectum, niſi ut inſtrueretur homo, quemadmodum ſe regeret & gubernaret.
Abraham mentis loco inducitur. Deniq; Abraham tranſitus dicitur. Ergo ut mens quæ
in Adam totam ſe delectationi & illecebris corporalibus dederat, in formam uirtutis
ſpeciemq; tranſiret, uir ſapiens nobis ad imitandum propoſitus eſt. Deniq; Abraham
ſecundum Hebræos & ſecundum Latinos pater dictus eſt, eo quòd mens paterna qua-
dam authoritate, cenſione & ſolicitudine totum gubernet hominem. Hæc ergo mens
Geneſ. 12 erat in Charra, id eſt, in cauernis, obnoxia uarijs paſſionibus. Ideoq; dicitur ei: Exi de
terra tua, hoc eſt de corpore tuo. Exiuit de hac terra ille cuius conuerſatio in cœlis.
Et de cognatione, inquit, tua. Cognati ſunt animæ noſtræ corporis ſenſus. Diuiditur
in duo anima noſtra: in id quod rationabile, & in id quod eſt irrationabile. In eo au-
tem quod eſt irrationabile, ſenſus ſunt: ergo cognati ſunt partis rationalis, hoc eſt men-
tis. Et de domo tua, inquit, exi. Domus mentis, prolatum eſt uerbũ. Sicut enim paterfa-
miliâs habitat in domo ſua, & in poteſtate habet quemadmodum regat domũ ſuam, ita
etiam

etiam mens in sermonibus nostris habitat,& gubernat uerba nostra,& uis eius ac disciplina in sermone elucet.Et bonus paterfamilias à primo uestibulo domus estimatur:ita etiam de sermonibus nostris mens nostra perpenditur. Denicp etiam modulum uocis pulsat & reuocat.Ergo qui uult perfectam purgationem consequi, disiũgat se ab his tribus,à corpore,à sensibus corporalibus,à uoce. In quibus sunt omnes corporis passiones,& circunscriptiones sensuum quibus decipimur & illudimur.In nullo enim horum trium bonũ.Nec in carne,quamuis Epicuri schola,plericp etiã uoluptarij dirumpantur, laudes corporis delectatione.Necp in sensibus,qui sæpe ludunt,necp in sono uocis,quę falsis plerunqp animam demulcet cantibus,est perfectum bonũ hoc incorruptibile. Manifesta autem fides.Mortuo etenim homine caro corrũpitur,sensus pereunt,uox amittitur,remanet mens immortalis,incorpoream uitam recipiens. Vnde in alteram terram uocatur plenam beatitudine,ubi non falsa pro ueris,sicut in hac uita, sed uiuam rerũ cernat substantiam, eo quòd excussa corporis & sensuum & uocis nebulosa quadam imagine,corruptibilem caliginem deponat,& reuelata facie beatę uitæ gratiã lustret obtutu.Benedicã,inquit,te,& faciam te in gentem magnã.Immortalitatem spondet, cũ genus promittit.Genus enim immortale uidetur esse,Personæ mortales sunt singulorũ,ut hominum,ut equorũ,ut apum.De quibus ait quidam:At genus immortale manet. Tamen multo illud melius quod gentem magnã dixit,ecclesiæ perpetuã posteritatẽ, & generationem illã supernã,quę uere magna est.Itacp peccato moriamur, deo renascamur. *Genes. 12*

De exitu Abrahæ quemadmodum locutus est ei dominus. Et quod processus illius uiri propositus sit nobis ad imitandũ, & scriptus ad experimentum, ac qualiter reformet se mens in Abraham,& per gradus & incrementa se colligat.

Caput II

EXijt Abraham quemadmodum locutus est ei dominus.Hinc ferunt Gentiles septem sapientum sententiam: Sequere Deum, quasi inuentũ suum: cum longe anterior non dico Abraham, sed Moyses fuerit,per quem Lex data est dicens:Post dominum Deum tuum ambulabis. Exiuit ergo Abraham, in quo non tam profectio eius,quàm animæ eius deuotio,& mentis libertas. Exiuit de corporis uinculis,de illecebris delectationis.Denicp sic habes: Exiuit Abraham quemadmodum locutus est illi Deus.Supra habes,exi,dixisse Deum,in quo apertum imperium iubentis expressum: hic habes quemadmodum locutus est illi Deus. Quasi quidã confabulationis affectus cõprehenditur:omnia enim fecit quæ statuta sunt. Ante factum igitur Deus dicit quasi obnoxio,post factum loquitur quasi amico.Amicus est enim Deo, qui facit quæ imperata sunt. Vnde & in Euangelio suo dicit dominus Iesus: Vos amici mei estis,si feceritis quę ego præcipio uobis.Iam non dicã uos seruos.Sed (ut dixi) processus uiri sapientis propositus est nobis ad imitandũ, scriptus ad exprimendũ:nec perfectio.Adhuc enim reformat se mẽs in Abrahã,quæ in homine primo lapsa est. Et ideo per gradus & incrementa se colligit. Vnde & addidit:Et abijt cum eo Loth, hoc est declinatio.Id enim nominis significat interpretatio: eo quòd ut uiantes incognitam carpentes uiam:semitis aliquibus sępe falluntur,ut à directo deflectant tramite:& tamen si prudentes sunt,non deuiant,sed cunctabundi licet regionis ipsius contuitu uiam colligunt:ita & Abraham nutabundus quidem, tamen tramitem ueri sequebatur. Ducebatur plerunqp falsa specie bonorum, sed non penitus inclinabatur. Perfecti est enim non deflectere,prudentis non penitus declinare.Solus autem ille nũquam deflexit, de quo scriptum est:Ecce uirgo in utero accipiet,& pariet filium, & uocabis nomen eius Emmanuel:butyrum & mel manducabit:priusquam sciat aut proferat mala,eliget bonum: quoniam priusquam sciat puer bonum aut malũ,non credet malitię, ut eligat quod bonum est.Hoc Abraham facere non poterat,ut prius bona eligeret quàm mala sciret:sed præceptis inhęrebat cœlestibus,ne declinaret à uero.Ideo etiã & septuaginta & quinqp annorũ describitur exisse de Charra, quod septuagesimo perfecto remissionis numero sensus is sit qui possit inflecti. Delectationes enim horum sensuum faciunt, ut non semper erecta sit mens nostra,sed aliquando se inflectat,ut non intra cauernas corporis se,intra latibula uoluptatis abscõdat.Tamen etiam in his cuniculis positus ita euasit, ut sumeret uxorem suam,& nepotem,& omnem animã quascũqp possederat in Charran. *Ibidem* *Ioann. 15* *Luce 1* *Esaiæ 7*

Prudentes

Prudentes enim & continentes uirtutis atq; animæ possessores sunt, decorem morum mansuetorum eligentes. Qui autem amatores corporis sunt, delectationibus eius irretiuntur: quia irrationabilium in corporis habitudine omnis uirtus est, rationabilium autem in uirtutibus animæ ac disciplinis. Propterea scriptum est, quia possidebat animam suam, tanquam liberam regens, & nulli seruituti obnoxiã. Hoc ergo habet intentio doctoris, eo quòd etiam in illis diuerticulis & anfractibus constitutus, uel adhuc qui recentioris uel nondum perfectioris disciplinæ, locum patentem ad uitia, non est ita inflexus ad culpam ut demigrare non posset. Deniq; mentem suam ab illa lubrica possessione defendit & transtulit.

De perambulatione Abrahæ usq; ad locum ubi dominum sibi apparentem uidit: quem, quandiu Chaldæus fuit, uidere nõ poterat. Quod etiam mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, Deum non uidet. De ædificatione quoq; aræ per Abraham, & inuocatione nominis domini. Caput III

Gen. 12 E T perambulabat, inquit, Abraham usq; ad locum Sichem, ad quercum altam.] Nónne uidentur superflua esse, nisi rationem requiras, cum & altitudinem quercus non prętermiserit? Sed ubi ratio est, nihil superfluum. Sichem enim uel humerus uel ceruix significatur, quod est laboris uel exercitationis indicium. Vnde & Iacob uir exercitatus filio suo Ioseph eam præcipuam dedit. Ergo quia neq; sine dote naturæ, exercitatio ipsa per se perfectionem cõferre potest: & naturę gratia destituitur, si desit exercitatio: (est enim ingenioso adminiculum diligentia) inducitur is uir, ad cuius imitationem formaris, ad naturæ gratiam adiuncta exercitatione, ita fundatior & excelsior factus, ut usq; ad quercum altam transiret. Quæ arbor ut alta, ita etiam robusta, indicio est, nõ facile animam Abrahæ seculi huius procellis esse curuatã, sed mansisse sublimem, ut se æternis inquisitionibus ad altitudinem diuinæ cognitionis eleuaret. Deniq; continuo apparuit illi Deus. Nusquam superius habes quod uisus esset illi Deus. Vnde liquet eo referendum, quia quandiu Chaldæus fuit, hoc est, non solũ in regione, sed etiam in opinione Chaldæorũ, nõ poterat Deum uidere, quem intra mundum quærebat. Chaldæi enim mundum superiorem Deum dicunt, & etiam stellarũ domo, & stellarum cursu ferri asserunt ea quæ terrena sunt, & quodam coerceri uinculo. Vnde & deos stellas appellauerunt, eo quòd eas dominatum quendam habere supernum credant, quia quædam stellis ad terrena compassio est. Oportuit autem eos æstimare quia quod cõpatitur, nõ imperatorium ius, nec dominatum quasi Deus possit habere in eis quorum ægrescit cõpassione, cum sit & ipse mortalis & corruptibilis. Mundus quoq; cùm sit factus, utiq; ipse Deus nõ est, sed operator & cõditor eius. Ergo mens quandiu Chaldaicis erroribus inflectitur, non uidet Deum, quem in his quæ uidentur, non in his quæ non uidentur, esse putant. Quæ autem uidentur, temporalia sunt: nã quę non uidentur æterna. Sed non temporalis Deus. Non igitur uidetur. Non ergo mens ea uidet Deum, quæ disciplinam Chaldæorum sequitur. Vnde nec Abraham primum uidit. Quomodo autem poterat uidere eum, supra quem alterum esse arbitrabatur? Vbi uerò ad aliam demigrauit, non regionem, sed ueram religionem, paratã humilitati (hoc enim significat Chanaan) tunc Deum uidere cœpit, & eum cognoscere esse Deum, cuius inuisibili uirtute aduertit ea regi & gubernari. Hoc ergo scriptura docet, quia Abraham à stellarum obseruatione migrans, Deum uidit. Confirmatio testimonij adiungitur, quia in loco aram domino ædificauit, ei qui sibi apparuit. Impressus est enim typus iste ualidus in anima eius, & manifestata fides ueritatis. Suppetit enim grato uiro memoria, ingrato irrepit obliuio. Illi hærent à quibus adiuuatur, isti labuntur omnia quæ conferuntur. Statuit autem arã, sed non sacrificauit. Posset mouere, nisi meminisset processus mentis huius scripturæ serie seruari. Et ideo spectabat à Deo genus discere sacrificandi. Aduertebat enim irrationabilis animantis & mutę pecudis sacrificium, dignam diuino cultu hostiam nõ uideri. Nondum in Isaac typum cognouerat passionis futuræ, nõdum Melchisedech dederat ei benedictionis gratiam, ut ista cognosceret. Recessit, inquit, inde in montem contra Orientem Bethel. Incrementum deuotionis, montis significat eminentia: cuius ascensio, indicium est uberioris processus. Contra Orientem ideo, quia prophetabat uenturum iustitiæ solem, quod illic sapientia pararet sibi domũ,

Genes. 48

Ibidem 12

2. Corint. 4

Genes. 12

Ibidem

Ibidem 22. 14 & 12

& inde

& inde per uirginem suum prædestinaret exortum. Volebat ergo cognoscendorũ iam mysteriorum lumẽ accipere. Sicut enim sole mundus, ita splendore sapientiæ tota mens illuminabitur. Meritoq; posuit contra Orientem Bethel. Domus enim dei dicitur Bethleem, in qua natus est Christus. Vnde ait per prophetam deus: Et tu Bethleem non es minima inter principes Iuda, ex te enim exiet princeps, qui regat populum meum. Non dixit contra Bethleem, sed tabernaculum ipsum Bethleem appellauit. Ecclesia enim iustorum est tabernaculum. Iam illa quis non miretur mysteria, quod Bethleem iuxta mare Galilææ est ab Oriente? Etenim anima quæ meretur templũ dei appellari, uel Ecclesia, tunditur secularium curarum fluctibus, sed non subruitur: cæditur, sed non labefacta tur, commotiones fluctuum & insurrectiones passionum corporalium facilis premere ac mitigare. Spectat aliorum naufragia ipsa immunis & exors periculi, parata semper ut illucescat sibi Christus, atq; illuminatione iucunditatem acquirat sibi. Sicut enim oculi pascuntur primo diei lumine, ita etiam mens nostra alitur inuentis sapientiæ, & quibusdam eius radijs uidetur splendescere. Visibilis enim solis radijs terræ uaporantur, inuisibiles autem radij cordis nostri penetrant interiores recessus. Iterum ædificauit aram, & inuocauit in nomine domini. Processus fidei, in domini inuocatione significauit. Hoc adiecit superioribus. *Mich. 5* *Genes. 12*

De abitu Abrahę, & de moratione in deserto, descensuq; in Aegyptũ, quod etiam mens tunc probetur ac tentetur quando est in deserto. Quid præterea significet quod Abraham descendens in Aegyptum, dixit Saræ ne se uxorẽ, sed sororem eius appellaret. Quid etiam increpatio Abrahæ per regem Aegypti, uxorisq; restitutio, & abeundi licentia. Cap. IIII

ET abijt Abraham, & demoratus est in deserto.] Tunc probatur mens, quando in quodam deserto est, ubi nulla cupiditatũ lasciuia, nulla abundantia pecuniæ, nullus sumptus luxuriæ. Vtinam in hoc deserto esse possim, destitutus ab omni incentiuo cupiditatum, derelictus ab omni delinquendi studio, expoliatus iactantia & tumore. Sed quia uel deus nos tentari patitur, uel tentator incursat cum sibi uidetur in deserto mens esse quieta ab omni terrenarum uoluptatum appetentia: in Aegyptum impellitur, ubi compungi possit. Stimulus enim mentis, caro nostra est, & passiones eius compunctiones sunt nostræ. Ipsa est Aegyptus nostra, hoc est caro nostra, ipsa est afflictio. In hanc descendit mens nostra quando cogitat quę carnalia sunt. Tunc autem ascendit, quando inuisibilia desiderat. Ideo & Abraham dicitur descendisse in Aegyptum, ut affligeretur. Patitur hoc mens nostra, interdum separat se à corpore, secernit ut singulariter agat, incorporalibus intendere atq; adhærere cupiens. Interdum propter colligationem animæ & corporis inclinatur ad carnales uoluptates, quibus infirma sub ijcitur, fortior non tenetur. Afflictiones igitur forti uiro coronæ sunt, inualido infirmitates sunt. Vnde & ille nõ timebat afflictiones, quibus probaretur merito, qui dicit: Nam & cum uenissemus in Macedoniã, nullam requiem habuit caro nostra, sed in omnibus fumus afflicti: foris pugnæ, intus timores. Sed ut descenderet in Aegyptum, fames coegit. Exoritur sæua mentis fames, quando appetentia carnis huius exundat, & expectatæ aquæ saluti aduersæ sunt. Redigunt nos in angustias corporis, cum habendi cupiditas irrepit luxuriæ suauitate, & cordis iactantia tentantur omnes. Inflectitur etiam sobrius animus, descendit in Aegyptum, hoc est in afflictionem corporis. Sic tamẽ descendit, ut quasi aduena ad tempus incolere, non quasi ciuis possidere uideatur. Iustus enim dixit: Aduena sum in terra hac. Et alibi: Heu me quod incolatus meus prolongatus est. Descendens autem Abraham in Aegyptum, hoc est ad feros & barbaros mores, qui uirtuti deferre nescirent: ne nocerent per inuidiam, dixit Saræ ne se uxorem eius diceret, sed sororem eius appellaret.] Et hinc grande uirtutis mysterium, cui cito inuidetur. Et ideo ut inuidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. Non sibi principatum super omnes uindicet: non sibi soli sapientiam præcipuam arroget. Hæc est quam sibi Salomon uxorem acquisiuit. Vxor enim præcipue est uiro debita. Itaq; omnes cupiunt tali se copula dignos uideri, ut doleãt aliquem sibi præferri. Quis tanta solus potiatur pulchritudine? Soror autem quodam uel iure germanitatis, uel nomine pleriscq; sociatur. Et ideo uerum amatorẽ suũ integrũ ab iniuria reseruat. Vnde uidentes eam Aegyptij, qui non possent *Ibidem.* *2. Cor. 7* *Genes. 12* *Psalm. 118* *Psalm. 119* *Genes. 12* *Genes. 12*

discernere,nec uirtutis formam cognoscere,uulgari æstimantes iudicio, induxerunt ad tyrannum, hoc est ad mentem superbam, quæ pondus sapientiæ non sustinuit,& ideo afflicta est.Etenim cum animam improbã uirtutis intrauerit sermo,redarguit eam culpę erroriscp pudore afficit,& prolapsionis torquet dolore. Namcp dum in quadam sumus delinquendi libidine,nebulis quibusdam insipientię mens obducitur,& fumo quodam iniquitatis oculi eius caligantur,ne uideat eorum quæ cõcupiscit deformitatem. Sed cũ omnis nebula transierit,& sapientiæ fulgor fulserit,grauia tormenta exercentur in quodam male conscij secretario.Itacp grauior nostra mens iudex est conscientiæ reatu, & iudicio pœnitentiæ.Quod si uel ægra per culpam, uel inualida per infirmitatem non potuerit ferre ac perpeti uirtutis præsentiã,dimittit eam,acp se relegat, ne patiatur eam uolui in se,& adhęrere cogitationibus suis.Et ut infirmiores oculi lucem refugiunt:ita mẽs
Matth. 8 inualida sapientiæ fulgorem non sustinet. Tales erant Geraseni, qui rogabant ut transiret de finibus eorum dominus Iesus. Denicp & iste rex Aegypti ait ad Abraham: Quid
Genes. 12 hoc feciſti mihi? Quare nõ dixisti mihi quia uxor tua est, sed dixisti quia soror tua est,& sumpseram mihi uxorẽ? Et nunc ecce mulier tua ante te, accipe, & recurre hinc.Intueamur animo intemperantem aliquem,qui intuitus castitatis gratiam, quodã captus eius decore sequendã putet.Deinde pedissequas eius nescięs quibus colligata incedit,& stipata aduenit,sobrietatem scilicet,modestiam, ac uerecundiam, parsimoniam cibi,fugã lasciuiæ,procacitatis,petulantiæ cautiorem feriam,solicitam custodiã, subito aut ebrietatis succensus calore,aut ipsius carnis æstu, ad occursum formæ decentioris nequaquã se teneat,nec legi carnis repugnet:nónne dicit:Putaui rem faciliorem, castimoniam sequi:supra humeros meos,supra uires meas est.Rarus cui ista iungatur. Vale castitas,recede recede de finibus sensuum meorum. Recurre cito eò,unde huc ueniſti, non sustineo præsentiam tuã.Affligor grauibus quæstionibus,dum tenendam te arbitror, quam tenere non possum.Conuersus deinde ad aliquem monitorem sui, qui studuerit in eius mentem inducere assuetudinem castimoniæ,allegans non arduam fore, nec impossibilem,sed pluribus sociam,finitimam studiosis,conuenientem uoluntarijs. Quid hoc,in-
Ibidem. quit,feciſti mihi? Quare non dixisti mihi quia uxor tua est? Hoc est,quæ non perfuncto rie,sed legitimo teneatur coniugio,secum maximam uehat dotem, quæ inuehat grauia onera matrimonij,& duræ fœnus coniunctionis.Sed dixisti sororem, nullis adstrictam legibus,& naturæ sociam,non iure aliquo dotalis census superbam ac potentem. Itacp imprudens onerum eius copulandam eam mihi & tenendã putauerã:sed intellexi quod pondus sit in ea & sarcina.Ecce mulierem tuam, id est ecce persuasio tua ante te,accipe, & recurre.Nolo ante me sit,nolo in meis cogitationibus. Tolle te hinc cũ tuis consilijs, cum tua admonitione,cito tolle, cito recurre,moras tuas non fero,afflictiones sunt mihi.Satis est,quòd ante deceptus sum. Et misit alumnos suos quibus uagatur plerunque mens intemperãtior,uoluẽs animo cogitationes luxuriæ,ambitionis,auaritię,& diuersas illecebras offerens,ut eliminarẽt,ac longe propellerent castimoniã, ne recursum faceret in eos fines quibus fuerat expulsa,quo secura iam & arbitrij serioris libera, in peccatis suis redargui non formidaret.

Discessus Abrahæ de Aegypto cum uxore sua Sara quid significet.Quid etiam quòd eò inducitur redijsse unde in Aegyptum descenderat. Cur præterea diuitias eius scriptura expresserit.Et utrum Loth quocp nepos eius dives fuerit. Cap. V

Genes. 13 Iscessit itacp Abraham inde,habens secum uxorem suam Saram,hoc est prin
D cipalem,non seruientem.Ideo & dicitur illi:Audi Saram uxorem tuam. Quę enim seruitio delictorum se exuit,principatum habet, non seruitium. Mens ergo ualidior principalem uirtutem secum habet,hoc est, imperitantem corporis sensibus,non obedientem. Quæ de Aegypto secum omnia retulit, nihil ibi disciplinarum suarum amisit.Non colorata est intemperantia, insolentia flagitiorum, immodestia,nõ expoliata est amictu sedulæ sobrietatis,non exuta uestimento pudoris. Erat dives ualde,utpote cui nihil bonorum deerat,qui non alieni erat appetens,qui nullius indigebat quod suum dici uellet.Hoc est enim esse diuitem,quod satis uoluntati sit.Mensurã enim frugalitas habet,census non habet, cuius modus in arbitrio quærentis est.Erat enim di-
Ibidem. ues pecoribus,argento,& auro.Quid sibi hoc uult? Non mihi uidentur in homine iusto

seculares

seculares diuitiæ laudari. Vnde in pecoribus corporales sensus intelligo, quia & ipsi irrationabiles sunt, in argento sermonem, in auro mentem. Merito dives erat Abrahã, quia regebat sensus irrationabiles. Deniq; & domuit, & mansuetos fecit, ut fierent rationabiles. Habebat sermonem fidei calore splendidum, purgatum spiritalis gratia disciplinæ habebat mentem plenam prudentiæ. Et ideo auro comparatur mens bona, quia sicut cæteris præstat metallis: ita mens bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portionibus. In tribus igitur census sapientis: in sensu, in sermone, mẽte: gradus quidam per ordinem factus: sicut etiã in Apostolo legimus: Manet autẽ spes, fides, charitas, tria hęc, maior autẽ his est charitas. *1.Cor.13* Et mens igitur maior est, quia ipsa est quæ molit spiritale frumentum, ut purgationem sensuum sermonumq; proferat. Seruatur ubiq; persona sapientis uiri. Deniq; eò inducit redijsse Abrahã, hoc est, in Bethel, unde in Aegyptũ descenderat, ut agnoscamus quòd etiam iusti in domo dei positi, & uerbo dei intenti tentantur quidem secularibus afflictionibus, sed non alienantur à domo dei, & à custodia præceptorum cœlestium. Si uis contentus esse finibus, non extolli diuitiarum copijs, & rebus secundum gratiam uoluptatum fluentibus, hoc scias esse mentis optimæ, meditari semper principium & finem, eò procedere, & inde egredi, hoc est, bonum. Bonum autem sapientia est. Nemo eñ bonus nisi unus deus. *Marc.10* Ab eo procedimus, creati per ipsum: ad eum reuertimur, quia cum Christo esse multo melius. Et ut scias quia bonum est congruere principium & finem, ipse ait bonus Iesus: Ego sum α & ω: principiũ & finis. *Apoca.1* Mens igitur nostra cũ ipso semper sit: ab eius templo, ab eius uerbo nunquã recedat. Semper in lectione scripturarum sit, meditationibus, orationibus, ut sermo eius qui est, semper operetur in nobis, & ut quotidie procedentes in ecclesiã, uel domesticis incubantes orationibus, ab ipso incipiamus, & in ipso finiamus. Ita totus hic uitæ nostre dies, & cursus diei ab se sumat principiũ, & in se desinat. Sicut enim à principio uitę credere, & imitari, salus est: ita perseuerãtia usq; in finẽ necessaria est. Est autẽ mentis optimæ diligentia, ut uerbo dei intenta nihil faciat irrationabile unde tristitiam subeat, ut iugiter actuum suorũ bene conscia, lætitiam bonæ seruet conscientiæ. Quod enim bonum, hoc sine timore & sine tristitia est, id est, securitatis & gratiæ plenum. Possessio enim iusti grata est deo, insipientium nullus gradus. Ideo Esaias appropinquante bono ait: Fugiet dolor & tristitia, *Esa.35* & gemitus. Ioannes quoq; in Apocalypsi: Et ille, inquit, deus cũ illis erit, & delebit om- *Apoca.21* nem lachrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor ulterius. In resurrectione enim iustorũ lætitia iugis erit & gratia, cum illud bonum cœperit esse cum suis, quando requiescent in sinu Abrahę, positi in eius tabernaculo, quod inter domum uel sermonem dei & gratiam fixum est: significans innocentiam fidelium agere gratias authori suo, qui non habent unde eos pœniteat in hoc mũdo fuisse. Factis itaq; simplicibus Abrahæ, magnarum institutionũ documẽta explicantur. Merito dives, qui etiam disputationes philosophorum diuites facit, qui de eius actu præcepta formarent sua. Eius ergo diuitias scriptura expresserat, supererat cognoscere utrum nam Loth quoq; nepos eius, & ipse, utpote eiusdẽ successionis, dives fuerit. Sed scriptura eum pecoris tantum abundantem asserit. Deniq; sic habet: Et Loth qui ambulabat cũ *Genes.13* Abraham, erant oues & boues, & tabernacula.] Non habebat argentum, quia nondum iustus. Etenim argentum ignitum, lingua iusti. Non habebat aurum, quod habebat ille qui uidit Christi posteriora, de quo scriptum est: Et posteriora eius in specie auri. Vidit il- *Psalm.62* lum Abraham, sicut testatus est dominus dicens: Abraham diem meum uidit, & gauisus *Ioann.8* est. Et ideo auri speciem habere meruit & possidere.

Qua ratione scriptũ sit: Et Loth qui ambulabat cũ Abrahã. Cur etiã dictũ sit quod non capiebat eos terra. Qui præterea sint pastores, & quorũ animantiũ. Quæ rixa inter pastores Abrahæ, & inter pastores Loth, & quomodo illã sedare curauerit Abrahã. Quãta quoq; præmiserit ne Loth discedere cogeretur. De insolentia deniq; ipsius Loth, & electionis nescientia. Et quid nos eligere debeamus. Cap. VI

Vnc illud quoq; nequaquam prætereundum arbitror, quod uidetur etiam doctiores mouisse. qua ratione sit scriptum: Et Loth qui ambulabat cum Abram, quasi alter Loth qui non ambulabat cum eo, secundum quod accepimus. Et putant plerique non solui quæstionem. Ergo ut illis satisfaciamus, & à regula scri-

pturæ non recedamus, unam personam dicimus, duo negocia, quòd in uno eodemq; uiro duæ res significantur: numero unus, nomine duplex. Declinatio enim dicitur Loth, sicut habet Latina interpretatio. Declinat autem quisq; ad bonum aut ad malum. Cum ergo Loth declinaret malum, hoc est, errorem, flagitium, crimen, iungebatur patruo: cum declinaret bonum, hoc est, iustum, innocētem, sanctum, religiosum, sociabatur flagitiosis. Bene ergo dixit: Et Loth qui ambulabat cum Abraham, quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum authoribus. Postea enim cœpit habitare cum Sodomis. Ideoq; quasi à seipso mutatus uelut alter accipitur, non solum à iusto uiro, sed à seipso desciscens. Denicq; quia studio iam deflecti cœperat à patruo, non capiebat eos terra. Nulla enim spatia possunt satis esse discordibus. Quietis & pacificis etiā angusta abundant, dissonis moribus etiā spatiosa artantur. Et quia à principio dixi mentem hic formari hominis, quæ à principio perfecta fuerat, sed per incrementa & gradus quosdā proficit, ideo ait: Non capit eos terra, hoc est, una anima motus diuersos non recipiebat naturaliter sibi repugnantes. Potest tamen fieri ut interdum nō omnia in uno eodemq; perfecta sint: possit tamē aliqua uitia sua operire, uel motus suos temperare, aut si plura bona sint quibus pauciora uitia operiat aut repentinam commotionem consilio maturiore flectat. Verum si ex utraq; plura concurrant dissona ac repugnantia, habitatio discrepantium uirtutum ac passionum in una anima soluatur necesse est. Figuratè ergo animā secundum philosophos terram appellauit. Nam & Salomon ait: Tanquam agricultura homo imprudens, quæ si fœcunda sit opimis segetum fructibus, abscondere potest spinas: sin uero spinæ concurrant aristis, secandi nulla est copia. Qui igitur pastores sint, & quorum animantium, & quę rixa inter pastores Abrahæ & inter pastores Loth, consideremus. Pastores sunt magistri gregum, uel diligentes & sobrij, non sinentes agrorum culta obteri pedis uestigio, atq; aduri sentibus, uel negligentes & remissi, & qui non reuocent pecus suum, quo herbosa & non fructuosa pascatur, sed libere uagari per uarios agri fructus sinant. Istorū ergo pastorum solers custodia necessaria est, ne forte adscribatur diligentibus, quod euertit negligentiū incuria. Sed quia non sermo de uisibilibus, ideo cuius pecoris pastores sint, cōsideremus. Pastores hos definire possumus. Pastores, inquit, iumentorum. Iumenta autē sensus corporis irrationabiles significari accepimus. Qui sunt ergo pastores sensuum nisi præceptores, & quasi quidam rectores gregū, duces eorum, uel monitores alicuius sermonis, uel mentis nostræ cogitationes? Qui si pastoralis disciplinæ gnari & tenaces sunt, non permittūt longius sensuum gregem uagari, & inutilibus ac noxijs inhærere pabulis, sed prouido doctore reuocant, & frænos rationis admouent, atq; obsistunt renitentibus. Mali autem præceptores, uel inutilis disceptationis permittunt eos impetu suo ferri, & in præruptum ac periculum ruere, & culta obterere, fructuosa depasci, ut si qui sunt in eadem anima uirtutum huiuscemodi fructus, eos quoq; dissipent. Hinc ergo cogitationum nostrarum discordia: cum caro repugnat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non mediocris pugna est: quando ipse Apostolus uas electionis dominicæ dicit: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quod est in membris meis. Sedare hanc pugnam ipse nequiuerat, & ideo ad Christum refugit, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc est, ne delectationi carnis adhæram. Quis igitur est, qui his me soluat uinculis, & liberum faciat, sensusq; ad sobrietatem animæ magis detorqueat, quàm ad corporis temulentiam? Sed quia inter homines tantum non potuit rectorem inuenire, conuersus ad deum, Gratia, inquit, dei per Iesum Christū dominum. Si fortior non commisit uiribus, quo corpus mortis euaderet, sed auxilium quæsiuit à Christo: quid nos facere oportet infirmiores? Hanc pugnam grauem esse cognouit Abraham, & ideo in principio cauendam putauit. Sapienti enim pacis est studium, imprudenti amica iurgia. Non sit, inquit, rixa inter me & inter te, & inter pastores meos, & pastores tuos, quia homines nos fratres sumus. Patruum legimus Abraham, & Loth eius nepotem: quomodo eum fratrem appellabat? Sed aduerte quia causas cōcordiæ sapiens adhibet. Vnde præmisit, homines sumus. Omnes autem homines unius naturæ partus sunt, iuxta eius concepti uiscera, & uno foti atq; effusi utero. Vnde nobis iure quodam germanitatis uelut fratres connectimur, ab uno patre conditi, & una matre

Ibidem.

Galat. 5

Rom. 7

Ibidem.

Ibidem.

Genes. 13

tanquam

tanquam fratres uterini editi. Et ideo cum simus rationalibilis naturæ soboles, tanquam uterini nos diligere debemus amore mutuo, non impugnare ac persequi. Multo autem uerius ad unam animam refertur, cuius rationabile cognatos habet, ut supra diximus, sensus irrationabiles: quod autem rationabile, uirtutum habet copulam. Vnde fraterna quadam sibi copulantur necessitudine uitia uirtutesq; hominis: quia illa carnalis, istæ rationabilis animæ sunt. Caro autem atq; anima uelut quadam lege sociantur coniugij, ex quibus homo constat. Homo igitur uelut portiones suas fœderare debet, atq; ad pacem cogere. Sed quia nemo erat tantus qui carnem uinceret, ideo uenit pax nostra, quæ fecit Ephes. 2
utraq; unum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua legem mandatorum edictis euacuans, ut duos conderet in semetipso, in uno nouo homine faciens pacem, ut reconciliaret utrosq; in uno corpore deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Recte igitur se ut hominem infelicem dixit Apostolus, qui tantum bellum intra se pateretur, quod non posset restinguere. Denicq; cum de una portiuncula passionum, hoc est iracundia diceret Salomon: Melior est, inquit, sapiens forti. Qui autem ira Prouerb. 16
cundiam continet, melior est quàm qui urbem capit. Beatus igitur qui hoc bellũ euaserit, iam enim non aduena nec peregrinus, sed ciuis sanctorum & domesticus dei, quẽ in Ephes. 2
terra positum terrena nõ quatiant. Hunc affectũ seruare cupiebat Abraham. Itaq; ut uir pacificus ait, primo: Non sit rixa inter me & te. Inde ait: Et inter pastores meos, & pastores tuos. Tertiũ posuit: Ecce, inquit, tota terra ante te, hoc est, si non potest conuenire, ce Genes. 13
do omnibus, totũ cape si de loco aut possessione dissensio est. Quod si moribus non conuenit, discede à me. Quanta autem præmisit ne cogeretur discedere? Sed etiam hoc uirtutis ac disciplinæ est. Dixit enim ante nos uir ex philosophiæ perfectus disciplina, quatuor hæc bono uiro inesse: ut elaboret primum, ut omnes amicos faciat: Secundum, ut si non potest amicos facere, certè nec inimicos: Tertium, ut si nec istud suppetit, ex sententia discedat: Quartum, si quis cedentem persequitur, uindicet se ut potest. Sed illa tria superiora in Abrahæ non sermonibus nudis, sed ueris operibus agnoscimus. Quartum autem nõ ita est, quando etiam circa cedentem seruauit affectum parentis, ut eum non solùm non persequeretur, sed etiam captum erueret ac liberaret. Denicq; Apostolus cùm Rom. 12
tria illa doceat, quartũ præceptis suis soluit quod addiderat philosophia. Ait enim cũ pacificum populum dei informare uellet: Si fieri potest, quod ex uobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ habẽtes. Deinde si hoc nõ potest, certe nec discordias nec inimicitias moueat. Ideo addidit: Non uos uindicantes charissimi. In quo & tertiũ illud excludit, ut uindicare nos nequaquã uelimus. Sed date locum iræ. Habes & quartũ, ut discedas magis, & uindictã deo cõmittas, quàm tibi exigas, tanquã & hoc secundum legem magis dictũ uoluit uideri. Nam secundũ Euangeliũ supra habes: Benedicite eos qui uos persequun- Matth. 15
tur. Habemus hæc præcepta ad Timotheũ in secunda epistola. Propter quam causam, in Rom. 12
quit, admoneo te ut resuscites gratiã dei, quæ est in te per impositionẽ manuum mearũ. 2. Tim. 1
Non enim dedit nobis deus spiritũ timoris, sed uirtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Et iterum: Tu autem fili charissime fortitudinem cape in gratia. Habes ergo primæ præ- 2. Tim. 2
ceptum sententiæ, ut erga omnes gratiã locet: deinde si nõ potest præceptis suis omnes acquirere, caueat ne uerbis aliquos exasperet, hoc est, ne inimicos faciat. Vnde ait infra: Hoc commoneo testificans coram deo: Noli uerbis cõtendere, nihil utile nisi ad subuersionem audientium. Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Pulchre post pauca subiecit, & causam præstitit, quã Philosophia non uidit. Cũ modestia, inquit, docentem qui resistunt, nequando deus det illis pœnitentiã ad cognoscendam ueritatem. Ad tertium quoq; illud, ut discedamus ab eis cũ quibus nobis conuenire non potest, habes additum, cũ præcepit ut loquatur quæ decent sanam doctrinã, deinde pugnas legis declinet: hoc est, primum gratiam seminet, deinde nullum litigando auertat: tertium est ut hæreticum hominem post unam correptionẽ deuitet, quia subuersus est qui huiusmodi est, & delinquit, cũ sit à semetipso damnatus. Quàm argute suo ad Titum. 2
iudicio damnatum, nostrę ultioni subtrahit, quasi indignum in quem uindicetur. Dauid Psalm. 7
autem euidenter studium uindictæ amouet dicens: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Ergo mens uiri sapientis, eiusdem animæ uel lapsus uel irrationabiles motus studet corrigere, sibiq; coniungere. Potest enim fieri ut quę interdum displicent, emendentur cum

gratia. Effusio patrimonij sui recidatur, habet liberalitatem sine dispendio. Verecundia interdum remissior est: si confirmetur, habet & pudoris gratiam, & propositi cõstantiã. Commotio si temperetur, indignationis horrorẽ deponit, assumit laudẽ uigoris. Quod si emendare non potest, non exasperet. Intemperantia reprehendit ardorem libidinis, quam coniugio coerceat: ne dum quæritur continentia, obrepat impudicitia. Ideoq; bo-

1. Cor. 7 norum magister: Dico, inquit, non nuptis & uiduis, bonum est illis si sic maneãt, sicut & ego. Quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quã uri. Sunt aliquæ mu-

1. Tim. 5 lieres immaturo destitutæ maritorum obitu, & se continere nequeunt. Volo, inquit, iuniores nubere, filios procreare, matres familiâs esse, nullam occasionẽ dare aduersario. Quòd si aliquas delicíæ delectent, & luxuriari in Christo uolunt, uiduitatis affectantes

Ibidem. gloriã, germanitatem autem non custodientes, eas deuitandas iudicat: ut habes scriptũ: Adolescentiores uiduas deuita. Recte igitur Abraham cum bona uenia uoluit nepotẽ dimittere, quem deflectentem à se tenere non poterat. Sic & mẽs bona à præcipiti & di-

Genes. 13 uerso rationabilium lapsu secernat se ac separet. Si tu, inquit, in sinistram, ego in dexterã: uel si tu in dexteram, ego in sinistrã, hoc est, quæ tibi in dextera sunt, mihi in sinistra sunt: & quæ tibi in sinistra, mihi in dextera sunt. Viro enim imprudenti in dextera sunt quæ sunt corporis, ea præfert, ea constituit in meliorem partẽ, diuitias quoq; & honores præponit: at uerò immortalitatis adipiscendæ gratiam in sinistrã habet, quæ sapienti ad dex-

Prouer. 3 teram est. Longitudo enim uitæ in dextera eius. Omnesq; animæ uirtutes insipiens uir in sinistram eiicit, prudens autem uir has sibi ad dexteram locat: quæ autem corporis, in

Genes. 13 sinistram. Et leuauit, inquit, Loth oculos, & aspexit omnem regionem Iordanis. Deflectentibus à uero, amica iactantia est. Deniq; ut Abraham humilius, qui electionem obtulit: ita Loth insolentius, qui electionem usurpauit. Virtus se humiliat, extollit autem se iniquitas: qui se debuit committere maturiori, ut esset tutior. Deniq; eligere nesciuit. Nã primo leuauit oculos, & respexit regionem, hoc est illam rem quæ non esset prima ordine, sed tertia, hoc est nouissima. Prima sunt enim quæ sunt animæ bona: Secunda, quæ corporis, id est salus, uirtus, pulchritudo, formę gratia: Tertia sunt, quę accidunt, hoc est, diuitiæ, potestates, patria, amici, gloria. Regio igitur tertio loco ponitur. Est enim res ha-

Ibidem. bitationis. Vidit igitur regionem quæ irrigabatur priusquam euerteret deus Sodomam & Gomorram, sicut paradisus dei, & terra Aegypti, usq; dum uenias Zothopa. In quo nisi diligenter intendis, nunquid in eo erasse eum dicere potes, quòd elegit fluenta Iordanis, & ea quæ irrigabantur sicut paradisus dei? Non utiq; secundum literam. Sed cum Iordanis descensio dicitur, descendit qui deseruit uirtutis consortium: & speciem elegit, non ueritatem. Paradisus enim perfectæ beatitudinis amœnitas, uel animæ fructuosa fundamenta, in qua sapientiæ sint, iustitiæ, cęterarumq; uirtutum plantaria. Terra autem Aegypti corporalem substantiam significat, cuius plantaria sunt sensus & passiones corporis. Sicut enim uireta uirtutum fontem habent Christum, & spiritalis ubertatem gratiæ, quo exuberent: ita intemperantia fons quidam est passionum corporalium, quo a-

Genes. 13 luntur superflua. Pulchre autẽ ait scriptura: Elegit sibi Loth, hoc est, declinatio, quia posuit deus ante nos bonum & malum, ut unusquisq; eligat quod uelit. Non eligamus ergo quod specie uidetur iucundius, sed quod ueritate præstet, ne cum sit nobis tributa optio ut sequamur potiora, leuemus oculos inflexi falso amœnitatis decore, ueritatem autem naturæ uelut deflexis obtutibus obumbremus. Quòd autem homines in Sodomis sæui erant, & peccatores in conspectu domini ualde, non mediocris est hic œconomia, ut aduertas mitem deum graui peccatorum moueri acerbitate ad ulciscendum, nec merito potuisse exorare Abraham Sodomitanis ueniam, quia supra modum flagitiosi erant. Pleriq; sunt quo nequiores, eo tectiores, qui hominum subterfugiunt indaginem, ubi res sine arbitrio geruntur, ut falso testimonio iustus circunueniatur. Manet autem ante deum iustus etiam si condemnetur ab hominibus, quia deus non iudiciorum exitus, nec cum intextis nequitiæ commentis negocia, sed nudam spectat negociorum naturam. In examine autem hominum falsæ opinionis error plerumq; obducit uim uerita-

Dnaiel. 13 tis. Manebat autem apud deum Susanna pudica ualde, etiam cum damnaretur adulterij, quia deus nõ assertionibus falsorum facti examinabit fidem, sed intimæ cõscientiam mentis interrogabit.

Quomodo

Quomodo ex locutione domini ad Abraham, & ostensæ sibi terræ promissione doceamur quantũ mens superfluis portionib. & irrationabilibus exhaustis proficiat. Quemadmodũ etiam instruamur ex triumpho quatuor regum cõtra quinq, quantum uitia uitijs adiuncta noceant. Cap. VII

Sequitur locus, quo euidẽter docemur quantũ mens superfluis portionib. & irrationabilibus exhaustis proficiat, & quantũ uitia uitijs adiuncta mali afferant. Non enim ociose scriptura posuit: Et dixit deus ad Abrahã postq recessit Loth ab illo: Respice oculis, & uide à loco in quo nunc tu es, ad Aphricũ, & Aquilonẽ, & Orientẽ, & mare: quia omnẽ terram quam tu uides, tibi dabo eam, & semini tuo in æternũ. Hic tanq à fonte hauserũt Stoici philosophi dogmatis sententiã, omnia sapientis esse. Oriens enim & Occidens, Septentrio & Meridies, portiones sunt uniuersitatis. His enim totus mũdus includit. Hæc cum promisit deus daturũ se Abrahæ, quid aliud declarat nisi sapienti & fideli præsto omnia, deesse nihil? Vnde & Salomon in Prouer. ait: Eius qui fidelis sit, totus mundus diuitiarũ. Quanto prior Salomon q Zenon Stoicorũ magister, atq autor sectæ ipsius? Quanto prior q ipse pater philosophiæ Plato, uel eius inuentor nominis Pythagoras? Quis aũt fidelis nisi sapiẽs? Stultus enim sicut luna immutatur: sapiens autẽ immobilis fide permanet. Sed forte dicas: Quomodo sapientis totus mundus? Quoniã ipsa natura dat illi sortẽ omniũ, etiã si ipse nihil possideat. Domina est & possessor sapiẽtia, quæ sua putat naturæ munera, quoniam in usum hominũ data sunt, nec ullis indiget, etiã si desint ei ad uictũ necessaria. Namq si musicus organa, aut medicus medicamẽta, aut nauclerus quæ ad nauis instrumentũ necessaria sunt, etiã si quando nõ habeat, habet tamẽ eo ipso quo possit his uti, etiãsi ad tempus usus eorũ nõ suppetat: quanto magis sapiens suũ iudicat quicquid naturæ est, qui uiuit secundũ naturã. Nõ enim amittit ius suũ, qui meminit se ad imaginẽ dei factũ, & ad homines à deo dictũ, Crescite & multiplicamini, & replete terrã, & dominamini in eam, & imperate piscibus maris, et uolatilibus cœli, & omnib. pecoribus, & omni terræ, & omnib. quæ repunt super terrã. Et nouit quia sapientia omniũ mater est, & ipsa orbem terrarũ possidet. Denicq Salomõ qui sapientiã popposcit & accepit à domino deo nostro: Ipse mihi, inquit, dedit horũ quę sunt scientiã ueram, ut sciam dispositionẽ orbis terrarũ, & uirtutẽ elementorũ, initiũ & consummationẽ & medietatẽ omniũ rerũ, & diuisiones temporũ, & anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animaliũ, & iras bestiarũ, uim uentorũ, & cogitationes hominum, differentias herbarũ, & uirtutes radicũ, & quæcunq sunt abscondita & improuisa. Sed hæc nulli nisi perfecto suppetunt. Denicq Abraham q diu adhærebat ei Loth, hoc est deflexio morũ, sortem horũ non acceperat. Vbi uerò deflexionis ambiguo atq anfractu absoluto rectas uirtutũ semitas continuis animæ suæ gressibus cœpit carpere, in omnem terrã possessor mittit, atq dicit ei: Surge & perambula terram in lõgitudine, quia tibi dabo eam, & semini tuo in æternũ. Ergo qui sapientiã meruerit, & nõ fuerit ancillæ filius, non peccati seruus, nõ successioni carnis obnoxius, sed liberæ, id est, Saræ illius non seruientis, sed principantis, bonæ stirpis, bonæ indolis, perfectæ titulo uirtutis, hæreditatẽ acquiret uniuersitatis. Dicit ergo Abrahę, Surge. Non corporalem assertionem significat, sed spiritalẽ: hoc est, Surge qui dormis, surge à terrenis, surge à corporalibus, relinque terrena, cœlum aspice: & exurge à mortuis, hoc est ab operib. uanis, & disputationib. Chaldæorũ. Intuere mundũ, intuere etiam illũ qui potest totũ donare mundum. In possessionẽ, inquit, tibi dabo mundũ, quem deũ ante credebas. Perambula terrã in longitudinẽ & latitudinẽ eius. Vtiq intra momentũ terrã istam Persarũ inclusam imperijs, ab Indiæ quoq littoribus, ad Herculis, ut aiunt, columnas, uel Britannię extrema confinia non potuit perambulare. Et potuit quasi indeuotus uideri, qui cœlesti oraculo non obedisset, si obeundæ huius terræ mandatum accepisset. Sed cum sit eius deuotio probata, quia ad quercum tantummodo Mambre transtulerat tabernaculum, utiq terram, hoc est, uirtutẽ possumus perfectam intelligere, quę bonos fructus daret, & fœcundas inuentiones, cogitationumq primitias, meritorum uindemiam, frumento, uino & oleo repleret interiorem domum, terrã resurrectionis quam promisit patribus nostris fluentẽ lac & mel, suauitatẽ uitæ, iucunditatis gratiam, splendorem gloriæ, cuius hæres primus factus est primogenitus à mortuis dei filius Iesus Christus. Et ideo nõ seminibus

Dan. 13

Eccl. 27

Genes. 1

Sap. 7

Genes. 13

Ephes. 5

dixit,ſed ſemini, ut declararet illum qui hanc hæreditatẽ humano generi primus acquireret.Cognouimus bonæ mentis profectum, qui à uitio lubricæ deflexionis exurgens, quæſiuit ſtatum primũ ſapientiæ,hæreditatẽ iuſtitię.Quantũ autẽ noceant leuitati uitia adiuncta,docet ſequentiũ ſeries lectionũ.Nam illi quatuor reges de quinq; regib.trium phauerant,& adduxerunt equitatum Sodomorũ totum:ceperũt etiam Loth filium fra-
Geneſ.14 tris Abrahæ,& diſceſſerunt.Quinq; reges,quinq; ſenſus corporis noſtri ſunt,uiſus, odoratus,guſtus,tactus,auditus. Quatuor reges,illecebræ corporales atq; mundanæ ſunt, quoniam & caro hominis ut mundus quatuor conſtat elementis. Merito reges dicunt, quia habet ſuum culpa dominatũ,habet regnũ grande. Vnde Apoſtolus ait: Nõ regnet
Rom. 6 peccatũ in ueſtro mortali corpore. Senſus igitur noſtri facile delectationib.ſecularibus ſe dedunt:& quadam eorũ poteſtate capiunt. Corporales enim delectationes & illecebras huius ſeculi non uincit niſi mens quæ fuerit ſpiritalis, adhærens deo, & ſe totã à terrenis ſeparans.Deflexio omnis his capit. Vnde Ioannes ait: Væ habitantibus in terra.
Apoc.8 Non utiq; omnes homines cõprehendit, qui tunc uitæ huius curſum conficerent (ſunt enim & in terris poſiti quorũ conuerſatio in cœlis eſt) ſed eos quos terrenæ conuerſati-
Philip.3 onis affectus ac huius ſeculi uicerit gratia.Ergo nõ habitatores, ſed accolæ ſumus terræ huius.Accola enim temporalis diuerſorij ſpem gerit. Habitator autẽ ſpem omnem atq; uſum ſuæ illic ſubſtantiæ locare uidet ubi habitandũ putauerit.Itaq; qui eſt terrę accola, habitator cœli eſt:qui aũt habitator terræ,poſſeſſor eſt mortis.Numerauit Abraham tre-
Geneſ.14 centos decem & octo uernaculos ſuos uſq; Coba,quæ eſt ad dextrã Damaſci.] Et numerus uitalis eſt.In ipſa enim uita,ſi credamus,in paſſione,in nomine domini Ieſu: nam hæc eſt nominis interpretatio huius quod diximus Coba,id eſt uita.Ipſa ad dexterã Damaſci pulchre eſſe dicit.Agni enim ad dexteram,hœdi ad ſiniſtram. Scit exercitata mẽs
Matth.25 quos ad præliũ conſummandũ ſibi adhiberet,quibus armis inſtrueret,quibus ducat uexillis.Non aquilarũ præfert imagines,nec dracones, ſed in cruce Chriſti & in Ieſu nomine ꝓgredit ad prælium: hoc ſigno fortis,hoc uexillo fidelis.Merito ergo mens exercitata, quæ recepit ueram ſapientiã iuſti uiri. Iuſtitia aũt ſolers correptionis eſt,ac arguendo reuocat peccatores,& ſtringit paſſionũ impetus. Ideo dicit ſcriptura quia reuocauit omnem equitatũ Sodomorũ,hoc eſt,habenas tenuit,frena rationis impoſuit,reuocauit culpam,ſtrauit errorẽ.Equus enim ſtare neſcit,uelox ad impetũ,ceruicẽ exaltans ſuam,hinniens ad libidinẽ. Quid tam ſimile peccati? Feruet enim primo culpa impetu,& omnẽ recti cogitationẽ præuenit,motuq; immaturo exilit,ut eam difficile ratio reuocare poſſit.Fertur in præceps, & aſcenſorẽ eius proijcit in mare iſtud huius ſeculi, ceruice tumida recuſans iugum correctionis. Et ſpecialis quædam forma libidinis, quę uocẽ mutet hominis,uerba amantis corrumpat, ſuisq; ſe prodat ſermonibus. Deniq; ad ludam per
Hier.13 Hieremiam dicit dominus deus: Nunc uidebitur ignominia tua, & adulterium tuum, & hinnitus,& alienatio fornicatiõis tuæ ſupra colles.Hunc iuſtus reduxit equitatũ, mores quoq; declinantis conuertit,& ad ſe uocauit, ut imitatores ſui fierent qui deflexerãt, quia ſenſus noſtri ad diſciplinam mentis recurrunt.Subſtantiã quoq; recipit. Non patrimonium utiq; ſignificat,ſed uitalem animæ ſubſtantiam, in qua ſit prečioſus cenſus, nõ ſtipula,non fœnũ,in quo fidelis ſit alloquij ſplendor,in qua noſtræ cenſus ſubſiſtat ſpei. Hęc eſt enim uera noſtra ſubſtantia,quę eſt ſapiẽtię diues copijs,hic immortalis ſubſtantia,corporis aũt uel accedentiũ diurnus magis q̃ diuturnus uſus.Vnde quidã rectè non putant patrimonium dici ſubſtantiam. Non enim ſubſiſtimus in eo, cum & illis quibus deſit pecunia,uitę tamen non deſit ſubſtantia.

Quemadmodũ ex oblatione Melchiſedech admoneat mens plena prudẽtię ac iuſtitiæ,ut deuotior ſit erga dei cultũ. Quodq; expeditiõe regis Sodomorũ, ubi ſe uiciſſe putat,tentari ſe diſcat,& qualiter ex Abrahę reſponſione contagiũ intẽperantiæ declinare poſſit. Cur præterea poſt euentũ belli mercedẽ dominus ſpoponderit.Quid deniq; ſignificet quod Abrahæ cura poſteritatis fuit. Ac de myſtica interpretatione totius ſacrificij Abrahę. Cap. VIII

E Melchiſedech in tractatu morali plenè diximus,in quo & myſteriũ nequa
D quam prętéritum ac prętermiſſum eſt. Hoc loco autem ſatis eſt illud admonere ſolũ, quod mẽs plena prudentię iuſtitięq; deuotior ſit erga dei cultum, & deci-

& decimàs terræ gignentia in fructibus, iuxta altiorem prudentiam in eo soluat, ut perfectionem omnium sensuum atq; operum suorum deo deferat, nihil sibi arroget, quæ se regere non potest, diuino nisi fauore fulta sit. Denicq; ubi se uicisse putat, tentatur atq; incessitur. Hoc exprimit & docet lectio, quia semper aduersum passiones corporis mens nostra tanquam in excubijs debet prætendere. Quid enim est quod ait? Rex, inquit, Sodomorum exiuit obuiam Abrahæ, & dixit: Da mihi homines, equos autẽ sume tibi: nisi quod post has mihi luxuriæ uictorias, uis quædam libidinis potest rationabili mẽti subrepere, ut infundat ei irrationabiles passiones? Sed perfectæ mẽtis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere, abstinere à terrenis. Ideo Abrahã dicit: Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinat intemperantię, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi reijcit, quærens quæ supra mundum sunt, hoc est, extẽdere manus ad dominũ. Manus, operaria uirtus est animę. Hanc nõ ad terrenæ arboris pomũ, sed ad dominum extendit: Qui fecit, inquit, cœlum & terram, hoc est, intelligibilem & uisibilem substantiam. intelligibilis enim usia cœlum est: Visibilis uel sensibilis substantia terra est. Ergo significat quòd uirtutẽ animę suæ ad superiora extendat, ut ex illa intelligibili substantia theoricæ uitæ induat altitudinem, spectans nõ illa quæ uidentur, sed quæ non uidentur, hoc est non terrena, non corporalia, non præsentia, sed incorporalia, æterna, cœlestia. De ista aũt uisibili substantia operatoriæ atque ciuilis disciplinæ capesset gratiam. Subtexuit his oraculum domini dicentis: Noli timere Abraham, ego protegam te, merces tua erit ualde. Quæro cur post euentũ belli, spondendæ mercedis locus nunc erat. Minus eñ mirabile faceret, si secutus promissum dei esset hostem adorsus. Victoriæ securus processerat ad triumphũ; magis inuitatus cẽ promptus ad gloriã, uel ad ulciscendum pietatis dolorẽ paratus. Propositũ piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet boni facti conscientiam; & iusti operis effectũ. Angustæ mẽtes inuitentur promissis, erigantur speratis mercedibus, bona mens quæ sine responsi cœlestis syngrapha certamẽ arripuit, geminæ laudis fructũ acquirit sibi: ut & confidentissimæ fortitudinis, & plenissimæ deuotionis gratiã locet. Quod de sancto Abraham æstimari conuenit, quia & diuinum fauorem non despici se iustis duxit erroribus; & hostẽ perculit despectu periculi, quod gloriose sibi pro ultione pietatis subeundũ putauit. Dei quoq; in eo prædicatur iustitia, qui remunerationem pijs mentibus nõ ex necessitate promissi, sed ex æquitatis suæ contemplatione largitur: iudicans dignum fore quòd hi qui militant sine aliqua mercedis humanæ remuneratione, repositum habeant præmium in eius bonitate, cui deuouendas animas suas æstimauerint. Simulq; adoreis bellicis ex usu ipsius uictoriæ, aut hominũ gratia paratum est præmium: pietatis autẽ & parsimonię, puritatis, cęterarumq; uelut priuatarũ uirtutum à deo soluitur. Quę manifesta sunt hominibus, ipsi remunerantur. Non omnia aũt manifesta, sed alia manifesta, alia incerta, & maximè occulta cordis. Vnde et ille ait: Incerta & occulta cordis manifestasti mihi. quorum spectator & scrutator deus est. Nõ ergo magnam mercedem promisisset Abrahę, nisi puram animam ab omni contagione delictorũ iudicasset. Sanctę tamen & prophetícæ menti cura maior posteritatis perpetuæ est. Partus enim sapientiæ & fidei hereditatem desiderat. Ideo ait: Quid mihi dabis? Ego autem dimittor sine filijs. Ecclesię sobolẽ desiderabat, eam successionẽ petebat quę non esset seruilis, sed libera: non secundum carnem, sed secundũ gratiam. Ideoq; huiusmodi responsum diuinum resultauit, quo electus audiuit: Respice in cœlum, & numera stellas, si potes numerare. Et dixit: Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiã.] Quid credidit? Hoc est, non solum multitudinem populorum in Christum credentium, sed etiam cœlestis gratiæ splendorem, & resurrectionem uitę immortalis soboli ecclesię deferendam. Quid est aũt quod ait, Eduxit eum foras? Tanquam foras educitur propheta, ut exeat fores corporis, & angustias carnis operientis, ac spiritus sancti infusionẽ, ut uelut quandam descensionẽ uideat. Oportet nos quoq; exire ex his diuersorij nostri angustijs, mũdare animæ nostrę locum ab omni inquinamẽto, proijcere sordes maleuolẽtię, si uolumus spiritum recipere sapiẽtię, quia in maleuolam animam non introibit sapientia. Credidit autem Abraham, non auri, non argenti illectus testimonio, sed quia corde credidit ad iustitiam. In quo probatum est eius meritum, in eo persolutum est præmium.

Genes. 14

Ibid. 2

Ibid. 15

Psal. 50

Genes. 15

Ibidem.

Sap. 1

Rom. 10

Denicq;

Geneſ.15 Deniq; ſtatim fidei eius teſtimoniũ dominus dedit, dicẽs: Ego ſum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Chaldęorum, ut darem tibi terram hanc, ut hęres eſſes eius. Et quia depoſuerat ſtudium Chaldęorum, quęrit Abraham: Quomodo, inquit, intelligam quia hæres eius ſum? Hoc eſt, iam diuinationes magorum repudiaui, doce quomodo ſciam me futurum terræ eius hæredem. Qui quærit quomodo ſciat, non dubitat manifeſtante deo cognoſcere ſe poſſe, ſed formam uult acquirendæ cognitionis aduertere. Nam et in Euangelio Maria cum audiſſet ab angelo quòd uirgo paritura eſſet filium, reſpõdit: Luc. 1 Quomodo fiet iſtud, quoniam uirũ nõ cognoui? Et iure reſpondit. Hoc eſt, cũ id quod naturæ eſt, non ſuppetat, quia non ſolet parere uirgo, quæ uiro nõ fuerit copulata: quæro quomodo præter inſtituta naturæ poſſim generare? Dixit aũt illi dominus deus: Sume mihi uitulum trimum, & capram trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbam. Geneſ.15] Præterirem huiuſmodi interpretationem ſacrificij, niſi quibuſdam hinc ſcrupulũ naſci aduerterem, eò quòd aruſpicinæ quædam ſcribi uideatur ſolennitas, quòd poſt immolationem diuiſa ſunt animalia, & contra faciem alterutrũ poſita, & cõſedit illis Abraham. Sed ſi uim interrogationis præmiſſæ & futuræ reſponſionis conſideremus, aduertere poterimus ſpei noſtræ & fidei conuenire huius ſacrificij diſciplinam. Vitulus enim aratorium animal eſt, deditum terræ & labori. Capra ad aquarũ ſimilitudinem per ænigmata figurat, eò quòd αἴξ Græcè παρὰ τὸ ἀΐσσειν nomen acceperit, ab eo quod eſt impetu ferri. Sic enim currit ſicut & aqua. Poſſumus uel fluuiorum ſono, curſu, uel maris uiolentis æſtimare fluctibus. Aeri comparat aries, quia omnibus animantib. utilius hoc animal generi eſſe humano reperitur, quando quidẽ & ueſtis nobis uſum exhibet, ſicut aer huius ſpiritus uitalem nobis miniſtrat ſubſtantiam. Vnde & hunc ordinem factum puto, ut prius diceret: Sume mihi uitulum & capram: & tertio loco diceret arietẽ: eò quòd prima illa, hoc eſt uitula & capra, terris & mari, materialibus comparentur elementis, & quia fœminea dicantur: at uero aries maſculinũ quoddam animal eſt, uehemẽs natura, & uiolentum cornibus. Similiter aũt aeris huius ſpiritus uitalis eſt, ut maſculus, autor & cauſa gignẽtium, mouens terrarũ genitalia, & uelut quadam ſe miſcẽs copula. Aliud ad terram, aliud ad mare, aliud ad aerem uitalem, myſticè figuratur horum trium animantium genus. Hæc traditio naturalis eſt, ſed etiam moralis concurrit & ſuppetit. In omnibus enim hominibus caro, ſenſus, & uerbum eſt. Caro noſtra uitula eſt: laborat, ut ſerat: laborat, ut colligat: laborat, ut pariat: innumeris fatigatur laboribus. Vnde & Græci δαμάλιμ ἀπὸ τῦ δαμᾶζ λίαν, eò quòd dometur nimis. Maſculorũ boum labore, aratro & iugo fungitur, fœmineos partus repræſentat cum multo ubere. Caro quoque noſtra uitæ iſtius ſubiugatur neceſſitatibus, crebris quatitur doloribus, & multarũ ærumnarũ quodam curuata partu ſeneſcit. Iam illud quis ignorat, quòd uehementior ſit uirtus animæ, cui uelut nupta adhęret in iſtius uitę curſu corporalis ſubſtãtia? Senſus aũt noſtri caprarum modo uelut ſaltu quodam alis exiliunt, & paſcunt̃ præruptionibus, impetu ſuo ipſi cõmotiones excitantes animæ, & concutiẽtes eam. Ad omnem occaſionẽ præſto ſunt, uel occurſu fœmineæ pulchritudinis, uel odore ſuauitatis alicuius. Auditu pariter & tactu mouentur uelociter, quibus etiam animæ inflectunt conſtantiã, & uelut à natura ſui alienant eam. Vnde plerique ὁρμητικλὼ dictam putãt, quia ὁρμὴ impetus dicitur, eò quòd ex quodam impetu ſenſuum inflexionis atq; alienationis noſtræ cauſa naſcat̃: fœminei aũt ſexus ſpeciẽ habet. Et etiã ſenſus noſtri αἰσθήσεις Græcè dicunt̃ fœmineo uocabulo. Efferarum modo animarum cito uacuant̃, ubi partus ſuę generationis delectationiſq; effuderint, & iterum excitatis cupiditatibus nouos referunt impetus. In ariete uero uerbi ac ſermonis noſtri habetur ſimilitudo, quod ſit uehemens, ſicut & ſermo noſter efficax operationis, & quadam ornatus noſtri & tegminis cauſa ſit. Aries per uſum ueſtium ordine quodam gregem ducens, ſicut ordo quidam uitę uſuſq; noſtri uerbo explicatur. Arbitror aũt quòd illud uerbum magis intelligere debeamus quod eſt uerbum dei, cũ quo aries iſte habere uideatur non mediocrem cognationem. Quod uerbũ nos uere tegmi- Eſa.53 ne uelleris ſui ueſtiuit, & in domum introducit ęternę ſalutis. Qui ſe pro nobis immolandum obtulit, qui tanquam ouis ad uictimam ductus eſt, & ſicut aries coram tondente ſe ſine uoce, ſic non aperuit os ſuum. Ex quo ordinem quendam ſubſtantię habemus & ſacrę redemptionis, quòd per ipſum cõditi ac redempti ſumus. Duplex igit̃ cauſa per uerbum:

uerbum:naturalis & moralis.Naturalis qua condidit,moralis qua redemit.Philosophia quoq; geminam speciem sui constituit in uerbo,naturalem,& moralem. Rationalis em utriusq; portio est.Naturalem secundum mundi creationem,quam uerbo assignat:moralem secundum iustitiã,& æqualitatem uiuendi,cuius uita & ratio de uerbo.Qua causa cum dies quadraginta complerentur ex Mariæ uirginis partu,tulerunt dominum no Luc. 1
strum in Hierusalem,ut offerrent domino secundum legem, & ut darẽt hostiam par turturum,aut duos pullos columbarum,eò quòd in columba spiritalis gratia sit, in turture incorruptę generationis natura,uel immaculati corporis castimonia.Merito ergo ad sacrificium iubentur post arietem turtur & columba sumi, ut uerbo adhærere intelligas incorruptam castimoniam, & spiritalem gratiam. Et hoc ipso quidem quòd aues posuit, intelligere possumus cœlestium meritorum uolatus.Sunt enim uolucres cœli quæ Matt. 13
ueniunt & habitant in ramis eius arboris quæ de grano sinapis surrexit, cui cœlorum re-
gnum cõparatur.Et Ezechiel apertos sibi cœlos dicit,& uidisse inter alia etiam rotam Ezech.
unam super terram coniunctam animalibus quatuor. Et infrà: Audiebam,inquit,uocẽ alarum eorũ sicut uocem aquarũ multarũ,& uocem sublimis dei:& cum irẽt ut uox uerbi,sicut uocem castrorum. Vnde quidam ad libros philosophiæ deriuarunt, eò quòd ipsum cœlum simile sit.Deniq; Plato currum uolucrem dixit esse cœlum,ex eo quòd prophęta dixerat,Cum irent animalia,ibant & rotæ coniunctæ illis: & cum eleuarẽt se animalia à terra,eleuabantur rotæ.Sed propheta nõ cœlum ipsum dixit,sed aues esse in cœlo.Deniq; & Dauid ait:Cœli enarrant gloriam dei,hoc est potestates cœlestes,uelut cũ Psalm. 18
spectatur pulchrum elementum,prædicatur operator.Animam autẽ describit prophęta,cuius motus sunt quatuor,uelut equi,λογιστικὸν,θυμικὸν,ἐπιθυμητικὸν,διορατικὸν.Hæc animalia quatuor,id est, homo λογιστικὸν, leo θυμικὸν, uitulus ἐπιθυμητικὸν, aquila διορατικὸν.
Ideo ratio præmissa est,ut reliqua rationẽ sequantur. Ideo cum homine à dextris est leo, id est,cum ratione cõmotio à dextris est.Ista animalia quando eleuantur,eleuant etiã rotæ. Rota aũt, uita est super terrã,qua uiuimus. Si animæ nostrę motus quatuor eleuant, eleuatur & uita uostra.Ideoq; addidit:Quoniam spiritus uitæ,inquit, erat in rotis. Anima ergo magis currus est,quæ ait in Canticis canticorũ: Posuisti me currus Aminadab, Cantic. 6
id est domini nostri.Non ergo philosophię traditioni descriptio currit prophetica.Denique uocem alarum audisse se dicit propheta. Istæ alæ,uirtutes sunt quæ de tẽ poscuntur.Qui tales offert hostias,fidem & castimoniam mentis,simplicitatis gratiam, charitatis & pacis effectum,ipse beatæ illius terræ agnoscit hæredẽ: sicut etiam dominus apertius in Euangelio declarauit, dicens: Beati pacifici,quoniam ipsi deum uidebunt: Vel, Matth.
quoniam ipsi possidebunt terram. Accipe aliam diuisionem. Caro quoque nostra ipsa dei ordinatione diuisa habet membra.Duo oculi sunt,binæ aures,duæ genæ, nares diuisæ,dentium geminatus ordo,ubera,scapulæ,manus,femora, genua,crura, pedes, nónne bina omnia, ut subnixa geminatis subsidijs omnia nostra uideantur officia? Animæ etiam diuisionem suarum patitur portionũ.Nam διορατικὸν,hoc est superiora,quasi oculi quidam contrarij,rationabile est & irrationabile. Rationabile ipsum diuidit circa mentem & sermonem.Sensibile eius in auditum & uisum, quibus uitæ huius cumulatur gratia. Nam odor & gustus uitalis usus uidentur necessarium præbere ministerium. Nares iugi flatu aspirationem recipiendo uitalem, continuato quodam substantiam hominis cibo pascunt.Gustus autem potu epulisq; generatur. Quintus uero sensus, hoc est tactus, uelut admixtus est illis quatuor. Odor & gustus quędam magis alimenta sunt corporis, quibus huius carnis malicia subsistit. Visus uero & auditus mentem adiuuant. Hæ sunt diuisiões quæ secundum carnem nostram animamq; à summo operatore diuisę sunt. Vnde oportet nos colligere quia etiam iste mundus uelut per membra quędam gemina,& tanq; antiprosopa sit distributus. Est enim terra in mõtes & in campos, ut sunt partes nostri corporis elatiores aliæ,alię planiores. Eminent scapulæ, & pedũ superiora uel manuũ: latera uerò & inferiora ceruicis uelut ualles terrę & cõcaua. Quod & de uola manus intelligere licet. Nam in ipso calcaneo pedis eminere alia, media autẽ sinuata quis nesciat? Aqua in mari salsa, in flumine dulcis uel in fontib. Est aer in hyberno frigidus tẽpore,ueris mẽsib.tẽperatus,calidus æstate. Ergo ista diuisit operator. Mentẽ aũt nostrã, quę modo auiũ, uirtutũ diuersarũ & uigoris sui uecta remigijs supra cœlũ

euolat

euolat,non diuisit,quia trinitati adhæret diuidenti omnia, soli indiuisæ. Vnde philoso-
phi superiorẽ mundi huius substantiam,quem æthera uocant,non ex cæterorum admi-
xtione elementorum constare uolunt:sed splendidam,& multo refulgentẽ lumine,quę
non terræ sordidum,nec aquarũ humidum, nec aeris nebulosum, nec ignis ipsius rutilũ
quicq; recipiat,ex quinta quadam usia esse asserunt: & uelut uolucrem mũdi huius men
tem uelociorẽ purioremq; esse cæteris partibus: nam aliæ mixtæ sibi & concretæ sunt.
Nos aũt nihil materialis compositionis immune atq; alienũ putamus, præter illam solã
uenerandæ trinitatis substantiam, quæ uerè pura & simplex sinceræ impermixtæq; na-
turæ est:quãuis aliqui putent de illa quinta usia lucem esse clariorem, de qua dixerit Da
Psalm.103 uid,quod deus circundatus sit lucẽ sicut uestimentũ. Et Apostolus scripserit de ipso om
1. Tim.6 nipotente,quòd solus habeat immortalitatem,et lucem habitet inaccessibilem. Qua au
Genes.15 tem ratione dixerit,quòd aues descenderint supra diuisa corpora uitulæ,capræ atq; arie
tis,non facile dicam,nisi q; omnia terrena, maritima, atq; ipsa aerea plena sunt insidiarũ
ac perturbationũ. Videntur enim aues isti cibi causa descendisse supra corpora. Natura-
liter aũt uiolentiores potioresq; uiribus super infirmiores irruunt,& quasi mortuis cor-
poribus incũbunt,ex improuiso frequẽtius irruentes:uel(quod uerius puto) quia prin-
ceps mundi huius,& uolucres cœli spiritaliũ nequitiæ, quæ sunt in eos qui mundana so
licitudine curaq; diuisi sunt,graui motu incessant,& uelut cadauera mortuorũ dilacerãt
Matth.8 dente aspero. De his enim dictũ est:Relinque mortuos sepelire mortuos suos:quia sunt
Luc.17 de regno diaboli,qui in seipsum diuisus est. Qui aũt sunt dei, quibus dicit Iesus: Regnũ
1. Cor.6 dei intra uos est:hi non sunt diuisi,quia adhærent deo, quoniam qui adhæret meretrici,
unum corpus est. Erunt enim,inquit, duo in carne una:qui autẽ adhæret domino, unus
spiritus est. Isti ergo non sunt mortua corpora, ut uolucres cœli comedant eos, sed sunt
Psalm.103 spiritus. Facit enim deus angelos suos spiritus. Deniq; supra columbam & turturem nõ
descenderunt,quia diuisæ istæ aues non erant. Non sunt enim diuisi iusti, quibus dicitur
Matth.10 ut sint simplices sicut columbæ. Ideoq; dicit Dauid,quia & passer inuenit sibi domũ, &
Psalm.83 turtur nidum sibi,ubi reponat pullos suos. Hæc spectabat Abraham, hæc profundo &
spiritali considerabat intuitu. Ideoq; scriptum est, Consedit. Non quasi aruspicinæ,sed
quasi cœlestis reuelationis interpres,signa diuinæ operationis explorans. Mens enim
directa ad Christi gratiam uidebat hunc mundum plenum esse iniquitatis, quæ uelutà
summo cœli uolaret,& opprimeret infimos terræ: pudicitiam aũt, fidem, sinceritatem,
nullis esse obnoxias passionibus:auaritiam uero & solicitudines seculi quibus suffocan
tur qui habẽt uoluptates diuitiarũ,dilacerari ac diuidi. Vnde & diuisæ dictæ sunt,quòd
mentẽ diuidant,atq; in diuersum scindant, & in partes trahant, nec sinant incorruptam
esse & integram. Vir ergo pacificæ mẽtis cõsidebat & cõsiderabat,quatenus prohibere
cominus posset ea mala quæ hominibus inferunt. Mens enim sapientis uiri ac iusti me-
deri studet humanis casibus,& prohibere ac resecare animarũ nostrarum labores.

Quid sibi uelit quòd post solis occasum excessus cecidit super Abrahã: & quo-
modo ei non tam quæ futura erant declarabant, q; præscribebant quæ faciẽda
forent. Quid præterea singulariter per superiora autor significari arbitret. Cap. IX

Enimq; quàm hoc Abraham spiritali & prophetico affectu fecerit,sequẽtia do
cent. Nam solis occasu excessus cecidit super eum: & ecce timor magnus &
Genes.15 D tenebrosus incubuit super eum.] Excessus prophetis fieri solet, sicut habes
Psalm.115 Prophetam dixisse: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Excedit enim mẽs
Prophetæ uelut fines quosdam humanæ prudentiæ,quando repletur deo. Et ante eua-
cuat se cogitationibus & disceptationibus seculi huius,ut aduenienti gratiæ spiritali pu
ram se et exinanitam præbeat,superueniat in eam spiritus sanctus magna se ui infundẽs,
ita ut mens hominis subitò turbetur. Deniq; angelus uenit ad Mariam,& cum sedulita-
Luc.1 te & gratia uenit,et tamen Maria mota est in introitu eius. Vnde angelus ait ad eam: Ne
timeas Maria, inueneisti enim gratiam apud deum:& ecce concipies in utero, & paries
filiũ. Cognoscimus ergo quia quãdo uenit gratia dei super propheticam mentẽ, subitò
irruit,& inde incubuisse & cecidisse super prophetas spiritũ sanctũ legimus,quia exces-
sum patitur,& turbatur,& timet,& quibusdam ignorantiæ & imprudentię tenebris of-
Act.9 funditur:sicut & in Actib.apostolorũ legimus,quia circũfulsit lux super Saulũ de cœlo,
& cecidit

& cecidit,& horrore animi turbatus est,& audiuit uocem de cœlo dicentẽ: Saule,Saule,quid me persequeris? Desinit enim uidere secularia, qui incipit audire diuina. Vnde & timorẽ Abrahæ & tenebras mirari nõ debes,quasi præter uirtutẽ aut meritũ eius acciderint,cum prophetarũ consuetudini congruere aduertas, quando cognoscunt futura. Continuo autem dictũ habes ad eum: Sciendo scies quòd peregrinũ erit semen tuum *Gen.15* in terra non sua,& seruitio opprimentur,& nocebunt eis,& humiliabunt eos annis quadringẽtis.Merito tenebrosus horror magnus factus est, quia magna oracula defereban tur,cum de populo seculorum dabatur præceptum. Quomodo tam facile capere istud mens humana poterat,maxime quæ admonebatur ut in hac peregrinaretur terra? Non enim tam quæ futura erant declarabantur,quàm præscribebantur quę facienda forent. Peregrinũ,inquit,erit semen tuũ: siue quia omnes homines peregrini esse debeamus in hac uita: (omniũ etenim pater est Abraham) siue quia uerũ semen Abrahæ peregrinat in hoc mundo.Illud enim uerũ semen est,de quo dictum est: In Isaac erit semen tuũ.Deniq; qui se Abrahæ hæredem agnosceret, ait: Aduena ego sum in hac terra & peregri- *Ibid.21* nus,sicut omnes patres mei. Qui enim peregrinus hic fuerit, ciuis in cœlo est. Qui autẽ *Rom.9* in hac terra omnẽ animæ suæ substantiam constituendam putauerit, hæreditatemq; hu- *Hebr.11* ius terræ acquirendam sibi exultauerit,à dei regno excludet. Vnde Apostolus ad fide- *Psal.38* les uiros,& ciues Hierusalem illius quæ in cœlo est,& ecclesiæ filios dicit: Ergo iam nõ *Ephes.2* estis peregrini,sed estis ciues sanctorum,& domestici dei.Non ergo hęc terra nostra est, de qua potest princeps mundi huius dicere,ostendẽs omnia regna orbis: Tibi dabo po- *Matth.4* testatẽ hanc si procidens adoraueris me.erũt omnia tua quæ sibi alieni uindicant, & seruitio opprimũt populũ dei,ut seruis eius nocere,& humiliare conentur sanctos dei.Deniq; ipse filius dei nihil sibi ex hoc mundo uindicandũ putauit: unde ait: Venit mũdi hu- *Ioan.14* ius princeps,& in me inueniet nihil.Diuersi ergo domini in seruitute nos uolunt tenere, incessit diabolus, infestant angeli eius, passiones motusq; corporis uelut domestici atq; intestini hostes inquietant.Foris pugnæ,intus timores: foris pugnæ,intus cupiditates.Aliena est enim interni corporis substantia puritati cordis,& ideo impugnat uel repugnat.Bellum ergo quotidianũ est, & inter eadẽ graue prælium, donec deus misericors diabolũ atq; ministros eius iudicet,passiones restinguat,ac subijciat mẽti sedulæ: Exquirat animas nostras de omnibus offensis,& periculi nostri authoribus,qui ait: Sanguinẽ animarũ uestrarum exquiram de manibus omnium bestiarũ. Et ut Ioannes dixit: Quia *Apoc.20* mors & infernus missi sunt in stagnũ ignis.Itaq; exibunt iusti, ut nihil de suo dimittãt in hac terra,ne spolia eorũ resideant apud incolas & possessores istius terræ. Quæ etiam si abibunt de terra Aegypti ista, uasa quæ sumpserunt ab Aegyptijs mutuo uel aurea, in- *Exod.3.11.* quit,uel argẽtea,quibus ad tempus utentur, secũ auferant, & deprædentur Aegyptios. *& 12* Hæc uasa acceperũt uoluntate domini,& secũ ea auferunt, quia resurrectionis filij sunt, quibus dicitur:Non peribit capillus de capite uestro. Vasa hæc Aegyptij dederunt,quę *Lucæ 21* de terra afflictionis sunt assumpta. Et sunt alia aurea, alia argentea, quia omnis creatura *2.Tim.2* dei bona,& maxime hominis in terris præstantissima, quẽ honorauit deus ut inspiraret in faciem eius spiritũ uitæ,& omnibus præficeret animantibus.Hæc illa sunt uasa de quibus dicit Apostolus:Habemus thesaurũ in uasis fictilibus.Hæc est uestis Aegyptiorum *2.Cor.4* qua uestitur anima nostra,ut locupletior hinc recedat,& quo hic uehementer laborat,liberet.Non solum enim omnis creatura ingemiscit & patit,sed etiam nos, donec ueniat redẽptio corporis nostri.Habet dominus curã operis sui,habet naturæ promptæ in pleriscq; adorationẽ ac beneuolentiam. Neq; excidi & perire patimur arbores, quarũ circa primos fructus nobis futura prorumpunt,si posteriore ætate aut uentus decutiat,aut sol adurat,aut suffulcienda & subministranda uirtute,siccitatibus deficiat substãtia,sed melioribus auris differimus examinandas. Et ideo dominus deus noster bonæ uoluntatis remunerator,etiam primæ futuræ indolis contemplationẽ habẽs, omne colligi patitur animæ nostræ patrimoniũ,& reseruari,futuri aduentus illud probaturus tẽpori.Memor itaq; sui muneris quod immortale uoluit esse æquis, sed si culpa non obrepsisset & gratuis,quæ fecit ut non expediret diu uiuere.Patitur nos discedere ex hoc seculo, ut secessione animæ hoc corpus resoluatur in terram suam,& finis sit peccati,deinde per resurrectionem reformetur diuinæ liberalitatis gratia.Ideo dicit ad Abraham: Tu ibis ad pa-

tres tuos. Nonnulli putauerunt patres esse elemẽta, ex quibus constat caro nostra dum uiuimus, & in quam resoluimur. Sed nos qui meminimus matrẽ nobis esse Hierusalem
Gal. 4 quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater omnium nostrorum, sicut dicit Apostolus: illos asserimus patres, qui uitæ merito & ordine præcesserunt. Erat illic Abel pia uictima, erat pius & sanctus Enoch, erat Noe, ad eos promittitur Abraham transitus. Transit enim qui de hac uita recedens, ad uitam demigrat alteram, quia uiuit mens sapientis & iusti uiri qui nutritus est in pace. Nam insipiens in bello nutritur, & in discordijs, iustus in senectute bona uiuit. Non dixit longa sed bona, quia iustus bene senescit. Iniusto rum autem nemo, quamuis cornicibus uiuacibus diuturniore uita uixerit. Nam diu uiuere cõmune sapientibus atq; insipientibus est: bene autem uiuere speciale sapiẽtis est,
Sapien. 4 cuius senectus uenerabilis, & ætas senectutis uita immaculata: nõ diuturna, inquit, neq; numero annorũ computata, nec capillis canis in capite, sed sensibus. Ille ergo bene sene
Gen. 15 scit, qui bene senserit. Quarta autem generatione reuertentur. Historia quidem Iudæis uidetur conuenire, qui in Aegyptum transierunt, & de Aegypto transierunt. Quadringenti enim anni & triginta exacti illic eorum anni sunt, sed nõ omnes centenos, & quot excurrunt, annos uixerunt, sicut Moyses, aut Iesus Naue, ut quartæ generationis tempus conueniat. Vnde mysticum aliquid magis requiramus, eo quòd tetras omnibus numeris apta sit, & radix quædam decimæ ac fundamentum, hebdomadis quoque media. Denicq; nonagesimus tertius psalmus scribitur, quarta sabbati, eo quòd hic numerus medius sit priorum & sequentium. tres enim præcedunt eum, primus, secundus, tertius: & tres sequuntur, quintus, sextus, septimus. Qui hunc Psalmum canit, uelut aptis numeris uiram istius mundi transigit, quasi tetragonus, & stabilis atq; perfectus. In quatuor enim libris plenum Euangelium atq; perfectũ est. Quatuor animalia mystica sunt. Mundi quoq; istius partes quatuor sunt, ex quibus congregati filij ecclesiæ regnum Christi sacratissimum propagarunt, uenientes ab Oriente atq; Occidente, Septentrione & Meridie. Quadripartito igitur latere sancta surrexit ecclesia. Decas quoq; ex isto numero assurgit. Si enim connectas ab uno usq; ad quatuor, hoc modo decimam facies. Computa unum, adde illi duo, fiunt tres: adde tribus tres, fiunt sex: & ad sex adde quatuor, fiunt decem. Tetras igitur decem implet, decas numerũ omnẽ complectitur. Quatuor quoq; ætates sunt hominis, pueritia, adolescentia, iuuentus, maturitas. Paulatim assurgit & fundatur. Sapientia itaq; summa prudentię quarto ætatum ordine uenit. Meritoq; & si quis ante sub rege Aegypti fuit, maturioris tamen consilij exit de potestate eius: & legẽ igitur agnoscit sequendam. Tunc fit ei istius uitæ mare peruium. Similis ratio his quæ gignũtur solo. Vbi semen sparsum fuerit, soluitur humo. Et primo prorumpit in radicem, deinde germinat, formatur fructus, & postea maturescit. Arbores quoq; ipsæ primũ fructum ferunt, deinde adolescit fructus, accessu temporis mutat colorem, quarto ordine consummatur, hoc est nouissimo. Ita ergo & nos in terra hac afflictionis fugiamus lateres formare, sed lachrymis & gemitu uocemus domini misericordiam, ut mittat nobis Moysen & Aaron, hoc est legem & sacerdotem: illum uerum sacerdotem, & sacerdotũ principem, qui licet inter homines uersaretur, dicebatur: Ecce spiritus ante faciem nostram Christus dominus: & liberet nos de terra Aegypti, ut pascha domini celebremus. Feramus etiam fructum fidei ab ipsa pueritia, augeamus in adolescentia, coloremus in
Matth. 3 iuuentute, compleamus in senectute. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, ut qui facit fructũ, ferat. Adultam etiam maturamq; segetem nostram messor inueniat, ut maturos fructus in apothecis recondat, ne immaturos hyems deprehendat, uentus decutiat, pluuia corrumpat. Ego tamen arbitror significari magis, inter aduentum domini priorem, & secundum qui futurus est iudicij dies, tempus medium. Ideo enim & ad solis occasum uiro huiusmodi factus est pauor magnus, quia occidente iam mundo futurum sacrificium declarabatur quo mundus redimeretur, fides esset hostia, quæ non diuidere tur à filijs Abrahæ. Nam qui eam diuidunt, nõ sunt Abrahæ filij. Fides cõparatur regno
Ibid. 13 cœlorũ. Simile est enim regnum cœlorũ grano sinapis. Et simile est regnũ cœlorum negotiatori qui emit agrũ, & inuenit in eo margaritam precio sam. Regnũ cœlorum indiuisum est, quia regnũ trinitatis unum est. Ideo perpetuum atq; eternum, quia indiuisum.
Luce 11 Omne enim regnũ diuisum facilè destruet. Hostia etiam foret pudicitia trinitati dicata,

post

post illud sacrificiũ, uitulæ quoq; pro laboribus, quia sacerdotalis est uictima: Capræ autem, quia pro peccatis hostia: arietis, quia pro omni mũdo, & pro ipsis arietibus uel cœlestibus, non solùm pro hominibus: nec solum pro agnis, sed etiam pro hœdis quos peccatricis generationis fœtore exuit. Testificatur oraculũ futuros adhuc in terra afflictionis Abrahę filios, ut in agone multorũ & grauium certaminũ se probent, & ita cum multa supellectili aureorũ & argenteorũ uasorum spolijs opimis exeant & reuertantur animæ, atq; exeant preciosa possidentes corpora, diuersarum uirtutũ, & præcipue castimoniæ possessionum thesauro repleta, sumpturæ etiam Christi iudicio de diabolo & eius ministris, cæterisq; qui uoluerunt nocere uindictam. Tunc erit pauor magnus etiam iustorum. Nemo enim sine peccato. Omnes habebunt quod timeant, quia impleta peccata erunt. Et cùm superabundauerit peccatum, superabundauit gratia. Iterũ cum iam sol esset ad occasum, flamma facta est. Et ecce fornax fumigabunda, & lampades ignis, quæ pertransierunt per media diuisa illa. Etiam si dubitaretur de superioribus, confirmarent sequentia, quando flammam factam ad occasum legimus, quæ illuminaret uespertina mundi tẽpora, & fulgeret in tenebris, ac reuelaret latentia. Deniq; continuo uisa est fornax fumigabunda. Cuius similitudine exprimi uidetur uita humana, quæ implicata iniquitatibus seculi istius atq; inuoluta, non habens ueri fulgoris claritudinem, & splendorem synceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris uelut quodam fumo obtexitur, ne uideat ueritatis faciẽ. Obumbratur itaq; & obducitur quadam caligine oculus animæ, ut confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne pura sit aspectari negocia, donec cœlestes lampades dirigat dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ. Quando, inquit, non indigebunt luce lucernæ, & lumine solis, quoniam ipse dominus erit lux omnibus, & ipse illuminabit omnia mundi istius: quorum supra cognita est diuisio, nunc manifestata in lumine, nunc per speculum in ænigmate, tunc nec in parte, sed facie ad faciem ueritatis soliditas, atq; illud quod perfectum est, possit uideri.

Rom. 5
Gen. 15
Apoc. 22
1. Cor. 13

Quid significetur oraculo domini ad Abrahã dicentis: Semini tuo dabo terram hanc &c. Ad quid etiã pertineat Sara uxor Abrahæ, quæ sterilis fuerat: & quid ancilla eius Agar significet. Qua ratione præterea Sara conclusa fuerit, & Agar filios pepererit. Caput X

P Ost hæc secutum est oraculum dei dicentis: Semini tuo dabo terram hãc, à flumine Aegypti usq; ad flumen magnũ Euphraten.] Qui futuram gloriam demonstrauerat, debuit etiam conferenda uirtutum merita polliceri. Ipse enim & adiutor laborantium, & remunerator innocentiũ est. Aegyptus hic nomẽ non regionis sed fluminis est. Sic enim ueteres Nilum uocabant, siue quòd ipse regioni nomen dedisset, siue quòd regionis accepisset uocabulum. Deniq; & poeta Græcus testificatur ita esse dicens: σῆσα δ' ἐν αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας. Angustum autem & uile est, ut putemus quod cœlestibus signis terrena spoponderit. Itaq; consideremus ne forte perfectam beatitudinem & consummationẽ bonorum operum promiserit. Perfecta enim beatitudo ex tribus istis uidetur subsistere, corporis, atq; animæ, & accidentibus bonis, quæ Græci ἐνόντα dixerunt: ut sit corporis castimonia, patientia, uel temperantia: sit animæ prudentia atq; iustitia. Aegypti igitur flumen corporalia uidetur significare. Vnde & Geon dictus est ipse fluuius, quia de terra figuratus est homo. Euphrates autem quæ sunt animæ, eo quòd fons sit iustitia cæterarũ uirtutum, quę uirtutes alias illuminet. Prudentia enim sine iustitia nocet. Fortitudo quoq; nisi eam iustitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori quàm rationi propior, dominationi quàm libertati. Sobrietas & temperantia, priuata bona sunt, nec ullius uis, nisi iusta erga deum reuerentia, & fideli mente pietatem colas. Iustitia sola est quæ uirtutes omnes complectitur, & commendat omnes. Accidentia quoq; sunt, negociationes, mercaturæ, & agriculturæ, competentia quæstus, laborum operumq; ruralium. Sunt etiam corporis accidentia, salubritas, & cõmoditas ualetudinis, decus, fortitudo, quæ ex tempore accidunt, & cum ætate mutantur. Non mediocrem hanc triplicem gratiam putes. Habes enim perfectionem perfectã in Euangelio. Nam cum dicit dominus Iesus legisperito illi: Diliges dominum deum tuũ, animę iustitiam mandat tenendam. Etenim si honorari parentes iustum

Gen. 15
Odyss. ξ
Matth. 22

Matth. 16 est, quanto magis parenti omnium fieri debet honorificentia? Rursus cùm dicit: nõ occides, non adulterium, nõ furtum facies, non falsum testimoniũ dices: uirtutes corporis
Marci 10 seruandas admonet. In posterioribus uerò dicens: Nemo est qui relinquat domũ aut parentes, aut uxorẽ, aut filios propter regnũ dei, & nõ recipiat septies tantũ in hoc tempore: in seculo autem uenturo uitam æternam possidebit: non ne incrementa bonorũ accidentiũ cum animæ corporisq; remuneratione promittit? Hæc quæ simplicibus uerbis sacra scriptura exprimit, magno quodam cothurno Aristoteles & Peripatetici personãt atq; extollunt. Pythagoricũ quoq; dogma esse testificantur sui. Sed quis illorũ æquauit Abraham tempore? Quis authoritate & sapientia domini, cuius oraculo triplicis huius gratiæ munus agnoscit? Dantur autẽ ei tanquam in disciplinam alienigenæ nationes, ut mens æqui obseruantissima, recidat uitia, emẽdet errata. Magis tamen euidens ecclesiæ declaratur mysterium, quia per Apostolos qui sunt Israelitæ, quorũ patres, & ex quiRom. 9 bus patribus Christus secundum carnem sub lege factus est, cõgreganda ecclesia foret, crediturus populus nationum. Quos non ociose decẽ numero significauit, sed ut ostenderet quia illi antè perfidi, ubi mensurã pietatis implessent, profecto essent fidei adeptuGen. 16 ri coronã. Deniq; sequitur: quia Sara uxor Abrahæ sterilis fuerat, quod ad ecclesiã pertinere, in ea expositione quã de moralibus scripsimus, apostolicis documus exẽplis. Ecclesia enim sterilis uidetur in hoc seculo, quia non secularia parturit, nec præsentia, sed futura, hoc est non ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Huius ancilla est Synagoga, uel omnes hæreses, quæ seruos nõ liberos creat. Ideoq; Agar dicitur habitatio. Etenim temporalis spem fouet, nõ perpetuę possessionis gratiam tenet. Itaq; ut nõ insolens partu corporeo fiat ancilla eius, & ius ecclesiæ sibi uindicet, dicitur ibi: Eijce ancillam & fiIbid. 21 lium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. sed etiam in singulis SaGal. 4 ra est, & in singulis Agar. Sara uirtus uera est, uera sapientia: Agar autẽ est uersutia, tanquam ancilla perfectioris uirtutis. alia enim sapientia spiritalis, alia sapientia huius mundi. Ideo etiã Aegyptia scribitur, quia philosophica eruditio abundauit in Aegypto. Deniq; & Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorũ, sed abiecit eam, præferens
Hebr. 11 Aegypti thesauris opprobrium pro Christi nomine. Nam si illam iudicasset alicuius mo
Exod. 4 menti esse sapientiam, nõ utiq; dixisset: Precor domine, nõ sum dignus ante hesternam & nudiustertianã diem, neq; ex quo cœpisti loqui seruo tuo: gracili enim collocutione, & tardiore lingua ego sum. Deniq; quasi inerudito respondetur ei quod eruditetur à domino: Ego aperiam os tuum, & instruam te quod debeas loqui. Præclarum autem mysterium, quod lex nõ satis plena erat ut persuaderet populis, & gentes uocaret, uel quia clausa foret usq; ad Christi aduentũ. Qui exponens nobis prophetica oracula, & proferens lectionis ueteris testimonia, ueluti quoddam os legis aperuit, ut fidei clamor in to
Gen. 16 tum perueniret orbem, Vnde & mystice ait Sara: Conclusit me dominus ut non pariã. intra ergo ad ancillam meã, & filium facies ex illa. ut agnoscas in prædestinatione fuisse semper ecclesiam dei, & paratam fidei fœcunditatẽ, quando iuberet dominus prorum-
2. Cor. 6 pere, sed uoluntate domini certo reseruatam tẽpori. Deniq; scriptũ est: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Aduertimus itaq; quod festinabat fides ecclesiæ, sed cõclusa erat eius fœcunditas. Quo uerbo demonstrat, quoniam expectabat partus sui tẽpora, quia quod cõclusum est, aperiri solet. Qua ratione cõclusa fuerit, docet te
Rom. 11 Apostolus dicẽs: Conclusit enim deus omnia in incredulitate, ut omnibus misereatur: ut nõ uolentis neq; currentis, sed miserentis dei esset gratia, ne te ipsum iustificares, sed omnia tribueres deo qui te uocauit. Nemo enim pigrescat, & excusationem prætendat, quo serius credat, quia scriptũ est, nõ uolentis neq; currentis esse. Consideret enim quid additũ sit: Sed miserentis, inquit, dei. Talem te ergo præbe bonis studijs & prompta fiEsa. 65 de, ut deus tui misereat, & uocet te sicut ecclesiã uocauit, dicẽs: Palàm factus sum quæRom. 10 rentibus me, apparui ijs qui me nõ interrogabant. Et recte præmissa sunt deteriora, ut meliora sequerent. Peperit ancilla seruos, ut eos ecclesia liberos faceret, & de seruitute populos ad libertatẽ uocaret, de culpa ad innocentiã, de offensa ad gratiam. Singulorũ quoq; hominũ si spectes ordinem, nõ omnes à perfectis inchoauerũt, nec apud omnes tempore prima est, sed merito antiquior perfecta uirtus. Prudentis igitur mentis est considerare quamdiu imperfecta est anima, quæ sunt secum deliberet, ut uel in posterioribus

ribus ſe exerceat uirtutum diſciplinis, donec exercitij uſu ualeſcat. Dum uero ſe erroris inuolucris exuerit, & ab omni enodauerit offenſione, conſummatam ſui purgationem exhibens, tunc ſuo nitatur ordine magnos partus edere. Præterea dicitur Abrahæ: Eſto *Gen.17*
ſine reprehenſione. cui dabatur ſpiritus ſapientiæ ſanctus, bene mobilis, immaculatus. Oportet igitur uiri ſapientis animam die noctuq; in exercitio iugi ſpecula prætendere, nunquam ſomno indulgentem, perpetuis uigilijs intentam deo, ad comprehenſionem rerum earum quæ ſunt, & ſingularum cauſarum cognitionem. Sed etiam futurorum interpres ſapientia eſt, ſcit præterita, & de futuris æſtimat. Scit uerſutias ſermonũ, & ſolutiones argumentorũ. Signa & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus temporũ & ſeculorum. Non poteſt igitur bonus atq; perfectus nõ eſſe qui hanc acquiſierit, quia & omnem habet uirtutẽ, & imago bonitatis eſt. Vnde & ſeculi iſtius ſophiſtæ traxerunt definitionem huiuſmodi, quod ſapiens uir bonus dicendi peritus ſit. Redeamus nũc ad donum dei, quo nihil plenius. Quid enim melius ſapiẽtia? Quid peius uanitate? Quid deterius ſuperſtitione? Ideoq; tanquam ei cui promiſerat plenitudinem perfectionis, ait: *Ibidem*
Augebo te ualde, & ponã te in gentes, & reges de te erunt: quia qui eius eſt, totus mundus diuitiarum eſt, & augetur, nõ minuitur ut ſtultus. Ponitur in gentes Abraham, hoc eſt, fides eius ad gentes transfertur, & reges ſeculi qui crediderũt: & ſe ſubijciunt domino Ieſu, cui dicitur: Tibi offerẽt reges munera. Nec illud abſurdum, quia ex genere A- *Pſal.67*
brahæ non ſolum reges erunt dignitate, uerumetiam illi reges qui peccato nõ ſeruiant, nec uincat eos malitia, ſupra quos regnũ mors non habeat. Mentis quoq; bonæ cognouimus reges eſſe & principes inuentiones, quæ ſicut Abraham mediocris quidem generationis prouentus non habet, ſed abundat regalibus. Cui data eſt terra in poſſeſſionem, ut dominetur corpori, nec ſit captiua carnalium uoluptatũ, ſed quaſi famulatu debito obnoxia caro menti ſeruiat. Secundum perſonam autem Abrahæ euidens myſterium eccleſiæ, quæ totum orbem fidei hæreditate poſſedit: Bene pater electionis dicitur, pater fidei, pater piæ confeſſionis.

Quid nos doceat oracullum quo dictum eſt Abrahæ: Circumcidatis omne maſculinum ueſtrum &c. Quomodo etiam plericq; moueantur ex hoc quod dominus dixit: Quoniam qui non fuerit circunciſus maſculus &c, Qua ratione præterea Saræ una litera fuerit addita, ac de futuri filij promiſſione &c. Quid denicq; ſignificet quòd Abraham in faciem ceciderit. Et de promiſſi confirmatione, & reſponſione domini ad Abrahæ petitionem.

Caput XI

E T quia ad perfectum uocatur, oracullum perfectionis accipit: Circuncidatis, *Gen.17*
inquit, omne maſculinum ueſtrum, & circuncidatis carnem ueſtram: perfecta autem circunciſio ſpiritalis eſt. Denicq; & lectio hoc docet, cùm dicit: Circuncidite duritiã cordis ueſtri. Et hic plericq; ita accipiunt, ut ſit: Circuncidite omne maſculinum ueſtrũ, hoc eſt mentẽ ueſtram. nihil eſt enim mente ualidius. Deinde quia maſculinum ſanctum dicitur, Omnis maſculus adaperiens uuluam, ſanctus domino uoca- *Exod.13*
bitur. Quid autẽ mente ſanctius, quæ dat bonarum ſemina cogitationũ, quibus aperit *Lucæ 2*
uuluã animæ concluſam pariendi ſterilitate, ut poſſit illas inuiſibiles generationes edere, utero illo uidelicet ſpiritali de quo dicit Eſaias: In utero accepimus & parturiuimus *Eſa.26*
ſpiritũ ſalutis. Circunciſio ergo cordis intelligibilis, circunciſio etiam carnis mandatur ſenſibilis. Illa in ueritate, iſta in ſignaculo. Gemina itaq; circunciſio, quia & animi & corporis quæritur abſtinentia. Denicq; Aegyptij quartodecimo anno circuncidunt mares, & fœminæ apud eos eodem anno circuncidi feruntur, quod ab eo uidelicet anno incipiat flagrare paſſio uirilis, & fœminarũ menſtrua ſumant exordia. Legis autẽ lator æternæ ſignaculũ circunciſionis carnalis in ſolis maribus exigit, eo quòd ad mixtionis uſum uir muliere uehementior ſit, & ideo ipſius impetum infringere uoluit circunciſionis ſignaculo. Vel quia uiri licito ſe errare credunt, ſi ſolo ſe abſtineãt adulterio: meretricios autem uſus tanquam legi naturæ ſuppetere putant, cum præter coniugium nec uiro liceat nec fœminæ miſceri alteri. Altiore autẽ interpretatione illud panditur, quod ſi mẽs purgata & circunciſa ſit, exuta ſuperfluis uoluptatibus & cogitationibus reſtringit animam ad ſui caſtimoniam, puriſq; ſenſibus infuſam bonorum facit partuũ genitricẽ. Octauo autem die circuncidi puerũ lex iubet, myſtico idq; præcepto, quia ipſe eſt reſurrectionis

ctionis dies. dominica enim die resurrexit dominus Iesus. Ergo si dies resurrectionis circuncisos nos & exutos inueniat delictorũ superfluis, ab omni ablutos sorde, mundos à uitijs corporalibus, si hinc mundus exieris, mundus resurges. Circũcide igitur te nõ carne, sed uitio carnali. Et circuncide tuum nõ solum uernaculum, sed etiam precio emptũ. Si ad singula referas, uernaculi sunt motus naturales: precio empti, ratione & doctrina acquisiti. Egent autem & illi & hi tanquam uirgulta purgatione & incisione luxurię, ne uagentur ut sterilia sarmenta, & obumbrent inutilia fructuosis, uelut quædam omni uitio distẽta: multis incassum laborat. Mysterij autẽ ratio dilucida. Vernaculi enim Iudęi, precio empti sunt gentes qui crediderũt, quia precio sanguinis Christi redempta est ecclesia. Ergo & Iudæus & Græcus, & quicunq; crediderit, debet scire se circuncidere à peccatis, ut possit saluus fieri. Et domesticus, & alienigena, & iustus, & peccator, circuncidatur remissione peccatorũ, ut peccatum nõ operetur amplius: quia nemo ascendit in regnum cœlorũ, nisi per sacramentũ baptismatis. Nec proderit superioris iustitia tempo-
1. Cor. 7 ris, si in fine uitæ iustitiã dereliquerit. Ideo Paulus ait: Precio empti estis, nolite fieri serui hominũ. Sunt enim contraria, quia seruitus peccato contrahit, & precio peccatũ remittitur. Hæc igitur simplici expositione abundare ad intellectũ opinamur. Ideoq; nec cubos geometriæ, nec tetragonum numerũ philosophiæ, quaternionẽ (ut aiunt) Pythagoricũ, nec semper uirgines (ut appellant) hebdomadis numeros cura discutimus inani, nec solis radios formamus, nec cœlum in puluere quærimus, nec intra angustos abacos orbem concludimus, sed uera aperimus mysteria, unam salutem esse Christi resurre-
Rom. 6 ctionẽ. Complantemur ergo similitudini mortis eius, ut mereamur resurrectionis consortium. Et uetus homo noster sit crucifixus cruci, ut corpus destruatur peccati. Egregie autem infantiæ in primis uagitibus circuncidi mares lex iubet, etiam uernaculos: quia sicut ab infantia circuncisio, ita & morbus. Nullum tempus uacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ uacuum. Et infans reuocandus à peccato est, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare assuescat idolum, & exosculari simulacrũ, parentis uiolare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam infletur, quod sibi iustus uideatur, ætatis maturioris processu Abraham circũcidi iubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans uernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramen-
Gen. 17 to idonea. Et erit, inquit, testamentũ meum in carne uestra. Forsitan referatur hoc loco, quomodo spiritalem dicis circuncisionem, cum oraculum dicat: Erit testamentum circuncisionis in carne uestra? Quasi uerò animæ solius & non passionum corporis exigatur temperantia. Nam & uisus, & auditus, & odoris, & gustus, & tactus, & uocis ipsius quæritur quædam castimonia: quia & uisus procacior habet crimen: & ideo scriptũ est:
Prouerb. 5 Noli intendere fallaci mulieri, neq; capiaris oculis, neq; abripiaris palpebris. Et in ipso
Ibidem auditu crimen est, si seducat meretrix, & multo blandimento sermonis & laqueis labiorum suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est, ideo tibi dicitur: Ne multus fueris ad
Ibidem 25 alienam, neq; continueris amplexibus nõ tuam. Et in uoce culpa est. Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, & abducitur à labijs sui oris. Et mel ipsum noli multum edere ne euomas. Oportet ergo ut omnium sensuum acuta sit moderatio: ne aut impetus
Gen. 17 in uitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensioni sit. Non ociose autẽ nec superflue plericq; hoc qui sequitur loco moueri uidentur. Ecquid ita dixerit dominus, quoniã qui non fuerit circuncisus masculus, & non circuncíderit carnem præputij sui octauo die, peribit anima illa de genere suo, & testamentum meum interrupit. Graue enim putatur quod infanti octo dierum negligentia parentum fraudi esset futura, ita ut interiret anima eius, cum ipsa lex etiam homicidæ qui tamen non uoluntarium facinus necandi hominis impleuerit, ciuitates præscripserit ad quas confugiendo mereatur sanguinis impunitatem. Quomodo ergo aut illic ratio habetur fortuitæ necis, aut hic ratio infantiæ non habetur, in qua crimen non potuit esse aut dissimulationis, aut uoluntatis, nisi forte putent aliqui quoniam morte filij grauius puniuntur parentes? Sed iniustum putatur ut culpa nocentum inferatur pœna innocenti, uel propter pœnam nocentis innocens puniatur, aut fiat consors supplicij qui dispar est merito. Vnde putant quod de parente dicat exterminando, quod eius intereat anima, non paruuli. Sed ualde ambiguũ est, licet suffragetur huic assertioni quod ait, quia testamentum meum interrupit. Itaque

hoc

hoc ad intelligentē magis quàm ad infantem referendum uidetur. Alij grauiora parentibus uel silentio minitantem putant dominum deum, quo plus timeant maiores, quando nec infanti parcitur. Mihi autem satis liquido patet dictum de uniuscuiusq; mente. Diximus enim masculi nomine mentem significari, quòd sit ualidus mentis uigor, & animam in sui copulam trahat, sitq; uehementior tanquam sexu potior, & uirili ualiditate. Ergo hæc ratio est, quòd omnis mens quę non fuerit circuncisa à superfluis corporalibus, & purgata solenni munere ut exuat se passionibus & uitijs, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo, sed anima illa interibit, quia potuit salua fieri si habuisset purgationem. Nuda autem præsidij, & incircuncisi cordis colluuione infirmior, salutem generis sui non potuit seruare: omne autem genus uidetur immortale, ut homo genus est, ut ullus species est. Homo semper dicitur, ullus non semper, imò non deficit ullus. Deficit qui fidem non habet, persona deficit unius, conditio uel nomen hominum non deficit. Ex diuturno igitur & innoxio in id quod temporale est & noxiū peccator deducit, qui mentis suæ adscribere debet infantiæ quod incautus fuit & intemperans, uel remissionem peccatorū nō acquisiuit. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Vtiq; nullum excipit, nō infantem, non aliqua præuentum necessitate. Habeant tamen illam opertam pœnarū immunitatem, nescio an habeāt regni honorem. Saræ quoq; una additur litera, scilicet r, ut uocaretur Sarra. Quod utiq; par est, ut in superioribus, non unius adiectione pensari literæ. Non enim munus deo est una litera, sed uirtus literæ, quæ exprimit muneris diuini gratiam. Sara enim dicitur ἀρχὴ ἐμὴ, hoc est potestas mea, uel principatus mei initium, uel regis. Sara Græcè dicitur ἄρχουσα, Latine quæ regat. Illa mortalis, ista immortalis: illa specialis, ista generalis. Est nanq; in me prudentia, in me castimonia, in me uirtus, in me iustitia, me solum regūt, & mihi dominantur, & sunt mortales. Moriente enim me soluuntur & moriuntur etiam illa: quæ autem prudentia generaliter dicitur, quæ castimonia, quæ fortitudo, cæteræq; uirtutes principales, generaliter principales, & reginæ quædam immortales, in his potestas est immortale illud principale, sicut est regina ecclesia, quæ non me unum, sed uniuersos regit. Ergo speciem in genus, partē in uniuersitatem, corruptibilitatē in incorruptibilitatem conuersam uidemus: quæ omnia ecclesiæ cōuenire certum est. Non enim specialis hæc, sed generalis ratio est, nec partis sed uniuersitatis salus. Ideoq; his præcedentibus cum unumquemq; prudentia sua ad hanc principalem & diffusam per omnes salutem deduxerit, in qua fons sapientiæ iustitiæq; est, requiritur generatio, & ille perfectus partus iucunditatis, cuius nomen est Isaac. nulla enim melior est uoluptas quàm emendatæ gratia conscientiæ. Hinc Epicuri traxerunt summū bonum uoluptatem esse, sed eam corporis magis inquinamento quàm sobrietate mentis æstimauerunt. Quid est autem quod ait: Cecidit in faciem Abraham, & risit? Et hic reuerētia significatur, quod timuit deum uelut libero risu lædere, quamuis risus lætitiam declararet uiri iusti, qui tantis gratulabatur promissis. Non enim dubitantis hic risus, sed credentis fuit. Simulq; cadunt ante deum omnia, & mutantur & transeunt, sola illa immutabilis stat semper substantia. aut fortasse & in hoc mysterio prophetauit Abraham dominū Iesum, quòd per susceptionē dominici corporis & resurrectionem tanti complenda oraculi gratia foret. Adorat igitur nō elementū terræ, de quo dictum est: Et adorate scabellum eius, quoniā sanctū est. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ, quæ adorauerunt uersantē in corpore. Et dixit, inquit, in corde suo: Si centū annorū nascetur filius, & si Sara nonaginta annorū pariet? Græcus ὡς τῇ διανοίᾳ posuit, ut possimus æstimare quia cordi suo quasi dixerit alteri centi secū, si centenario nascet, & nonagenaria pariet? hoc est, ætas generandi prętereijt. Deo omnia sunt possibilia. Et ideo facile istud, ut senibus reuocet iuuētutis annos, uires refundat, sterilibus det fœcunditatē. Nec illud prętereundū quod promissa sibi generatione legitima respōdit Abrahā deo: Hismael uiuat hic in cōspectu tuo. Iusti est etiā pro peccatoribus interuenire. Et ideo uel hoc credāt Iudæi, quia & pro ipsis interuenit. si tamen credant. hoc est enim uiuere in cōspectu dei, digna dei uerbo negocia gerere. Oculi domini super iustos. Vnde & dominus ait, Etiam: Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium. De Hismael autem exaudiui te. Etiam cum dicit, confirmat promissa. cōfirmatiuum etiam uerbum est. Et ideo prius generationē ecclesiæ confirmat futuram, ut uerum recognosce-

Ioan. 3

Gen. 17

Hic uidetur aliquis assuesse suas nugas

Gen. 17

Psal. 98
Matth. 24
Gen. 17

uel εἰ κατὰ

Gen. 17

Psal. 33
Gen. 17

gnoſceret propheta quod de Hiſmael ſe audiſſe dixiſſet deus, præuidēs quia cæcitas ex
Rom. 11 parte Iſrael haberet cōtingere, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſal
uus fieret. Itaq; ſicut teſtamenta hominū prius hæredem ferunt, poſtea legatū exprimūt,
melioribus hæreditatē, inferioribus legata: ita in deum in teſtamento unum, & nos hūc
morē accepimus. Hæres ſcribitur natura bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio, le-
gato donatur inferior. Promittitur autē generatio ſequenti anno, ut aduertas quam ge-
nerationē polliceatur dominus, hoc eſt, non illam uteri corporalis Sarę, ſed iuſtum par-
Gen. 18 tum eccleſiæ, qui eſſet futurus. Deniq; & infrà ait: Reuertar ad te in futurū, & erit Saræ
filius. In quo utrunq; poſſumus accipere, & hunc conuentū eccleſiæ, & fidelium reſur-
Ibidem 17 rectionem. Tertiodecimo quoq; anno quòd circunciditur Hiſmael, ratio euidens: quia
is qui incipere habet uti cognitione fœminæ, ante debet recidere in ſe ardorē libidinis,
ut ſuperfluis abſtineat cōmixtionibus, cōiunctioni tantum legitimæ reſeruet. Mentem
quoq; ſapientis hoſpitalem eſſe decet, ut etiam alijs impertiat ſui gratiam, & prudentiæ
ſuæ fructū alijs quoq; diuidat, atq; epulentur bonis doctrinæ cibis, epulumq; eius exhi-
beat deſiderantibus. Tunc præterea neſciat niſi ſecundum naturā uiuere, in cuius inſti-
tuto & ordine dei lex eſt. Nulli ſe tranſuerſali cupiditati miſcere nouerit, ſolius ſapiētiæ
præoptet copulam. Mandatis dei, ſeculi iſtius gloriam, & quandam præſentis laudis hæ
reditatem præferre neſciat. Atq; ut altaribus domini ſuas immolet utilitates, ita iudicij
ignem non excipiat, neq; reformidet, ſed magis etiam ut alios eripiat, elaboret.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE ISAAC ET ANIMA.

De commendatione ſancti Iſaac tam ex paterna origine, & gratia, quàm ex dominicæ generationis & paſſionis præfiguratione, quæ & nomine ſuo ſignificatur: ac de apertione myſterij inter Chriſtum per Iſaac delignatū, & animam repræſentatam per Rebeccam. Caput I

De admonitione hominis ut intueatur qui ſit, quo ſalutē ſuam uitamq; tueatur, & quid ſit homo. Quid'ue ac qualis ſit anima tam ſecundum ſui naturam, quàm per irrationabilem ſui partem, qua obnoxia fit corruptioni. Caput II

De perfectæ animæ primiq; proceſſus eius deſcriptione, quomodo charitatis impatiēs, & uerbi moras non ferens, rogabat ut oſcula mereretur, & meruit deſideratum uidere. Caput III

De ſecundo perfectæ animæ proceſſu, quo introducta in cubiculum regis, cum mutua miſceret alloquia, in umbra eius requieuit, & ſubito eius uerbo de medio ſermone diſceſſit: quęrenti tamen nō diu abfuit, ſed ſaliens ſupra montes, & tranſiliens ſuper colles aduenit. Nec multo poſt quaſi capreolus aut ceruorum hinnulus dum affatur dilectam, exiliuit & reliquit. Caput IIII

De tertio ipſius animæ proceſſu, quo cum in cubili & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæſitum non reperiſſet, aliquando rationibus ſuis gratia quærentem reuocauit, adeò ut ab eius ſponſo propius uocaretur. Caput V

De ſummaria dictorū perſtrictione, cum inductione, & proſecutione quarti proceſſus perfectæ animæ quo ipſa iam dormiens, quamuis corde uigilaret, à ſponſo excitatur, ut continuo uocem pulſantis audiret. Sed moram paſſa dum ſurgit: quia uelocitatem uerbi non potuit comprehendere, dum aperit oſtium, tranſiuit uerbum, & ipſa exiuit, & per uulnera charitatis requiſitum uix tandem inuenit, & tenuit, ut poſtea non amitteret. Caput VI

De laudatione animæ à ſponſo, quod tam bene & conſtanter requiſierit eum, & quod tam fidelis, & uerbo potens, & fructibus fœcunda diuerſis, quodq; una ſicut columba habens ſpiritus unitatem, in qua ſit pax, quæ fecit utraq; unum. Caput VII

Anima dum laudatur à ſponſo, uerecunde refugiens coram laudari, & reuocata à ſponſo, quid dicat. De præconijs quoque bonæ animæ, ſingulariq; laude charitatis. Caput VIII

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI, DE
SANCTO ISAAC ET ANIMA LIBER VNVS.

De commendatione ſancti Iſaac tam ex paterna origine & gratia, quàm ex dominicæ generationis & paſſionis præfiguratione, quæ & nomine ſuo ſignificatur. Ac de apertione myſterij inter Chriſtum per Iſaac deſignatum, & animam repræſentatam per Rebeccam. Caput I

IN patre nobis ſancti Iſaac uel origo ſatis eſt expreſſa, uel gratia: cum ad omnẽ redundat gloriam, quòd tanto & tam imitabili uiro natus Abrahæ patri præmium fuit. Neq; uerò iſtud mirabile, cum in eo dominicæ generationis & paſſionis figura præceſſerit. Siquidem & ſterilis anus ex promiſſione dei peperit eum, ut crederemus quòd potens eſt deus facere, ut poſſit & uirgo generare. & oblatus unicus ad immolandum, qui & patri non periret, & impleret ſacrificium. Itaq; ipſo nomine figuram & gratiam ſignificat. Iſaac etenim riſus Latinè ſignificatur. Riſus autem inſigne lætitiæ eſt. Quis autem ignorat quòd is uniuerſorum lætitia ſit, qui mortis formidoloſæ uel pauore compreſſo, uel mœrore ſublato, factus omnibus eſt remiſſio peccatorum? Itaque ille nominabatur, & iſte deſignabatur, exprimebatur, & annunciabatur. Ipſe eſt quem iam tunc perſequebatur ancilla, ipſe eſt propter quem iam tunc dicebatur: Expelle ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Ipſe eſt cui pater alienigenam acquiſiuit ſponſam. Ipſe eſt mitis, humilis, atq; manſuetus, qui ueniente Rebecca, hoc eſt patientia, exiuit in campum abalienari. Sapientis enim eſt ſegregare ſe à uoluptatibus carnis, eleuare animam, atq; à corpore abducere: hoc eſt enim ſe hominem cognoſcere. Qui Chaldæorum ſermone Enos dicitur, Latinè homo. Enos autem, qui aſſumpſit & ſperauit inuocare deum, & ideo creditur eſſe translatus. Non uidetur itaque homo eſſe, niſi is qui in deum ſperat. qui autem ſperat in deum, non degere in terris, ſed quaſi translatus adhærere deo, manifeſta uiri interpretatione ſignatur. Bonus igitur Iſaac, uerus, utpote plenus gratiæ, & fons lætitiæ. Ad quem fontem ueniebat Rebecca ut impleret hydriam. Dicit enim ſcriptura: Quia deſcendens ad fontem, impleuit hydriam, & aſcendit. Deſcendit itaq; ad ſapientiæ fontem uel eccleſia, uel anima, ut totum uas impleret ſuum, & hauriret puræ ſapientiæ diſciplinas, quas haurire Iudæi de fonte profluo noluerũt. Quis iſte fons ſit, audi dicentem: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Ad hunc fontem currebat ſitiens anima prophetarum, ſicut & Dauid dicit: Sitiuit anima mea ad deum uiuum. ut ſitim ſuam ubertate diuinæ cognitionis expleret, & inſipientiæ ſanguinem ſpiritalium rigatu diluueret fluentorum. Hic eſt enim fluxus ſanguinis, ſicut ſignificat lex, qui deoperitur, quando uir ſedenti in diebus ſanguinis ſui mulieri miſcetur. Mulier eſt delectatio corporalis illecebræ. Itaq; caue ne uigor mentis tuæ coitu quodam corporeæ uoluptatis inflexus emolliatur, atque in eius amplexus omnis reſoluatur, & fontem eius aperiat, qui debet eſſe clauſus & ſeptus intentionis ſtudio, & conſideratione rationis. Hortus enim clauſus, fons ſignatus. Nanq; mentis uigore reſoluto, ſenſim ſe corporales delectationes effundunt, pernicioſæ nimis, & in appetentiam plenam grauis periculi proruẽtes: quas ſi mentis uiuidæ cõſiderata manſiſſet cuſtodia, refrænaſſet.

Gen. 21

Ibidem 22

Ibidem 21

Ibidem 24

Ibidem

Hiere. 2

Pſal. 41

Cantic. 4

De admonitione hominis ut intueatur qui ſit, quo ſalutẽ ſuam uitamq; tueatur, & quid ſit homo. Quid'ue ac qualis ſit anima tam ſecundum ſui naturam, quàm per irrationabilem ſui partem, qua obnoxia ſit corruptioni. Caput II

INtuere ergo ô homo qui ſis, quo ſalutem tuam uitamq; tuearis. Quid eſt itaque homo? Vtrum anima, an caro, an utriuſq; copula? Aliud enim nos ſumus, aliud noſtrũ; alius qui induitur, & aliud ueſtimentum. Legimus in Ve-

Gen. 46 teri teſtamento : Omnes animæ quæ deſcenderunt in Aegyptum, de hominibus di-
Ibidem 6 ctum. Et alibi dictum eſt: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quoniã car-
nes ſunt. De alterutro igitur legitur, quia homo dicitur & de anima, & de carne. Sed il-
la diſcretio eſt, quod ubi anima pro homine ponitur, Hebræus ſignificatur, deo adhæ-
rens, non corpori, ut eſt illud: Anima benedicta omnis ſimplex. Vbi autem caro pro ho-
Rom. 7 mine nuncupatur, peccator exprimitur, ut eſt illud: Ego autem carnalis ſum, uenunda-
tus ſub peccato. quod enim operor, nõ cognoſco. Non enim quod uolo ago, ſed quod
odi illud facio. Hoc iam poſterius de utroq;. Alius eſt enim qui uult, alius qui odit, alius
qui facit. Denicq; addidit: Si ergo quod odi, hoc facio, conſentio legi, quoniam bona eſt:
nunc autẽ iam nõ ego illud operor, ſed quod habitat in me peccatũ. Illud quoq; expreſ-
ſius: Video legem carnis meæ repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege
peccati. Et tamen cum utrunq; in ſe concertantẽ hominem declaraſſet, hoc eſt interio-
rem & exteriorem: in animæ magis quàm in corporis parte ſe maluit conſtituere, quod
anima ſua traheretur captiua ad peccatum, in qua eſſe ſe mallet, & eſſe confirmat, dicẽs:
Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tanquam ab extraneo
hoſte ita ſe deſiderat liberari à corpore. Nõ ergo ſanguis anima, quia carnis eſt ſanguis:
neque harmonia anima, quia & huiuſmodi harmonia carnis eſt: neq; aer anima, quia a-
liud eſt flatilis ſpiritus, aliud anima: neq; ignis eſt anima, neq; entelechia anima: ſed ani-
Gen. 2 ma eſt uiuens, qua factus eſt Adam in animam uiuentem, eo quòd inſenſibile atq; exa-
1. Cor. 2 nime corpus anima uiuificet & gubernet. Eſt & præſtantior homo, de quo dicitur: Spi-
ritalis autem dijudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur. Hic eſt præſtantior cæte-
Pſal. 143 ris. Vnde & Dauid dicit: Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis, niſi
quod uiſitas eum? Homo uanitati ſimilis factus eſt. Non ille ſecundum imaginem dei
homo uanitatis eſt: ſed qui illud amiſit, & in peccatum decidit, & in materialia iſta di-
lapſus eſt, iſte homo eſt uanitatis. Anima igitur ſecundum ſui naturam optima eſt, ſed
plerumque per irrationabilem ſui partem obnoxia fit corruptioni, ut inclinetur ad uo-
luptates corporis & appetentiam, dum menſuram rerum non tenet, aut fallitur opi-
nione, atque inclinata ad materiam, agglutinatur corpori. Sic uiſibile eius impedi-
tur, & malitia repletur: quia dum intendit malitiæ, eius ſe uitijs replet, & fit defectu bo-
nitatis intemperantior.

De perfectæ animæ primiq; proceſſus eius deſcriptione, quomodo charitatis impatiens, & uerbi moras non ferens, rogabat ut oſcula mereretur, & meruit deſideratum uidere. Caput III

P Erfecta autem anima auerſatur materiam, omne immoderatum, mobile, ma
lignum refugit ac reſpuit: nec uidet, nec appropinquat ad illius terrenæ la-
bis corruptionem, diuinis intendit, terrenam autem materiem fugit. Fuga au
tem eſt, non terram relinquere, ſed eſſe in terris, iuſtitiam & ſobrietatem tenere: renun-
1. Reg. 21 ciare uitijs, non uſibus elementorum. Fugiebat Dauid ſanctus à facie Saul, non utiq; ut
terras relinqueret, ſed ut immitis & inobſeruantis & perfidi declinaret contagium. Fu-
Pſal. 62 giebat autem adhærens deo, ſicut & ipſe ait: Adhæſit anima mea poſt te. Abducebat ſe,
& ableuabat uitijs ſeculi huius, eleuabat animam ſuam ſicut Iſaac in campo, uel abalie-
nabat, uel (ut alij habent) deambulabat. Nam hoc quoq; oſtendit cum uirtutibus fami-
liare habere conſortium, ut deambulet unuſquiſq; in innocẽtia cordis ſui, nullo uſu ter-
renis uitijs miſceatur, atq; irreprehenſibilem uiam inoffenſo mentis carpat ueſtigio, nec
Gen. 24 ullum locum in ſe aperiat corruptioni. Talis enim erat Iſaac cum Rebeccam aduenien-
tem expectaret, præparãs ſe copulæ ſpiritali. Veniebat enim iam cœleſtibus dotata my
ſterijs, ueniebat magna ſecum ornamenta aurium & manuum ferens, eo quòd auditu
Ibidem & operibus emineat eccleſiæ pulchritudo, cui recte dictũ aduertimus: Eſto in milia mi-
lium, & ſemen tuum poſſideat aduerſariorum ciuitates. Decora igitur eccleſia, quæ ex
inimicis gentibus filios acquiſiuit. Sed poteſt hoc etiam ad animam deputari, quæ paſ-
ſiones corporis ſubigit, & ad uirtutum officia cõuertit, repugnantesq; corporis motus
ſibi obediẽtes efficit. Ergo uel anima patriarchæ uidens myſteriũ Chriſti, uidens Rebec
cam uenientẽ cum uaſis aureis & argẽteis, tanquam eccleſiam cum populo nationũ, mi
Cantic. 1 rata pulchritudinẽ uerbi, & ſacramentorum eius, dicit: Oſculetur me ab oſculis oris ſui.

Vel

Vel Rebecca audiens uerum Isaac, uerum illud gaudium, ueram lætitiam, desiderat osculari. Quid igitur? Osculetur me ab osculis oris sui. Considera uel ecclesiā iam diu promisso sibi per prophetas dominico aduentu per tempora multa suspensam, uel animam quę eleuans se à corpore, abdicatis luxurie atq; delicijs, uoluptatibusq; carnalibus, exuta quoq; solicitudine secularium uanitatū, iam dudum infusionē sibi diuinæ præsentiæ, & gratiam uerbi salutaris exoptet, cōmacerari quod sero ueniat, & affligi. Ideoq; quasi uulneratam charitate, cum moras eius ferre non possit, conuersam ad patrem rogare, ut mittat sibi deum uerbum: & causam qua sit ita impatiens, declarare, dicentem: Osculetur me ab obsculis oris sui. Non unum osculum quærit, sed plura oscula, ut desiderium suum possit explere, Quæ enim diligit, non est unius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura uindicat, & ita se amplius dilecto commendare consueuit. Denicq; illa in Euangelio sic probata est, quia non cessauit, inquit, osculari pedes meos: & ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Ergo & hęc anima oscula uerbi multa desiderat, ut illumínetur diuinæ cognitionis lumine. Hoc est enim osculum uerbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. Osculatur enim nos deus uerbum, quando cor nostrum, & ipsum principale hominis spiritu diuinæ cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atq; ouans dicit: Os meum aperui, & duxi spiritum. Osculum est enim quo inuicē amantes sibi adhærent, & uelut gratiæ interioris suauitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima deo uerbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ij qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi inuicem uidentur infundere. Ostendens itaq; non solam speciem uerbi, & uultum quendam, sed omnia eius interiora diligere, adiungit ad osculorum gratiam: Quia bona, inquit, ubera tua super uinum, & odor unguentorū tuorum super omnia aromata. Illa osculum popposcit, deus uerbum se ei totus infudit, & nudauit ei ubera sua: hoc est, dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, & unguentorum suorum dulci odore fragrauit. Quibus capta, iam dicit uberiorem esse iucunditatem diuinæ cognitionis, quam lætitiam omnis corporeæ uoluptatis. Aspirat enim in uerbo odor gratiæ, & remissio peccatorum, quæ in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito repleuit unguento: quia per uniuersos grauis uitiorum colluuies detersa est. Propterea, inquit, adolescentulæ dilexerunt te. Attrahe nos, post odorem unguentorum tuorum curramus. Bona quidem prudentia, sed dulcis misericordia. Illam enim pauci assequuntur, hæc ad omnes peruenit. Propter hanc, inquit, indulgentiam tuam diligunt te animæ renouatæ spiritu. Vnde & ad animam dicitur: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam enim loquebatur dicens: Benedic anima mea dominum. Et ideo festinat ad uerbum, & rogat ut attrahatur, ne forte derelinquatur: quia currit dei uerbum, & nō est allígatum. Denicq; exultat tanquā gigas ad currendam uiā. Et quia egressus eius à summo cœlo, & occursus eius usq; ad summum eius: uidens se imparem tantæ uelocitati, dicit: Attrahe nos. Bona anima, quæ non pro se sola, sed pro omnibus rogat. Attrahe, inquit, nos. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia. Sed quia cursus tuos æquare non possumus: attrahe nos, ut auxílio tuo fultæ, uestigijs tuis possimus insistere. Si enim tu attraxeris, curremus & nos, & spiritalia uelocitatis flabra capiemus. Deponitur enim sarcina quibus manus tua fulcro est: & oleum tuum infunditur, quo curatus est ille qui à latronibus uulneratus est. Ac ne impudens tibi uideatur quod ait: Attrahe nos: audi dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam. Vides quod libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes. Sed qui uult attrahi, currat ut comprehendat: & currat, superiora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appetens. sic enim poterit Christum cōprehendere. Vnde & Apostolus ait: Sic currite ut cōprehendatis. Vult & ista ad brauium peruenire, quæ desiderat cōprehendere. Prudenter ergo rogat ut attrahat, quia non omnes sequi possunt. Denicq; Petro dicēti: Quo uadis? Respondit uerbū dei: Non potes me sequi modo, sequêris aūt postea. Claues ei cōmiserat regni cœlorū, & sequendo se imparem iudicauit. Hanc tamē animā non distulit: quia nō præsumebat, sed rogabat. Denicq; ait: Introduxit me rex in cubiculū suū. Beata anima, quæ uerbi ingreditur penetralia. Insurgens nanq; de corpore, ab omnibus fit remotior, atq; intra semetipsam diuinū illud

Lucæ 7 *Psal. 118* *Cantic. 4* *Psal. 102* *2. Tim. 2* *Psal. 18* *Cantic. 1* *Lucæ 10* *Matth. 11* *Philip. 3* *Ioan. 13* *Cantic. 1*

si quo modo assequi possit, scrutatur & quærit. Quod cum potuerit comprehendere, ea
2.Cor.12 quæ sunt intelligibilia supergressa, in illo cõfirmatur, atq; eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum: sed siue extra corpus raptum, siue in corpore, nescie bat. Assurrexerat enim anima eius de corpore, & se à uisceribus & uinculis carnis abdu xerat atq; eleuauerat, factusq; à semetipso alienus, intra semetipsum tenuit uerba ineffabilia quæ audiuit, & uulgare non potuit: quia aduertit ea loqui homini non licere. Anima ergo bona cõtemnit uisibilia & sensibilia, nec consistit in eis, nec in suspiciendis his immoratur & residet, sed ascẽdit, ad illa æterna, & inuisibilia, & plena miraculi, puro sen su se piæ mentis attollens. Etenim perfectioni studens, solum illud bonũ diuinitatis intendit, nec aliud quicquam requirendum putat: quia tenet quod summum est. Itaq; uir huiusmodi, in quo est animæ pulchritudo, solus sibi abundat: quia ipse sibi est satis. Nec solus aliquando est, cui præsul dominus adest.

De secundo perfectæ animæ processu, quo introducta in cubiculum regis, cum mutua miscere alloquia, in umbra eius requieuit, & subito eius uerbo de medio sermone discessit: quærenti tamen non diu abfuit, sed saliens super montes, & transiliens super colles, aduenit. Nec multo pòst quasi capreolus, aut ceruorũ hinnulus, dum affatur dilectam, exiliuit, & reliquit. Caput IIII

Cantic.1 Enicp in illud diuini illius introducta secretũ, Exultemus, inquit, & lætemur
D in te: diligamus ubera tua super uinum. Non enim in diuitijs auri, argentiq; thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conuiuijs, sed in solo deo exultat. eadem tamẽ anima cognoscens se corporis societate fuscatam, dicit ad alias animas, uel ad alias cœlestes & appositas sacro ministerio potestates: Nolite aspicere me quoniam obfuscata sum, quoniam nõ est intuitus me sol. Filij matris meæ pugnauerũt aduersum me: hoc est, impugnauerunt me corporis passiones, carnis illecebræ decolorauerunt me: ideo mihi sol iustitiæ non refulsit. Quo uiduata præsidio, deuotionẽ meam, & obseruãtiam plenam seruare nõ potui. Hoc est enim, Vineã meam non custodiui, quia spinas & non uuam attulit: id est, faciens peccata pro fructibus. Et cum de uerbo loquitur, irradiante sibi uerbi splendore conuersa ad ipsum dicit: Vbi pascis? ubi manes in meridiano? Recte dicit, Vbi pascis? quia regulare est dei uerbũ. Vbi
Gen.34 manes? quia morale. In meridiano, quia mysticum. Siquidem quia meridie Ioseph cum fratribus suis in cõuiuio constitutus, futurorum temporũ mysteria reuelabat. Sed etiam
Psal.36 Dauid ait: Reuela ad dominum uiam tuam, & spera in eum, & ipse faciet: & educet sicut
Acto.9 lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem. Et ipse Paulus circumfulsisse sibi lumen meridie asseruit, quando à persecutione est conuersus ad gratiam. Quæritur ergo quòd derelicta sit, quòd destituta sit pauper ex diuite. Abundabat enim munere gratiarũ, sed egere cœpit ubi diuinæ præsentiæ sibi copia denegata est: & ideo uel quasi mercenaria haberi postulat, quæ ante sibi precioſioris copulæ gratiã uindicabat. Cui respondit uerbũ dei: Nisi cognoscas te decora inter mulieres, quæ quereris quòd relicta sis: nisi te cognoscas, nisi te pœniteat lapsus tui, nisi intentionẽ deuotionis appro bes, nisi fides tua & syncerita augeatur: querela nihil proderit. Ac sic: Nisi cognoscas te quia decora es, nisi pulchritudinẽ naturæ tuæ serues, & corporis te illecebræ nõ demergant, nec impedimenta detineant: nihil tibi naturæ melioris nobilitas suffragabitur. Cognosce igitur te, & naturæ tuæ decorẽ, & exi quasi exuta uinculis pedem, & nudo exerta uestigio, ut carnalia integimenta nõ sentias, uestigium mentis tuæ corporalia uincula nõ implicent, ut pes tuus speciosus appareat. Tales enim sunt qui ad regnũ cœlorum
Esa.52 annunciandum eliguntur à domino, de quibus dictum est: Quàm speciosi pedes euan-
Exod.3 gelizantium pacẽ. Talis Moyses, cui dicitur: Solue calciamentum pedum tuorũ. ut uocaturus populũ ad dei regnũ, prius carnis exuuias deponeret, & nudo spiritu uestigioq;
Cantic.1 mentis incederet. Hoc est ergo quod ait: Exi tu in calcaneis gregũ, & pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorum: quia per greges regnum intelligimus, eo quòd potestatis sit gregibus præsidere. Præsidet autem unusquisq; sibi quadam potestate regali, si coerceat
Lucæ 17 in se corporis luxus, & seruituti redigat carnem suam. Ideoq; dictum est: Regnum dei intra uos est. Vnde pulchre ait ad animam: Exi, id est exi à seruitio, exi à carnis imperio atq; dominatu: & exi non in carne, sed in spiritu, exi ad regimen potestatis. Ideoq; addi-

dit;

dit: Pasce hœdos tuos, hoc est, rege ea quæ in sinistra tua sunt. nam si nõ regantur, facile labuntur. Coerce petulantiam, lasciuiam tui corporis, & luxuriam irrationabilem, edoma leues motus, pasce eos nõ in corporeis tabernaculis: sed in tabernaculis pastorũ, qui regere gregem norunt. Sunt enim amabilia tabernacula Israel, sicut nemora obumbrantia super flumen: in quibus anima tanquam in procinctu bellico sita bonam exercet militiam, incursus explorat hostiles. Virtutis labor quærit victoriã, ut possit equæ illi quæ Salomonis est cõparari, uelox ad currendum, habilis ad partum: quoniam fœcunditas animæ desideratur & quærit. Hæc ergo equa preciosa, & currus Pharao ueloces: quod aliqui ad ecclesiam referunt & ad populum. Sed de hoc mysterio alibi sæpius diximus, & maxime in Psalmo centesimo octauodecimo. Hoc autem loco de anima dicendũ suscepimus. Huius equæ similis æstimatur hæc anima: hoc est, propheticæ uel Apostolicę uirtutis: eò quòd in eorũ annumeretur gregem, qui fœcunditate prædicationis suæ totius orbis terrarũ spatia resperserunt, & quamuis in corpore constituti, nulla tamen cursus spiritalis sensere dispendia. Ideoq; laudatur, quod cœlesti sibi illuminante præcepto, iam speciosa, iam pulchra sit, quę uultu præferat castitatis decorem, & redimicula ceruicis attollat, in qua sunt patientiæ & humilitatis insignia. Talis animæ diligebat Isaac uerus decorem, humilitatẽ, patientiam: & ideo partus eius auide requirebat. Concepit autem Rebecca, & patientia sua nodum sterilitatis absoluit. Quid autẽ pariat prophetica atq; Apostolica anima, consideremus, & quomodo pariat. Abijt, inquit, interrogare dominũ, quia exultabant infantes in utero eius. Et responsum accepit: Duæ gentes in utero tuo sunt. eo quòd nihil sponte præsumat: sed in omnibus summũ deum præsulem poscat suorũ consiliorum, simul plena pacis atq; pietatis, duos populos sua fide & prædicatione connectat, & tanquã utero suo claudat. Quæ non immerito soror magis q̃ uxor appellatur, eò quòd mitis atq; pacifica anima cõmunis magis pietatis quàm specialis copulæ nomen accipiat: & quia uniuersis magis quàm uni se existimet obligatã. Fodit autem puteos Isaac, & plurimos quidem, quos foderat pater eius, & repleuerant illos post mortẽ Abrahæ patris illius alienigenæ. Præ cæteris tamen fodit hos puteos: unũ in conualle Gerarim, & inuenit ibi puteũ aquæ uiuæ, & litem fecerunt pastores Gerarim cum pastoribus Isaac, eò quòd aquã sibi eius putei quasi propriam uindicabãt: & uocauit nomen eius Iniustitiam. Et fodit alium, in quo orta est disceptatio, & imposuit illi nomen, Inimicitias. Et fodit tertium, in quo lis nulla inter pastores commissa est, & uocauit eum, Latitudinẽ. Fodit & puteum iuramẽti, & nõ inuenit in eo aquam, & uocauit eum Puteũ iuramenti. Quis hæc legens, terrena magis quàm spiritalia opera esse arbitretur, q̃ uel Abraham fodit puteos, uel Isaac, tanti uidelicet patriarchæ, uel etiam Iacob, sicut & in Euãgelio reperimus, uelut fontes quidam generis humani, & specialiter deuotionis ac fidei? Quid est enim puteus aquæ uiuę, nisi profundæ altitudo doctrinę? Vnde & Agar ad puteũ angelum uidit, & Iacob ad puteum Rachel sibi inuenit uxorẽ. Moyses quoq; secus puteum futuri locauit merita prima coniugij. A puteo igitur uisionis aperire Isaac adorsus est puteos, & bono ordine, ut eius putei aqua primum rationabile animæ, oculumq; eius dilueret & foueret, quo uisum eius faceret clariorẽ. Fodit etiam alios puteos plures. Vnde & scriptũ est: Bibe aquam de tuis uasis, & de puteorũ tuorum fontibus. Quanto plures fuerint, tanto est uberior redundantia gratiarum. Fodit tamen puteum, quem foderat pater Abraham, de quo litem fecerũt pastores Gerarim, hoc est maceriæ. Vbi enim macería, ibi diuisio inter repugnantes, ibi iniustitia: & ideo uocauit Iniustitiã. Alium quoq; fodit, & orta dissensione uocauit eum Inimicitias. In quibus uidetur elucere doctrina moralis, eò quòd sublato pariete maceriæ, solutæ sint in carne hominis inimicitiæ, & facta sint utraq; unũ in figura per Isaac, in ueritate per Christum: meritoq; postea pura aqua in eo puteo sit reperta, tanq; doctrina moralis, utilis ad hauriendum. Puteus quoq; Latitudinis quid aliud significat, nisi de naturalibus disciplinã? Qua causa & latitudo dicitur, quia sine cõtentione, sine lite iam quietus atq; securus est qui mundana hæc & sensibilia fuerit supergressus. Vnde superatis iam aduersantibus & alienigenis cogitationibus (quid enim tam alienum quàm omnia secularia, quæ perpetua esse non possunt?) potest sapiens dicere: Dilatauit dominus nobis, & auxit nos super terrã, quia terrena transcendit. Vltimus est puteus iuramenti, in quo ei uisus est deus, & ait:

Gen. 25

Ibidem 26

Ibidem

Prouerb. 5

Gen.26 Noli timere,tecum enim ſum. Et benedixit eum. Hæc doctrina iam myſtica eſt. Habes hæc in Salomone: quia Prouerbia eius moralia, Eccleſiaſtes naturalis,in quo quaſi uanitates iſtius deſpicit mundi: myſtica eius ſunt Cantica canticorũ. Habes & in prophe-

Oſeæ 10 ta: Seminate uobis ad iuſtitiam,uindemiate ad fructũ uitæ, illuminate uobis lumen cognitionis.Hoc eſt enim lumen cognitionis,habere charitatis perfectionẽ. Ideoq; dictũ

1.Ioan.4 eſt: Noli timere.Charitas enim timorẽ excludit foras. Vt cognoſcamus autẽ quia Salomon ita hos interpretatus eſt puteos, ut ad moralem doctrinam & naturalem referret, & myſticam:in ſingulis libris ſuis,quos de moralibus,uel naturalibus, uel myſticis ſcripſit,poſuit hos puteos.Nam & in Prouerbijs cum declinandam ſpeciem diceret ſecula-

Prouerb.5 ris illecebræ,ait: Bibe aquam de tuis uaſis,& de puteorũ tuorũ fontibus, & ſuperfluant tibi aquæ de tuo fonte.Et infrà: Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & iucundare cum uxore.eò quòd aduerſus tentamenta mundi remediũ nobis uera ſapientia ſit, moralis quoque doctrina,quæ imaginem mundanę uoluptatis meretricijs quibuſdam illitã fucis irriguo ſuo diluat,& fluento ſui fontis abſtergat. De naturalibus quoq; habes in Eccleſia

Eccles 2 ſte dictum: Feci mihi piſcinas aquarũ ad irrigandum ex his ſaltum germinantẽ.Neq; te moueat quod pro puteo piſcinas poſuit: quia & Moyſes Puteum latitudinis dixit, eò quòd à ſolicitudine omni & anguſtijs ſoluitur qui mundum hũc pia mente tranſcenderit.Non immerito ergo piſcinas habet Eccleſiaſtes, qui uidit nullam abundantiam eſſe ſub Sole: ſed ſi quis abundare uelit, in Chriſto abundet. Et de myſticis puteus ſupereſt

Cantic.4 nobis,quem etiam ipſum reperimus in Canticis canticorũ,dicente ſcriptura:Fons hortorum puteus aquæ uiuæ,& impetu deſcendens à Libano. Etenim ſi myſteriorũ altitudinẽ perſequeris,puteus tibi uidetur,tanq; in profundo ſita myſtica eſſe ſapientia: ſi uero haurire uelis affluentiam charitatis,quæ maior & uberior eſt q; fides & ſpes,tunc tibi fons eſt.Exuberat enim charitas,ut & haurire eam cominus,& rigare eius affluẽtia hortum tuum poſſis, ſpiritalibus fructibus redundantẽ. Et quia ipſe puteus latitudinis eſt, qui charitatẽ habet:ideo dixit,quia ubi charitas eſt, ibi impetus magnus deſcendit à Libano.Ne quid autẽ moueat quod & puteum & fontẽ eundem dixit:etiam Euangelium

Ioan.4 te inſtruat,in quo ſcriptum eſt: Quia uenit Ieſus in ciuitatẽ Samariæ,quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autẽ ibi fons Iacob. Et fatigatus, inquit,ſedebat ſic ſuper puteũ. Vnde ad myſticam doctrinam hunc referri puteũ etiam ibi cognoſcimus: quia ibi Samaritana illa,id eſt,cuſtos,cuſtos autem cœleſtium præceptorũ,hauſit de puteo illo diuina myſteria,cognoſcens quia deus ſpiritus eſt,& nõ in loco adoratur,ſed in ſpiritu:& quia Meſſias uenit,qui Chriſtus eſt.Et ideo qui adhuc expectatur à Iudæis, iam uenit. Quibus auditis,mulier illa quæ ſpeciem eccleſiæ gerit, legis ſacramenta cognouit,& credidit. In ipſo quoq; Canticorũ libro Salomon hanc triplicẽ ſapientiam euidenter expreſſit: ſicut in Prouerbijs dixerat: ut tripliciter ſibi ſcriberet, qui ſapientiam eius uellet audire. Ait ergo in Canticis ſponſa de ſponſo: Ecce ſponſus eſt conſobrinus meus. Et ideo pulchra acclinatio noſtra opaca, trabes domorũ noſtrarum cedri,lacunaria noſtra cupreſſi. Poſſumus hoc de moralibus accipere. Vbi enim requieſcit Chriſtus & eccleſia, niſi in operibus ſuæ plebis? Deniq; ubi impudicitia, ubi

Matth.8 ſuperbia,ubi iniquitas erat,ibi ait dominus Ieſus: Filius autẽ hominis non habet ubi ca-

Cantic.2 put ſuum reclinet. De naturalibus autem quid accipiamus? In umbra,inquit,eius concupiui & ſedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui enim terrena ſupergreditur, & cui mundana moriũtur: quoniã crucifigitur ei mundus,& ipſe mundo: omnia quæ ſunt

ibidem ſub Sole,refugit & cõtemnit. De myſticis quoq; ait: Introduc me in domũ uini, conſtituite in me charitatem. Etenim ſicut uineam ſuam uitis, ita dominus Ieſus populũ ſuum quaſi uitis æterna quibuſdam brachijs charitatis amplectitur. Conſidera ſingula. In moralibus flos eſt,inter ſpinas lilium,ſicut ipſe ait: Ego flos campi, & lilium conuallium. In moralibus flos eſt,ſicut in naturalibus Sol iuſtitiæ,qui oriens & reſurgens illuminat,oc-

Epheſ.4 cidens obumbrat. Caue ne tibi occidat,quia ſcriptũ eſt: Sol non occidat ſuper iracun-

Rom.10 diã ueſtrã. In myſticis charitas eſt,quia plenitudo legis eſt Chriſtus. Et ideo eccleſia quæ diligit Chriſtum,uulnerata eſt charitate. Hanc ergo charitatem ſuſcitat & reſuſcitat, do nec uocẽ eius accipiat,& præſentiam eius accerſiat: quia quæſitus non ſolum uenit, ſed etiã ſaliens uenit. Saliens ſuper montes,& tranſiliens ſuper colles. Super maioris gratiæ

animas

animas salit, inferioris transilit. Vel sic, saliens quomodo uenit? Saltu quodam uenit in hũc mundum. Apud patrẽ erat, in Virginẽ uenit, & ex uirgine in præsepe transiliuit. In præsepi erat, & fulgebat è cœlo. descendit in Iordanem, ascendit in crucem. descendit in tumulum, surrexit è tumulo, & sedet ad patris dexteram. Inde quasi hinnulus ceruorũ, qui desiderat ad fontes aquarũ, descendit ad Paulum, & circũfulsit eum, & exiliuit super ecclesiam suam, quæ est Bethel, quod dicitur domus dei. Pauli enim uocatio, ecclesię fir mitudo est. Venit ergo, & primo post parietẽ est, ut inimicitias animę & corporis soluat, sublato pariete qui impedimentũ concordiæ uidebatur afferre. Deinde prospicit per fenestras. Quæ sint fenestræ, audi prophetã dicentem: Fenestræ apertæ sunt è cœlo. Prophetas itaq; significat, per quos dominus ad genus humanum, priusquam in terras ipse descenderet, locutus est. Et hodie siqua eum anima multum requirat, multũ merebitur misericordiæ: quoniam qui multũ requirit, plurimũ debetur ei. Si qua ergo anima eum studiosius quærat, longe audit uocem eius: & quamuis ab alijs requirat, præ ipsis à quibus quęrit, audit uocem eius. Videt eum salientem ad se uenire, id est, properantem atq; currentẽ, & transilientem eos qui infirmo corde uirtutẽ eius capere non possunt. Deinde prospicientẽ per ænigmata prophetarũ legendo eos, & tenendo eorũ sermones, uidet eum prospicientẽ, sed quasi per fenestram, non adhuc quasi præsentem. Videt eminentem super retia. Quid est hoc, nisi forte quia illa retia nobis sunt, non illi? Retia, eò q; adhuc illa anima intra sensibilia & mundana sit, quæ mentẽ hominis capere, & quodam sinu proprio consueuerunt inuoluere. Posito ergo adhuc in secularibus, sed tamẽ quærenti eum per retia ostendit. Deniq; dicit ad animã eiusmodi: Surge, ueni proxima mea: id est, surge à delectationibus mundi, surge à terrenis, & ueni ad me, quæ adhuc laboras, & onerata es: quia solicita es quæ sunt mundi. Veni supra mundum, ueni ad me: quia ego uici mundũ. Veni propter me, iam pulchra æternæ uitæ decore, iam columba, id est, mitis atq; mansueta, iam tota plena gratiæ spiritalis. Iure ergo iam retia timere nõ debet, cum is uocet ad se animã, qui tentamentis & retibus mundi non potuit capi. Nam cum nos homines ambulemus in medio laqueorũ, per appetentiam escæ, retibus simul & laqueis obnoxij sumus. Ille in corpore positus retia nõ timebat, sed eminebat super retia, id est, super tentamẽta mũdi, & corporis passiones, imò & alios emínere faciebat. Ideoq; & hanc animã fundare uolens, dicebat: Surge, ueni proxima mea, noli timere retia, iam præterijt hyems: id est, uenit pascha, uenit indulgẽtia, uenit remissio peccatorũ, cessauit tentatio, imber abijt, procella abijt & quassatio. Ante aduentũ Christi, hyẽs est: post aduentũ eius, flores sunt. Vnde ait: Flores uisi sunt in terra. Vbi ante spinæ, ibi nũc flores. Tempus, inquit, secandi aduenit. Vbi ante desertũ, ibi messis est. Vox turturis audita est in terra nostra. Bene addidit propheta, Nostra, quasi admirans quod ubi ante impudicitia, ibi castitas. Ficus protulit grossos suos. Quæ ante infructuosa iubebatur excidi, hæc fructus ferre iam cœpit. Sed quid dubitas quia grossos dixit? Priores discutit, ut posteriores meliores afferat: sicut Synagogę fructus abijcitur: Ecclesiæ autẽ renouat. Et quãuis plena tranquillitas sit, & adoleuerint mysteria, iterũ tamen dicit: Surge secura in tegimento petræ, id est, tuta præsidio passionis meæ, & fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, & oleũ de firmissima petra. Hoc integimento animæ piorũ indutæ, iam nudæ nõ sunt, & hæc illis est præmunitio. Ideoq; & huic animę ait: Et ueni tu columba mea in tegimento petræ iuxta prȩmunitionẽ, ostende mihi faciem tuam, & insinua uocẽ tuã. Hortatur ad cõfidentiam, ut nõ erubescat crucẽ Christi, nec eius signaculum. Hortatur ad cõfessionẽ, uult omnes insidias dimoueri, ut bonus odor fidei spiret, ut dies fulgeat, ut aduersæ noctis umbra nõ noceat: quoniam qui iuxta Christũ est, dicit: Nox præcessit, dies appropinquauit. Est & umbra secularium, quæ præterit: & dies cœlestium Christus, qui sanctis suis lucet. Accipit hæc anima bona pignora charitatis.

Act. 9

1. Cor. 7
Ioan. 16

Cant. 2

Rom. 13

De tertio ipsius animæ processu, quo cum in cubili & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæsitum non reperisset, aliquando rationibus suis gratia quærentem reuocauit, adeò ut ab eius sponso propius uocaretur. Caput V

Ed quia semper soliciti esse debemus, semper intenti, & quia uerbũ dei sicut capreola exilit, aut sicut hinnulus ceruorũ, semper uigilet anima, & prætendat quæ requirit eum, & quæ tenere desiderat. Ideo quasi sublapsum sibi, In

Cant. 3 cubili, inquit, meo in noctibus quæsiui quẽ dilexit anima mea. Qui bene quærit, in cubili quærat, in noctibus quærat: nec dies feriatus, neq; nocles sit. Nullum tempus uacet à pietatis officio: & si nõ inuenerit primo, perseueret in requirendo. Ideoq; dicit: Exurgã itaq;, & quæram in ciuitate, in foro, in plateis. Et fortasse ideo nõ inuenit adhuc, quia in foro quæsiuit, ubi lites sunt: in plateis, ubi nundinæ rerũ uenalium. Non enim ulla Christus pecunia comparatur. Possumus & sic intelligere: In cubili quærit Christum, quæ requirit eum cum tranquillitate, cum pace. In noctibus quærit, quoniam per parabolas

Psal. 17 loquebatur. Posuit enim tenebras latibulum suum, & nox nocti indicat scientiam. De-

Ibidem 18 inde quoniam quæ dicimus in corde nostro, ea nos compungere in cubilibus debent. Sed tamen nec sic inuenit, & ideo dicit: Exurgam, id est, erigam & attollam intentionẽ meam, ut quæram impigre, quæram solicite: introibo ciuitatem. Est & anima quæ dicit: Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa. Est ciuitas munita per Christum, est ciuitas illa Hierusalem in cœlo, in qua abundant diuinæ legis interpretes, & disciplinarum periti, per quos uerbum dei quæritur. Quæram, inquit, in foro illius ciuitatis, in illo foro ubi tractant iura consulti, ubi oleum uenditur, quod Euangelicæ uirgines emunt, ut semper faces suæ luceant, nec eas fumus iniquitatis extinguat. Quęram, inquit, in plateis, in quibus superfluunt aquæ, de illis fontibus prorumpentes de quibus Salomon dicit esse potandum. Dum quærit igitur Christum, inuenit custodes qui in ministerio sunt: ab his requirit. Sed anima quæ deum quærit, etiam custodes transit. Sunt enim mysteria quæ et-

1. Pet. 1 iam angeli concupiscunt uidere. unde Petrus ait: Nunciata sunt, inquit, uobis per eos quibus euangelizauerũt spiritu sancto misso de cœlo, in quem cõcupiscunt angeli prospicere. Ergo cum transierit custodes, uerbum inuenit. Transiuit Ioannes, qui uerbũ apud patrem inuenit. Multi quoq; sunt qui in ocio quærunt Christum, & nõ inueniunt: & quærunt eum in persecutionibus, & cito inueniunt. Et ideo quasi post tentationes,

Cant. 3 quia in periculis fidelium suorũ adest, Quàm modicum, inquit, cum transiui ab eis, inue-

Matth. 7 ni eum: tenui eum, & nõ dimisi eum. Omnis enim qui quærit, inuenit: & qui inuenerit, adhærere debet, ne possit amittere. Et quoniam per Euangelium in terris uidemus cœlestia mysteria figurata, ueniamus ad illam Mariam, ueniamus ad Magdalenam. Consideremus quemadmodũ Christum in cubili corporis sui, in quo defunctus iacebat, in noctibus quæsiuerint, quando dixit illis angelus: Iesum qui crucifixus est quæritis: non est

Ibidem 28 hic, surrexit enim. Quid igitur quæritis? uiuentẽ cum mortuis? Quid quæritis in sepulchro eum qui iam in cœlo sit? Quid quæritis in uinculis sepulturæ, uniuersorum uincula soluentem? Non sepulchrum huic sedes, sed cœlum est. Ideo dixit una ex his: Quæsi-

Lucæ 24 ui eum, & nõ inueni eum. Tamen dum uadunt Apostolis nunciare, miseratus quærẽtes,

Matth. 28 occurrit eis Iesus, dicens: Auete. Illę autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tenetur ergo Iesus, sed delectatur sic teneri, quia fide tenetur. Deniq; delectauit eum & illa mulier quæ tetigit eũ, & curata est sanguinis fluxu, de qua dixit: Te-

Lucæ 8 tigit me aliquis. nam sentio uirtutẽ de me exisse. Tange ergo, & fide tene, & constringe fideliter pedes eius, ut uirtus de eo exeat, ut sanet animam tuam. Et si dicat, Noli me tangere: tu tene. Semel dixit, Noli me tangere, quando surrexit: & forte illi dixit quæ putabat furto esse sublatum, & nõ uirtute propria resuscitatũ. Deniq; in alio libro habes quia tenentibus & adorantibus dixit: Nolite timere. Tene ergo & tu anima, sicut tenebat & Maria, & dic: Tenui eum, & nõ dimittam, cum dicebant ambæ: Teneamus te. Vade ad patrem, sed nõ relinquas Euam, ne iterũ labatur. Tecum eam ducito, iam nõ errantem, sed arborẽ uitæ tenentem, tecũ rape tuis pedibus inhærentẽ. Tecum ascendam. noli me dimittere, ne iterũ serpens uenena sua fundat, ne iterum quærat fœmineũ mordere uestigium, ut supplantet Adam. Dicat ergo anima tua: Teneo te, & inducam te in domũ matris meæ, & in secretũ eius quæ concepit me, ut cognoscam mysteria tua, ut hauriam sacramenta tua. Suscipe igitur Euam iam non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto amictam spiritu, & noua gratia gloriosam: quia iam non tanq; nudata absconditur, sed tanquam circundata uestimẽti splendore fulgentis occurrit, quia uestit eam gratia. Sed nec Adam primo nudus erat, quando eũ innocentia uestiebat. Videntes itaq; eam filię Hierusalem Christo inhærentẽ, & adhuc ascendentẽ cum eo (dignatur enim quærentibus

Cant. 3 frequenter occurrere, & condescendere ut eos eleuet) dicũt: Quæ hæc est quę ascendit

à deserto?

à deserto? Desertus hic terræ locus & incultus uidetur, sentibus & spinis nostrorũ obsitus delictorũ: mirantes uidelicet quomodo anima quæ antè in inferno derelinqueba tur, inhæreat dei uerbo, & ascendat sicut uitis propago, in superiora se subrigẽs, uelut fumus natus ex igne, atq; alta petens, tum præterea bonis operibus fragret. Odor autẽ illè orationis piæ redolet suauitatẽ, quæ dirigitur sicut incẽsum in conspectu dei. Et in Apo calypsi legimus quod ascendit fumus incensorũ ex orationibus sanctorum: quæ incensa referuntur per angelum, sanctorũ orationes scilicet, super altare illud aureũ quod est ante sedem, & tanq; suaue piæ precationis fragrat unguentũ, quia de æternorũ & inuisibilium, non de corporalium petitione cõpositum est: præcipue tamen myrrham redolet & thus, eò quòd peccatis mortua sit, & deo uiuat. Hanc igitur ascendentem & non resistentem uidentes, & meritorũ eius odoribus delectatæ, agnoscentes quoq; Salomonis illius pacifici esse sponsam, etiam comitatu sedulo prosequũtur usq; ad lectum Salomonis, eò quòd ei uera requies in Christo debeatur. Lectus enim sanctorum Christus est, in quo uniuersorum fessa secularibus prælijs corda requiescunt. In hoc lecto requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem, dicens: Maior seruiet minori. In hoc lecto recubans Iacob benedixit duodecim patriarchas. In hoc lecto recubans Archisynagogi filia surrexit à morte. In hoc lecto iacens uiduæ defunctus, mortis uincula Christi uocatus uoce dissoluit. Perducta igitur sponsa usq; ad sponsi requiem nuptiale canunt carmẽ, dicẽtes filiabus Hierusalem: Egredimini, & uidete regem Salomonem in corona qua coronauit eum mater eius in die sponsalium eius. Canunt epithalamium, & uocant cæteras potestates cœlorũ, uel animas, ut uideant charitatem, quam circa filias Hierusalem habet Christus. Vnde & meruit coronari à matre quasi filius charitatis, sicut Paulus ostendit dicens: Quia deus eripuit nos de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij charitatis suæ. Charitatis itaq; filius & ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens semper substantia sua, sicut regnum, de quo dicit: Ego in hoc natus sum. Ideoq; dicunt: Egredimini, id est exite de solicitudinibus & cogitationibus seculi, exite de angustijs corporalibus, exite de uanitatibus mundi, & uidete quam rex pacificus in die sponsalium suorũ habeat charitatẽ, quàm glorioſus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, & animas sibi iunxit. Hæc magni est corona certaminis, hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis eius & passio. Quid enim plus potuit dare, qui sibi etiã nõ pepercit, & pro nobis mortẽ suam obtulit? Ipse quoq; dominus Iesus delectatus fide animę huius, confessionis gratia, & collaudatis eius meritis, propius eam aduocat dicẽs: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano transibis & pertransibis à principio fidei, à capite Sanyr & Hermonijm, à speluncis leonum, à montibus pardorum: hoc est, Egredere de corpore, & totam te exue. Non potes enim mihi adesse, nisi antè peregrineris à corpore: quoniam qui in carne sunt, peregrinantur à dei regno. Ades, inquit, ades. Bene repetiuit: quia siue presens, siue absens, adesse & placere domino deo tuo debes. Adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præsentes sunt, quorũ fides mecũ est. Adest mihi, qui exit de seculo: adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum. Adest mihi, qui abfuerit sibi: adest mihi, qui se negauerit sibi. Ille mecũ est, qui intra se nõ est: quoniam qui in carne est, nõ est in spiritu. Ille mecũ est, qui ex seipso egredit: Ille iuxta me, qui extra se fuerit: ille mihi integer, qui propter me perdiderit animã suam. Et ideo ades desponsata, transibis & pertransibis à principio fidei. Transit & pertransit cæteros, quæ ad Christũ peruenit. Transit fidei merito, & operũ claritate, quæ lucet sicut Sanyr & Hermonijm: hoc est, uia lucernæ transit deuictis tentationibus seculi, & superatis nequitijs spiritalibus, legitimi petens coronã certaminis, & ideo meruit Christo iudicante laudari. Hortus clausus soror mea sponsa. hortus clausus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus malorum granatorũ cum fructu pomorũ. Laudatur sponsa, eò quòd hortus sit, habens in se odorem agri illius pleni, de quo dicit Isaac: Odor filij mei tanquam odor agri pleni. Bona ergo anima fragrat odores iustitiæ. Et fortasse ager est patriarcha, hortus est anima inferioris alicuius, quasi agri portio, & hortus clausus ne incursetur à bestijs: & fons signatus, quæ integritate signaculi perseuerante, quę fide propria peccata diluerit. Nam quæ de ecclesia accepit, habet quod ad uirginitatis gratiã referat, eò quòd in paradiso delectationis posita, sine labore

Apoc. 8

Gen. 25
Ibidem 49
Marci 5
Lucæ 7

Cant. 3

Coloss. 1

Ioan. 28

Cant. 4

Genes. 27

fructus capiat ſpiritales, ut ei patriarcharum animæ rurali quodam labore fructus ſuos conferant, quo iſta capere poſſit perpetuam ſuauitatem. Quæ merito fons ſignatus dicitur, eò quòd imago dei inuiſibilis in illa exprimatur. Laudant etiam munera animæ quę miſſa ſunt à ſponſo, quibus dotata ueniebat. Dos autem piæ animæ boni odores ſunt, myrrha & aloe, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor aboletur. Itaq; tanto ſecura præconio conquieſcere Aquilonem grauem uentum petit, ne flores decutiat ſpirare Auſtrum, id eſt, uult hyemem præterire, & mollioris flatus uernare temperiem. Inuitat ſponſum in hortum ſuum. Deſcendit ſponſus, & fructuum eius diuerſitate delectatus, lætatur quod inuenerit fortiorem cibum, inuenerit etiam dulciorem. Eſt enim uelut panis quidam uerbi & mel, alius uehementior, alius ſuaſorius ſermo. Eſt & fides alia feruentior, ut uinum: alia lucidior, ut ſuccus eſt lactis. Hunc cibum Chriſtus epulatur in nobis, hoc poculum bibit, & eius potus ebrietate nos prouocat, ut ad meliora & optima ab inferioribus faciamus exceſſum.

De ſummaria dictorum perſtrictione, cum inductione, & proſecutione quarti proceſſus perfectæ animæ quo ipſa iam dormiens, cuius corde uigilaret, à ſponſo excitatur, ut cõtinuo uocem pulſantis audiret. Sed moram paſſa dum ſurgit: quia uelocitatem uerbi non potuit cõprehendere, dum aperit oſtium, tranſiuit uerbum, & ipſa exiuit, & per uulnera charitatis requiſitum uix tandem inuenit, & tenuit, ut poſtea non amitteret. Caput VI

Cantic. 5 A Vdiens hoc anima, hauſit myſteriorũ ebrietatẽ cœleſtium, & uelut ſoporata à uino, & quaſi in exceſſu uel ſtupore poſita dicit: Ego dormio, & cor meum uigilat. Cum uerbi preſentis lumine percuſſa, oculis requieuiſſet inflexis, excitatur à uerbo. Quartus autẽ hic proceſſus eſt animæ. Primum etenim charitatis impatiens, & uerbi moras nõ ferens, rogabat ut oſcula mereretur, & meruit deſideratum uidere. Introducta quoq; in cubiculum regis ſecundo, cũ mutua miſceret alloquia, in umbra eius requieuit, & ſublato ei uerbo de medio ſermone diſceſſit: quærenti tamen non diu abfuit, ſed ſaliens ſupra montes, & tranſiliens ſuper colles, aduenit. Nec multo poſt quaſi capreolus aut ceruorũ hinnulus, dum affatur dilectam, exiliuit & reliquit. Tertio, cum in cubili, & noctibus, in ciuitate, in foro, & in plateis quæſitum non reperiſſet, aliquando orationibus ſuis gratiaq; reuocauit, adeò ut etiam propius uocaretur à ſponſo. Quarto, ipſa iam ab eo dormiens excitatur, quamuis corde uigilaret, ut continuo uocẽ pulſantis audiret. Sed moram paſſa, dum ſurgit, quia uelocitatem uerbi nõ potuit cõprehendere, dum aperit oſtium, tranſiuit uerbum, & ipſa exiuit in uerbo eius, & per uulnera requiſitum, ſed uulnera charitatis, uix tandem inuenit, & tenuit ut poſtea nõ amitteret. Ad ſummam hæc cõpendioſo ſermone perſtrinxi. Nunc diſcutiamus ſingula. Etſi dormias, ſi modo deuotionem animæ tuæ nouerit Chriſtus, uenit & pulſat eius ianuam, & dicit: Aperi mihi ſoror mea. Bene ſoror, quia nuptię ſpiritales ſunt uerbi atq; animę. Neque enim animę norunt coniugiorũ fœdera, & uſus copulæ corporalis, ſed ſunt ſicut an-

Matth. 22 geli in cœlo. Aperi, inquit, mihi, ſed extraneis claude, ſeculo claude, neq; ipſa foras ad illa materialia prodeas: neq; tuum relinquens lumen, alienum requiras: quia materiale lumen tenebroſam infundit caliginem, ut non uideatur lumen ueræ gloriæ. Aperi ergo mihi, noli aperire aduerſario, neq; locum des diabolo. Aperi ipſam te mihi, noli coartari, ſed dilatare, & adimplebo te. Et quia decurſo orbe terrarum plus moleſtiarũ & offen-

Lucæ 9 ſionis reperi, nec facile habui ubi requieſcerem: ideo tu aperi, ut in te filius hominis re-

Eſa. 66 clinet caput, cui non eſt requies niſi ſupra humilem & manſuetũ. Audiens anima, aperi mihi, & caput roris plenũ, hoc eſt tentationibus ſecularibus, ſubito turbata, & quaſi ſurrectura quæ ſurgere iubebatur, ait cum aloen redolet & myrrham, inſignia ſepulturæ: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Veretur enim ne iterum in tentationes reſurgat, ne iterũ in culpam redeat atq; peccatum, & egreſſus ſuos uirtutumq; proceſſus terrenis incipiat ueſtigijs inquinare. Certe etiam hoc modo perfectionem uirtutis ſuæ indicat, quæ tantam Chriſti meruerit charitatem, ut ad eam ueniat, & pulſet ianuam eius, & ueniat cum patre, & cœnet cum eadem anima, & ipſa cum eo: ſicut in Apocalypſi dixit Ioannes. Etenim cum in ſuperioribus au-

Apoc. 3 diſſet, Ades huc à Libano: & cum aduerteret in carne ſe Chriſto adeſſe nõ poſſe, ſed tũc adeſſe

adesse si adesset in spiritu, conformãs se ad eius uoluntatẽ, ut esset & ipsa conformis imaginis Christi: iam nõ sentit carnis exuuias, iam quasi spiritus exuens se corporis coniunctione, iam quasi oblita, & quæ, si uelit, copulæ illius meminisse nõ possit, ait: Exui tunicam meã, quomodo induam eam? Exuit enim tunicã illam pelliceã, quam acceperunt Adam & Eua post culpã, tunicã corruptelæ, tunicam passionũ. Quomodo induã eam? Non requirit ut induat, sed ita significat abiectam, ut iam indumento sibi esse nõ posset. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Hoc est, Vestigia mea laui dũ egrederer, ac me eleuarẽ de corporis contubernio, de illa connexione & familiaritate carnalis amplexus: quomodo inquinabo eos, ut in corporis claustrũ, & illum tenebrosum passionũ eius carcerẽ reuertantur? Dum hæc illa dicit, misit operationẽ suam uerbum tanq; per cauernam, nõ adhuc facie ad faciem misit, tanq; manum. Et uenter, inquit, meus contur batus est super eum. Et surrexi ego aperire fratri meo. Manus meæ distillauerũt myrrhã, digiti mei myrrha pleni sunt super manus clausuræ. Quid hoc significet, consideremus. Primum operibus suis uidetur, ut dixit, deus uerbum tanq; per cauernam, nõ plene atq; perfecte: deinde augetur amor, & conceptus adolescit, atq; ex seminibus eius quæ quodam utero intelligibilis susceperit anima, totam plenitudinẽ diuinitatis eius habitãtem in eo corporaliter, ut legimus, uidere desiderat. Surrexit, ut propius illud dei uerbũ uideret. Et in hoc ipso processus eius significatur, quod surrexit per uigorem atq; uirtutẽ. Præsentia enim uerbi hausit anima uirtutẽ, sicut præsentia Mariæ, cùm utero grauis esset, erudiuit loannem in utero constitutum, adeò ut exiliret in utero, & exultaret domini præsentiam recognoscens. Surrexit aperire, & opera eius & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima quæ uerbũ est receptura, ut moriatur mundo, & conspeliatur in Christo. Sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quẽrit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationũ, id est, manus & digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur: quos digitos uelut eminentia factorum nostrorũ opera possumus æstimare. Itaque uelut è complexu suo, cum iam extenderet intelligibiles manus suas & digitos, ut comprehenderet uerbum, transisse sibi illud, nõ tamen adhuc pertransisse anima pia dicit. Et hoc processum habet, quando transeat & pertranseat animam uerbum dei, quia scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Hic adhuc transitur, non pertransitur: ut Maria in posterioribus forte pertransitur, ubi tanq; signaculum ponitur in medio eius dominus Iesus. Deniq; statim alius profectus uerbi transeũtis, quia exiuit anima in uerbo eius: hoc est, uerbũ eius secuta, exiuit de corpore, eleuãs se de eius habitaculo, & peregrinam se faciens ei, ut adesset deo, & esset ciuis sanctorũ. Simul enim & carnis domestici, & dei esse non possumus. Ergo in hoc loco exire significatur, ut dixi, anima, quando abducit se à corporis uoluptatibus. Deniq; scriptum est: Exi de Babylone, fugiens à Chaldæis. Non utiq; ut regionem Babylonis Hebræus fugiat, sed ut mores, prophetico admonetur alloquio: si quidẽ sint qui in Babylone sunt, Hebræi, & de Babylone exisse moribus doceant. Nam & illi, de quibus dicit propheta quod sedebant super flumina Babylonis, sedebant quidem in regione Babylonis, sed in eius nõ erant uitijs & confusione. Nam quomodo erant in illa confusione uitiorũ, qui flebant gerentes pœnitentiam quod de arca deuotionis ac fidei, & uirtutis paternæ meritis excidissent? Quæ autẽ in uerbo exit anima, uerbum requirit. Vnde & ista cum quærit, incidit in custodes, qui circumeunt ciuitatẽ. Percusserunt, inquit me, & uulnerauerunt me, tulerunt pallium meũ, custodes murorũ. Bene quidem quasi sponsa ueniebat cum pallio, quo obnuberet caput suũ sponsus occurreret: sicut Rebecca, quæ cognito quod Isaac sibi ueniret obuius, descendit de camelo, & pallio se operuit: ita & hæc anima nuptialis uestis præmittebat insignia, ne forte reiiceretur quasi uestem nõ habens nuptialem, uel ut caput uelaret propter angelos. Sed illi percusserunt eam, ut amplius probaretur. Exercentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes si uerũ decorem nudæ uirtutis afferret: uel quia sine integumento quis in illam cœlestem ciuitatẽ debeat introire, nulla deferens secũ operimenta furorũ. Sunt etiam qui requirant ne qua anima exuuias secũ uehat carnalis illecebræ, & concupiscentiam corporalem. Nudatur pallio, cùm eius conscientia manifestatur. Sed est & quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentẽ: Venit enim princeps huius mundi, &

Lucæ 1

Ibidem 2

Esa. 48

Psal. 136

Cant. 5

Matth. 22
1. Cor. 11

Matth. 12
Ioan. 14

in me inueniet nihil: quia certe in illo solo nihil inuenit, qui peccatum non fecit. Beata & illa est in qua non grauia aut multa inuenit, sed inuenit in ea amictũ fidei, & sapientię disciplinam, utiq; sine dispendio sui, quia & si uolet quis, nõ potest ueram auferre sapientiam: & si aduersarius obstrepat, ibi tamen uera innoxiæ conuersationis elucet integritas. Sine dispendio ergo transiuit custodes, & filiabus illius cœlestis ciuitatis admixta uerbum requirit, & quærendo eius in se excitat charitatẽ, & ubi uerbum quærat agnoscit. Quod inter orationes sanctorũ moretur, & ipsis inhæreat, nouit: & quod ecclesiam suam uel animas iustorum suorũ inter lilia pascat, intelligit. Hoc mysterium tibi in Euan
Matth. 28 gelio dominus demonstrauit, cum in sabbato duceret per seminata discipulos. Moyses per desertũ duxit populum Iudæorũ, Christus per seminata ducit: Christus per lilia du-
Exod. 14 cit, quia per passionem eius desertum floret ut lilium. Sequamur ergo, ut in die sabbati, illius magni sabbati in quo requies magna est, fructus colligamus. Ne uereatis ne Pharisæi accusent seminata colligentẽ. Etsi illi accusant, sed Christus excusat, & similes facit
1. Reg. 21 quas uult animas se sequentes, Dauid illius, qui supra legem panes propositionis manducabat, nouæ gratiæ sacramenta prophetica iam tunc mente prospiciens.

De laudatione animæ à sponso, quod tam bene & constanter requisierit eum, & quod tam fidelis, & uerbo potens, & fructibus fœcunda diuersis, quodq; una sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quę fecit utraq; unum. Caput VII

Audatur itaq; à sponso, quod tam bene & cõstanter requisierit eum: ideoq; iam non solum soror dicitur, sed etiam beneplacita nominatur, quasi ei com placita, qui complacuit patri: & speciosa sicut Hierusalem, sicut admiratio ordinata, quod ciuitatis æternæ uniuersa habeat mysteria, & admirationi sit omnibus uidentibus eam: quia plena ut æquitas atq; perfecta est, & fulgorem de uerbi lumine mutuata, dum id semper intendit: fit etiam terribilis ordine quodam ad summum profecta uirtutum. Ideoq; quasi perfectæ dicit: Auerte oculos tuos à me, noli contra me intendere, deuotione nimia ac fide possibilitatem naturæ & conditionis propriæ supergressa, quia lucem inaccessibilem è regione intueri est graue. Auerte, inquit, oculos tuos à me, eò quòd plenitudinem diuinitatis eius, & splendorem ueri luminis sustinere nõ possit. Possumus tamen & sic accipere: Auerte oculos tuos à me: Et si tu perfecta es, aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ, aliæ fulciendæ. Eleuas enim me uidendo: ego autẽ ideo descendi, ut omnes eleuem. Etsi surrexi, & habeo patris sedem, tamen orphanos nõ relinquam uos, paterno præsidio destitutos, sed præsentia mea uos confirmabo. Habes
Matth. 28 in Euangelio hoc scriptum: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi. Auerte ergo oculos à me, quia me eleuas. Quanto enim quis ad dominũ intendit, tan-
Psal. 29 to amplius dominũ eleuat, & ipse eleuatur. Vnde & ille ait: Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me. Sanctus enim exaltat dominum, peccator humiliat. Vult enim auertere illam oculos, ne eam considerans, quod iam ad superiora sequi possit, eleuetur, &
Matth. 17 cæteras animas derelinquat. Ideo & in Euangelio nõ omnibus discipulis, sed perfectioribus suam gloriam demonstrauit. Constitue nunc aliquem doctorem, qui rem obscuram uelit aperire audientibus: quemadmodum etsi ipse potens in sermone sit & scientia, condescendat tamen ad eorum insciti am qui non intelligant, & simplici, & planiore atq; usitato sermone utatur, ut possit intelligi. Si quis igitur inter audientes uiuacior sensu sit, qui facile sequi possit, eleuat eum atq; excutit. Hunc uidens doctor reuocat, ut patiatur magis doctorẽ humilioribus & planioribus immorari, quo & cęteri sequi possint. Quod ait Aquila, sonans ut reuelata: sonantẽ ad admirationẽ dignam retulit, quasi magna & sonora habentẽ opera, reuelata ad operum claritatem: uel quod eius animę opera luceant coram patre qui in cœlis est. Vnde non ociose pallium eius sublatũ intelligis, ut aperta meritis & nuda fulgeret. Laudatur præterea quod fidelis, quod uerbo potens,
Ephes. 2 quod fructibus fœcunda diuersis, quod una sicut columba habens spiritus unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraq; unum: & quæ nõ sit composita ex diuersis elementis discretæ compugnantisq; naturæ. Quid enim tam diuersum quàm ignis & aqua, aer & terra, ex quibus corporis nostri creatura consistit? Anima autem benedicta omnis simplex,
Ioan. 17 quæ imitatur dicẽtem: Vt omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: & ipsi in nobis

nobis unum sint. Hæc est enim consummatio atq; perfectio. Vnde & addidit: Vt sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in his, & tu in me, ut sint consummati in unum. Hæc est ergo anima columba atq; perfecta, quę simplex atq; spiritalis neq; huius turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ, intus timores sunt. Denique hoc uerbo unitatis concordiam & pacem significari scriptura nos docet dicens: Multitudo autem credentium habebat cor unum, & animam unam, & non erat separatio in eis ulla. Nec ociose fœcunditatis laudatur anima, non solum quòd sit fœcunda uirtutibus, sed etiam quòd nihil habeat in se mali. Illud enim decorũ atq; speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum: quod autem indecorum, hoc malum. Speciosa fœcunditas est bonorum operũ. Contraria enim speciositati sterilitas: quoniam qui priuatur specie uel decore, in eo est malum: quod autẽ malum, hoc sterile & infœcundum. Cuius rei quod euidentius indicium q̃ natura est? Terra enim quæ bona est, fertilis atq; fœcunda: quæ autem mala, ea ieiuna atq; sterilis: quæ uero fertilis, hæc decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cùm seges fluctuat, cum poma irrutilant, uel cum uuarũ serta dependent, aut baccis onusta olea curuescit, uel uiridanti gramine montium uertices, uallium humilia uestiuntur? Et ut scripturę utamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideo erat odor agri pleni. Esau hispidus erat & indecorus, & ideo agrestis erat, qui fructus illos habere non posset. De ipso quoq; domino postea quàm ecclesiæ fœcunditatem fecit assurgere, pulchre dictum est: Dominus regnauit, decorẽ induit. Et alibi: Confessionem & speciẽ induisti. Liquet igitur decorum id esse, quod fœcundum: indecorũ, quod infœcundum. Similis est caussa animæ soli, quia ea decora anima, quæ fœcunda sit meritis, fœcunda consiliis: ea indecora, quæ sterilis infirmitate. Sed enim animæ sunt sterilitas & materia. Nanq; eam sterilitas fructu defraudat suo, inopiam infert, timorẽ incutit, adolet cupiditates & uanas opiniones: sic anima cadit. Quid ergo est malitia, nisi boni indigẽtia? Suo enim defraudatur, atq; alieni indiget, exinanitur atq; repletur sine mẽsura & modo. Materialia autẽ uitia animæ obumbrant gratiam. Ignorantia & concupiscentia animæ sunt ægritudines, sed ad speciem magis quàm ad materiem referuntur. Materia est caro, species est ignorantia & concupiscentia. Cur igitur caro accusatur, cum tantæ sint in specie labes? Quia nihil species potest sine materia. Denicq; nihil species securis sine materia facit. Quid enim esset cõcupiscentia, nisi eam caro inflammaret? Friget in senibus, in pueris quoq;, quia his corpus infirmum est: ardet in adolescentibus, quia in his uis corporis feruet. Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quæ priuãtur bonis. Per mala tamen factũ est, ut bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est. Definitione boni malitia deprehenditur, quoniam per disciplinã boni malum reperitur. Bonum autẽ nullius eget, sibi abundat, mensuram & perfectionẽ, finem quoq; tribuit omnibus, in quo uniuersa constant, & de quo omnia pendẽt. Hæc boni natura est, quę mentem replet. Circa hoc uersatur anima pura, hoc introspicit, & in hoc deum cernit, bonis omnibus abundat. Vnde & ait: Fauces eius dulcedines, & totus desiderium. Omnium enim bonorũ author est deus: & quæ sunt eius, profecto omnia bona sunt, & nusquam illic malum: & si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur quæ in deo nõ manet, ipsa sibi author malorũ est: itaq; peccat. Anima autem quæ peccat, ipsa morietur. Aureis enim uinculis soluta uirtutũ, prona fertur præcipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quã nulla aduersa corporis prælia expugnant. Hæc anima sicut passer laqueo contrito euolat. Escę enim malorũ sunt uoluptates corporis. His quisquis intendit, laqueo innectit animam suam. Qui autem ab escis eius temperat, & de tenebris eius exit, eius anima fulget ut diluculum, de qua dicitur: Quænam hæc est prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna? Prospicit enim tanquam de domo libera. Nec dicit: Tenebrę cooperiunt me, & parietes circundant me, & quis scit si uidet altissimus? Sed ipsa magis lucem expetit tanquam in superioribus domus suæ, id est, corporis sui, & supra mundum posita diuina intuetur: & ad æterna se eleuat, ut deo adsit, iam lumen suorum operum sicut luna orbem suum toto orbe circunferens. Quod autẽ Aquila ait, Sonans sicut sol: uidetur illa axis cœlestis conuersio, solisq; & lunæ & stellarum cursus, concentus globorum exprimi. A quibusdam etiam nostris uidetur, qui quoniam non inuenit fidem, saltem propter gratiam suauitatis non uidetur alienus.

2. Cor. 7
Act. 4
Gen. 27
Psal. 29
Ibidem 103
Cant. 5
Ezech. 18
Cant. 6
Eccli 23

Anima dum laudatur à sponso, uerecunde refugiens coràm laudari, & reuocata à sponso, quid dicat. De præconijs quoq; bonæ animæ, singulariq; laude charitatis. Caput VIII

Cant. 6 Vm laudatur à sponso: uerecunde refugiens coràm laudari, deinde sponsi amore reuocata, ait: In hortũ nucis descendi uidere in natiuitate torrentis. Vbi enim est ecclesia, nisi ubi uirga & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, ut in amaritudinibus & tentationibus probeẽ. Per nucẽ amaritudines intelligimus, per torrentẽ tentationes, sed tamẽ tolerabiles, quia scriptũ est: Torrentẽ pertransiuit anima nostra. Itaq; descendit in locũ amaritudinis, ubi floret uitis, & malorũ granatorum specie diuersus & multiplex fructus, qui uelut uno tegmine totius corporis fide & charitate munitur. In illa ergo amaritudine nõ cognouit se anima. Corruptibile enim corpus aggrauat animã, & terrenũ habitaculum cito inclinatur. Cognoscere autẽ se debet. Sed tentatus est & Petrus, nõ se cognouit & Petrus. nam si cognouisset, non negauisset authorẽ. Sed cognouit eum Christus. Deniq; cognouit, quia etiam respexit. Cognoscit enim dominus qui sunt eius, & tanq; suum misericordiæ suæ frenis ut bonus rector reuocauit à lapsu. Rector ergo noster Christus est. Ideoq; ait anima: Posuit me currus Aminadab. Anima ergo currus, qui bonum rectorẽ sustinet. Si currus est anima, habet equos uel bonos uel malos. Boni equi, uirtutes sunt animæ: mali equi, passiões sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperãtia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, cõcupiscentia, timor, iniquitas. Interdũ ipsi equi inter se dissident, & aut iracũdia protendit, aut timor, & se inuicẽ impediunt, & cursum retardant. At uero boni equi uolant, & à terris ad superiora se subrigunt, animamq; eleuant: maximè si iugũ habeant suaue, & onus leue dicentis: Tollite iugũ meũ super uos. Iugũ enim meũ suaue est, & onus meũ leue. Ipse rector est qui nouit equos proprios gubernare, ut æqualis omniũ cursus sit. Si uelocior est prudentia, tardior iustitia, admonet flagello proprio segniorẽ. Si tẽperantia mansuetior, fortitudo durior, nouit copulare discordes, ne forte currũ suum dissipent. Itaq; licet intelligibili spectaculo uidere unamquamq; animã cum summo certamine ad cœlũ rapi, festinantes equos quo priores perueniant ad brauiũ Christi, quorũ prius imponatur palma ceruicibus. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astricti uinculo charitatis, iustitiæ frenis, retinaculis sobrietatis. Pulchre ait: Posuit me currus Aminadab, hoc est, pater populi. Ipse aũt qui pater populi, idem pater Naason, id est serpentũ. Iam tu recole quis sicut serpens in cruce pependerit pro salute uniuersorũ, & intelligis illam animã esse pacificã, cui pater deus præsul sit, Christus agitator: quia scriptũ est & hoc nomen in nostris: Pater pater agitator Israel. Hic ergo agitator dicit: Conuertere Sulamitis, cõuertere. Bene & quasi agitator, & quasi ad currũ dicit: Conuertere Sulamitis, hoc est, pacifica. Quæ enim pacifica est anima, cito se conuertit & corrigit, etiam si antè peccauit, & magis eam Christus ascendit, & regere dignat̃, cui dicitur: Ascende in equos tuos, & equitatus tuus sanitas. Et alibi: Misi equos tuos Tharsis. Hi sunt equi Christi. Ascẽdit ergo equos suos Christus, ascendit uerbũ dei animas pias. Vnde cognosce quia & istam ascendit, & perduxit eam ad locũ palmæ, quando & dicit ad eam: Quàm pulchra & suauis facta es charitas in delicijs tuis. Statura tua similis facta est palmæ. Et ipsa ait: Dixi, ascendam in palmã. Sed etiam ipsa charitas palma est. ipsa est enim plenitudo uictoriæ. Plenitudo enim legis, charitas est. Curramus ergo, ut cõprehendamus: curramus, ut uincamus. Qui uincit, ascendit in palmã, & manducat fructus eius. Qui uicit, iam non currit, sed sedet: sicut scriptũ est: Qui uicerit, dabo ei sedere mecũ in sede mea, sicut & ego uici, & sedeo cũ patre meo in sede ipsius. Hinc philosophi curulia illa animarũ in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmã peruenire potuerũt, quoniam summitatẽ uerbi, & altitudinem illã animæ nescierũt, quã cognouit hæc anima, in qua erat uerbi cõuersio. Sic enim ait: Ego fratri meo, & super me conuersio eius. Hunc sensum tertio repetiuit diuerse in Canticis canticorũ. In principio ait: Frater meus mihi, & ego ei, qui pascitur in lilijs usq; dum aspiret dies, & amoueantur umbræ. Deinde ait: Ego fratri meo, & frater meus mihi qui pascitur inter lilia. In fine ait: Ego fratri meo, & super me cõuersio eius: Primũ ad institutionẽ animæ, ideo & præmisit: Frater meus mihi. illo enim demonstrante se, etiam

Psal. 123
Sapien. 9
2. Tim. 2
Cant. 6
Matth. 11
4. Reg. 2
Cant. 6
Abacuc 3
Cant. 7
Rom. 13
Apoc. 3
Cant. 7
Ibidem 2
Ibidem 6
Ibidem 7

adhærendi

adhærendi deo ſumpſit affectum, quod ſequitur ſecundum profectum, tertium ſecundum perfectionẽ. In primo quaſi in inſtitutione adhuc umbras uidet anima, necdum uerbi appropinquantis reuelatione cõmotas, & ideo adhuc ei dies Euangelij non refulgebat. In ſecundo ſine umbrarum confuſione odores pios carpit. In tertio iam perfecta requiem in ſe uerbo miniſtrat, ut cõuertatur ſuper eam, & caput ſuum reclinet, atq; requieſcat, meritoq; iam tenens quem antea quæſitũ inuenire non poterat inuitat ad agrũ ſuũ, dicens: Veni frater meus, exeamus in agrum, requieſcamus in caſtellis. Supra ad hortũ inuitabat, hic ad agrum habentẽ non ſolum florum gratiam, ſed etiam triticum & hordeum: hoc eſt ſolidiorum firmamenta uirtutum, ut fructus eius aſpiciat. Requieſcamus, inquit, in caſtellis, ad quæ Adam cum de paradiſo eiectus eſſet, fuerat relegatus, in his requieſcebat, ſed terram operabat. Qua autem ratione exire eum in agrũ uellet, intellectus manifeſtus eſt, ut quaſi bonus paſtor paſcat gregẽ ſuum, laſſos alleuet, reuocet errantes. Nam etſi iſta anima noua & uetera ſeruauit, tamen ſunt adhuc uelut agni, qui lactis ſucco nutriendi ſunt. Ergo quaſi perfecta, nõ pro ſe, ſed pro alijs interuenit, ut de ſinu patris exeat, ut procedat foras tanq; ſponſus de thalamo ſuo, egrediens currat uiam, Pſal. 18
ut infirmos lucretur, nõ in illo ſecreto patris ſolio, & in illa luce immoretur, quo inualidi equi conſcendere nõ queunt, ſed ut aſſumatur & inducatur in domũ ſponſæ atq; ſecretum. Sit foris ſibi, ut nobis intus ſit medius noſtrũ, & ſi non uideatur à nobis. Vnde ait: Quis dabit te frater fratrem lactentem ubera matris meæ? Inueniens te foris oſculabor Cant. 8
te. Bona anima, quæ foris eſt, ut uerbũ intus ſit: illa extra corpus, ut uerbũ habitet in nobis. Aſſumam te, inquit, & inducam te. Rectè aſſumitur & inducitur uerbum dei, quia pulſat animam ut aperiatur ſibi oſtium. Et niſi apertũ ſibi oſtium inuenerit, non intrat. Si Apoc. 3
quis autem aperuerit ianuam, intrat & cœnat. Sic ſponſa uerbum aſſumit, ut aſſumẽdo doceatur. unde non immerito aſcendit adhuc ad ſuperiores manſiones, & ſemper proceſſum accipit. Quod ſignificant uirtutes quæ dicunt, uel animæ: Quæ eſt hæc quæ a- Cant. 8
ſcendit candida, innitens ſuper fratrẽ ſuum? Superius dixerunt: Quæ nam eſt hæc, quæ proſpiciens tanq; diluculum, ſpecioſa ſicut luna, electa ſicut Sol? Hic plus quod diceretur inuentũ eſt, eò quòd uerbo dei innixa aſcenderat. Perfectiores enim ſupra Chriſtum recumbunt, ſicut & Ioannes in Chriſti pectore recumbebat. Ita ergo & hæc uel incumbebat in Chriſtum, uel ſupra ipſum ſe reclinabat: aut certe quoniã de nuptijs loquimur, iam quaſi tradita in Chriſti dextera, in thalamum ducebatur ſponſo. Et quia iam copula charitatis eſt, blanditur ei ſponſus, & dicit: Sub arbore mali eleuaui te, illic parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quæ peperit te. Bona anima, quæ requieſcit ſub arbore fructuoſa, & maximè boni odoris. Nam ſi Nathanael bonus, in quo dolus nullus erat, ſub arbore fici uiſus eſt: utiq; bona anima, quæ ſub arbore mali eleuata eſt ſpõſo ſuo. Plus eſt enim eleuari q; uideri, plus etiam à ſponſo eleuari. Nam etſi Nathanael uidebatur ſub ar Ioan. 1
bore, tamen anima eius ſponſa nõ erat, qui occulte ueniebat ad Chriſtũ, quia uerebatur Iudæos. Non erat ſpecioſa ſicut Luna, electa ut Sol, quæ erat in umbra, quia ſponſa per diẽ nubit, publicè confitetur. Ideo iſta ſub arbore mali, illa ſub ficu, quia hæc confeſſionis ſuæ odorẽ diffundebat longius, illa habebat puritatis innocentiæ ſuauitatẽ, flagrantiam ſpiritus nõ habebat. Illic, inquit, parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quę peperit te. Ibi enim naſcimur, ibi renaſcimur. Pariuntur aũt in quibus Chriſti imago formaſ. Vnde & Paulus ait: Filioli, quos ego parturio donec formetur Chriſtus in uobis. Par- Gal. 4
turit enim qui in utero accipit ſpiritũ ſalutis, & alijs infundit. Vnde quoniã iam formatus in hac erat Chriſtus, ait: Pone me ut ſignaculũ in cor tuũ, ut ſigillum in brachiũ tuũ. Cant. 8
Signaculum Chriſtus in fronte eſt, ſignaculũ in corde. In fronte, ut ſemper confiteamur: in corde ut ſemper diligamus: ſignaculũ in brachio, ut ſemper operemur. Luceat ergo imago eius in confeſſione noſtra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis: ut ſi fieri poteſt, tota eius ſpecies exprimatur in nobis. Ipſe ſit caput noſtrũ, quia caput uiri Chri Epheſ. 5
ſtus. ipſe oculus noſter, ut per illũ uideamus patrẽ. ipſe uox noſtra, per quam loquamur ad patrẽ. ipſe dextera, per quam deo patri ſacrificium noſtrũ offeramus. ipſe quoq; eſt ſignaculum noſtrũ, quod eſt perfectionis & charitatis inſigne, qua diligens pater ſignauit filium ſicut legimus: Quem pater ſignauit deus. Charitas itaq; noſtra Chriſtus. Bona Ioan. 6
charitas, quando obtulit morti ſe pro dilectis: bona charitas, quæ peccatum remiſit.

Et

Cant. 8 Et ideo anima noſtra induat charitatẽ, & charitatem huiuſmodi quæ ſit ualida ut mors, quia ſicut mors finis peccatorũ eſt, ita & charitas: quoniam qui diligit dominũ, peccare
1. Cor. 13 deſinit. Charitas enim non cogitat malum, neq; gaudet ſuper iniquitatẽ, ſed omnia ſuſtinet. Nam qui ea quæ ſua ſunt nõ quærit, quomodo aliena quærit? Eſt & mors illa ualida per lauacrum, per quod peccatũ omne ſepelitur & culpa dimittitur. Talis erat charitas
Luc. 7 quam deferebat Euangelica illa mulier, de qua dominus ait: Remiſſa ſunt peccata eius multa, quoniam dilexit multũ. Eſt & illa mors ſanctorum martyrũ ualida, quæ culpam abolet ſuperiorẽ, & ideo ualida, cuius nõ impar eſt charitas, quæ adæquatur martyrum paſſioni, ut auferat meritũ delictorum. Zelus quoq; ut inferi, quoniam qui zelum dei habet, pro Chriſto nec ſuis parcit. Itaq; & mortẽ habet charitas, & zelum habet charitas,
Exod. 3 & alas ignis habet charitas. Denicq; Chriſtus diligẽs Moyſen, in igne ei apparuit. Et Hie-
Hiere. 20 remias habens in ſe donum diuinæ charitatis, dicebat: Et erat ignis inflammans in oſſibus meis: & diſſolutus ſum undicq;, & ferre non poſſum. Bona igitur charitas habens alas ignis ardentes, quæ uolitat per pectora & corda ſanctorũ, & exurit quicquid materiale atq; terrenũ eſt, quicquid uero ſyncerũ eſt probat, & quod contigerit ſuo igne, meliorat. Hunc ignem in terras miſit dominus Ieſus, & refulſit fides, accenſa deuotio, illuminata eſt charitas, iuſtitia reſplenduit. Hoc igne inflammauit corda Apoſtolorũ ſuorũ,
Lucæ 24 ſicut teſtatur Cleophas dicens: Non'ne cor noſtrum ardens erat in nobis cum aperiret ſcripturas? Alæ igitur ignis in flamma, ſcripturæ ſunt diuinæ. Denicq; aperiebat ſcriptu-
Pſal. 11 ras, & ignis exiebat, atq; audientiũ corda penetrabat. Et uerè alæ ignis, quia eloquia do-
Act. 9 mini, eloquia caſta, argentum igne examinatũ. Cum Paulus quoq; aſſumeretur à Chriſto, uidit circunfulſiſſe ſuper ſe lumen, & ſuper eos qui ſimul erant, cecidit pauor, & pro-
Ibidem 2 batior reſurrexit: denicq; Apoſtolus factus eſt, qui perſecutor aduenerat. Spiritus quoq; ſanctus deſcendit, & repleuit totam domũ in qua erant plurimi ſedentes, & uiſæ ſunt diſperſæ linguæ tanquam ignis. Bonæ alæ charitatis, ueræ alæ quæ uolitabant per ora A-
Gen. 5 poſtolorũ, & alæ ignis quæ purgatum ſermonẽ loquebantur. His alis euolauit Enoch ra-
4. Reg. 2 ptus ad cœlum. His alis euolauit Helias curru igneo, & equis igneis ad ſuperna transla-
Exod. 13 tus. His alis dominus deus per columnam ignis deducebat patrũ plebem. Has alas ha-
Eſa. 6 buit Seraphim quando ſumpſit carbones ignis de altari & tetigit os prophetę, & iniquitates eius abſtulit, & peccata purgauit. Harum alarũ igne purgati ſunt filij Leui, & bapti-
Matth. 3 zabantur populi nationũ, ſicut teſtificatur Ioãnes, dicẽs de domino Ieſu: Ipſe uos baptizabit in ſpiritu & igne. Merito uri renes ſuos uolebat & cor ſuũ Dauid, quia alas igneas
Dan. 3 charitatis ſciebat nõ eſſe metuendas. Merito Hebræi pueri in fornace ardenti nõ ſentiebãt ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. Et ut plenius cognoſcamus
Matth. 23 quia alas habeat perfecta charitas, audiſti dudum dicentẽ: Quotiens uolui congregare filios tuos ſicut gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas ſuas. Sumamus igitur has alas, quę ſicut flamma ad ſuperiora dirigunt. Exuat unuſquiſq; animã ſuam inuolucris ſordidioribus, & quaſi aurũ igne approbet deterſam luto. Sic enim purgatur anima, uelut aurum optimũ. Pulchritudo autem animæ ſyncera uirtus & decor, uerior cognitio ſuperiorũ, ut uideat illud bonũ ex quo pendent omnia, ipſum autem ex nullo. Eo igitur uiuit, atq; intellectum accipit. Vitæ enim fons eſt ſummũ illud bonum, cuius in nobis accenditur charitas & deſiderium, cui appropinquare & miſceri uoluptas eſt: quod ei qui uiuit, deſiderio eſt, & ei qui uidit, ineſt: ideoq; uniuerſa alia deſpicit, hoc uno mulcetur & delectatur. Hoc eſt quod ſubminiſtrat uniuerſam ſubſtantiam, ipſum aũt in ſemetipſo manens
Pſal. 15 dat alijs: nihil autẽ in ſe ex alijs ſuſcipit. De quo Propheta ait: Dixi domino, deus meus
Ibidem 26 es tu, quoniam bonorum meorũ non eges. Hoc ſolum uidere deſiderauit, ſicut ipſe alibi ait: Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnes dies uitæ meæ, & uideam delectationẽ domini, & conſiderẽ templum eius. Si quis igitur purum illud & incorporeũ ſummum illud uidere meruerit, quid habet aliud quod deſideret? Denicq; Petrus gloriam reſurrectionis Chriſti uidit, & nolebat deſcendere, dicens:
Matth. 17 Domine bonũ eſt nos hic eſſe. Et quanto incomparabilior eſt illa diuinitatis gloria, & lux inacceſſibilis, quã ſi quis uiderit, quid aliud concupiſcat? Non regna, nõ facultates, honores, gloriam, poteſtates. Illis enim uti nihil beatitudinis eſt, hoc uti beatũ eſt, ut illa deſpiciens ad hoc conuerſus maneat. Hanc igitur uidens pulchram imaginem ingre-

diatur

diatur intus, foris relinquat vultus corporis. Nam qui intuetur corpora, nō debet introrsum intueri, ne more mergentis in gurgite rapiatur atq; absorbeatur, & quasi profundo demersus nusquàm appareat. Fugiamus ergo in patriam uerissimam. Illic patria nobis, & illic pater à quo creati sumus, ubi est Hierusalem ciuitas quæ est mater omnium, Sed quæ est fuga? Non uticq; pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocunq; currūt, in terra currunt, & de sōlo ad solum transeunt. Nec nauibus fugiamus & curribus, aut equis qui obligantur & cadūt, sed fugiamus animo & oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus oculos nostros uidere quæ dilucida & clara sunt, spectare uultum continentiæ & temperantiæ, omnesq; uirtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum & tortuosum sit: & seipsum spectet quis, & conscientiam suam, illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim uidetur, non debet dissonare ab eo qui uidet, quoniam cōformes nos deus imaginis uoluit esse filij sui. Cognitum igitur nobis est illud bonum, nec longe est ab unoquoq; nostrum. In ipso enim uiuimus, & sumus, & mouemur. Ipsius enim & genus sumus, ut Apostolus gentiles posuit significare Ipsum est bonum quod quærimus, solum bonum. Nemo enim bonus, nisi unus deus. Hic est oculus qui magnum illum & uerum decorem intuetur. Solem nisi sanus & ualens oculus non aspicit, nec bonum potest uidere nisi anima bona. Fiat ergo bonus qui uult uidere dominū, & quod est bonum Huius boni similes simus, & secūdum id operemur quæ bona sunt. Hoc est bonū quod supra omnem operationem est, supra omnem mentem atq; intellectum, ipsum est quod semper manet, ad ipsum conuertuntur omnia, in quo habitat plenitudo diuinitatis, & per ipsum reconciliantur omnia in ipsum. Et ut plenius definiamus quid sit bonum, uita est bonum, quia semper manet, dans uiuere: & esse omnibus, quia fons est omnium uitæ Christus, de quo ait propheta: In umbra eius uiuemus. Nunc enim uita nostra abscondita in Christo est: cum autem apparuerit Christus uita nostra, tunc & nos apparebimus in gloria. Ergo non timeamus mortem, quoniam requies est corporis: animæ autem uel libertas, uel absolutio. Nec uereamur eum qui potest corpus interficere, animam autem non potest, quia non timemus eum qui potest uestimentum auferre, non timemus eum qui potest nostra furari, nos autem non potest. Nos igitur animæ sumus si uolumus esse Hebræi, de ijs qui sunt socij Iacob, id est, imitatores eius. Nos animæ sumus, nostra autē membra sunt seruanda ne scindantur, ne inueterascant, sed ille magis qui his utitur, seruare se debet & custodire.

Rom.8

Acto.17

Marc.10

Thre.4

Coloſ.3

Matth.10

FINIS.

CAPITA LIBRI DE BONO MORTIS.

Qua ratione mors aut bona aut mala dici debeat. Cap.I
Tria esse genera mortis. Cap.II
Quid secundum scripturæ sententiā sit mors, quid uitā, & quę sit mors spiritualis. Ca.III
Mortem omnino esse bonā: tum quod sit finis peccati, tum quod ea mūdum redemerit. Caput IIII
Mortem non esse timendam: & qua ratione usum eius, dum in corpore sumus, imitari debeamus. Cap.V
Omnia hoc in mundo plena esse laqueorum. Cap.VI
Varias huius uitæ esse molestias. Cap.VII
Mortem ipsam non esse terribilem, sed opinionem de morte. Cap.VIII
Animam non interire cum corpore. Cap.IX
Animam non mori cum corpore, scripturæ testimonijs comprobatur. Cap.X
Quæ sit animarum post hanc uitam futura lætitia. Cap.XI
De felicitate regni æterni, & quibus modis eò contendere debeamus. Cap.XII

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI DE BO=
NO MORTIS, LIBER VNVS.

Qua ratione mors aut bona aut mala dici debeat. Cap. I

QVoniam de anima superiore libro sermonem aliquem contexuimus, faciliorem uiam putamus de bono mortis conficere aliquid. Quæ si animæ noceat, malum uideri potest. si nihil autem officiat animæ, ne malum quidem. Quod autem malum non est, id etiam bonum: quoniam quod uitiosum, id malum, quod autem uitio caret, id bonum: Ideoq; bona malis contraria sunt, & mala bonis. Denicq; innocentia est, ubi non est nocendi uoluntas: & noxius dicitur, qui nõ sit innoxius: misericors, qui remittat: immisericors, qui ignoscere atq; inflecti nesciat. Sed fortè aliquis asserit: Quid tam contrariũ, quàm uita morti? Si ergo uita puraẽ bonũ, quomodo mors nõ est malũ? Et ideo quid sit uita, quid etiã mors, cõsideremus. Vita est spirandi munere frui, mors priuari. Hoc autem spirandi munus apud plerosq; in bonis

Eccle. 15 ducitur. Hoc est ergo uita, frui bonis: mors contra, bonis exui. Et scriptura dicit: Ecce dedi ante faciem tuam uitam & mortem, bonum & malum, uitam bonum appellans, mor-

Genes. 3 tem malum: & illa sibi priora, & hæc sibi conferens. Denicq; ut lectionis diuinę exemplo utamur, in paradiso est positus homo, ut ederet de ligno uitæ, & cæteris paradisi lignis, de ligno autem in quo esset cognitio boni & mali, nõ ederet: qua die autẽ ederet morte moreretur. Non seruauit præceptum, & caruit fructu, atq; eiectus de paradiso mortem gustauit, Malum igitur mors, qua precium damnationis infertur.

Tria esse genera mortis. Cap. II

Ed mortis tria sunt genera. Vna mors peccati est, de qua scriptũ est: Anima

Ezech. 18 quæ peccat, ipsa morietur. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur & deo uiuit, de qua ait Apostolus: Consepulti enim sumus cum illõ per ba-

Rom. 6 ptismum in mortem. Tertia mors est qua cursum uitæ huius & munus explemus, id est, animæ corporisq; secessio. Aduertimus igitur quod una mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is fuerit mortuus, iustificatus est à peccato: tertia mors media sit. Nam & bona iustis uidetur, & plerisq; metuenda, Quę cum absoluat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est uitium, sed nostræ infirmitatis, qui uoluptate corporis, & delectatione uitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quã uoluptatis est: At non sancti ac sapientes uiri, qui lon-

Philip. 1 gæuitatem peregrinationis huius ingemiscebant, dissolui & cum Christo esse pulchrius

Iob. 3 æstimantes, denicq; diem generationis suę execrabantur, sicut ille qui ait: Pereat dies illa in qua natus sum. Quid enim est quo hæc uita delectet, plena ærumnarum & solicitudinum, in qua innumeræ calumniæ, & multæ molestię, & multæ lachrymæ eorũ qui afflictantur molestijs, & non est, inquit, qui eos cõsoletur? Et ideo laudat Ecclesiastes defunctos magis quàm uiuentes. Et optimus, inquit, supra hos duos, qui nondũ natus est, qui

Eccle. 4 non uidit hoc malum. Et alibi idem Ecclesiastes meliorem longeuo uiro eũ asseruit, quẽ abortu eiecit mater sua, quia non uidit hæc mala quæ fiunt in hoc mundo, nec in has uenit tenebras, nec in uanitate ambulauit seculi, & ideo requiem hic magis habebit qui in hanc uitã non uenit, quàm ille qui uenit. Quid enim boni est homini in hac uita, qui in umbra uiuit, nec expleri potest cupiditatibus suis? Et si expleatur diuitijs, fructũ quietis amittit, quia cogitur custodire quod misera auiditate quęsierit: ut miserius eas possideat cui prodesse nõ poterunt. Quid enim miserius quã ut custodia torqueat, quarum abundantia nihil prosit? Itaq; si plena oneris uita, utiq; finis eius alleuamentum est. Alleua-

Luc. 2 mentum autem bonum mors, mors autẽ finis: mors igitur bonũ est. Neq; enim aliter gaudisus est & Simeon, qui responsum acceperat non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini: & cum eum parentes in templum ducerent, suscepit manibus suis, & dixit: Nunc dimittis domine seruum tuum in pace, quasi necessitate quadam teneretur in

retur in hac uita,non uoluntate.Ita dimitti petit, quasi à uinculis quibusdam ad libertatem festinaret.Sunt enim uelut uincula quædã corporis huius,& quod est grauius, uincula tentationum,quæ nos alligant, & ad iniuriã captiuitatis adstringunt quadam lege peccati.Deniq; in exitu ipso uidemus quemadmodum anima decedentis paulatim soluat se uinculis carnis,& ore emissa euolet tanquã carcereo corporis huius exuta gurgustio.Deniq; festinabat etiam sanctus Dauid de hoc loco peregrinationis exire, dicens: Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus,sicut omnes patres mei. Et ideo tanquã peregrinus ad illam sanctorum cõmunem omnium patriam festinabat, petẽs pro huius commorationis inquinamẽto remitti sibi peccata priusquam discederet uita. Qui enim hic non acceperit remissionẽ peccatorum, illic non erit. Non erit autem,quia ad uitam eternam non potuerit peruenire,quia uita æterna remissio peccatorum est.Ideoq; dicit: Remitte mihi ut refrigerer priusquam eam, & amplius non ero. Quid igitur tantopere uitam istam desideramus,in qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum? Ipse dominus ait:Sufficit diei malitia sua.Et Iacob dixit:Dies annorum uitæ meæ quos habeo,centũ triginta,minimi & mali: non quia dies mali,sed quia nobis accessu dierum malitiæ incrementa cumulantur. Nullus enim dies sine nostro peccato præterit. Vnde egregie Apostolus ait:Mihi uiuere Christus est,& mori lucrum:aliud ad necessitatem uitæ referens, aliud ad mortis utilitatẽ. Christus enim nobis uiuere est cui seruimus,cui oportet ut à sanctis suis in Euangelij prædicatione deferatur obsequium. Deniq; & Simeon qui ait:Nunc dimittis seruum tuũ,propter Christũ expectabat. Christus enim rex noster est,& ideo quod rex iubet, deserere non possumus & contennere Quãtos Imperator terræ huius in peregrinis locis aut honoris spe , aut muneris alicuius caussa iubet degere? Nunquid hi inconsulto Imperatore discedunt? Et quanto amplius est diuinis parere quàm humanis? Viuere ergo sancto Christus est,& mori lucrũ. Quasi seruus enim non refugit uitæ obsequium,& quasi sapiens lucrũ mortis amplectitur.Lucrum est euasisse incrementa peccati,lucrum fugisse deteriora,& ad meliora transisse.Et addidit:Dissolui, & cũ Christo esse.multo enim melius:permanere autem in carne,magis necessarium propter uos.Aliud melius,aliud necessarium.Necessarium propter fructum operis,melius propter gratiam & copulam Christi.

Psalm.38

Ibidem.

Matth.6

Genes.47

Philip.1

Philip.1

Quid secundum scripturarũ sententiam sit mors,quid uita, & quæ sit mors spiritualis. Cap. III

Ergo quoniam docuit Apostolus eum qui euaserit ex hoc corpore,si meruerit tamen, cum Christo futurum:quid sit mors, quid etiã uita, consideremus. Itaq; scriptura docente cognouimus quia mors absolutio est animæ & corporis,& quædam hominis separatio.Soluimur enim hoc nexu animæ, & corporis,cum recedimus.Vnde & Dauid ait: Dirupisti uincula mea,tibi sacrificabo hostiã laudis.Vincula autẽ uitæ huius,id est,coniunctionis nostræ quæ ex anima constat & corpore,significari docet superior uersiculus Psalmi huius:Preciosa in cõspectu domini mors sanctorum eius.Et ideo quasi propheta præuidẽs se cum sanctis, & qui pro deuotione animas suas in Christo deposuerunt,futurum,lætatur,quia & ipse obtulit se fideliter pro dei populo ut aduersus Goliam singulari certamine dimicaret, & solus commune periculũ & crimen refelleret, uel cum se morti pro domini placanda offensione promptus obiceret,uel cũ se pro salute populi laborantis diuinæ ultioni paratus offerret. Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori,quàm regnare in hoc seculo. Quid enim præstantius, quàm fieri Christi hostiam? Itaq; cum frequẽter ab eo legamus domino oblata esse sacrificia,hoc tamen loco addidit: Tibi sacrificabo hostiam laudis. Non sacrifico,inquit,sed sacrificabo:significans illud perfectum esse sacrificium,quando unusquisq; domino corporis huius uinculis absolutus assisteret,& offerret se hostiam laudis, quia ante mortem nulla est perfecta laudatio. Neq; quisquam in hac uita potest definito præconio prædicari,cum posteriora eius incerta sint. Mors igitur solutio est animæ & corporis. Deniq; & in Apostolo docuimus lectum,Dissolui & cum Christo esse, multo melius. Solutio autem ista quid aliud agit,nisi ut corpus resoluatur & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam,& sit libera? quæ si pia est,cum Christo futura sit.Quid igitur in hac uita aliud iusti agunt,nisi ut exuant se huius corporis contagionibus, quæ uelut uincula

Psalm.115

1.Reg.17

Philip.1

nos ligant, & se ab his molestijs separare contendant, renuncient uoluptatibus atq; luxuriæ, fugiant flammas libidinum? Nónne igitur unusquisq; in hac uita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere, ut ei moriantur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus mundiq; illecebris etiam ipse moriatur, sicuti mortuus erat Galat. 6 Paulus dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Denique ut sciamus quia est mors in hac uita, & bona mors, hortatur nos ut mortem Iesu in corpore nostro circumferamus. Qui enim habuerit in se mortem Iesu, is & uitam domini Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, ut operetur & uita. Bona uita post mortẽ, hoc est, bona uita post uictoriam: bona uita absoluto certamine, ut iam lex carnis legi mentis repugnare non nouerit, ut iam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio: sed sit in corpore mortis uictoria. Atq; haud scio ipse an maioris uirtutis mors ista quàm uita sit. Certe Apostoli moueor authoritate dicentis: Ergo mors in nobis operatur, uita autem in uobis. Vnius mors quantorum populorum uitam ædificabat? Itaq; docet & istam mortem in hac uita positis expetendam, ut mors Christi in corpore nostro eluceat, & illam 2. Cor. 4 beatam qua corrumpitur exterior, ut renouetur interior homo noster, & terrestris do- 2. Cor. 5 mus nostra dissoluatur, ut habitaculum nobis cœleste referetur. Imitatur igitur mortem qui se à communione carnis huius abducit, atq; illis uinculis soluit, de quibus tibi dicit Esa. 58 dominus per Esaiam: Solue omnem colligationem iniustitiæ, dissolue obligationes uiolentarum commutationum: dimitte confractos in remissionem, & omnem circumscriptionem iniquam dirumpe. Imitatur & ille mortem qui se uoluptatibus exuit, & à terrenis cogitationibus attollit atq; ableuat, & in illo cœlesti habitaculo locat in quo Paulus Philip. 1 cum adhuc uiueret conuersabatur. Aliter enim non diceret: Nostra autem conuersatio in cœlis est, quod pariter ad præsumptionem meriti potest meditationemq; conferri. Illic enim erat eius meditatio, illic animæ eius conuersatio, illic eius prudentia, quæ utiq; intra angustias carnis huius hærere non solet. Sapiens enim cum illud diuinum inquirit, absoluit animam suã à corpore, & eius abnegat contubernium, cum illam ueri tractat scientiam, quam uelut nudam sibi & apertã desiderat demonstrari, & ideo retibus quibusdam & nebulis huius corporis se quærit exuere. Neq; enim manibus istis aut oculis 2. Cor. 4 atq; auribus comprehendere illam supernam possumus ueritatem: quoniam quæ uidentur, temporalia sunt: quæ autem non uidentur, æterna. Denique sæpe fallimur uisu, & aliter quàm sunt pleraq; uidemus. Fallimur etiam auditu: & ideo contemplemur non illa quæ uidentur, si nolimus falli. Quando igitur anima nostra non fallitur? quando solium ueritatis attingit? nisi quando se ab isto secernit corpore, neq; ab ipso decipitur & illuditur? Illuditur enim uisu oculorũ, illuditur auditu aurium: & ideo relinquat illud necesse Coloss. 2 est & deserat. Vnde Apostolus clamat: Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam. In corruptelam enim sunt, quæ sunt in corporis indulgentiam. Et ideo ostendens non per corporis indulgentiam, sed per animæ eleuationem, & cordis humilitatem se inuenisse quod uerum est, addidit: Nostra autẽ conuersatio in cœlis est. Ibi igitur quærat quod uerum est, quod est & manet, secq; in se colligat, & congreget omnem aciem uirtutis suæ, neq; alijs cõmittat & credat, sed seipsum cognoscat & intelligat, & quod sibi uidetur uerum esse, hoc sequendum nouerit: quod delectatione carnali eligendũ æstimauerit, hoc sciat falsum, ab eo fugiat & recedat, quia fraudis est plenũ. Merito ergo depreciauit & honestauit hoc corpus, corpus mortis appellans. Quis enim oculis potuit uidere uirtutis splẽdorẽ? quis iustitiã manibus cõprehendere? quis sapientiam oculorum obtutibus intueri? Denique quando aliquid cogitamus, neminem nobis occurre re, neminem uolumus obstrepere auribus nostris, atque ita intendimus animo, ut plerumq; non uideamus præsentia. Quinetiam in noctibus syncerius Prouerb. 4 cogitamus, & tunc melius quæ mouent, corde meditamur. Vnde & Propheta ait: Quæ dicitis in cordibus uestris, in cubilibus uestris compungimini. Sæpe etiam aliqui claudunt oculos siquid profundè uolunt nisu cogitationis eruere, oculorum impedimenta uitantes. Sæpe etiam solitudines captamus, ne cuius sermo nostris auribus insusurret, & quasi semita quædam inhærentem cogitationi animam abducat à uero, atq; ab intentione deflectat. Multas igitur occupationes nobis corporis huius necessitas gignit, atq; usus inuehit, quibus impeditur animæ uigor, ac reuocatur intentio. Vnde se pulchre

dicit

dicit sanctus Iob: Memẽto quia lutum me finxisti. Si ergo lutum est corpus, oblinit nos utiq; non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. Corium & carnẽ me, inquit, induisti, ossibus & neruis intexuisti. Ligatur itaq; & distenditur anima nostra istius corporis neruis, & ideo interdum rigescit, sæpe curuatur. Et addidit: Ab iniquitate innocentem me non fecisti. Si enim impius fuero, uæ mihi: si autem sim iustus, non potero me reclinare. Plenus enim confusionis sum. Induxisti super me tentationes. Quid enim est aliud hęc uita, nisi plena laqueorũ? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas uersamur tentationes. Deniq; idem supra ait: Nunquid non tentatio est uita hominis in terra? Bene addidit in terra, quia est uita hominis & in cœlo. Sicut mercenarij, inquit, merces uita eius, in labore scilicet & tepore, leuior fabulis, & fluitans & natans uerbis: cuius habitatio in luteis domibus, & ipsa uita in luto, nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia. In die nox desideratur, in nocte dies quæritur: ante escam gemitus, inter cibos fletus, lachrymæ, dolores, timores, solicitudines, nulla requies à perturbationibus, nulla à laboribus reclinatio, iræ & indignationis motus horridior. Plerique cupiunt mortem, & non impetrant: si autem impetrauerint, gratulantur, quia sola est mors requies uiro. Iob.10 Iob.7

Mortem omnino esse bonam: tum quod sit finis peccati, tum quod ea mundum redemerit. Cap. IIII

Sed dicet aliquis scriptum esse quia deus mortem non fecit. Vita erat in paradiso, ubi lignum uitæ, & uita erat lux hominũ. Mors igitur mala, quæ accessit & subintrauit. Sed quomodo mors mala, si aut secundũ gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum lucrum Christus est, cum quo esse multo melius? Quomodo igitur mors nobis malum, si nullus post mortem sensus est? Vbi enim nullus sensus, nullus utiq; iniuriæ dolor, quia dolor sensus est. Aut quia est post mortẽ sensus, est utiq; uita post mortẽ, & superstes mortis est anima, quæ sensu utitur, & uita fungit. Cum autẽ manet post mortẽ uita atq; anima, manet bonũ, nec morte amittitur, sed augetur, nec ullo impedimento mortis retardatur anima, sed operat magis, quia operatur quę sua sunt, sine ulla societate corporis, quod animę maiori oneri quam usui est. Quid igitur mali est animæ, quæ puritatem suã custodierit, & uirtutũ disciplinã seruauerit? Aut si non seruauerit, non mors malũ, sed uita, quia uita non fuit. Quæ est enim uita uitijs peccatisq; obsita? Quid igitur accusamus mortẽ, quæ aut uitæ preciũ luit, aut abolet eius dolorẽ atq; cruciatũ? Itaq; mors aut suæ quietis bono utitur, aut malo alieno laborat. Nunc illud specta: Si uita oneri, mors absolutioni: si uita supplicio, mors remedio: aut si iudicium post mortẽ, etiã uita post mortẽ. Mors igitur ea non est bona? Aut si hic uita bona, quomodo mors illic non est bona, cũ ibi nullus sit terribilis iudicij metus? Sed ipsa hæc uita bona si est, quibus rebus bona est? Virtute utiq;, & bonis moribus. Non ergo secundum animæ & corporis copulam bona est, sed quia per uirtutẽ quod malũ est suũ repellit, quod autem bonum est mortis adipiscitur: ut quod animæ est, magis quàm id quod contubernij & coniunctionis operetur. Quod si uita bona, quæ animæ se à corpore separantis est speculum, & si anima bona quæ se eleuat atq; abducit à corporis contubernio: & mors utiq; est bonum, quæ animam à societate carnis huius absoluit & libera. Omnifariam igitur mors est bonum: & quia compugnantia diuidit, ne se inuicem impugnent, & quia portus quidam est eorum qui magno uitæ istius iactati salo, fidę quietis stationẽ requirunt, & quia deteriorem statũ non efficit, sed qualem in singulis inuenerit, talẽ iudicio futuro reseruat, & quiete ipsa fouet, & præsentium inuidię subducit, & futurorum expectatione componit. Accedit eò, quod frustra homines mortẽ timent, quasi finem naturę. Nam si recolamus quod deus mortẽ non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitiũ est, præuaricationis & fraudis sententiã comprehenderit ut in terram suam terra remearet, inueniemus mortẽ finem esse peccati: ne quo esset uita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur dominus subintrare mortẽ, ut culpa cessaret. Sed ne iterum naturę finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum: ut per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura. Itaq; mors hęc transitus uniuersorum est. Opus est ut constanter transeas. Transitur autẽ à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatẽ. Non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectẽt. Quid est enim mors nisi sepultura Philip.1

Num.23 uitiorum,uirtutum ſuſcitatio? Vnde & ille ait:Moriatur anima mea in animis iuſtorum, id eſt,cõſepeliatur,ut ſua uitia deponat,iuſtorũ aſſumat gratiã, qui mortificationẽ Chriſti in corpore ſuo atq; anima circunferunt. Mortificatio autem Chriſti, remiſſio peccato-
2.Cor.4 rum,abolitio criminum,erroris obliuio,aſſumptio gratiarũ eſt. Quid autẽ de bono mortis plenius poſſumus dicere,quàm quod mors eſt quæ mundum redemit?

Mortem non eſſe timendam:& qua ratione uſum eius,dum in corpore ſimus, imitari debeamus. Cap. V

Ed de communi omnium morte dicamus. Quid eam timeamus, quæ animæ
Matth.10 S nocere non ſoleat? Scriptum eſt enim, Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autẽ non poſſunt occidere. Per mortem autẽ iſtam anima liberatur,dum à corporis cõtubernio ſeeernitur, & inuolucris perturbationis exuitur. Vnde & nos dum in corpore ſumus uſum mortis imitãtes, ableuemus animã noſtram exiſtius carnis cubili,& tanquam de iſto exurgamus ſepulchro. Abducamus nos à corporis nexu, relinquamus omnia quæcunq; terrena ſunt, ut cũ uenerit aduerſarius,nihil in nobis inueniat ſuũ. Contendamus ad illud æternũ,ad illud diuinum euolemus pennis dilectionis,& remigio charitatis. Surgamus hinc,hoc eſt,de ſecularibus atq; mũdanis. Di-
Ioann.14 xit enim dominus:Surgite eamus hinc,præcipiens ut unuſquiſq; ſurgat de terrenis, erigat animam humi iacentem,ad ſuperna attollat,excitet aquilam ſuam, illam de qua di-
Pſalm.102 ctum eſt:Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Ad animam hoc dictum eſt. Anima ergo noſtra ſicut aquila alta petat,ſupra nubes uolet, renouatis ſplendeſcat exuuijs,cœlo uolatus ſuos inferat,ubi laqueos incidere non poſſit. Auis enim quæ deſcendit ex alto, uel quæ in altum ſe extollere nõ poteſt, frequenter aut laqueis capitur,aut uiſco fallitur, aut quibuſcunq; irretitur inſidijs. Sic quoq; & anima noſtra caueat ad hæc mundana deſcendere. Laqueus in auro,uiſcus in argento,nexus in prædio,clauus in amore. Dum aurum petimus,ſtrangulamur:dum argentum quærimus,in uiſco eius hæremus: dum prædium inuadimus,alligamur. Quid inane quærimus lucrum, precioſæ animæ detrimen-
Luc.9 tum? Exiguus tibi eſt totus mundus pro unius animæ diſpendio. Quid enim prodeſt homini,ſi hunc mundum lucretur,animæ uero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quã commutationem dabis pro anima tua? Non auro redimitur, non argento,imò auro amittitur. Quin etiam mulieris decus dum tentat,adſtringit. Clauus eſt libido,clauus triſtitia, clauus iracundia,clauí ſunt omnes paſſiones,quæ uelut ueru quodam animam noſtram penetrant,& infigunt corpori,uiſceribuſq; eius annectunt. Fugiamus ergo hęc mala,& exaltemus animam noſtrã ad illam imaginem dei & ſimilitudinem. Fuga malorũ,ſimilitudo dei eſt,& uirtutibus imago dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit quaſi author, pinxit
Eſa.49 uirtutum coloribus. Ecce ego, inquit, ad Hieruſalem, pinxi muros tuos. Non detergamus penicillo negligentiæ depicta animæ noſtræ firmamenta muralia. Ideo dixit:Muros pinxi, quibus hoſtem poſſimus auertere. Habet anima muros ſuos,de quibus emi-
Eſa.27 net,& de quibus ait:Ego ciuitas munita,ego ciuitas obſeſſa. His munitur muris,his obſeſſa defenditur. Et uere murus anima,quę prætendit in caſtris. Vnde & ipſa ait in Canti-
Cantic.8 cis:Ego murus,& ubera mea ut turris. Bonus murus quẽ pinxit dominus,ſicut ipſe ait: In manibus meis pinxi muros tuos,& in conſpectu meo es ſemper. Bona anima quæ habet ſpeculatorẽ deum,& in manibus eius eſt,ſicut anima prophetica, quæ in manus do-
Pſalm.33 mini commendatur,ut ſpiritus,& quæ in conſpectu dei eſt. Oculi enim domini ſuper iuſtos,ſicut & ipſe ait:Ego erã in oculis eius tanquã inueniens pacem. Bonas turres habet quæ habet & de intelligibilibus uerbum,& de moralibus diſciplinam. Ideoq; hęc anima habens gratiã ſuorum uberum ingreditur in hortos, & inueniens illic ſponſum ſedentẽ & diſputantem cum amicis,ait:Qui ſedes in hortis,uocem tuam inſinua mihi. Mihi,inquit,non amicis. Fuge frater meus. Hortatur ut fugiat ſponſus quia iam ſequi poteſt etiã ipſa terrena fugiẽtem. Dicit autẽ ut ſimilis ſit damulæ,quæ euadit de retibus. Vult enim & ipſa fugere & euolare ſupra mundum. Hinc hortum illũ ſibi Plato compoſuit, quẽ Io-
Vide Platonis Sympoſium. uis hortum alibi,alibi hortũ mentis appellauit. Iouem enim & deum & mentem totius mundi dixit. In hunc introiſſe animã,quam Venerem nuncupat, ut ſe abundantia & diuitijs horti repleret,in quo repletus potu iaceret Porus,qui nectar effunderet. Hocigit ex libro Canticorum cõpoſuit,eo quod anima deo adhęrens in hortum mentis ingreſſa ſit,in

at, in quo esset abundantia diuersarum uirtutum, floresq; sermonum. Quis autem ignorat quòd ex paradiso illo quem legimus in Genesi habentem lignum uitæ, & lignũ scientiæ boni & mali, & ligna cætera, abundantiam uirtutum putauerit transferendam, & in hortum mentis esse plantandam? Quem in Canticis canticorum Salomon hortum animæ significauit, uel ipsam animam. Sic enim scriptũ est: Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus, transmissiones tuæ paradisus. Et infrà ait anima: Exurge aquilo, & ueni auster, perfla hortum meum, & defluant unguenta mea. Descẽdat frater meus in hortum suum. Quanto hoc pulchrius quod anima ornata uirtutum floribus hortus sit, uel in se paradisum habeat germinantem? In quem hortum inuitat uerbũ dei descendere: ut anima illa uerbi imbre cœlestis, & eius copijs irrigata fructificet. Verbũ autem dei pascitur animæ uirtutibus, quoties obedientem sibi & opimam inuenerit, & carpit fructus eius, atq; his delectatur. Cum autem descenderit in eam dei uerbum, defluunt ex ea salubrium unguenta uerborum, & diuersarum fragrant longe lateq; redolentia gratiarum spiramina. Vnde ait sponsus (Sponsus autem animæ, deus uerbum est, cui anima legitimo quodam cõnubij fœdere copulatur:) Ingressus sum in hortum meũ soror mea sponsa, uindemiaui myrrham meam cum unguẽtis meis, manducaui panem meum cum melle meo, bibi uinum meum cum lacte meo. Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei. Ego dormio, & cor meum uigilat. Cognoscamus quos fructus & cibos epuletur deus, quibus ue delectetur. Delectatur eo si quis mortificet peccatum suũ, obliteret culpam suam, sepeliat atq; abolefaciat iniquitates suas. Myrrha eñ est sepultura mortuorum. Mortua aũt peccata sunt, quæ uitæ suauitatẽ habere non possunt. Perfundunt autem diuini sermonis unguentis, & fortiore cibo uerbi uelut pane, et suauiore sermone uelut melle curant quædam uulnera delictorum. Sermones autem cibos esse docet & alibi Salomon, dicens: Faui mellis, sermones boni. In illo ergo horto sermones boni sunt, alius qui culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui mori faciat insolentiam, & uelut sepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus suis renunciat. Est etiam sermo fortior qui confirmat cor hominis ualidioribus scripturæ cœlestis alimentis. Est etiam sermo suasorius, dulcis ut mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungens. Est etiam feruentioris spiritus sermo, qui inebriat sicut uinum, & cor hominis lætificat. Est etiam lacteus sermo, purus & candidus. Hos cibos dulcium utiliumq; sermonum epulandos, sponsus proximis suis dicit. Proximi aũt sunt qui eum sequuntur, & nuptijs eius interfunt. Quo cibo & potu repleta anima (bibit enim unusquisq; aquam de suis uasis, & de puteorũ suorum fontibus) atq; inebriata, seculo dormiebat, uigilabat deo. Et ideo sicut posteriora docẽt, aperiri sibi deus uerbum eius ianuam postulabat, ut eam suo repleret ingressu. Hinc ergo epulatores illi Platonici, hinc nectar illud ex uino et melle prophetico, hinc somnus ille translatus est, hinc uita illa perpetua, quam deus suos dixit epulari, quia Christus uita est. Ideoq; talium sermonũ seminibus animæ eius repletus est uenter, atq; ipsa exiuit in uerbo. Quæ autẽ exit anima seruitio isto, & eleuat se à corpore, uerbum sequitur.

Genes. 2

Cantic. 4

Ibid. 5

Prouer. 16

Omnia hoc in mundo plena esse laqueorum. Cap. VI

Sed sunt principatus aerij, & potestates mũdi, qui nos uelut de muro deijcere animæ, uel impedire rectè gradientes, uel ad altiora tendentes quærunt deponere, & ad terrena reuocare. Sed nos multo magis ad sublimia mentẽ erigamus, uerbum sequentes dei. Illi principatus offundunt secularia, quibus tuam mentẽ incuruent, tu magis ad Christum anima dirige gressus tuos. Inijciunt cupiditatẽ auri, argenti, uicinæ possessionis, ut acquirẽdæ eius gratia excuses à cœna illius qui ad nuptias uerbi te inuitauit. Tu caue ne excuses, sed uestem te indue nuptialem, & utere conuiuio diuitis, ne diues qui te inuitauerat, cum excusaueris tu, dum es secularibus occupatus, alios inuitet, & tu excludaris. Inijciunt etiam honoris appetentiam potestates mundi, ut te extollas sicut Adam: & dum uis adæquari deo similitudine potestatis, diuina præcepta despicias, & quæ habebas incipias amittere. Qui enim non habet, & quod habet auferetur ab eo. Quotiẽs in oratiõe nobis, qua maximè deo appropinquamus, offundunt ea quę plena sunt opprobrij alicuius aut sceleris, quo nos à studio precationis auertant? Quotiens inimicus cordi nostro conat inserere, quo nos reflectat à sanctitatis ꝓposito,

Matt. 22

Ibid. 13

& pijs uotis? Quotiens corporeos inflammat ardores? Quotiens occurſare facit oculos meretricios, quibus caſtũ iuſti tentet affectũ, ut improuiſo amoris ſpiculo feriat imparatum? Quotiẽs inſerit animo tuo uerbum iniquum, & cogitationes cordis abſconditas? de quo tibi dicit lex: Attende tibi ne fiat uerbum abſconditum in corde tuo iniquum, & dicat tibi dominus: Quid cogitas mala in corde tuo? Néue cũ abũdaueris auro & argento, & opimis agrorum fructibus, uel honoribus, dicas: Virtus mea dedit mihi hęc, & obliuiſcaris dominum deum tuũ. His ergo anima quæ cupit euolare, deponitur. Sed tu obluctare quaſi bonus miles Chriſti Ieſu, & inferiora obliuiſcens, terrena deſpiciens, ad cœleſtia & æterna contende. Attolle animam tuã, ne eam illiciat eſca laqueorũ. Voluptates ſeculi, eſcæ quædam ſunt: & quod peius eſt, eſcæ malorum, eſcæ tentationum. Dum uoluptatẽ quæris, laqueos incurris. Oculus enim meretricis laqueus amatoris eſt. Oculus ergo meretricis eſt laqueus. Laqueus eſt etiã ſermo meretricis, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, & poſtea exaſperat eas amaritudine cõſcientię peccatricis. Laqueus eſt aliena poſſeſſio plena amœnitatis. Omne iter iſtius uitæ, plenum laqueorum eſt. Vnde iuſtus dicit: In uia hac qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi. In uia, inquit, hac abſconderũt. Ideo tu illam uiam ambula quę dicit: Ego ſum uia, & ueritas, & uita, ut dicas: Animam meã conuertit, deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum. Moriatur igitur nobis hoc ſeculum, moriatur nobis carnis iſtius ſapientia, quæ inimica eſt deo. Subijciamus animam noſtram ſoli Chriſto, ut dicat unuſquiſq; : Nõnne deo ſubiecta eſt anima mea? Nõ ſeculo ſubdita, nõ mundo, inquit, ſubdita. Non poteſt hoc pecunioſus, non poteſt auarus dicere, ſed dicit iuſtus & continens. Auarus autẽ dicit: Anima, habes multa bona in annos multos poſita, requieſce, manduca, bibe, epulare. quia auari anima ſubdita eſt luxuriæ corporali, iuſti autem anima utitur corpore ut inſtrumento aut organo, quæ uelut præclara artifex quo uult obſequium corporis ducit, & effingit de eo ſpeciem quam elegerit, & eas quas uoluerit facit in eo reſonare uirtutes, pangens nũc modulos caſtitatis, nunc modulos temperantiæ, ſobrietatis carmen, integritatis dulcedinẽ, uirginitatis ſuauitatem, grauitatẽ uiduitatis. Interdum tamen modulator cõpatitur organo ſuo. Et ideo honeſta modulare, ut ſit honeſta compaſſio. Nam & ille qui uidet, uidendo plerumq;, & audiens audiẽdo afficitur. Et ideo dicit ſcriptura: Oculi tui recta uideãt. Et infra: Ne multus fueris ad alienam. Noli intendere in oculos iuuenculæ. Noli intendere in uerba meretricis.

Deut. 13. iuxta 70
Deut. 8
Prouer. 23
Prouerb. 5
Pſalm. 141
Ioann. 14.
Pſalm. 22
Pſalm. 61
Luc. 12
Prouer. 4

Varias huius uitæ eſſe moleſtias. Cap. VII

E T quid de extraneis laqueis loquor? Noſtri nobis laquei ſunt cauendi. In ipſo hoc corpore noſtro laquei circũfuſi nobis ſunt, quos debemus uitare. Nõ credamus nos huic corpori, non miſceamus cum eo animam noſtram. Cum amico, inquit, miſce animam tuam, nõ cum inimico. Inimicum tibi eſt corpus tuũ, quod repugnat menti tuę, cuius opera inimicitię, diſſenſiones, lites, perturbationesq; ſunt. Noli cum eo miſcere animam tuam, ne utrumq; confundas. Nam ſi miſcetur, ergo melior fit caro, quæ inferior eſt, quã anima quæ ſuperior: quia anima uitam corpori tradit, caro autem mortẽ animæ transfundit. Confunditur ergo utriuſq; operatio, confunditur prope ipſa utriuſq; ſubſtantia. Igitur ſuſcipit in ſe anima inſenſibilitatem defuncti corporis, & corpus omnibus animę uirtutibus fungitur. Ac ne forte quia infunditur anima corpori, etiam confundi putetur, exemplum nobis ſit huius luminis gratia. Siquidem & lumen terreno loco infunditur, nec tamen confunditur. Non ſit ergo confuſa operatio, quorũ diſpar ſubſtãtia eſt: ſed ſit anima in corpore ut uiuificet corpus hoc, gubernet, illuminet. Negare tamen non poſſumus quod compatiatur corpori ſuo, nam & cõtriſtatur. Siquidem Ieſus ait: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem: affectum hominis in ſe exprimens. Et alibi: Anima mea turbata eſt. Siquidem & modulator modulis ſuis, aut tibiæ, aut citharæ, aut organi uoce, geſtu, affectuq; compatitur. In triſtibus ſonis triſtior, in lætis lætior, in acutioribus excitatior, in ipſis mitioribus mitior atq; manſuetior, ut ſonos cantuum ipſe commendet & quodammodo moduletur affectus. Anima quoq; in hoc corpore tanquam in fidibus muſicis, quæ ſobria eſt, cum ſummis, ut ita dicam, digitis uelut neruorum ſonos ita pulſat carnis paſſiones, ut conſonum reddat morum atq; uirtutum conſentientemq; concentum, ut in omnibus cogitationibus ſuis, in omnibus operibus id cuſto-

Matth. 26
Pſalm. 6

id custodiat, ut omnia cõsilia & facta sibi concinant. Anima est ergo quæ utitur, corpus quod usui est: ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio: aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si quis animæ pulchritudinẽ diligit, nos diligit: si quis corporis decorẽ diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quę tamen cito marcescit & defluit. Vnde illi intende, de quo dicit Propheta: Qui nõ accepit in uanum animam suam. In uanum accipit animam suam, ut iam de huius uitæ dicamus molestijs, qui secularia struit, ædificat corporalia. Quotidie ad edendum & bibendum surgimus, & nullus expletur, ut non post momentum esuriat ac sitiat. Quotidie lucrũ quærimus, & nullus cupiditati modus ponitur. Nõ satiabitur, inquit, oculus uisu, nec auris auditu. Qui diligit argentũ, non satiatur argento. Nullus finis laboris, & nullus est fructus abundantiæ. Cupimus quotidie scire noua. & quid est ipsa scientia, nisi quotidiani dolo ris adiectio? Omnia quæ sunt iam fuerunt, & nihil sub sole est nouũ, sed omnia uanitas. Totam uitam odio habui, dixit Ecclesiastes. Qui uitam odio habuit, utiq; mortem prædicauit. Deniq; mortuos laudauit magis quàm uiuentes: & illum iudicauit beatum, qui in hanc uitam non uenit, nec inanem hunc susceptt laborem. Circuiuit, inquit, cor meũ ut scirem impij lætitiam, & ut considerarem & quærerem sapientiam & numerum, & ut scirem impij lætitiam & molestiam & iactationem, & inueni ego eam amariorẽ quàm mortem: non quia amara sit mors, sed quia impio amara: & tamen amarior uita q̃ mors. Grauius est enim ad peccatum uiuere, quàm in peccato mori: quia impius quàm diu uiuit, peccatũ auget: si moriatur, peccare desinit. Pleriq; criminũ suorũ absolutione lętant. Si emendaturi sunt, rectè: si perseueraturi in eis, stultè: quia lõge illis plus damnatio prosuisset, ne incrementa facerent peccatorum. De quo sublimis est sententia Apostoli dicentis, Quòd non solum ij qui flagitiosa agunt, sed etiam qui ea approbant, digni morte sunt: sed illos qui talia condemnant in alijs qualia ipsi agũt, inexcusabiles haberi, & sua damnatos sententia. Cũ enim alios condemnant, seipsos cõdemnant. Nec sibi eos blandiri oportere, quia pœnarũ ad tempus immunes uidentur, & exortes reatus, cum grauiores pœnas intra se luant, & sibi rei sint, qui alijs non uidentur, atq; in se intorqueant grauiorem conscientiæ sententiam, cum de aliorũ peccatis iudicant. Sed noli, inquit, ô homo diuinæ bonitatis & patientiæ thesauros contemnere. Bonitas enim dei ad pœnitentiam te prouocat, ad correctionem inuitat: duritia aũt tua qua in erroris pertinacia perseueras, futuri iudicij auget seueritatem, ut dignam retributionẽ tuorũ accipias delictorum. Non igit̃ mors malum. Nam neq; apud uiuentes mors est, neq; apud defunctos. Apud alios enim non est, quia adhuc uiuunt, alij transierunt. Itaq; neque apud eos mala est qui eam adhuc nesciunt, hoc ipso quia nesciunt: neq; apud eos qui iam & secundum corpus nihil sentiunt, & secundũ animam liberati sunt.

Psalm. 23 Eccles. 1 Ibid. 4 Ibid. 7 Rom. 1 Ibid. 2

Mortem ipsam non esse terribilem, sed opinionem de morte. Cap. VIII

Quod si terribilis apud uiuentes æstimatur, nõ mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, quam unusquisq; pro suo interpretat̃ affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Suæ igitur unusquisq; conscientiæ uulnus accusat, non mortis acerbitatem. Deniq; iustis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè ijs quibus grauis est timor mortis, non est graue mori, sed graue est uiuere sub metu mortis. Non ergo mors grauis, sed metus mortis. Metus aũt opinionis est, opinio uero nostræ infirmitatis, contraria ueritati. Nam per ueritatem uirtus, per opinionem infirmitas. Opinio aũt non mortis utiq;, sed uitæ est. Ergo illud graue uita magis inuenitur esse. Liquet igitur quia mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad uitam. Non eñ habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, uita nostra cõmisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt, delicta autem non mortuorum actus sunt, sed uiuentium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est, mors autem nihil ad nos. Est enim separatio animæ & corporis. Anima absoluitur, corpus resoluitur. Quæ absoluit̃, gaudet: quod resoluitur in terram suam, nihil sentit: quod nihil sentit, nihil agnoscit. Tamen si mors malum, quomodo iuuenes non timent fieri senes, nec finitimam mortis uerentur ætatem? Patientiusq; deficit qui præsumpta morte deficit, quàm qui inopinata. His quoque qui mortem malum putant, aptum responsum arbitror, quia per uitam ad mortem est transitus, per mortem autem ad uitam reditus.

Neq;

Neq; enim nisi qui mortui fuerint, possunt resurgere. Insipientes autem mortem quasi summum malorum reformidant, sapientes quasi requiem post labores & finem malorum expetunt. Duabus autem ex causis mortem insipientes uerentur. Vna, quòd eam interitum appellant. interitus autem hominis esse non potest, cum anima superstes corpori sit, saluo eo quod ipsum corpus maneat resurrectio. Altera autem causa, quod pœnas reformident, poetarum uidelicet fabulis territi, latratus Cerberi, & Cocyti fluminis tristem uoraginem, & Charontem tristiorem, furiarum agmina, aut prærupta tartara, in quibus Hydra sæuior sedem habeat. Tityi quoq; uiscera reparandis fœcunda supplicijs, quæ uultur immanis sine ullo fine depascitur. Ixionij quoque orbis perpetuam sub pœnæ atrocitate uertiginem, et saxi desuper imminentis super capita accubantium interepulas impendentem ruinam. Hæc plena sunt fabularum: nec tamen negauerim pœnas esse post mortem. Sed quid ad mortem id quod post mortẽ est? Si autem quæ post mortem sunt, referantur ad mortem: eadem etiam quæ post uitam sunt, referantur ad uitam. Nulla ergo erũt supplicia quæ referantur ad mortem. Mors enim, ut suprà diximus, ab-
Philip. 1 solutio est & separatio animæ & corporis. Non est autem mala solutio, quia dissolui &
Psal. 33 esse cum Christo multo melius. Non igitur mala mors. Denique mors peccatorũ pessima. Non utique mors pessima generaliter, sed pessima specialiter peccatorum. Denicp pretiosa iustorum. Vnde liquet acerbitatem non mortis esse, sed culpæ. Pulchrè autem Græci à fine mortem appellauerunt. τελευτὴν enim morrẽ appellant, eò quòd finis istius
Ioan. 11 uitæ sit. Sed etiam somnum scriptura nuncupat mortem, sicut est illud: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut suscitem eum. Somnus autẽ bonus, quoniam quies est, sicut
Psalm. 3 scriptum est: Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam dominus suscepit me. Dulcis igitur quies mortis. Denique dominus suscitat quiescentes, quia dominus est resur-
Eccl. 11 rectio. Illud quoque egregium, quod ait scriptura: Ante mortem non laudaueris quenquam. Vnusquisque enim in nouissimis suis cognoscitur, & in filijs suis æstimatur, si bene filios suos instituit, & disciplinis competentibus erudiuit. Siquidem ad negligẽtiam patris, refertur dissolutio filiorum. Tum quia unusquisque quàm diu uiuit, obnoxius est
Genes. 25 lapsui, nec senectus immunis à crimine: ideo legis quia Abraham mortuus est in senectute bona, eò quòd in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur uitæ est testimonium. Nam si laudari ante gubernator non potest, quàm in portum nauem deduxerit: quomodo laudabis hominẽ prius quàm in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse uitæ huius iactat profundo. Quamdiu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendij mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est. Quantum autem morti dedit sanctus Iob, qui
Iob 29 dixit: Benedictio morituri in me ueniat. Nam etsi Isaac benedixerit filios suos moriens, & Iacob benedixerit patriarchas, tamen benedictionis illius gratia poterat solis benedicentium meritis deputari, uel pietati paternæ. Hic uerò nulla prærogatiua meritorũ est, nulla pietatis, sed solius mortis priuilegium: cum benedictio huiusce morituri tantum uirtutis habeat, ut eam sibi sanctus propheta optauerit. Ac per hoc cogitemus semper hunc uersiculum, & corde teneamus. Si quem uiderimus pauperem moriturũ, sumptu iuuemus, & dicat unusquisque nostrum: Benedictio morituri in me ueniat. Si quem uiderimus debilem, non deseramus. si quem in extremis positum, non relinquamus. occurrat & nobis dicere: Benedictio morituri in me ueniat. Laudet & te unusquisq; moriturus, unusquisque depositus æuo, unusquisque confectus uulnere graui, unusquisque morbo absumptus, et iam morti proximus. Hic uersiculus quantos benedici fecit? quotiens mihi pudorem incussit si moriturum præterij, si non uisitaui grauiter ægrum, si fastidiui inopem, si captiuum non redemi, si senem spreui? Sit ergo in corde id semper: ut
Prou. 24 stimulet duriores, ut admoneat promptiores. Resonent te postrema uerba morituri, &
Iob 29 benedictionẽ tui egrediens corpore anima secum uehat. Eripe etiã eum qui ad mortem ducitur, qui periturus erat nisi tu subueniisses, ut dicas:

Benedictio morituri ueniat in me.

Animam

Animam non interire cum corpore. Cap. IX

Vis igitur dubitet de bono mortis, cum id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, id quod uiolentum, id quod procellosum, & ad omnia uitia illecebrosum est, conquiescat & iaceat, & quasi ferrea cauea claudatur sepulchri, relinquatur rabies eius exanimis, & emortua compago uisce rum in terram resoluatur: id aũt quod familiare uirtutibus, amicũ disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, deo subditum est, ad illud sublime euolet, & cum illo puro & perpetuo bono atq; immortali maneat, ipsi adhæreat, & cum ipso sit de quo cognationem ducit, ut quidam ait: Cuius & genus sumus? Non enim mori animam cum corpore manifestum est, quia non est de corpore. Non esse autem eam de corpore, scriptura multis modis edocet. Nam & Adam à domino deo nostro accepit spiritũ uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Et Dauid ait: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Et in quo benefecerit, audi. Quia liberauit, inquit, pedes meos à lapsu. Vides gratulari eum mortis huius remedio, quia finis factus est erroris, quia culpa non natura defecit. Denique quasi exutus & liber, dicit: Placebo domino in regione uiuorum. Illa est enim uiuorum regio. Denique illam animarum requiem, dicit terram esse uiuentium, quò peccata non penetrant, ubi uirtutum uiuit gloria. Ista autem regio plena est mortuorum, quia plena delictorum: meritoq; dictum est, Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Sed & suprà similiter ait: Anima eius in bonis demorabitur, et semen eius hæreditabit terram. hoc est: Anima timentis deum habitabit in bonis, ut semper in eis sit, & secundũ ea. Quod potest etiam de eo accipi qui sit in corpore, ut & ipse si timeat deum, in bonis habitet, & in cœlestibus sit, & possideat corpus suum, & dominetur ei quasi in seruitutẽ redacto, & possideat hæreditatẽ gloriæ & cœlestiũ promissorum. Vnde & nos si uolumus post mortẽ corporis huius in bonis esse, caueamus ne agglutinetur anima nostra huic corpori, ne cõmisceatur, ne inhæreat, ne trahatur à corpore, & tanq; ebria perturbationibus eius uacillet & fluitet, ne se ei credat atq; eius delectationibus, ut cõmittat se eius sensibus. Nam & oculus eius error & fraus est, quia fallitur uisus: & auris eius deceptio est, quia & auditus illuditur: & sapor eius deceptio est. Denique nõ ociose dictũ est: Oculi tui recta uideant, & lingua tua nõ loquat̃ peruersa. Quod nõ esset dictũ, nisi frequenter errarẽt. Vidisti meretricem, captus es uultu eius, & forma decoram putasti: errauerunt oculi tui, peruersa uiderunt, alia nunciauerunt. Nam si uerè uidissent, uidissent deformem meretricis affectũ, inhorrentem procaciam, indecentẽ impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluuionem, animæ uulnera, conscientiæ cicatrices. Qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam. Vides quòd iste falsum quæsiuit, qui non ueritatem sed adulterium requisiuit. Videre enim quæsiuit ut concupisceret, nõ ut uerum cognosceret. Errat igitur oculus, ubi errat affectus. Affectus ergo deceptio est: deceptio uisus. Et ideo tibi dicitur: Ne capiaris oculis tuis, id est, non capiatur anima tua. Mulier enim uirorũ precios as animas capit. Deceptio est auditus: Denicq; blandimento multo sermonis mulier fornicaria sępe iuuenis cor seduxit, decepit, illusit. Ergo nõ laqueis nos credamus & retib. ijs quæ decipiũt & illudunt, quia corda tentant̃, impediunt̃ cogitatiões, quę impediunt̃ uisu, impediunt̃ auditu, odore, tactu, sapore. Nõ sequamur illecebrosa & seductoria, sed sequamur illud quod bonũ est: illi adhæreamus, illud imitemur. illius præsentia, illius cõmunicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quędã nos societas informet. Qui enim bono adhæret, assumit inde quod bonum est, quia scriptũ est: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruersus eris, & cum innocente innocens eris. Assiduitate enim atq; imitatione quædam similitudinis imago formatur. Ideoq; addidit: Quoniam tu illuminas lucernam meam domine. Etenim qui appropinquat lumini, citius illuminatur, & plus in eo splendor æterni luminis refulget è proximo. Ergo anima illa quæ adhæret inuisibili bono deo atq; immortali, & ipsa corporea hæc fugit, & terrena & mortalia derelinquit, fitq; illius similis quod desiderat, in quo uiuit & pascitur: & quia immortali intendit, non est ipsa mortalis. Quæ enim peccat moritur, non utiq; aliqua sui dissolutione, sed merito moritur deo, quia uiuit peccato. Ergo quæ non peccat, non moritur, quia manet in substantia sui, manet in uirtute & gloria. Nam quomodo substantia eius interire potest, quum utique anima sit quæ

Act. 17

Psal. 114

Matth. 8

Psal. 24

Prou. 4

Matth. 5

Prouer. 6

Psalm. 17

sit quæ uitam infudit? Et cui anima infunditur, uita infunditur: à quo anima discedit, uita discedit. Anima ergo uita est. Quomodo enim potest mortẽ recipere, cum sit contraria? Sicut ẽm nix calorẽ non recipit, nam statim soluit, & lux non recipit tenebras, nam statim discutit: infuso enim lumine, tenebrarũ horror aufertur, sicut admoto igne niuiũ rigor desinit: ita & anima quę uitam creat, mortem non recipit, nec moritur.

Animam non mori cum corpore, scripturæ testimonijs cõprobatur. Cap. x

Abemus ergo rationẽ: sed hæc humana, illud diuinũ, quod ait dominus: Po
Ioan. 10 H testatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterũ sumendi eam. Vides igitur quia non moritur cum corpore, quæ & ponitur & resumitur, & in manus dei patris cõmendatur? Sed ne fortè dicas speciale esse quod Christi est, & quamuis ille quæ sunt hominis susceperit, tamen quia alterius est causa & istud a-
Luc. 12 struere, ne tempus crastinetur, audi dicentem: Quid scis an nocte hac à te tua anima reposcatur? Nunquid dixit, moriatur in te anima tua? Non. Sed reposcatur à te. Quæ data est, reposcitur, uel repetunt à te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, nõ manet. Quomodo enim interimit, de qua dixit sapien-
Matt. 10 tia dei, nõ timendũ quanquam qui potest corpus occidere, animam aũt non potest? De
Psalm. 118 qua dicit Propheta: Anima mea in manib. tuis semper. Semper, inquit, non in tempore. Et tu cõmenda animam tuam in manus domini, non solum cum recedit è corpore, sed etiam cum est in corpore, est in manibus domini, quia non uides eam unde ueniat, aut
Prouer. 20 quò uadat. Est & in te, & est cum deo. Denicp cor regis in manu domini, & ab eo regitur & gubernatur. Cor repletur mente, & mens animæ principale est, & uirtus animæ est. Nõ eam uirtutẽ dico quæ in lacertis, sed quæ in consilijs, tẽperantia, pietate, atcp iustitia est. Si cor hominis in manu domini, multo magis anima. Si anima in manu dei est, nõ utique anima nostra sepulchro simul cum corpore includitur: nec busto tenet, sed quiete pia fungit. Et ideo homines frustra preciosa struunt sepulchra, quasi ea animæ, & nõ solius corporis receptacula sint. Animarũ aũt superiora esse habitacula, scripturę testimo-
4. Esdræ 7 nijs ualde probatur. Siquidem & in Esdrę libris legimus: Quia cum uenerit iudicij dies, reddet terra defunctorum corpora, & puluis reddet eas quæ in tumulis requiescunt reliquias mortuorũ. Et habitacula, inquit, reddent animas quæ his cõmendatæ sunt, & reuelabitur altissimus super sedẽ iudicij. Hæ sunt habitationes de quibus dicit dominus, mul-
Ioan. 14 tas mansiones esse apud patrẽ suum, quas suis pergens ad patrem discipulis præpararet. Sed Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant Gentiles ea quæ in Philosophię libris miran tur, translata de nostris. Atcp utinam non superflua his & inutilia miscuissent, ut dicerẽt animas hominũ pariter ac bestiarum esse cõmunes, earumcp summum præmium, si magnorum philosophorũ animæ in apes aut luscinias demigrarent: ut qui ante hominũ genus sermone pauissent, postea mellis dulcedine, aut cantus suauitate mulcerẽt. Satis fuerat dixisse illis quod liberatæ animæ de corporibus ἀϊδίῳ peterent, id est locum qui non uidetur, quem locũ Latine infernũ dicimus. Denicp & scriptura habitacula illa animarũ promptuaria nuncupauit: quę occurrens querelę humanæ, eò quòd iusti qui præcesse-
4. Esdr. 5 runt uideantur usqp ad iudicij diem, per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait coronæ esse similem illum iudicij diem, in quo sicut nouissimorũ tarditas, sic nec priorũ uelocitas. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem & uicti erubescant, & uictores palmam adipiscantur uictoriæ. Illud quoqp nõ reliquit occultũ, quòd superiores uideant qui antè generati sunt, infirmiores qui postea. Comparauit enim utero mulieris partus huius seculi: quoniam fortiores sunt qui in uirtute iuuentutis nati sunt, infirmiores qui tẽpore senectutis. Deficit enim multitudine generationis hoc seculum tancp uulua generantis, & tancp senescens creatura robur iuuẽtutis suæ, uelut marcenti iam uirium suarum uigore deponit. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria: & tamen nec illæ interim sine iniuria, nec istę sine fructu sunt. Nam & illę uidentes seruantibus legem dei repositam esse mercedem glorię, conseruari earum ab angelis habitacula, sibi autem dissimulationis & contumaciæ supplicia futura, & pudorẽ & confusionẽ, ut intuentes gloriam altissimi, erubescant in eius conspectum uenire, cuius mandatũ temerauerũt. Sicut enim præuaricatio Adæ, ita & cõfusio:

quoniam

quoniam ſicut ille per incuriam mandatorum cœleſtium lapſus eſt, & pudore ſe prolapſionis abſcõdit, fulgorem diuinæ præſentię uerecundia peccatricis conſcientię ſubire non auſus: ita & animę peccatorum uibrantis luminis eius ſplendorem non ſuſtinebũt, quo teſte ſe reminiſcentur erraſſe.

Quæ ſit animarum poſt hanc uitam futura lætitia. Caput II

1 Vſtarum autem animarum per ordines quoſdam digeſta lætitia. Primum quod uicerit carnem, nec illecebris eius inflexæ ſint. Deinde, quod precio ſedulitatis & innocentiæ ſuæ ſecuritate potiantur, nec quibuſdã ſicut impiorum animæ erroribus & perturbationibus implicentur, atq; uitiorum ſuorũ memoria torqueantur, & exagitentur quibuſdam curarũ æſtibus. Tertio, quod ſeruatæ à ſe legis diuino teſtimonio fulciantur, ut factorum ſuorum incertũ ſupremo iudicio non uereantur euentum. Quarto, quia incipiunt intelligere requiem ſuam, & futuram ſui gloriam præuidere, eaq; ſe conſolatione mulcentes, in habitaculis ſuis, cũ magna tranquillitate requieſcent, ſtipatæ præſidijs angelorum. Quintus autem ordo, exultationis uber rimæ habet ſuauitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemq; peruenerint, & repromiſſam ſibi poſſideant hæreditatem. Eſt enim ordo quietis, quia eſt & reſurrectionis. Sicut enim in Adã omnes moriuntur, ita & in Chriſto, inquit, omnes uiuificabuntur. Vnuſquiſq; autem in ordine ſuo, primitiæ Chriſtus: deinde qui ſunt Chriſti, qui in aduentũ eius crediderunt, deinde finis. Erit igitur ordo diuerſus claritatis & gloriæ, ſicut erit ordo meritorum. Proceſſus quoq; ordinum, proceſſum exprimit claritatis. Deniq; ſexto ordine demonſtrabitur ijs quod uultus earum ſicut ſol incipiat refulgere, & ſtellarum luminibus cõparari: qui tamen fulgor earum corruptelã iam ſentire non poſſit. Septimus uero ordo his erit, ut exultent cum fiducia, & ſine ulla cunctatione confidant, & ſine trepidatione lætentur, feſtinantes uultum eius uidere, cui ſeruitutis obſequia detulerunt: de quo innoxiæ conſcientiæ recordatione præſumant glorioſam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, cognoſcent indignas eſſe huius temporis paſſiones, quibus remunerationis æternæ gloria tanta refertur. Hic ordo, inquit, animarum, quæ ſunt iuſtorum, quos etiam immortales non dubitauit dicere in quinto ordine, eo quod ſpatium, inquit, incipiũt recipere fruentes & immortales. Hæc eſt, inquit, requies earũ per ſeptem ordines, & futuræ gloriæ prima perfunctio, priuſquam in ſuis habitationibus quietæ congregationis munere perfruantur. Vnde ait propheta ad angelum: Ergo dabitur tempus animabus poſtquã ſeparatę fuerint de corpore, ut uideãt de quo modo dixiſti? Et dixit angelus: Septem dies erit libertas earum, ut uideant in ſeptem diebus qui prędicti ſunt ſermones, & poſtea congregabuntur in habitaculis ſuis. Hæc ideo plenius de iuſtorum ordine expreſſa ſunt, quàm de paſſionibus impiorum: quia melius eſt cognoſcere quomodo innocentes ſaluentur, quàm quomodo crucientur flagitioſi. Ergo quia iuſti hãc remunerationem habent, ut uideãt faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem, abhinc induamus huiuſmodi ſtudium, ut appropinquet anima noſtra Deo, appropinquet oratio, adhæreat illi noſtrum deſiderium, non ſeparemur ab eo. Et hic quidem poſiti, meditando, legendo, quærendo copulemur Deo, cognoſcamus eum ut poſſumus. Ex parte enim hic cognoſcimus, quia hic imperfecta, illic perfecta omnia: hic paruuli, illic robuſti. Videmus, inquit, nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc reuelata facie gloriam Dei ſpeculari licebit, quam nunc animæ corporis huius concretis uiſceribus inuolutæ, & quibuſdam carnis huius maculis & colluuionibus obumbratę ſyncerè uidere non poſſunt. Quis enim, inquit, uidebit uultum meum & uiuet? Et recte. Nam ſi ſolis radios oculi noſtri ferre non poſſunt, & ſi quis diutius è regione in ſolem intenderit, cæcari ſolere perhibetur. ſi creatura creaturam ſine fraude atq; offenſione ſui non poteſt intueri: quomodo poteſt ſine periculo ſui uibrantem cernere uultum creatoris æterni, corporis huius opertus exuuijs? Quis enim iuſtificatur in conſpectu Dei, cum unius quoq; diei infans mundus à peccato eſſe nõ poſſit, & nemo poſſit de ſui cordis integritate & caſtimonia gloriari? Non timeamus igitur recipi ab hominibus, nõ uereamur illum debitum omnibus finem, in quo Eſdras remunerationem ſuæ deuotionis inuenit, dicente ei domino: Tu enim recipieris ab hominibus, & conuerſaberis reſiduum cũ fi-

1.Corint.15

4.Eſdræ

1.Corint.13

Exod.33

Iob 15

lio meo, & cum similibus tuis. Quod si illi glorioſum & iucundum erat cum ſimilibus conuerſari, quanto nobis glorioſius erit & iucundius ad meliores pergere, & conuerſari cum ijs quorũ facta miramur? Quis itaq; prior, Eſdras, an Plato? Nam Paulus Eſdræ, non Platonis ſecutus eſt dicta. Eſdras reuelauit ſecundum collatam in ſe reuelationem, iuſtos cum Chriſto futuros, futuros & cum ſanctis. Hinc & Socrates ille feſtinare ſe dicit ad illos ſuos deos, ad illos optimos uiros. Noſtra ſunt utiq; quę in philoſophorum literis præſtant. & ille poſuit ea quorum proprium teſtimonium non habebat: nos diuini
Matth. 17 præcepti habemus authoritatem. Moyſes & Helias cũ Chriſto apparuerunt, Abraham
Geneſ. 18 duos alios cum Deo ſuſcepit hoſpitio, Iacob Dei caſtra cõſpexit, Daniel iuſtos ſicut ſo-
& 32 lem & ſtellas fulgere in cœlo, reuelante ſibi ſpiritu ſancto, declarauit.
Danie. 12

De felicitate regni æterni, & quibus modis eò contendere debeamus. Caput XII

Is igitur freti, intrepide pergamus ad redemptorem noſtrũ Ieſum, intrepide ad patriarcharum concilium, intrepide ad patrem noſtrũ Abraham, cum dies aduenerit, proficiſcamur: intrepide pergamus ad illũ ſanctorũ cœtũ, iuſtorumq; conuentum. Ibimus enim ad patres noſtros, ibimus ad illos noſtræ fidei præceptores, ut etiam ſi opera deſint, fides opituletur, defendat hæreditas. Ibimus & ubi ſi-
Luc. 16 num ſuum Abraham ſanctus expãdit, ut ſuſcipiat pauperes, ſicut ſuſcepit & Lazarum: in quo ſinu requieſcunt, qui in hoc ſeculo grauia atq; aſpera pertulerunt. Sed nũc pater etiam atq; etiam extende ad ſuſcipiendum hinc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expande ſinus tuos ut plures ſuſcipias, quia plurimi in Deum crediderunt. Sed ta-
Matth. 24 men quamuis fides creuerit: abũdat iniquitas, refrigeſcit charitas. Ibimus ad eos qui re-
& 22 cumbunt in regno Dei cum Abraham, Iſaac & Iacob: qui rogati ad cœnam non excuſa-
Luc. 10 uerunt. Ibimus eò ubi paradiſus eſt iucũditatis, ubi Adam qui incidit in latrones, neſcit iam uulnera ſua flere, ubi & latro ipſe regni cœleſtis conſortio gratulatur, ubi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruſcationes, nulla uentorum procella, neq; tenebræ, neque ueſper, neq; æſtas, neq; hyems uices uariabunt temporum. Non frigus, non grando, non pluuiæ, non ſolis iſtius erit uſus, aut lunæ, neq; ſtellarum globi, ſed ſola Dei fulgebit cla-
Ioann. 1 ritas. Dominus enim erit lux omniũ, & illud lumen uerum quod illuminat omnem hominem, fulgebit omnibus. Ibimus eò ubi ſeruulis ſuis dominus Ieſus mãſiones parauit: ut ubi ille eſt, & nos ſimus. Sic enim uoluit. Quæ ſint illæ manſiones, audi dicentem: In
Ioann. 14 domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quæ ſit uoluntas, iterum, inquit: Venio & accerſo uos ad meipſum, ut ubi ego ſum & uos ſitis. Sed dices quia ſolis diſcipulis loquebatur, quod ipſis ſolis ſpoponderit. multas manſiones igitur undecim tantum diſcipulis præparabat? Et ubi eſt illud, quod ex omnibus mũdi partibus uenient & recumbent in Dei regno? Vnde uolũtatis diuinæ, dubitamus effectus? Sed Chriſti uelle, feciſſe eſt. Deniq; demonſtrauit & uiam, demonſtrauit & locum, dicens: Et quo uado, uos ſcitis, & uiam ſcitis. Locus apud patrem eſt, uia Chriſtus eſt, ſicut ipſe ait: Ego ſum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem niſi per me. Ingrediamur hanc uiam, teneamus ueritatem, uitam ſequamur. Via eſt quæ perducit, ueritas quæ confirmat, uita quæ per ſe red-
Ioann. 17 ditur. Et ut ſciamus ueram uoluntatem, addidit in poſterioribus: Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut uideant claritatem meã. Repetitio iſta con-
Eſaiæ 43 firmatio eſt, ſicut illud Abraham, Abraham. Et alibi: Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas. Pulchre autem quod ſupra promiſit, hic popoſcit. Et quia ante promiſit, & ſic popoſcit, non ante popoſcit, & ſic promiſit: promiſit quaſi arbiter muneris, conſcius poteſtatis, popoſcit à patre quaſi pietatis interpres. Et ante promiſit, ut poteſtatem cognoſcas: popoſcit poſtea, ut pietatem intelligas. Non popoſcit ante & ſic promiſit, ne uideretur promiſiſſe potius quod impetrauerat, quàm quod promiſerat præſtitiſſe. Nec ſuperfluum putes quod popoſcit, cum tibi exprimat paternæ uoluntatis conſortium, in quo unitatis indicium, nõ incrementum eſt poteſtatis. Sequimur te domine Ieſu, ſed ut
Ioann. 14 ſequamur accerſi, quia ſine te nullus aſcendit. Tu enim uia es, ueritas, uita, poſſibilitas, fides, præmium. Suſcipe nos quaſi uia, confirma quaſi ueritas, uiuifica quaſi uita. Pande illud tuum bonum, quod uidere deſiderabat Dauid, inhabitãs in domo domini, ideoq;
Pſalm. 4 dicebat: Quis oſtendit nobis bona? Et alibi: Credo uidere bona domini: in terra uiuen-
Pſalm. 26 tium. Ibi enim ſunt bona, ubi uita perpetua eſt, uita ſine crimine. Alibi quoq; ait: Replebimur

bimur in bonis domus tuæ. Quod ideo frequentauit, ut scires hinc bonum illud philosophos transtulisse, quod summum asserunt. Pande ergo illud uere bonum tuum illud diuinum, in quo & uiuimus, & sumus, & mouemur. Mouemur quasi in uia, sumus quasi *Act. 17*
in ueritate, uiuimus quasi in uita æterna. Demonstra nobis illud bonum quod est simile sui, semper indissolubile atq; immutabile, in quo simus æterni, in agnitione omnis boni, *Ad Philem.*
sicut uas electionis tuæ Paulus testificatus est dicens: Forsitan enim ideo discessit ad horam, ut æternum illum reciperes. Aeternum ergo ministrum Dei dixit, scribens ad Philemonem, cuius fidem in agnitionem omnis boni quod in sanctis est, in Christū Iesum euidentiorem fieri postulabat. In quo bono est requies pura, lux immortalis, gratia perpetua, hæreditas animarum pia, & secura tranquillitas, nō morti subiecta, sed erepta de morte, ubi nullæ lachrymę, nullus est fletus. Vnde enim illic fletus, ubi nullus est lapsus? ubi sunt sancti tui erroribus & solicitudinibus, insipientia atq; ignorātia, timore ac metu, cupiditatibus atq; corporeis colluuionibus & passionibus absoluti, ubi regio uiuentium? Et ut assertioni huic adiūgamus authoritatem, de quo bono propheta dicit: Con- *Psalm. 114*
uertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi: quoniam eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu: Placebo domino in regione uiuorum. Placebo dixit, non placeo, hoc est, de tempore sibi blanditur futuro. Contraria sunt autem præsentibus futura, & temporalibus æterna. Et ideo quoniam ibi uiuorum regio, hic utiq; mortuorum. An nō mortuorum hęc regio, ubi umbra mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mortis? Deniq; donatur Petro, ne fortè portæ inferi *Matth. 16*
præualeant ei. Portæ inferi istæ sunt terrenæ. Vnde & ille ait: Qui exaltas me de portis *Psalm. 9*
mortis. Sicut enim sunt portæ iustitiæ, in quibus sancti domino confitentur, ita sunt crīminum portæ, in quibus impij dominum negant. Audi quoniam regio ista sit mortuorum. Si quis igitur mortuum tetigerit, immundus erit. Immūdus autem in cōspectu do- *Num. 19*
mini omnis iniquus. Si quis igitur tetigerit iniquitatem, immundus: & si quis in delicijs mortuus, quoniam quæ in delicijs est, uiuens mortua est. Et qui infideles sunt, descen- *1. Tim. 5*
dunt in infernum uiuentes: etsi nobiscū uidentur uiuere, sed in inferno sunt. Si quis usu- *Psalm. 54*
ram accipit, rapinam facit, uita non uiuit, ut habes in Ezechiel. Si quis autem iustus iu- *Ezech. 33*
stificationes domini custodit ut faciat eas, uita, inquit, uiuet, & uiuet in eis. Ipse est ergo in regione uiuorum, in illa regione ubi uita non est abscondita, sed libera: ubi non umbra, sed gloria. Hic enim nec ipse Paulus uiuebat in gloria. Deniq; in corpore mortis ingemiscebat. Audi dicentem: Nunc enim uita nostra abscōdita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit uita nostra, tūc & nos cum illo apparebimus in gloria. *Coloss. 3*
Festinemus ergo ad uitam. Si quis uitam tangit, uiuet. Deniq; tetigit illa mulier quæ te- *Luc. 8*
tigit fimbriam eius, & à morte dimissa est, cui dicitur: Fides tua te saluā fecit, uade in pace. Si enim qui mortuum tangit, immundus est: sine dubio qui uiuentem tangit, saluus est. Quęramus ergo uiuentem. Sed iterum uideamus ne eum quęramus inter mortuos, & dicatur nobis sicut & mulieribus illis: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Nō est *Lucæ 24*
hic, sed surrexit. Ipse quoq; dominus ubi se quæri uellet ostendit, dicēs: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meū, & ad patrem uestrum, Deū meum, & Deum *Ioann. 20*
uestrum. Ibi ergo quæramus eum, ubi quæsiuit Ioannes, & inuenit. Ille eum in principio quæsiuit, & inuenit uiuentem apud uiuentem, filium apud patrem. Nos eum in temporum fine quæramus, & complectamur pedes eius, & adoremus eum, ut dicat & nobis: Nolite timere, id est, nolite timere à peccatis seculi, nolite timere ab iniquitatibus mundi, nolite timere à fluctibus corporaliū passionum, ego sum peccatorum remissio: noli- *Marc. 6*
te timere à tenebris, ego sum lux: nolite timere à morte, ego sum uita. Quicunq; ad me uenit, mortem non uidebit in æternum: quoniam ipse est plenitudo diuinitatis, & ipsi est gloria, decus, perpetuitas à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

CAPITA LIBRI DE SANCTO IOSEPH.

Cur post tractatũ de Abraham, Isaac, & Iacob, historiã de sancto Ioseph author prosequi curauerit. Et qua ratione idem sanctus nobis tanquã speculũ castitatis propositus esse debeat: unde etiã à parẽtibus plus quàm cæteri filij fuerit dilectus. Quodq; ea res inuidiæ causa fuerit. Cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus. Caput I

Qualis esse debeat affectus parentum, filiorumq; gratia. Et qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit, quia cæteris hunc puerum præferebat, in quo & gratia diuina per uisum somniorum refulsit. Quid præterea somnia ista, patrisq; obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, significent. Caput II

Quòd tanto somnio non incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui futuræ incarnationis mysteria uidens, filium mittebat ad fratres. Et de præuisione ipsius Ioseph à fratribus antequam ad illos appropinquaret, eorundemq; ad occidendum ipsum cõsilio: eiusdem quoq; liberatione ac uenditione. Et de istorum aliorumq; circa hæc concurrentium mysterio. Caput III

De uenditi Ioseph ductione in Aegyptum, atq; eius emptione à præposito cocorum, quidq; hoc significet. De seruitutis præterea ipsius mystica atque morali interpretatione. Caput IIII

De singulari cõmendatione speciositatis & decoris, castitatis ac pudoris sancti Ioseph, eiusq; impetitione à domina sua ad cõcubitum, & eiusdẽ adulteræ telis. Ipsius quoq; Ioseph recusatione, fuga, uestis relictione, accusatione, incarceratione, atq; uisitatione diuina. Caput V

De inuectione in mulierem. Et de spadonibus etiã illatæ iniuriæ authoribus, quàm fragilis & tenuis sit eorum status, ipsorumq; offensione, incarceratione, somniorum uisione, & eorundem per sanctũ Ioseph interpretatione. Et quemadmodum omnis potentia, magnificentia, & gloria huius seculi nihil aliud sit quàm somniũ. De mysterio præterea Hebræi somnium interpretantis, ac reprehensione spadonis immemoris & obliti interpretis sui. De fastu deniq; & fragilitate ministrorum regalium. Caput VI

De liberatione sancti Ioseph, & honoris delatione ob interpretationem somniorũ regis: de eorundemq; somniorum mysterio. Qua ratione etiam sanctus Ioseph magis mystica meruerit præmia. Ac de mystica significatione ornamentorum quibus honoratus fuit: nécnon & uxoris ac filiorum, famis quoq;, & apertionis horreorũ, atq; uenditionis alimentorum. Caput VII

De exhortatione Iacob ad filios ut descendant in Aegyptũ, & emant escas. Et de perrectione decem fratrũ, iuniore domi retento, ac de mysterijs prædictorum. Caput VIII

De reuersione filiorum Iacob in Aegyptum postquã fames inualescat, cum deductione Beniamin, & sumptione munerum Ioseph deferendorũ, eorumq; ad ipsum peruentione. Et de mystica ratione gestorum, & incidentium circa hæc. Caput IX

De munerum paratione, & eorum illatione, instauratione q; conuiuij, cum morali atq; mystica singulorum expositione. Caput X

De inebriatione fratrum conuiuantium, & insertione scyphi argentei in saccum Beniamin, singulorumq; sacculorum requisitione, ac inuentione scyphi in sacco Beniamin. Et de mysterijs istorum. Caput XI

Quemadmodum sanctus Ioseph se manifestauerit ut à fratribus cognosceretur, & de aduocatione eorum ad se, accessuq; ipsorum ad illum. Quomodo etiam eos consolatus fuerit, cum mystica dictorum interpretatione. Caput XII

De gaudio Pharaonis, quòd Ioseph agnouisset fratres suos, & de exhortatione eius ut Ioseph inuitet fratres ut ueniant cum patre: illorumq; executione, & peruentione ad Iacob, narratione q; singulorum: & quod Ioseph adhuc uiueret. Et de mysterijs circa hæc. Caput XIII

De Israel patris eleuatione, ac profectione, & hostiarũ circa puteum iuramenti immolatione, eiusq; per dominũ consolatione, ac descensu in Aegyptũ cũ animabus septuaginta: & de mysterijs prædictorũ. De ipsius deniq; Iacob ad filios adhortatione ut cõgregent ad audiendũ ea quę occursura sint in eis in nouissimis diebus. Cap. XIIII

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SANCTO IOSEPH, LIBER VNVS.

Cur post tractatum de Abraham, Isaac, & Iacob, historiam de sancto Ioseph author prosequi curauerit. Et qua ratione idem sanctus nobis tãquam speculum castitatis propositus esse debeat: unde etiam à parentibus plus quàm cæteri filij fuerit dilectus. Quodq; ea res inuidiæ causa fuerit. Cur etiam inuidiam sanctorum discere debeamus. Caput I

SANCTORVM uita, cæteris norma uiuendi est. Ideoq; digestam plenius accepimus seriem scripturarum, ut dum Abraham, Isaac, & Iacob, cæterosq; iustos legendo cognoscimus, uelut quendam nobis innocentiæ tramitem uirtute eorum reseratum imitantibus uestigijs persequamur. De quibus mihi cum frequens tractatus fuerit, hodie sancti Ioseph historia occurrit. In quo cũ plurima fuerint genera uirtutũ, præcipue tamẽ insigne effulsit castimoniæ. Iustum est igitur ut cum in Abraham didiceritis impigram fidei deuotionem: in Isaac syncerę mentis puritatem, in Iacob singularem animi laborumq; patientiam: ex illa generalitate uirtutũ in ipsas species disciplinarũ intendatis animum. Nam licet illa sint diffusiora, tamen ista expressiora sunt: & quæ eo facilius mẽtem penetrent, quo magis circũscripta ac determinata sunt. Sit igitur nobis propositus sanctus Ioseph tanquam speculũ castitatis. In eius enim moribus, in eius actibus lucet pudicitia, & quidam splendet castimoniæ comes, nitor gratiæ. Vnde etiam à parentibus plus quàm cæteri filij diligebatur. Sed ea res inuidiæ fuit: quod silentio prætereundum non fuit. Hinc enim argumentum totius historię processit: simul ut cognoscamus perfectum uirũ non moueri ulciscendi doloris inuidia, nec malorum rependere uicem. Vnde & Dauid ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Quid autem esset quod præferri Ioseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum: quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Euangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, uenditus non referret iniuriam, sed gratiam pro contumelia solueret: quod post Euangelium omnes didicimus, & seruare non possumus. Discamus ergo & sanctorum inuidiã, ut imitemur patientiam, & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruationis: nec uitia nescisse, sed emendasse. Quod si inuidia etiam sanctos adussit, quanto magis cauendum est nẽ inflammet peccatores? *Psalm. 7*

Qualis esse debeat affectus parentum, filiorumq; gratia. Et qua ratione Iacob reprehendendus non fuerit, quia cæteris hunc puerum præferebat: in quo & gratia diuina per uisum somniorum refulsit. Quid pręterea somnia ista, patriscq; obiurgatio, in quo pietas paterna non errabat, significent. Caput II

INstruimur igitur qualis esse debeat affectus parentum, filiorumq; gratia. Amare liberos dulce, & impensius amare prædulce. sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis: si aut nimia indulgentia dilectum resoluat, aut prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis auertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecunię, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicã inter Iacob sancti filios exarsit inuidia? Quid ergo? Reprehendendus Iacob quia præferebat unum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filijs resecare debemus studium plus placendi. Deniq; & Iacob illum plus amabat, in quo maiora uirtutum insignia præuidebat: ut non tam filium pater prę- *Genes. 37*

tulisse uideatur, quàm propheta mysterium: meritoq; uariam tunicam fecit ei, quo significaret eum diuersarũ uirtutũ amictu fratribus præferendum. Deniq; in puero adhuc refulsit diuina gratia. Siquidem somniauit, quod cum alligasset, ut sibi uidebatur per uisum, manipulos cum fratribus suis, surrexerit manipulus eius, & steterit erectus: cõuersi autem fratrũ manipuli, adorauerint manipulũ suum. In quo utiq; domini Iesu futura resurrectio reuelata est, quem & Hierosolymis cum uidissent undecim adorauere discipuli, & omnes sancti cum resurrexerint adorabũt, fructus bonorum operum proferentes, sicut scriptum est: Venientes autem uenient cũ exultatione, portantes manipulos suos. Vnde fratres, licet somnio fidem per inuidiam derogarent, interpretationem tamẽ eius propriis sermonibus exprimentes responderunt ei. Nunquid regnando regnaturus es nobis, aut dominando dominaturus es nobis? Regem enim uenturũ uisio illa signabat, quem omnis caro generis humani inflexo adoraret genu. Vidit autem aliud somniũ, & narrauit illud patri suo, & fratribus suis, eo quòd Sol & Luna & undecim stellæ adorarent eum. Vnde obiurgauit illũ pater eius, dicens: Quid ergo erit hoc uisum quod somniasti? Nunquid uenientes ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? Quis est ille quem parentes & fratres adorauerunt super terrã, nisi Christus Iesus, quando eum Maria & Ioseph cum discipulis adorauerunt, Deum uerum esse in illo corpore confitentes, de quo solo dictũ est: Laudate eũ Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen? Obiurgatio autẽ patris quid significat, nisi duritiã populi Israel? Ex quibus Christus secundum carnem, quem hodieq; Deum esse non credunt, nec uolũt adorare quasi dominum, quia ex se natum esse cognoscunt. Audiunt itaq; responsa eius, sed non intelligunt: legunt ipsi quod eum Sol & Luna laudent, sed nolunt credere de Christo Iesu dictum esse. Itaq; Iacob typo fallitur alieno, sed suo amore non fallitur. Pietas in eo paterna non errat, sed erraturæ plebis affectus exprimitur.

Genes. 37

Psalm. 125

Genes. 37

Psalm. 184

Quòd tanto somnio non incredulus fuerit Iacob patriarcha, qui futuræ incarnationis mysteria uidens, filium mittebat ad fratres. Et de præuisione ipsius Ioseph à fratribus antequã ad illos appropinquaret, eorundemq; ad occidendum ipsum cõsilio: eiusdem quoq; liberatione ac uenditione. Et de istorũ aliorumq; circa hæc concurrentium mysterio. Caput III

N On ergo tanto somnio patriarcha non credidit, qui utrumq; pariter gemino prophetabat oraculo: ut & personã iusti repræsentaret, & populi, quod Deus uenturus esset in terras, qui & dilígeretur à iustis & negaretur à perfidis. Videbat igitur futuræ incarnationis mysteria, qui filium mittebat ad fratres ut uideret si rectæ sunt oues. Quas oues iam tunc in illo patriarchę studio requirebat, nisi eas de quibus ipse dominus in Euangelio dixit: Nõ ueni nisi ad oues perditas domus Israel? Et misit, inquit in Sychem, quod interpretatione dicitur humerus siue dorsum, hoc est ad eos qui non conuerterentur ad dominum, sed fugientes, se à facie eius auerterent, quod est propriũ peccatoris. Exijt enim Cain à facie Dei. Et Propheta dicit: Pones eos dorsum. Iustus autem non se auertit à domino, sed occurrit dicens: Oculi mei semper ad dominum. Et Esaias dicente domino: Quem mittam? ſpõte se obtulit dicens. Ecce ego. Et Symeon expectauit ut uideret Christum dominum, & posteaquam uidit, quoniam remissionem peccatorũ, & totius mundi uidebat redemptorem, quasi leuiatus à peccato, poposcit usu carnis huius absolui, dicens: Nunc dimittis domine seruum tuum in pace, quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum. Et Zachæus hinc primũ suæ prærogatiuam cõmendationis inuenit, quòd in arborem ut Christum uideret, ascendit. Ergo Ioseph à patre missus est ad fratres, ab illo magis patre, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ab illo patre de quo scriptum est: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Et errabat, inquit, Ioseph, quia fratres suos inuenire non poterat. Non immerito errabat, qui quærebat errantes. Eos enim agnoscit dominus, qui sunt ipsius. Deniq; & Iesus fatigatus ex itinere, sedebat supra puteum. Fatigabatur, quia non inueniebat Dei populum, quem quærebat, exierat enim à facie domini. Qui enim culpã sequitur, exit à Christo. Peccator exit, iustus intrat. Deniq; Adam se peccator abscondit, iustus autem dicit: Intret oratio mea in conspectu tuo. Inuenit autem Ioseph fratres suos in Dothaim, quod significat defectionem. Vbi est enim nisi in defe-

Matth. 15

Psalm. 20 & 24

Esaiæ 6

Lucæ 2

Ibidem 19

Ibidem

Ioann. 4

2. Tim. 2

Psalm. 87

Genes. 37

in defectione qui Deum deserit? Nec mirum si deficiebant, qui non audiebãt dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam. Venit igitur Ioseph in Dothaim, & præuiderunt eum de longe uenientem, antequam appropiaret ad illos, & insæuiebant ut occiderent eum. Merito longe erant, qui erant in defectione: & ideo insæuiebant, quia non appropiauerat his Christus. Nam si appropiasset his typus Christi, fratrem utiq; dilexissent. Sed prope esse non poterant, qui parricidium cogitabant. Ecce, inquiunt, somniator ille uenit: nunc ergo uenite, & occidamus eum. Nonne hæc uerba dicebant qui de parricidali sacrilegio cogitabãt? Sicut de ipsis Salomon ait: Tollamus iustum, quia inutilis est nobis. Et addiderunt in Genesi: Et uideamus quid proderunt somnia illius. Hoc scriptum est de Ioseph, completum est de Christo, quando Iudæi in eius passione dicebant: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deum, liberet nunc eum si uult. Nunquid & ipsi fratres tam impij, ut fratrem occiderent? Et unde tantorum merita patriarcharum, ut grex totius plebis eorum uocabulis designaretur? Quomodo conueniunt pietatis nomina, & sceleris insignia? Sed etiam isti typo populi, non animi sui uitio laborabant. Ideo omnis inuidia, ideo parricidij meditatio: inuidia per figuram, pietas per affectum. Deniq; Ruben & Iudas germanitatis pia iura seruantes, de manibus cæterorum eum liberare cupiebant: meritoq; Iudas paterna benedictione præfertur, cum ei dicitur: Adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, & ipse erit expectatio gentium. Quod utiq; soli conuenit Christo, cui repositum fuit, ut adoraretur à fratribus, & expectaretur à gentibus, lauaret in uino stolam suam proprij corporis passione, quia carnem suam nulla peccati labe maculauit. Aser quoq; non utiq; sibi conuenire credebat. Aser pinguis panis eius, & ipse Aser cum principibus. Quid uerò ipse Ioseph, cui dictum est: Filius meus ampliandus Ioseph, filius ampliandus meus: zelatus filius meus, filius meus adolescentior, ad me reuertere? In quem consilium conferentes maledicebant, in quo benedictio preualuit, super benedictiones montium manentium, & desideria collium æternorum. Quem significari intelligebat in se, nisi illum qui omnium merita supereminens, supra omnium desideria sanctorum immensæ teneret apicem potestatis, quem uoto nullus æquaret? Compensatur ergo in patriarchis inuidia per gratiam, qui & excusantur à culpa, & reuelationis munere consecrantur. Non enim tam culpabile est dixisse quæ plebis sunt, quàm beatum uidisse, quæ Christi sunt. Subierunt personam peccatoris populi, ut acciperent gratiam Domini redemptoris. Certe culpam aboleuit gratia, gratiam culpa non minuit. Et ut cognoscamus omne hoc de populo & domino Iesu mysterium esse: Venite, inquit, uendamus Ioseph Ismaelitis. Quid interpretationis habet nomen Ioseph, nisi quòd diuinam gratiam significet, & expressionem Dei summi? Quis igitur uenditur, nisi ille qui cũ in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens? Neq; enim nos eum emissemus, nisi uendidissent sui. Male uendiderunt, peius emerunt. Vendiderunt negociatoribus boni odoris, emerunt à proditoribus. Vendidit eũ Iudas, emerunt Ismaelitæ, qui significantur Latina interpretatione odio habentes Deum suũ. Idéo alibi uiginti, alibi uiginti & quinq; aureis, alibi triginta inuenimus emptũ Ioseph: quia nõ omnib. unius estimatione precij ualet Christus. Alijs minus, alijs amplius. Fides emẽtis incrementũ est mercis. Religiosiori preciosior est Deus: peccatori preciosior est redemptor. Pluris & illi ualet qui plus habet gratię. sed etiã cui multa donata sunt, pluris ualet: quia cui plus remissum est, plus dilígit, sicut ipse dñs in Euangelio pronunciauit de illa muliere quæ super eius pedes effudit unguẽtũ, & lachrymis lauit, & capillis suis tersit, & osculis siccauit, de qua ait ad Simeonẽ: Propter quod dico tibi: Remissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. Cui aũt minus dimittitur, minus dilígit. Interdũ diuersitates precij, nõ solũ quantitatis habẽt, sed etiã numeri expressionẽ, sicut habes de unguẽto quod ad sepeliẽdũ se dominus effusum esse memorauit, dicẽte Iuda: Potuit hoc uenire denarijs trecẽtis. Quo numero nõ quãtitas, sed significatio crucis uidet expressa. Ita hic quoq; diuersitas uel uiginti uel triginta aureorũ uel argenteorũ habet uel geminatę uel triplicatę perfectionis indiciũ. Nã uigintiquinq; aurei, Iubilei, qui est remissionis numerus, significãt preciosissimã portionẽ. Hic quoq; (ut dominicæ passionis figurã aduertas) ait Iudas patriarcha:

Matth. 11

Sapien. 2

Marc. 27

Genes. 37

Genes. 49

Genes. 37

Philip. 2

Luc. 7

Marc. 14

Tradamus Ioseph Ismaelitis, manus autem nostræ non sint iniectę super eũ. Et bene superius dixerat: Manus autem nolite inferre illi. Quod Iudæi in Domini passione dixe-
Ioann. 18 runt: Nobis non licet interficere quenquam: ut sermo Iesu impleretur, significans qua morte moriturus esset. Iam tunc ergo futuræ crucis figurabatur insigne, simul & quod exutus est tunicã: id est, carnem quam assumpsit, decoram diuersitate uirtutũ. Ergo tunica eius, id est caro, nõ diuinitas cruentata est, & indumentum ei carnis non immortalitatem uitæ auferre potuerunt. Hanc tunicã Iudaicæ bestiæ cruentauerunt, illæ de quibus
Luc. 10 dicit: Ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Quod autẽ lacus siccus erat, quid mi-
Hierem. 2 rum si Iudæorum lacus aquam non habet, qui dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, fecerũt sibi lacus contritos? Et ut scias uerum hoc esse mysterium, ipse de se dominus ait: Posue-
Psalm. 87 runt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis. Illi igitur emunt Christum, qui boni odoris deferunt thymiama, quo adolent altaria piæ mentis. Vnde & Dauid Grę-
Psalm. 140 cè hoc modo ait: Κατευθυνθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου. Resinam quoq; , qua marmora confracta sociantur. Est resina spiritalis, quæ fracturas animæ tuæ solidet, & diuulsa connectat, & soluta constringat. Hæc enim spiritalis resina corroborat, & quædam cõminuta animæ membra cõponit, ut sine offensione socientur. Denicq; Hieremias hãc
Hierem. 51 quærit resinam, ut Babyloniam curet sanare si possit, dicens: Accipite resinã corruptioni eius, si quo modo sanabitur. Curauimus Babyloniam, & sanata nõ est. Non est sanata Synagoga, quia resina ista migrauit ad Ecclesiam. Ideo ex Galaad ueniebãt negociatores, hoc est de possessione uel incolatu testimonij, merces suas ad Ecclesiam transferen-
Esaiæ 35 tes, ut gentium peccata resina ista curaret. De quibus dicitur: Conualescite manus dis-
Act. 3 & 9 cussæ, & genua dissoluta. Fides syncera resina est. Hanc habebat Petrus cũ diceret: claudo: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Meritoq; surrexit, & ambulauit. Hanc habebat cum diceret paralytico: Aenea, sanet te dominus Iesus, surge & sterne tibi. Et surrexit, & strauit sibi. Hanc habebat cum diceret mortuæ: Surge in nomine domini Iesu.
Matth. 3 Et defuncta surrexit. Huius resinæ temperamento lapides illi de quibus potens est dominus resuscitare filios Abrahæ, compaginantur. Huius resinæ medicamento claudus erigitur, paralyticus reformatur, mortua resuscitatur. Illud quoq; quod hœdi sanguine respersérunt tunicã eius, uidetur significare, quoniam falsis testimonijs appetentes, inuidiam deduxere peccati in omnium peccata donantem. Nobis agnus est, illis hœdus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi: illis hœdus, quorũ acer-
Ibidem 25 bauit errores, delicta cumulauit. Ideoq; ait: Implete mensuram patrum uestrorum. Meritoq; Iacob posteritatis deplorans dispendia, quasi pater filium flebat amissum, quasi propheta flebat interitum Iudæorum. Denicq; scidit etiam uestimentum suum, quod in passione domini factum legimus à principe sacerdotum, in quo esset non priuata persona, sed publici munus officij. Et uelum templi scissum est, & prophanata mysteria, ut
Luc. 11 esse nudatum populum salutaribus indumentis, diuisum regnum talibus manifestaretur insignibus destruendum: quia omne regnum diuisum, facile destruetur. Et uere diuisum, quando hoc quod erat Christi, cœpit esse etiam diaboli. Neq; enim poterant indiuisi manere, qui à patre filium separabant.

De uenditi Ioseph ductione in Aegyptum, atq; eius emptione à præposito corum, quidq; hoc significet. De seruitutis præterea ipsius mystica atq; moCaput IIII rali interpretatione.

Genes. 37 Venditus est ergo Ioseph, & ductus in Aegyptum, emptus à præposito corum.] Non ociosa persona, quæ cruda ciborum coqueret, ut epularentur animi fidei suauitatè. nullus enim cibus scientia & doctrina dulcior. Erat antè in Aegypto cruda perfidia, quã nullus diuinę cognitionis ardor, & ueræ sciẽtię cupiditas ulla molliuerat, nõ eloquia domini ignita decoxerãt. Venditus est Ioseph in Aegypto, quia Christus uenturus erat ad eos quibus dictũ est: Peccatis uestris uenditi
Esaiæ 50 estis. Et ideo suo sanguine redemit, quos propria peccata uendiderãt. Sed uẽditus Christus conditionis susceptione, non culpæ, peccatiq; precio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Precio igitur nostro debitum, non suo ære contraxit: chirographum sustulit, fœneratorem remouit, exuit debitorem: unus exoluit quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire seruitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut seruitutem mundi repelleret,

repelleret, libertatem paradiſi reſtitueret, gratiam nouam, cõſortij ſui honore donaret. Hoc de myſterio. Cæterùm quod ad moralem pertinet locum, quia omnes uult ſaluos fieri dominus Deus noſter, dedit per Ioſeph etiam ijs qui ſunt in ſeruitute, ſolatium, attribuit magiſterium, ut diſcerent etiã in ultima conditione poſſe mores eſſe ſuperiores: nec ullum ſtatum immunem eſſe uirtutis, ſi animus uniuſcuiuſq; cognoſcat carnem ſeruituti ſubditã eſſe, non mentem: multoſq; ſeruulos eſſe dominis liberiores, ſi in ſeruitute poſiti à ſeruilibus putent operibus abſtinendũ. Seruile eſt omne peccatũ, libera eſt innocentia. Vnde & dominus ait: Omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Quomodo enim non ſeruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello ſeipſum auctionatur? Timet enim ne congeſta amittat, qui non utenda cõgeſſit: maiore periculo ſeruaturus, quo maiora quæſiuit? Quomodo nõ mendicus, cui ſunt parua quæ poſſidet? Nam & ſi mihi diues uideatur, ſibi eget: nec teſtimonijs ſua uota ſolatur, qui quod optat, neſcit credere. Quomodo autem nõ & ille ſeruus, qui ſubditus eſt libidini? Primum ſuis ardet incendijs, & peccati ſui facibus exuritur. Quibus recte dicit propheta: Ambulate in lumine ignis ueſtri, & in flamma quam accendiſtis. Suſcipit omnes metus, inſidiatur ſomnis ſingulorũ: ut unius cupiditate potiatur, fit ſeruus omniũ. Seruit igitur, ac miſeram quidem ſeruitutẽ, qui ipſe ſibi dominos facit, ipſe uult habere quos timeat. Nihil enim tam ſpeciale ſeruitutis eſt, quàm ſemper timere. Ille uerò in quauis cõditione ſeruitij ſemper liber, qui amore non capitur, auaritiæ uinculis non tenetur: metu criminis nõ alligatur: qui ſecurus ſpectat præſentia, quem futura non terrent. Nónne uidetur tibi iſte in ſeruitute dominari, ille autem in libertate ſeruire? Seruiebat Ioſeph, regnabat Pharao: beatior huius ſeruitus, quàm regnum illius. Deniq; tota Aegyptus collapſa eſſet fame, niſi regnum ſuum conſilio ſeruuli ſubdidiſſet. Habent igitur unde glorientur originales ſeruuli: Seruiuit & Ioſeph. Habent unde ſe conſolentur qui ex libertate in ſeruitutem aliqua neceſſitate uenerint. Habent quod imitentur, ut diſcant conditionem ſe mutare poſſe, non mores: eſſe & in uernulis libertatem, & in ſeruitute conſtantiam. Habent quod etiam domini per ſeruulos bonos ſperent. Abraham filio per uernaculum inuenit uxorem. Benedixit Dominus domum Aegyptij propter Ioſeph, & facta eſt benedictio Domini in toto cenſu eius, & in domo, & in agris. Et conuertit, inquit, omnia, quæcunq; illi erant, in manus Ioſeph. Aduertimus quod ea quæ domini gubernare non poterant, ſeruuli gubernarunt.

1. Tim. 2

Ioann. 8

Eſaiæ 50

Geneſ. 24

De ſingulari cõmendatione ſpecioſitatis & decoris, caſtitatis ac pudoris ſancti Ioſeph, eiuſq; impetitione à domina ſua ad cõcubitum, & eiuſdem adulterę telis. Ipſius quoq; Ioſeph recuſatione, fuga, ueſtis relictione, accuſatione, incarceratione, atq; uiſitatione diuina. Caput V

Sed quid de priuata domo diſpoſitionis eius ſeruuli aſtruam, qui rexit imperium? Plus tamen eſt quod ipſe ante ſe rexit. Et cum eſſet decorus aſpectu, & ſpecioſa facie ualde, uenuſtatem ſui uultus nõ ad alienam deriuauit iniuriam, ſed ad ſuam ſeruauit gratiã: hoc ſe pulchriorem ratus, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur. Illum eſſe uerum decorem, qui non alienos oculos caperet, nec fragiles mentes uulneraret, ſed iudicia acquireret uniuerſorũ: fraudi nulli futurus, laudi ſibi. Iam ſi qua petulantibus aſpexit oculis, illius crimen ſolius eſt, quæ male uidit, non huius qui male ſe nollet uideri: nec in eo quod uiſus eſt, culpa eſt. Non erat in poteſtate ſeruuli ut nõ uideretur, maritus debuit cauere oculos uxoris. Sed quod ille nihil timebat de coniuge, arbitrabatur iſte teſtimonium eſſe caſtimoniæ, non remiſſionem incurię. Diſcant tamen uiri cauere etiam oculos fœminarum. Adamantur enim & qui nolũt adamari. Deniq; adamatus eſt Ioſeph, qui amantem contempſerat. Et bene excuſauit eũ ſcriptura, dicens: Immiſit oculos uxor domini eius in Ioſeph: hoc eſt, non ipſe ſe oſtentauit, nec cepit incautã, ſed illa retia ſua miſit, & indagine ſui capta eſt. Laqueos ſuos ſparſit, & ſuis hæſit uinculis. Dixit autem illi: Dormi mecum. Prima adulteræ oculorum tela ſunt, ſecunda uerborum. Sed qui non capitur oculis, poteſt uerbis reſiſtere. Suppetit defenſio ubi adhuc liber affectus eſt. Ideo ſcriptũ eſt quia ille noluit. Primum igitur cõgreſſione mentis ſuperauit, tanquã ſcuto animi irruentem repellens: deinde ſermonem tanquam haſtam uibrauit, ut ſe illa reuocaret. Et dixit uxori domini ſuæ:

Geneſ. 39

sui. Recte uxor domini, non ipsa domina dicitur, quæ non potuit extorquere quod uoluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi nō habebat effectum, quę disciplinam dominæ nō tenebat, quę seruulis libidinis incētiua præstabat? Ille dominus, qui amantis non excepit faces: qui lenocinantis uincula non sensit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm potentiæ criminosæ eligere consortium. Ille liber, qui turpe credidit uicem gratiæ non referre. Deniq; non ut meticulosus excusat, nec tanquam periculi timidus cauet, sed tanquam beneficij herilis & innocentiæ suæ debitor fugit crimen ingrati, peccatiq; labem, & culpæ contagium quasi iustus horrescit. Tertium spiculum adultera interpellandi assiduitate uibrabat, sed Ioseph non audiebat eam. Habes post prima uerba quid caueas. Non solum lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido, nec habet quod uereatur adultera. Quę dispendia pudoris prima nō doluit, insidiatur ut capiat. Deniq; officij sui & cōmissi muneris
Genes. 39 ingressum gratia, remotis arbitris ac domesticis apprehendit dicens: Dormi mecū. Excusatur Ioseph scripturæ testimonio, quia cōmissum à domino nequibat deserere obsequium. Non enim satis est quod securus sui domus interiora, quasi qui capi non posset, ingressus est: iustus debuit præuidere ne furenti copiam daret, & eius illa peccato periret. Sed qui aduersari sibi domini sui uidebat uxorem, neglecti officij etiā à domino cauere debebat offensam. simul adhuc sermonis, nō cōprehensionis putabat audaciā. Excusatur quòd ingressus est, prædicatur quod elapsus est. Nec pluris fecit uestimēta corporis, quàm animi castimoniā. Reliquit tanquam nō sua, quæ adultera suis manibus detinebat: & aliena iudicauit, quæ tactu impudicæ potuerant cōprehendi. Magnus quippe uir, qui uenditus, seruile tamen nesciuit ingenium: adamatus nō redamauit, rogatus non acquieuit, cōprehensus aufugit. Qui cum ab uxore domini cōueniretur, teneri uestę potuit, animo capi nō potuit: ac ne ipsa quidem uerba diu passus est. Contagiū enim iudicauit si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua trāsirent. Itaq; uestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuijs, spoliatus quidē, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non est enim nudus, nisi quem culpa nudauerit. Deniq; in superioribus habemus quod Adam posteaquam Dei mandatum præuaricatione deseruit, & peccati grauis æra cōtraxit, nudus erat. Vnde & ipse
Genes. 3 ait: Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, quia nudus sum, & abscondi me. Intellexit enim se esse nudum, qui insulas diuinæ protectionis amiserat. Et ideo latebat, quia uestem fidei non habebat, quam utiq; præuaricando deposuit. Magnam rem uides. Ille nudus erat: qui tunicam non amisit: iste nudus non erat, qui uestimentis se exuit, quę in manibus adulteræ dereliquit. Eadem scriptura illum nudum asseruit, hunc abnuit. Et ideo iste expoliauit se potius quàm nudauit, qui incorrupta uirtutum uestimenta seruabat,
Coloss. 3 expolians se ueterem hominem cum actibus suis, ut indueret nouum, qui secundū imaginem creatoris in agnitione renouatur. Ille autem nudus remansit, qui se iterum uestire non potuit, singulari spolio uirtutis exutus. Vnde pelliceam accepit tunicā, quia peccator habere non poterat spiritalem. Reliquit igitur uestimenta Ioseph, & nudauit adulteræ inuerecundiam, quæ postea latere non potuit. Deniq; exiuit foras, & ipsa adulterij sui tentamenta uulgauit, exaltans uocem suam, eo quòd relictis uestibus Hebræus aufugerat. Ipsa igitur quod cælare debuerat, prodebat, ut composito crimine læderet innocentem. Iustus autem accusare non nouit, ideo impune hoc impudica faciebat. Illam igitur uerè exutam dixerim, etiam aliena uestimenta seruantem, quæ omnia amiserat uelamina castitatis: illum satis ornatum, satis defensum, cuius uox non audiebatur, & inno-
Daniel 13 centia loquebatur. Sic Susanna postea dum tacet in iudicio, melius locuta est oraculo: & ideo prophetę meruit defensionem, quæ propriæ uocis nō quęsiuit auxilium. Illū ergo beatiorem dixerim cum in carcerem mitteretur, quia subibat pro castitate martyriū. Bonum enim munus pudicitia, sed minoris meriti cum periculum abest: ubi uero etiam salutis periculo defenditur, ibi plenius coronatur. Inaudita causa, inexplorata fide ueri, tanquam reus criminis in carcerem Ioseph mittitur: sed eum dominus nec in carcere deserebat. Non turbentur innocentes cùm falsis criminibus appetuntur, cum oppressa iustitia traduntur in carcerem. Visitat Deus & in carcere suos, & ideo ibi est plus auxilij, ubi est plus periculi. Sed quid mirum si uisitat Deus in carcere positos, qui

seipsum

seipsum in suis in carcere inclusum esse memorauit, sicut habes scriptũ: In carcere eram, & non uenistis ad me. Quò nõ penetrat diuina misericordia? Inuenit Ioseph huiusmodi gratiã, ut qui fuerat clausus in carcere, ipse potius carceris claustra seruaret, cederet munere clauicularius, inclusos omnes in potestatem eius cõmitteret. Itaq; Ioseph nõ solum carcerem non sentiebat, sed etiam alios quoq; carceris leuabat ærumna. *Matth. 25*

De inuectione in mulierem. Et de spadonibus etiam illatæ iniuriæ authoribus, quàm fragilis & tenuis sit eorum status: ipsorumq; offensione, incarceratione, somniorum uisione, & eorundem per sanctũ Ioseph interpretatione. Et quemadmodum omnis potentia, magnificentia, & gloria huius seculi nihil aliud sit quàm somnium. De mysterio præterea Hebræi somnium interpretantis, ac reprehẽsione spadonis immemoris & obliti interpretis sui. De fastu denique & fragilitate ministrorum regalium.

Caput VI

H Vius igitur iniurię author mulier & spadones sunt. Sed mulier Aegyptiorum, quæ procaces cum uiris solita miscere sermones, lacessere uerecundos, refugientes insequi, pudentes perurgere, cum uitia sua non posset defendere, innoxios criminabatur, perfidiam miscens perfidiæ, aliena tenens, & alios ipsa cõdemnans, modum nullum ponens furori. Quæ enim causa crudelitatis, nisi quòd cupiditatibus suis obsisti uidebat, & desideria sua uetita assensione fraudari? En propter quod aperiatur carcer: ut suscipiat innocentes: soluantur catenæ reis, ut imponantur fidelibus: dimittantur ueritatis adulteri, ut includatur qui fidei adulterium recusauit. De istis uerò spadonibus quid dicã? qui exemplum debent esse spadonibus cæteris, quòd status eorũ fragilis ac tenuis, & in uoluntate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum sit, secundæ autem res uile ministeriũ. Gloriabatur alter quod esset uini præpositus, alter quod esset pistorũ. Vterq; offendit, missiq; in carcerẽ, & cõmendati sancto Ioseph ab ipso carceris clauicularío, cum essent illic dies complures, uiderunt somniũ: & cum reuiseret eos Ioseph, tristes turbatosq; animi offendit: quia turbabantur somnio, cuius interpretem nõ inuenirent. Nónne per Deum, inquit, interpretatio somnij est? Narrate ergo mihi. Et narrauit præpositus uini somniũ suum: Erat uitis in cõspectu meo, in uite autem tres radices, & ipsa flores ferens, germina matura, & botriones uuarũ: & calix Pharaonis in manu mea. Et sumpsi eam, & expressi in calice, & dedi calicem in manu Pharaonis. Et dixit illi Ioseph: Tres radices, tres dies sunt. Adhuc triduũ, & memorabitur Pharao principatum tuũ, & restituet te super officium tuũ pristinum, & dabis calicem in manu Pharaonis. Sed memor esto per temetipsum cũ bene tibi fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei ad Pharaonem, & educes me de carcere isto, quia furtiuè captus sum de terra Hebræorum, & hic nihil mali feci, & miserunt me in lacum carceris huius.] Alterius somnium non libet dicere. Meministis certe uerborum meorum, quod etiam tunc refugerim eius interpretationem, in eo cuius exitum refugio, mortẽ perhorresco. De isto prius dicamus, qui sibi beatus uidebatur, cum esset uini præpositus: & hunc summum credebat apicem omnis potentię, quod regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia in hoc seculo: hac defraudatus dolebat, huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, & omnis potentia seculi, somniũ, non ueritas est. Denique per somnium uidet reddi sibi principatum suum. Esaias ita esse huiusmodi homines, qui in hoc seculo delectantur secundis rebus: Sicut qui in somnijs manducat & bibit, uidetur sibi cibo & potu, dum dormit, repleri, sed cum euigilauerit, incipit esurire amplius, & tunc intelligit quàm inanis ille cibus & potus fuerit somnian tis: sic qui dormit in hoc seculo, nec oculos aperit ad mysteria diuina, quãdiu somno gra uatur corporis, putat alicuius momenti esse hanc secularem potentiam: quasi in somnis eã uidet: ubi euigilauerit, deprehendit quàm inanis huius seculi uoluptas sit. Considera nunc illum uerum Hebræum, illum non somnij, sed ueritatis & præclaræ uisionis interpretem, qui de diuinitatis illa plenitudine ac libertate cœlestis gratiæ in hunc corporeum carcerem uenerat, quem non potuit seculi huius illecebra mutare, non ulla corruptela mundanæ uoluptatis euertere: qui tentatus non decidit, appetitus non appetiuit, postremo adulterina quadam synagogæ manu ueste corporis apprehensus, carnem exuit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix ubi eũ tenere nõ potuit, quẽ carcer *Esaiæ 29*

non

non terruit, non inferna tenuerunt: quin etiam quò ueluti puniendus descenderat, inde alios liberauit: ubi ipsi stringebantur mortis uinculis, ibi laxauit ipse uincula mortuorum. Considera ergo istum Hebræum dicentem illi præposito spadonum, qui contraxerat offensam regiam, quem restituerat muneri suo: Memor esto per temetipsum cum tibi bene fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei.] Ideo secundo repetiuit, quia sciebat non recordaturum quod euasisset iniuriam, cum potentiam recepisset. Ideo secundo admonuit, quia secundo liberauit, ut si prioris beneficij eum memoria nõ teneret, uel posterioris subiret, non despiceret authorem salutis suæ, non perfida prœuaricatione uiolaret. Sed quod peius est, cito beneficij irrepit obliuio secundis rebus. Redditus officio suo non est memor factus interpretis, sed oblitus est eum. Sed & si ille obliuiscebatur, Christus nõ obliuiscebatur, sed loquebatur ei, & per seruulum loquebatur, dicens ad eum: Memor esto per temetipsum, hoc est uel officij tui cõtemplatione quid audieris, recordare. Sed etsi nũc oblitus es, memor eris mei, ut euadas periculũ, qui oblitus est beneficium. Tamen elatus potentia non recordabatur. Et quanta hæc potentia, ubi uini ministerium? En unde omnis iactantia. Quia erat spadonum præpositus, qui uinum poculis regijs ministrabant. Et factum est, inquit, post biennium. Mentior, de hoc nostri spadonis tempore, nisi & dies conueniat: quia post biennium recepit officiũ, nec recordatus est, sed admonitus. Cognouit enim quòd etiam regum ipsum in hoc seculo esset somnium, qui suo somnio nõ credidit: didicit etiam regnum esse somnia, nec ipsorum potestates esse perpetuas. Sed cito hunc locum prætereat dolor, ne ipsa cõmemoratione crudescat. ne ipsius quidem sermonis mei meminisse delectat, quem tũc temporis uel effuderit dolor, uel extorserit ecclesiæ contumelia. Admonitus ergo sui per somnium regis, ait: Peccatum meum recordor. Sera quidem ista est, sed utinã uera confessio. Post peccatum fateris, quod ante peccatum cauere debueras. Quã cito oblitus fueras: Memor esto mei. Scis nempe tũc temporis hunc fuisse sermonem, sed obtusas aures habebas fastu potentiæ, & uini ebrius nõ audiebas uerba sobrietatis. Vel nunc memento mei, qui peccatũ sero fateris. Qui rogas seruulum cur dominũ negas? Inebriare iam non uino, sed spiritu sancto. Recordare quid passus sit, cum quo dormisti somnum tuum, & somniasti somnium. Et ipse præpositus erat, & præpositus epularum regis, quæ ad opus pistorium pertinebant. Sublimen se esse credebat, quia in potestate habebat panem regium, nesciebat multos anfractus esse huius potentiæ. Minabatur alijs, ipse mox suppliciò dedendus extremo, nec audiuit eũ qui licet seruulus domini, tamẽ loquebatur oraculum, quod ipsius iussu regis, de quo sibi plurimũ blandiebatur, caput amissurus esset, esca auibus derelinquendus. Vel hoc te exemplum reuocare debebat ut perfidiæ non crederes. Sunt & alia exempla de fastu & fragilitate ministrorum regalium, quæ posterioris temporis historia habet. Et Doech præpositus erat, & præpositus regis animaliũ, adde, si placet, mulorum, hoc est, spadonum animalium. Hic quoq; sacerdotem domini detulit, & fraude regem cõmouit in Sacerdotis periculum, & hic Syrus erat. Num mentior, quando & patria & facta cõueniunt? Aman quoq; à cubiculo regis, & ipse præpositus, dum inuadere Ecclesias domini improba temeritate cõtendit, populumq; fidelem spoliare ac persequi, grauibus sacrilegia supplicijs expendit.

Genes. 40

1. Reg. 21 & 22

De liberatione sancti Ioseph, & honoris delatione ob interpretationem somniorum regis: & de eorũdem somniorum mysterio. Qua ratione etiam sanctus Ioseph magis mystica meruerit præmia. Ac de mystica significatione ornamentorum quibus honoratus fuit, necnon & uxoris ac filiorũ, famis quoq; & apertionis horreorum, atq; uenditionis alimentorum. Caput VII

Ed reuertamur ad istum uini præpositum, qui quasi multo ebrius mero beneficij authorem oblitus est diu: aliquando tamen, ut regi prouideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimauit seriem rei gestæ. Quo cognito, rex quoq; eum iussit accersiri eductumq; de carcere interrogauit si posset interpretari sibi somnium. Cuius explanatione delectatus, remouit iniuriam, honorem detulit. Itaq; uidete si non præsentibus & ista conueniunt. Iniuria illata est prius quàm cognosceretur à rege, gratia relata, ubi regi est cognitus. Itaq; rex uacat culpa, quia & id quod excepit uir sanctus iniuriæ, alienum fuit; & id quod recepit gratiæ, regis est proprium.

prium. Somnium autem eius & interpretatio huiusmodi est. Quæcunque, inquit, faciet deus, ostendit Pharaoni. Septem uaccæ bonæ, septem anni sunt: & septem spicę bonę, septem anni sunt. Somnium Pharaonis unũ est. Et septem uaccæ macræ quæ ascendebant post illas, septem anni sunt: & septem spicæ macræ, & à uento corruptæ, septẽ anni sunt. Erit septem annis fames. Verbum autẽ quod dixit, Quæcunq; faciet deus, ostendit Pharaoni: Ecce septem anni ueniunt ubertatis magnæ in totã terram Aegypti. Veniunt autem septem anni famis post hæc, & obliuiscentur ubertatem in tota Aegypto, & consumet fames totã terram, & non cognoscetur ubertas terræ à fame futura post hæc. Valida enim nimium. Quod autem iterauit somnium Pharao bis, quia uerum erit uerbũ à deo, & festinauit deus ut faceret illud. Vetus somnium, res recẽtes. Posterioribus priora consumpta sunt: & ubi erat ante ubertatis copia, ibi rerũ omnium facta est indigẽtia. Quod si quis huiusmodi regi cõsilium dedisset, ut aliquid de superiori ubertate posteriori principatus sui seruaret ætati, reliquo quoq; tempori larga donandi affluentia redundasset. Sed immodica æui superioris effusio etiam posteriora destituit, & homines diripientes uniuersa, aliquem Ioseph ei adhibere nolebant. Etsi nõ ego Ioseph, (quis enim istud?) clamabam tamen, uaccas illas pingues, nõ solum lasciuiã, sed etiam incuriam diuinæ significare reuerentiæ, de perfidis enim dictum est: Tauri pingues obsederunt me. Et de Iudæorum populo scriptũ est: Impinguatus & incrassatus & dilatatus est, & dereliquit deum factorem suum. Et ideo somniũ illud redundantię secularis perpetuũ esse non posse, sed fore tempus quo his fames dura succederet. Nec tamẽ hoc somniũ uni aut duobus demonstratũ arbitror, sed omnibus propositũ, eo quòd septẽ anni istius mundi qui pingues sunt, & seculari ubertate opimi, absorbeantur ab illis seculis quæ futura sunt, in quibus perpetua quies & legis obseruantia spiritalis, quã Effrem illa tribus patrum deo fructuosa custodit. Bona uacca, non illa corporeo distenta ubere, sed abundans spiritalis lactis & gratiæ, super cuius decorẽ ceruicis deus sedere se dicit, ut scriptũ est: Effrem uacca docta diligere uictoriam. Ego enim transiui super decorem ceruicis eius. Non ergo impinguet caput nostrũ oleum peccatoris, nec falsi fructus delectare nos debẽt, ne dicatur & de nobis: Seminastis impietatẽ, & iniquitates eius uindemiastis. Manducasti fructum falsum, quia speraſti in curribus tuis. Nec me mouet quod habet spicas macras & uento corruptas, quia & Dauid tunc melior erat, quãdo sicut aranea tabescebat: & spiritus contribulatus sacrificium deo est: & illi præstantiores euadunt, quos in hoc seculo grauibus iniurijs spiritus malignus exercuit. Vnde magis mystica meruisse præmia Ioseph arbitror, quia de mysticis est locutus. Quid enim sibi uult annulus digito eius insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ei fidei esse delatũ, ut alios ipse signaret? Quid stola, quę amictus est sapientię, nisi tributũ ei ab illo rege cœlesti prudentię principatũ? Torques aureus intellectum bonũ uidetur exprimere. Currus quoq; significat fastigiũ sublime meritorum. Quis autem est qui ex gentibus accepit uxorẽ, nisi qui ecclesiam ex nationibus sibi congregauit, & suscepit ex ea filium Manassem, per quem oblitus est omnes dolores suos, quos habuit de sacrilegijs Iudęorum? Suscepit alium quoq; filium Effrem, per cuius profectum claruit quod suscepta in carne humilitas & diuinitatem nõ humiliauit, & gloriam cumulauit. Denicq; quicunq; famem patiebantur, ad Ioseph mittebãtur. Qui sunt isti, nisi de quibus dictum est: Conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut canes? Erat autem fames non unius loci, sed totius terræ, quia non erat qui faceret bonitatem. Ideo dominus Iesus ieiunia mundana miseratus aperuit horrea sua, & mysterio rum cœlestium thesauros scientię sapientiæq; patefecit absconditos, ut nulli alimenta deessent. Dixit enim Sapiẽtia: Venite edite panes meos. Et ideo ab illo solo dicitur: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, qui saturat à Christo. Aperuit ergo horrea sua Christus & uendebat, non æra pecuniæ, sed fidei precium, & deuotionis stipendiũ quærens. Vendebat autẽ non paucis in Iudæa, sed uendebat omnibus, ut ab uniuersis nationibus crederetur. Et omnes regiones uenerunt in Aegyptum ad Ioseph emere. Obtinuerat enim eos fames. Omnes enim esurient, quos non pauerit Christus. Emamus ergo alimenta, quibus famẽ possimus repellere. Nemo paupertatis suæ contemplatione reuocetur, nemo uereatur qui argentum non habet. Non quæritur Christus argento, sed fide, quæ argento precio sior est. Denicq; emit eam Petrus, qui non habebat argentum. Argentum,

Psalm. 21 Deut. 32 Osee. 10 Psalm. 22 Psalm. 38 Psalm. 50 Genes. 41 Psalm. 58 Prouerb. 9 Psalm. 22 Actor. 3

inquit,& aurum non habeo,ſed quod habeo do tibi.In nomine Ieſu Chriſti ſurge & am-
Eſa.55 bula.Et propheta Eſaias dicit: Qui ſititis,ite ad aquam: & quicunq; non habetis argen-
tum,ite,emite, & bibite,& manducate ſine argento & precio uini. Neq; enim precium
1.Petr.1 quæſiuit à nobis,qui pro nobis ſanguinis ſui preciũ ſoluit: quia non auro & argento,ſed
precioſo nos redemit ſanguine. Ergo id precium debes quo redemptus es: etſi ille non
ſemper exigat, tu tamen debes. Eme igitur tibi Chriſtum, nõ eo quod pauci habent,ſed
eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam,pauci offerunt per timorẽ. Suum
eſt quod à te Chriſtus repoſcit. Ipſe uitam omnibus dedit, ipſe pro omnibus mortem
ſuam obtulit. Solue pro authore quod ſoluturus es lege. Non mediocris iſte contractus
Matth.25 eſt. Non omnes eum facile uident. Deniq; illæ uirgines in Euãgelio quas ueniens ſpon
ſus excluſit,ideo foris relictæ ſunt,quia uenale oleum nõ emerunt. Vnde dicitur eis: Ite
Ibidem.13 potius ad uendentes,& emite uobis. Et negociator non immerito prædicatur,quia uen
didit omnia ſua,& emit margaritam.

De exhortatione Iacob ad filios ut deſcendãt in Aegyptũ, & emãt eſcas.Et de per
rectione decem fratrum iuniore domi retento. Ac de myſteriis prædictorũ.Ca. VIII

Geneſ.42 T Iacob dixit filijs ſuis: Quare pigri eſtis? Ecce audiui quia frumentum eſt in
E Aegypto,deſcendite illò,& emite nobis eſcas.] Non ſemel hoc Iacob dixit,
quotidie omnibus filijs ſuis dicit,qui ſerius ueniunt ad gratiam Chriſti, Qua
re pigri eſtis? Ecce audiui quia eſt frumentum in Aegypto. Ex hoc frumento granũ eſt
quod reſurgit.Qui igit̃ famẽ ſuſtinet,ſurę ſegnitiei debet adſcribere. Ecce audiui,inquit,
Ibidem. quia frumentũ eſt in Aegypto. Citius utiq; iuniores q̃ ſeniores conſuerunt audire,dum
foris poſiti multa circuneunt.Sed hanc negociationẽ prius ſenex audit,ſed ille ſenex in
Sapien.4 quo eſt fidei longæua canicies. Prior ſenex intellígit, ſed ille ſenex in quo eſt uenerabi-
lis ſenectus,& ætas ſenectutis uita immaculata. Nec omnes hanc negociationem ſuſci-
piunt,niſi filij Iacob,& ipſi prouectioris ætatis.Ideo decem pergunt, non pergit iunior.
Non miſit eum pater,ne contingat,inquit,eũ infirmitas.] Adhuc obnoxius erat infirmi
tati Beniamin iunior. Patriarcha quidem legitur Beniamin, ſed ex tribu Beniamin ille
Paulus præfigurabatur.Meritò Iacob de eius infirmitate dubitabat. Deniq; infirmatus
eſt ut ſanaretur,cæcitatẽ paſſus eſt,ſed hæc infirmitas ad ſalutem. Deniq; illa cæcitas lu-
cem attulit.Accepimus hiſtoriam, cognoſcamus myſteria. Sine Beniamin patriarchæ
primò perrexerunt:ſine Paulo apoſtoli. Vterq; non primus aduenit,ſed accerſitus à pri
mis uberiorem mercem priorum ſuo fecit aduentu.Eſt,inquit,frumentum in Aegypto,
hoc eſt,ubi maior fames,ibi maior ubertas eſt.Magnũ frumentum in Aegypto. Deniq;
Oſee.11 & deus pater dicit:Ex Aegypto uocaui filium meũ. Ex iſto grano illa fœcunditas. Neq;
enim meſſis eſſe potuiſſet,niſi Aegyptij granũ ante ſeuiſſent.Eſt ergo frumentum quod
nemo ante eſſe credebat.In hoc frumento negociantur patriarchæ.Et illi quidẽ argentũ
detulerunt,ſed bonus Ioſeph frumentum dedit,argentum reddidit. Non enim pecunia
emitur Chriſtus,ſed gratia. Precium tuum fides eſt. Hac emuntur diuina myſteria.Por-
tat autem frumentum hoc aſinus ille antè immundus in lege, ſed iam mũdus per gratiã.

De reuerſione filiorum Iacob in Aegyptum poſtquam fames inualeſcebat,cũ
deductione Beniamin,& ſumptione munerum Ioſeph deferendorũ,eorumq;
Geneſ.42 ad ipſum peruentione.Et de myſtica ratione geſtorũ & incidentiũ circa hæc. Ca.IX.

Ibidem.& 43 T Enebatur tamen Beniamin iunior, & patrio adhuc adhærebat affectui. Te-
nebant eum legis uincula, mos paternus. Fames inualeſcebat,quia ſero ue-
niebat.Intercedunt pro eo duo,Ruben & Iudas, hoc eſt, humilitas atq; con-
feſſio.His uadibus apud patrem utitur,his committitur, quorum unus primitiuus,alius
reſuſcitatus.Lex primitiua,Euangelium reſuſcitatum. His deducitur Beniamin iunior,
& bonis odoribus comitatus aduenit,portans ſecũ reſinam, qua lapides marmorũ con-
nectuntur:eo quòd prædicatione propria tanquam ſpiritali reſina uiuos lapides etiam
ipſe connecteret:portans etiam mel,quo noxia uulneris interius exeduntur ſine aliqua
acerbitate ſectionis. Talis enim Pauli prædicatio, ut putrẽ aboleret affectũ,corruptũq;
euacuaret humorem,diſputationis ſuæ aculeo, urere magis ęgra mentis uiſcera cupiens
quàm ſecare.Incenſum orationis,& caſiam & guttam,ſepulturę inſignia eſſe Dauid pro
Pſalm.44 pheta nos docuit,dicens:Myrrha & gutta & caſia à ueſtimentis. Venit enim Paulus cru

cem do-

cem domini prædicare, ilicem semper uirentem, & nuces quarũ testa durior, & fructus tenerior: meritoq; uirga sacerdotalis Aaron nucina, & Hieremiæ baculus huiusmodi. Argentum quoq; duplex, non ociosa munera esse quis dubitet? cum & patriarchæ uita, & Apostoli sermo semper uirescat in pectoribus singulorũ, & eloquium sanctorum sicut argentum igne examinatũ, præcepti salubris fulgore resplendeat. Nec immerito duplex argentũ referunt, in quibus Pauli præfigurabatur aduentus, qui laborantes presbyteros in uerbo atq; doctrina duplici honore donabat. Vidit autem illos Ioseph, & Beniamin fratrem suum ex eadem matre. Iam uidentur Hebræi, & uidentur à Christo, qui uerus Ioseph est, quando cum Pauli ueniunt typo: & loquitur illis mitia atq; mansueta, ut pariter cibum sumant. Supra autem quia sine Beniamin uenerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab his se auertebat, ut scriptum est: & loquebatur his dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo agnoscebantur. Pauli igitur merito profecerunt, quem dominus Iesus tanquam iuniorẽ fratrem ex eadem matre generatum amplius cæteris fratribus diligebat. Aduertant Iudæi quem dominũ negauerunt, qui etiam crucifixus, ex synagoga tamen tanquã ex eadem ortos parente plus diligit, si uel sero cognoscant suę salutis authorem. Sed priorum conscij delictorum non credunt tantã Christi esse misericordiã, ut donet peccatũ, remittat iniuriã. Ideoq; præfigurabantur in patriarchis quales essent futuri. Inuitabantur ad gratiam, ad salutaris mensę uocabantur conuiuiũ, & calumniam sibi parari, insidias fieri suspicabantur, & cœperunt ad hominẽ qui erat supra domum, in ianua domus causam suam agere uelle. Adhuc dubitant introire, & ex operibus suis malũt iustificari, qui causam suã uolunt adstruere, quàm gratiã accipere: & ideo in portis redarguuntur. Qui autem fructũ uteri uirginalis expectat, & hæreditatẽ domini filij mercem negociatur, non erubescit in porta, sed in exitu uitæ huius repellit inimicũ, ne ad altiora properanti cõscius culpę grauioris obsistat. Vnde mystícè illis respondit maior domus. Et is qui sit, intellige, cũ legeris Moysen fidelẽ in tota domo eius. Maiores enim domus Moyses, Petrus & Paulus, & cæteri eius sancti sunt, Christus autem solus est dominus, sicut scriptũ est: Quia Moyses fidelis in tota domo eius tanquam famulus: in testimoniũ eorum quę dicenda essent: Christus autẽ tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, si libertatẽ & gloriam spei tenuerimus. Hic ergo maior domus respondit illis: Propitius sit uobis deus: nolite timere. Deus enim uester & deus patrũ uestrorum dedit uobis thesauros in sacculis uestris. Argentum uestrum probum acceptum habeo. Illi enim dixerunt: Argentum uniuscuiusq; in sacculis nostris inuenimus, ad pondus argentũ nostrum retulimus.] O magna mysteria, & euidenter expressa. Hoc est dicere. Cur inflamini? cur argentũ uos habere uestrũ in sacculis sæpius usurpatis? Quid enim habetis quod non accepistis? Si autẽ accepistis, quid gloriamini quasi non acceperitis? Iam saturati estis, diuites facti estis, quia argentum habere uos creditis, sed argentũ uobis deus patrũ uestrorum dedit. Ille deus uester, ille patrum uestrorũ deus est, quem negastis. Sed ignoscit, sed indulget, sed recipit si reuertamini. Ipse est qui uestrum non quærit argentum, suum donat. Ipse uobis dedit argentum in sacculis uestris. Iam sacculi uestri argentum habent, qui lutum habebant: & ideo uester est qui dicit: Conscidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Lætitię munus est Christus, ipse est argentũ uestrum, ipse precium uestrum. Non exigit à uobis dominus Iesus frumenti sui precium, non quærit uestri pondus argenti. Argentum uestrum reprobum est, argentum seculi non est bonum. Argentum uestrum probum acceptum habeo, hoc est non illud materiale argentum, sed spirítale. Argentum uestrum habeo, hoc est probum, quod fida deuotione quasi Iacob filij detulistis, quod sine damno datur, & sine dispendio numeratur: quandoquidem tali precio detrimentum mortis excluditur, lucrum uitæ acquiritur.

Hebr. 3

1. Cor. 4

Psalm. 29

De munerum paratione, & eorum illatione, instauratione q; conuiuij, cum morali atq; mystica singulorum expositione. Cap. x

Genes. 43

Psalm. 36

Genes. 16

Arauerunt autem munera, donec introiret Ioseph meridie.] Accelerauit me p ridiem fides Pauli. Ante cæcus erat, postea cœpit uidere lumen iustitiæ: quoniam qui reuelat ad dominum uiam suam & sperat in eum, dominus quoq; educit tanquam lumen iustitiam eius, & iudicium eius sicut meridiem. Et Abrahę quando deus apparuit ad ilicem Mambræ, meridies erat, cui de præsentia domini lux æterna fulgebat.

fulgebat. Meridies est quando Ioseph uerus in domum suam intrat ut prandeat. Tunc enim plus dies lucet, quando sacramenta celebramus. Et intulerunt, inquit, ei munera. Nos munera inferimus, ille instaurat conuiuiũ. Ille dicit: Apponite panes, quos soli Hebræi sumunt, Aegyptij manducare non possunt.] Sed ante conuiuium quanta dignatio, qui usus istius & sedulitatis & gratię? Morale mysterium. Adhuc de calumnia quam sibi à Ioseph fieri putabant, fratres suspecti erant, ille inuitabat ad prandium: horum nutabat affectus, illius perseuerat gratia. Primus appellat, primus interrogat, Quomodo habetis? Et iterũ ait: Recte est pater uester senior? Superioris est inferiorẽ ad colloquiũ prouocare, dare sermonis fiduciam, quærere non solum de ipsis, sed etiam de parentibus. Respondẽt illi: Recte est pater noster, puer tuus.] Ille seniorem dixit ut honoraret, illi puerũ nominauerunt ut deferrent humilitatis obsequiũ: quod senectus honoratę sit dignitatis: puerilia autem subiecta uideatur, & propior uerecundiæ quàm superbiæ. Respiciens autẽ oculis uidit Beniamin fratrẽ suum ex eadẽ matre.] Morale est, ut quos diligimus, eos uideamus præ cæteris: & quos animi intentio habet priores, eos obtutus offendat oculorũ. Siquidẽ plerunq; circa alia mentis occupatione districti, quos habemus ante oculos, non uidemus: ita duce animo dirigitur noster aspectus. Vidit igitur Beniamin fratrẽ suum sanctus Ioseph, quem tenebat animo, quẽ oculis requirebat: quo absente fratres pene nõ uiderat: nec solum uidisse contentus, quasi nesciret interrogauit: Hic frater uester est adolescentior?] Consuetudo & gratia charitatis est ut dilectos nobis nõ solum oculis, sed etiam sermone teneamus. Agnouerat Ioseph dilectum suum, sed ideo interrogabat ut quem tenebat animo, uox sonaret. Denicq; non expectauit ut responderetur, sed cõtinuo benedixit eum, & turbatus est desiderij sui fructu. Torquebantur autem uiscera eius, quia cõplectendi eius quem desiderabat libertas differebatur. Denicq; ingressus in promptuarium plorauit, & lauit faciem suam, & cõtinuit se.] Grandis amoris aculei citò corda cõpungunt, nisi desiderij fræna laxẽtur. Vincebatur affectu Ioseph, differebatur cõsilio, ratio cum amore certabat. Fleuit, ut amoris pij æstus lachrymis temperaret. Hæc moraliter. Mystícè autẽ, Vidit dominus Iesus Paulũ, oculi enim domini sunt
Psalm. 33 per iustos, & dixit: Hic frater uester est adolescentior? Adhuc adolescentior dicitur, qui
Ephes. 4 nondum maturã canæ fidei gerebat ætatẽ, nondũ in uirum perfectũ excreuerat, in illam
Actor. 7 (sicut ipse ait) mensurã ætatis plenitudinis Christi. Denicq; adolescens legitur tantum ibi
ad Philem. ubi lapidantium Stephanũ uestimenta seruabat. Et ideo Philemonem non adolescentię suæ, sed senectutis similem esse cupit, ut scripsit: Magis obsecro, cùm sis talis ut Paulus se
1. Tim. 5 nex. Ideo adolescentiores uiduas prędicat declinandas, nõ propter ætatem, sed propter quandam pubescentium delictorum lasciuiam, immaturitatemq; uirtutis. Cęterũ maior in iuuene quàm in sene laus castitatis est. Puto enim quod à uero non sit alienum illud si intelligamus, quia cum hic Paulus hæreret, & horrore correptus, quod cæcitas accidisset ei, inciperet tamen appropinquare dicendo: Domine quid me uis facere? Ideo adole-
Actu. 9 scentior dicebatur à Christo, ut qui uocabatur ad gratiam, excusaretur à culpa, quòd ea lubricæ fuisset ætatis. Denicq; uidit eum Christus, ubi lux circunfulsit eum. Et quia adolescentes magis metu quàm ratione reuocantur à uitio, adhibuit stimulum, & miseratus
Ioann. 11 admonuit ne aduersus stimulum calcitraret. Turbatus est autem, sicut uides & in Euangelio quia turbauit se spiritu cum Lazarum resuscitaret, & ibi fleuit, ut prius lachrymis suis mortui delicta lauaret. Sed intrò fleuit, & lauit faciem suã. Cæcitas Pauli, fletus est Christi. Lauit faciem suam, ubi lumen ei reparatur amissum. Lauit faciem suam Christus ubi baptizatus est Paulus, per quem à pluribus uideretur. Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est, quod haberet superioribus anteferri non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis, & gratia castitatis.

De inebriatione fratrum conuiuantium, & insertione scyphi argentei in saccũ Beniamin, singulorumq; sacculorum requisitione, ac inuentione scyphi in sacco Beniamin. Et de mysterijs istorum. Cap. XI

Genes. 43 Iberunt autem & inebriati sunt pariter cũ eo.] A principio fidei maior Pau-
Actor. 9 B lo prærogatiua defertur, de quo dictum est ad Ananiam: Vade, quoniam
Psalm. 22 uas electionis est mihi, ad sufferendum nomen meum coram gentibus. A principio ebriatur ebrietate, sed sobria, & ipse cum sanctis diceret: Et poculum tuum inebrians

inebrians, quàm præclarus est. Et scyphus argenteus solius sacco eius inseritur. Nesciebat hoc Beniamin. Non fallebatur Paulus, sed uocabatur. Mittitur post eum mane. Nox enim præcesserat cæcitatis, dies fidei appropinquabat. Per ordinem singulorũ prius inspiciuntur sæculi. Docet te moralitatẽ scriptura diuina. Per ordinem autẽ discubuerunt in conuiuio, cõtrà eum primitiuus secundũ ætatem. Vides quod seniori locus ille sit deferendus. Per ordinem iterum requiruntur sæculi singulorum, ut scias electũ esse Paulũ cœlesti iudicio. Discussit cæteros, hunc prætulit. In nullius alterius sacco scyphus argenteus inuentus est, nisi istius. Quid sibi uult quod insertus est sacculo? Ioseph quidem inebriauit ut falleret: scyphum misit, ut fratrem quẽ diligebat, pia fraude reuocaret. Sed refulgent mysteria diuina. Hoc inuenit in nobis Christus argentum, quod ipse donauerat: Habemus naturæ argentum, habemus & gratiæ. Natura opus est creatoris, gratia munus est redemptoris. Et si non possumus uidere dona Christi, ille tamen donat & operatur occultè, & donat omnibus: sed seruare paucorum est, & nõ amittere. Non omnibus tamen donat omnia. Triticum multis datur, scyphus uni, qui prophetico & sacerdotali donatur munere. Non enim omnes, sed Propheta dicit: Calicẽ salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. In corpore igitur Pauli iam doctrinæ cœlestis eloquium refulgebat, cum esset eruditus in lege. Sed quia adhuc iustitiæ dei subiectus non erat, intra saccũ erat scyphus, doctrina intra legẽ, lucerna intra modium. Missus tamen Ananias qui benedictionem daret, manum imponeret, saccum solueret, sacco soluto reluxit argentum, & decidentibus squamis uelut quibusdam sacci uinculis statim uidit. Vinculum eius perfidia erat, absolutio eius fides facta est. Et ideo tanquam soluto sacco, hoc est depositio legis uelamine, quod positũ est supra cor Iudæorum, conuersus ad dominũ, liber à nexu, adeptus gratiam libertatis, ait: Nos itaq; reuelata facie gloriã dei speculãtes, ad eandem imaginem reformamur. Soluto enim calceamento legis, nudo uestigio liberi sermonis Euangelium prædicabat. Tenebant enim eum Iudæi, & impedire cupiebant: sed ubi in eius sacco argentum resplenduit, sciderunt uestimẽta sua, & reuersi sunt retro. Libera ergo pro Christo paupere prædicatio nudauit populum Iudæorum, & omnẽ eorum rescidit gratiam. Ideoq; retro regressi sunt, qui antè se uidere non poterant. Retro redeunt, qui Christum amittunt. Denicq; & in Euangelio cum corriperent ad mortẽ dominum Iesum, redeuntes retro ceciderunt in terram. Merito retro reuertebantur, qui in terrenam labem ab illa cœlesti gratia recidebant. Nolebant igitur moraliter redire sine fratre, mystice sine Paulo reuerti: quo amisso asserebant in mœrorem deducendã parentis populi senectutem. Et ideo Iudas apud Ioseph remanere cupiebat, ne uideret mala quæ inuenirent patrem suum, hoc est, iam præuidebat & cauere cupiebat mala quę uentura erant populo Iudæorum. Sed cum adhuc hæc ipsa non esset in typo illo principum populi Iudæorum libera prędicatio, fleuit Ioseph, hoc est, in illo plorauit Iesus.

Quemadmodum sanctus Ioseph se manifestauerit, ut à fratribus cognosceretur & de aduocatione eorum ad se, accessuq; ipsorum ad illum. Quomodo etiã eos consolatus fuerit, cum mystica dictorum interpretatione. Cap. XII

Iussit omnes recedere, ut cognosceretur à fratribus.] Non uenerat enim, si non ipse ait, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et emittens uocem cum fletu, Ego sum, inquit, Ioseph. Adhuc pater meus uiuit?] Hoc est, expandit manus suas ad populum non credentem & contradicentem, non legatum neq; nunciũ quærens, sed ipse dominus saluum facere uolens populum suum. Ego qui loquebar, ecce assum, inquit, & palam factus non quærentibus me, appareo ijs qui me non interrogabant. Quid igitur aliud tunc clamauit, nisi, Ego sum Iesus, cum principibus Iudæorũ interrogantibus, Tu es filius dei? responderet: Vos dicitis quod ego sum. Cùm Pilato diceret: Tu dicis, quia rex sum ego, in hoc natus sum. Cum principi sacerdotũ dicenti, Adiuro te per deum uiuum ut dicas nobis si tu es Christus filius dei, referret: Tu dixisti. Amen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis, & uenientem cum nubibus cœli. Hoc est ergo quod ait: Ego sum Ioseph, ego sum diuinæ potentiæ. Adhuc pater meus uiuit? Hoc est, ego patrem non nego, ego fratres agnosco, si aut uos fratrem, aut pater filium recognoscat. Adhuc ergo populus meus uiuit, de cuius populi familia fratrem mihi elegi? Accedite ad me, quia ego ad uos appropinquaui, & cousq;

Genes. 45 Matth. 15 Esa. 65. & Rom. 10 Esa. 52 Ioann. 18 Matth. 26 Psalm. 115 2. Cor. 3

eouſq; appropinquaui, ut per carnis ſuſceptionem facerē me ueſtræ conſortem naturæ. Nolite uel participem fugere ueſtræ ſocietatis, ſi non agnoſcitis authorem ſalutis. Et ac ceſſerunt, inquit, ad illum. Et dixit: Ego ſum Ioſeph frater ueſter, quem uos tradidiſtis in Aegyptum. Nunc ergo nolite mœſti eſſe, neq; uobis durum uideatur quoniam huc me uendidiſtis. Ad uitā ēm ueſtrā miſit me deus ante uos.] Quàm pia fraternitas, quā dulcis germanitas, ut etiam parricidale excuſetur admiſſum, dicens diuinæ illud prouidentiæ fuiſſe, non impietatis humanæ: quando quidem non ab hominibus oblatus ad mortem, ſed à domino miſſus ſit ad uitam. Quid aliud habet illa domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fratres omnes pietate ſuperauit, in cruce poſiti interceſſio illa pro plebe, dicentis: Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt? Quid aliud illa appellatio ſanctitatis in medio diſcipulorum, dicentis: Pax uobis, ego ſum, nolite timere? Et cum conturbati & conterriti exiſtimarent ſe ſpiritum uidere, iterum dixit ad illos: Quid turbati eſtis? & quare cogitationes aſcendunt in corda ueſtra? Videte, ecce manus meas, & pedes meos, quia ego ſum ipſe. Palpate, & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Hæc ergo iam tunc futura poſterioribus temporibus myſteria reuelata ſunt. Denicq; ipſis exprimitur ſermonibus, ut ipſum eſſe intelligamus & qui antè in Ioſeph, & poſtea in ſuo locutus eſt corpore, quando quidē nec uerba mutauit. Ait enim tunc. Nolite mœſti eſſe. Et infra: Aſcendite ad patrem meū, & dicite illi: Hæc dicit filius tuus Ioſeph: Fecit me deus dominū totius terræ Aegypti. Et in Euangelio ait: Nolite timere. Ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæā, & ibi me uidebunt. Et infra ait: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, hoc eſt dicere. Diuinæ hoc fuit diſpenſationis ut acciperem poteſtatem, non acerbitatis humanæ. Non obijcit ſcelus, qui enumerat præmium. Quod autem habetur in Geneſi, Ad uitam enim ueſtram miſit me deus ante uos, reddit in Euangelio, dicens: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Hæc enim merces & uita ſanctorum, quod etiam alios redemerunt. Illud quoq; aduerte non ocioſe ſcriptum in Geneſi: Et eris prope me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum. Hoc eſt enim quod dixit in Euangelio: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi. Quàm euidens quoq; illud myſteriū, quòd uelut completo omni mandato fratrem ſuum complectitur Beniamin, & cecidit ſuper collum eius, ſicut completo Euangeli Chriſtus Paulum amplectitur quibuſdam miſericordiæ ſuæ brachijs, & interna opinione curuatum, uelut à collo in cœlum erigit. Vnde & ille erectus à Chriſto, ait: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.

Luc. 23
Ibidem. 4
Matth. 28
Geneſ. 45
Matth. 28
Philip. 3

De gaudio Pharaonis quòd Ioſeph agnouiſſet fratres ſuos, & de exhortatione eius ut Ioſeph inuitet fratres ut ueniant cum patre illorumq; executione, & peruentione ad Iacob, narrationeq; ſingulorum. & quòd Ioſeph adhuc uiueret. Et de myſterijs circa hæc. Cap. XIII

Geneſ. 45

T gauiſus eſt Pharao quod Ioſeph agnouiſſet fratres ſuos. Vnde & diuulgata eſt uox in domo Pharaonis. Et hortatus eſt ſanctum Ioſeph ut fratres ſuos inuitet, ut ueniant cum patre, & mandat impleri eorum ſarcinas tritico, & uehicula dari.] Vnde hæc humanitas barbaro, niſi ut illud oſtenderetur magnū myſteriū, quoniam nō inuidet Eccleſia cùm redimuntur Iudei, & populus Chriſtianus hac adiunctione lætatur, & quibus poteſt ſubſidijs iuuat, & mittit Euangelizātes regnū dei, quo maturius euocentur? Quibus dantur binę ſtolę. Et allígat Paulū, cū eius dicta depromit cui trecenti aurei & quinq; ſtolæ diuerſi coloris cōferuntur à Chriſto. Trecentos aureos habet, qui crucem prædicat Chriſti. Ideoq; ait: Neq; enim iudicaui me ſcire aliquid inter uos, niſi Chriſtū Ieſum, & hunc crucifixū. Et bene aureos accepit, quia nō in ſuaſorijs humanæ ſapiētiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus prædicabat. Quinq; autē ſtolas accepit, uel ſapientiæ multiplices diſciplinas, uel quod nullis ſenſuum corporaliū captus illecebris, ubi alij periculū, ille teneret uictoriā, qui omnes uoluptates carnis ſingulari continentia & uirtute ſuperaret, cuius ingeniū ſtudiūq; nulla corporis hebetaret infirmitas, qui cū eſſet in corpore, corpus ſe habere neſciret. Denicq; raptus in paradiſum, ſiue in corpore ſiue extra corpus neſciens, audiuit uerba ineffabilia quæ loqui homini non liceret qui poſtremum nihil terrenum oleret in terris, ſicut ipſe docet, dicens: Quia Chriſti bonus odor ſumus deo in ijs qui ſalui fiunt. Prælellit igitur Paulus, & eius exuberat portio, ſed

1. Cor. 2
1. Cor. 12
2. Cor. 2

tio,sed tamen habent & alij prædicatores gratiam suam,binas stolas accipiunt.Quas utique illas? Dubitare non debes,quia legisti de sapientia dictum: Binas uestes fecit uiro suo. Vna est mystica, moralis altera. Sed non omnes apostoli, non omnes prophetæ,non omnes pastores, non omnes uirtutes, non omnes habent gratiam curationum, non omnes linguis loquuntur. Vbi diuersa merita,diuersa & præmia. Mittuntur & patri munera.Filius honorat patrem.Christus populũ suum inuitat promissis, inuitat muneribus.Portant hæc munera asini illi inutiles & laborioſi antè, nunc utiles: portant in typo Christi munera,portaturi in Euangelio munerum largitorem. Dimisit autem fratres suos,& abierunt.Et dixit illis Ioseph: Nolite irasci in uia. Quàm bene docet ab iracundia prẽcauendum,quòd ea posset etiam amantes sui separare germanos:& maximè in uia fugiendam esse discordiã,ubi ipse uiandi comitatus debet esse inuiolabilis, & gratiæ habere consortium. Quid autem aliud ait dominus Iesus ex hoc corpore recessurus, cum discipulos dimitteret suos, nisi ne irascerentur in uia,dicẽs: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis? Vbi enim pax est,iracundia locum nõ habet,ablegatur discordia,fugatur dissensio.Hoc est ergo quod ait:Pacem meam do uobis: id est,Nolite irasci in uia.Et uide ne in hac uia dicat,hoc est,in hoc cursu totius uitę indignationem cauendam,quod ira sæpe etiam innocentes in crimen abducat,quia dum iusto amplius irascimur,& uolumus alienum coercere peccatum,grauiora peccata cõmittimus.Ideo Apostolus ait:Non uosipsos uindicantes charissimi,sed date locum iræ.hoc est, declinemus eam ne nos illa corripiat. Vnde dominus Iesus dimittens ad euangelizandũ discipulos, misit eos sine auro,sine argento,sine pecunia,sine uirga,id est,ut & incentiua litis,& instrumenta eriperet ultionis.Et ascenderunt,inquit,de Aegypto,& uenerũt in terrã Chanaan ad Iacob patrem suum,& nunciauerunt illi dicentes:Quia Ioseph filius tuus uiuit, & ipse est princeps totius terræ Aegypti. Quid est terra Chanaan? Quæ nutabat. Quid igitur tam euidens q̃ Apostolorum tempora designari? Qui ingressi Iudæorum synagogas nutantes,domini Iesu potentiam prædicabant, sicut habemus in Actis apostolorũ, dicente Petro:Hunc ergo Iesum resuscitauit deus, cuius nos testes sumus. Dextera igit̃ dei exaltatus,repromissiõe spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc donum quod uos uidetis.Aduertimus certe quomodo & uiuere eum,& terræ totius principem dicat,qui aperiens horrea sua spiritalis gratiæ donat omnibus ubertatem.Hæc dicebant Apostoli,sed Iudęi non credebant,sed inijciebant manus in eos, sed tradebant in custodiã prædicatores salutis. Vnde & de Iacob scriptum est:Expauit mente.non enim credebat eis. Expauit affectu plebis incredulæ, sed posteaquam Christi gesta cognouit,tantis beneficijs & operibus delinitus resumpsit spiritum, dicens: Magnum mihi est, si adhuc filius meus Ioseph uiuit:ibo & uidebo eum priusquam moriar. Primum & maximũ fidei fundamentum,in resurrectionem Christi credere. Quicunq; enim crediderit resuscitatum, festinus requirit,deuotus accipit,& intima deum mente ueneratur. Credit enim quòd ipse non moriatur,si credat in resurrectionis authorem.

Prouer. 31

Ioan. 14

Rom. 12

Act. 2

Gen. 45

De Israel patris eleuatiõe ac profectione, & hostiarum circa Puteum iuramẽti immolatione,eiusq; per dominum consolatione, ac descensu in Aegyptũ cum animabus septuaginta:& de mysterijs prædictorum. De ipsius deniq; Iacob ad filios adhortatione ut congregentur ad audiendum ea quę occursura sint eis in nouissimis diebus. Cap. XIIII

ibid. 46

E Teleuans se Israel,uenit ad Puteum iuramenti,immolauitq; hostiam deo patris sui Isaac.] Merito eleuatur qui festinat ad Christum.Fides prẽcedit deuotionem.Prius se eleuauit,postea immolauit.Ille enim bene immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigauerit.Dixit autem deus ad Israel in uisu nocte,dicens:Iacob,Iacob.Qui dixit:Quid est? Et dominus ait: Ego sum deus patrum tuorum.Noli timere,descende in Aegyptum: in gentem enim magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum in Aegyptum,& ego deducam te in perpetuum.] Quemadmodũ quæ ipsi legũt non intelligunt:& Moysen quem laudant,abnegant,cum eius scripturis credere nolũt. Quid euidẽtius q̃ quod hoc loco inuitant ut ad Ecclesiã dei transeant,& qui antè intra Iudææ terminos coarctabantur angustos,ad populum dei migrent,qui ex toto orbe ex omnibus nationibus congregatus in magnam factus est gentem? Denique in omnem

Psal. 18

terram exiuit ſonus eorum. Vocat ergo à filijs ſuis Iacob, id eſt à Petro, Paulo, Ioanne, populus Iudæorum, inuitatur ad gratiam. Ipſe quoq; deus noſter proprio eum hortatur oraculo, ſpondet ei profectũ fidei, muneris ſui fructum, dicens ei: Ioſeph mittet manus ſuper oculos tuos. Non utiq; ſanctus patriarcha ſolicitus erat à quo ei oculi clauderent, licet etiam intellectu ſimplici moralis exprimatur affectus. Nam ſi eos quos diligimus cupimus frequenter amplecti, quanto magis receſſuri ex hoc corpore, ipſo charorũ pignorum tactu delectamur extremo, & hoc mulcemur uiatico? Tamen myſticè licet nobis intelligere quod poſtea cogniturus deum ſit populus Iudæorum. Hoc eſt enim myſterium, quod uerus Ioſeph immittet manus ſuper oculos eius, ut qui non uidebat ante, iam uideat. Veni ad Euangelium, lege quemadmodũ cæcus ille ſanatus ſit, cui Ieſus manum impoſuit, & eius abſtulit cæcitatem. Non enim moriturís Chriſtus manum impoſuit, ſed uicturis: aut ſi moriturís, recte, quia prius morimur, ut reuiuiſcamus. Non enim poſſumus deo uiuere, niſi peccato ante moriamur. Deſcenduntigitur in Aegyptum ſeptuaginta animæ, ſicut ſcriptum eſt. Et hoc myſticæ numero remiſſionis, quia poſt tantam duritiam, poſt tanta peccata haberentur indigni, niſi donaretur his remiſſio peccatorum. Occurrit illi Iudas, hoc eſt confeſſio erroris. Hunc ſui uenturus Iudæorum populus prænuncium mittit. Ideo & Ioſeph uerus, id eſt, arbiter & interpres diuinitatis occurrit, quia præcedit iam confeſſio, quos antea perfidia poſſidebat. Interpres enim diuinitatis eſt Chriſtus, quia deum nemo uidit unquam, niſi unigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Hic ſenilis iam ætatis, & feſſum ſuſcipiet ultimis temporibus populũ Iudæorum, non ſecundum illius merita, ſed ſecundum electionem ſuę gratiæ, & imponet manum ſuper oculos eius, ut cæcitatem auferat. Cuius ideo diſtulit ſanitatem, ut poſtremus crederet, qui antè non putauit eſſe credendum, & prærogatiuam ſuperioris electionis amitteret. Vnde & Apoſtolus ait: Quia cęcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Geſta igitur patriarcharum, futurorũ myſteria ſunt. Denicq; ipſe Iacob ait ad filios ſuos: Cõgregamini ut annunciem uobis quæ occurſura ſunt uobis in nouiſſimis diebus. Congregamini, & audite Iſrael patrem ueſtrum.

Ioan. 9

Gen. 46

Ioan. 1

Rom. 11

CAPITA LIBRI DE BENEDICTIONIBVS PATRIARCHARVM.

Quòd filij diſcere debeant reuerentiam & honorem deferre patribus, ut benedictionibus eorum digni habeant, & de cõmendatione paternæ benedictionis. Quodq; ſanctus Ioſeph benedictionẽ ſumere feſtinauerit, & filios ſuos Manaſſen & Effren obtulerit, quos & Iacob benedixit. Et de myſtica huius benedictionis ratione. Cap. I

De prophetica benedictione Ruben primogeniti, quæ magis prophetia q benedictio eſt. Et de errore Iudæorum, atq; myſterijs circa eam. Cap. II

De prophetia eorum quæ euentura erant filijs Symeon & Leui, quorũ nominib. tribus deſignantur. Et de cõfutatione opinionis Iudæorum circa myſticam & pulcherrimã iſtius benedictionis interpretationem. Cap. III

De benedictione Iudæ, & myſtica eiuſdem ſignificatione. Cap. IIII

De benedictione Zabulon, & myſterijs illius. Cap. V

De benedictione Iſachar, & myſtica eius expoſitione. Cap. VI

De prophetica benedictione Dan, ac myſtico eiuſdem intellectu. Cap. VII

De benedictione Gad, & myſtica eius interpretatione. Cap. VIII

De benedictione Aſer, & myſterijs eiuſdem. Cap. IX

De benedictione Neptalim, & myſtica illius declaratione. Cap. X

De benedictione Ioſeph, & qua ratione ſuper omnes filios eum pater uberius proſecutus ſit, ac de myſtica illius benedictionis expoſitione. Cap. XI

De benedictione Beniamin, & myſtica repræſentatione eiuſdem. Cap. XII

DIVI

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI LIBER

DE BENEDICTIONIB. PATRIARCHARVM.

Quòd filij discere debeãt reuerentiã & honorẽ deferre patribus, ut benedictionibus eorũ digni habeantur, & de cõmendatione paternæ benedictionis. Quodq; sanctus Ioseph benedictionẽ sumere festinauerit, & filios suos Manassen & Effrem obtulerit, quos & Iacob benedixit. Et de mystica huius benedictionis ratione. Cap. I

PRIMVM omniũ quantã discimus parẽtibus deferre reuerentiã, cũ legimus: Quoniã qui benedicebat à patre, benedictus erat: & qui maledicebat maledictus erat. Ideo hanc parentib. gratiã donauit deus, ut filiorũ pietas prouocet. Prærogatiua igit parentũ, disciplina est filiorũ. Honora ergo patrẽ, ut benedicat te. Honoret pius patrẽ propter gratiam, ingratus propter timorẽ. Etsi pauper est, & nõ habet diuitiarũ copias quas relinquat filijs, habet tamen ultimę benedictionis hæreditatẽ, qua sanctificationis opes successoribus largiat. Et multo plus est beatũ q; diuitẽ fieri. Festinabat Ioseph sumere benedictionẽ. Denicq; & filios suos obtulit Manassen & Effrem, quos benedixit Iacob, ut quia duodecim habebat filios, & tertiusdecimus erat futurus apostolus Paulus, quasi posterior electus, tertiadecima tribus de Manasse & Effrem nepotibus sanctificaret in utrumq; diuisa, quo Paulus nõ extra paternarũ numerũ tribuũ inueniret, qui ueteris Testamẽti & noui egregius prædicator paternę benedictionis hæreditatẽ sibi quoq; facile profecisse comprobaret. Quàm præclara & in hoc mysteria, q; sumẽs Ioseph filios suos quos susceperat in Aegypto, Effrem ad dexterã suam, ad sinistrã aũt Israel patris sui, Manassen aũt ad sinistrã suã, ad dextrã aũt Israel applicuit eos ante patrẽ. Extẽdẽs aũt Israel manũ dexterã, imposuit super caput Effrem qui erat iunior, & stabat à sinistra aui: & sinistram suã posuit super caput Manassen qui erat ad dexterã, & ita immutatis manib. benedixit eos. In quo & Ioseph naturæ ordinẽ seruauit. ut seniori filio plus deferret, sicut Isaac quoq; in Esau priorẽ filiũ benedictionẽ præferre cupiebat. Sed minorẽ filium in typo iunioris populi credidit præferendũ, sicut erat ipse à matre prælatus. Denicq; Manasses ex obliuione Latina interpretatione signatur, eò quòd populus Iudæorũ oblitus est deum suum qui fecit eum. Et quicunq; ex ea plebe crediderit, tanq; ex obliuione reuocat. Effrem aũt fœcunditatẽ fidei interpretatione nominis pollicetur, qui auxit patrẽ, sicut ait ipse Ioseph dicẽs: Quia auxit me deus in terra humilitatis meæ. Quod propriũ est populi iunioris, qui corpus est Christi, augẽs patrẽ, & deũ propriũ nõ relinquẽs. Denicq; spiritaliter de populis hoc esse mysteriũ senior declarauit. Nam cũ filius putaret eũ errasse uitio hebetioris aspectus, cõuertere uoluit manus eius, dicẽs: Nõ sic pater, hic ẽm primituus est. Impone dexterã super caput eius. Sed noluit, & dixit: Scio fili, scio. Et hic erit in populũ, et hic exaltabit, sed frater eius iunior maior illo erit, et semẽ illius erit multitudo gentiũ. Denicq; prę ferendũ Effrem seniori germano, etiã benedictiõis serie, pphetauit dicẽs: In uobis benedicet Israel, dicẽtib. Faciat uobis deus sicut Effrem & Manasse. Et ideo cũ essẽt nepotes, in locũ filiorũ sunt adoptati, ut nõ essent auidę benedictiõis expertes.

Exo. 20

Genes. 48

ibid. 41

ibid. 48

De prophetica benedictione Ruben primogeniti, quæ magis prophetia q; benedictio est. Et de errore Iudæorum, atq; mysterijs circa eam. Cap. II

H Ac benedictione celebrata, uocauit etiam filios suos. Et qui antè iuniorem seniori prętulerat, cœpit à primo, ut in illo mysterij prę ferret gratiam, in hoc ordinem seruaret ætatis: simul quia antè in duobus benedixerat uniuersos cum omni posteritate & progenie futurorum, ne aut superflua uideretur plebis iterata benedictio, aut prior æstimaretur infirma. Merito' que repetitam magis annunciationem eorum quæ posterioribus essent uentura temporibus, quàm benedictionẽ conferre se dicit. Denicq; sic cœpit: Ruben primogenitus meus, tu uirtus mea, & initiũ filiorum meorũ, durus portari, durus & temerarius, affecisti me contumelia: sicut aqua non efferueas. Ascendisti enim in cubile patris, tunc polluisti thorum quo ascendisti.]

ibid. 49

Nonne

Nónne redargui magis q̃ benedici uidetur? Et ideo prophetia magis q̃ benedictio est. Prophetia enim annunciatio futurorũ est, benedictio aũt sanctificationis et gratiarũ uotiua collatio. Et Iudæi putant quia hæc senex ad Ruben filium dicat, quia cum Bala concubina patris concubuit, & thorum patrium polluit. sed facile refelluñ. Hoc enim erat antè gestum. Iacob aũt quæ uentura essent in nouissimis diebus, non ea quę gesta erant, spondet se esse dicturum. Ergo patriarchæ sibi congruit & constat sententia, qui uidens persequentibus Iudæis futuram domini passionem, execratur immanem primogenitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec dei legi subdita, & iugum Christi dura nesciẽs portare ceruice, authorẽ uitæ non solum scelere necis, sed etiam sacrilegæ insultationis affecit iniuria. Non efferueas, inquit, sicut aqua. ne in maiorem prorumpat amentiam, & feruor furoris atq; insaniæ non sinat resipiscere peccatores, sed agat pœnitentiam peccatorum, quoniam durus ascendit populus cubile patris, & thorũ polluit sanctũ, hoc est, carnem domini Iesu conditoris nostri patibulo affigens crucis, in qua uelut in quodam cubili & patrio thoro sancti eius salutari refectione requiescunt. Quis igiť abnuat de populo dictum, cum populo hæc uniuersa conueniant? Ipse enim dictus est primogenitus Exo. 32 et 33 Israel, ipse duræ esse ceruicis. De ipso dixit Moyses: Vos aũt populus durę ceruicis estis. Et reuera quis tam durus, & temerarius, & contumeliosus, q̃ populus Iudæorũ, qui dominum Iesum, per quem uiderant mortuos suscitatos, cęcos illuminatos, flagellis uerberauerunt, clauis confixerunt, cum diuina eius opera negare non possent? Quod scribis & pontificibus authoribus, & principe sacerdotum Caipha pariter sæuiente cõmissum, Euãgelij series declarauit. Et ideo sanctus propheta refugit tanti sceleris participatum, ne per successionem generis auderent tanti patriarchæ sibi arrogare consortium.

De prophetia eorum quæ euentura erant filijs Symeon & Leui, quorũ nominibus tribus designanť. Et de confutatione opinionis Iudæorũ circa mysticam & pulcherrimam istius benedictionis interpretationem. Cap. III

Ontestatur iustus et abdicat posteritatem quę patriũ non seruaret affectum:
C & quia præuidit flagitium, perhorrescit consilij contagium. In consilium, inquit, eorum non ueniat anima mea, & in congregatione eorum non contendant uiscera mea, quoniam in ira sua occiderunt homines, & in cupiditate sua subneruauerunt taurũ. Quod dicit, de filijs quidem dicit Simeon & Leui, sed eorũ nomine tribus signatur, quæ appellatione simili uocabať. Quam interpretationẽ pulcherrimam deriuant Iudæi, ut arbitranť, quia propterea arguat filios Iacob, quia propter stuprũ sororis, Sichimitas isti duo præ cæteris fratribus ultum ire cupientes, simulauerunt cum ipsis ini re uelle se gratiam, & ideo oportere circuncidi eos suaserunt illis, ut religione concordi pax inter eos, & recipiendæ affinitatis societas firmaretur: sed circuncisos adorsi, recentibus adhuc uulneribus, & inualidis uirib. quas dolor foluerat fractos, die superuenientes tertio necauerunt. Ideo & fortasse isti duo ultores præ cæteris, quia scribarũ & sacerdotum autores sunt. Nulli enim magis q̃ sapientes & sacerdotes debent castimoniam uindicare. Sed in hoc quoq; errant Iudæi. Isti enim causas doloris sui præstiterant patri, asserentes se in illa licet ætate iuuenili uindices læsæ fuisse pietatis, & uiolatæ castitatis ultores. Quod utiq; sanctus condemnare non poterat, quia non passi sunt inultam soGen. 34 rem suam loco esse meretricis, quæ & uirginitatem amiserat, & uindictæ solatium non habebat: maxime cum ipse sic factũ probauerit, ut Sichimam possideret in mortem, do
Ibid. 48 naretq; eam filio suo dilectissimo Ioseph, dicens ad eum: Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos, quam accepi de manibus Amorreorum in machæra mea & arcu. Quod factum negari non potest. Interpretari tamen possumus per Sichimam humeros significari, per humeros opera. Hæredem ergo bonorũ benedictionibus operũ sanctum Ioseph præ cæteris elegit, cuius opera fratres æquare non poterant. Quis enim facta Christi poterat adæquare? Tum præterea immaculatus & castus de hoc terreno diuersorio, & impuritatis autoribus manubias reportauit, locum stupris & flagitijs uacantem ad incolatũ sanctorũ uerbis cœlestib. & gladio capiẽs spirituali: ut ubi inhabitatores antè lasciuiæ & principes luxuriæ uersabanť, ubi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ, ubi nũc sancti sacerdotes magisteria doceãt castitatis, & plurima uirginalis integritatis exẽpla, uelut quodã supernæ lucis fulgore resplendeãt. Tribus igiť sunt quę

designantur

designantur nominibus patriarcharum, quia de tribu Symeon scribæ sunt, de tribu Leui principes sacerdotum, qui perfecerunt nequitiam suam in domini passione, mensurã omnem paternæ impietatis implentes. Ipsi consilium cogitauerunt aduersus dominum Iesum, ut occiderent eum, sicut Esaias dicit: Væ animæ ipsorum, quia cogitauerunt con Esa. 3
silium malum aduersum se dicentes: Alligemus iustum, quia inutilis est nobis. Ipsi occiderunt prophetas & apostolos, annunciantes domini saluatoris aduentum, passionis eius & resurrectionis gloriam prædicantes. Ipsi postea in sua cupiditate qua terrena flagitia desiderabant, diuina consortia refugientes, corporis castimoniam, sobrietatem mentis, contemptum pecuniæ, lucrum gratiæ, subneruauerunt taurum, illum uidelicet cornua producentem & ungulas, quem uident pauperes & lætantur, quoniam uerbũ Dei exaltauit cornu populi sui, quo & inimicos repulit, & præmium coronæ cœlestis emeruit. Hic est taurus quo ecclesia figuratur in luna, tunc plenior cum uelut cornibus nixa taurinis, spacium totius orbis includit. Tamen prophetiæ huic uidetur etiam gratiã benedictionis adiungere. Nam & ad primogenitum Ruben dicendo, Non efferueas ut aqua, peccatum statuit, quia aqua mundare magis delicta, mentesq; nostras ab omni solet uitiorum feruore reuocare. Et iterum dicendo ad Symeon & Leui: Diuidam uos in Iacob, & dispergam in Israel, ostendit gentium congregatione redimendos. Percusso enim pastore grex ille dispersus est, qui fuerat antè collectus, ut qui non erat, introiret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et maximè propter tribũ Leui debemus hoc credere, quia ex ea tribu dominus Iesus uidetur secundum corporis susceptionem genus ducere. Ex qua tribu sunt sacerdotes Leui & Nathan, quos sanctus Lucas in Euangelij libro quem ipse scripsit, inter maiores domini cõputauit. Sacerdos enim patris, & princeps omniũ sacerdotum, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum, sacerdotalis originis succes- Psalm. 109
sionem debuit uindicare. Vnde & Moyses benedixit hanc tribũ, dicens: Date Leui sor- Deut. 33
tem suffragij eius, & ueritatem eius uiro sancto. Benedixit etiam Moyses tribũ Ruben, sicut habes scriptum: Viuat Ruben, & non moriatur, & sit multus in numero. Neq; em Ibidem
benedixisset, si secundum patriarchæ sententiam benedictione scisset indignos. Certe quod strictim ille præterijt, iste compleuit.

De benedictione Iudæ, & mystica eiusdem significatione. Cap. IIII

E T quia per admixtionem generis Iuda & Leui tribus iunctæ sunt, ideo Matthæus ex tribu Iuda descripsit eius familiam. Et Apostolus ait: Quoniam de Hebr. 7
Iuda ortus est dominus noster. Vt ex tribu Leui sacerdotalis & plena sanctitatis annumeraretur hæreditas: ex tribu aũt Iuda, ex qua Dauid & Salomon & reliqui reges fuerunt, regalis successionis splendor refulgeat, ut idem rex & sacerdos scripturarũ testimonio demonstretur. Meritoq; se circa gratiam Iudæ Iacob sanctus effudit, dicens: Iuda, te laudabunt fratres tui. manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. adorabunt Genes. 49
te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ex germine fili mi ascẽdisti, recumbens dormisti ut leo, & tanq; catulus leonis, quis suscitabit eum? Nõ deerit iudex ex Iuda, & princeps de femoribus eius, donec ueniat cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium, alligans ad uitem asinam suam, & helici pullum asinæ suæ. Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ anaboladium suum. Hilares oculi eius uino, & dentes candidiores q; lac. Ad Iudam quidem patriarcham dirigi uidetur alloquium, sed Iuda ille posterior uerus confessor exprimitur, qui ex ea tribu natus est, qui solus laudatur à fratribus, de quib. dicit: Narrabo nomen tuũ fratribus meis. Dñs per naturam, frater per gratiam, cuius manus Psalm. 21
quas expandit ad populũ nõ credentẽ, super dorsum inimicorũ [tuorũ]. Hisdem enim manibus atq; eadẽ passione suos texit, & subiugauit aduersarias potestates, omnesq; fidei & pietatis exortes subditos sibi fecit. De quib. ait pater ad filiũ, Et dominaberis inimicorũ tuorũ, quos inimicos sui malicia fecit, nõ Christi uoluntas. In quo magna gratia domini. Et enim spiritales nequitiæ, quæ ante ceruicẽ nostram iugo solebãt captiuitatis inflectere, ita ut Dauid ipse manus quodammodo triumphantiũ sentire se scriberet, dicens: Super dorsum meũ fabricauerunt peccatores: ipsæ nunc subditæ triumpho Chri- Ibid. 128
sti, & quibusdã manib. eius, id est factis operibusq; subiectæ, perpetuæ subeũt captiuitatis ærumnã. Ipse utiq; qui adoratur à filijs patris sui, qñ adoratur à nobis, quib. ipse permisit ut patrẽ uocemus, cuius seruũ esse uirtutis est. Catulus leõis Iuda. Nõne euidẽter et patrẽ

expressit,

expreſſit,& filium declarauit? Quid tam euidens quo unius naturæ filius dei cum patre eſſe doceatur? Leo ille,hic catulus leonis. Vili comparatione,eiuſdem naturæ ac potentię unitas intelligitur. Rex ex rege proceſſit,fortis ex forte. quia futuros pręuidebat qui filium aſſererent iunioris ætatis,occurrit his ſubijciens, Ex germine mihi aſcendiſti, recumbens dormiſti ut leo,& tanquam catulus. Et alibi habes: Quia ipſe eſt leo de tribu Iuda. Ergo quia catulũ dixerat,bene ſtatim leonem poſuit, hoc eſt dicere: Non capiant aures ueſtræ quia catulum audierunt,filium expreſſi, non dixi minorem. Et ipſe eſt leo ſicut pater. Audiant quia & leonẽ & catulũ appellauit: leonem, quaſi perfectæ plenæq; uirtutis: catulũ, quaſi filium,ne quis cum audiret,æqualem patri non putaret filium. Nõ ſic laudat filius,ut ſeparetur à patre. Ille probat æqualem, qui filium confitetur. Mirifice autem & incarnationem eius expreſſit,dicens: Ex germine fili mi aſcẽdiſti. eò quòd tanquam frutex terrę in aluo Virginis germinauit,& ut flos boni odoris ad redemptionem mundi totus maternis uiſceribus in ſplendore nouæ lucis emiſſus aſcẽderit, ſicut Eſaias dicit: Exiet uirga de radice Ieſſe,& flos ex radice eius aſcendet. Radix familia Iudæorũ, uirga Maria,flos Mariæ Chriſtus eſt, qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, odorem uitæ æternæ infudit. Habes ergo incarnationem,accipe paſſionem. Recumbẽs,inquit,dormiſti ut leo,quando iacuit in ſepulchro, uelut quodã corporis ſui ſomno quietus,ſicut ipſe ait: Ego dormiui,& requieui,& ſurrexi,quoniã dominus ſuſcepit me. Vnde & Iacob ait: Qui ſuſcitabit eum: hoc eſt quem dominus ſuſcipiet. Quis eſt alius qui reſuſcitet,niſi ipſe ſe ſua patriſq; reſuſcitet poteſtate? Video natum autoritate propria,uideo mortuũ propria uolũtate,uideo dormientem poteſtate propria. Qui omnia ſuo fecit arbitrio,cuius alterius ut reſurgat egebit auxilijs? Ipſe igitur reſurrectionis ſuę autor eſt, qui mortis eſt arbiter, qui expectatur à gentibus. Et ideo donec ille ueniat,non deficiet dux ex Iuda,ut uſq; ad eius ortum regalis ſucceſſiõis fides incorrupta ſeruet. Poſtea enim, ut docuimus tractatu habito in Euangelium, per Herodem adulterata ſucceſſio prærogatiuam dignitatis amiſit. Etenim quia uerum regem negauerunt,falſos habere cœperunt. Ergo hoc dicit patriarcha: Seruabitur in iudicibus uel regibus Iudæorũ inmeratæ ſucceſſionis hæreditas ducta per reges,donec ueniat cui repoſitum eſt, ut eccleſiam dei congreget ex conuentu nationum omnium, & gentiliũ deuotione populorũ, hoc eſt,ipſum manet,ipſi debitum ſeruatur,ipſi tantæ gratiæ prerogatiua defertur. Et ipſe eſt expectatio gentium. Plus dixit quàm ſi dixiſſet, Ipſum expectant gentes, eò quòd omnis ſpes eccleſiæ in ipſo recumbat. Ideo dicit Moyſi, Solue calceamentũ pedum tuorum. ne ipſe ſponſus eccleſiæ crederet, qui dux plebis eligebatur. Ideo ſoluit calceamentum ſuum Ieſus Naue,ut uenturo tanti muneris gratiam,& ipſe ſeruaret. Ideo dicit Ioannes, Poſt me uenit uir,cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Ideo dicit: Qui habet ſponſam,ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet. hoc eſt,ipſe ſolus uir eſt eccleſiæ,hic eſt expectatio gentium, huic deferentes copulę gratiam nuptialis,calceamentũ ſuum ſoluerunt prophetæ. Hic ſponſus eſt,ego amicus ſponſi. gaudeo quia uenit,quia uocem audio nuptialẽ,quia iam nõ dura peccatorũ ſupplicia,dura legis tormenta,ſed remiſſionem criminum,uocem lætitiæ,ſonum iucunditatis,exultationem feſti nuptialis audimus. Hic eſt ille alligans ad uitem aſinum ſuum,& helici pullum aſinæ ſuæ, ut feruorem ſpiritus ſancti habeat congregatio nationũ ante remiſſa & negligens,ſed iam deuota per Chriſtũ,& uiti illi perpetuæ, hoc eſt domino Ieſu,qui ait: Ego ſum uitis,pater meus agricola: uelut fructuoſi palmites quibuſdam inexolubilibus uinculis fidei alligemur. Hoc eſt illud myſterium,quod pullum aſinæ ſoluí iuſſit in Euangelio,& ipſe dominus Ieſus ſedit ſuper eum,ut alligatus ad uitẽ perpetua ſanctorũ ſuauitate requieſceret. Lauit,inquit,in uino ſtolam ſuam. Bona ſtola eſt caro Chriſti, quæ omniũ peccata operuit,omniũ delicta ſuſcepit,omnium errores texit. Bona ſtola,quę uniuerſos induit ueſte iucunditatis: Lauit hanc ſtolam in uino,quando cum baptizaretur in Iordane,deſcendit ſpiritus ſanctus ſicut columba, & manſit ſuper eum. Quo ſignificatur quod plenitudo ſpiritus ſancti indiuidua in eo fuerit, nec receſſerit. Vnde & Euãgeliſta ait: Quia plenus ſpiritu ſancto dominus Ieſus, regreſſus eſt ab Iordane. Lauit ergo Ieſus ſtolam ſuam,non ut ſuam,quæ nõ erat, ſed ut noſtram quæ erat,ſordẽ ablueret. Denicq; ait: Et in ſanguine uuę anaboladiũ ſuum, hoc eſt in paſſione corporis

Apoc. 5
Eſa. 11
Geneſ. 49
Pſalm. 3
Gen. 49
Ibidem.
Exod. 3
Luc. 3
Ioan. 3
Gen. 49
Ioan. 15
Matth. 21
Gen. 49
Mar. 1
Luc. 4
Gen. 49

coporis sui diluit gentes suo sanguine. Etenim uerbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est: Viuo ego dicit dominus, nisi omnes eos induam sicut uestimentum. Et alibi: Sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Non ergo sanguine proprio sua peccata quæ non erant, sed nostra quæ fecimus delicta mundauit. Et bene uuam dixit, quia sicut uua pependit in ligno. Ipse est uitis, ipse uua. Vitis, ligno adhærens: Vua, quia lancea militis apertum latus emisit aquam & sanguinem. Sic enim dixit Ioannes: Quia exiuit de eo aqua & sanguis. Aqua ad lauacrum, sanguis ad precium. Aqua nos abluit, sanguis redemit. Et ideo ait propheta: Hilares oculi eius uino, & dentes candidiores quàm lac: significans prophetas & Apostolos. Alij enim sicut oculi Christi pręuiderũt & annuncia uerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit: Abraham diem meum uidit, & gauisus est. Et unus de prophetis dicit: Vidi dominum sabaoth. quem uidentes spiritali lætitia com plebantur. Alij uerò, hoc est Apostoli, quos dominus à peccatorum labe mundauit, super lac cãdidiores facti sunt, quos macula nulla postea fuscauit. Etenim lac tẽporale est, gratia autem Apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritalia illa atq; cœlestia confi cientes alimenta, mentis internæ uiscera saginarunt. Sunt etiam qui mandata domini lucidà, quæ diuino ore deprompta sunt, sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad panis cœlestis peruenimus alimoniã. Vnde & Paulus ait: Lac uobis potum dedi, non escam: nondũ enim poteratis. Corinthios in principio fidei potu lactis imbuit. Sancti illi quorum fides annunciat in uniuerso mundo, tanquã ablactati esca solidiore firmantur.

Psalm. 101
Ioann. 19
Genes. 49
Ioann. 8
1. Cor. 3

De benedictione Zabulon, & mysterijs illius. Cap. V

Z Abulon iuxta mare habitabit, & ipse secus accessus nauiũ, & pertendit usq; ad Sidonem.] Ipsa nominis interpretatio meliora promittit, eo quòd Latina expressio liberationem significet à nocturnis, quod est utiq; bonum, & eius qui sperat in pennis domini, quem circundat ueritas eius, ne timeat à timore nocturno, & à negocio perambulãte in tenebris. Hic ergo Zabulon iuxta mare, inquit, habitabit, ut uideat aliorũ naufragia, ipse immunis periculi, & spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circunferantur omni uento doctrinæ, ipse fidei radice immobilis perseuerans, sicut est sacrosancta Ecclesia radicata atq; fundata in fide, spectans hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorũ, quoniã gubernatorẽ quẽ habuerant abnegarunt. Circa fluctus itaq; habitat, non fluctibus cõmouetur, magisq; ad subueniendum parat aquam periculo obnoxiam, ut si qui tempestatibus acti grauibus confugere ad portum uelint, præsto sit ecclesia tanquam portus salutis, quæ expansis brachijs in gremium tranquilli tatis suæ uocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens. Ecclesiæ igitur in hoc seculo tanquam portus maritimi per littora diffusi occurrunt laborantibus, dicentes esse credentibus refugium præparatum, quò uentis quassata nauigia possint subducere. In his ecclesijs sunt principes Zabulon, & principes Neptalim, sicut docet quinquagesimus septimusdecimus Psalmus, quorum alij liberatores sunt à tempestate nocturna, clamantes: Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Alij sunt latitudinis Apostolicæ, qui possunt dicere: Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Ipsi sunt isti qui cum essent in tenebris, lucem uiderunt magnam, sicut prophe ta testatur, dicens: Regio Zabulon, & regio Neptalim, uia maris trans Iordanem, populus qui sedebat in tenebris, uiderunt lucem magnam: qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exploratores igitur secus accessus nauium posuit dominus deus noster patriarchæ huius hæredes, cuius cura peruigil & spiritalis successio pertẽdit usq; ad Sidonem, hoc est usq; ad gentes peruenit, ut domini misericordia peccata abluat nationum. Sidon enim primitiuus est filius Cham, illius utiq; qui propter irreuerentiam paternæ pietatis, maledictione damnatus est patris. Ergo liberatio nocturna, tanquam in excubijs posita propugnaculi spiritalis, ne quis scopulosa uitæ huius itinera possit incidere, pertendit usq; ad grauissimorum criminum peccatores, & Sidonios ipsos, qui ante superstitione uehementi uenatores scelerum nuncupabantur, (ut interpretatio docet) soluta hæreditate maledicti, donataq; hæreditate benedictionis absoluit, ut ubi maior reatus erat, ibi nunc uberior sit gratia.

Psalm. 99
Rom. 13
2. Cor. 6
Esa. 9
Genes. 49

De benedictione Isachar, & mystica eius expositione. Cap. VI

Genes. 49 Sachar bonum concupiuit, requiescens inter medias sortes, & uidens requiē
I quia bona est, & terram quia pinguis, suppossuit humerum suum ad laborandum, & factus est uir agricola.] Isachar merces dicitur, & ideo refertur ad Christum: qui est merces nostra, quod eum nobis ad spem salutis æternæ non auro, non
Psalm. 126 argento, sed fide & deuotione mercemur. Vnde & Dauid de ipso dicit: Ecce hæreditas domini filij merces fructus uentris. Et ideo dicit Moyses: Merces circa mare inhabitantium. Hic est qui bonum cōcupiuit ab initio, & quod malum est desiderare nesciuit. De
Esa. 8 quo Esaias ait: Priusquā sciat puer uocare patrē, aut matrē, non credidit malitiæ, eligens quod bonū est. Requieuit inter sortes Veteris uel Noui testamēti, uel in medio prophetarum. Ideoq; inter Moysen & Heliam medius apparuit, ut ostenderet nobis quod in eorum sermonibus requiem habeat, per quos plericq; peccatis renunciantes credūt in deū uiuum: uel quod ipsi sint testes resurrectionis eius, & beatæ quietis. Itaq; ut ad resurrectionis suæ gratiam uocaret gentes (ipsa est enim pinguis & fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centesimos & sexagesimos) subiecit humerum suum ad labo-
Ibidem. 8 randum, subijciens se cruci, ut nostra peccata portaret. Ideoq; dicit propheta: Cuius principatus super humerum eius, hoc est super corporis passionem diuinitatis potestas, uel crux supereminens corpori. Suppossuit ergo humerum incumbēs aratro, omnibus subeundis cōtumelijs patiens, ita subiectus labori, ut uulneraretur propter iniquitates no-
Ibidem. 53 stras, ut infirmaretur propter peccata nostra. Et factus est agricola, sciens terram suā bono seminare frumento, & fructiferas arbores alta radice plantare.

De prophetica benedictione Dan, ac mystico eiusdem intellectu. Cap. VII

Genes. 49 An iudicabit populum suum tanquam una tribus Israel. Et factus est Dan ip
D se serpens in uia sedens, & in semita mordēs calcaneum equi, & cadet eques retrorsum, salutem exspectans à domino.] Simplex quidem intellectus hoc habet, quod etiam Dan tribus iudicem dederit in Israel. Etenim post Iesum Naue iudices fuerunt plebis de diuersis tribubus. Fuit autem & Samson de tribu Dan, & iudicauit Israel uiginti annis. Sed non hunc prophetia significat, sed Antichristum qui futurus est ex tribu Dan: sæuus iudex, & tyrannus immanis, iudicabit populum suum. Tanquā serpens in uia sedens deijcere tentabit eos qui uiam ambulant ueritatis, supplantare cupiēs ueritatem. Hoc est enim mordere equi calcaneum, ut ueneni suffusione equus saucius, & uulneratus dente serpentis leuet calcaneum suum: sicut Iudas proditor tentatus à diabolo super dominum Iesum leuauit calcaneum suum, ut deijceret equitem, qui se deiecit ut omnes leuaret. Cecidit igitur non prostratus in faciem, quasi dormitans, sed retrorsum, ut à superioribus ad priora se extendens, à domino expectaret salutē. Sciebat enim se resuscitandū, & ideo iacentem Adam expectabat erigere. Vnde nos cum bene in uia currimus, caueamus necubi serpens lateat in semita, & subruat uestigium equi, hoc est, corporis nostri, & deijciat subito equitem dormientem. Nam si uigilamus, cauere debemus aliquatenus & morsus declinare serpentis. Non ergo nos opprimat somnus negli-
Psalm. 75 gentiæ, somnus seculi, non opprimat diuitiarū somnus, ne & de nobis dicatur: Obdormierunt somnū suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarū. Sed sunt & equites dor-
Ibidem. mientes, de quibus scriptum est: Dormierunt qui ascenderunt equos. Si auaritia pectus tuum uulneret, si libido inflammet, dormis eques, & ideo corpus tuum, hoc est, equum tuum non potes refrænare. Vigila ergo, ut etiam si deiectus fueris, hoc est mortuus fueris, non obdormias. Qui enim obdormiunt somnū suum, nihil inueniunt. Tu autem expecta salutem à domino uenturam, respice ut gratiam resurrectionis inuenias. Dormiebat Iudas, deniq; uerba Christi non audiebat. Dormiebat Iudas, & quidē somnum diuitiarum, qui mercedem de proditione quærebat. Vidit eum dormientem diabolus, & oppressum auaritiæ somno graui: misit se in cor eius, uulnerauit equū, deiecit equitem, quē
Deut. 33 separauit à Christo. Hanc tribum benedixit Moyses, dicens: Dan catulus leonis, & effugiet ex Basan, hoc est ex confusione. Vnde secundum Græcum magis intelligere debemus, ex quo Latinus transtulit, quod Dan ipse factus sit serpens in uia sedens. Dan iudicium interpretatur. Et ideo graue iudicij periculum tribus ista subijt, cui serpēs illapsus Antichristus est, qui currentem suis sauciaret uenenis. Sed tamen ipsa tribus liberabitur à

bitur à confusione, cum fuerit confessa equitem resurgentem, qui ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis: qui autem me confusus fuerit coram hominibus, confundam & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Luc.12

De benedictione Gad, & mystica eius interpretatione. Cap. VIII

G Ad tentatio. Tentabit eum, & ipse tentabit eum secus pedes.] Tentatio est congregatio & astutia Scribarum & sacerdotum, qui dominum de tributo Cæsaris, & de Ioannis baptismate (ut docuit scriptura) tentabant, quibus dominus Iesus in sua iustitia tentamentum retorsit. Secus pedes, hoc est continuo sine ulla deliberatione referens, quo tentantes magis ipse concluderet. Dicentibus enim, In qua potestate hæc facis? non ad quæsita respondit, sed etiam ipse proposuit, dicens: Interrogabo & ego uos unum uerbum: quod si dixeritis mihi, & ego uobis dicam in qua potestate hæc facio. Iterum dicentibus, Licet tributum dare Cæsari, an non? ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Et offerētes iterū, interrogauit: Cuius est imago & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Vbi igitur eos ligauit ipsorum sermonibus, ipsorum obligatione constrinxit, tunc ait illis: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo: ut cōtra uerba sua uenire non possent. Deniq; mirati abierunt ab eo. Sed non est mirum si secus pedes respondebat, qui ante pedes uidebat. Exposuit Moyses euidenter hāc prophetiam Iacob sancti esse de Christo. Sic enim ait: Benedictus qui ampliauit Gad. Sicut leo requieuit confringens brachiū & principes, & uidit ab initio suo, quia ibi diuisa est terra principum collectorū simul cum principibus populorum: Iustitiam fecit dominus & iudiciū in Israel. Agnoscimus itaq; quis requieuit sicut leo, confregerit brachia potentium, quis ab initio diuisiones tentationum uidit. Ibi igitur hiatus est terræ qui absorbeat calumniantes, ubi tentatio perfidorum est. Genes.49 Matth.22 Ibidem.21 Ibidem.22 Deut.33

De benedictione Aser, & de mysterio eiusdem. Cap. IX

A Ser, pinguis eius panis, & ipse dabit escam principibus.] Aser interpretatione Latina significat diuitias. Quis igitur diues, nisi ubi altitudo diuitiarū est sapientiæ & scientiæ dei? Quis diues nisi dominus Iesus, qui abūdat semper, & nunquā deficit? Pauper uenit in hunc mundum, & omnibus abundauit, uniuersos repleuit. Quantus est in diuitijs, qui paupertate sua omnes diuites fecit? Sed pauper propter nos, diues cū patre. Pauper ille, ut nos ab inopia uindicaret, sicut Apostolus docet dicens: Quia propter uos pauper factus est cum diues esset, ut illius inopia uos ditaremini. Cuius inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors uiuificat, sepultura resuscitat. Hic ergo diues est thesaurus, huius pinguis panis. Et bene pinguis panis, quē qui manducauerit, esurire non poterit. Hunc panē dedit Apostolis, ut diuiderent populo credentiū, hodieq; dat nobis eū, quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis uerbis. Hic ergo panis factis est esca sanctorū. Possumus & ipsum dominū accipere, qui suā carnem nobis dedit, sicut ipse ait: Ego sum panis uitæ. Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est autē panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex eo manducauerit, non moriatur. Et ne quis putaret quia de hac morte dicit quæ per animę & corporis secessionem uenit, & iure dubitet, cū sciat sanctos Apostolos hac morte esse defunctos, addidit, Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc, uiuet in æternum, hoc est, nō de tēporali uita dixi suprà, nec de morte istius uitæ, qua etiā si quis mortuus fuerit, tamen si panē meū acceperit, uiuet in æternum. Ille enim accipit, qui seipsum probat: qui autē accipit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est. Moyses quoq; pulcherrime prophetauit in benedictionibus suis, dicens: Benedictus à filijs Aser, & erit acceptus à fratribus suis, & intinget in oleo pedem suum, ferrū & æs calceamentum eius. Et sicut dies tui sunt, sic erunt uirtutes tuæ. Non est quisquam sicut est deus tuus in cœlo, adiutor tuus, & magnus dominus firmamenti, & protegens deus initij, & per uires brachiorum potentium eiecit à facie tua inimicum, dicens, pereat. Et inhabitabit Israel fidens solus super terram Iacob in frumento & uino, & cœlum tibi cum nebula roris erit. Genes.49 Rom.11 2.Cor.8 Ioann.6 Deut.33

De benedictione Neptalim, & mystica illius declaratione. Cap. X

Genes. 49 Eptalim uitis remissa, porrigens in germine decorem.] Sarmentū uitis aliud
N amputatur, quod uidetur inutile, ne cassa uitis sarmentorum exultatione luxuriet, & aliud paulisper recidítur ac remittitur, ut fructum afferat, cuius decus in generatione porrigitur: quia dum ad superna se subrigit, uitem amplectitur, & adherticem ascendens iugi, quædam colla uitium preciosi palmitis uestit monili. Est & ille decorus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundat. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod hærentem palmitē uiti significat spiritali, cuius nos sarmentum sumus, & fructum afferre possumus, si maneamus in uite: sin autē, præcidimur.

Deut. 33 Sanctus patriarcha Neptalim erat palmes abundans. Vnde & Moyses dicit: Neptalim satietas accipientium, replebitur benedictione, à domino, mare, & Aphricū possidebit: exponens hoc quod Iacob dixerat, quid sit uitis remissa, hoc est per fidei gratiā uinculis mortis exutus, in quo significatur populus dei ad libertatem fidei, & ubertatem uocatus gratiæ, toto orbe diffusus, qui iugum Christi bono fructu uestiat, & ligna ueræ illius uitis, hoc est mysteria dominicæ crucis ambiat, nec timeat confessionis eius periculum, sed magis etiam in persecutionibus positus Christi nomine glorietur. Hic est uere remissus à uinculis, qui nullo nexu formidinis alligetur. Vnde propheta dicit: Exibunt, & tripudiabunt sicut uituli resoluti uinculis. Ideoq; in germine suo decorem porrigit, quia in loco pascuæ collocatus, & super aquam refectionis educatus, per sacramenta regenerationis suæ germinat bonum uerbi decorem, & assumitur in illam pulcherrimam Christi gratiam qui potest uenustatem tui decoris augere. Denicq; super omnes decorus quod habet, donat: quia nemo potest donare quod non habet. Ideoq; dictum est: Dominus regnauit, decorem induit. Induit enim decorem Ecclesiæ gratiam, quæ in illo lauacro deponens fœditatem omnium delictorum, splendore gratiæ cœlestis enituit. Ideoq; sponsus de ea dicit, Quæ nam est hæc prospiciens tanquam diluculum, electa sicut sol, speciosa sicut luna, mirabilis sicut ornatus?

Mala. 4

Psalm. 92

De benedictione Ioseph, & qua ratione super omnes filios eum pater uberius prosecutus sit, ac de mystica illius benedictionis expositione. Cap. XI

Vnc ut tanquam epilogo quodam concludamus historiam, sicut & scriptu-
N ra diuina concluſit, prophetiam sancti Iacob de sancti Ioseph nomine digeramus. Filius meus amplíandus Ioseph, filius amplīādus meus zelatus, filius

Genes. 46 meus adolescentior, ad me reuertere. In quem consilia conferentes maledicebant, & intendebant in eum domini arcuum, & contriti sunt cum potentia arcus eorum, & dissoluti sunt nerui brachiorum manus eorum per manus potentis Iacob. Ille qui prævaluit à deo Israel patri tuo, & adiuuit te deus meus, & benedixit te benedictione cœli à summo & benedictione terræ habentis omnia, propter benedictionem uberū & uuluæ, benedictiones patris tui & matris prævaluit. Benedictiones montiū manentium, & desideria collium æternorū erunt super caput Ioseph, & super caput eorū quibus præfuit fratrū.] Quæ caussa est quòd super omnes filios Ioseph uberius prosecutus est pater, nisi quia præfigurata in eo iam Christi uidebat mysteria? Vnde benedicēs illum magis qui expectabatur, quàm illū qui uidebatur, ait: Filius amplíandus meus Ioseph. Quis est amplíandus, nisi Christus, cuius gratia semper augetur, & finē processus sui nō habet gloria? De

Ioann. 3 quo & Ioannes dicit: Illum oportet crescere, me autem minorari, quia per illius illud salutare perfectumq; nomen cumulata est in hoc mundo & abundauit gratia. Filius meus amplíandus. Et ideo quia uidebant eum crescere fratres, & inuidere cœperunt. Intelligibilis autem Ioseph & zelum incidit ab ijs quos magis fouebat. Denicq; dicebat: Non ue-

Matth. 15 ni nisi ad oues perditas domus Israel. Et illi dicebant: Nescimus unde sit, Ille curabat eos,

Ioann. 9 & illi negabant eum. Filius, inquit, meus adolescentior. Reuera adolescentior, qui erat pene ultimus natorum. Denicq; & scriptura dicit: Amabat eum Iacob, quia filius erat senectutis illius. Quod etiā ad Christū refertur. Senescenti enim mundo & iam occidenti illucescens dei filius per Mariæ uirginis partum, serus aduenit, quasi filius senectutis secundum sacramentum susceptī corporis, qui erat ante secula semper apud patrem. Vnde dicit ad eum pater: Ad me reuertere, uocans eum ad cœlum de terris, quē propter nostram salutē miserat. Itaq; resuscitans filium suum unigenitum, euacuauit consilium maledicentium

ledicentium. Vnde & Esaias dicit: Vanum cõsilium spíritus uestri. Et conuítia quę quasi íaculantes sagittas dirigebant, soluit omnia, contriuit eorum potentiam qui in suis uirtutibus, & non in deo confidentes erant. Ille, inquit, qui præualuit à deo Israel patri tuo, & adiuuit te deus meus. Quis est qui confortauit Israel, & adiuuit filium, nisi solus deus pater, qui dixit: Iacob puer meus, suscipiam eum: Israel electus meus, suscipiat eum anima mea. Et benedixit eum benedictione cœli desuper, & benedictione terræ habentis omnia.] Omnia enim subiecit ei, cœlestia sicut benedictionem cœli, & terrena sicut benedictionem terræ, ut & hominibus & angelis dominaretur. Itaq; in illo uelut contemptibili corpore præualuisti, inquit, propter benedictionẽ uberũ. Et uuluæ benedictiones patris tui, & matris Vbera, uel duo testamẽta dixit, quorum altero annunciatus est, altero demonstratus. Et bene ubera, quoniam uelut quodam nos spíritali lacte nutritos educauit, & obtulit deo filios. Vel Mariæ dicit ubera, quæ uere benedicta erant, quibus sancta uirgo poculo domini potũ lactis immulsit. Vnde & illa mulier in Euangelio ait, Luc. 11
Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Quod autem ait: Vuluæ benedictionem patris tui & matris. Si uuluam solam Mariæ uelimus intelligere, cur utrumq; benedictione cõiunxerit, latebit causa. Potuit em̃ dicere de sola uulua matris. Sed pulchrius arbitror, ut secundum spíritale mysterium intelligamus utramq; generationẽ domini Iesu, & secundum diuinitatem, & secundum carnẽ, qui ante secula est generatus ex patre. Vnde & pater ait: Eructauit cor meũ uerbum: eò quòd ex illa intima, & incomprehensibili patris processit substantia, & in ipso est semper. unde & Euangelista ait: Deum nemo uidit unquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Sicut ergo sinus patris spíritalis intelligitur intimum quoddam paternæ charitatis, naturæq; secretũ in quo semper est filius, ita etiã patris spíritalis est uulua, interioris arcanũ, de quo tanquã ex genitali aluo processit filius. Denicq; diuerse legimus, nunc uuluam patris, nunc cor eius quo uerbum eructauit, nũc os eius ex quo iustitia processit, ex quo prodiuit sapientia, sicut ipse ait: Ex ore altissimi prodiui. Ita cum unum non definitur, & unum omnia sonant, spíritale magis mysterium generationis paternæ quã membrum aliquod corpora le significat. Sed sicut illam ex patre generationem intelligimus, ita etiam ad consumma tionem fidei generationem Mariæ intelligamus, quando benedicitur uulua matris, illa utiq; Marię uirginalis, quę nobis edidit dominũ Iesum. De quo partu dicit dominus per Hieremiam prophetam: Priusquam te formarem in utero, noui te: & priusquam exires de uulua matris, sanctificaui te. Geminam igitur propheta in Christo substantiam declarauit, diuinitatis, & carnis: alteram ex patre, alteram ex uirgine, ita tamen ut non exors suæ esset diuinitatis cum ex uirgine nasceretur, & esset in corpore. Vnde & conualuit super omnes montes, & desideria collium æternorum. Super omnes enim illos sublimis meriti uiros, patriarchas, & prophetas, & Apostolos, sed etiam ultra solem, lunã, archangelos tanquã cœli lumen emicuit, sicut ipse ait: Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum. Quis enim illorũ fuit cui subiecta essent omnia, quibus ipse donauit quod erant? In quo benedicuntur omnes sancti eius, quia ipse est super capita omnium caput. Caput enim mulieris, uir: caput uiri, Christus. Et super uertices montiũ, quia ipse est supereminens uertex uniuersorum. Sed iustorũ est uertex altissimus, quos fratres uocauit, acquisitos per gratiam, & quoddam regenerationis consortiũ. Vnde ex fratribus Ioseph illos magis fratres intelligimus, de quibus dicit in Psalmo: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Denicq; & Moyses completurus uitę istius cursum cum benediceret tribum Ioseph, non illum utiq; defunctũ Ioseph, sed Christum benedicebat, sicut habes scriptum de Ioseph: A benedictione domini terra eius, à finibus cœli, & à rore, & abyssis fontium deorsum, & secundum horam factam solis cursus, & à conuenientibus mensibus, & à uertice montium ab initio, & à uertice collium æternorũ, & ad horã terrę plenitudinis, & ab eo qui uisus est in rubo, ueniat super caput Ioseph benedictio, & super uerticẽ ipsius, honorificus sit inter fratres. Primogenitus tauri decus eius, cornua unicornui. In ipsis gentes uentilabit, simulq; ad extremum terræ, ipsæ myriades Ephraim & ipsę Chiliades Manasses. Benedictio eadem est, quæ omnem habet & cœlestium & terrestrium plenitudinem, & specialẽ Christi gratiam. Qui uisus in rubo dixit ad ipsum Moysen: Solue calceamentũ pedum tuorũ: Qui est super omnes deos, Psalm. 44 Ioann. 1 Eccle. 24 Hiere. 1 Luc. 6 1. Cor. 11 Psalm. 21 Deut. 33 Exod. 3

deos,quia ipse est caput corporis Ecclesiæ. Qui est principium primogenitus ex mor-
Colos.1 tuis,ut sit in omnibus ipse primatum tenens,quoniam in ipso complacuit omnem pleni
tudinem inhabitare.Et ideo soli benedictionis huius prærogatiua defertur,à summitate
cœli usq; ad extremũ terræ. Ipse est enim ante omnes, in quo constant, omnia,qui etiam
per sanguinem crucis suæ pacificauit omnia,siue quæ in cœlo, siue quæ in terris sunt.Cu
ius typum præferens pulchre benedicitur sanctus Ioseph, ut honorificetur inter fratres.
Primogenitus tauri decus eius,habens cornua unicornui, in quibus gentes uentilabit.
Et bene taurus,quasi hostia pro delictis, & totius mundi uictima, ut pacificaret omnia.
Cuius decus sanctum.Omne enim sanctum primogenitũ, sicut alibi demonstrauimus.
Vnde & Leui non ætatis ordine,sed sacræ successionis prærogatiua primogenitus me-
Psalm.44 ruit nuncupari,Et uere sanctum decus eius,de quo scriptũ est resurgente:Speciosus for-
ma præ filijs hominũ:quia ipse est primogenitus ex mortuis, habens cornua unicornui.
Sed cum dixerit cornua,quomodo posuit unicornui, requirendum,cũ ipse unicornuus
inter generationes ferarum,ut periti aiunt,nõ inueniatur? Et ideo uerbum unicum ma-
1.Reg.2 gis æstimare debemus,quia substantiuum uerbũ dei unũ est,non multa uerba. Vnde &
Anna ait:Dominus iudicat fines terrę,& dabit uirtutem regi,& exaltabit cornu Christi.
Esa.5 Et Esaias ait: Vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi, quoniam in dei filio unigeni
to floret Ecclesia,tenens unicũ dei uerbum, in quo est uirtutis atq; sapientiæ plenitudo;
Deut.33 cuius ubertate seges fidei pullulauit.Quod uerbum sequuntur sancti. Decem milia,in-
quit,Ephraim,& milia Manasse,id est, & Iudæorum & Gentiũ dominetur,& ex utroq;
Cantic.5 populo acquirat sibi Ecclesiæ plenitudinem. Ideoq; dexterã suam super Effrem posuit
sanctus Iacob,eò quòd legis dicente Ecclesia in Canticis canticorum:Frater meus can-
1.Reg.18 didus & rubeus,electus ex decem milibus.Deniq; etiã Dauid iuuenculę Mariæ author
rem,ex cuius successione Christus est natus per Virginis partũ, in decem milibus præ
cabant, Saul autẽ in milibus, cum reuerentiæ gratiam circa regẽ magis præponere de-
buissent.Qui ergo cornu Christi exaltauerit confessus eius gloriam, ipse quoq; accipiet
Psalm.28 cornua. Vnde etiam sancti unicornui dicti sunt in Psalmi uersiculo: Et dilectus quemad
modum filius unicornuorum. Etenim sicut animal huiusmodi cum ei oriuntur cornua,
processum significat plenioris ætatis:ita cum è capite quædam nostrę animę cornua pul
lulare cœperint, processum uidentur perfectioris significare uirtutis, & tam diu crescũt
Deut.33 quàm diu cõpleantur.Hoc cornu dominus Iesus comminuit gentes, ut superstitionem
Psalm.43 obtereret,salutem redderet,sicut ipse ait: Percutiam, & sanabo.Ideoq; tanquã imitator
tauri huius propheta dicit:In te inimicos nostros uentilabimus, id est,altitudinẽ omnẽ
eleuantem se aduersus dei scientiã destruentes.Et ideo iuxta legem munda animalia cor
nua habent. Lex enim spiritalis est. Qui enim possunt seculi huius illecebras uerbo dei
& uirtutis obseruantia propulsare,cornibus uelut quibusdam capitis sui armis uidentur
esse muniti.Meritoq; & tuba cornea dicitur uirtus sermonis mirabilis, quæ bonos Chri
sti milites accendit ad prælium,ut de hoste diabolo manubias reportemus.In acie igitur
sumus, & plurimos ex nobis uidemus in aduersarij castris esse captiuos: hi nobis iugo
grauissimo exuendi sunt.

De benedictione Beniamin,& mystica repræsentatione eiusdem. Cap. XII

Lurimos lupos habet diabolus,quos ad Christi oues dirigit,& ideo intelligi
P bilis Ioseph ut oues seruaret suas,ipsum inimicum uenientem ad diripiendas
oues rapuit lupum Paulum, faciens ex persecutore doctorem. De quo dicit
Genes.49 Iacob,sicut scriptum est: Beniamin lupus rapax mane edet adhuc, & ad uesperum diui-
det escam principibus.Lupus erat cũ dispergeret & deuoraret oues Ecclesiæ.Sed qui lu
Actor.9 pus uenerat,pastor est factus.Lupus erat cum Saulus erat,quando intrabat in domos,&
uiros ac mulieres trahebat in carcerem.Lupus erat quando spirans minas & homicidia
in discipulos domini,petebat epistolas à principe sacerdotum,ut inuaderet seruos Chri
sti. Quem tanquam lupum nocturnis tenebris oberrantem offusa Iesus luce cæcauit.I-
deo Rachel cum pareret Beniamin,uocauit nomen eius, filius doloris mei:futurũ pro-
phetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesię persecutionis suæ tempore,&
graui matrem dolore uexaret.Sed tamen idem postea principibus escam posteriore di-
uisit tempore,Euangelizans gentibus dei uerbum,& plurimos ad fidem prouocãs,quo

disputante,

diſputante, ſicut legimus, Paulus proconſul, & Publius princeps, domini gratiam recepérunt. Pulchrè etiam Moyſes cum benediceret Beniamin tribum, dixit: Dilectus à domino, habitabit fidens, & deus obumbrabit ſuper eum omnibus diebus, & inter humeros requieſcet dilectus à domino. Qui etiã uas electionis eſt factus. Neq; enim aliter niſi do mini eſt miſeratione & amore conuerſus. Vnde & ipſe nihil merito tribuens ſuo, ſed totum deferens Chriſto, ait: Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui nõ ſum dignus uocari apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam dei. Gratia autẽ dei ſum id quod ſum, & gratia eius egena in me non fuit. Habitabit fidens in domo quam antè uaſtabat, habitabit in tabernaculis Chriſti, qui antè ſicut lupus errabat in ſyluis. Et deus obumbrauit ſuper eum, quando uiſus eſt ei Chriſtus. Qui licet apertis oculis uideret nihil, tamen Chriſtum uidebat. Et meritò uidebat præſentem, quem etiam audiebat loquentem. Nõ cæcitatis eſt obumbratio iſta, ſed gratiæ. Denicq; Mariæ dicitur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et inter humeros requieſcet, hoc eſt, inter bonos actus, & opera preciosa. Nam & ſuprà habes quòd Iſachar ſuppoſuit humerum ſuum ad laborandum, & factus eſt uir agricola. Quem Paulus imitatus, poſuit fidei nouella plantaria, ideoq; quaſi bonus agricola dixit: Ego plantaui, Apollo rigauit. Deut. 33 1. Cor. 15 Luc. 1 1. Cor. 3

FINIS.

CAPITA LIBRI DE NABVTHE IEZRAELITA.

Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Iſrael pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cum tamen natura omnes æquales produxerit. Cap. I

Quòd homines quanto ditiores cenſu, tanto pauperiores affectu. Et quos inſatiabilis auaritia gradus habeat. Et quid hæc uox, Da mihi, præ ſe ferat. Cap. II

Quòd omnia animantia ſocialia ſint, & cõmercium uiuendi quærant: ſolus autẽ homo conſortem excludat, ſoluſq; omnia poſſidere contendat. Et q̃ turpe ſit, agrũ paternum pro uili uſu alienare. Cap. III

De reprehenſione diuitum, qui magis alienum q̃ ſuum panem manducant, & quod ideo miſeræ luant paupertatis ærumnas. Cap. IIII

Quòd menſa diuitũ, multorum pauperum inſtruitur ſanguine. Et de patre qui cogebatur à diuite cuius mẽſæ uinum defuit, ut filium uenderet. Et quomodo ſæpe mulieres incitamenta ſint extorſionis à pauperibus. Cap. V

Quòd nullæ diuitiæ aliquid conferre poſſint contra imminentem fati neceſſitatem, & unde diuites appellentur. Quodq; dives dormire non poſſit, nec ipſe ſe quietum eſſe patiatur. Cap. VI

Quòd diuites qui humanitatis prædicatione imitari deberẽt ſanctum Ioſeph, potius de bonis faciant mala, quàm de malis bona acquirant, & in quę horrea diuites frumenta condere debeant. Cap. VII

De admonitione diuitis ut timeat, & ſpe uana non fallatur, ac reprehenſione eorum qui dicunt nihil dandũ pauperibus, quia deus eos maledixerit ut egerent. Cap. VIII

Quomodo Iezabel quæ eſt auaritia, promittat diuitibus contra iuſtitiam poſſeſſionem quam deſiderant. Cap. IX

De conſuetudine diuitum qui contriſtantur ſi aliena rapere non poſſunt. Et quid facere debeant ut deus uel eorum preces exaudiat, uel eorum ieiunium reſpiciat. Cap. X

Quid eſt quòd duo falſi teſtes atteſtati ſunt Nabuthe deum benedixiſſe & regẽ. Et quomodo diuites cum calumniati nocuerint, ſimulent ſe dolere. Et quid ſibi uelit quòd meretrices lauerunt ſe in ſanguine Achab. Cap. XI

Quòd omnis auarus pauperiorem ſe iudicet, eò quòd ſibi deeſſe arbitretur quicquid ab aliis poſſidetur: & quomodo Helias Achab inueniſſe dicatur. Quomodo etiam dives puteum ſuum exundantem uſu aliquo exercere, non ocio corrumpi ſinere debeat. Cap. XII

Quòd ſtulta ſit ſuperbia diuitum gloriantium de nobilitatis proſapia. Et quòd meritũ hæredum non in auro, ſed in uirtute conſiſtat. Cap. XIII

Quomodo diuites custodes sint & serui diuitiarum: & ideo illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus rebus acquirendis. Et de pauperibus abundantibus, & diuitibus egentibus. Cap. XIIII

Quòd omnes uiri diuitiarũ insipientes dicant, & corde turbati, & quomodo dormiant somnũ suum. Quomodo etiam dormitarint qui ascenderunt equos. Cap. XV

Quomodo diuites quiescere & feriari debeãt à flagitijs, & cõfiteri domino in fide, humilitate, & deuota oratione. Et quòd multi diuites propter perfidiã perierint. Cap. XVI

Quemadmodum Achab dicatur commotus ante faciem dei, ut in diebus eius nõ inducerentur super eum mala. Et quòd dominus etiam circa indignos promissa sua seruet. Cap. XVII

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE NABVTHE IEZRAELITA LIBRR VNVS.

Quomodo exemplo Nabuthe & Achab regis Israel pauperes quotidie à diuitibus opprimantur, cum tamen natura omnes æquales produxerit. Cap. I

NABVTHE historia tempore uetus est, usu quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concupiscit alienã? Quis opulentissimorum non exturbare cõtendit agellulo suo pauperem, atq; inopem auiti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cuius non inflammat diuitis animum uicina possessio? Non igitur unus Achab natus est, sed quod peius est, quotidie Achab nascitur, & nunquã huic seculo moritur. Si unus occidat, assurgunt plurimi: plures qui rapiant, quàm qui amittant. Nõ unus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam suis terris, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo, sequit uxor illachrymans, tanquam ad bustum prosequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quæ deflet suorum funera: quia etsi amisit coniugis præsidium, sepulchrum patet: etsi filios non tenet, tamen exules non dolet, non ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Quousque extenditis diuites insanas cupiditates? Nunquid soli habitabitis super terram? Cur eijcitis cõsortem naturæ, & uindicatis possessionem naturæ? In commune omnibus diuitibus atq; pauperibus terra fundata est, cur uobis ius proprium soli diuites arrogatis? Nescit natura diuites, quæ omnes pauperes generat. Neq; enim cum uestimentis nascimur, nec cum auro argento q; generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo. nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulchro includere. Cespes angustus æquè & pauperi abundat & diuiti: & terra quę uentis non cepit affectũ, totum iam diuitem capit. Nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando deficimus. Omnes similes creat, omnes simili gremio claudit sepulchri. Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram, & si potes diuitem deprehende. Eruderato paulò pòst tumulum, & si cognoscis, egentem argue: nisi forte hoc solum, quod cum diuite plura pereunt. Sericæ uestes, & auro intexta uelamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna uiuentium, non subsidia defunctorũ sunt. Vnguentum accipis diues postquam mortuus es, & fœtidus es. perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. Hæredes relinquis qui litigent cum hæredibus, relinquis depositum magis hæreditarium quàm commodum uoluntarium, qui quod relictum est minuere ac uiolare formident. Si frugi hęredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas solicitudine, aut malos dimittis, quo tua facta condemnent.

Quòd

Quòd homines quanto ditiores censu, tanto pauperiores affectu. Et quos insa tiabilis auaritia gradus habeat. Et quid hæc uox, Da mihi, præ se ferat. Cap. II

SEd quid arbitraris, quòd dum uiuis abundas omnibus? O diues, nescis quàm pauper sis, & inops tibi ipsi uidearis, qui te diuitē dicis? Quanto plus habueris, plus requiris: & quicquid acquisieris, tamē tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet: quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde sit grauis ruina lapsuro. Tolerabilius tamē iste cū minus haberet, census cōtemplatione mediocria requirebat: accessione patrimonij accessit cupiditatis augmentum. Non uult esse degener uotis, pauper in desideriis. Ita duo intolerabilia simul iungit, ut ambitiosam spem diuitis augeat, & non deponat mendicitatis affectum. Denique docet nos scriptura diuina & misere egeat, mēdicet abiectè. Rex Achab in Israel erat, & pauper Nabuthe. Ille regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de possessionibus diuitis cōcupiuit, rex sibi egere uisus est, quia uineam habebat pauper uicinus. Quis igitur tibi pauper uidetur? qui cōtentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certè pauper censu uidet, alter est pauper affectu. Affectus diues egere nō nouit, census abundās nequit auari pectus explere. Ideo & diues cupidus in inuidia possessionis, & paupertatis querela est. Sed iam scripturæ uerba consideremus. Et factum est, inquit, post hæc uerba: Erat uinea Nabuthe Iezraelitæ in Israel iuxta domū Achab regis Samariæ. Et locutus est Achab ad Nabuthe, dicēs: Da mihi uineam tuam, & erit mihi in hortum olerum, quoniam propinquat domui meæ, & dabo tibi pro ea aliam uineam. Si uerò placuerit tibi, dabo tibi pecuniā pro uinea ista, & erit mihi in hortū olerum. Et dixit Nabuthe ad Achab: Nō fiat hoc à deo, ut dem tibi hæreditatem patrū meorum. Et turbatus est spiritus eius, & dormiuit in lecto suo, & uelauit faciem suam, & nō manducauit panem.] Exposuerat suprà scriptura diuina quia Helisæus cum esset pauper, reliquit boues suos, & cucurrit ad Heliam, & occidit eos, & erogauit populo, & adhæsit prophetæ. Ad condemnationē igitur præmissa sunt diuitis qui in isto rege describitur, eò quòd habens beneficia dei, sicut iste Achab, cui dominus & regnū donauit, & pluuiam Heliæ uatis oratione concessit, diuina mandata uiolauerit. Audiamus ergo quid dicat: Da mihi, inquit. Quæ alia uox egentis est? Quæ uox alia stipem publicā postulantis, nisi, Da mihi? Hoc est: Da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud uiuendi subsidium habere non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad uictū, nummus ad potum, sumptus ad alimentū, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit. Da mihi: nisi tu dederis, habere nō potero. Da mihi, quia scriptum est: Date eleemosynam. Hæc quàm abiecta, & uilia? Nō habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. In ipsa aūt deiectione quanta impudentia? Da mihi, inquit, uineam tuam. Confitetur alienam, ut poscat indebitam. Et dabo, inquit, tibi pro ea aliam uineam. Diues quod suum est quasi uile fastidit: quod alienum est quasi preciosissimū concupiscit. Si uero placuerit tibi, dabo tibi pecuniam. Cito reprehendit errorem suum, pecuniam offerendo pro uinea. Nihil enim uult alienū possidere, qui totum desiderat suis possessionibus occupare. ibidem. ibid. 19 ibid. 21 Luc. 11

Quòd omnia animantia socialia sint, & cōmercium uiuendi quærant: solus aūt homo consortem excludat, solusq; omnia possidere contendat. Et & turpe sit agrum paternum pro uili usu alienare. Cap. III

ERit mihi, inquit, in hortum olerum.] Hæc erat igitur omnis insania, hic omnis furor, ut spaciū uilibus holeribus quæreretur. Non tam ergo ipsi cupitis quasi utile possidere, sed alios uultis excludere. Maior uobis cura de pauperum spoliis, & de uestris emolumentis est. Iniuriam uestrā putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione diuitis æstimetur. Damnum uestrum creditis, quicquid alienum est. Quid uos delectant naturę dispēdia? Vniuersis creatus est mundus, quem pauci diuites uobis defendere conamini. Non em terrena tantū possessio, sed cœlum ipsum, aer, mare, in usum paucorū diuitū uindicat. Hic ager quem tu diffusis includis possessionibus, quantos alere populos potest? Nunquid angeli diuisa cœli spacia habēt, ut tu terrā positis distinguas terminis? Clamat propheta: Væ ijs qui iungunt domū ad domum, & uillā ad uillā. Arguit eos inefficacis auaritię. Fugiūt em cohabitare hominibus, & ideo 3. Reg. 21 Esa. 5

& ideo excludunt uicinos. Sed fugere non possunt: quia cum hos exclusserint, alios rursum inueniunt: & cum illos propulsauerint, ad aliorũ necesse est eos uicinam peruenire. Soli enim super terram habitare non possunt. Auis auibus se associat: denique gregatis plerunq; agminis uolatu cœlũ obtexitur: pecus pecori adiungit, piscis piscibus: nec damnum ducunt, sed cõmercium uiuendi, cum plurimũ comitatũ capessunt, & quoddam munimentũ solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu homo consortem excludis, includis feras, struis habitacula bestiarũ, destruis hominum. Inducis mare intra prædia tua, ne desint beluę, producis fines terræ, ne possis habere finitimum. Audiuimus uocem diuitis aliena quærentis. Audiamus uocem pauperis propria uindicantis. Nõ fiat, inquit, hoc à deo, ut dem tibi hæreditatem patrũ meorum. Quasi quandam contagionẽ fui, pecuniam esse diuitis arbitretur. quasi dicat: Pecunia tua tecũ sit in perditionẽ, ego aũt hæreditatem patrum meorũ non possum uendere. Habes quod sequaris diues si sapias, ut non uendas agrum tuum pro nocte meretricis, nõ transfundas ius tuũ pro sumptu comessationis, deliciarumq; impensis, non adiudices domum tuam ad ludum aleæ, ne ius hæreditariæ pietatis amittas. His auditis turbatus est spiritus auari regis: & dormiuit in lecto suo, & uelauit faciem suam, & non manducauit panem suum. Lugẽt diuites, si non potuerint aliena diripere: si suis pauper non cesserit facultatibus, uim mœroris tegere non possunt. Dormire desiderant, uelant faciem suam, ne quicquã in orbe terrarũ alienum uideant, ne quicquã in hoc mundo non esse suum nouerint, ne audiant uicinũ iuxta se aliquid possidere, ne audiant pauperem sibi contradicentem. Horum sunt animæ, quibus dicit propheta: Mulieres diuites exurgite.

3. Reg. 21

Act. 8

3. Reg. 21

Esa. 32

De reprehensione diuitum, qui magis alienum q̃ suum panem manducant, & quod ideo miseræ luant paupertatis ærumnas. Cap. IIII

3. Reg. 21

T non manducauit, inquit, panem suum.] quoniam quęrebat alienum. Etenim diuites magis alienũ panem q̃ suum manducant, qui raptu uiuunt, & rapinis sumptum exercent suum. Aut certè non manducauit panem suum, uolens se morte mulctare, quod ei aliquid negaretur. Compara nunc affectum pauperis. Nihil habet, et ieiunare uoluntarius nisi deo nescit, ieiunare nisi ex necessitate nõ nouit. Diuites eripitis quidem pauperibus uniuersa, aufertis omnia, nihil relinquitis: pœnã tamen pauperũ uos potius diuites sustinetis. Illi ieiunant, cum non habeant, uos cum habetis. A uobis igitur prius pœnam exigitis, quàm pauperibus erogetis. Vos igit affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas, & pauperes quidem non habent quò utant: uos aũt nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Eruitis aurũ de metalli uenis, sed rursum absconditis. Quantorum uitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur, cum legeritis de auaro diuite, Thesauros condit, & ignorat cui congregat eos? Hæres ociosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd serò moriamini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igit miserius, quando nec apud illũ cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, cotidiana mensæ uestræ damna metuentes, Propter illum diurna adamatis ieiunia. Noui ego diuitem in agrũ proficiscentem, panes breuiores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem uix satiare posset. Comperi etiam uiri fidem, si quando ei ouum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ideo scribo, ut cognoscatis uindicem esse dei iustitiam, quæ lachrymas pauperum uestro ulciscatur ieiunio.

Psal. 38

Luc. 16

Quòd mensa diuitũ, multorum pauperum instruitur sanguine. Et de patre qui cogebatur à diuite cuius mensæ uinum defuit, ut filium uenderet. Et quomodo sæpe mulieres incitamenta sint extorsionis à pauperibus. Cap. V

Vàm religiosum esset ieiunium, si sumptum cõuiuij tui deputares pauperibus. Tolerabilior iam diues ille cuius de mensa ea quę cadebant, pauper Lazarus colligebat, saturari cupiens: sed etiam ipsius mensa multorum pauperum constabat sanguine, & ipsius pocula multorum quos ad laqueũ coegerat, rorabant cruore. Quanti necantur ut uobis quod delectat paretur? Funesta fames uestra, funesta luxuries. Ille de summis culminib. ruit, ut frumẽtis ampla uestris receptacula prępararet. Ille

Ille de sublimi arboris cacumine decidit, dum genera uuarum explorat quæ deferat, qui bus digna conuiuio tuo uina fundantur. Ille mari mersus, dum ueretur ne piscis mensæ tuæ desit aut ostrea. Ille brumali frigore dum lepores inuestigare, aut laqueis studet aues captare, diriguit. Ille ante oculos tuos, si quid fortè displicuit, uerberatur ad mortẽ, atq; ipsas epulas fuso respergit cruore. Deniq; diues erat qui sibi ad mensam caput pro- *Marc. 6*
phetæ pauperis iussit afferri, & aliud unde saltatrici præmiũ solueret non inuenerat, nisi ut pauperem iuberet occidi. Vidi ego pauperem duci dum cogeretur soluere quod nõ habebat, trahi ad carcerẽ quia uinum deesset ad mensam potẽtis, deducere in auctionẽ filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset, inuentũ fortè aliquem qui in illa necessi tate subueniret. Redit ad hospitiũ cum suis pauper direpta spectans omnia, nihil sibi ad cibum relictũ, ingemiscens filiorũ famem, dolens quòd eos non potius ei qui posset pascere uendidisset. Redit ad consilium, uendendi sumit arbitrium. Compugnabant tamẽ inopiæ iniuria, & paternæ pietatis gratia. fames urgebat ad precium, natura ad officiũ. cõmori filijs paratus, quàm à filijs separari. sæpe gradum protulit, sæpe reuocauit. Vicit tamẽ in eo necessitas, nõ uoluntas, & ipsa cõcessit pietas necessitati. Consideremus nũc patriæ mentis procellas exæstuantis quem de liberis prius traderet. Quẽ, inquit, uendã priorẽ? Scio em̃ quòd non satis est unius preciũ ad pastum reliquorum. Hoc solo diues fœcunditas ad ærumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctionator libenter aspiciat? Primogenitũ offeram? Sed primus me patrẽ uocauit. Hic est maior ex filijs, quem congrue honoro seniorẽ. Sed iuniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubesco, huius misereor. Illius gradũ suspiro, huius ætatẽ. Ille iam sentit ærumnã, iste ignorat. Flectit me illius dolor, huius inscitia. Ad alia me conferã. Ille mihi plus blanditur, iste plus uerecundat̃. Ille parenti similior, hic utilior. In illo imaginẽ meam uẽdo, in isto spem meam prodo. Me miserũ, non inuenio quid faciam, non habeo quid eligã. Circumuallant me facies calamitatũ, ærumnarum chorus. Ferina hæc rabies est, eligere quem tradas. Feræ ipsæ cum pericula imminere proli ac sibi sentiunt, solẽt eligere quos liberent, non quos offerant. Quomodo igitur discernam affectum naturæ? Quomodo obliuiscar, quomodo exuam patris mentem? Quomodo filij auctionem constituam? Quo sermone paciscar precium? Quibus tradam manibus in seruitutẽ filium? Quibus oculis aspiciam seruientem? Quibus labijs discedenti uale dicam? Quibus factum excusem sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo uendidi. Funestior ergo iam pauperis mensa quàm diuitis. Ille addicit alienos, ego meum uendo. Ille necessitatẽ imponit, ego òfferò uoluntatẽ. Vt sit excusabilior causa, adijciam: Fili, pro fratribus tuis seruies, ut illis quærantur alimẽta. Et Ioseph à fratribus suis in seruitutẽ uenũdatus est, postea & ipsos & patrem pauit. Respondebit & ille: Sed nõ eũ uendidit pater, sed fleuit amissum. Sed postea etiã ipsi in potestatem diuitis uenerunt, & uix potuerunt liberari. Postea genus eius diuitijs Aegypti multa ætate seruiuit. Vende me postremo pater ea cõditione, ne diuites emant. Hæsi fateor: uerũ quid faciam? Nullũ uendam. Sed dum unũ cõsidero, omnes ui debo fame pereuntes. Si unũ tradam, quibus oculis uidebo cęteros de mea impietate suspectos, ne alios quoq; uendam? Quo pudore regrediar domum? Quomodo intrabo? Quo habitabo affectu, qui mihi ablegaui filiũ quẽ nõ morbus absumpsit, nõ mors abstulit? Qua conscientia cõsiderabo mensam meam, quam sicut nouellæ oliuarũ in circuitu tot filij uestiebant? Hęc pauper te præsente deplorat, & tibi auaritia aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollit̃. Totus populus ingemiscit, & solus diues non flecteris, nec audis scripturã dicentem: Perde pecuniã propter fratrẽ & amicũ, & nõ abscondas eam sub lapide in mortẽ. Et quia non audis, ideo exclamat Ecclesiastes, dicens: *Eccl. 29*
Est languor malus quem uidi sub sole, diuitias custodiri in malũ possidentis eas, Sed fortasse redeas domũ, cum uxore conferas: illa te hortetur ut redimas uenundatũ? Imò magis hortabit̃ ut mundum muliebrem conferas, unde potes uel paruo tempore pauperẽ liberare. Illa tibi imponit sumptuũ necessitatẽ, ut gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, ceruicẽ monilibus. Delectant̃ & cõpedibus mulieres, dummodo auro ligent̃. Non putant onera esse, si preciosa sint: nõ putant uincula esse, si in his thesauri coruscent. Delectant & uulnera, ut aurũ auribus inserat̃, & margaritæ dependeant. Habent & gemmæ pondera sua, habẽt & uestimẽta frigora sua. *Ibid. 5*

Suda-

Sudatur in gemmis, algetur in sericis: tamen precia iuuant: & quę natura auersatur, commendat auaritia. Smaragdos, & hyacinthos, beryllum, achaten, topazion, amethystum, iaspin, sardion, summo quærunt furore: uel si dimidiũ patrimonij petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati. Non abnuo gratiam quandam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum. Et ipsi admonent, contra naturam expoliti, ut saxorũ deponerent asperitatem, rigorem magis mentis esse expoliendum quàm lapidum.

Quòd nullæ diuitiæ aliquid conferre possint contra imminentem fati necessitatem, & unde diuites appellentur. Quodq; diues dormire non possit, nec ipse se quietum esse patiatur. Cap. VI

Q Vis artifex unũ diem uitæ hominis potuit adiũgere? Quẽ diuitiæ eius ab interis redemerũt? Cuius ægritudinẽ pecunia mitigauit? Nõ in abundantia diuitiarum, inquit, uita eius. Et alibi: Nihil prosunt thesauri iniusti, iustitia autẽ liberat à morte. Meritò clamat Propheta: Diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere. Quid enim mihi prosunt, si me à morte liberare non possunt? Quid mihi prosunt, si mecũ poti mortem esse non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Vnde bene ait idem propheta de diuitibus: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. Hoc est dicere: Nihil inuenerunt in operib. suis diuites, qui nihil pauperibus contulerunt. Nullius iuuerunt inopiam, nihil ad utilitatem suam proficientes reperire potuerunt. Ipsum nomen considera. Ditem dicunt gentiles inferorum præsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant & diuitem, quod nisi mortem diues inferre nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim diues, nisi quidam inexplebilis gurges diuitiarũ, inexplebilis auri fames? Quo plus hauserit, plus inardescit. Sic Propheta admonet: Qui diligit argentum, non satiabitur argento. Et infrà idem: Et quidem hic pessimus languor. Sicut enim fuit, ita & abijt, & abundantia eius laborat in uentũ. Et quidem omnes dies eius in tenebris & luctu, & iracundia multa, & languore & ira. Tolerabilior conditio seruulorum. illi enim hominibus seruiũt, iste peccato. Sic, inquit Apostolus: Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Semper in laqueis, semper in uinculis est: nunquam liber à cõpedibus, quia semper in criminibus. Quàm misera seruitus, seruire peccatis. Naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit uices, aut cibi fungitur suauitate, cuius nullum est immune seruitium. Dulcis enim somnus serui, & si modicum uel multum edat. At satiato diuiti, non est qui eum sinat dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora uexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, solicitat abundantia. Deniq; Euangelico utamur exemplo, ut probemus diuitẽ dormire nõ posse. Vnde illi diuiti, cuius possessio uberes fructus attulit, qui cogitauit intra se, dicens: Quid faciam quòd non habeo quò congregem fructus meos: & dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona in annos multos posita. requiesce, manduca, bibe, epulare: respondit deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Ne ipse quidem deus eum dormire permittit. Interpellat cogitantem, excitat dormientem. Sed nec ipse se quietum esse patitur, qui de abũdantia diuitiarũ suarum solicitatur, & ubertate fructus uocem egentis emittit. Quid faciã? inquit. Nõnne hæc pauperis uox est, non habentis subsidia uiuendi? Egens omniũ huc atq; illuc respicit, scrutatur hospitium, nihil inuenit ad usum alimenti, cõsiderat nihil miserius quàm fame confici, & cibi indigentia mori. Quærit mortis compendia, & tolerabiliora abeunda supplicia rimatur. Arripit gladium, suspendit laqueum, ignem adolet, explorat uenenum: & inter hæc quid eligat, dubius dicit, Quid faciam? Deinde uitæ huius suauitate reuocatus, cupit reuocare sententiam, si possit uiuendi substantiam reperire. Aspicit nuda omnia, uacua omnia, & ait: Quid faciam? Vnde mihi alimẽta? unde uestitus? Volo uiuere, si habeam quo modo possim uitam hanc sustinere. Sed quibus cibis? quibus subsidijs? Quid faciam, inquit, quod non habeo? Clamat se diues non habere. Paupertatis hic sermo est, de inopia queritur abundans fructibus. Nõ habeo, inquit, quo congregem fructus meos. Putares illum dicere: Non habeo fructus, unde uiuendũ est mihi? Beatus qui abundantia sua periclitatur: imò miserior iste fœcunditatibus suis, quàm

Prouer. 10
Psal. 61
Ibid. 75
Eccl. 5
Rom. 6
Ioan. 8
Eccl. 5
Luc. 12

quàm pauper, cui periculum de egestate est. Habet ille unde excuset ærumnam, habet certe iniuriam, non habet culpam: iste non habet quem præter se arguat. Et dixit: Hoc faciam, horrea mea destruam. Putes adhuc dicere illum: Aperiam horrea mea, ingrediã tur qui tolerare famem non queũt, ueniant inopes, intrent pauperes, repleant sinus suos. Destruantr parietes, qui excludunt esurientes. Vt quid ego abscondam, cui deus facit abundare quod largiar? Vt quid repagulis portarum claudam frumenta, quibus deus totum repleuit camporum ambitum, quæ sine custode nascuntur & abundant?

Quòd diuites qui humanitatis prædicatione imitari deberent sanctum Ioseph, potius de bonis faciant mala, quàm de malis bona acquirant, & in quæ horrea diuites frumenta condere debeant. Cap. VII.

VIcta est spes auari, si respicit pauperem. Rumpũtur uetusta horrea messibus nouis. Minus habui, & frustra seruaui: plus natum est, cui congregabo? Dũ incrementa preciorum aucupor, amisi usum beneficiorum. Quantas anni superioris frumento animas pauperum reseruare possem? Hæc me magis delectarent prætia, quæ non nummo æstimantur, sed gratia. Imitabor sanctum Ioseph humanitatis prædicatione, clamabo uoce magna: Venite pauperes, edite panes meos, expandite gremium, suscipite frumentum. Fœcunditas diuitis, totius orbis abundantia, omnium debet esse fertilitas. Tu uero non hoc dicis, sed ais: Destruam horrea mea. Rectè destrues Luc. 12
ea, quibus nullus pauper onustus reuertitur. Horrea iniquitatis sunt receptacula, nõ pietatis subsidia. Rectè destruet, qui sapienter ædificare non nouit. Destruet sua diues, qui nescit æterna. Destruet horrea, qui non nouit sua frumẽta diuidere, sed claudere. Et maiora, inquit, faciam. Infelix, uel id dispensato pauperibus, quod pro sumptu ædificatiõis impendis. Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis resoluis. Et addidit: Illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & dicã animæ meæ: Anima, habes multa bona. Confitetur auarus semper ubertatem prouentuum, dum uilitatem alimoniæ calumniatur. Fœcũditas enim uniuersorum est, sterilitas soli auaro est quæstuosa. Delectatur magis enormitate preciorũ, quàm abundantia copiarum: & mauult habere quod solus, quam quod cũ omnibus uendat. uide timentẽ ne superfluat cumulus frumentorũ, ne super horrea redundans transfundatur in pauperes, & boni alicuius occasio indigẽtibus acquiratur. Soli sibi partus terrarum uindicat diues, non quod ut ipse uelit, sed aliis denegare. Habes, inquit, multa bona. Nescit auarus bona, nisi ea quæ quæstuosa sunt, nominare. Sed acquiesco ei, ut bona dicantur quæ sunt pecuniaria. Cur ergo de bonis facti mala, cum de malis bona facere debeatis? Scriptum est enim: Facite uobis amicos de Luc. 6
mãmona iniquitatis. Ei ergo qui uti sciat, multa bona sunt: ei qui uti nescit, rectè mala. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternũ. Quid hoc melius bono, si pau Psal. 111
peribus largiaris, in quo tibi debitorem deum quadam pietatis fœneratione cõstituas? Bona sunt si aperias horrea iustitiæ tuæ, ut sis panis pauperum, uita egentium, oculus cæcorum, orbatorum infantium pater. Habes unde facias, quid uereris? Tua te uoce con- Luc. 12
uenio. Habes multa bona in annos multos posita, potes & tibi & aliis abundare. Habes fœcunditatem publicam, quid destruis horrea tua? Ostendo tibi ubi melius tua frumenta custodias, ubi bene sepias, ubi fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, ubi nulla tinea, nullus gurgulio ea consumat, nulla corrumpat uetustas. Habes apothecas, inopum sinus, habes apothecas uiduarum domos, habes apothecas orfantium orphanorum, ut dicatur tibi: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Istæ sunt tibi apothecæ, quæ maneant in æternum: ista sint tua horrea, quæ fœcunditas futura non destruat. Nam quid iterum facias, si tibi plus natum fuerit anno sequenti? Iterum ergo & illa destrues, quę nunc facere paras, & maiora facies. Dat enim tibi fœcunditatem deus, ut aut uincat aut condemnet auaritiam tuam, quo excusationem habere non possis. Tu uero quod per te multis nasci uoluit, tibi soli reseruas, imò & tibi ip si adimis. Magis enim seruares tibi, si dispertires aliis. Bonorum enim fructus munerũ in eosipsos qui contulerint, reuertuntur, & gratia liberalitatis in authorem boni operis redit. Denique scriptũ est: Seminate uobis ad iustitiam. Esto spiritalis agricola, sere quod Osee 10
tibi prosit. Bona satio in corde uiduarum. Si terra tibi reddit fructus uberiores quàm aceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddit multipliciora quę dederis?

De admonitione diuitis ut timeat,& spe uana nõ fallat,ac reprehensione eorũ qui dicũt nihil dandum pauperibus quia deus eos maledixerit ut egerent. Caput VIII

Deinde homo nescis quia terræ partũ præuenit dies mortis,misericordia autẽ incursum mortis excludit? Assistũt iam qui reposcant animã tuã,& tu adhuc differs operũ fructus tuorũ? Adhuc tu tibi tẽpora uiuendi longa promittis?

Lucæ 12 Stulte hac nocte repetũt animã tuã à te.Bene ait nocte: nocte ẽm anima auari reposcit, quæ à tenebris incipit,& in tenebris perseuerat.Auaro semper nox est,dies iusto,cui di-

Ibid.23 cit: Amẽ amẽ dico tibi,hodie mecũ eris in paradiso. Stultus sicut Luna mutat: iusti autẽ

Eccli 27 fulgebũt sicut Sol in regno patris eorũ.Rectè arguit stultitiæ, qui in manducando & bi-

Matth.13 bendo locarit spem suã.Et ideo ei tẽpus mortis urgetur, secundũ quod dictũ est ab ipsis

Esa.22 qui gulæ seruiũt:Mãducemus & bibamus,cras enim moriemur.Stultus,quia animę suę

Lucæ 12 corporalia subministrat: quia recõdit,quæ cui seruet ignorat.Et ideo ei dicit: Quæ autẽ parasti,cuius erũt? Quid quotidie metiris,& numeras,& obsignas? Quid aurũ trutinas, argentũ ponderas? Quanto melius est liberalem esse dispensatorẽ,q̃ solicitũ custodem? Quantũ tibi prodesset ad gratiam, multorũ pupillorũ patrẽ nominari, q̃ innumeras sta-teras in sacculo obsignatas habere? Pecunia enim hic relinquit: gratia autẽ operũ bono tum nobiscũ ad iudicẽ meriti defert. Sed fortasse dicas,quod uulgo soletis dicere: Non debemus ei donare, cui deus ita maledixit, ut eũ egere uellet. Sed nõ pauperes maledi-

Matth.5 cti,cum dictũ sit à deo: Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorũ est regnũ cœlorum.Non

Prouerb.11 de paupere,sed de diuite scriptura dicit: Captatis precia frumẽti,maledictus erit.Dein-de nõ requiras quid unusquisq; mereat. Misericordia nõ de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire: iuuare pauperẽ, nõ examinare iustitiam. Scriptũ est enim:

Psal.40 Beatus qui intelligit super egenũ & pauperẽ. Quis est qui intelligit? Qui cõpatitur ei, qui aduertit consortẽ esse naturæ, qui cognoscit quod & diuitẽ & pauperẽ fecit domi-nus, qui scit quod sanctificet fructus suos si de his delibet aliquã pauperibus portionẽ.

Prouerb.3 Ergo cum habeas unde largiaris,uide ne differas,dicẽs: Cras dabo, ne largiẽdi amittas copiã.Periculosa est de alterius salute dilatio. Potest fieri ut dũ tu differs illũ, ille moriat. Magis ante mortẽ præcurre, ne forte auaritia te & cras impediat, & promissa fraudent.

Quomodo Iezabel quæ est auaritia, promittat diuitibus contra iustitiam possessionem quam desiderant. Caput IX

Sed quid dico ne differas liberalitatem? Vtinam nõ approperes rapinam,uti-nam quod cupieris,non extorqueas,utinam alienum non petas, negatũ prę-termittas,excusatũ patienter feras, nõ audias illam Iezabel,quæ est auaritia,

3.Reg.21 quoddam profluuium uanitatis,dicentem: Ego tibi dabo possessionẽ quam desideras. Tu tristis es,quia uis mensuram considerare iustitiæ,ut alienum non eripias,ego habeo mea iura,meas leges,calumniabor ut spoliem:& ut possessio pauperi eripiatur, uita pul sabitur. Quid enim aliud in illa historia,nisi diuitũ auaritia describitur, quę est uanũ pro-fluuium,quod omnia fluuij more rapit,& nulli usui profutura traducit? Hæc est Iezabel illa,non una,sed multiplex: non unius temporis,sed temporũ plurimorũ: hæc omnibus

Ibidem 12 dicit,sicut illa dixit uiro suo Achab: Surge,& manduca panẽ,& redi ad te,ego dabo ti-bi uineam Nabuthe Iezraelitæ.Et scripsit librũ nomine Achab,& signauit anulo illius, & misit illum ad Seniores,& ad liberos eos qui morabantur cum Nabuthe. Et erat scri-ptum in libro: Ieiunate ieiunium,& constituite Nabuthe in principẽ populi,& consti-tuite duos uiros filios iniquitatis ex aduerso eius,ut falsum testimonium perhibeant ad-uersus eum,dicentes: Benedixit deum & regem: & producite illum,& lapidate.

De consuetudine diuitũ qui contristant si aliena rapere nõ possunt. Et quid facere debeant ut deus uel eorũ preces exaudiat,uel eorum ieiunium respiciat. Cap.X

Vàm euidenter expressa est diuitũ consuetudo.Contristantur si aliena nõ ra-piant,renunciant cibo,ieiunant,nõ ut peccatũ minuant, sed ut crimen admit-tant. Videas illos tunc cõuenientes ad ecclesiã,officiosos,humiles,assiduos,

Esa.58 ut effectum sceleris impetrare mereantur.Sed dicit illis deus: Non hoc ieiunium elegi, nec si flectas ut circulum collum tuũ,cinerem etiam & cilicium substernas, nec sic uoca bitis ieiunium acceptũ.Non tale ieiunium elegi,dicit dominus:sed solue omnem colli-gationem iniustitiæ,dissolue obligationes uiolentarum commutationum, dimitte con-fractos

fractos in remissionē, & omnem cōscriptionem iniquam dirumpe, frange panē tuū esu rienti, egenos non habentes tectū induc in domū tuam: si uideris nudū, cooperi, & domesticos seminis tui nō despicias. tunc orietur tibi matutinū lumē tuū, & sanitas tua matutina orietur, & præcedet ante te iustitia, & maiestas dei circūdabit te. tūc clamabis, & deus exaudiet te: adhuc te loquente dicet: Ecce assum. Audis diues quid dominus deus dicat? & tu ad Ecclesiā uenis, non ut conuiuij aliquid pauperibus largiaris, sed ut auferas: leiunas, nō ut cōuiuij tui sumptus proficiat egenis, sed ut spoliū de egentibus adipiscaris. Quid tibi uis cū libro, & charta, & signaculo, & conscriptione, & uinculo iuris? Non audisti: Solue oēm colligationē iniustitiæ, dissolue obligationem uiolentarū commutationum, dimitte confractos in remissionem, & omnē conscriptionē iniquam dirū per? Tu mihi tabulas offers, ego tibi recito dei legem. Tu atramento scribis, ego spiritu dei inscripta repeto oracula prophetarū. Tu testimonia falsa cōponis, ego testimonium conscientiæ tuæ posco, quia iudicem tuum effugere & declinare nō poteris, cuius testimonium non poteris recusare in die qua reuelabit dominus occulta hominū. Tu dicis: Destruā horrea mea. Et dominus dicit: Sine magis, quicquid intra horreum est, pauperibus deputari, sine cellas istas pauperibus prodesse. Tu dicis: Maiora faciam, & illò congregabo omnia quæ nata sunt mihi, Dominus dicit: Frange esurienti panem tuū. Tu dicis: Tollam pauperi domum suam, Dominus autem dicit egenos & nō habentes tectū induc in domum tuam. Quomodo uis diues ut deus te exaudiat, cum tu deum non putes audiendum? Si non acquiescatur arbitrio diuitis, scena componitur: Dei æstimatur iniuria, si diuitis petitio refutetur. Esa. 58

Quid est quod duo falsi testes attestati sunt Nabuthe deum benedixisse & regē. Et quomodo diuites cum calumniati nocuerint, simulent se dolere. Et quid sibi uelit quod meretrices lauerunt se in sanguine Achab. Cap. XI

D Eum, inquit, benedixit & regē.] Aequalis uidelicet persona, ut sit æqualis contumelia. Benedixit, inquit, deum & regem. Ne diuitē maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono, benedictio pro maledicto uocatur. 3. Reg. 21

Quærūtur duo testes iniquitatis. Duobus enim testibus & Susanna est appetita, duos testes & Synagoga inuenit qui aduersum Christū falsa iactarent, duobus testibus pauper occiditur. Produxerūt igitur Nabuthe foras, & lapidauerunt eum. Vtinā uel in suis ei liceret mori. Pauperi ipsam diues inuidet sepulturā. Et factum est, inquit, cū audisset Achab quia mortuus est Nabuthe, conscidit uestimēta sua, & cooperuit se cilicio. Et factum est post hæc, & surrexit & descendit Achab ad uineā Nabuthe Iezraelitæ possidere eā.] Irascuntur diuites, & calumniantur ut noceant, si nō obtineant quod desideraue rint. Cum autem calūniati nocuerint, dolere se simulant: tristes tamen, & tanquam mœsti, non corde sed uultu, in possessionis direptæ locum prodeunt, & impressionis suæ iniquitate potiuntur. Hinc diuina mouetur iustitia, & auarum digna seueritate condemnat, dicens: Occidisti, & possedisti hæreditatem. Propter hoc, in loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthe, in eo lingent canes sanguinē tuum, & meretrices lauabuntur in sanguine tuo.] Quàm iusta, quā seuera sentētia, ut quam intulit alteri mortis acerbitatē, eam ipse mortis suæ horrore dissoluere proderetur. Inhumatū pauperē deus aspicit, & ideo insepultum diuitē iacere decernit: ut & mortuus luat suę iniquitatis ærumnā, qui nec mortuo putauit esse parcendum. Itaq; uulneris sui cruore perfusum cadauer, speciē funeris uitæ suæ prodidit crudelitatem. Hæc cum pertulit pauper, diues arguebatur: cum diues excepit pœnam, pauper uindicabatur. Quid sibi autem uult quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi forte ut meretricia quædam in illa feritate fuisse regis perfidia proderetur, uel cruēta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, ut holus desideraret: sic cruētus, ut propter holus hominem occideret? Digna auarum, digna auaritiam pœna consumit. Deniq; & Iezabel ipsam comederunt canes, & uolucres cœli: ut ostenderetur quod spiritalis nequitiæ fiat præda diuitis sepultura. Fuge ergo diues huiusmodi exitum. Sed fugies huiusmodi exitū, si fugeris huiusmodi flagitium. Noli esse Achab, ut possessionē finitimā concupiscas. Non tibi cohabitet Iezabel illa feralis auaritia, quę tibi cruenta persuadeat, quæ cupiditates tuas non reuocet, sed impellat: quæ te faciat tristiorem etiam cum desiderata possederis: quæ te faciat nudum, cum diues fueris. 3. Reg. 21 Dan. 13 Matt. 26 3. Reg. 21 3. Reg. 21

Quòd omnis auarus pauperiorẽ se iudicet, eò quòd sibi deesse arbitretur quic quid ab alijs possidetur. Et quomodo Helias Achab inuenisse dicatur. Quomodo etiam diues puteum suum exundantẽ usu aliquo exercere, non ocio cor rumpi sinere debet. Cap. XII

Prou. 17 iux. lxx.

P Auperiorem enim se iudicat omnis abundãs, quia sibi deesse arbitrat, quic quid ab alijs possidetur. Toto mundo eget, cuius non capit mundus cupidi tates, eius autem qui fidelis est, totus mundus diuitiarum est. Toto mũdo fu

3. Reg. 21

gít, qui considerans conscientiam suam, metuit deprehendi. Et ideo Achab ad Heliã se cundum historiam ait, secundum ænigmata aũt diues ad pauperem: Inuenisti me inimi cus meus. Quàm misera conscientia, quæ se proditam doluit. Et dixit Helias ad eum: In ueni, quoniam fecisti malum in cõspectu domini. Rex erat ille, & rex Samariæ Achab:

3. Reg. 17

Helias pauper, & indigẽs pane, cui uictus defecisset substantia, nisi corui alimoniã mini strassent. Adeo deiecta erat conscientia peccatoris, ut nec regalis potentiæ fastu attolle retur. Itaq; quasi uilis & degener: Inuenisti me, inquit, inimicus meus, deprehendisti in me quæ latere putabã. Nulla mentis meæ occulta te fallunt. Inuenisti me, patent tibi uul nera mea, captiuitas præsto est. Inuenitur peccator, cum iniquitas eius proditur. Iustus

Psal. 16

autem dicit: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Adam cum lateret, inuentus est: Moysi autem nequaquam inuenta est sepultura. Inuentus est Achab, non

Prou. 1

est inuentus Helias. Et sapientia dei dixit: Quærent me mali, & non inuenient. Vnde & in Euangelio dominus noster Iesus quærebatur, & non inueniebaẽ. Culpa igitur autho rem suum prodit. Vnde & Thesbites ait: Inueni, quoniam fecisti malum in cõspectu do

3. Reg. 21

mini, quia culpæ reos tradit dominus: innocentes autem non tradit in potestatẽ inimi corum suorum. Deniq; Saul quærebat sanctum Dauid, & inuenire non poterat: Dauid uero sanctus regẽ Saul, quẽ non quærebat, inuenit, quoniam tradidit eum dominus in potestatem ipsius. Captiua est igitur opulentia, paupertas libera. Seruitis diuites, ac mi serã quidem seruitutẽ, qui seruitis errori, seruitis cupiditati, seruitis auaritiæ, quę expleri non potest, gurges quidã insatiabilis: rapidior est cũ illata demergit, & putei modo cũ exundat, cœno inquinatur, terrã rodit, nihil sibi profuturam. Vel hoc exemplo uos ad moneri cõuenit. Puteus enim, si nihil haurias, inerti ocio & degeneri situ facilè corrum pitur: exercitus autẽ nitescit ad speciem, dulcescit ad potum. Ita & aceruus diuitiarũ, cu mulo arenosus, speciosus est usu, ocio autẽ inutilis habetur. Deriuato igitur aliquid de

Eccl. 3

hoc puteo. Ignem ardentem restingue, quia eleemosyna resistit peccatis. Aqua autẽ sta tiua cito uermes facit. Non stet thesaurus tuus, ne ignis tuus stet. Stabit in te, nisi eum o

Luc. 16

peribus tuæ miserationis auerteris. in quantis uero sis diues incendijs, considera. Tua uox est ista dicentis: Pater Abraham, dic Lazaro ut extremũ digiti sui intingat in aqua, & refrigeret linguã meã. Tibi igitur proficit, quicquid inopi contuleris: tibi crescit, quic

Prou. 19

quid in pauperes erogaueris. Scriptum est: Qui miseretur pauperi, fœnerat deo. Ipse ci bo in paupere pascitur, & fructus iam in his est misericordiæ. Seminatur in terra, germi nat in cœlo. Plantatur in pauperes, apud deum pullulat. Ne dixeris, inquit, deus, cras da bo. Qui non patitur te dicere, Cras dabo: quomodo patitur dicere, Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim cõmune est in omniũ usum datũ, tu solus usurpas? Omniũ est terra, nõ diuitũ: sed pauciores qui nõ utũtur suo, quàm qui utũ

Eccl. 4

tur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitũ. Ideoq; tibi dicit scriptura: Declina pau peri animam tuã, & redde debitum tuum, & responde pacifica in mansuetudine.

Quàm stulta sit superbia diuitũ gloriantiũ de nobilitatis prosapia. Et quod meritum hæredum non in auro, sed in uirtute consistat. Cap. XIII

Vid enim superbis diues? Quid dicis pauperi: Noli me tangere? Non ne sic Q utero cõceptus, & natus es ex utero, quemadmodum & pauper est natus? Quid te iactas de nobilitatis prosapia? Soletis & canũ uestrorum origines si cut diuitum recensere, soletis & equorum uestrorum nobilitatem sicut consulum prædi care. Ille ex illo patre generatus est, & illa matre editus: ille auo illo gaudet, illis se proa uis attollit. Sed nihil istud currẽtẽ iuuat. Nõ daẽ nobilitati palma, sed cursui. Deformior est uictus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur diues ne in te erubescant tuorũ merita maiorum, ne forte & illis dicatur: Cur talem instituistis? cur talem elegistis

hære-

hæredem? Nõ inauratis laquearibus, nec in Porphyreticis orbibus hæredis est meritũ. Laus ista non hominũ sed metallorũ est, in quibus homines puniuntur. Per egentes aurum quæritur, & egentibus denegatur. Laborant ut quærant, laborãt ut inueniãt quod habere non norunt. Miror tamen cur eo uos diuites iactandos putetis, cum aurum materia magis offensionis quàm commendationis gratia sit. Lignũ enim offensionis est aurũ, & uæ ijs qui sectantur illud. Denicq; benedicitur dives qui inuentus est sine macula, Eccl. 31
& qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Sed quasi is cognitus esse non possit, eum sibi desiderãs demonstrari: Quis est hic, inquit? Et laudabimus eũ. Fecit enim quod mirari magis quasi nouum, quàm quod quasi usitatum recognoscere debeamus. Itaq; qui in diuitijs potuerit comprobari, is uere perfectus & dignus est gloria. Qui potuit, inquit, trãsgredi, & nõ est transgressus: & facere mala, & non fecit. Aurũ ergo uobis, in quo tãta illecebra erroris est, nõ tam sua gratia, quàm hominũ pœna commendat. An uos ampla extollunt atria? Quæ magis debent cõpungere, quia cum populos capiant, uocẽ excludunt pauperis: quanquam nihil prosit audiri eam, quæ etiam audita nihil proficit. Deinde nõ ipsa uos pudoris aula admonet, quia ædificando uestras uultis superare diuitias, nec tamẽ uincitis. Parietes uestitis auro, homines uestè nudatis. Clamat ante domũ tuã nudus, & negligis, clamat homo nudus & tu solicitus es quibus marmoribus pauimẽta uestias. Pecuniã pauper quærit, & nõ habet: panem postulat homo, & equus tuus aurũ sub dẽtibus mandit. Sed delectãt te ornamẽta preciosa, cum alij frumẽta non habeãt. Quantũ ô dives sumis tibi iudiciũ. Populus esurit, & tu horrea tua claudis: populus deplorat, & tu gemmã tuam uersas. Infœlix, cuius in potestate est tãto rũ animas à morte defendere, & nõ est uolũtas. Totius uitã populi poterat annuli tui gẽma seruare. Audi planè qualis diuitẽ deceat prædicatio: Liberaui, inquit, pauperẽ de manu potentis: & orphanũ, cui non erat adiutor, adiuui. Benedictio perituri super me uenit, os autem uiduæ me benedixit. Iustitiam induebar, oculus eram cæcorũ, pes aũt claudorum, ego eram pater orphanorũ. Et infra: Ante fores meas non habitauit hospes, ostium autem meum omni ueniẽti patuit. Si autem peccaui impudens, non celaui culpã meam, neq; reueritus sum multitudinẽ plebis, ut non annunciarem præsentibus eis: si passus sum infirmum exire ostium meum uacuo sinu. Cautionem quoq; si quã habui debitoris, scissam sine debiti recuperatione reddidi sine mora. Nam quid etiam illud repetam, quod in omni infirmo fleuisse se dixit, & ingemuisse se cum uideret uirũ in necessitate, se aũt in bonis? Sed & tunc sibi magis fuisse dies malorũ, cum se habere cerneret, alios indigere. Si hoc ille dicit, qui nunquam uiduæ oculum fecit tabescere, qui nũquam panem suũ solus mãducauit, & nõ orphano tradidit, quẽ à tuuentute sua nutriuit, aluit, instituit parentis affectu: qui nunquam nudũ despexit, qui morientẽ operuit, qui uelleribus ouiũ suarum infirmorũ calefecit humeros, non oppressit pupillũ, nunquam diuitis oblectatus est, nunquam gratulatus est lapsu inimicorũ suorum: si qui fecit hæc, de summis cœpit egredi diuitijs: si nihil ex patrimonio tanto, nisi solũ fructum misericordiæ reportauit: quid de te futurũ est, qui tuo nescis uti patrimonio, qui in summis diuitijs dies sustines mendicitatis, quia nulli largiris, nulli subuenis?

Quomodo diuites custodes sint & serui diuitiarum. Et ideo illas potius pauperibus erogare debeant pro melioribus rebus acquirendis. Et de pauperibus abundantibus, & diuitibus egentibus. Cap. XIIII

C Vstos ergo es tuarum, non dominus facultatum, qui aurũ terræ infodis: minister utiq; eius, non arbiter. Sed ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Ergo in illo auro cor tuum infodisti terræ. Vende potius aurũ, & eme salutem: uẽde lapidem, & eme regnum dei: uende agrum, & eme tibi uitã æternam. Vera allego, quia uerba astruo ueritatis. Si uis perfectus esse, inquit, omnia quæcunq; habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo. Et noli contristari cũ hæc audis, ne dicatur & tibi, sicut & illi adolescenti diuiti dictũ est: Quàm difficile qui possessiones habẽt, in regnũ dei intrabũt? Magis cũ hæc legis, considera, quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere. Deinde quia poteris parua pro magnis, caduca pro æternis, thesauros pecuniæ pro thesauris gratiæ uendere. Isti corrũpuntur, illi permanent. Cõsidera quia hos solus nõ possides. possidet tecum tinea, possidet ærugo, quę cõsumit pecuniã.

Matt. 6

Matt. 19

Ibid.

Has tibi consortes auaritia dedit. Vide autē quos tibi det gratia debitores. Splendidum in panibus benedicent labia iustorū, & testimoniū bonitatis illius fiet. Facit tibi patrem debitorem deum, qui pro munere, quo pauper adiutus est, fœnus exoluet, quasi bonus
Matt. 25 debitor creditoris. Facit tibi debitorē filium dei, qui ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erā, & collegistis me: nudus, & operuistis me. Quod enim unicuiq; minimorū collatū fuerit, sibi dicit esse collatū. Nescis ô homo struere diuitias. Si uis diues esse, esto pauper seculo, ut sis diues deo. Diues fidei, diues est deo. Qui diues est in misericordia, hic est diues in deo. Diues in simplicitate, diues deo est. Diues sapiētiæ & scientiæ, diues est deo. Sunt qui in paupertate abūdent, & qui in diuitijs egeāt. Abundant pauperes, quorū profunda paupertas abūdauit in diuitijs simplicitatis suæ, diuites aūt eguerūt & esurierūt. Neq; enim ociose scriptū est: Diuitū pau-
Prou. 22 Iux. 70 res præpositi erunt, & proprij serui dominis fœnerabūt, quia diuites & domini superua cua & uana semināt, ex quibus nō fructū colligāt, sed spinas metant. Ideo pauperibus diuites erūt subditi, & serui dominis spiritalia fœnerabūt, quēadmodū diues rogabat ut si
Luc. 16 bi stillā aquæ pauper Lazarus fœneraret. Potes & tu diues istā implere sentētiā, si largiaris pauperi, & domino fœnerabueris. Qui enim largitur pauperi, domino fœnerat. Pul-
Prou. 19 chre aūt sanctus Dauid in Psalmo septuagesimoquinto hymnū deo cōcinēs ad Assyriū scriptū, hoc est aduersus nequitias spiritales, Assyriū inanē ac uacuū principē istius mū-
Psal. 75 di, ita cœpit: Notus in Iudæa deus, in Israel magnū nomen eius: hoc est, nō in diuitibus, non in nobilibus, uel in potētibus, sed in anima cōfitente deo: nō in principibus & cōsulibus, sed in eo qui deū uidet. Ipse est enim Israel, in quo profunda fides ad cognitionem dei potuit peruenire. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, ubi quietus affectus nullis diuersarū cupiditatū exagitatur fluctibus, nullis auaritiæ turbat procellis, nullis quærendarū diuitiarū ignescit incēdijs. Ipse est qui speculatur æterna, & habitat in Siō, cōfringens omnia spiritualiū instrumenta bellorum, cōterens arcus quibus diabolus ignita dirigens iacula, graues pectoribus hominū solet inurere passiones. Sed illa iacula iusto nocere nō possunt, cui deus lux est, tantūq; abest à caligantium horrore tenebrarum, ut aduersarius in eo locū habere non possit, qui etiam principibus se consueuit infundere, sicut infudit Iudæ proditori, concidēs tanquam in sylua lignorū fidei ianuas, ut in cor eius haberet ingressum, & æterni nominis tabernaculū possideret. Ergo princeps huius mūdi quasi improbus usurpator concidit ianuas, ut uiolentus introeat: dominus aūt quasi pius illustrat seruulos, & eorū fulgētibus meritis, & claritate uirtutū tenebras mūdi huius illuminat. Hāc pacifici atq; māsueti habēt apud deū gratiam, sobria mentis suæ tranquillitate fundati: insipientes aūt corde turbantur, & ipsi sibi sunt propriæ exagitationis authores: quia desideriorū suorū æstu uoluuntur, & quodā salo
Psal. 75 fluctuant. Qui autem sint isti, Propheta significauit dicēdo: Omnes uiri diuitiarū. Omnes dixit, nullum excepit. Et bene uiros diuitiarum appellauit, non diuitias uirorum, ut ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitijs possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis.

Quòd omnes uiri diuitiarum insipientes dicantur, & corde turbati, & quomodo dormiant somnum suum. Quomodo etiam dormitarint qui ascenderunt equos. Cap. XV

Vicunq; igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri Q pauperi & dispensare non nouit, is suarum seruulus est, non dominus facultatum: quia aliena custodit ut famulus, non tanquam dominus suis utitur. In huiusmodi ergo affectu dicimus quod uir diuitiarū sit, non diuitiæ uiri. Intellectus enim bonus utentibus eo. qui autem non intelligit, is utiq; intellectus sibi gratiam nō potest uindicare: & ideo somno temulentiæ consopitus obdormit. Huiusmodi igitur uiri somnum suum dormiunt, non Christi dormiunt somnum. Et qui somnum Christi non dor-
Psal. 3 miunt, non habent Christi quietem, non surgūt Christi resurrectione, quia ipse ait: Ego dormiui, & quieui, & surrexi, quoniā dominus suscepit me. In hoc quoq; seculo dormitant, digni habiti increpatione cœlesti, quia ascenderunt equos, quos refrenare non po-
Can. 6 terāt. Legimus alibi dicentē ecclesiam siue animā: Posuit me currus Aminadab. Si ergo anima currus est, uide ne equus caro sit. Agitator autem uigor mētis, qui regit carnem, &

& motus eius uelut quosdã equos prudentiæ habenis coercet. Dormitauerũt ergo qui ascenderunt equos, corporis uoluptates, nullo eas moderamine gubernãtes. Vnde & ascẽsores eos quàm equites uel agitatores maluit nũcupare. Agitator enim cũ discípli-
na & arte pro arbitrio suo equos agitat, uel currẽtes incitat, uel reflectit indomitos, uel reuocat fatigatos, uel mãsuetos pro sua uolũtate cõuertit. Vnde cũ reciperetur Helias, & curru quasi ad cœlũ ferretur, clamauit ad eũ Helisæus, Pater pater agitator Israel, & e- 4. Reg. 2
ques eius. hoc est, qui populũ domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos acce
pisti currus, hos equos ad diuina currentes. quia moderatorẽ te humanarum mentiũ do
minus cõprobauit: ideo tanquã boni auriga certaminis uictor æterno præmio corona-
ris. In Abacuc quoq; propheta lectũ est, ad ipsum dominũ dictũ: Ascẽde super equos tu Abac. 3
os, & equitatus tuus salus. Agitauit enim Apostolos suos, quos per diuersa mundi dire
xit, ut toti orbi Euangeliũ prædicarent. Ascende ait, quasi rectori equorũ, nõ quasi ascẽ
sori. Ascẽdit enim etiã eques nõ tantummodo ut sedeat, sed ut regat: eò quòd desidio-
sus piger & somnolentus proferre non possit mentis incessum. De equite aũt lectũ est: Gen. 49
Et eques ascendit retrorsum, expectãs salutẽ domini. Etenim quia nemo sine lapsu est:
etiam si quis ceciderit, & terrenis aliquibus uitijs fuerit implexus, si tamen non abijciat
spem resurgendi, fretus miseratione diuina perueniet ad salutem. De ascensore uero ma
nifestũ est indiciũ, quòd reprehẽsibilis habeatur, quãdo Moyses ipse ait in Cãtico Exo- Exodi 15
di: Equũ & ascensorẽ proiecit in mare. Et in Zacharia locutus est dominus dicens: Per- Zacha. 12
cutiam omnem equũ in amẽtia, & ascensorẽ eius in insipientia. Nõ dixit solum equum,
sed & ascensorẽ, quomodo & in Exodo habes, Equũ & ascẽsorẽ. Vbi est enim ascẽsor,
qui non potest equũ propriũ gubernare, equus fertur in præceps, & indomito furore in
prærupta & periculosa raptatur. Quid igit uobis in equis cõfiditis diuites? Mendax est Psal. 32
equus ad salutẽ. Quid in curribus uobis plauditis? Hi in curribus, & hi in equis, nos au Ibid. 19
tem in nomine dei magnificabimur. Ipsi obligati sunt, & cecidere: nos autẽ surreximus
& erecti sumus. Nolite amare adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari. Terribilis
est dominus, & cui nemo possit potens & diues resistere, iudicium cœleste iaculatur.

Quomodo diuites quiescere & feriari debeant à flagitijs, & confiteri domi-
no in fide, humilitate, & deuota oratione. Et quod multi diuites propter per
fidiam perierint.

Cap. XVI

Onum est ut iam quiescatis, & à flagitijs feriantes reuereamini domini pote
B statem. Ideo dictũ est parricidæ Cain: peccasti, quiesce. ut modum peccato Gen. 4
suo poneret. Cogitationes uestræ cõfiteãtur domino. Nõ dicatis, Nõ pecca
uimus. Dixit sanctus Paulus: Et si nihil mihi cõscius sum, addidit tamẽ: Sed nõ in hoc iu 1. Cor. 4
stificatus sum. Et uos etiã si nihil estis cõscij, cõfiteamini tamẽ domino, ne quid sit quod
uos prætereat. Qui enim cõfitetur domino, etsi reliquias cogitationis adhibuerit ad cõ
fessionẽ, diẽ festũ mentis celebrabit arcano, & epulabitur nõ in fermẽto malitiæ & ne-
quitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis: Itaq; in cõclusiõe cõuersus ad uos prophe 1. Cor. 5
ta dicit: Orate, & reddite domino deo uestro, id est, Nolite dissimulare diuites, dies in- Psal. 75
stat, orate pro peccatis uestris, reddite pro beneficijs quæ habetis munera. Ab ipso acce
pistis, quod offeratis: ipsius est, quod ei soluitis. Dona, inquit, mea & data mea: hoc est,
quæ offertis mihi dona, data sunt mea. Ego ea dedi uobis atq; donaui. Deniq; propheta
ait: Quoniã bonorũ meorum non eges. tua tibi offero, quoniã non habeo quod nõ de-
disti. Fides est quæ dona cõciliat, humilitas est quæ oblata cõmẽdat. Fide Abel plurimã Ibid. 15
hostiã obtulit deo. Ideo super Cain fratris munera placuit munus Abel, quia fide uicit. Hebr. 11
Nã unde pauperis hostia magis quàm diuitis placet? quia pauper fide ditior est, sobrie-
tate locupletior: & cũ sit pauper, ex illis est de quibus dicitur: Tibi offerent reges mune Psalm. 67
rã. Nõ enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regẽtibus dominus Iesus dele
ctatur, qui corporali lasciuiæ mentis dominẽtur imperio. Orate ergo diuites, non enim
habetis in operibus quod placeat. Orate pro peccatis uestris atq; flagitijs, & reddite do
mino deo uestro munera. Reddite in paupere, in egeno soluite, in illo inope fœnerate,
quem placare propter flagitia uestra aliter non potestis. Quem ultorem timetis, faci-
te debitorem. Non accipiam, inquit, de domo tua titulos, neque de gregibus tuis Ibid. 59
hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum. Quidquid obtuleritis, meum est,

quia totus orbis meus est. Non exigo quod meũ est, est quod de uestro mihi possitis of-
Psal. 49 ferre. Studio deuotionis & fidei, non sacrificiorum ambitione delector. Tantummodo
ô homo immola deo sacrificiũ laudis, & redde altissimo uota tua. Aut certe, si placet, sic
accipiamus. Quoniã dixit obdormisse somnũ suum diuites, increpationes præmisit do-
mini in eos, terrorem subtexuit, potentiam prædicauit, cui nec diuites resistent: & con-
Psal. 75 uersus ad uniuersos, ait: Diuites dormitent, diuites increpẽtur. Vos orate, & reddite do
mino deo uestro oẽs qui in circuitu eius offertis munera. id est, gratias agite pauperes,
Act. 10 quia non est personarũ acceptor deus. Illi diuitias instruant, condant pecuniã auri, agge
rent argenti thesauros: uos orate, qui aliud nõ habetis: uos orate, qui hoc solũ habetis,
quod est auro pretiosius, & argento. Vos reddite munera, qui à domino non receditis,
Eph. 2 qui estis in circuitu: quoniã qui eratis longe, facti estis prope. Qui aũt prope sibi uidẽtur
Psal. 75 esse per diuitias ac potentiã, lõge facti sunt propter auaritiam. Nemo enim fortis est nisi
quem culpa excluserit, sicut eiecit Adam de paradiso, & Euam exclusit. Nemo lõge, ni
si quẽ flagitia propria relegauerint. Ergo uos prope positi orate & reddite munera ter-
ribili deo, & ei qui aufert principum spiritum, terribili apud reges terræ, eò quòd nullo
redimatur diuitis precio, nullo inflectatur potentium supercilio, qui culpæ precia di-
scriminat, qui quo plus alicui contulerit, eo plus exigit ab eo. Saul priuato contulit reg-
nũ: sed quia mandatum non custodiuit, & regnũ amisit & spiritũ. Multos reges gẽtium
propter perfidiã fecit populo patrũ esse captiuos. Et ut iam de proposita loquamur hi-
storia, Achab regẽ cœlestibus ingratũ beneficijs ita iussit occidi, ut canes eius uulnera
lamberent. Etenim quia pauperis uineam concupierat, nequaquã tantis opibus exple-
tus imperij, infra omnem inopiam redactus à domino, non qui uulnera eius lauaret, in-
uentus est, non qui corpus operiret. Defecit circa eum hominum humanitas, canũ suc-
cessit asperitas. Dignos planè sui ministros funeris auarus inuenit.

Quemadmodum Achab dicatur commotus ante faciem dei, ut in diebus eius non inducerentur super eum mala. Et quòd dominus etiam circa indig nos promissa sua seruet. Cap. XVII.

Hoc loco oritur illud quæstionis, quomodo legimus dixisse dominum ad He
1. Reg. 21 H liam: Vidisti quẽadmodum commotus est Achab à facie mea? Non inducã in diebus eius mala, sed in diebus filij eius inducã mala. Aut quomodo dici-
mus quia ualet apud dominum pœnitentia? Ecce rex motus est à facie dei, & ibat plo-
rans, & conscidit uestimẽta sua, & operuit se cilicio, & erat indutus sacco ex illo die quo
interfecit Nabuthe Iezraelitam, ita ut deum misericordia commoueret, & mutaret sen-
tentiam. Ergo aut pœnitentia non ualuit, nec inflexit dominum misericordem, aut ora-
culum falsum est. Nam Achab & uictus est & occisus. Sed cõsidera quia Iezabel habuit
uxorem, cuius inflammabatur arbitrio, quæ conuertit cor eius, & nimijs sacrilegijs exe-
crabilem fecit. Et hunc ergo pœnitentiæ eius reuocauit affectum. Dominus autem nõ
potest mutabilis æstimari, si confessionis immemori nõ putabat esse seruãdũ, quod pro
miserat cõfitenti. Accipe aliud uerius: Et indigno seruauit dominus tenorem sententiæ
suę, sed beneficia circa se diuina ipse non tenuit. Intulerat ei bellũ rex Syriæ, uictus est &
seruatus ad ueniam, captiuus quoq; libertati donatus, & remissus ad regnum est. Quod
fuit diuinæ sentẽtiæ, non solũ euasit Achab, sed etiã triũphauit: quod ipsius ignauiæ, ho
stem sibi, à quo uinceretur, armauit: & certè fuerat monitus à Propheta, dicẽte: Cogno-
sce & uide quid facias. Monitus inquam erat, eò quòd Syriæ regis pueris deberetur
3. Reg. 20 gratiæ cœlestis auxilium, quoniam dixissent: Deus montium, deus Israel, & non deus
Baal: propter hoc, inquit, obtinuerunt pro nobis. Et ideo, inquit, si non plenè obtinueri
mus eos, in locum Syriæ regis Satrapas constituite, ut uirtutem illis & potentiã regis au
ferret. Deniq; primo congressu uicit, ut fugaret hostẽ: secundo uicit, quando captũ im-
perio suo reddidit. Qua causa uincendi eius euidenter resultauit oraculũ, dicente uno
ex filijs prophetarum ad proximum suum: Occide me. Et noluit homo occidere eum.
Et dixit: Eo quòd non obedisti uerbo domini, ecce tu recedes à me, & interficiet te leo.
Et recessit ab eo, & inuenit eum leo, & interfecit eum. Et post hoc alius propheta astitit
ante regem Israel, & dixit ad eum: Hæc dicit dominus, quoniam dimisisti tu uirum ex-
terminatiõis de manu tua: ecce anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo
illius.

illius. Liquet igitur his oraculis quòd dominus etiam circa indignos promissa sua seruet: sed ipsos aut stultitia sua opprimi, aut alia præuaricatione damnari, etiam si primæ præuaricationis laqueos euaserint.

CAPITA LIBRI PRIMI DE SANCTO IACOB.

Quòd ad uirtutum disciplinam passionesq; coercendas necessarius sit sermo prudẽs ac bonus, & mens rationi intenta. Quodq; docibilis sit uirtus. Et quod licet ratio concupiscentiam eradicare, & corporales motus auferre non possit, mens tamen sobria refrænare atq; reprimere ualeat quamuis grauem passionem. Cap. I

De ordine ac differentia passionum. Et qua ratione temperantia quàm maximè istarum passionum restinguat ardorem, corporalisq; ferocitatis habenas. Ac de magnis eiusdem temperantiæ laudibus, quam & primis hominibus tenendam deus mandauit, & lex docet, uniuersorumq; infundit affectibus. Cap. II.

Quòd sapientiam & disciplinam doceri scriptura testetur. Ac de exhortatione ad studium, & eius commendatione. Et quod nulli nostram adscribere debeamus culpam, ni si nostræ uoluntati qua uel peccato uel iustitiæ seruimus. Quòd præterea carnem iniuste quasi infirmam accusemus, cum affectus non caro author sit culpæ. Quòd denicq; cõsiderandum sit in qua parte: an peccati uel iustitiæ tolerabilior sit seruitus, & fructus uberior. Cap. III.

Quantum dominus homini contulerit per dationem legis, & gratiæ adiunctionem. Et quid lex operata sit in homine iuxta sententiam Apostolicam. Ac de absolutione duarum quæstionum circa uerba Apostoli incidentium. Cap. IIII.

Qua ratione lex non sufficerit, sed ultra eam necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata. Quodq; nos etiam cum illo mori, resurgere & uersari debeamus. Cap. V.

Quid profuerit legis promulgatio. Quantum etiam utilitatis atq; consolationis hominiq; attulerit gratia, & pignus charitatis Christi, cum incitatione ad repensionem obsequij pro tantis beneficijs debiti, eorundemq; beneficiorum consolatiua inductione. Cap. VI.

Qualis in nobis debeat esse Christi charitas, & quod nulla aduersa corporis uitæ beatę munus imminuunt. Quodq; in se habeat remunerationem suam qui Christum sic sequitur, ac beatus sit. Quod etiam sic beata uita sit in hominibus, in quibus fuerit uita perfecta, & quę sit uita perfecta. Quid denicq; uir perfectus quærat, ac illi cõueniat. Cap. VII.

Quòd quamuis sapiens delectetur sanitate corporis aut liberis, nõ tamen minus perfectus si illa amittat, & quòd nulla aduersa intolerabiliter ferat, cum expositione eorum quæ ad formam iusti uiri requiruntur. Cap. VII.

DIVI

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI, DE
SANCTO IACOB ET VITA BEATA,
Liber primus.

Quòd ad uirtutum disciplinam passionesq; coercẽdas necessarius sit sermo prudens ac bonus, & mens rationi intenta. Quodq; docibilis sit uirtus, Et quòd licet ratio cõcupiscentiam eradicare, & corporales motus auferre nõ possit, mens tamen sobria refrænare atq; reprimere ualeat quamuis grauem passionem. Cap. 1.

NECESSARIVS ad disciplinam boni sermo omnis plenius prudentiæ, & mens rationi intẽta præcurrit uirtutibus, passiones coercet. Docibilis enim uirtus. Deniq; studio & discẽdo quæritur, dissimulãdo amittitur. Alioquin nisi sermo bonus necessarius esset ad correctionem, nunquam lex diceret: Non adulterabis. Sed quia nudus sermo ad monendum utilis, ad persuadendũ infirmus est, ideo adhibenda est rationis recta cõsideratio, ut quod sermo bonus præscripserit, ratio plenius tractata persuadeat. Non enim seruili ad obediendum constringimur necessitate sed uoluntate arbitra, siue ad uirtutem propendimus, siue ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut uoluntas reuocat, rationem secuta. Passio autem grauissima culpæ concupiscentia, quã ratio mollit & comprimit. Emollire enim potest, eradicare nõ potest: quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor. Neq; enim fieri potest ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationẽ cohibeat, ac puniendo se reuocet, sicut & propheta nos docet dicens: Irascimini, & nolite peccare. Concessit, quod naturæ est: negauit, quod culpæ est. Omnis itaq; temperãtia ex alijs non ex se originem sumit, ideoq; secunda est. Nam aut de naturalibus suscipitur, aut de utilibus. Itaq; aut naturalia temperat, aut utilitatis assertor est. Denique non ibi excidit concupiscentiam, sed facit ne concupiscentiæ seruiamus. Quis enim tantus, ut corporales motus possit auferre, nisi solus ille qui potuit de infructuosa ficulnea dicere, hoc est malitia Iudæorum: Ecce anni tres sunt ex quo ueni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam? Cui respondit seruus: Remitte illam & hoc anno, usq; dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris: & siquidem fructum fecerit: sin autem, in futurum succides illam. Merito ad dominum retulit, quia excidendæ temporalis prolapsionis potestatem sibi ipse uindicare non poterat, sed domino seruabat. Denique quem de hominibus meliorem & fortiorem assumemus quàm sanctũ Dauid, qui cupiditatem qua concupierat aquam de lacu Bethleem hostili intercluſam exercitu, sibi auferre non potuit, potuit mitigare? Nam cum alijs utiq; defuisse non inueniamus, id est, tanto exercitus numero, cum utiq; multo minus regi deesse potuerit ex cæteris fontibus aqua: irrationabilem quandam cõcupiscentiam passus, desiderauit eã quæ hostium erat circumfusione uallata, unde sine maximo periculo non facile potuisset deferri. Itaq; ait: Quis mihi dabit potum de lacu qui est in Bethleem ad portam? Et cum essent reperti tres uiri qui hostium castra præciderent, & deferrent aquam quam summo desiderio desiderasset: cognoscens quod periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam domino, ne sanguinem illorum qui eam detulerant, bibere uideretur. Quæ res indicio est quod concupiscentia quidem rationem præueniat, sed ratio cupiditati resistat. Humanum itaque quid passus est Dauid, ut irrationabiliter concupisceret: sed illud laudabile, quod irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato fraudauit remedio. Laudo uiros qui erubuerunt desiderium sui regis, & maluerunt finem eius uerecundiæ uel periculo propriæ salutis afferre: sed plus laudo eum qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubiæ sortis precio quæsitam sanguini comparauit: simul quasi repressa uictor cupiditate profudit aquam domino,

Exod. 20

Psal. 4

Luc. 13

2. Reg. 23

mino, ut ostenderet quod concupiscentiam suam uerbi consolatione restingueret. Potest igitur mens sobria impressiones refrænare ac reprimere quamuis grauium passionum, & feruorem omnem cupiditatis flagrantissimę refrigerare, deriuare aliò motus, & rectæ rationis tractatione despuere passiones. Etenim cum deus hominem cõstitueret, & in eo mores sensusq; plantaret, tunc motibus eius imposuit regale mentis imperium, ut omnes sensus motusq; hominis eius uigore ac potestate regerentur. Adiunxit ad gratiam creaturæ, ut mentem ipsam diuinis informaret præceptis, & sapientiæ instrueret disciplinis, quibus & cauẽda nosceret, & legenda cognosceret. Mens igitur recta ratione tenens disciplinam sapientiæ, ut diuina ac humana cognoscat, eruditus in lege, per quã discit quas sibi subijcere debeat passiones.

De ordine ac differentia passionum. Et qua ratione temperantia quàm maxime istarum passionum restinguat ardorem, corporalisq; ferocitatis habenas. Ac de magnis eiusdem temperantiæ laudibus, quam & primis hominibus tenendam deus mandauit, & lex docet, uniuersorumq; infundit affectibus.

Caput II

Passionum autem uelut duces sunt naturalis delectatio & dolor, quas sequũtur cæteræ. Illæ enim complectuntur uniuersas, quarum utræq; non solũ corporis, sed etiam secundum animam passiones sunt. Et quia diximus subesse his alias passiones: ante delectationem concupiscentia, post delectationem gratulatio est. Ante dolorem autem est timor, post dolorem tristitia. Commotio autem animi, communis passio & delectationis & doloris est. Transcurram alias, id est, superbiam, auaritiam, ambitionẽ, contẽtionem, inuidiam, quæ sunt secundum animam passiones: transcurram etiam inexplebilem uorandi libidinem, effusionemq; luxuriæ atq; lasciuiæ, quæ uitia nexa sunt corpori, & secundum illud operantur. Meritoq; temperantia quàm maxime istarum passionum restinguit ardorem, quæ primum sobrietate atq; moderamine animum temperat, mentem informat: deinde etiam delitiarum abstinentia restinguit habenas corporalis ferocitatis. Ideo lex recidit ciborum licentiam, epularum copias, non solum ut resecaret luxuriam, uerumetiam ut inhibentis contemplatione præcepti uiam tractationi rationis aperiret, quæ irritamenta gulę cæterasq; recideret cupiditates, corporeas passiones motusq; cohiberet. Temperantia est igitur correctionis præuia, disciplinæ magistra. Ab hac profectus Iacob sanctus, primatus à fratre quos non habebat accepit: eiusq; prælatus assensu, docuit in reliquum intemperantes proprio sibi uiles esse iudicio. Ab hac profectus Ioseph & calorem iuuentutis edomuit, & tentatum aduersus animum illecebris, rectæ rationis inductione firmauit. Denicq; quamuis fortis esset & ualidus, tamen tractatu rationis fulcire se maluit, dicens uxori domini sui: Si dominus meus nescit præter me aliquid in domo sua, & omnia quæcunq; habet, dedit in manus meas, neq; subtractum est à me quicquam præter te, quæ uxor illius es: quomodo facio uerbum hoc malum, & peccabo coram deo? Hæc est igitur rectæ rationis tractatio, quam Græci λογισμὸν nuncupant, qua mens sapientiæ intenta solidatur. Pulchra enim ratio, quod nec beneficijs domini esse deberet ingratus, nec occultum posset esse peccatum, quod deo teste committeret, quem latere non posset. Bona igitur ratio, quæ & hostilem plerunq; affectum exuit, & dolorem iniuriæ sequestrat. Denicq; & in acie plerunq; uictorem uicto mitigat, & feriturí mucronem retardat, & rogantem morti eripit: eò quòd subiectis parcere iusta ratio persuadet. Nam de excludendo uel mitigãdo iniuriæ dolore quis melior magister quàm patriarcha Iacob, qui proprios coarguens filios Simeon & Leui, ait: Odiosum me feciſtis, ita ut sæuus uidear. Et utiq; ulti fuerant sororis iniuriam, quæ contra instituta patria uiolato fuerat pudore temerata. nec potuit Iacob præceptor disciplinæ, custos pudoris, stuprum probare cõmissum, sed maluit insolentes ratione cohiberi, sciens quòd indignationem ratio temperare posset. Temperantia est igitur quæ resecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandauit deus, dicens: De fructu autem ligni quod est in paradiso, non edetis, neq; tangetis illud, ne moriamini. Et quia non est retenta, ideo transgressores uirtutis egregiæ, paradisi exules facti sunt, & immortalitatis exortes. Hanc lex docet & uniuersorum infundit affectibus.

Genes. 25

Ibidem 39

Ibidem 34

Ibidem 2

Quòd

Quòd sapientiam & disciplinam doceri scriptura testetur. Ac de exhortatione ad studium, & eius commendatione. Et quod nulli nostram adscribere debeamus culpam, nisi nostræ uoluntati, qua uel peccato uel iustitiæ seruimus. Quod præterea carnem iniuste quasi infirmam accusemus, cum affectus non caro author sit culpę. Quòd denique considerandū sit in qua parte, an peccati uel iustitię tolerabilior sit seruitus, & fructus uberior. Cap. III

Lob 21

Docere autem dominum sapientiam & disciplinam scriptura testatur. De temperantia in lege, de cæteris in libro Iob, in quo scriptum est: Nōne dominus est qui docet intellectum & disciplinam? Et in Euangelio dominus ipse ait:

Matt. 11 Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et alibi ad discipulos ait: Ite, docete oēs
Matt. 18 gentes, baptizantes eas in nomine patris & filij & spiritus sancti. Vnde aūt discipuli docti? Aut quid aliud à Christo, nisi uirtutū operari præcepta discebāt? Denique Dauid ait:
Psal. 33 Venite filij, audite me, timorē domini docebo uos. Vtique timor dei de numero uirtutū
Eccl. 1 est, quia, Initiū sapientiæ timor domini: per quem ascisitur piæ formæ doctrinæ, de qua
Rom. 6 Paulus ait: Gratias autem deo, quod fuistis serui peccati, sed obedistis ex corde in eā formam doctrinæ in qua traditi estis: liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Doctrina igitur facit, ut possimus peruenire ad iustitiam. Potest igitur acquiri iustitia, discēdo. Intendamus igitur studio in formam Euangelicæ doctrinæ. Minimum studiū plerumq; pro maximo habetur. In studio enim sunt omnia per quod adhibetur obediētia: quæ in utramlibet partem propēderit, aut culpam adiūgit, aut gratiam. Hæc nos in primo Adā traxit ad mortem, hæc nos in Adam secundo ad uitam uocauit. Non est quod cuiquam nostrā adscribamus culpā, nisi nostræ uoluntati. Nemo tenetur ad culpā, nisi uoluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus, uoluntaria tantū commissa sequitur delictorum inuidia, quod in alios deriuemus. Voluntarium sibi militem legit Christus, uoluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se prius peccatorum ære ei uendiderit. Quid carnē quasi infirmam accusamus? Mēbra nostra arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. Audisti pauperem iniuriā accipientem, protexisti eum, membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab iniuria uindicasti. Vidisti egenum, donasti eū muneribus, dextera tua mortē à tuo pectore repulisti. Vidisti eum qui dānatur ad mortem, eripuisti eum, quia scriptū
Prou. 24 est: Eripe eum qui ducitur ad mortem. membra tua arma sunt iustitiæ, si iniuste hominē perire non passus es. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuū, mortificasti libidines, procacis meretricis oculos auersatus deseruisti, membra tua arma sunt, & arma castimonię. Contrà autem, si oculus tuus uidit mulierē ad concupiscendam eam, aperuisti uulnus, impressisti telum corpori tuo, membra tua arma iniquitatis sunt. Vidisti possessionē pupillorū, & paternis eos expulisti sedibus, transtulisti terminos quos posuerūt patres tui, membra tua arma iniquitatis sunt. Affectus igitur non caro author est culpæ, caro autē
Rom. 6 uolūtatis ministra. Nō ergo uēdat nos uolūtas nostra. Clamat Apostolus: Nescitis quoniam cui exhibuistis uos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ergo si aut peccato seruimus aut iustitiæ, cōsideremus in qua parte seruitus tolerabilior, fructus uberior. Sed qui potest esse fructus in morte? Peccati enim stipēdiū mors: & ideo nullus in eo fructus est, sed pudoris dispē-
1. Cor. 7 diū: cū ea quę gessimus, erubescimus. Seruire aūt iustitiæ, libertas est. Qui enim uocatus est in domino seruus, libertus est domini. Similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Vtraq; conditio optima, esse sub Christo, sub quo & preciosa seruitus, & gloriosa libertas. Preciosa seruitus, quasi tāti sanguinis precio cōparata: gloriosa aūt libertas, quā nulla seruitus culpæ, nulla peccatorum uincula cōstringunt, nulla flagitiorū onera, nulla criminū commercia degeneris nexui seruitutis addicūt. Disce humilitatem ô homo, Apostolici uim cognosce magisterij. Seruū te dicis? libertus es: si liberū te iactas, seruus es. Nam & ille qui quasi seruus redemptus est, libertatē habet: & iste qui quasi liber uocatus est, bonum est illi ut seruum Christi se esse cognoscat, sub quo seruitus tuta est, & libertas secura. Quis quasi idiotam Paulum uel in ipso iure asserit? Sciuit enim discernere inter libertum & liberum, & ideo non perfunctorie sed proprie dixit: Qui enim uocatus est in domino seruus, libertus est domini: similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi.

Christi. Reuera enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber. Omnes enim in seruitute generati. Quid seruili conditioni arrogantiam libertatis assumis? Quid titulos nobilitatis usurpas seruilis hæreditas? Nescis quòd te Adæ atq; Euæ culpa mancipauerit seruituti? Nescis quòd redemerit te Christus, non emerit? Non auro, non argento redempti estis de uana uestra conditione, sed precioso sanguine agni, clamat Apostolus Petrus. Ergo redemptus à domino es, seruus es qui creatus es, seruus es qui redemptus es, & quasi domino seruitutem debes, & quasi redemptori. Nec inferiorem putes libertatem sub Christo, quàm libertatem esse. Ad dignitatem æqualis, ad tuitionē prestantior est, ad gratiam par, aduersus lapsum cautior, aduersus superbiam tectior. Ita libertatem accepisti, ut meminisse manumissoris tui debeas, ut patrono tuo noueris legitimū obsequium deferendum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius, qui sub domino regnas, & sub patrono militas? 1.Pet.1

Quantum dominus homini cōtulerit per dationem legis, & gratiæ adiunctionem. Et quid lex operata sit in homine iuxta sententiam Apostolicā. Ac de absolutione duarum quæstionum circa uerba Apostoli incidentium. Caput IIII

Q Vid autem est quod tibi non contulit dominus? Legem dedit, peccatum prodidit, adiunxit gratiam. Lex peccatum denunciauit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognoui enim peccatum quod nesciebam. Cognoui concupiscentiam esse peccatum: & hac occasione cognitionis, peccati æra cumulata sunt: quia peccatum quod ante per ignorantiam in me mortuum uidebatur, reuixit. ego autē mortuus sum peccati uulnere. Cognitio culpę quę mihi profutura uidebatur, hæc nocuit, ut scirem quod uitare non poteram. Peccatū enim prodidit, & per bonum denunciationis suæ peccati ipsius acerbauit inuidiam. Itaq; supra modum factum est peccatum mihi, quia cumulatum est denunciatione mandati. Crescit enim culpa, cum proditur, nec cauetur. Quomodo ergo bonum mandatum, quod mihi mors est? Aut quomodo non est mihi mors, quod per bonū significationis suæ demonstrando peccatum, operatum est in me mortem? Nam certū est quod mors mihi accessit, dum quod facio agnosco peccatum, sicut ipse dominus ait: Si non uenissem, & locutus fuissem his, peccatum non haberent. Quid miraris igitur si lex quibusdam morti sit, cum morti sit & Domini salutaris aduentus, per quem redempti sumus? Infidelis enim mortem sibi quærit ex gratia, manet autem mandati gratia. Etenim sicut cognitio uenenatorum poculorum consummatur ad disciplinam medicinæ, sic diuinum mandatū ad uitam æternam. Sicut autem ei qui male utitur noxijs potionibus, cognitio earū in malum uertitur & periculum: & quò magis uenena cognouerit, hoc se intelligit amplius periclitari: sic forma mandati ijs qui legem interpretantur, uel demonstrata atq; interdicta peccata uitare nō possunt, mortis author est. Sicut ergo bonum antidotum, etiamsi imprudenti aut intemperanti non bonum: sic bonum mandatum, etiamsi intemperanti non bonum est. Ergo bonum mandatum, quod alicui mors est. Responsum igitur habe primæ propositioni. quia potest esse bonum mandatum, quod mihi mors est: bonū per naturam salutaris præcepti, mors per intemperantiam carnis. Et quia didicimus esse bonum mandatum, quod mihi mors est: nunc discutiamus quomodo non sit mihi mors, quod licet per bonum, mihi tamen operatum est mortem. Sic enim proposuit Apostolus: Quod ergo bonum est, mihi mors est? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Itaq; spectemus singula. Mandatum utiq; legis est, lex autem spiritalis est, cuius gratiam uideo, pulchritudinem laudo, formam prædico, præceptum admiror: sed quia carnalis sum ego, uenundatus sub peccato, trahor inuitus ad culpam. Etenim quasi seruo culpa dominatur. Itaq; odi crimen, & facio. Mens odit, caro concupiscit, ego tamen in utraq;, qui legi mente consentio, & carne quod nolo hoc ago. Bonum ergo mandatum, cui consentio: & mens bona, quæ quod bonū est, elegit. Bona ad iudicādum, sed infirma plerumq; ad resistendum: quia repugnat ei corporis appetentia, & captiuam eam trahit ad erroris illecebras. In quo periculo unum est remedium, ut quem lex non potuit, liberaret Dei gratia. Sic enim scriptum est: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Itaq; fit ut licet peccatum quod latebat, id est, concupiscentia mea Roman.7 Ioann.15 Roman.7 Ibidem

quam nõ putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, & supra modum factum sit ipsum peccatum (erat enim peccatum etsi nesciebatur, sed cognitione coaceruatum est, & quasi incrementum erroris assumpsit, atq; in naturam delicti cessit forma mandati) mihi tamen mors non sit, cui promptum est ad Christũ confugere, per quem soluimur omni mortis periculo. Absoluta igitur etiã secunda est propositio, quia mandatum legis mihi mors non est, & si mortem operetur. Quod enim conturbamur, fragilitatis est: quod euadimus Christi.

Qua ratione lex non suffecerit, sed ultra eam necessaria fuerit gratia per mortem Christi donata. Quod'que nos etiam cum illo mori, resurgere & uersari debeamus.

Caput v

Ergo ut ad exordia sermonis huius reuertamur, mens bona est quæ habet tractationem rationis, & intendit sapientiæ disciplinis: sed grauis lucta est ei cum mortis corpore, & plerũq; rationem mentis uincit carnis illecebra. Et ideo dominus primo legem dedit, cui mens hominis sese ad obtemperandum dedit, & ei seruire cœpit ut esset subdita: sed caro subiecta nõ erat, quia sapientia carnis nõ est legi subdita, & præceptis eius repugnabat. Non enim poterat uirtuti obedire, cupiditatibus dedita, & lenocinijs carnalibus implicata. Ideo laborãdũ est ut teneamus Dei gratiã. Mens itaq; bona, si rationi intendat: sed parũ perfecta, nisi habeat gubernacula Christi. Venit enim dominus Iesus, qui nostras passiones crucí suæ affigeret, peccata donaret: in cuius morte iustificati sumus, ut totus mũdus eius mundaret sanguine. Deniq; in
Roman. 6 morte ipsius baptizamur. Si igitur in ipsius morte dimittunt nobis peccata, etiã peccatorum nobis passiones in illius morte moriãtur, illius crucis clauis affixæ teneãtur. Si in illius morte mortui sumus, quid iterũ tanquã uiuentes ad ea quę sunt mũdi reuocamur? Quid nobis cũ elementis huius mũdi? Quid cũ cupiditatibus? Quid cũ luxuria atq; lasciuia, quibus in Christo mortui sumus? Quod si sumus in Christo mortui, in Christo resurreximus, cũ Christo igitur uersemur, cũ Christo superiora quę sunt, nõ quę corruptibilia & terrena queramus. Christus resurgens à mortuis, ueterem hominem affixum reliquit, nouũ resuscitauit. Christus mortuus est, ut & nos peccato moreremur, Deo resurgeremus. Mortua est caro nostra, quid iterũ peccato reuiuiscit? Quid iterũ peccato obedit? quid iterũ peccatũ regnat in mortuis, cũ mors finis peccati sit? Mortui sumus carne,
Galat. 6 renouati sumus spiritu. Spiritu ambulemus, qui spiritũ Christi accepimus. Si aũt spiritus Christi in nobis, ergo sit nobis caro mortua propter peccatum, spiritus uero uiuat propter iustificationem. Sic quod erat impossibile legi, solutũ est, si in spiritu ambulemus.
Coloss. 2 Sic passiones sepelimus, si crucem huius corporis non resoluamus. Sic chirographum peccati quod deletum est in cruce Christi, non rescribemus, si ueteris hominis amictum
Cantic. 5 quem exuimus, non induamus. Scriptum est enim in Cantícis: Exui tunicã meam, quomodo induã eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Mortificata igitur nobis sunt corporis membra, cur eius pullulant uitia? Ideo lex non prævaluit, quia carnem non mortificauit. Ideo quasi umbra præterijt, nõ colorauit: ideo etiam obumbrauit nos à sole iustitiæ, quia exaceruauit crimina. ergo & obfuit.

Quid profuerit legis promulgatio. Quantum etiam utilitatis atq; consolationis homini attulerit gratia, & pignus charitatis Christi, cum incitatione ad repensionem obsequij pro tantis beneficijs debiti, eorumdemq; beneficiorum consolatiua inductione.

Caput vi

Quid igitur opus erat ut lex promulgaretur, si profutura nõ erat? Habeba-
Roman. 2 mus iam legem naturę, erat unusquisq; sibi lex, qui opus legis scriptum habebat in corde suo. Illã nõ tenuimus: cur addebatur ei altera, in cuius operibus caro nõ posset iustificari? Accessit uinculũ, nõ solutio: addita est peccatorũ agnitio, nõ remissio. Peccauimus omnes qui poteramus excusationem prętendere per ignorantiam: os obstructũ est omnibus. Profuit tamen mihi, cœpi cõfiteri quod negabã, cœ-
Psalm. 31 pi delictũ meum cognoscere, & iniustitiã non operire, cœpi pronunciare aduersus me iniustitiã meam domino, & tu remisisti impietates cordis mei. Sed & illud mihi prodest, quod non iustificamur ex operibus legis. Non habeo igitur unde gloriari in operibus meis possim, non habeo unde me iactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor

quia

quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Gloriabor nō quia uacuus peccati sum, sed quia mihi remissa sunt peccata: Nō gloriabor quia profui, neq; quia profuit mihi quisquā, sed quia pro me aduocatus apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effusus est. Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quā mihi Christus aduenit. Propter me Christus mortem gustauit. Fructuosior culpa quàm innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectū reddidit. Habes igitur quibus laetia profuit tibi legis. Sed dicis quia per legem superabūdauit peccatum. Sed ubi superabundauit peccatum, superabūdauit & gratia. Mortuus es peccato homo, ergo lex iam nō obest. Resurgis per gratiam, ergo lex profuit, quia acquisiuit gratiā. Accepisti etiam pignus Christi charitatis: quoniā qui pro te mortuus est, aduocatus est tibi, & sanguinis sui mercem te seruat. Et qui peccatorem reconciliauit patri, multo magis cōmendat innocentem, & tuetur subditum, quia scit innoxiū. Tanti igitur beneficij debitor non rependes obsequium? Hæredem te fecit, cohæredem te fecit. Hæredem Dei, cohæredem Christi: spiritum tibi adoptionis infudit. Numera hęc, & adiunge non tam ad debiti nexum, quàm ad muneris accepti cōseruationem. Cohæres Christi es, si cōpatiare, si commoriare, si cōsepeliare cum Christo. Suscipe passiones eius, ut supra passiones cum eodē esse merearis. Vide quomodo tibi peccata superiora donauit, ut nihil faceret obesse quod peccasti. Vide quomodo te hortat ne amittas quod accepisti. Breuis huius laboris est meta, & corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inæstimabilis. Quid enim te angit? An ignobilitatis abiectio? Sed erit tibi in futurum glorioſa nobilitas deuotionis ac fidei. Num census tenuior, uictus angustior? Sed erunt tibi diuitiæ remunerationis æternæ, in quibus rei ullius egere non possis. Num amissio filiorum? Recipies perpetuos, quos susceperas tēporales, & dicetur de te: Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. Indigne, passiones sunt huius temporis ad futuram gloriam, scriptura tibi dicit. Adde quia uita beata his aduersis secularium molestiarum aut passionum corporalium non minuitur, sed magis probatur. Adde quod uel patrimonij damna non sentit, uel necessitudinum forti mente abscondit dispendia, absorbet dolorem. Adde quia nescit naufragia, qui semper in portu trāquillitatis est. Quid illud, quod labor tibi cōmunis est cum omni creatura? quia propter te mundus ipse seruitutem tolerat corruptionis? quia cum sanctis tibi laboris huius & expectationis cōmune consortium est? Sol occasum suum recognoscit, luna defectū, errorem stellarum lumina, dum totius corporis nostri expectatur redemptio. Sed uereris dubios uitæ anfractus, & aduersarij insidias, cum habeas auxiliū Dei, habeas tantam eius dignationem, ut filio proprio pro te non pepercerit? Pulchro uerbo usa est scriptura, ut Dei patris erga te pium propositū declararet, qui morti pro se totū obtulit. Quod in patre fuit, nihil sibi ipse reliquit: totum pro te obtulit, quod in plenitudine diuinitatis nō amisit. Considera affectū patriū. Quod pietatis est, quasi morituri filij suscepit periculū, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit domino studium tuę salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit ut te diuinis insereret, cœlestibus consecraret. Mire etiam addidit: Pro nobis omnibus tradidit illum: ut ostenderet quòd ita omnes diligat, ut dilectissimum sibi filium pro singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri ut non in illo uniuersa donauerit? Nihil enim excepit, qui omnium concessit authorem. Nihil est igitur quod negari posse nobis uereamur, nihil est in quo de munificentiæ diuinæ diffidere perseuerantia debeamus, cuius fuit tam diuturna & iugis ubertas, ut primo prædestinaret, deinde uocaret: & quos uocaret, hos & iustificaret: & quos iustificaret, hos & clarificaret. Poterit deserere quos tantis beneficijs suis usq; ad præmia prosecutus est? Inter tot beneficia Dei num metuendæ sunt aliquæ accusatoris insidiæ? Sed quis audeat accusare quos electos diuino cernit iudicio? Num Deus pater ipse qui cōtulit, potest sua dona rescindere: & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare? Sed metus est, ne iudex seuerior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit pater omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit, cuius uitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? Nónne dicet: Quæ utilitas in sanguine meo, si damno quem ipse saluauit? Deinde cōsideras iudicem, non

Roman. 5

Roman. 8

Esaiæ 31 iuxta 70

Roman. 8

Ibidem

Ibidem

Ioann. 5

Psalm. 29

cem,non consideras aduocatum? Potest iste sæuiorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit ut paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia?

Qualis in nobis debeat esse Christi charitas, & quod nulla aduersa corporis uitæ beatæ munus imminuunt. Quodq; in se habeat remunerationẽ suã qui Christum sic sequitur, ac beatus sit. Quòd etiã sic beata uita sit in hominibus, in quibus fuerit uita perfecta, & quæ sit uita perfecta. Quid denicq; uir perfectus quærat, ac illi conueniat.

Caput VII

Ed & si qua immínerent grauia, nequaquam nos à Christo separare debe-
S rent. Cur nos pro illo nõ etiã dura & acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna suscepit? Ideoq; debet in nobis esse charitas, ut nullis periculis re-
Cantic. 8 uocemur à Christo. Scriptũ est enim: Aqua multa nõ poterit excludere charitatẽ, & flumina nõ concludent eã, quia torrentem transit anima diligentis. Nulla tempestas, nullũ profundũ periculũ, nullus terror mortis aut pœnæ uim charitatis imminuit. In his enim probamur, in his beata uita est, etiã si multis periculis inundetur. Non enim frangitur sapiens doloribus corporis, nec uexatur incõmodis, sed etiam in ærumnis beatus manet. Neq; enim aduersa corporis uitæ beatę munus imminuũt, neq; de eius suauitate aliquid delibant, quia non in delectatione corporis uitæ beatitudo est, sed in cõscientia pura ab omni labe peccati, & in eius mente qui cognoscit quia quod bonum est, hoc delectat, etiã si asperum sit: quod autem indecorũ etiã si suaue, non mulcet. Ergo caussa bene uiuendi, nõ delectatio corporalis, sed mentis prudentia est: non caro quę subiecta est passioni, sed mens, quę iudicat: quia nihil melius delectat quàm consiliorũ honestas, & operum pulchritudo. Ea igit̃ beatę interpres est uitę. Melior est enim prudentia uel ratio arbitra passionis quàm passio, præstantiusq; quod iudicat, quàm quod iudicio subiectum est. Neq; enim fieri potest ut ratione sit melius, quod est irrationabile. Habet ergo in se remunerationem suã qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmiũ, etiã si dura sustineat: beatus tamẽ est suis moribus, beatus ipsis periculis, sicut dominus definiuit dicẽs: Beati
Matth. 5 qui persecutionem patiunt̃ propter iustitiã. Est ergo beata uita in hominibus, scilicet in quibus fuerit perfecta uita. Perfecta autem uita nõ sensibilis ista, sed illa rationabilis secundũ tractationem rationis, & mentis uiuacitatem, in quo non est portio hominis, sed perfectio: quæ non tam est in conditione hominis quàm in operatione. Ea enim beatũ facit. Huic igit̃ uiro quid est bonũ, nisi ipse sibi qui habet? Et adest ei hoc bo-
Prouerb. 5 num, & caussa ei erit futurorũ bonorũ. De hoc bono dixit Salomon: Bibe aquã de tuis uasis, & de puteorum tuorũ fontibus. Superfluant tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas discurrant. Sint tibi soli cõstitutæ, & nemo alienus particeps sit tibi. Fons aquæ tuæ sit tibi proprius. Vtere igitur interno bono tuo. Testimoniũ autem boni huius maximum, quoniam qui habet, alia nõ requirit. Quid enim requirat, qui inferiora despicit? Præstantissimo autem inhæreat, sicut scriptũ est: Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tibi. Amicitia autem præcedat te, & una sit tecum in omni tempore. Bona enim uirtutũ amicitia, & summi boni charitas. Nihil itaq; aliud quærit perfectus ille, nisi
Psalm. 26 solum & pręclarũ bonũ. Vnde & dicit: Vnã petij à domino, hanc requirã, ut inhabitem in domo domini omnes dies uitæ meę, & uideã delectationem domini. Neq; uero cum tanquã angustum inopemq; fastidias, quia unius hominis uelut solitaria societate contentus sit. Huius enim amicitia circũdatus plurimus erit. Abundat enim huiusmodi uiro ad beatitudinem & ad possessionẽ boni, & ideo nihil aliud desiderat. Nihil enim quasi nouũ expetit, qui omnia habet. Nihil est enim boni quod nõ habeat, nec superfluis delectatur, sed necessarijs, & eo ipso necessario quod non sibi, sed carni adhærenti sibi necessarium sit: idq; indulget quod ab interioris hominis proposito nõ discrepet, quod faciat utraq; unum, & reconciliet exteriorem hominem iuxta atq; interiorem Deo, ut fiat in utroq; unus spiritus. Huius igitur propositi uir nec dispendijs minuitur, nec aduersis infrangitur, nec repagulis inhibetur, nec suorum amissionibus mœstificatur. Ad cuius in-
1. Thess. 4 formationem dicit Apostolus: Nolumus aũt ignorare uos fratres de dormientibus, ut non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem nõ habẽt. Solatur enim se resurrectionis fide, & futuræ remunerationis gratia: nec recipit ea mente mœstitiã qua adhæret Deo, & diuinæ presentię uoluptate lætatur. Qui autem contristatur his, nõ secundũ Deum contri-

statur.

ſtatur. Quod autem non ſecundum Deũ, hoc plenum ſtultitiæ. A perfecto igitur abeſt huius mundi triſtitia, quę non ſecundũ Deum, & omnis ſolicitudo corporalis ærumnę. Huiuſmodi enim inductioni mentis atq; ſubſtantiæ non annumeratur habitudo corporis, & quidã exterioris uſus naturæ, cum ſimul aduerſus delicias corporis, fragilitatemq; ipſam naturę orbitatis diſpendia, cõtumelias, inuictus animus uniformem debeat ſeruare conſtantiã, ut corpus ipſum ſcindat, ſenſuſq; exuat carnis, qui beatitudinis palmã habere deſiderat, cuius fructus non in unius portione ſit ſed in plurimarũ, & ſi fieri poteſt in omniũ ſit uirtutũ cõſortio. Neſcit igitur perfectus incõmoda huius corporis, aut aduerſa mundi, neq; ſentit, qui alienum ab huiuſmodi metu, ne occidant, animum gerit. Non enim uita perfectior ſi his careat definitur, ſed ſi iſta cõtemnat. Nam ſi ita definiretur, ut ea eſſet beata uita, quæ ab huiuſmodi caſibus expers uacuaq; reperiri poſſet: utiq; his accedentibus non poſſet beatus aliquis definiri. Ea igitur ſequeſtrata ſunt, & hoc ſolum in æſtimatione beatæ uitæ eſt requiſitũ, ut non in aljs, ſed in poſſeſſione ueri boni eius definitio teneretur: quoniam qui id habet, deſpuit cætera, nec requirit.

Quòd quamuis ſapiens delectetur ſanitate corporis aut liberis, non tamen minus perfectus ſi illa amittat, & quod nulla aduerſa intolerabiliter ferat: cum expoſitione eorum quæ ad formam iuſti uiri requiruntur. Caput VIII

Q Væro nunc utrum ſapiens delectetur ſanitate corporis. Negare non poſſumus quòd delectetur ſecundũ naturã, & libentius accipiat non dolere aliquid quàm dolere, niſi forte pro Chriſto: pro quo, ſi cauſſa poſcat, & debilitatem corporis prompte accipiat, & totum corpus ſuum morti offerat. Idem tamen etiã præter cauſſam fidei atq; iuſtitiæ, ſi deſit ſanitas, non afficiatur animo, neq; frangat dolore corporis, qui ſe poteſt uirtutum perfectione ſolari. Quęro etiã utrum delectetur liberis. Quis iſtud abnuat? Neq; enim durus & ferreus, ſed perfectus quęritur. Tamen & ſi amittat liberos, nõ ideo minus beatus, qui nõ ideò minus perfectus. Quod enim perfectum, beatum. Quin etiã ſi aduerſa tolerat, quàm ſi ſecundis affluat, magis ſolet huiuſmodi uideri perfectus: quãuis neq; ſi deſint, neq; ſi aſſint externa cõmoda, aut læta corporis, decedere quicquã uirtuti ſoleat uel accedere. Sed pleriſq; tam laudi fuit toleraſſe aduerſa fortiter, quàm non incidiſſe. Verùm hæc ſpecie æſtimantur, non pondere. Illud profundum, uirum iuſtum nihil uelle niſi illud ſolũ & præclarum bonum, huic ſoli intendere, hoc unum in bonis ducere, nõ aliud cum illo: ſed ſolum ipſum ſemper deſiderare, hoc delectari: cui ſi aliud adiungatur quod delectet eum, ut eſt filiorũ ſuauitas: nõ illud amittitur, ſed iſtud adiungitur. Non enim minuunt accedenti ad beatitudinem, quæ augere nõ poſſunt: quia plenum illud & inuiolabile manet, in quod anima ſeſe inducit, & cui ſe inſeruit & infudit. Manet ſemper inter aduerſa & delectabilia perfecta uirtus, neq; aduerſa de perfectione eius quicquã minuunt, neq; delectabilia adiungunt perfectioni. Quid enim eſt quod is qui ad ſummum aſcendit, aut dãni de caducis ſentiat, aut cõmoditatis? Neq; uero (quod grauiſſimum apud pleroſq; habetur) ſe miſerũ putabit ſi in captiuitatem uel ipſe ueniat, uel eius filij. Nõ enim intolerabiliter feret quod habet natura, uel quod uidetur domino. Denicq; iuſtus dixit bonũ uerbũ quod locutus eſt dominus, & dixit: Fiat pax & fides in diebus meis. Non utiq; iuſtus iſte Ezechias in filios deflexiſſe ærumnã captiuitatis gratulabatur, ſed uoluntati domini obuiare nõ poterat, & ideo mandata eius æquanimiter ſuſcipiebat ut ſeruulus. Accedit illud, quod æſtimare poterat poſſe & in captiuitate meritũ eminere uirtutis. Neq; enim minus beatus Hieremias in captiuitate, minus etiã Daniel, minus Eſdras, minus beati Ananias, Azarias, & Miſael, quàm ſi in captiuitatem nõ incidiſſent: cum ideo in captiuitatem ducti ſint, ut populo & præſentia in captiuitate ſolatia, & ſpem euadendę captiuitatis afferrent. Perfecti eſt enim uiri, cõmunitatem naturæ ſuſtentare animi uirtute, & ad meliora adducere, nec ſuccũbere ijs quæ pleriſq; terribilia & formidoloſa uidentur, ſed quaſi fortem militem grauiſſimorum caſuum ſuſtinere incurſus, conflictus ſubire: & quaſi prouidũ gubernatorem nauem in tempeſtate regere, atq; occurrendo inſurgentibus fluctibus magis uitare naufragium, ſulcando undas quàm declinando. Non iſte in perſecutione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exaſperet: ſed quaſi athleta fortis, qui repercutiat uerberãtem, ſi non cædis, certe ſermonis flagello, qui metuenda multis tor-

Psalm. 63 menta despiciat, dicens: Sagittæ infantiũ factæ sunt plagæ eorũ, qui cum grauissimo li-
cet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat tanquã in laterna lumen,
etiã inter asperas procellas & grauissimos flatus suam lucere nec extingui posse animi
uirtutem. Non iste in suorum iniurijs mollis, nec de sepulchro solicitus sui corporis, cui
sciat cœlũ deberi, non in captiuitate ciuicæ plebis abiectior, sed sicut iudex seuerus, infi-
Daniel 14 delium perfidiã erroresq; condemnans, ut Daniel, qui sacerdotum furta prodebat, & su-
perstitiones eorũ redarguebat, ostendens nulla ueritate subnixas, sed fraudibus adum-
bratas. Talis uir postremo est perfectus, qui omnes uelit bene agere, nihilq; cuiquã acci-
dere mali: & si præter uoluntatem eius acciderit, ipse tamen de propria uoluntate, nil a-
mittit. Sed forte aliquis putet ægritudinem atq; imbecillitatem corporis impedimento
esse ad perfectionis munus implendũ, eò quòd non possint opera manuum ulla factaq;
procedere. Verùm ea sibi iustus impedimento esse non sentiet, imò etiã eum qui illa mi-
serabiliter defleat corripiet, & quasi ignauum arguet, quod plus in corporis usu quàm
in animi uirtute cõstituat, quod ea quibus seruiat desideret, cũ habeat quod alijs magis
Prouerb. 17 possit iubere: quod in paupertate ingemiscat, qui possit supra mundi opes esse, (Fideli
iuxta 70 enim totus mundus diuitiarũ est) quod ignobilitatem defleat, qui debeat despicere re-
gias potestates, diuitibus & potentibus imperare. (Hęc enim uita iusti:) qui etiam quas
habeat facultates, cõmunes æstimare debeat, imò etiam in opibus diuidere, dispensare
pauperibus, recidere uoluntates proprias, tenuare sumptũ, adhibere parsimoniã tempe-
rantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patientiã in aduersis, in dolore tolerantiam, ma-
gnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuæ uota nescire, mortis imminentis terrore
non cõcuti, neq; eum præstantiorem putare cui secundum naturã liberi, propinqui, salu-
britas, lætitia, affluentia, redundauerint, quàm cui illa defuerint: neq; externis seculi, sed
uirtutis domestice merito pensare. Illam quoq; formã iusti esse quis abnuat, ut nihil me-
tuat, nihil reformidet nisi uirtutis dispẽdia, aliorumq; uanas formidines cõprimat, quas
habeant de periculorũ solicitudine, mortis timore, corporis infirmitate, ut doceat diffol-
Philip. 1 ui corpore, & esse cum Christo multo melius, ut ostendat quia operationes non impe-
diuntur debilitatibus corporis, sed augentur, neq; splendore generis, aut propinquorũ
subsidijs, aut opibus, sed bono cõmendantur affectu. Neq; enim minus beatus Helias
quàm Moyses, cum alter cibi indigus, melotide uili, sine filijs, sine sumptu, sine comitẽ
alter populi ductor, lætus sobole, succinctus potentia, diuerso genere meritum æquale
fundauerint, sicut in Euangelio declaratum est, quando cũ domino Iesu in resurrectio-
nis gloria refulserunt. Videtur enim parem his quasi paribus gloriæ suę testibus dedisse
mercedem. Nec minus beatus Heliseus quàm Dauid, cũ alter regibus subditus, alter re-
gali potestate prædítus, prophetice sanctificationis haud disparem sint adepti gratiam.
Quid enim deest ei qui illud bonũ possidet, & habet sibi semper comitem sociamq; uir-
tutem? In quo statu nõ potentissimus? In qua paupertate nõ diues? In qua generis igno-
bilitate non clarus? In quo ocio non laboriosus? In qua debilitate non uegetus? In qua
infirmitate non fortis? In qua somni quiete non feriatus, quem etiã quiescentem uirtus
propria non relinquit? In qua solitudine non stipatus, quem uita beata circũdat, quẽ ue-
stit gratia, quem gloriæ amictus illustrat? Non minus etiã ociosus quàm cum operatur
beatus, nec minus dormiens quàm uigilãs glorioſus: quia non minus dormiens, quàm
cũ uigilat, incolumis & sanus est. Quando aũt feriatus uideri potest, cuius mens semper
Psalm. 64 operatur? Quando aũt solus, qui cũ illo semper bono est, de quo ait propheta: Replebi-
Philip. 3 mur in bonis domus tuæ? Quando abiectus, cuius cõuersatio est in cœlo? Quãdo non
decorus, qui ad illius decori & solius boni se conformat similitudinem: qui etiã si mem-
bris solutus sit, tamen mente se erigat? Et tanquã ille qui cithara canere solitus, si eã dissi-
patam resolutis neruis & confractam uiderit, & usum eius interruptum, abijciat eam,
atq; eius numeros non requirat, sed uoce ipse se mulceat: ita & iste citharam corporis ui-
tiosam iacere patietur, corde se oblectabit, bonæ conscientiæ recordatione mulcebit,
diuinis oraculis & scriptis propheticis alleuiabit, suaue illud & iucundũ animo tenens,
mente complectens, cui nihil triste possit accidere, cum semper ei diuinę præsentię aspi-
ret gratia, & ipse sibi assit summa animi tranquillitate perfusus.

FINIS.

CAPITA

CAPITA SECVNDI LIBRI DE SANCTO IACOB.

Post continuationem huius libri ad superiorem, quemadmodum Iacob beatus fuerit etiam cum patriam relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quòd sancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuerit. Caput I
De excusatione parentum sancti Iacob quòd iuniorem filium seniori prætulerint, simulq; de cautela parentum circa filios obseruanda. Et quali affectu Isaac & Rebecca de filijs certauerint. Qua ratione etiã Iacob uicerit, ac de cõmendabili mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt. Caput II
Quid significet quod celebrata benedictione postea senior frater aduenerit, & ut ipse benediceretur, cogendo elicuerit & impetrauerit. Cur præterea ea conditione, ut fratri suo seruiret. Caput III
De ortu inuidię & minitatione Esau quod fratrem occideret, & quemadmodum prouidendum sit ne parricidiũ sequatur, ac de profectione Iacob ad Laban. Caput IIII
De ditatione Iacob apud Laban, & ob id in inuidiam uocati, ac de diuina iussione ut in terram suã reuertatur. Qualis præterea uir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta. Quid deniq; significet inquisitio Laban, & nihil sui apud Iacob inuẽtio. Et ex hoc de beati Iacob excellenti commendatione. Caput V
Quid significet quòd proficiscenti Iacob Angeli Dei occurrerunt. Quid sibi etiam uelit quòd ipse fratri occurrens septies in terra adorauerit. Quid deniq; quòd petiturus à fratre concordiam, in castris dormiuerit. Caput VI
De lucta Iacob cum Deo, & quid sit luctari cum Deo. Qua ratione etiã claudicauerit. De uindicta quoq; filiorũ eius in alienigenas propter sororis deflorationẽ, & ipsius Iacob mansuetudine atq; clementia. De responso præterea diuino sibi dato ut exurgeret & ascenderet in locum Bethel. Caput VII
De cõmendabili sancti Iacob senectute, futurarumq; ac dubiarum rerum, finis quoq; uitæ suæ præuidentia, atq; agendorum dispositione. Caput VIII
Qua ratione sanctus Iacob cũ in ipsis mortis esset diebus, merito prędicãdus fuerit beatus, de multiplicíq; eius laude pręsertim in patriarcharum benedictione. Quòd præterea neq; Ioseph, neq; Esaias, neq; Hieremias, neq; Daniel, neq; mater Macchabæorum cũ filijs, negandi sunt fuisse beati: licet grauia sustinuerint supplicia. Caput IX
Quantæ laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in suppliciorum constanti toleratione. Quodq; ideo non minus sed magis fuerit beatus. Caput X
De admirabili patientia ac fortitudine septem fratrum Macchabæorum, quibus mater octaua addita fuit, qui suis supplicijs meritum beatæ uitæ acquisierunt. Caput XI
De singulari beatæ illius matris septem filiorum commendatione. Caput XII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE SANCTO IACOB ET VITA BEATA LIBER II.

Post continuationem huius libri ad superiorem, quemadmodum Iacob beatus fuerit etiam cum patriã relinqueret, ac de definitione beati, & ex hoc quod sancto Iacob nihil horum quæ ad meritum beatitudinis spectant, defuerit. Caput I

SVPERIORE libro de uirtutum præceptis disputauimus: Sequenti clarorum uirorum utamur exemplis, qui in summis periculis positi, beatitudinem uitæ non amiserunt, sed potius acquisierunt. An nõ beatus Iacob etiam cum patriam relinqueret? Imò planè beatus, qui dura exilij suscepit, ut fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est qui peccatum declinat, utiq; negari beatus esse non potest, qui alterius culpam leuat, crimen auertit. Paratum itaque parricidium declinauit exilio uoluntario, eoq; facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit. Merito itaq; eum diuina ubiq; comitata est gratia, ut & cũ dormiret beatę uitæ munus acquireret. Videbat enim

Genes. 28 & sequentibus.

futurorum mysteria,& diuina audiebat oracula.Bonus in somno operarius, & in pau-
pertate diues,qui mercenariæ uitæ munere & patrimonium & coniugium eodem para
uit officio.Idem fraterni affectus reconciliator egregius, certauit muneribus & obse-
quijs,ut indignationem omnem excluderet,dolorem offensionis auerteret, ostendens
se minorem exilio non fuisse,qui posset largiri quę non acceperat.Sed nimis ad inferio-
ra propero,& utiliora transcurro,cum prius definiendum sit quid sit beatus. Scriptū est
Psalm. 1 enim:Beatus uir qui non abijt in consilium impiorum, & in uia peccatorum non stetit,
& in cathedra pestilentiæ non sedit.Hoc scriptura significante, eum beatum esse, qui se
à perfidorum consortio temperauerit, (Ea est enim impietas, authorem uitæ & paren-
tem quendam salutis non recognoscere) uel in peccato non mãserit, uel in luxuria atq;
lasciuia non perseuerauerit.Ipsum quoq; in lege domini die ac nocte meditantem, fore
tanquam lignum quod dabit fructum in tempore suo. Superiora merita sunt præmio-
rum,hoc meritorum præmium.Quid horum quæ ad meritum beatitudinis spectãt, de-
fuit sancto Iacob? qui tantum abfuit à perfidorum cõsortijs,ut ex eo fidelis populus no
Genes. 32 men acciperet,Israel dictus,eò quod Deũ mentis internæ oculis intueretur, peccati ab-
stinens,à luxuriæ omnis ebrietate sobrius,ut dura laborum absorbuerit, ocij secura ne-
glexerit? Nonne pulchre & uere de hoc dictum est, quòd & fructum dabit in tempore
Genes. 27 suo,de quo scriptum est:Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni? Erat enim perfe-
ctus in omni flore uirtutum, & sacræ benedictionis atq; cœlestis beatitudinis redole-
bat gratiam.Ipse est enim ager quem benedixit dominus, non iste terrenus aut horri-
dus syluis,aut fragosus torrentibus,aut palustris pigrioribus aquis,aut ieiunus frumen-
tis, aut inutilis uitibus, aut infœcunda glarea saxosus, aut hiulcus & aridus siccitate,aut
sanguine madidus, aut sentibus incultus, sed ille ager de quo dicit Ecclesia in Canti-
Cantic. 2 cis: Adiurauí uos filiæ Hierusalem in uirtutibus & fortitudinibus agri. Hic nanque est
Psalm. 49 ager de quo & dominus ait: Et species agri mecum est. In hoc agro uua illa reperitur,
quæ expressa sanguinem fudit,& mũdum diluit. In hoc agro est ficus illa sub qua sancti
requiescent,spiritalis gratię suauitate recreati.In hoc agro est oliua illa fructifera,domi-
nicæ fluens pacis unguentum.In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus
uno fidei munimine tegunt,& quodã fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus re-
dolebat Iacob,qui Deum per pericula sequebatur,& tutũ se eius ubiq; deductione cre-
debat.Nam licet dulcis & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ,tamen in sancto pa-
triarcha uirtutum spirabat gratia. Quàm continens erat parsimonia,qui cibum sibi pa-
ratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, à quo primatus benedi-
Genes. 27 ctionis accepit? Quàm pius erga parentes, ut præferri germano seniori materno affe-
ctu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur? Quàm religiosus, ut fra-
trem recusaret lędere? Quàm uerecũdus,ut patrem timeret fallere? Quàm honorificus,
ut matri quod iubebat, non posset negare?

De excusatione parentũ sancti Iacob,quòd iuniorem filiũ seniori prætulerint,
simulq; de cautela parentũ circa filios obseruanda. Et quali affectu Isaac & Re-
becca de filijs certauerint.Qua ratione etiam Iacob uicerit, ac de cõmendabili
mysterio eorum quæ circa benedictionem ipsius facta sunt. Caput II

Genes. 27 S Ed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quòd iuniorem filium
seniori prætulerunt.Simul cauendum,ne quis dum eorum intendit exem
plo,iniquum inter filios habeat iudicium:ut alterum diligendum putet, al
terum posthabendum.Hinc excitantur enim odia fraterna, & de pecuniæ uilis incre-
mento facinus parricidale cõponitur.Eadem foueat prolem mensura pietatis.Esto ta-
men,ut aliquid sibi amplius circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet
circa omnes esse forma iustitiæ.Plus confertur dilecto,cui fratrum amor quæritur: plus
autem adimitur ei qui prælationis iniustæ oneratur inuidia. Minitabatur Esau quòd
fratrem suum occideret,nec fraterna eum germanitas,nec parentum reuerentia à parri-
cidali furore reuocabat,& dolebat sibi benedictionem esse præreptam: cuius utiq; di-
gnum se mansuetudine debebat probare,non scelere.Sed & Rebecca non quasi filium
filio,sed quasi iustum præferebat iniusto. Etenim apud matrem piam mysteriũ pignori
præponderabat.illum nõ tam fratri præferebat,quàm offerebat domino,quem sciebat
collatum

collatũ sibi munus posse seruare: in quo & alteri consulebat, quem diuinæ subducebat offensę, ne grauiore implicaretur reatu, si acceptę gratiam benedictionis amitteret. Accipe tamen bonũ certamen inter parentes. Mater deferat affectũ, pater iudiciũ. Mater circa iuniorem tenera pietate propendeat, pater circa seniorem naturæ honorificentiã ferueat. Hic magis honoret, illa plus diligat, dum singuli singulos foueant, non in unum uterq; conspirent, defraudent alterum. Fiat æquitas inter diuersa certamina, & disparibus studijs par utriq; ac æqualis parentum amor & gratia conferatur: compensęt alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac patriarcha & sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumq; æqualem. Vicit tamen ille qui præferebatur oraculo, uicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiã. Dum alter uenatu aspero prędam quęrit agrestem, hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiã, hic tenerę mansuetudinis atq; pietatis pio patri dulces epulas ministrauit. Plus placet in animis quicquid occurrerit, quàm quicquid affectatum putaueris deferendum. Accessit ad oues Iacob, & attulit innocentiæ partus, uel sacræ prophetiæ munera, quia patriarchæ cibum nullum credidit dulciorem esse quàm Christũ, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, *Esaiæ 53*
& sicut agnus ad uictimam. Hunc publico parenti, uel populo cuius typum gerebat, cibum utilem iudicabat, quo futura erat remissio peccatorum. Ideo stolam accepit fratris sui, quia senili præstabat sapientia: Ideo iunior frater seniorem fratrem exuit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc stolã Ecclesiæ typo Rebecca protulit, & dedit filio iuniori stolam ueteris testamenti, stolam prophetícam & sacerdotalem, stolam illam regalem Da uidicam, stolã Salomonis, Ezechiæ & Iosiæ regum, & dedit populo Christiano, qui uti amictu sciret accepto, quoniam populus Iudæorum eam sine usu habebat, & proprios nesciebat ornatus. Iacebat hęc stola in umbra abiecta atq; neglecta. Obscurabatur enim tenebrosa impietatis caligine, nec in angusto corde populi Iudaici latius poterat explicari. Induit eam Christianus populus, & refulsit, illuminauit eam suæ fidei claritate, & *Genes. 27*
piorum luce factorum. Agnouit Isaac notum odorem generis sui, recognouit stolam scripturæ ueteris, sed uocem plebis ueteris nõ recognouit, & ideo cognouit esse mutatam. Manet enim hodieq; eadem stola, sed populi deuotioris canora cœpit esse confessio. Merito dixit: Vox quidem uox Iacob, manus autem manus Esau. Et odoratus est odorem uestimentorum. Et fortasse illud est, quia non operibus iustificamur, sed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorũ obumbrat errorem, quæ meretur ueniam delictorum.

Quid significet quòd celebrata benedictione postea senior frater aduenerit, & ut ipse benediceretur cogendo elicuerit & impetrauerit. Cur præterea ea conditione, ut fratri suo seruiret.

Caput III

Elebrata benedictione, postea senior frater aduenit. Quo declarat, prius *Genes. 27*
Ecclesiæ regnum, quàm Synagogę in prędestinatione delatum, sed subintrasse Synagogam ut superabundaret peccatum: & cum superabundasset *Roman. 5*
peccatum, superabundaret & gratia: simul clareret, impigrũ militem regni cœlestis candidatum esse debere, ut præripiat benedictionem, & prærogatiuam suæ cõmendationis usurpet. Vnde non est notatus à patre iunior filius, sed laudatus. Quod ait Isaac: Frater tuus ueniens cum dolo accepit benedictionem tuam. Bonus dolus ubi irreprehensibilis est rapina. Irreprehensibilis autem rapina pietatis: quia à diebus Ioannis regnum *Matth. 11*
cœlorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Festinantes autem fratres pascha celebrant, qui festinantes manducabant agnum, non demorantes: & fratrem Beniamin san- *Exod. 12*
ctus Ioseph piæ cõmento fraudis accersiuit & tenuit. Et ipse tamen Esau ut benediceretur, cogendo elicuit & impetrauit, sed eam benedictionem quę cum superiore cõgrueret & conueniret, ut seruiret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere, seruire debebat, ut à prudentiore regeretur. Neq; enim sancti patriarchæ fuit, ut filium suum degeneri conditione seruitutis addiceret, sed ut bonus pater, cum duos haberet filios, unum intemperantem, prudentem & sobrium alterum, quò utriq; consulerę, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire: quia insipiens non potest uoluntarius uirtutis esse discipulus, nec perseuerare in studio: quia stultus sicut luna mutatur. meritoq; ei libertatem proprij negauit arbitrij, ne uelut na- *Eccl. 27*

uis in

uis in fluctibus sine gubernatore fluitaret, sed subdidit eum fratri, secundum quod scri-
Prouerb. 11 ptum est: Seruit enim imprudens prudenti. Rectè ergo eum subdidit, ut regentis impe-
rio suum melioraret affectum. Ideo ait: Super gladium tuum uiues, & seruies fratri tuo.
Domina enim est pietas crudelitatis, & mansuetudo duris moribus præstat. Seruit om-
nis qui authoritatem puræ non habet conscientiæ, seruit quicunq; uel metu frangitur,
uel delectatione irretitur, uel cupiditatibus ducitur, uel indignatione exasperatur, uel
Ioann. 8 mœrore deijcitur. Seruilis enim est omnis passio, quoniam qui facit peccatũ, seruus est
peccati. & quod peius est, multorum seruus est: qui subiectus est uitijs, multis se domi-
nis addixit, ut seruitio ei exire uix liceat. At uero ille qui uoluntatis suę arbiter est, iudex
consilij, interpres arbitrij, qui coercet corporeæ appetentiam passionis, qui ea quæ agit
bene agit, bene autem agens recte agit, & quæ recte agit, inculpate & irreprehensibili-
ter agit, habens suorum actuum potestatem: is profecto liber est. Nam qui omnia pru-
denter agit, & ita uiuit ut uult, is solus est liber. Non conditio fortuita seruum facit, sed
Prouerb. 22 probrosa insipientia. Denicq; famulus prudens regit dominos stultos, & probi serui do-
iuxta 70 minis fœnerabunt. Quid fœnerabunt? Non utiq; pecuniam, sed sapientiam, sicut & lex
Deuter. 15 dicit: Fœnerabis gentibus multis, tu autem mutuum non accipies. Fœnerabit Iudæus
proselyto diuinæ legis oracula. Sed quia ipse legis mysteria uidere non potuit, & quæ
habebat nesciuit oracula: qui literam fœnerabat gentibus, nunc ab his spiritalibus do-
ctrinæ gratiam mutuatur. meritoq; subiectus est seruituti, quoniã qui mutuatur, seruus
est, quasi addictus fœnori creditoris: qui autem piæ doctrinæ fœnus impartit, is est prin
ceps, sicut lex dicit: Princeps eris gentium multarum, tibi autem princeps ex ipsis non
erit. Princeps enim est qui regit, qui & habet sapientię principatum, quem habuit popu
lus Iudæorum. Sed quoniam quod docebat, seruare non potuit: debet discere quod do-
Genes. 72 cere nesciuit. Hoc est igitur quod ait patriarcha Isaac: Seruies fratri tuo. Erit autem cum
deposueris & solueris iugum illius à collo tuo. significans duos futuros populos, unum
ancillæ filium, alterum liberæ. Seruit autem litera, libera est gratia, eumq; populum qui
literæ intendit, tandiu seruum fore, quandiu spiritalis doctrinæ sequatur interpretem.
Roman. 9 Tunc quoq; illud futurum est quod Apostolus ait: Vt reliquiæ saluę fiant secundum ele
ctionem. Seruies ergo fratri tuo, sed tunc senties seruitutis profectum, cum uoluntarius
potius quàm coactus obedire cœperis fratri.

De ortu inuidiæ & minitatione Esau quòd fratrem occideret, & quem-
admodum prouidendum sit ne parricidium sequatur, ac de profectione la-
cob ad Laban. Caput IIII

Inc orta est inuidia, & minitabatur Esau quod post obitum patris fratrem
H occideret. Sed ne id accideret, discamus à Rebecca quemadmodum proui
dendum sit ne inuidia iracundiam excitet, iracundia in parricidiũ proruat.
Veniat Rebecca, hoc est inducatur patientia, bona custos innocentię, suadeat utiq; lo-
cum demus. Cõcedamus aliquò longius, donec tẽpore indignatio molliatur, offensio-
ni subrepat obliuio. Itaq; patientia nec exiliũ reformidat, sed impigre suscipit: nõ tam ut
periculũ salutis, quàm ut incentiuũ sceleris declinetur. Mater quoq; pia abesse sibi dile-
ctissimum filiũ tolerat, plus ei collatura quem lęsit, utriq; tamen consulens: ut alterũ im-
munem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine. Audiuimus quid corporeis
ebria cupiditatibus intemperantia locuta sit, consideremus quid uera uirtus agat. Nihil
requirit nisi Dei gratiã, solum illud & summum bonum sequitur, solo eo contenta est, à
quo accepimus omnia, ipsi autem nihil conferimus, quia nullo indiget, sicut ait Dauid:
Psalm. 15 Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorũ meorum non indiges. Quo enim in-
diget qui abũdat omnibus, & nobis largitur uniuersa, omnia sine defectu ministrat? Et
profectus est Iacob, & dormiuit (quod est quieti animi indiciũ) & uidit Angelos Dei
Genes. 18 ascendẽtes & descendentes, hoc est, Christum præuidit in terris, ad quem Angelorum
caterua descendit atq; ascendit, obsequium proprio domino pio præbitura seruitio. Et
uenit ad puteum, ut biberet de suis uasis, & de puteorum suorum fontibus, & super-
fluerent ei aquæ de suo fonte. Fons enim uitæ est in manibus iusti. Et uenit ad Laban, &
oues eius pauit. Iniquitas incomitata residet, sapientia regendi officium nõ omittit, ne-
scit uel in alienis uacare, nescit exul esse in peregrinis. Quomodo enim exul, quæ ubiq;
suum

suum seruat, & in se habet quod possidet? Quasi mercenarius ingreditur iustus, & rector est, qui sibi gregem multarū præstantiumq; uirtutum splendore fulgentem, Euangelicę prędicationis ministerio colligebat, ut potaturis ouibus uirgā storacinam & nucinam & de platano proponeret inuentis, quo cōcupiscentes beatissimæ trinitatis prę figurata mysteria, haud quaquā decolores fœtus pię mentis cōceptione formarent. Bocem significatur incensum & sacrificium uespertinum, quod Deo patri defertur in Psalnæ oues, quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt. Per storamo: Per nucinam uirgam sacerdotale Christo munus defertur. Hæc enim uirga Aaron Num. 17 quæ reposita floruit, qua sacerdotalis gratia sanctificationis emicuit. Per platanum spiritalis fructus significatur ubertas, quia arbori huic uitis annectitur, ut eius læta consortio, in partus sese uberes fundat. Siquidem dominicæ munera passionis, remissionemq; omnium peccatorum adiuncta spiritus gratia dare consueuit.

De ditatione Iacob apud Laban, & ob id in inuidiā uocati, ac de diuina iussione ut in terrā suam reuertatur. Qualis præterea uir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta. Quid deniq; significet inquisitio Laban, & nihil sui apud Iacob inuentio. Et ex hoc de beati Iacob excellenti commendatione. Caput v

H Is itaq; ut scriptura dicit, dives factus est ualde, bonum gregem nutriens Genes. 30 Christo, quem fidei titulo, & uariarum uirtutum nobilitabat insignibus. Itaq; nec sibi uidebat angustus censu, fide opimus, & à Laban filijs ut opulentissimus in inuidiam uocabatur, qui suum gregem alieni gregis accessione accumulasset, & dixit ei Deus: Reuertere in terram patris tui, & in gentem tuam, & ego erò te- Genes. 31 cum. ostendens nihil ei deesse cui adesset omniū plenitudo uirtutum: hoc solum abundare perfecte, in hoc constare omnia, & omnia ad ipsum referri. Nihil ei nouum, nihil superfluum aut necessariū, cui pax fida suppeteret, per quā reconciliaret quę primo fuerāt discrepantia. Nec mirum si pacem haberet, qui colūnam statuerat & unxerat Deo, quæ est Ecclesia. Columna enim & firmamentum dicta est ueritatis. Eam ungit qui in Christum fidei, in pauperes misericordiæ fundit unguentum. Nunc cōsideremus qualis uir iustus esse debeat si inuidia fuerit exorta. Primū ut declinet eam: melius est enim sine lite abire, quàm residere cum iurgio. Deinde ut talia possideat, quæ secū auferre possit, ut in nullo teneri ab aduersario possit obnoxius, sed dicat: Cognosce si quid tuū est apud me. Et quæsiuit Laban, & nihil suū inuenit apud Iacob. Magnus uir & uerè beatus, qui nihil potuit suum amittere, nihil alienū habere: hoc est, nihil minus habere, nihil superfluum. Itaq; ille perfectus est, cui nihil deest: iustus, cui nihil supereſt. Hoc enim est iustitiæ tenere mensuram. Quanta uirtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium? Hoc est perfectū esse, adhærentibus sibi cōmodi plurimum dare, nihil afferre incommodi. Deniq; is qui nocere cupiebat, inanem eum non potuit dimittere. Sapiens enim nunquam inanis est, semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere: Iustitiam induebam, & uestiebam iudicium, sicut dixit Iob. Nanq; hæc mentis sunt in- Iob 27 terna uelamina, quæ nemo alius possit auferre, nisi cū aliquem sua culpa despoliat. Deniq; sic despoliatus Adam, nudus inuentus est. At uero Ioseph etiam uestimento exte- Gen. 3 & 39 riore relicto, nudus non erat, qui salua habebat indumenta uirtutis. Nunquam ergo inanis sapiens. Nam quomodo inanis, cuius repleta est anima, quæ acceptæ gratiæ uestimēta custodit? Illud metuendum est, ne quis innocentiæ uelamen amittat, ne impij sacrilegæ persecutionis impressione, terminos iustitiæ prætergressi, uestimentum animæ ac mentis eripiant. Quòd non accidit nisi prius aliquem nox suæ iniquitatis exuerit. Vnde & Dauid dicit: Si est iniquitas in manibus meis, decidā merito ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animam meam, & comprehendat. Nemo ergo ex inimicis potest tuam a- Psalm. 7 nimam cōprehendere, nisi prius inanis fuerit effecta. Noli igitur metuere eos qui possunt auri argentiq; compilare thesauros. Isti tibi nihil auferunt. Hoc enim auferūt quod non habebas, hoc auferunt quod possidere non poteras, hoc auferunt quod non orabat animam tuam, sed onerabat, hoc auferunt quod non locupletabat cor tuum, sed potius deprimebat. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum: sicut audisti, legisti Matth. 6 hodie. Multi ferè portarum suarum includunt aurum suum, ad hoc uectibus & claustris

ſtris ſuis credunt. Multi uigiles adhibent, ſed ipſi quoq; plus ipſos ſolent timere cuſtodes. Multi defoſſo auro incubant, aurum eorum ſub terra, & cor eorum ſub terra. Caue ergo ne & tu cor tuum terræ uiuus infodias. Non ergo auri iſtius metuendi fures. Illi etiam cauendus eſt fœnerator, qui ſubſtantiam animæ tuæ ſcrutatur, ſi qua peccati grauioris æra contraxeris, qui cor tuum includit ſolo, qui animam tuam eo ceſpite obruit quo aurum texeris, qui mentem tuam centeſimarum incuruat uſuris, & graui condit ſepulchro de quo nullus reſurgit. Sequere ſanctũ Iacob, qui neq; de alienis uitijs quicquam habebat, neq; ſuarum uirtutũ erat inanis & uacuus, qui erat iuſtitiæ fructu repletus. Sed

2. Corint. 11 hæc moralia. Illud myſticũ, quòd uenit ad eum Laban, hoc eſt, dealbatus, quia & ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis: & cœpit ab eo ſua requirere. Reſpondit ei Iacob:

Geneſ. 31 Cognoſce ſi quid eſt tuorum apud me, hoc eſt, nihil tuorum habeo. Quære ſi quid agnoſcis uitiorum tuorum & criminũ. Nihil mecum abſtuli, fraudum tuarum dolíq; conſortia ulla non habeo, omnia tua tanquam contagium refugi. Et quæſiuit Laban, & nihil ſuum reperit. Quàm beatus uir, in quo inimicus nihil inuenit, quod ſuũ poſſet dicere: in quo diabolus nihil offendit, quod ſuum agnoſceret. Impoſſibile uidebatur iſtud in

Ioann. 14 homine, ſed typum gerebat eius qui dixit in Euangelio: Venit huius mundi princeps, & in me inueniet nihil. Nihil eſt enim quicquid eſt diaboli, quod nullam poteſt habere perpetuitatem atq; ſubſtantiã. Ipſe autem eſt qui præfigurabatur in Iacob, dominus Ieſus, ſponſus duorum coniugiorum, hoc eſt cõſors quídam legis & gratiæ: qui uirginem Rachel antè dilexit, & prædeſtinatam ſibi in coniugium pio amabat affectu. Sed quoniam Lya tanquam lex ſubintrauit, & oculis infirmior obrepſit tãquam Synagoga, quæ mentis cæcitate, Chriſtum uidere non potuit, ſuperabũdauit gratia ſanctæ Rachel, quæ ſupra primum illud eſt expetita coniugium, quæ Eccleſiæ principatum futurũ iam tunc nominis ſui interpretatione ſignabat. Beata Rachel, quæ abſtulit opprobrium ſuo partu: beata Rachel, quæ abſcondit cultus, erroreſq; gentilium, quæ ſimulacra eorum plena eſſe immundiciæ declarauit. Nemo credat paternæ legis læſam eſſe reuerentiam, quòd ſtante patre ſedit, quoniam ſcriptũ eſt: Qui plus díligit patrem aut matrem quàm

Matth. 10 me, non eſt me dignus. Vbi cauſſa agebatur religionis, fides debuit habere ſedem iudicij, & quaſi rea ſtare perfidia.

Quid ſignificet quòd proficiſcenti Iacob Angeli Dei occurrerunt. Quid ſibi etiam uelit quòd ipſe fratri occurrens ſeptíes in terra adorauerit. Quid denig; quòd petiturus à fratre concordiam, in caſtris dormiuerit. Caput VI

Geneſ. 32 Haec eouſq; probata ſunt, ut proficiſcenti Iacob ſancto Angeli Dei occurrerent. Denig; uidit caſtra Dei applicantia, & ait: Caſtra Dei hæc ſunt. Perfectis enim & fidelibus diuina ſolent adeſſe præſidia. Perfectus autem, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita ut humilitate eam inuitaret, officijs acquireret, muneribus quoq; emendam putaret. Occurrit itaq; fratri, cum muneribus, uxoribus

Geneſ. 33 & pignoribus ſuis, ut etiam ſi ipſe indignaretur, neceſſitudinis obſequijs inflecteretur.

Deuter. 6 Et adorauit ſeptíes in terra. Quid ſibi iſtud uult eſſe? Lex dicit: Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies, & hic adorat intemperantem, iracundum, minantem parricidale flagitium. An terram adorauit, illam humano cruore concretam, ſerpentium infuſam uenenis, aut ieiuna infœlicem glarea, aut duris atq; aſperis inhorrẽtem cautibus? Quid ſibi etiam uult quòd ſeptíes adorauit? Hæreret ſolutio, niſi illud occurreret quod

Matth. 18 Petro interroganti in Euangelio: Si frater meus in me peccauerit, quotiens dimittã ei, uſq; ſeptíes? Reſpondit dominus Ieſus: Non ſolum ſeptíes, ſed uſq; ſeptuagieſſeptíes. Hoc igitur prophetico ſpiritu ſanctus patriarcha ſignificat, in aduenientem reſpiciens, qui non ſolum uſq; ſeptíes, ſed etiam ſeptuagieſſeptíes ueniam fratri laxari iuberet, ut eius contemplatione conuentus Eſau, iniuriam quam ſe accepiſſe putabat, remitteret fratri: & quamuis læſus, in gratiam rediret: quia propterea carnem ſuſcepturus erat dominus Ieſus, & uenturus in terras, ut multiplicatam nobis donaret ueniam delictorum.

Geneſ. 32 Denig; petiturus à fratre concordiam, dormiuit in caſtris. Perfecta uirtus habet quietis tranquillitatem & ſtabilitatem. Ideo dominus donum eius perfectioribus reſeruauit di-

Ioann. 14 cens: Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis. Perfectorum eſt enim non facile mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari ſuſpicione, non terrore concuti,

cuti,non dolore uexari,sed quasi in littore tutissimo aduersum insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare.Hoc firmamentũ Christianis mentibus Christus inuexit,pacem internam inuehens animis probatorum,ut nõ turbetur cor nostrum,neq; exagitetur animus.Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asseruit,dicens:Et pax dei quæ exuperat omnem mentem, custodiat *Philip. 4* corda uestra, & sensus in Christo Iesu.Fructus itaq; pacis est, non perturbari in pectore. Denicq; uita iusti quieta est,iniustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est.Itaq; amplius suis suspicionibus afflígitur impius,quàm alienis plericq; uerberibus:maiores q; uibices uulnerum in eius animo sunt, quàm in eorũ corpore qui ab alijs uerberantur.Grande est intra se aliquem tranquillum esse,& sibi conuenire. Foris pax aut imperatoris solicita prouidentia,aut manu militum quæritur,aut bellorum prospero cedit euentu,aut internecione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertant. In ea pace nulla nostra uirtus,sed euentus est. Certe gloria pacis illius ad imperatorem refertur,istius pacis fructus in nobis est,quæ est in mentibus singulorum,quæ tenetur affecti bus.Istius pacis maior est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur.Ista pax sublimior,quæ corporalium passionum excludit illecebras perturbationesq; mitigat,quàm ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere,quàm remoto.

De lucta Iacob cum deo, & quid sit luctari cum deo. Qua ratione etiam claudicauerit.De uindicta quoq; filiorũ eius in alienigenas propter sororis defloratio nem,& ipsius Iacob mansuetudine atq; clemẽtia. De responso præterea diuino sibi dato ut exurgeret,& ascenderet in locum Bethel. Cap. VII

Itaq; Iacob qui cor suum ob omni simultate mundauerat, ut pacificum affectum gereret,postquam reiecit omnia sua,solus remansit,& luctatus est cum deo.Quicunq; enim secularia negligit, ad imaginẽ similitudinemq; dei propius accedit.Quid est enim luctari cum deo,nisi uirtutis suscipere certamen, & cum superiore congredi,potioremq; cæteris imitatorem fieri dei? Et quia insuperabilis erat fides eius atq; deuotio,secreta ei mysteria dominus reuelabat,tangens latitudinem femoris eius, eò quòd ex eius erat generatione dominus Iesus oriundus ex Virgine, qui deo nec impar nec inæqualis esset, cuius crucem obstupescentis femoris latitudo signabat, eò quòd diffusa per uniuersum mũdum remissione peccati salutaris foret omnibus, qui stupore sui corporis ac sudore resurrectionem tribueret defunctorũ. Vnde non immerito exortus est sol sancto Iacob,cuius generi crux domini saluatoris illuxit:simul quia sol ei oritur iustitiæ,qui deũ cernit,quia ipse est lumen æternũ. Claudicauit autẽ Iacob à femore suo.Propter hoc non manducant hodieq; filij Israel neruum. Vtinã manducassent & credidissent.Sed quia non erant facturi uoluntatẽ dei,ideo nõ manducauerunt. Sunt & qui ita accipiant,quòd ideo claudicauerit ab uno femore Iacob,quia duobus populis ex eius generatione manantibus, unius stupor iam tunc circa fidei gratiã declarabatur futurus,ipse est ergo populus qui stupore perfidiæ claudicauit. Denicq; non multo post reuelationẽ istiusmodi, cum esset ab alienigenę filio Dina filia Iacob defloratio uiginitatis pudore temerata,fratres eius qui non intellexerunt mysteriũ,alienigenas,qui sociemorali mãsuetudine clementiam diligebat,uel mystico spiritu sacramentũ congregandę ex gentibus pręuidebat Ecclesiæ,inuitus & dolens sçenã illam exactæ ultionis accepit.Vnde prophetanti aduentũ domini Iesu,responsum diuinũ est datũ:Exurgens ascende in locũ Bethel,hoc est in domũ panis,ubi natus est Christus,sicut Michæas propheta testatus est dicẽs: Et tu Bethleẽ domus Ephrata nõ es minima, ut sis inter principes Iuda:Ex te eñ exiet princeps Israel,& egressus eius ab initio,à die seculi. Vere domus panis,quę domus Christi est,qui nobis panis salutaris aduenit è cœlo,ut iam nullus esuriat cibũ sibi immortalitatis acquirẽs. Ibi iubet habitare patriarcha, ibi aram facere deo qui apparuit ei.Ibi deos accepit alienos,& abscõdit eos sub lẽtisco:Ibi quoq; sepulta est Rachel in uia Ephrata,hæc est Bethleẽ:Ibi etiã columnã statuit Iacob supra monumentum eius.Quanta mysteria,quia ibi est Ecclesia dei,in qua apparet deus,& loquitur cum seruis suis.Ibi eripiuntur & absconduntur simulacra gentium.Fides enim Ecclesię omnem

Genes. 33

Genes. 34

Genes. 35
Matth. 5
Mich. 5

obseruantiam gentilitatis aboleuit. Sed cur sub lentisco, quæro. Certe genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt dij gentiũ, ubi nullus est fructus, Ibi inaures gentiliũ infodiuntur quas dederunt Iacob, ut iam nouã linguã audire assuescant, ueterẽ perfidiæ sonũ nesciant, obsurdescant aures eorũ sacrilegio, & mundẽtur ad gratiã, Non immerito ibi sanctus Daniel falsum aduersus Susannã testimoniũ deprehendit. Ibi enim uolebat adhuc radices suas locare perfidia, sed latere non potuit, quia à prophetico spiritu deprehensa est. Congruus autẽ error presbyterij uerę cõfessionis, ut ibi contaminatã diceret castitatem, ubi gentiũ defossa simulacra sunt. Sed ueritas Ecclesiæ non detexit perfidiã, sed abscondit, & aures gentilitatis obstruxit. Cõuenienter quoq; ibi sepulta est sancta Rachel, quia omnes qui baptizantur in Christo, cõsepeliuntur cũ eo. Sic enim docemur dicente Apostolo: Consepulti enim sumus cũ illo per baptismũ in mortẽ, ut quemadmodum ille surrexit à mortuis propria uirtute suscitatus, ita & nos per eius gratiã resurgamus. Tunc igitur uere absconditur omnis error gentiliũ, cũ quis fuerit ablutus à uitijs, quia cõfixus cruci uetus homo noster nescit iam ueteri seruire peccato. Competenter etiã columna statuitur supra monumentũ Rachel, quia Ecclesia est columna & firmamentũ ueritatis.

Daniel. 13

Rom. 6

De commendabili sancti Iacob senectute, futurarumq; dubiarum rerum, finis quoq; uitæ suæ præuidentia, atq; agendorum dispositione. Cap. VIII

Enuit autem Iacob.] Aetate iam senuerat & moribus, sed certabant in eo integra uiuacitas iuuentutis, & tranquillitas senectutis. Est enim & senectus uirens gratia, & iuuentus cana consilijs, de qua dicit scriptura: Senectus enim uenerabilis, & ætas senectutis uita immaculata. Ex hac uita fugit Iacob, qui bonis operibus præuenit tempus longæuę senectutis: ut & fructũ eius ante tempus carperet, & postrema eius in tempore non timeret. Beatus quidem & iuuenis qui bene uiuit, sed magis beatus est senex qui bene uixit. Quod enim iuuenis sperat, adeptus est senior, quod dum nex fuit, optat hoc esse qui iuuenis est. Certe hic inquieti maris lõgiore sibi adhuc curso manente, iactatur fluctibus, senex uerò sicut in portu, ita in statione est senectutis. Erat itaq; huiusmodi Iacob, qui uix speranda iuuenibus bona, incolumi & tuta gratiæ clauiam clausa & obsignata tenebat. Quod autẽ possideas, eo quòd adhuc speres, præstabilius est. Erat ergo senex Iacob, ad quẽ iuuenes aduersa tẽporis alicuius tẽpestate perculsi, tanquã in portũ sese recipiebant: ipse autem tanquam in specula uitæ huius positus solicito prætẽdebat affectu, & longè ante rebus dubijs pręuidebat remedia. Deniq; fames erat in tota terra, & senex depositus quæ alacres iuuenes ignorabant, primus audierat, primus admonuit filios suos in Aegypto exuberare frumentũ, & proficiscendũ ut emerent quæ sibi ad usum necessaria forent. Libenter etiam ipse iuuenũ consilio acquiescebat, ut etiam filium iuniorem simul mitteret. Et renunciantibus illis quòd Ioseph filius suus uiueret, infracto licet corpore, sed uiuida animi uirtute, non expectauit ut filius ad se ueniret, sed ipse magis perrexit ad filiũ. Pietati enim mensura ordinis non præponderat. Nulla itaq; sensit impedimenta fessę senectutis cum pergeret. Pietas enim leuabat laborem. Verùm ubi recepti filij fructu potitus est, aliquanto exacto tempore decẽ & septem uidelicet annorũ, (quod secundũ illam patriarchæ longæuitatem exiguæ portionis tempus est) finẽ uitæ sibi appropinquare cognouit. Vocauit itaq; Ioseph filiũ, & per generationis suæ futurum hæredem, constrinxit eum ne in Aegypto sepeliretur. Acceptaq; fide, cũ paulò pòst infirmaretur, benedixit patriarchas duodecim, & prophetauit.

Genes. 49

Qua ratione sanctus Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, merito prædicandus fuerit beatus. de multiplicique eius laude, præsertim in patriarcharum benedictione. Quod præterea neq; Ioseph, neq; Esaias, neque Hieremias, neq; Daniel, neq; mater Machabæorum cum filijs, negandi sunt fuisse beati, licet grauia sustinuerint supplicia. Cap. IX

Dicat nunc aliquis, non beatum Iacob cum in ipsis mortis esset diebus, qui pene plura cum deo quàm cum hominibus alloquia miscebat: non beatũ cum oculi eius grauarentur in senectute, & non posset uidere. Videtur enim cæcitas quibusdam esse grauis ęrumna calamitatis. Sed tunc quoque beatus Iacob, qui discernebat spiritu quod oculis discernere aspectuq; non poterat. Videbat futura, qui æstimabatur non uidere præsentia. Denique errauit & ipse Ioseph ut quum ad dexteram eius

eius filium suum seniorem, & ad sinistram ipsius, hoc est, Iacob applicuisset filium iuniorem, ut ætatis ordo benedictionis ordinem seruaret, cum extenderet dexteram suam super nepotem iuniorem, & sinistram super seniorem nepotem & uolenti filio patriam dexteram super Manassen seniorem conuertere, responderet: Scio fili scio, & hic erit in populum, & hic exaltabitur, sed frater eius iunior maior illo erit. Et causam prælationis adiunxit dicens: Semen eius erit multitudo gentium. Adeo, licet impedito corporis aspectu, melius uidebat, ut uidentem doceret errasse. Quis enim melius uidet quàm qui uidet Christum? Aut quis potest dicere oculis impeditum eum, qui uidebat in Christo refulgentem Ecclesiam? Nónne igitur clarum est quòd debilitas beatitudinem impedire non possit? Ille oculorum impeditus munere, ille defatigatis corporis uiribus in lecto tanquam in sepulchro corpus relinquens: assurrexit in se, & longe ab alijs, atq; intra semetipsum sese colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futuræ miscebatur ætati. Sic enim scriptum est: Annunciabo, inquit, uobis quæ occursura sunt uobis nouissimis diebus. Quid igitur ei deerat, cui deus aderat, qui ei profecturo dixerat: Descendam tecum in Aegyptũ, & ego deducam te in perpetuum? Nec defuit quando in eo spiritus sanctus loquebatur. Quis tam potens in suo domicilio, quàm iste in alie no? Quis tam abundãs in ubertate, quàm iste in fame? Quis tam fortis in iuuentute, quã iste in senectute? Quis tam actuosus in negocio, quàm iste in ocio? Quis tam uelox in curriculo, quàm iste in lectulo? Quis tam lætus in flore adolescentiæ, quàm iste in mortis confinio? Quis tam diues in regno, quàm iste in peregrino loco? Deniq; reges benedicebat. Nec immerito pauper nõ erat, qui nullo indigebat. Pauper nõ erat, qui se paupe rem nõ putabat. Et quis pauperẽ dicat, cuius cõuersatione dignus orbis terrarũ nõ fuit? Et ideo conuersatio eius erat in cœlo. Hic uero prædiues in diuitijs simplicitatis & syncerítatis, decorus magis nitore animæ, quã corporis pulchritudine, quæ marcescere nõ nouit, ętate impiger, cui liceret cum uellet corporeo isto exire gurgustio, & superna paradisi mentis uigore penetrare, exultans spiritu, cum sepulchri extrema mandaret. Non enim terreno se tumulo claudendũ, sed superno recipiendũ domicilio præsumebat, & ideo tanquã alteri mandabat sepulchrũ, sui autem securus mortẽ illam immortalitatẽ putabat. Videbatur corporis implicatus impedimento, & uigilanti in futura tempora prę currebat affectu, dicens de persecutoribus domini, qui de tribu Symeon & Leui authores erant nequitiæ processuri: In consilio eorum non ueniat anima mea, & in occursum eorum non cõtendant uiscera mea. Quis autẽ tam ualidus in uirtute, quàm fortis iste in infirmitate? qui dicebat: Maledictus furor eorũ, quia superbus & temerarius: & ira illorum, quia indurata est. Diuidã illos in Iacob, & dispergam illos in Israel. Quis uerò tam canorus cantibus, quàm iste uocibus, qui toto auditus est mundo, qui per omnes populos, per omnes auditur ætates? Quis tam suauiter septẽ uocum differentias oblocutus, quàm iste septemplici spiritus sancti gratia resultauit? Qui licet membris resolutus, tamen attollens se animo, & erigens spiritu, corporis sui tanquam citharæ harmoniã dissoluta membrorũ compage destructam alta mente dispiciens nõ requirebat, sed ociosam iacere humi patiebatur. Ipse autẽ cantus emulcebat, interno & prophetico se modulamine delectabat dicens: Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tuæ super dorsum inimico rum tuorũ, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, ex germine mihi ascendisti: recumbens dormisti ut leo, & tanquam catulus leonis. Quis suscitabit illũ? Et infra: Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ anaboladium suum. Hilares oculi eius à uino, & dentes candidiores lacte. Qui cantus dulcior, qui sonus suauior, quàm remissio peccatorũ, & resuscitatio mortuorũ? Hunc cantũ sanctus Dauid ille diuinæ organũ uocis, & dominici sermonis interpres, cithara cecinit spiritali. His modulis gratiæ, sublimẽ illum animum mentẽq; mulcebat. Hoc cantu mundi istius aspera mitigauit, hoc sonitu seculi dura mollíuit, hoc psalterio terrorem mortis infregit, hac suauitate chordarũ infernа calcauit. Sed audiamus etiam quæ sanctus Iacob patriarcha admirabili illo suæ organo mentis increpuit: Neptalim uitis remissa, porrigens in germine suo decorem. Filius meus ampliatus, Ioseph, filius meus adampliatus, zelo appetitus filius meus, filius meus adolescentior ad me reuertere. Et infra: Præualuit super benedictiones montiũ, & desideria æternorum colliũ. Quid dulcius benedictione? Quid gratius ętemitate? Et ipsa

Genes. 49

Ibid. 46

Genes. 49

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

uerba sunt cantus, & in uerbis magna uotorum sunt præmia, meritorum fastigia. Quid suauius sancto Ioseph, qui nos liberauit ab opprobrio crucis dominicæ sacramento? Sicut enim maledictũ factus est Christus, ut maledictũ solueret legis: & peccatum factus est, ut mundi peccatũ tolleret: ita opprobrium factus est, ut gentilitatis opprobrium auferret. Sed illud opprobrium Christi, thesauris Aegypti precioſius ęstimatũ est. Et ideo Moyses Pharao regis aulam reliquit, & fidei elegit opprobrium, cui se opprobrio mariadiuidebant. Ipse ergo Neptalim uitis totum remissa per mundum, ut omnibus populis ubertatem poculi spiritalis infunderet. Ipse est ampliatus, habens nomẽ super omne nomen: qui quoniam se pro omnibus obtulit morti, ideo audiuit à patre: Ad me reuertere. Loquebatur Iacob, & deus audiebatur. Ille benedicebat, & deus personabat dicẽs filio: Ad me reuertere, hoc est, post passionem reuertere. Reuertere ad sedem tuam, reuertere cum trophæo, reuertere ad me, ut te resurgentem defuncti sequantur, & tua potestate pariter atq; exemplo resurgant, ut fias primogenitus ex mortuis, ut ad dexteram sedeas patris. Vnde & filius dixit: Amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis dei. Neget quis beatum Iacob in ipso mortis supremo, qui diuina fundebat oracula. Neget beatum Ioseph in carcere, ubi sapientiæ spiritu interpretabatur somniorũ quæ audierat ueritatem, & futurorum seriem reuelabat. Neget beatum Esaiam, cum mediussecaretur: Hieremiam, cum mergeretur: Daniel sanctum, cum inter leones staret intrepidus, & prandium ei raptus ab angelo propheta deferret. Non utiq; ideo beatus, quia alienum prandebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonem ora claudebat. Quis autem non beatam dixerit matrem Machabæorum, quæ septem filiorum funeribus octauam se addidit ad laudem cœlestis triumphi?

2.Cor.5
Hebr.11
Matth.26

Quantæ laudis fuerit sacerdotum sacerdos Eleazarus in supplicíorum constanti toleratione, quodq; ideo non minus, sed magis fuerit beatus. Cap. X

Nec te Eleazare prætermittam, utpote sacerdotem sacerdos, sed tuis iuuandũ oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cum oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamẽtis potuisti capi, nec præmijs inflecti, nec supplicíorum acerbitatibus frangi. Deniq; à blandimentis cœpit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. Erubesco, inquit, caniciem tuam, reuereor senectutem, miror prudentiam, cur abstinendum bonis epulis putes, quas natura largitur: Relaxa istiusmodi peruicaciam, expergiscere aliquando, dum adhuc malo tibi persuadere quàm extorquere, ne uictus supplicijs facias, quod refutas ratione inuitatus. Ad hæc respõdit senex: Nos Antioche non intentione ducimur, sed reuerentia legis tenemur, quę à suilla carne abstinendum præcipit. Pulcherrimam iudicas creaturam, negare tamẽ non potes quòd potior sit temperantia, quàm uoluptas: potior legis obediẽtia, quã præuaricatio. Quòd si hoc leue putas, ut carne uescamur suilla: qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Aut si preciosa est creatura huiusmodi, uindicaris: cum eo quod sit pulcherrimũ, defraudamur. Abstinentia autem nostra disciplina est castimoniæ. Discimus enim resecare luxuriã, cupiditates uincere, excludere cõcupiscentias, delectationibus corporis obuiare. Fortitudinis quoq; exercitium est, pœnis pro lege non cedere. Iustitiæ quoq; insigne atq; prudẽtiæ, ut quod sequendũ elegimus timore dei, morte pro posita reseruemus. Quis escam imperet liberis? Quis autẽ se ridendum præbeat? Quis autem in hoc seruiat, & non ridebitur? Non sum ita senex, ut mihi non iuuenescat animi fortitudo. Suspensus itaq; cum hinc atq; inde grauiter uerberaretur, nec iam ferrent seni lia membra uerberum pœnas, lassatis carnificibus atq; extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat, Et quidã seu longæuam miseratus ætatẽ, seu tentamentis circunuenire desiderans, Responde, inquit, tantummodo te manducaturũ, nos te escæ eius immunem præstabimus. At ille clamans, Nequaquã, inquit, contingat mihi ut fiam senex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucusq; eram forma salutaris instituti. His ego lubrijs, ut paululum uiuam lucrabor, & totius uitæ labores addicam breuis uiatico senectutis? Senectus portus debet esse, non uitę superioris naufragium. Non te negabo lex patria, non abiurabo uos sancta instituta maiorum, non decolorabo uos infulę sacerdotales, nõ te perfidiæ puluere turpabo canicies. Quid multa? Immoriendo tormentis factus est cæteris magisteriũ perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplũ. Beatus igitur,

N

2.Macha.6
Ibidem.

tus igitur, in quo nõ potuerũt tormẽta rationẽ uincere. An nõ beatus, qui potuit uirtute animi uictor esse pœnarũ, pietatisq; remigio seruare integrã in tãtis fluctibus passionẽ? De admirabili patientia ac fortitudine septẽ fratrũ Machabæorum, quibus mater octaua addita fuit, qui suis supplicijs meritum beatæ uitæ acquisierunt. Cap. XI

Ibidem. 7

P Ost ipsum statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callide à sene incipiendum putat, magistrum eligit quo discipulos faceret fortiores, quorum uelut puerilem ætatem præmijs prouocabat ad culpã, urgebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid nos contemnis uel circunscribis ut pueros? Sed fides cana est, sed ualida disciplina. Exire certe, subijce quibus placet pœnis puerilia uiscera, non inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimæ obseruationis excubiæ. Quem uicit senectus, superabit æmula senectutis puericia. Sequimur patrem filij, discipuli doctorem. Collige supplicíorum instrumenta proposita: meditationem patientiæ, non terrorem infantiæ afferunt dum uidentur. Iussit maximum natu eligi. At ille ridens, Recte, inquit, naturæ ordinem seruas. Sed cur dei legem temerandam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi sumus, sed tamen à me inchoatum gaudeo. Quod quæris tyranne, confiteor, nos summo deo seruire, & doces quid agere debeamus? Si tu tanta per tinacia uis extorquere ueritatem, cur nõ omni uirtute nos eam tenendã putemus? Quid plura? Adhibentur uariarum genera pœnarum. Sed uicit pietas immanitatis furorem, exclusa est anima, non religio. Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ confessionis impleuit. Et cum detraheretur membrana capitis, respondit: Aufertis quidẽ membranam, sed habeo galeam spiritalem, quam non potestis auferre. Et uere hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia domini, quia caput uiri Christus est, & eius sumus membra. Recte puer istam diuino spiritu doctrinã Apostoli-

1. Cor. 11

cam pręuidebat. Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & pardalicis feritatibus sæuiebant. At ille deficiẽs, Quàm dulce est inquit, mori pro religione, quàm suauis omnis acerbitas mortis pro pietate: quia manet horũ remuneratio laborum. Tua sunt rex grauiora tormenta, tu tuis uehementius torqueris supplicijs, quia uides uinci in potestate. Et hoc defuncto, tertium statui sibi iussit. Et cum eum partim tentaret insidijs, partim cuperet terrore percellere, respondit ad eum: Non faciam uoluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Perbeatam illã fratrũ meorũ passionem, & nobilẽ uitam, non negabo piam germanitatem. Quæ uis adhibeto supplicia, quibus magis urgeas: hoc proficies asperitate pœnarum, ut maiora testimonia nostræ germanitatis accipias. Iussit itaq; ei linguam amputari. At ille exclamans, Victus es, inquit, Antioche, qui organum uocis abscindi iubes. Confessus es te respondere nõ posse rationi, maioraq; probas linguę nostrę flagella, quàm tua uerbera. Nos enim tua uerbera non timemus, tu nostrę uocis flagella non potes sustinere. Sed hęc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidię. Sed etiã lingua sublata, grauius te suo cadẽs murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche si uocẽ eripias? Et tacentes deus audit, & magis audit. Eccè aperui os meum, laxaui linguã meam, abscinde linguam: sed nõ abscindes constantiam, non uirtutẽ auferes, non rationem oblíterabis, non eripies testimonium ueritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicetur tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Audit enim sanguinis uocẽ, qui audit internas cogitationes. Tenebrę licet operiant, et parietũ

Eccle. 23

sepia circundent nõ dicat impius quia nullus sibi testis assistat, explorat uniuersa, uidet omnia deus: nec est aliquod facinus quod possit latere omniũ iudicẽ deum, qui cognoscit uniuersa antequã fiãt. Quid uerba damus? Loquacíora sunt uulnera: & si uulnera tegantur, & si abscondatur cicatrix, nõ absconditur fides: nec tamẽ plaudas quòd auferendo linguam, confessionem laudis eripias. Satis iam deũ sermone laudaui, nunc passione laudemus Et hoc perempto iussit quartum uinciri ad rotam, ut eius uertigine membris omnibus solueretur. At ille cũ torqueretur immaniter, Dissoluis, inquit, corporis membra, sed adiungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim uox tonitrui in rota, quia in bono & inoffenso uitæ istius cursu cœleste resultat oracului, sicut in Ioanne & Iacobo filijs tonitrui resultabat. Itaque illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotã currit, nec impeditur. Teres enim uita sine ulla offensione in quauis

passione uersatur, & intra hanc quoq; rota currit. Currit lex intra gratiam, & obseruantia legis intra diuinæ curriculũ misericordiæ est. Nam quo magis uoluitur, plus probatur. Potius est hic ab impijs aduersa tolerare, ut ibi à domino consolationẽ inuenire possimus. Et iste consummans cursum suum, abrupit spiritũ, animamq; uictor effudit. Quintus cum sisteretur, cæso prius, eidem iussit ignes admoueri, subijci incendia. Manabat è uulneribus cruor, & effossis ulceribus sanguis effusus ipsos flammarũ extinguebat globos. At ille inter ignium crepitus audiebatur dicens: Gratias tibi domine quod dedisti nobis dicere: Transibimus per ignem. Et sicut alibi idem tuus dicit Propheta: Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentũ, Astabo tibi sicut aurum purgatus incendio: & si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaq; & iste translatus à corruptela ad incorruptionẽ, uitam exhalauit. Sexto quoq; admota tormenta sunt. At ille: Noli, inquit, frustra errare, & tuæ hoc adscribere potestati, quod ista aduersum nos exerceas. Nostrorum hoc delictorum est precium, ut peccantes puniamur. Et gratias domino, quod hic à nobis duplicia peccata exiguntur, ut ibi nobis cõsolatio deferatur. Gratias autem & tibi, quòd tam durus & immitis es, ut talibus nostris supplicijs dominus in quem peccauimus, gentibus propitius fiat. Nos quoq; ableuamus erumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris & asperis dilaceratus supplicijs, appositus est ad fratres suos. Superat iunior ex fratribus, & iam pudebat Antiochum immaturæ ætati se ita fuisse ludibrio. Itaq; dolis eum desiderans circunscribere, pollicebatur honores, diuitias, amicitiam suã, consortium secretorum. At uerò pia mater monebat filium suũ, dicens & huic sicut cæteris: Nescio quemadmodum in uterum meum introistis, neq; ego spiritũ donaui nobis, neq; membra formaui, sed hæc omnipotentis dei munera sunt. Putauit Antiochus uidẽs matrem solicitam, quòd saluti eius timeret, ipsi quoq; suadere cœpit, & filium ab intentione sua reuocaret. At illa uoce patria dicebat filio: Tu solus superes fili, summa uotorum meorum, tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portaui, ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophea, nec sacrum eorum comitatum relinquas, nec consortium deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cœlum, unde hausisti spiritum, ad patrem omnium: aspice in terram, quæ tibi ante alimoniã ministrauit: aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit: redde mercedẽ pij sanguinis: noli à fratribus, noli à matre diuelli. Temporales opes sunt quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona quę à deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit dominus, sextũ iam diem claudi, & omnium opera bona ualde. Debes mihi fili, ut quæ in illis sex laboraui, in te requiescam septimo, tanquam à seculi operibus iam feriata. Itaq; proripiẽs se iuuenis ait: Quid sustinetis? Et multa uociferans, quòd nequaquam diuelli posset à fratrũ consortijs, quorum multo beatiora essent funera quàm regis imperia, cum urgeret conuitijs regem, & ipse acerbis excruciatus tormentorum generibus, uitæ huius munus absoluit. Nouissima mater oblata est necí. Quis hanc beatam neget, quæ quasi septem uallata muneribus inter corpora filiorum nullũ sensit mortis incursum? Quis, inquam, dubitet de eius beatitudine, quæ septem turribus circũdata, in paradisi sedem caput extulit: quæ septem filijs cincta, sacratissimum deo chorum, non solum canorum uocibus, sed etiam passionibus, ad cõcinendas domini laudes cœlestibus inuexit altaribus? Quàm bonus fidei partus, quàm tutus portus iste pietatis, quàm splendida lucerna Ecclesię, septeno fulgẽs lumine, & octauo utero cunctis luminibus oleum subministrans. De quibus pulchre dicitur: Date partem illis septem, & illis quidem octo, eo quòd in utroq; numero consortiũ gratiæ consequantur, in lege nutriti, per gratiam coronati, septem tanquam in sabbato, octo tanquam in Euangelio. Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in talibus filijs integram pietatis formam & parturiuit & peperit.

Psalm. 65
Psalm. 16. & 65
Eccle. 11

De singulari beatæ illius matris septem filiorum commendatione. Cap. XII.

RECurrunt in memoriam sermones sanctæ fœminæ, dicẽtis ad filios: Ego uos genui, ego uobis succum lactis infudi: nolite nobilitatem uestram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios, non uocare. At ista maternum in hoc ponebat affectũ, si filijs uitam magis perpetuam quàm temporalẽ suaderet.

Spectabat

Spectabat itaq; pia mater filiorũ certamina, & quamuis maternorum uiscerum cõpassione quateretur, tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cum posset salutem eligere filiorum, malebat periculum: compressisq; naturę gemitibus, pœnas filijs optabat augeri, ut mors citius appropinquaret. Videmus conuersa uota matris in filios, ne quem superstitem derelinqueret, sed omnes piæ cohæredes mortis acquireret. Sed nec filij minores tali parente, qui se inuicem cohortabant, qui dicebant uno studio, & quadam animorum acie: Mortis aduersæ impetũ petamus. Tunc enim uiuemus, cum fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat prælio triumphali. Non homini, sed deo nostras animas deuouimus: non homini, sed authori omnium militamus. Talis hęc pugna est, ut ille glorioſius uicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaq; nemo timuit, nemo trepidauit, nullus ad mortẽ ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes tanq; ad immortalitatis uiam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerũt. & mater consona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima sui membra corporis in filijs offerebat, & per artus proprios uidebatur sibi subire tormẽta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebantur, corpora super corpora uolutabantur, capita super capita exsecabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit aut ora morientis clausit, nõ lauit uulnera, sciens glorioſiores esse si euiscerati & cõcreti pariter puluere & sanguine uiderentur, quales solent de bello redire uictores, qualia solent trophæa ex hostibus reportare. Non superiacienda uelamina, non prosequendas exequias, nisi suę quoq; comitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ederet cantus, q̃ morientes filij in tam grauibus supplicijs ediderunt? Erumpebat enim naturæ gemitus, & inuitus. Spectares peremptorum cadauera, sicut fila chordarum audires heptachordum psalterium trium phalibus gemitibus resultare. Non sic illecebroſi cantus sirenum attraherent audientẽ. Illi enim ad naufragium trahũt, isti ad sacrificij uictoriam. Nec sic cygnea carmina aures animumq; mulcerent. Cygni enim naturę sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis. Non sic rauca resonant secreto in nemore columbarum murmura, ut ultima uerba morientium cum summa suauitate resonabãt. Nec sic luna inter stellas refulget, ut inter filios mater: & cum eos ad martyrium illuminatura deduceret, & cum amplexata uictores in medio filiorũ iaceret. O uera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior: ô indissolubile pietatis uinculum, ô uerè ualida charitas sicut mors dura, sicut inferi zelũs deuotionis ac fidei. Nulla tantarũ diluuia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis spacijs innocua ferebatur, ita & tu aduersus fluctus tam grauiũ passionum pietate immobilis restitisti: & cũ posses salutem filiorum eligere, noluisti. Quo affectu uos prosequar sanctæ matris pia pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ uestræ & animarum similitudinem? Stetistis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum subactus, quos India quoq; in extremi maris secreta refugiens declinauit, & soli de rege superbo sine bellico conflictu uictoriam reportastis. Vicerũt in uobis sola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & quia uos nõ potuit uincere, & quia atroci peremptus est morte.

Cantic. 8 iuxta 70

CAPITVLA LIBRI DE ESAV, SIVE DE FVGA SECVLI.

Qua ratione homo impediat ut à terrenis se exuere, mentemq; eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit. Et quod ascendere uolens, nõ læta seculi & amœna, sed plena doloris & luctus sequi debeat. Quod etiam saluus esse uolens à Christo doceatur, ut supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. Cap. I

Quòd etiã lex doceat seculũ esse fugiendũ, & deũ sequendũ. Et de absolutione quatuor quęstionũ secundum mysticũ intellectũ per adaptationẽ ad diuersa genera uirtutum iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa urbes ad refugia dispositas. Cap. II

Quòd præmemorata uirtutum genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expressa habeantur, ut ex dictis ipsius apertè demonstratur. Cap. III

Quid sit fugere seculum, cum exhortatione ut fidei suffragio subnixi accedamus ad sedem gratiæ, hoc seculum & eius contagionem fugientes, neq; fugere erubescentes, cum gloriosum sit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorũ sanctorũ patrũ demonstratur. Et q̃ beata etiam sit fuga quam Iacob suscepit. Cap. IIII

Cur hinc fugere debeamus, & quomodo transire cũ Moyse, ut uideamus deum, calceamenta pedum soluendo. Quomodo etiam relinquere umbram huius uitæ, & cũ sancto Dauid euolare, etsi non ut aquila, saltem ut passer, etiamsi non ad cœlum, saltem ad montes. Cap. V

Qua ratione uolens fugere, uelociter & diligenter fugere debeat: quò etiam fugiendũ sit, & ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. Cap. VI

Quòd non mediocris sit causa cur hinc fugere debeamus. Quod q̃ non impigrè malitia huius seculi fugienda sit, & quid sit hinc fugere. Cur etiam malitia in terris uersetur & sæuiat. Qua præterea ratione dominus Iesus uindictam diaboli autoris malitiæ distulerit, neq; eadem sententia in ipsum, & in hominem dicta sit. Cap. VII

Quomodo hinc animo fugere possimus, etsi corpore retineamur. Quòd etiã hinc, quia tempus breue est, fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra nos que ipsi prætereamus: quod si cauere uelimus, mandata dei non prætereamus, neq; disciplinæ alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit, & in Sara ostenditur, & sicut Iacob executus est. Cap. VIII

De exhortatione quòd hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & sicut cerui fugiunt ad fontes aquarum, quos & Dauid sitiebat. Quis quoq; sit iste fons, & quid hunc fontem desiderans facere debeat, exemplo Susannæ. Quomodo etiã sicut Paulus & Loth fugerũt, nos fugere debeamus. Quibus præterea modis quis bene fugere possit. Cap. IX

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE ESAV SIVE DE FVGA SECVLI LIB. VNVS.

Qua ratione homo impediat ut à terrenis se exuere, mentem q̃ eleuare, & semper ascendere sine diuino auxilio non possit. Et quod ascendere uolens nõ lęta seculi & amœna, sed plena doloris & luctus sequi debeat. Quod etiam saluus esse uolens, à Christo doceatur ut supra mundum ascendat, & hoc seculum fugiat. Caput I

REQVENS nobis de effugiendo seculo isto sermo: atq; utinã quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus effectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarũ illecebra cupiditatum, & uanitatũ offusio mentẽ occupat, ut quod studeas uitare, hoc cogites animoq; uoluas: quod cauere difficile est homini, exuere aũt impossibile. Denicq; uoti eã magis esse rem q̃ effectus, testat Propheta dicẽdo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostrę cogitationes, quę improuiso ofte fusæ mentem animum q̃ cõfundunt, atq; aliò trahunt, quàm tu proposueris. Ad seculária reuocant, mundana inserunt, uoluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipso que in tempore quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerunq; deijcimur. Quis aũt tam beatus, qui in corde suo semper ascẽdat? Sed hoc sine auxilio diuino quomodo fieri potest? Nullo profecto modo. Denicq; suprà eadem scriptura dicit: Beatus uir cuius est auxilium abs te domine, ascensus in corde eius. Beatus plane quẽ delectatio nõ reuocat, quẽ non inclinat uoluptas, qui ad inferiora non respicit. Quod nec ipsius Loth uxor potuit euadere. Quo admonitus exemplo Apostolus, posteriora obliuiscens, & ea quę sunt priora appetens, festinabat ad brauium: & peruenire meruit, qui ante se Christũ uidebat, à quo ad iustitiæ uocabatur coronam. Sed peruenit ille

Psal. 118

Ibid. 83

Genes. 19

Philip. 3

ille qui seipsum sibi abnegauit, ut Christū lucraret. Denique non ipse uiuebat, sed uiuebat in eo Christus. Nam quis inter tot passiones huius corporis, inter tãtas illecebras huius seculi, tutū atq; intemeratū seruare potest uestigiū? Respexit oculus, & sensum mẽtis euertit: audiuit auris, et intentionẽ inflexit: inhalauit odor, & cogitationẽ impediuit: os libauit, & crimẽ retulit: tactus cõtigit, & ignẽ adoleuit. Intrauit mors per fenestram, dixit Propheta. Fenestra tua est oculus tuus. Si uideris mulierẽ ad concupiscendum, intrauit mors. si audias sermones meretricios, intrauit mors. si luxuria sensus tuos capiat, penetrauit mors. Et ideo qui uult ascẽdere, nõ læta seculi, nõ amœna, nõ delectabilia, sed plena doloris & fletus sequat. Melius est em ire in domũ luctus, q̃ in domũ gaudij. Denique nec Adam de paradiso descẽdisset, nisi delectatione deceptus esset. Pulchrè igit Dauid, qui periculosos homines etiã ipso aspectu fuerat expertus, beatũ illũ dicit, cui spes omnis in dei nomine est. Sic em nõ respicit in uanitates, & insanias falsas, si semper Christũ intendat, semper Christũ interioribus oculis aspiciat. Vnde iterũ ad seipsum conuersus ait: Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ. Vanitas circus est, quia nihil prodest: uanitas est equorũ uelocitas, quia mendax ad salutẽ est: uanitas theatrũ est, uanitas ludus omnis. Omnia uanitas, inquit Ecclesiastes, quæ in hoc seculo sunt. Denique qui saluus esse uult, supra mundũ ascendat, quærat uerbũ apud deum, fugiat hunc mundũ, terras relinquat. Non enim potest percipere illud quod est, & est semper, nisi prius hinc fugerit. Vnde & dominus uolens patri deo appropinquare Apostolos, ait: Surgite, eamus hinc.

Hier. 9
Matth. 5
Eccl. 7
Psal. 128
Eccl. 1
Ioan. 14

Quòd etiam lex doceat seculũ esse fugiendũ, & deum sequendũ. Et de absolutione quatuor quæstionũ secundũ mysticũ intellectũ per adaptationẽ ad diuersa genera uirtutũ, iuxta quatuor quæ posita sunt in lege circa urbes ad refugia dispositas. Ca. 11

D Ocet etiam lex fugiendũ seculum, deum sequendũ. Quid enim aliud docet cum dicit: Disponetis uobis ciuitates ad refugiũ, & erunt uobis refugia, quò refugiat homicida omnis qui percusserit animã inuitus? Et infrà: Sex ciuitates ad refugia erunt uobis, tres ciuitates dabitis trans Iordanẽ, & tres ciuitates dabitis in terra Chanaan? Aptè quidem confugientibus ob crimen homicidij, refugia proposita sunt: sed si consideremus altius, quatuor sunt quæ admonent profundius esse spectanda arcana lectionis istius. Vnũ, qua ratiõe ex ijs ciuitatib. quę Leuitis in portionẽ sorte obuenerunt, sex ciuitates ad refugiũ datæ sint homicidij crimine laborantibus, cur nõ etiã aliarũ tribuum ciuitates ad hoc munus deputatæ. Secundũ, qua ratione sex numero. nõ enim ociose numerus hic præscriptus uidet neq; pluriũ, neq; pauciorũ ciuitatũ. Tertiũ, cur tres ultra Iordanẽ ciuitates, & tres in regione Chananæa dispositæ sint, quæ refugio peccantibus forent. Quartũ, cur denumeratio & definitio temporis cõprehensa sit, intra quod habitet homicida in ciuitate refugij, quoad moriat sacerdos magnus, & post mortẽ sacerdotis magni reuertat homicida in ciuitatẽ habitationis suæ. De singulis ergo oportet dicere, atq; eo ordine quo proposuimus, quęsita absoluere. Cõpetenter itaq; Leuitarũ ciuitates datas ad refugium, primo explicandum est. Congruè autem prouisum liquet, quia Leuitæ fugitantes sunt mũdi huius, ut placeant deo: relinquunt patriã, parentes, filios, omnẽ cognationem, ut adhæreant uni deo. Denique & Abrahæ dictũ est: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed fortè dicas: Leuita non erat. Sed habebat in lumbis suis Leuin, ut legimus ad Hebręos scriptũ. Et dñs Leuitis dicit eũ discipulis suis, hoc est, apostolis dicit: Si quis uult post me uenire, abneget semetip sum, & tollat crucẽ suã, & sequat me. quanq; ad omnes iam dictũ sit: Vos aũt genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus in adoptionẽ. Venit plenitudo, reliquiæ cessarunt. Christus enim omnes uocauit. Omnibus perfectio patet, ut omnes sequant, omnibus regnum propositũ, & uita æterna. Ergo cui deus portio est, nihil debet curare nisi deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atq; huic nostro officio decerpit. Hęc em uera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorũ, & quædam alienatio charissimorũ, ut suis se abneget, qui seruire deo gestit. Rectè ergo fugaces fugacibus cõmendauit æternæ legis sanctio, ut qui hunc mundũ oblíti sunt, eos recipiant qui peccata sua cõdemnantes atq; opera, obliuionem uitæ superioris exoptent, & secularia quæ gesserint, abolere desiderẽt. Fugitãs igit est furorum, sacri altaris eius minister. Vnde dominus quasi princeps sacerdotũ, formam

Num. 35
Iosue 20
Genes. 12
Heb. 7
Luc. 9
1. Pet. 2

Leuitis

Matth. 12 Leuitis in Euangelio dans suo, dixit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc est, non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ij sunt, qui audiunt uerbum dei, & faciunt. Solum ergo uerbum dei nouit minister, cum eos nouit in quib. operatur dei uerbũ. Et ideo exul est mundi, fugitans corporis, fugitãs passionũ, qui abdicat se omnibus, ut solus remaneat, sicut Helias dixit: Et ego
3. Reg. 19 relictus sum solus, sed nõ erat solus, cum quo erat Christus. Et ipse dñs relictus est solus.
Ioan. 16 Sed nõ sum, inquit, solus, qm̃ pater mecũ est. Est etiã illa causa, quia Leuitæ ministri sunt dei. Et ideo ipsorũ ciuitates fugientibus homicidis per legem deputantur: quia ipsius est diuina mandata exequi circa eos qui crimen mortale admiserint. Nescit Ecclesia publicas leges, suas nouit. Vt dominico sacerdos obediat imperio, audi Leuitam dicentẽ:
1. Cor. 5 Tradidi huiusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Percussus igitur Leuitico gladio, moriatur sensus carnis in nobis, ut uiuat anima nostra. Nisi enim sensus carnis occiderit, nullus potest esse fructus uitę ęternę. Sex aũt ciuitatũ refugia sunt, ita ut prima ciuitas sit cognitio uerbi, & ad imaginem eius forma uiuendi. Quicũq; eam cognitionẽ fuerit ingressus, tutus à pœna est: secundũ quod et
Ioan. 15 dominus ait: Iam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Et alibi:
Ibid. 17 Hæc est aũt uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerũ, & quem misisti Iesum Christum. Hæc est igit̃ ciuitas uelut Metropolis, cui adiacent aliæ quinq; ciuitates Leuitarũ. Secunda est ciuitas, consideratio diuinæ operationis, qua creatus est mũdus. Tertia ciuitas, contemplatio potestatis regiæ, & maiestatis æternæ. Quarta ciuitas, propitiationis diuinæ contuitus. Quinta ciuitas, legis diuinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit. Sexta quoq; ciuitas, portio legis, quæ præscribit quid non faciendum sit. Quanta abundantia diuinæ misericordiæ, quantæ diuitiæ pietatis eius, ut singulorum studia fragilitatesq; humanæ conditionis considerans, quibus & inuiti ac reluctantes ad culpam ducimur, & non uoluntaria delicta uicti illecebris frequenter cõmittimus, diuersa nobis refugia proponat, sex uidelicet urbium: ut quo numero mundus formatus est, eodem numero aduersus mundana uitia, & seculi huius naufragia remedium prouideret. Primũ igitur remedium, ut si cui boni propositi uiro culpa irrepserit, is sine ulla compe-
rendinatione, si perfectam uelit habere securitatem, ad ipsam rerũ omnium arcem properet, ubi uerbum est dei, in illo sinu patrio, id est arcano ac recessu dei, ubi est fons sapientiæ, unde pro morte, uitæ æternæ hauriat potum immortalem. Secundũ est remediũ, ut qui non potest cognitionem boni illius prælibare, & tardior uel ingenio est, uel fidei comprehensione, quoniam ueloci mentis uigore atq; ingenij acumine ad cognitionis summam contenditur, saltem opera domini consideret, atq; ex his quæ facta sunt, tanti contempletur operis authorem, quoniam ex his bonis quæ sunt in constitutione istius creaturæ (bona enim ualde sunt, sicut dominus dixit) bonum illud summũ atq; ęternum comprehendit̃. Qui ordo rerum? quæ disciplina, quæ gratia? Nonne his quamuis tardũ ingenium diligere authorem suum prouocatur? Etenim si parentes quia nos genuerunt, amamus: quanto magis diligere debemus creatorem parentum, autorem' que nostrum? Ergo operatoria uirtus dei etsi non uidetur, tamen ex suis operibus æstimatur: operatorem' que opera sua produnt, ut intelligatur qui non comprehenditur. Vnde &
Ibid. 10 dominus ait: Si mihi non creditis, uel operibus credite. Bona igitur etiam hæc ciuitas ad refugium, quæ ædificatoris sui testificatur gratiam, & affectum nostrum excitat, ut eius simus cupidiores, qui tantam nobis fabricæ huius uideatur contulisse pulchritudinem. Tertius ordo est, regalis potestatis contemplatio, ut subijciamur regi, si non deferimus tanquam parenti. Metu enim præsidentis plerunq; fit obediens potestati, qui est saluti ingratus: ut necessitatem sobrietatis agnoscat, qui noluit ac nequiuit gratiam pietatis agnoscere. Corrigit ergo necessitas, quem pietas prouocare debuerat. Hæ sunt tres ciuitates trans Iordanem, perfectiori prudentię ad refugium datę: ut primò culpam fugiamus inductione animi conformis ad imaginem dei. Ita enim creati sumus, dicente
Genes. 1 deo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hæc ergo primæ illius ciuitatis lex est, Deinde si per fragilitatẽ carnis, & mundi illecebras, ita mentem nostram formare non possumus, reuerentia paternæ generationis, & sedulitate prolis peccatum leuemus. Charitas enim multitudinẽ peccatorũ operit. Qui ergo ad imaginẽ dei
1. Pet. 4 esse

esse non potuerit, sit ad plenitudinẽ charitatis. Illa ciuitas culpam excludit, hęc soluit. Hæc deniq; lex secundæ ciuitatis: Diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo, & ex to ta anima tua, & ex tota uirtute tua. Sed si rursus angusti animi & imminuti sunt qui abũdantiam charitatis & gratiã recipere non possunt, habes tertiam ciuitatẽ, ut diuinę potestatis formido te sobriũ faciat, & inflectat metus. Et hæc lex tertia: Dominũ deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Hæ igit̃ præcipuè uirtutes, & ideo paucorũ, non plurium, supra Iordanem positæ: ut exprimas quasi imago archetypũ, diligas quasi filius patrẽ, ados res quasi subditus regem. Qui enim Iordanem transierint (Iordanis aũt descẽsio eorum dicitur) qui descenderint ergo ex illis superioribus uirtutibus ad hæc inferiora, id est, in quibus integritas, charitas, humilitas uacillauerit, habẽt propria homini refugia quæ pe tant: ut qui obnoxij delictis, & inflexi uitijs sunt non uolũtarijs, sperent dominũ sibi reconciliari posse si uenią petant, sperent posse se corrigi, si præcepta sequant̃ cœlestium mandatorũ: quibus aut informamur ad innocentiã, aut reuocamur à culpa. Hæ igit̃ intra Iordanem ciuitates sequendæ sunt, ut propitiemus nobis deũ, sequamur quæ iubet, uitemus quæ prohibet. Sit ergo propitiandæ diuinitatis ambitio, sequendæ præceptionis obeditio, interdictæ pręuaricationis cautio, quibus propitiatoriam dei misericordiã & nomotheticẽ eius prouidentiã uel institutorũ obsequio, uel interdictorũ declinatione ueneremur. Quartũ supereſt, quod ait: Quia usq; ad illud tẽpus erit in ciuitate refugij homicida ille, donec moriat̃ sacerdos magnus. In quo secundũ literam hæret interpretatio. Primũ ipsa fuga sorte magis q̃ æquitate alicuius examinis definita, deinde in causis paribus impar euentus. Poterat enim fieri ut post homicidæ illius refugium sequẽti die obiret magnus sacerdos. Quæ aũt sub incerto sententia? Ergo quia hæret litera, quæramus spiritalia. Quis est iste magnus sacerdos, nisi dei filius uerbũ dei, cuius aduocationẽ p̃ nobis habemus apud patrẽ, qui exors est omniũ uolũtariorũ & accidentiũ delictorũ, in quo consistunt omnia quæ in terris sunt, & quæ in cœlo. Vinculo enim uerbi constricta sunt omnia, & eius continentur potentia, & in ipso constant, quoniam in ipso creata sunt omnia, & in ipso habitat omnis plenitudo. Et ideo omnia manent, quia dissolui illa non sinit, quę ipse constringit, quoniã in eius uoluntate consistunt. Omnia enim quoad uult suo imperio coercet & regit, & naturali concordia ligat. Viuit igitur uerbum dei, & maximè in animis uiuit piorum, nec unquam moritur plenitudo diuinitatis. Nunquã enim moritur sempiterna diuinitas, & æterna dei uirtus. Sanè moritur nobis, si à nostra anima separatur: non quo morte corrũpatur, sed quo dissoluatur atq; exuatur mens nostra ab eius coniunctione. Mors enim uera est uerbi & animæ separatio. Deniq; statim incipit anima peccatis parere uoluntarijs.

Iosue 20

1. Ioan. 3

Quòd prę memorata uirtutum genera etiam in Apostolo non adumbrata, sed expresse habeant̃, ut ex dictis ipsius apertè demonstratur. Cap. III

H Abemus hæc genera, non adumbrata, sed expressã uirtutũ in Apostolo, dicente eo: Ita quod in me est, promptus sum & uobis qui Romæ estis euangelizare. Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti: Iudæo primũ, & Græco. Iustitia enim dei in eo reuelatur, id est, in eo qui credidit. Deniq; addidit: Ex fide in fidem, sicut scriptũ est: Iustus autem ex fide uiuit. In quo igitur iustitia dei reuelatur, nisi in eo qui conformis est imaginis dei? Habes primũ præceptum ad imaginem. Secundum, quia inuisibilia illius per ea quæ facta sunt intelliguntur, id est, sempiterna uirtus eius & diuinitas operibus eius cognoscitur. hęc est operatoria uirtus. Tertium de imperiali potestate, quia uerbum dei regale est, & iudiciale, & plenum iustitiæ sacerdotalis, remunerationem bonorum actuum, & retributionem malorum uenturis in iudicium suum seruans: de quibus ait Apostolus: Scimus autẽ quoniam iudicium dei est secundum ueritatem in eos qui talia agunt. Itaq; qui ueritatem & iustitiam dei cognouit, non debet ea agere quæ morte digna sint. Sequitur bonitas dei propitiatoria utique de qua dicit: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniã bonitas dei ad pœnitentiã te adducit? id est, debet te adducere, prouocare, ut quia bonus est deus, sperare possis tuorum peccatorũ indulgẽtiam. Non uult enim uindicare, qui est paratus ignoscere. Subtexuit etiam legislationẽ, id est nomotheticen: ut si quis contemplatione diuinæ bonitatis resoluitur, & magis ad negligentiam

Rom. 1

Ibid. 2

Rom. 2 gligentiam quàm ad pœnitentiam prouocatur, legem sequatur: Quoniam et quicunq; inquit, sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerũt, per legem iudicabunt. Lex aũt gemina est, naturalis, & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed nõ est omnium, ut unusquisq; sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt, & in corde suo scriptum opus legis ostendit. Habes quæ bona legis sunt, quæ tamen non solum scire uel audire perfuncto rie, sed etiam facere debemus. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Cognouisti etiam quæ mala sunt. Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, & seruum tuum si furtum tibi fecerit uerberas: & si quis ad uxorem tuam affectauerit, persequendum putas. Quod ergo in alijs reprehendis, ipse committis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non adulterandũ, adulteras? Secuta est etiam lex quæ data est per Moysen. Per legem autem agnitio peccati. Accepisti etiam quid declinares, & ea agis quæ prohibita cognoscis? Lex aũt quid operatur, nisi ut omnis mundus fieret subditus deo, quia non solum Hebræo lata est, uerumetiam aduenam uocauit, quæ non excluſit proselytum? Sed quia & lex os omnium potuit obstruere, non potuit mentem conuertere, ideo ultimum remedium postremæ illius ciuitatis debebatur, in quo esset refugium salutare, ut mors principis sacerdotũ ab omni nos mortis liberaret formidine, atq; exueret metu. Quis ille est, nisi de quo lectum

Ioan. 1 est: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatũ mundi? quem proposuit deus propitiationẽ

Rom. 3 per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ. Accipe autem quia ipse prin-

Psal. 109 ceps est sacerdotum magnus. Pater iurauit de eo, dicens: Tu es sacerdos in æternum. Recte in æternum, quia alij temporales omnes sub peccato: hic autem impræuaricabile habet sacerdotium. Omnes sub morte, hic autem semper uiuẽs: quoniam qui saluare alios

Heb. 7 potest, ipse perire quemadmodum posset? Talis enim, inquit, nobis decebat. Recta elocutio. Siquidem & apud eos qui uerborum & elocutionum delectum habuerunt, huiusmodi inuenitur, dicente alio loco editiore quàm uictoribus decebat. Quod ideo nõ præterij, ut sciamus quia Apostolus naturalibus magis quàm uulgatis aut secundum artem utitur uerbis. Talis ergo, inquit decebat, ut esset princeps sacerdos, iustus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Hoc est igitur uerbum, quod supra cœlos habitans illuminat omnia. unde & unctus naturaliter le-

Ioan. 1 gitur à deo patre: quia lumẽ est uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hoc est uerbum dei, in quo est magnum sacerdotium, cuius Moyses in illo uestimento principis sacerdotum indumenta describit intelligibilia, quod uirtute sua induit mundum, & tanq; eo amictus fulget in omnibus. Induit etiam cognationem generis humani per huius corporis susceptionem, & inenarrabilem charitatem, infun-

Ephes. 3 dens se omnibus spiritu & plenitudine diuinitatis suæ, de cuius plenitudine omnes accepimus: ut sciamus supereminentem scientiæ charitatem Christi, & impleamur in omnem plenitudinem dei. Caput est enim omnium Christus, ex quo totum corpus producitur, & mutua sibi connexione coniungitur, incrementum sui in ædificationem chari-

Exod. 25 tatis accipiens. Hoc est igitur uerbum, quod supereminet, quod Moysi in illius arcæ testimonij ædificatione dicit: Immittes in arcam testimonia quæcunq; dabo tibi, & facies impositionem propitiatorij. Et infrà: Impones propitiatorium super arcam desuper, & immittes testimonia quæ dabo, & innotescam tibi inde, & loquar tibi desuper. hoc est, inde ubi super cœlos est, ubi apud patrem est, inde tibi loquar.

Quid sit fugere seculũ, cum exhortatione ut fidei suffragio subnixi accedamus ad sedem gratiæ, hoc seculum & eius contagionem fugientes, neq; fugere erubescentes, cum gloriosum sit ita fugere, quemadmodum ex fuga Iacob & aliorum sanctorum patrum demonstratur. Et quàm beata etiam sit fuga quam Iacob suscepit. Cap. IIII

Accedamus itaq; fidei suffragio subnixi, & eius remigijs subleuati, ad illam se

A dem gratiæ, fugientes hoc seculum, & eius contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem dei formam uirtutum assumere, extendere uires nostras ad imitationem dei secundum mensuram nostræ possibilitatis. Vir enim perfectus, imago & gloria est dei. Vnde et dominus ait: Perfecti estote,

estote,sicut & pater uester qui in cœlis est, perfectus est. Hoc est igitur similem esse dei, habere iustitiam,habere sapientiam,& in uirtute esse perfectum.Deus enim est sine peccato.Et ideo qui peccatum fugit,ad imaginẽ est dei. Non est igitur dubium quòd is qui à peccato abstinet,fugit. Vnde & Apostolus clamat: Fugite fornicationẽ. Persequuntur enim nos peccatorum illecebræ,persequitur libido. Sed tu fuge tanquã furiosam dominam.Quæ si comprehenderit,nec die nec nocte requiescere sinit:exagitat,urit,incendit. Fuge auaritiam, ne te interius comprehendat. Fuge inuidiam, quæ non solum alienos, uerùm multo magis eum quem possederit,lacerare consueuit. Fuge perfidiam, ne te suis inuoluat retibus. Vnde & dominus ait: Cùm autem persequentur uos in ciuitate ista,fugite in aliam.Quod si in alia persequentur uos, in aliam fugite.Amen dico uobis, non consummabitis ciuitates Israel,donec ueniat filius hominis. Etenim quamuis propter infirmitatem carnis fugam nobis suadere uideatur, tamen melius fugit, qui fugit illecebram secularem,ut non teneatur diuitiarum suarum solicitudine, non thesauri contemplatione,non uitæ istius cupiditate,sed directa animi intentione festinet ad gloriam regni cœlestis,properet ad coronam,nec terrenorũ contuitu à sui corporis passione reuocetur.Fuga ergo mors est uel celebrata,uel adumbrata. Et fortè illas exprimit refugij legitimi ciuitates,ut confugiamus ad uirtutum culmina, quas pro præmijs bono fœneratori alibi dispensat,dicens: Quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens super decem ciuitates.Lex quinq; nouit ciuitates : sed quia legem impleuit,qui potuit dicere: Non ueni soluere legem,sed implere, perfectiorem numerũ remunerationis indulget. Non ergo erubescamus fugere.Glorioſa enim hæc fuga est,fugere à facie peccati.Sic fugit lacob matre suadente. Dixit enim Rebecca : Exurgens,fuge in Mesopotamiam.Sic fugit Moyses à facie regis Pharaonis,ne eum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia.Deniq; pretiosius Aegypti diuitijs æstimauit opprobriũ Christi. Sic fugit etiam Dauid à facie regis Saul,à facie Abessalon.Deniq; fugiens augebat incremẽta pietatis, qui & insidiatori pepercit,& parricidę salutem rogauit.Sic fugit & populus Hebręorum,ut fides eius & uita inter fluctus sibi aperiret uiam.Fuga illa erat trames innocentiæ,uirtutis uia,pietatis assumptio.Audeo dicere: Sic fugit Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui usq; ad Christi ascendit similitudinem, ut fieret typus Christi. Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus,& tribus noctibus.Nam si sic non fugisset,nunquam de uentre ceti esset auditus. Sed si dubitas, doceat te Rebecca, quàm beata sit fuga quã suscepit Iacob.Suasit Rebecca : Fuge,inquit,in Mesopotamiam. & Isaac dicit: Surgens uade in Mesopotamiam in domum Bathuel. In hymnis uel oraculis à pleriſq; (ut ante nos scriptum est) Bathuel sapientia dicitur:interpretatione autem Latina, filia dei significatur.In domum ergo sapientiæ mittitur Iacob,& accipere admonetur uxorem à filiabus Laban, qui habitabat in Charris,quod significat cauernas, in quibus species est sensuum,qui sunt tanquam in cauernis corporis,ut uisus in oculis,auditus in auribus, odoratus in naribus,in ore sapor.Qui enim delectatur hoc mundo , & tripudiat in uoluptatibus corporis,obnoxius est sensuum passionibus, atq; in his habitat & diuersatur. Vnde ei dicit Rebecca habitandum paucos dies cum illo,nõ multo tempore,ne corporeis coloretur uoluptatibus,& seculi capiatur illecebris.Persuadet autem habitare, ut discat studiosius disciplinæ & uirtutis sensum, & uelut situs quosdam carnis atq; regiones, ut se cognoscat,& nouerit uehementiam carnis, quid & qua causa creatum sit, & quemadmodum unusquisq; sensus operetur.Qui uiderit,inquit, mulierem ad concupiscendum eam.Malè sic uidet oculus. Videat ergo oculus, & fungatur suo munere: non lubricæ mentis imperio dirigatur ad lapsum, ut uitium referat pro officio. Breue ergo tempus ad cognoscendos sensus,uel potius experiendos datur, & fortasse tenerioris adolescentiæ prima exordia: statim q; reuocatur, ne diutius titubet in lubrico, & diuidua quadam inundatione corporis huius seculi mergantur animi interiora uestigia. Cùm autem uel expertus fuerit,uel steterit in instabili & incerto,atq; humido solo,reuocatur à matre patientia uel perseuerantia quæ dicit: Mittam ad te,& accersam te inde,ut & illic in lubrico tutum portum inuenias sapientiæ,quæ te non sinat tanquam in naufragio fluctuare, & reuersus perseuerare circa dei noueris cultum, & sis in conuentu gentium, significãs

Matth. 5

1. Cor. 6

Matth. 10

Lucæ 19

Matth. 5

Gen. 27

Ionæ 2

Matth. 5

eius fide ecclesiam gentium congregandam. His igitur patientiæ & perseuerantiæ instructus disciplinis, profectus Iacob copulam sibi acquisiuit de sapientiæ domo, consortem propositi, opimã dote prudentiæ, cum qua uitæ tempora sine ulla offensione transcurreret. Addito igitur thesauro sapientiæ, uariarum sibi ouium instituit gregem: seducem, rationabilem, uirtutũ plurimarum diuersitate fulgentem. Vnde & iactantiam carnis eius recidit, quod significat femoris stupor, salua sacra interpretatione mysterij. His ergo uirtutibus uelut gradibus quibusdam mens eius ascendit in cœlum, & dei secreta
Gen. 31 cognouit, & confirmatus est & repletus, ut Laban scrutans domum eius, nihil apud eum inane, nihil uacuum reperiret, nulla simulachra, nullam effigiem uanitatis. Non enim apud eum erat imago, sed ueritas: non effigies ignauiæ, sed solida forma iustitiæ, & ueræ uirtutis expressio intelligibilis. Itaque Laban perscrutatus est domum eius spiritalem, & non inuenit effigies. Plena enim erat non figurarum, sed negociorum. potuisset autem inuenire fundamenta uirtutũ & culmina, nisi cæcitatem cordis, & perfidæ men-
Ibidem 19 tis caliginem detulisset. Denique ea improbitatis cæcitate suffusi mentem Sodomitæ ostium nequaquam sancti Loth inuenire potuerunt. Vnde enim mens impia uidere po-
Ioan. 14 tuit uiri sancti uel exitum uel ingressum? Ipse quoque dominus in Euangelio ait: Venit enim princeps mundi huius, & in me inuenit nihil. Quomodo nihil inuenit in
Colos. 3 eo, in quo plenitudo diuinitatis habitabat, & habitabat corporaliter, de quo uirtus exi-
Lucæ 6 bat, & sanabat omnes? Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate uirtutis, ubertate
Ioan. 20 sapientiæ, integritate iustitiæ? Ipse dixisti domine: Plenus sum. ipse dixisti: Mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Misit manum qui non credebat, & dominum te & deum reperit. Non ergo tu uacuus, sed ille cæcus & inanis princeps istius mundi, qui nescit nisi sua cernere, nescit nisi sua inuenire: ea quæ Christi sunt, nescit agnoscere. Aut si sic, quemadmodum plerique habent: Non inueniet in me nihil, hoc est, non inueniet in me malitiam, quia malitia nihil est. non inueniet mortuum,
1. Cor. 1 quia mortuus non est. Sed quomodo eum mortuum inueniret, qui uiuificat mortuos,
Ioan. 1 & uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Non inueniet, inquit, peccatum in me, qui mundi peccatum abstuli. Quomodo enim nihil habet, qui omnia habet? Et quod
Ibid. 16 plus est, omnia habet quæ pater habet, sicut ipse ait: Omnia quæ pater habet, mea sunt.

Cur hinc fugere debeamus, & quomodo transire cum Moyse ut uideamus deum, calceamẽta pedum soluendo. Quomodo etiam relinquere umbram huius uitæ, & cum sancto Dauid euolare, etsi non ut aquila, saltem ut passer: etiam si non ad cœlum, saltem ad montes. Caput V

Vgiamus ergo hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne quod magnificũ pu-
Gal. 7 F tatur esse: ubi & qui se putat aliquid esse, nihil est, & omnino non est. Vidi,
Psal. 36 inquit, impium superexaltatum & eleuatum ultra cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Et tu transi sicut Dauid: transi sicut bonus seruus, ut dicatur tibi:
Exod. 3 Transi, recumbe. Transi sicut Moyses, ut uideas deum Abraham, Isaac, & Iacob, & uideas uisum magnum. Sed si uidere uis, solue calceamentum pedum tuorum, solue omne uinculum iniquitatis, solue uincula seculi, relinque calceamentum quod terrenum est. Ideo Iesus sine calceamento, auro, & argento Apostolos destinauit, ne secum terre-
Matth. 10 na portarent. Qui enim bonum quærit, nõ in calceamento, sed pedum uelocitate & de-
Esa. 52 core laudatur dicente scriptura: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Solue ergo calceamentum pedum tuorum, ut speciosi sint ad euangelizandum. Solue dixit, nõ liga. Solue ut transeas, & illum quem mirabaris in terra impium, nihil illic esse, nihil posse reperias. Transi igitur, hoc est, fuge de terris, ubi malitia
Psal. 33 est, ubi auaritia. Ideo dicit tibi Dauid: Declina a malo & fac bonum. Declinare, fugere est utique. Malum autem in terris, bonum in cœlo est. Vnde & addidit: Inquire pacem, &
Ioan. 14 sequere eam. Pax in cœlo est. Denique de cœlo ueniens dicit: Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis. Ergo quia fugienda & declinanda sunt mala, mala autem in terris, in terris iniquitates: fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates, quæ etiam
Psal. 39 sanctum comprehenderunt Dauid, sicut ipse testatur, dicens: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut uiderem: eo quòd fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur, ne uideat quæ sunt lucida. Sic ergo & Laban bona Iacob uidere non potuit, & prin-

princeps huius mundi gloriam Christi. Sed fortè dicas: Cur igitur Iacob ad Laban mis- Gen. 31
sus est, si Laban reprehensibilis? Si nomen consideremus, candidus dicitur Latinè. ergo ad splendidiora iubetur egredi Iacob. Sed quia carnalis erat, melius intelligimus splendidiora uitæ huius. Quasi nondum perfectus, primo ad eum uadit, apud quem ad Ioan. 5
horam exultaret in luce eius. Filios autem deteriores habebat, id est, tolerabilius nomē quàm opera. Et ideo & matris consilio, & diuino oraculo, & ipsius Iacob amatoris disci
plinæ uoluntate cito deseritur ac relinquitur. Abscondit autem simulachra sancta Ra-
chel, id est, Ecclesia, uel prudentia: quia Ecclesia inanes ideas & uanas nescit simulacro
rum figuras, sed ueram nouit trinitatis substantiam. Denique umbram aboleuit, splendo-
rem gloriæ manifestauit. Relinquamus ergo umbram, qui solem quærimus: deseramus
fumum, qui lumen sequimur. Fumus, iniquitas est: quia sicut fumus oculis, sic iniquitas
utentibus ea. Vmbra est uita. Vmbra enim est nostra hæc uita in terra, sicut Iob dixit: Iob 8
Quid autem hic nisi tentationes? Omne tempus in solicitudine, omnis uita in mole- Eccli 9.
stijs. In medio, inquit, laqueorū ambulabis. Et alius in uia qua ambulabat extentos sibi, Psal. 141
sed absconditos laqueos querebatur, ne deprehensus caderet. Volebat fugere sicut pas- Ibidem
ser, sed adhuc laqueus contritus nō erat. Perijt, inquit, fuga à me. Grauatas habebat pen
nas, per illam tenebrosam aquam in nubibus aeris, & fortasse euolare non poterat. De-
nique illas pœnas quærebat accipere ut euolaret, & requiesceret, sicut scriptum est: Quis Ibid. 54
dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo & requiescam? Vbi enim uolatus, ibi re- Ibid. 67
quies. Denique alibi dicit: Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargenta
tæ. Sed fortasse dicas: Quomodo ergo hic dicit fugam à se perisse, qui suprà dixerat: Si Ibidem 138
sumpsero pennas meas ante lucem? Nunquid contrarium est? Absit. Multa enim iusto
rum certamina. Nunquid semel Athleta luctatur? Quotiens post coronas multas uin-
citur in alio certamine? Quotiens qui sæpe uicerat, interdum fluctuat, & in incerto hæ-
ret? & sæpe fit ut fortibus fortis congrediatur, maioraq; oriantur certamina, ubi maiora
uirium documenta. Ergo Dauid ubi fugam quærebat, ut euaderet aduersarium, & non
inueniebat pennas suas, ancipiti fluctuabat certamine. Siquidem ubi in potestate habet
pennas suas, titulus Psalmi in finem est: id est, perfectionem & consummationem uicto
riæ. Denique quasi uictor dicit: Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti ses- Ibidem
sionem meam, & resurrectionem meam. Merito habebat facultatem uolandi, qui pen-
nas resurrectionis acceperat. Hic autem adhuc in spelunca est: id est, in carne, in antro
quodam istius corporis, cum rege Saul filio duritiæ, & intelligibilis illius principis pote
state decertans, qui non uidetur, sed intelligitur. Vnde & psalmi titulus, intellectus est,
quem tamen Dauid positus in carne concluſit, sed ut cōcluderet rogando meruit. De-
nique à uoce precationis cœpit. Adde illud, quod ille ex persona Saluatoris Psalmus dici
tur, iste ex persona Dauid, qui in potestate non habebat uictoriam, sed sperabat à Chri-
sto: & ipse tamen posteaquam expandit ad deum manus suas, tanquam pennas animæ Rom. 10
suæ, & confugit ad dominum, & spiritus sancti deductionem popoſcit, quo cognosce-
ret uiam per quam posset ascendere, inclinari uidit cœlos ut Christus descenderet, & ro
gauit ut eum leuaret manu sua. Aut fortè ideo pennas suas iam non quærebat, quia per-
fectior factus manum Christi desiderabat. Qui uult igitur manu Christi leuari, ante ipse
euolet, habeat pennas suas. Qui fugit seculum, pennas habeat, etsi suas nō habet: ne for
tè ille solus non habeat suas, qui potestatem habet uolandi: si suas, inquam, non habet,
ab eo qui habet accipiat. Qui fugit ergo seculum, uolat. Ecce, inquit, elongaui fugiens, Psal. 54
& mansi in solitudine. Euolauit ergo Dauid, sicut nycticorax in domicilio. Si autem ad Ibid. 101
Christum referas, euolauit in corporis passione, ut sub umbra alarum suarum protege-
ret populos nationum. Euolauit diuinitate, mansit corpore, atq; habitauit in deserto, ut
plures fierent desertæ filij, quàm eius quæ habebat uirum. Illud ergo corpus sequamur, Esa. 54
ut & nos resurgamus. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Qui non potest ut aquila uolare, Matth. 24
uolitet ut passer. Qui non potest ad cœlum, uolet ad montes, fugiat ante uallestria, quæ
cito corrumpuntur humore, & ad montes transeat. Transiuit ad montem Segor nepos Gen. 19
Abrahæ, & saluus factus est. quæ autem non potuit ascendere affectu fœmineo reclina
ta, salutem amisit. Appropinquantibus montibus æternis, dominus dicit per Micheam Micheæ 2
prophetā: Surgite hinc, quia nō est uobis hic refrigeratio. Propter spurcitiam corrupti

Lucæ 21 estis corruptione,persecutionē passi estis.Et dominus dicit: Tunc qui in Iudæa sunt,fu
giant ad montes.ubi mons Sion,& ciuitas pacis Hierusalem,non terrenis,sed uiuis con
structa lapidibus, & decem milia angelorū, primitiuorū ecclesia, perfectorum spiritus,
Hier.12 iustorum deus,qui in sanguine suo melius locutus est quàm Abel.Ille enim uindictā cla
mauit,hic indulgentiam.ille peccatū fratris accusat,hic peccatū mundi remisit. ille pro-
Psal.31 didit crimen,hic texit,secundum quod scriptum est:Beati quorum tecta sunt peccata.

Qua ratione uolens fugere,uelociter & diligenter fugere debeat:quo etiam fu
giendum sit,& ad quod bonum animas nostras erigere debeamus. Caput VI.

Ed qui fugit,uelociter fugiat,ne cōprehendatur. Velociter deprædetur hūc
s mundum,ut Hebræus Aegyptū. Qui parturit,pariat: ne onusto & degrava
to iniquitatibus mentis utero fugere non possit: & fugiat non quasi lacten-
tem ferens,sed quasi expeditū:non paruulum gestans,sed perfectū in Christo exhibens:
fugiat non quasi feriatus in sabbato, sed tanq̄ operarius in negocio: nec tanq̄ sterilis in
Matth.24 frigore,sed tanquam opimus in messe. Ideo enim dictum est: Orate ne fiat fuga uestra
hyeme uel sabbato.Fuga ergo hæc fœcunda uirtutum est,non effœta meritorum.Fuga
hæc nescit frigus timoris, tremorē mortis, contractionem solicitudinis, dissolutionis o-
cium,lasciuiæ ferias,torporem lentitudinis, sed uitæ cœlestis requirit impigrum uiato-
rem,regni superioris competitorem strenuum, diuitem agricolam, qui fructus suos co-
Deut.10 gat,& cogendo diripiat.Quid enim aliud à te ô homo quæritur, nisi ut timeas dominū,
requiras eum,post ipsum ambules,comprehendas uias eius? In quo,inquit, cōprehen-
dam dominum? Si comprehendam in holocaustis? Non in decem milibus hœdorum,
non in milibus arietum: non in fructibus impietatis reconciliatur dominus, & peccata
redimuntur,sed in bona uita domini gratia comprehenditur. Renunciatum est,inquit,
tibi homo quid sit bonum, aut quid dominus requirat à te. Quid aliud, nisi ut facias iu-
stitiam,& diligas misericordiam,& paratus sis ire cum domino deo tuo? Dicit ergo Eu-
Ioan.14 angelium: Surgite, eamus hinc. Dicit tibi lex: Post dominum deum tuum ambulabis.
Deut.23 Didicisti quomodo hinc fugias: quid moraris? Dicit tibi Euangelium iterum: Proge-
Matth.3 nies uiperarum,quis uobis demonstrauit fugere ab ira uentura? Et dicit hoc illis qui ue
niebant ad baptismum pœnitentiæ.Ergo pœnitentia,fuga est bona. Gratia dei,fuga est
3.Reg.19 bona,in qua est assumptio fugientis.Desertum,fuga est bona,ad quod fugit Helias,He-
liæus,Ioannes baptista. Fugit Helias mulierem Iezabel, id est, effusionem uanitatis, &
fugit ad montem Oreb,quod significat exsiccationem: ut siccaretur in eo carnalis pro-
fluuium uanitatis,& cognosceret plenius deum.Erat enim ad torrētem Chorrad, quod
est cognitio,ubi abundantiam profluentem diuinę cognitionis hauriret: ita fugiens se-
culum,ut nec cibū corporis huius exquireret,nisi quem aues detulissent ministrę,quan-
quam esca eius plerunq̄ terrena non fuerit. Deniq̄ quadraginta diebus in uirtute escæ
quam acceperat,ambulabat. Vtiq̄ non mulierem fugiebat propheta tantus,sed seculū:
nec mortem timebat,qui se obtulerat requirenti,& qui dicebat ad dominū: Recipe ani
mam meam,tædium uitæ istius sustinens, non cupiditatē: sed fugiebat secularem illece
bram,& conuersationis maculosæ contagionē,& impiæ ac præuaricatricis nationis sa-
crilegia.Salomon quoq̄ mulieris illius specie corruptelam seculi huius exponit, & me-
retricias artes declinandas edocet.Hæc est mulier aliena & fornicaria,à qua te ut custo-
Prouerb. 21 dias adhortatur.Ne declines in uias seculi cor tuum,sed colloces illud in manu domini,
in qua est cor regis.Qui enim seipsum regit,quod pluris est q̄ alijs imperare, cor eius in
manu dei est,& quo deus uult conuertit illud.Non mirum si conuertit in bonū,qui per-
fectæ bonitatis est. In manu ergo dei sumus,ut bonum quæramus:illud bonum incorru
Amos 5 ptibile atq̄ incōmutabile,de quo dicit Amos propheta: Exquirite bonum & non ma-
lignum,ut uiuatis,& sic erit uobiscum dominus deus omnipotens. Quomodo dixistis:
Odio habuimus mala,& dileximus bona? Vbi ergo bonus deus,ibi bona sunt quæ de-
Psal.26 siderauit uidere Dauid,& uisurum se credidit, sicut ipse ait: Credo uidere bona domini
in terra uiuentium. Illa enim bona sunt quæ manent semper, quæ non queunt temporis
uel ætatis mutatione corrumpi. In illis bonis est qui deum quæsierit & inuenerit. Vbi
Matth.6 enim cor hominis,ibi & thesaurus eius est.Non enim solet bonum datum deprecanti-
bus dominus denegare.Ergo quia bonus dominus est, & maximè sustinentibus se bo-
nus

nus est, ipsi adhæreamus, cum ipso simus tota anima nostra, toto corde, tota uirtute, ut simus in lumine eius, & uideamus eius gloriam, & delectationis supernæ fruamur gratia. Ad illud igitur bonum erigamus animas nostras, ut in illo simus, atq; in ipso uiuamus: Ipsi adhæreamus, quod est supra omnem mentem, & omnem considerationem, & pace utitur perpetua ac tranquillitate. Pax autem supra omnem mentem est, & supra omnem sensum. Hoc est bonum quod penetrat omnia, & omnes in ipso uiuimus, atq; ex ipso pendemus. Ipsum autem supra se nihil habet, sed est diuinum. Nemo enim bonus, nisi unus deus. Quod ergo bonum, diuinum: & quod diuinum, bonum. Et ideo dicitur: Aperiente te manum, implebuntur omnia bonitate. Per bonitatem enim dei, nobis uniuersa tribuuntur: merito bona, quibus nihil admixtum est mali. Hæc bona promittit scriptura fidelibus, dicens: Quæ bona sunt terræ, manducabitis. Boni ergo illius similes simus, ut quæ bona sunt adipiscamur. Bonum quod est, sine iniquitate est, sine dolo, sine asperitate, cum gratia, cum pietate, cum synceritate & beneuolentia, charitate, iustitia. Itaq; omnes uirtutes bonitas tanquam mater fœcunda amplectitur.

Marci 10

Psal. 103

Esa. 1

Quòd non mediocris sit causa cur hinc fugere debeamus. Quodq; non impigrè malitia huius seculi fugienda sit. Et quid sit hinc fugere. Cur etiam malitia interis uersetur & sæuiat. Qua præterea ratione dominus Iesus uindictam diaboli authoris malitiæ distulerit, neque eadem sententia in ipsum & in hominem dicta sit.

Caput VII

Si igitur non mediocris causa cur hinc fugere debeamus, ut perueniamus à malis ad bona, ab incertis ad fidelia & plena ueritatis, à morte ad uitam. Ipse quoq; dominus dicendo: Posui ante te bonum & malum, uitam & mortem: demonstrauit quia bonum uita est, sed æterna. Si enim hæc obnoxia seculo, atque eius malignitati: utique illa est bona, quæ non corrumpitur & mutatur, quæ nullo uitio degenerat, quæ uirtute acquiritur. Fugiamus ergo malitiam seculi huius, in quo ipsi dies, inquit, mali sunt, & fugiamus impigrè. Ideoq; Esaias clamat: Conualescite manus remissæ, & genua dissoluta, id est, non corporis sed animę genua conualescite, ut directum ad cœli altissima mentis uestigium possit attolli, ut sit doctrina solidior, uita maturior, gratia plenior, prudentia circumspectior. Hoc est enim fugere, scire quò tendas, ableuare se à seculo, ableuare se à corpore, ne iterũ frustra se aliquis extollat, & inflata mente carnis suæ non teneat caput, & dicatur de his: Fugerunt, & non uiderunt. Sed hoc est fugere hinc, mori elementis istius mundi, abscondere uitam in deo, declinare corruptiones, non attaminare cupiditates, nescire quæ sunt mundi istius, qui nobis uarios gignit dolores, exinanit cùm repleuerit, cùm exinaniuerit, replet. Et hæc omnia inania & uana, in quibus nullus solidus est fructus. Mortuus est diues, & nihil habet, quia non est in deum diues: & ideo insipiens, quia sapientia cultura est dei: abstinere autem à malis, disciplina est. Quis ergo non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis quæ interire nesciat? Deniq; non ociose signum positum est supra Cain, ne quis eum occideret, ut significaretur quod non extinguatur & auferatur à terris malitia. Timebat Cain ne occideretur, quia fugere nesciebat. Augetur enim & cumulatur ipso usu malitia, & est sine moderatione, sine fine, dolo & fraude decernens, quæ factis suis proditur, & sanguine peremptorum, sicut & Cain proditus est. Versatur itaque in terris malitia, & ideo rogamus uoluntatem dei fieri in terris sicut & in cœlis, ut & hic sit innocentia. Itaque malitia quoniam illic iam locum non habet, hic circuit, hic sæuit, sesecq; infundit, non mundano illo mersa diluuio, non Sodomitano exusta incendio. Deniq; grauius postea in seminarijs pullulauit, usque in ipsum parricidales ac sacrilegas inijciens manus uniuersorum authorem salutis. Lex factum damnat, non aufert malitiam. Ipse dominus Iesus peccatum damnauit, authorem eius distulit, ut esset per quem iusti probarentur. Etenim quia malum deus non fecit, sed nequitia diaboli inseruit: uindictam deus distulit, ut ab ipsis quos deceperat, diabolus uinceretur. Exercẽtur ergo decepti, ut & precium luant facilitatis, & sumant studia uirtutis, industriam cautionis. Vnde ait: Estote astuti sicut serpentes. Quare sicut serpentes? Vt & ille spolietur suo, & qui alios exuere uoluit, amittat quæ sunt ipsius, nõ uenena, sed merita naturæ. Deniq; deijcitur ille, cum tu ascendens. Scriptum est enim: Videbam sathanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Non ful-

Ecclī 15

Ephes. 5

Esa. 35

Iob 9

Gen. 4

Matth. 10

Lucæ 10

gur, inquit, sed sicut fulgur, quia suum lumen amisit, quod habebat antequam tibi tum
Lucæ 17 lumen uellet auferre. Verùm forte dicas quia & de Saluatore legimus, quia sicut fulgur
coruscãs de sub cœlo, ita erit & aduentus filij hominis. Bene & hic sicut fulgur, quia hic
supra fulgur. Denique fulgur de sub cœlo, lumen autem uerum supra cœlum. Ergo satha-
nas sicut fulgur, quia amisit quod habuit, tu autem recepisti quod amiseras. Non enim
ita circa illum sicut circa te soluta est sententia. Nam Christi gratia quæ te resoluit, illum
adstrinxit. Manet enim maledictio directa in serpentẽ propter tuam deceptionem. Sic
Gen. 3 enim dictum est ad eum: Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ. Omnium enim
communis inimicus est, qui fuit hostis bonorum, & pro ijs damnatur quos adhuc nõ læ
serat: quoniam qui hominẽ læsit, cui illa omnia subiecta sunt, læsit omnia. Communem
etenim legem soluit, qua & ipse homini cum cæteris subditus est: ideo cõmuni odio o-
mnium atque execratione maledictio eius oneratur. Genus autem damnationis, nõ mors
sed pœna diuturna est. Super pectus, inquit, tuum & uentrem ambulabis. Premenda e-
nim fuit noxia conscientia, & proterenda malitia, fraudulentumq; secretum tanquam à
dei facie relegandum: simul ostenditur quod terrena malitia sit, quæ in terram recuruc-
tur. Denique addidit: Et terram edes omnes dies uitæ tuæ. Describi quidem his natura
serpentis uidetur, sed magis omne uas malitiæ describitur, omnis serpens improbitatis,
qui in uentrem se deijcit, atq; intra se uenenum suum claudit, & intus in pectore suo uol
uit, cogitationibus suis lubricus, & super fraudes suas ambulans, suis dolis se ipse impli-
cans, mouens semper atque exagitans sua uenena cum cogitat, uentrem quoq;, hoc est,
Psal. 57 seminarium cordis sui proterens. Vnde pulchre Dauid ait: Alienati sunt peccatores ab
utero, errauerunt à uentre, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpen-
tis, sicut aspidis surdæ & obstruentis aures suas, quæ non exaudiet uocem incantantiũ,
& uenefici, cum incantatur à sapiente. Propter hoc etiam illud pulchre dictum uidetur
Hier. 4 quod in libro prophetico legimus: Ventrem meum doleo, uentrẽ meum doleo: quia
ibi est malitia, ubi debet esse innocentia: & illud plus laborat, quod in nobis debet esse
tranquillius: atq; id nequitiæ uestigijs proculcatur, stimulatur unguibus, processu quo-
dam improbitatis incrementoq; concutitur, ubi est genitale seminarium posteritatis æ-
ternę. Videtur quidem hoc ad id esse referendum quod dolebat perisse quos creauit fi-
lios & susceperat, sed multo magis quod in uentre suo uerbi seminarium nõ habebãt. Ideo
uentrem suum dicit, quasi pretiosissimum. Pretiosus enim mentis uterus est, in quo fœ-
cunda seges consiliorum uerbi semine pullulare consueuit, & uitæ totius solent atq; uir-
tutum ac disciplinarum quædam membra formari. Sed ut reuertamur ad propositum,
Gen. 3 quod malitiam deus reprimendam, interimq; abolendam putauerit, ait ad serpentẽ: Et
inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & semen tuum & semen mulieris. Ipsa tibi
seruabit caput, & tu illius calcaneum. Vbi inimicitię sunt, ibi discordia est, nocendiq; stu-
dium. ubi nocendi studium, ibi malitia ponitur. Ergo discordiæ inter serpentem & mu-
lierem, discordiæ malitia subest. Non est ergo sublata malitia. Denique seruatũ est serpen-
ti ut calcaneum mulieris & seminis eius obseruet, quo noceat, & uenenum suum infun-
Ephes. 6 dat. Non ergo ambulemus in terrenis, & serpẽs nobis nocere nõ potest. Sumamus Eũ-
angelicum calceamentum quo uenenũ serpentis excluditur, morsus eius hebetatur, ut
Exod. 3 simus calceati pedes in Euangeliũ. Et fortasse ideo Moyses iubetur soluere calciamen-
tum pedum suorum, ut sumeret calceamentum Euangelij, uel quia non Moysi, id est, nõ
prophetis, sed Apostolis prædicatio Euangelij debebatur. Ea est quam suprà dixímus,
dicta in serpentem sententia. in hominem quoq; cuiusmodi dicta sit, consideremus. Ma
ledictus ille, qui author est culpæ, sed non maledictus est iste qui aliena fraude deceptus
est: tamen quia non seruauit mandatum dei, operum suorum labore damnatur. Maledi-
citur sanè terra, sed in operibus peccatoris, & maledicitur donec resoluatur in terram.
Ideo ergo deus susceperit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret: & factus est
pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum,
indulgentia sententiam, uita mortem. Susceperit enim & mortẽ, ut impleretur sententia,
satisfieret iudicato per maledictum carnis peccatricis usq; ad mortẽ. Nihil ergo factum
est contra sententiam dei, cum sit diuinæ conditio impleta sententiæ. Maledictum enim
usq; ad mortẽ, post mortem autem gratia. Mortui ergo seculo sumus, quid adhuc seculo
deseruí-

deseruímus? Mortui sumus cũ Christo, quid adhuc uitæ huius actus requirimus? Mortem enim Christi in corpore nostro circunferimus, ut & uita Christi in nobis manifestetur. Non ergo iam nostram illam uitam, sed Christi uitam uiuimus, uitam innocentię, uitam castimoniæ, uitam simplicitatis, omniumq; uirtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso uiuamus, in ipso ascendamus, ut serpens calcaneum nostrum quod uulneret, in terrenis reperire non possit.

Quomodo hinc animo fugere possimus, etsi corpore retineamur. Quòd etiam hinc quia tempus breue est fugiamus, ne cum prætereunte figura mundi opera nostra, nosq; ipsi prætereamus: quod si cauere uelimus, mandata dei non prætereamus, neq; disciplinæ alicuius profectum, quemadmodum Ioseph fecit, & in Sara ostenditur, & sic Iacob executus est. Cap. VIII

F Vgiamus hinc. Potes animo fugere, etsi retineris corpore. Potes & hic esse, & adesse ad dominũ, si illi adhæreat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide nõ specie uias eius sequaris, si ad ipsum confugias. Est enim refugium & uirtus, cui dicit Dauid: Ad te confugi, & non sum deceptus. Ergo quia deus refugium, deus autem in cœlo, & supra cœlos: utiq; hinc illò confugiendum est, ubi pax, ubi requies ab operibus, ubi epulemur sabbatũ magnum, sicut dixit Moyses: Erunt sabbata terræ uobis escæ. Epulatorium enim & plenum iucunditatis & tranquilli tatis est, requiescere in deo, & eius delectationẽ uidere. Qui ergo cõfugimus ad deum, ad mundũ reuertemur? Qui peccato mortui sumus, peccata repetemus? Qui renuncíauimus seculo & usui eius, iterum in luto eius hærebimus? Fugiamus hinc, quia tempus breue est. Audi quomodo fugias. Et qui habent uxores, ita sint ac si nõ habeant: & qui flent, tanquam nõ flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanq; non possidentes: & qui hoc mundo utuntur, tanquam nõ utantur. Præterit enim figura huius mundi. Non ergo cum prætereunte figura mundi opera nostra prætereant, ne uos etiã ipsi prætereamus, sed maneamus in ueritate. Si maneamus in Christo, manemus in ueritate, & cum eo manebimus, & non præteribimus, sed dicemus: Benedictio domini super uos, benediximus uobis in nomine domini. Qui enim prætereunt, nõ possunt dicere, quia non dixerũt prętereuntes uiã, benedictio domini super uos, quemadmodũ dixit propheta. Itaq; si uolumus nõ præterire opera nostra, nõ prætereamus mandata dei, nõ prætereamus requirendi Iesu domini diligentiam, emerendi eius gratiam. Non pręteriuit eum illa mulier quæ usq; in pharisæi domũ ingressa, in qua Christus recumbebat, in pedes eius superfudit unguentũ. Non prætereamus disciplinæ alicuius profectũ, sicut etiam Ioseph adolescentulus non præteriuit, quia fratres suos requirebat, & ad eum festinabat locum in quo pascebãt oues, & cum cognouisset quia in Dothaim sunt, perrexit eò. Significatur autem illo uerbo Dothaim, defectus idoneus, id est, uanarum opinionum defectus non mediocris, sed perfectus & plenus, in quo profectus est animæ. Sapiens enim q̃ diu uiuit, tam diu addit. Deficiunt enim seculares opiniones, quæ mutantur. Vnde pulchrè quo ostenderetur Sara ad profectum ueris infirmis comparantur. Vnde pulchrè quo ostenderetur Sara ad profectum uenisse ut generaret risum & lætitiam: Defecerunt, inquit, Saræ fieri muliebria. Bona ergo defectio cupiditatũ, defectio uanitatis, quia ueritatis adiectio est. Vnde & sanctus Dauid ait: Defecit in salutare tuum anima mea. Parítura enim erat quẽ concesserat & promiserat deus, parítura lætitiam, & sobriam illam iucunditatis ebrietatem, paritura ante expectatum partum, ingenij celeritate fœta. Denicq; & de alijs Hebræis mulieribus habes, quia Hebrææ prius pariũt, quàm ueniant obstetrices, eò quòd animæ iustorum nõ expectent artes & disciplinas propter inuentionũ genera, nec requirant adiumenta generandi, sed sponte partus suos fundant, expectationemq; præueniant. Nec minus impiger ad inueniendum, quàm ad exequendum Iacob: cui cùm mater dixisset ut inferret patri escas, definitionum genera suppetisse cernimus. Nam & cito inuenit, & inuentorum suorum authorẽ testificatus est deum, in quo & diligentiæ palma, & ingenij significatur ubertas. Prima ergo definitio in inuentione. Quod inuenitur, quæritur: & quod quæritur, temporis est: quod temporis est, utiq; diligentiæ est. quod autẽ præuenit usum temporis, deus infundit, deus dat: quod deus dat, naturæ non diligentiæ est. Ingenium igiſ diuini est muneris. quod autẽ diuini muneris, hoc naturæ. Ingeniũ ergo naturæ est;

Pſal. 76

1. Cor. 7

Pſal. 128

Lucæ 7

Gen. 37

Ibid. 18

Pſal. 118

Exod. 1

Gen. 27

inuentio diligentiæ: illud sine tempore, hoc indiget tẽpore. Ideoq; illud in tempore prę-
stò est, hoc in spatio tẽporis inuestigatur. Illud supra nos, hoc uerò ad nos refertur. Quę
Matth. 4 renti igitur patri cibum uerbi obtulit. Non enim in solo pane uiuit homo, sed in omni
uerbo dei. Talem cibum quærebat Isaac, talem cibum esuriuit Petrus, quando uidit cre-
dituri gentilis populi mysteria. Esau pręsto non habuit cibum spiritalis & uelocioris in-
genij. Dum ille uenatur & querit, & prædurum atq; agrestem sermonẽ suggerere parat,
præuenit Iacob celeri inuentione, & miti, & propè domestica responsione suaue uerbũ
Gen. 27 ministrans, quo eũ mulceret ac delectaret. Vnde miratus pater ait: Quid est hoc, quod
tam cito inuenire potuisti fili mi? Respondit Iacob: Quod tradidit dominus deus tuus
in manus meas. Prima definitio in interrogatione est, secunda in responso. Plena igitur
omnia reperiens pater quæ erant uel ingenij, uel diligentiæ, definitionis consummatio-
nem concluſit, dicens: Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni, cui benedixit do-
minus. Ager enim & naturale habet fertilitatis ingenium, & culturæ diligentiam tem-
poralem: meritoq; in eo est plenitudo, cui utrumq; non deest. Simul cum addidit: Quẽ
benedixit dominus, uidetur naturæ gratiam prætulisse inuentionis labori. Et confirma-
uit Esau, dicens: Iustè uocatum est nomen illius Iacob. Supplantauit enim me iam bis, &
primogenita mea accepit. Sed fortè dicas: In quo moram fecit, qui ad uenationem à pa-
tre missus est? Sed considera quia & pater pronunciauit quia paratum habere non pos-
set quod spiritaliter petebatur, & ideo quia deficiebat ingenio, uel diligentiæ subsidium
Ibidem ut adiungeret exigebat. Celeritatis quoq; admonet, qui ait: Cape arcum & sagittam.
Accepit tamen & diligentiæ fructum, qui agnoscit superius. & sui ingenij munus. Nec
immerito domesticos cibos detulit, qui de domesticis seminis sui sapientiæ sibi acquisi-
uit copulam. Bona autem diligentia cum sapientia, & inuentio cum ingenio naturali.
Deniq; habens in promptu sapientiæ copulam sanctus Isaac, deambulabat in campo,
imò abalienabatur. Et nos primò sapientiæ copulemur, & sic exeamus in campũ quæ-
rere & inuenire cupientes. Multi enim sine sapientia male quærunt. Et ideo Cain quia
nõ acceperat à deo prudentiam, male quæsiuit, male exiuit in campum. Abel benè, qui
perfectum sacrificij munus impleuit. Bonum enim sapientię sacrificium, bona est hostia
fides, & omnis uirtus. Deniq; sapientia interfecit suas hostias, & miscuit in cratere uinũ
suum. Et ideo ut insipientibus gentilibus potũ fidei daret, ad craterem suum cõuocauit
Prouerb. 9 eos, dicens: Qui est insipiens, diuertat ad me. Et egentibus sensu dixit: Venite & edite
de meis panibus, & bibite uinũ quod miscui uobis. De hoc cratere Plato in suos libros
tranferendum putauit, ad cuius potum euocauit animas, sed eas explere nescisse, qui po
tum non fidei, sed perfidiæ ministrabat.

De exhortatione quod hinc fugiamus, sicut fugit de patria sanctus Iacob, & si-
cut cerui fugiunt ad fontes aquarum, quos & Dauid sitiebat. Quis quoq; sit
iste fons, & quid hunc fontẽ desiderans facere debeat, exemplo Susannæ. Quo
modo etiam sicut Paulus & Loth fugerũt, nos fugere debeamus. Quibus præ-
terea modis quis bene fugere possit. Cap. IX.

Vgiamus ergo hinc, sicut fugit de patria sanctus Iacob. Sciebat enim uerã pa
Psal. 35 F triam esse superiorẽ. Fugiamus sicut cerui ad fontes aquarũ, quos sitiebat Da
uid. Sitiat & anima nostra. Quis est ille fons? Audi dicẽtem: Quoniam apud
te est fons uitæ. Huic fonti dicat anima: Quando ueniam & parebo ante faciem tuam?
Fons enim deus est. Sed qui hunc fontẽ desiderat, effundat super se animã suam, ut nihil
possessioni carnis relinquat, sed ubiq; anima superfluat. Pulchrè eam effudit Susanna, ut
euaporare in eam possent incendia corporis, mortis formidines, uitæ cupiditates. Effusa
super ipsam anima, omne restinxit carnale desideriũ, seculare studium, Quæ etiam pro-
digiosorum senum & impudentium presbyterorum potuit flammas restinguere, nisi in
his libidinis profluuium redundasset. A quibus cùm intenderetur calumnia, si assensus
Daniel. 13 negaretur adulterio, ingemuit Susanna, & dixit: Angustiæ mihi assunt undiq;. Si enim
hoc fecero, morte æterna peribo: sin autem, non effugiam manus uestras. Melius tamẽ
iudicauit crimen fugere potius quàm periculum. Plorauit itaq; cùm crimẽ obijceretur,
plorauit cùm sibi de pudica & casta adulteri iudicium uindicarent: non mortem deplo-
rans, sed castitatis calumniam. Religionis iniuriã plorauit, & effudit super se nõ corpus,

sed

sed animam. Effudisset enim corpus, si carnalibus adquieuisset. Deniq; cùm morte damnaretur, exclamauit quasi iudex reorum, arbitra calumniantium: & innocentis conscientiæ authoritate diuinam sibi in iudicium accersiuit cognitionē: non timore mortis percita, sed arguentis censuræ potestate præcelsa. Susanna ergo fugit seculum, & se deo credidit, ad illam arcem ciuitatis æternæ fugiens, quæ totum mundum complectitur, quoniam intra deum sunt omnia. Fugit & Paulus, ut euaderet per fenestram in sporta demissus. Spartum enim triplex corrumpi non posse nouerat. Sed fugit, ut Euangelium domini toto orbe prædicaret: & ideo in paradisum raptus est. Et nos fugiamus per fenestram, audientes præcepta domini, & uisu sobrio, atq; oculorum castitate seruantes. Fugiamus sicut Loth, Sodomitana crimina amplius quam supplicia formidans. Magis enim pius certa scelerum fugit contagia, qui Sodomitanis domum clausit, nec cohabitans, nouerat eos, quorum flagitia nesciebat, & opprobria auersabatur: nec fugiens respexit eos, quorum conuersationes non desiderabat. Fugit ergo sicut Loth, qui renūciat uitijs, abdicat se incolarum moribus, qui post se non respicit, qui superiorem illam ciuitatem ingreditur introitu cogitationū suarum, nec recedit ex ea donec moriatur princeps sacerdotum, qui tulit peccatū mundi. Mortuus quidem semel est, sed moritur unicuiq; qui baptizatur in morte Christi: ut consepeliamur cum eo, & resurgamus cum eo, & in nouitate uitæ illius ambulemus. Bene fugis, si cor tuum non imitetur peccatorū consilia, & cogitationes eorum. Bene fugis, si oculus tuus fugiat calices & phialas, ne fiat libidinosus dum moratur in uino: si oculus tuus aliena declinet, & lingua tua ueritatē custodiat. Bene fugis, si nō respondeas imprudenti ad imprudētiam illius. Bene fugis, si auferas gressum pedum tuorum ex ore insipientium. Cito enim malis ducibus erratur. Sed si uis bene fugere, longe fac uias tuas ab eorum sermonibus. Mortuus est tibi princeps sacerdotum, tibi crucifixus est, ut clauis eius adhęreas. Te enim in illa cruce & tua peccata suscepit: affixa sunt illius patibulo tuorum delictorum chirographa, ut iam mundo nihil debeas, cui semel renunciasti. Et rectè nihil debes, cui suppetit dicere: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo: ut iam mortem non timeas, si geras Christum, in quo potes dicere: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Etenim cùm uetus ille homo noster affixus est cruci, destructū est peccatū, obtusus aculeus, uacuata culpa, ut ulterius seruire flagitijs desinamus. Abijt enim uetus homo. Nunc autem iam nō uetus homo in nobis, sed noua est creatura, habens in se similitudinē Christi, cuius mortis similitudine consepulti, imaginē uitæ eius assumpsimus, alas gratię spiritalis accepimus. Sic igitur uolate, ut dicatur de uobis: Qui sunt isti qui ut nubes uolant, & sicut columbę cum pullis suis? ut nebulæ uestræ rorent iustitiam, & columbæ pariant simplicitatē. Sic nauigate quasi transfretantes mundū, non pererrantes, quasi naues Tharsis, ut ad intelligibiles portus cursum dirigatis, & cōuehatis diuitias maris. Sic festinate ut dicatur de uobis: Leues facti sunt super aquilas. Ab ira enim uentura fugiendum uidetis, quam declinare poterunt qui per pœnitentiam sibi spem locauerint euadendi, & recōciliationis futurę fidem hauserint per dominum nostrum Iesum Christum, cui regnum est à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

1.Cor. 11
Ecclēs 4
Gen. 19
Ioan. 1
Rom. 6
Gal. 6
1.Cor. 15
Rom. 6
Esa. 60
Thren. 4

FINIS.

CAPITA LIBRI DE HELIA ET IEIVNIO.

Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oraculum, ut egredientes ad bellum tuba canerent: & cur nos etiam tuba canere debeamus. Caput I
Quàm magna uirtus sit ieiunij, quamq; speciosa ac ualida eius militia: exemplo Christi, atq; sancti Heliæ comprobata. Caput II
Quid sit ieiuniū. Et de ieiunio sancti Ioānis, & qualis esca à nobis quærenda sit. Cap. III
De origine & antiquitate ieiunij, à quo primus usus mundi cœpit, quòd in paradiso pro prima lege constitutum fuit. Quodq; ieiunium operiat id quod gula denudauerit. Caput IIII
Quod ebrietas Noe obdormire fecerit, & per ignorantiam nudauerit. Quodq; ebrietas seruitutem & incestum induxerit. Et quomodo Abraham non ministrauerit uinum in suo

in ſuo conuiuio, neq; Ioannes eo uſus fuerit, neq; Moyſes amaritudines aquarum uino temperauerit. Caput V

De lege ieiunij à Moyſe data, & de ieiunio eiuſdem. Et quòd ſterilitatem matrum Samſon & Samuelis abſtinentia uini fœcundauerit, quibusq; cibis Heliſæus filios prophetarum aluerit. Caput VI

Quòd tres pueri Hebræorum ieiuni in caminum ignis intrantes, non ſolum non læſi, ſed & illic refrigerati fuerint. Et quòd Danielis ieiunium etiam leones ieiunare docuerit. Caput VII

De utilitatibus ieiunij. Et de eſcarum laqueis, & inquietudine & periculis conuiuiorum. Caput VIII

Qua ratione potentes prohibeantur uina bibere, & de ieiunio Iudith. Quodq; Heſter pulchrior facta ſit ieiunio, Aman autem ſuæ ebrietatis pœnam exſoluerit. Ac de multis excellentibusq; ieiunij præconijs. Caput IX

Quemadmodum myſtica menſa ieiunio comparetur. Et quæ fames faciat acceptabile ieiunium. Quidq; ſit quod dicitur: Cum ieiunatis, ungite capita ueſtra. Et de duplici capite, ac de unguento ſobrietatis, & oleo lætitiæ. Caput X

Quod amara optabiliora ſint dulcioribus. Et quomodo eſca ad horam dulcis, in poſterum exemplo Eſau amarior efficiatur. Et quòd nihil proſit ieiunium ad iactantiam factum. Caput XI

Quemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet. Et de conuiuijs lubricorum hominum. Caput XII

De conuiuijs præliatorum & fortiſſimorum adoleſcentum. Et de potu ad æquales calices. Et de furoris poculo. Caput XIII

De reprehenſione eorũ qui conuiuia illicita præparant: & quòd maior ſit uis uini, quàm uenení. Caput XIIII

Quid de ebrietate Eſaias loquatur. Et quòd nõ ſolum uinum, ſed etiam ſicera inebriet. Et quid ſignificet, Calix aureus Babylon in manu domini. Et quomodo uas Apoſtolorum fictile ſit. Caput XV

De magna ebrietatis deteſtatione. Caput XVI

De obteſtationibus & ſacramentis potantium, quæ uiolare nephas arbitrantur. Et quomodo ſæpe uino ſecretiora hominis extorqueantur. Quodq; frequens ingurgitatio interiora hominis abſumat. Caput XVII

Quomodo etiam fœminæ uſq; ad ebrietatem bibant, & inde in plateis inuerecundos uiris ſub conſpectu adoleſcentulorum intemperãtium ducant choros. Et quid boni ſit ſobrietas, quid mali intemperantia. Caput XVIII

Quid ſibi ſperare debeant bene paſti & luxurioſi. Et de uiſione Tyri. Quodq; mare nulla neceſſitate, ſed ſola humana intemperantia inquietatum fuerit. Et quomodo luxurioſi nauibus aſſimilentur. Caput XIX

Quis dicatur cantus meretricis, de quo in Eſaia: Eritq; poſt annos ſeptuaginta Tyrus ut canticum meretricis. Et de miſericordia medici, & ſaluatoris gratia, & quibus modis quærenda ſit. Caput XX

Quomodo intelligendum ſit illud prophetæ: Ecce uenit dominus diſperdere orbem terrarum. Et quomodo athletæ ſimus, quibus multis certaminibus in ſtadio currendum eſt pro brauio: & ideo ſobrietate & abſtinentiæ exercitio nobis opus ſit. Caput XXI

Qua ratione corpus noſtrum ieiunijs caſtigandum ſit, comeſſationesq; indecoræ fugiendæ, ne ſuccumbentes in ſtadio, exortes ueniæ, multis fautoribus mœrorem afferamus. Et de ablutione aquæ baptiſmatis, quodq; feſtinandum ſit ad gratiam. Caput XXII.

DIVI

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE HELIA ET IEIVNIO LIBER VNVS.

Qua ratione diuinum ad patres resultauerit oraculum, ut egredientes ad bellum tuba canerent: & cur nos etiam tuba canere debeamus. Caput I

Diuinum ad patres resultauit oraculum, ut cum egrederentur ad bellum, tuba canerẽt, cuius sonitu dominus reminisceretur populi sui, quo petitum conferret auxilium: plusq; misericordiæ suę incentiua cognoscentes in diebus lætitiæ suæ, in neomenijs suis concinerent tubarũ sono. Vnde & Dauid dicit: Canite initio mensis tuba, in die insignis solennitatis uestræ. Veniet igitur nobis dies solennitatis, & iam appropinquat: Canamus tuba tanq; in prælium progredientes. Canamus tuba, ut annunciemus solennitatis diẽ. simul nobis & certamen imminet, & uictoria repromittitur. Victoria nostra, crux Christi est: trophæum nostrũ, pascha est domini Iesu. Sed ille ante est præliatus, ut uinceret, nõ quod ipse egeret certamine, sed ut nobis formã debellandi præscriberet, & postea daret gratiã triumphandi. Certamen nostrũ, ieiuniũ est. Deniq; ieiunauit Saluator, & sic Tentator ad eum accessit. Et primũ gulæ direxit spiculum, dicens: Si filius dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Ille cibum uelut escam laquei prętendit, ut sic illaquearet appetentiam corporalem, dominus ieiunium prætulit, ut laqueos Tentatoris sui & uincula dissolueret. Deniq; sic habes scriptum: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Illo laqueo Adam fuerat strangulatus, hac absolutione diabolicæ quæstionis omnis homo est liberatus. *Psal. 80* *Matth. 4* *Deut. 8*

Quàm magna uirtus sit ieiunij, quamq; speciosa ac ualida eius militia: exemplo Christi, atq; sancti Heliæ comprobata. Caput II

MAgna uirtus ieiunij. Deniq; tam speciosã ea militia est, ut ieiunare delectaret & Christum: tam ualida, ut ad cœlum homines eleuaret. Et ut humanis magis quàm diuinis utar exemplis, Heliæ ieiunio ore uox emissa cœlum clausit sacrilego populo Iudæorũ. Etenim cum à rege Achab altare esset Idolo constitutum, ad uerbum Prophetæ tribus annis & sex mensibus ros pluuiæ non cecidit super terram. Digna pœna, quæ intemperantiam dignè coerceret, ut cœlum impijs clauderetur, qui terrena polluerãt. Dignum etiam, ut ad condemnationẽ regis sacrilegi Propheta ad uiduã in Sareptam Sidoniæ mitteretur: quæ quoniam deuotionẽ cibo prætulit, meruit ut aritis publicæ fola nõ sentiret ærumnam. Itaq; non defecit hydria polentæ, cum torrentis fluenta deficerent. Quid eius reliqua contexam? Ieiunus filium uiduæ ab inferis resuscitauit, ieiunus pluuias ore deposuit, ieiunus ignes de cœlo eduxit, ieiunus curru raptus est ad cœlum, & quadraginta dierũ ieiunio diuinã acquisiuit pręsentiam. Tunc deniq; plus meruit, quando plus ieiunauit. Ieiuno ore statuit fluenta Iordanis, & redundantem flumínis alueum repente siccatũ, puluerulento transmigrat uestigio. Merito illũ dignum cœlo diuina iudicauit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlestẽ uitam uiuebat in corpore, ac supernæ usum conuersationis exhibebat in terris. *Matth. 4* *3. Reg. 17*

Quid sit ieiuniũ. Et de ieiunio sancti Ioãnis, & qualis esca à nobis quærẽda sit. Ca. III

QVid est enim ieiuniũ, nisi substantia & imago cœlestis? Ieiunium, refectio animæ, cibus mentis est. Ieiunium, uita est angelorum: ieiunium, culpæ mors, excidium delictorũ, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentũ est castitatis. Hoc ad deũ gradu citius peruenitur: hoc gradu Helias ascendit, anteq; curru. Hanc hæreditatẽ sobrietatis & abstinẽtiæ ad cœlum abiens discipulo dereliquit. In hac uirtute & spiritu Heliæ uenit Ioannes. Deniq; in deserto & ille uacauit ieiunijs. Esca aũt eius erat locusta, & mel syluestre. Et ideo quia uitæ humanæ possibilitatem continentia superegressus fuerat: non homo, sed angelus æstimatus est. De ipso legimus: Etiam plus q; propheta. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui *Matth. 3* *Ibidem 11*

quí præparabit uiam ante te. Quís humanā uírtūte equos igneos, currus igneos potuís-
ſet aſcendere, regere currus aereos, niſi qui naturam humani corporis, incorruptibilis
ieiunij uirtute mutaſſet? Sed de Heliæ geſtis pluríma iam frequenti diuerſorum librorū
ſermone digeſſimus: & cauendum arbitror ne in eadem recurramus, cum præſertim in
opere ſuo ipſe laudetur. Imitemur ergo illum, & eam eſcam quæramus, cuius uirtute die
bus ac noctíbus progredientes, ad ſupernorum poſſimus cognitionem uenire. Non e-
nim omnis eſca materialis, nec omnis cíbus corporalis. Eſt cibus mētis, ut díximus, quo
Ioan. 4 epulatur anima, de quo ait dominus: Meus cibus eſt ut faciam uoluntatē patrís mei qui
in cœlis eſt. Hic cíbus angelorū eſt, ut diuino famulentur imperio. Nulla illís cura men-
ſarum, nullus conuiuiorum uſus, nullæ repoſitæ epulæ, nullus uini potus aut ficeræ, nul
la diſtentio corporis, nulla uentris offenſio.

De origine & antiquitate ieiunij, à quo primus uſus mūdi cœpit, quòd in pa
radiſo pro prima lege conſtitutū fuit. Quodq; ieiunium operiat id quod gu-
la denudauerit. Caput IIII

Taq; ne terrenum quis aut nouellum putet eſſe ieiunium, primus uſus mun
1 di à ieiunio cœpit, quando lux clara reſplenduit: ſecundus dies in ieiunio,
quando cœli factum eſt firmamentū: Tertio die pabulum terra germinauit,
natura obſequiū præbuit, ieiuniū tamen cœleſtis diſciplina ſeruauit. Quarto die lumina
ria facta ſunt Solis & Lunæ, & adhuc ieiunium. Quinto die produxerunt aquæ reptilia
animarū uiuarū, & uolatilia uolantia ſuper terram ſecundum firmamētum cœli, & uidit
Gen. 1 deus quia bona ſunt, & benedixit eis dicēs: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas
quæ ſunt in mari, & uolatilia multiplicentur ſuper terram, & adhuc ieiunium. Deniq; be
nedixit ea ſicut ſcriptū eſt. Et dixit: Creſcite. & non dixit: Edite & manducate. Sexto die
beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtijs orta edendi poteſtas eſt, & uſus eſcarū. Vbi cibus cœ-
pit, ibi finis factus eſt mundi. Vbi cœpit ſua incrementa neſcire, ibi cœperunt diuina cir
ca eum opera feriari. Quo indicio declaratū eſt, quòd per cibos mundus haberet immi-
nui, per quos deſiit augeri. Nemo delictum ſciebat, nemo pœnam timebat, nemo noue
Ibidem 2 rat mortē. Plantauit dominus paradiſum ad gratiam beatorū, poſuit ibi hominē operari,
& cuſtodire eum. Et ut ſciamus nō eſſe nouū ieiunium, primam illic legem conſtituit de
ieiunio. Sciebat enim quòd per eſcā culpa haberet intrare. Prima pœna, de ieiunij præ-
uaricatione, dicente mandato dei: De ligno quod eſt ſcientiæ boni & mali, nō comede
tis: qua die autem manducaueritis ex eo, morte moriemini. Eouſq; autem nemo præua
ricari nouerat, ut adhuc orta non eſſet quæ prima eſt præuaricata edictum. Abſtinentiq;
lex à domino deo, præuaricatio legis à diabolo: culpa per cibum, latebra poſt cibū. Co-
gnitio infirmitatis in cibo, uirtus firmitatis in ieiunio. Deniq; quamdiu interdictis abſti-
nuere, neſciebant eſſe ſe nudos. poſteaquam manducauerunt de interdicta arbore, nu-
Ibidem 3 datos eſſe ſe cognouerunt. Merito ergo mulier ubi culpæ agnouit authorē, interrogata
reſpondit: Serpens perſuaſit mihi, & manducaui. Serpens gulæ perſuadet, dominus ie-
Matth. 26 iunare decernit. Deniq; ipſe ait: Ieiunate & orate, ne intretis in tentationē. Itaq; gula de
paradiſo regnantem expulit, abſtinentia ad paradiſum reuocauit errantē. Et dixit deus:
Gen. 3 Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis. Irridens utiq; deus, nō approbans dicit. hoc
eſt, Putabas te ſimilem fore noſtri? quia uoluiſti eſſe quod non eras, deſiſti eſſe quod e-
ras. Itaq; dum ſupra te eſſe affectas, infra te eſſe cœpiſti. Deniq; ueſtiuit eum tunica pelli-
cea prius, & ſic ait: Ecce Adam, quaſi dicat: Ecce amictus tuus, ecce dignū te indumen
tum, hic te ueſtitus decet. Qui diuina affectant, tali digni habentur ornatu. Ecce quò te
tua culpa deduxit, ecce nūc in hac tunica pellicea tanq; unus ex nobis aperuiſti oculos.
Circunſpice diligenter, nudum te aſpicis, quem ueſtitum putabas. Gula ergo nudos fa-
Pſal. 68 cit, ieiunia operiunt & exutos. Vnde dominus ait: Operui in ieiunio animam meā. Bo-
num operimentū, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nu
Ibidem 31 detur. Bonū uelamen, quod tegit culpam, tegit abſtinentia, tegit gratia. Beati enim quo
rum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorū tecta ſunt peccata. Tegit gratia, dum remittit, &
omnē abolet errorem: tegit abſtinentia, dum obumbrat uitium, & mœſto abſcondit af-
fectu, atq; extenuat pœnitendo. Etenim ieiuniū & eleemoſyna à peccato liberāt. Oper-
tus erat Adam uirtutū uelamine priuſquam præuaricaretur, ſed tanquā exutus præua-
ricatio-

tricatione uidit se esse nudum, quia indumẽtum quod habebat amiserat. In diebus enim ieiuniorũ uestrorum orietur, inquit, tibi magnũ lumen tuum, & sanitas tua matura oriet lux. Scriptum est enim: Circundatus luce sicut uestimento. Bonum uestimentũ, quando circundat dominus & operit ieiunantes. Esa. 58 Psal. 103

Quòd ebrietas Noe obdormire fecerit, & per ignorantiam nudauerit. Quodq; ebrietas seruitutem & incestum induxerit. Et quomodo Abraham nõ ministrauerit uinum in suo conuiuio. Neq; Ioannes eo usus fuerit, neq; Moyses amaritudines aquarum uino temperauerit. Cap. V

NVdatus erat Noe quando inebriatus est, texit eum pietas filiorũ. Sed nudatus erat per ignorantiam, nõ per intemperantiam. Adhuc enim uinũ nesciebatur. In principio generis humani ignorabatur ebrietas. Primus ipse planta uit uineam, dedit naturam, sed ignorauit potentiam. Itaq; uinũ nec suo pepercit authori. Quid mirũ si cum dominus ipse creaturas suas laudauerit, & iste miratus est? Itaq; cum eum delectaret reperti muneris gratia, tentauit uehementior creatura insuetos senis artus, turbauit noua potio. Dormitauerunt, inquit, qui ascenderunt equos. Ascendit corporis uoluptates, & iustus obdormiuit. Sed illius ebrietas nobis suadet sobrietatem. Semel enim inebriatus est Noe. Vbi enim malũ ebrietatis agnouit, inuentũ suum ad remedium temperauit, nõ effudit ad uitium. Vnde & Apostolus ait: Modico uino utere propter frequentes tuas infirmitates. Manebat anteq; uinum inueniretur omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à cõsorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere. Non esset hodie seruitus, si ebrietas nõ fuisset. Obrepserat quidem iam fraternæ prælationis inuidia, manebat tamen adhuc paternę pietatis reuerẽtia. Læsa pietas est, dum ridetur ebrietas. Non illis itaq; solis nocent uina quos tentant, sed & illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorũ membra nudantur. Hinc risus irreuerens nascitur, hinc libido flammatur, ut multo maiore temulentia eos uina perturbẽt, quorũ oculos ac mentes inebriauerint, q; quorũ membra prostrauerint. Legimus etiam quòd patrem Loth inebriauerint filiæ in monte, ad quem timentes incendium Sodomitanũ confugerãt, & habitabant in spelunca. Conuenit ebrietati atq; concurrit ætas, sexus, solitudo, locus ferarũ magis lati bulis, q; humanis aptior domicilijs. Fuit itaq; ebrietas origo incesti, pessimæ regenetricis partus deterior. At non Abraham uina in suo conuiuio ministrabat, sed immolabat uitulum, butyrũ & lac etiam angelis hospitibus exhibebat. Cœli dominum, mundi agnoscebat authorem: uinum ergo exhibere non poterat. Sed rectè illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorũ. Denicq; annunciauit eum Ioannes neq; manducans panẽ, neq; bibens uinum. Qui enim Christum annunciat, ab omni uitiorũ incentiuo præstare se debet alienum. Vicit igitur sanctum Noe, uel etiam Loth Abrahæ nepotem ebrietas, quorum alter cum ieiunaret, diluuio superstes fuit, alter incendio. Moysen quoq; cognouimus sitienti populo amaritudines aquarũ temperasse, nõ uina. Cui petra aquam uomuit, potuit & uini abundantia nõ deesse. Denicq; dixit deus: Percuties petrã, & exiet aqua ex ea, & bibet populus. Non dixit: Exiet uinũ populo. Periculosum enim erat uinum populo ministrare, quòd fortiores ferre uix possent. Gen. 9 1. Tim. 5 Gen. 19 Ibid. 18 Luc. 7 Exod. 17

De lege ieiunij à Moyse data, & de ieiunio eiusdem. Et quòd sterilitatem matrũ Sampson & Samuelis, abstinentia uini fœcundauerit, quibusq; cibis Helisæus filios prophetarum aluerit. Cap. VI

DEnicq; Moyses de ieiunio legem dedit, de uino non dedit. Ipsum quoq; ieiunantem non uoces magnæ, non fulgura & nubes nymbosa, nõ fumigans Synaperterruit. Neq; uerò introisset in nubem, & uocem dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset. Quadraginta enim diebus ieiunauit in monte cum legẽ acciperet à domino deo nostro. Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti prævaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignũ iudicans ut ebrio populo lex daretur. Itaq; tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. Quid uero alia dicam? Non ne sterilitatẽ matris Sampson, uini abstinentia fœcundauit, & parientem fecit ex sterili? Quoniam iuxta Ibid. 34 Iudicũ 13

3.Reg.1 præceptum domini uinum nõ bibit. Non'ne Annam non manducantem exaudiuit dominus, & infœcunditatem eius soluere ieiunia? Ex quibus duo generati, unus fortissimus, alius obseruantissimus, dignos se præbuerunt qui ieiuno gremio diu foti, & quodam abstinenti effusi utero uiderentur. Idem itaq; Sampson, qui matris sobrietate genera-
4.Reg.4 tus est, Allophylorum insultantium sibi ebrietate uindicatus est. Helisæus uates quidem à magistro didicerat parsimoniam, cum filios aleret prophetarũ, uitis agrestis grumulis mensas onerabat, & inemptis syluestribus oleribus, hospitalis humanitatis implebat officium. Quorum offensi amaritudine, cum manducare non possent, leuis farinæ aspersione omnẽ illam amaritudinem temperauit, abstinentiæ propheticæ munere uenení uires euacuans.

Quòd tres pueri Hebræorum ieiuni in caminum ignis intrantes, non solum nõ læsi, sed & illic refrigerati fuerint. Et quòd Danielis ieiunium etiam leones ieiu-
Cap. VII nare docuerit.

E St quædam creaturæ natura, quam Amiantum uocant, nullo facilis igni consumi: quæ imposita focis ignescit, illico sublata de flamma tanq; aquarum in-
Daniel.3 fusione munda resplendet. Talia erant Hebræorum puerorũ corpora, quę de ieiunio in Amianti transformata naturã, uapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam mutabantur. Deniq; cum furerent fornacis incendia, ut ultra quadraginta cubitos flamma per circuitũ funderetur, consumens plurimos quos repererat Chaldæorum, qui naphtha, pice & stuppa atq; sarmento alimenta ignibus ministrabant: ubi cum ieiunio ingressi sunt, discusso ardore flammarũ in medio fornacis tepore, statim roris spiritu refrigerantis humescere, ita ut eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illam quoq;
Ibidem 9 ieiunia comã pauerãt. Daniel uir desideriorũ, trium hebdomadarũ ieiunio leones quo-
Ibidem 14 que docuit ieiunare, missus in lacum, & in adamantis rigorẽ abstinentiæ soliditate membra duratus non patuit uulneri. Sic eum constrinxerant ieiunia, ut in eius corpore ferarum morsibus locus esse nõ posset. Clausa tenebãt feri leones ora, quæ abstinentiæ propheticæ sanctitas comprimebat, ut ea aperire nõ possent, meriti quibusdam uinculis alligata. Ieiunium itaq; uirtutem ignis extinxit, ieiunium ora obstruxit leonum, ieiunium maris fluenta solidauit, ieiunium petram soluit in fontes aquarum, uirtute ieiunij cõtra suam mutata naturam & fluctus obriguit, & petra inundauit.

De utilitatibus ieiunij. Et de escarum laqueis, & inquietudine & periculis
Cap. VIII conuiuiorum.

S Ed quid uetustis utar exemplis, cum abundet ieiunium etiam præsentiũ muneribus gratiarũ? Quis deteriorauit domum suam ieiunio? Quis imminuit facultates? Cui non suspecta luxuries? Cui non uenerabilis abstinentia? Cuius thorum appetiuit parsimonia? Cuius pudorem non læsit ebrietas? Ieiuniũ continentiæ magisteriũ est, pudicitię disciplina, humilitas mẽtis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma uirtutis, purificatio animę, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis. Ieiunium est infirmitatis alleuamentum, alimentum salutis. Nemo cruditatem ieiunando incidit, nullus per continentiam ictum sanguinis sensit, imò nullus nõ repressit & repulit. Bonum itineris uiaticum, bonum totius uitæ. In mari sedat naufragia, cibum seruat. Qui graue dicunt ieiunium esse, respondeant quis ieiunio defecerit. Multi in prandio, plericq; dum uomunt epulum, fudêre animam. Quod postremo animal ieiunium sibi causſam fuisse mortis ingemuit? Per escam laqueus non cauetur, in esca hamus latet, & cibus inducit in retia, cibus uisco etiam aues illigat, cibus uolantes deponit ad mortem. Quæ non propter uentrẽ pericula? Muta animalia crimen nesciunt, & in hoc solo tanquam pro crimine puniuntur. Ieiunium sobrietas mentis est, hoc uigent sensus, in hoc iudicia tractantur, in conuiuio pocula. Ieiunium custodit disciplinam, luxuriam sequitur inopia. Mater est luxuria famis, secundum propheticum dictum. Ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Ieiunium ocia quærit, luxus sectatur negocia. Obsonator antequam luceat, fores pulsat alienas, & tanquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Turbatum uides, anhelantem aduertis, interrogas quæ causſa perturbationis sit. Poscit, inquit, dominus meus, ubi uinum melius ueneat, querit ubi durior uulua curetur, ubi iecur mollius, ubi phasianus

nus pinguior, ubi piscis recentior. Cursitat per diuersa: & cum inuenerit, summo cursu properat. Inquietat dominum somnolentum, auctionatur precia. si precium mouerit piscis, nusquam meliorem asserit inueniri, imò deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella, uix istum potui latentem deprehendere. Multi concursant in macellum: si tu reddideris, alter plus dabit, & quid exhibebis in prandio? Istius uini ille natalis est, hæc ex illo lacu lecta ostrea, talis fit de singulis licitatio. Hasta quędam agitatur inter obsonatorem & pastorem. Turbatus addicit patrimonium, rogat adhuc per quos suorum bonorum iura minuantur. Curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. Tota exagitatur familia, maledicunt omnes, quòd nulla his requies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. Instar statuæ pincernæ dextera summo gelu riget. Ille in frigida exercet manus, illi marmora lauantur. Mundant pauimenta uino madida, & spinis cooperta piscium: & quanti dum ambulant uulnerantur? In ipso conuiuio clamor epulantium, gemitus uapulantiũ. Si quis forte displicuit amicis, illi rident, tu indignaris. Sileat aliquando domus à multis perturbationibus huc atq; illuc discurrentium, à sono immolatorum animalium, uacet fumo, & semiustulatorũ nidore. Non coquinam, sed carnificinam putes: prælium geri, non prandium curari: ita sanguine omnia natant. Male dominicæ seruitur gulæ, quę semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius uentre? Hodie susc ipit, & cras exigit. Cum impletus fuerit, disputatur de continentia: cum digesserit, uale uirtutibus dicitur, quærit luxuriam. Inter pocula philosophia prædicatur, inter philosophos uina laudantur. Vigiliæ, inquit, & cholera, & tortura uiro insatiabili, man ducat, & paulò pòst pœnitet. non illum diutius sua intemperantia delectauit. Attende diuitem qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendide, cuius ad ianuas mendicus ille Lazarus iacebat plenus ulceribus, cupiens saturari ex his quæ de mensa cadebant diuitis. Paulò pòst cum esset mortuus: cœpit rogare positus in inferno, ut extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, & refrigeraret linguã eius, quæ ardebat incendio. Vbi illæ copiæ? ubi illæ ebrietates? Sitit, qui inebriabatur: abundat, qui mendicabat. In ipso conuiuio dum bibunt, sitiunt: & cum inebriati fuerint, amplius bibunt. Quasi aperto gurgite uinum iam non bibitur, sed infunditur: poculum non libatur, sed exinanitur.

Ecclī 31

Lucæ 16

Qua ratione potentes prohibeantur uina bibere, & de ieiunio Iudith. Quodq; Hester pulchrior facta sit ieiunio, Aman autem suæ ebrietatis pœnam exsoluerit. Ac de multis excellentibusq; ieiunij præconijs. Cap. IX.

Pinæ, inquit, nascũtur in manibus ebriosi, & ipse se uulnerat, & ulcera sibi in pectus adigit. His spinis scidit uestimentum fidei quod accepit, & thesaurum suũ seruare non poterit. Omnis enim ebriosus & fornicator egebit, & induet se scissa uestimenta insipientiæ. Et ideo potentes uinum prohibentur bibere: ne cum biberint, obliuiscantur sapientiam. Denicq; bibebant uinum in ebrietate potentes qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorũ se tradere gestiebant: sed nõ bibebat fœmina Iudith, ieiunans omnibus diebus uiduitatis suæ, præter festorũ dierum solennitates. His armis munita processit, & omnẽ Assyriorum circumuenit exercitũ. Sobrij uigore consilij abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, uictoriam reportauit. Hæc enim succincta ieiunio, in castris prætendebat alienis: Ille uino sepultus iacebat, ut ictũ uulneris sentire non posset. Itaq; unius mulieris ieiunium innumeros strauit exercitus ebriorũ. Hester quoq; pulchrior facta est ieiunio. Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum à persecutionis acerbitate liberauit, ita ut regem sibi faceret esse subiectum, non libidinis ardore flammatum, sed cœlesti miseratione conuersum, ita ut & pœna retorqueretur in impium, & honor sacris redderetur altaribus. Itaq; illa quæ triduo ieiunauit continuo, & corpus suum aqua lauit, plus placuit, & uindictam retulit. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa uina pœnam suæ ebrietatis exsoluit. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, uirtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratię. Ieiunium nescit fœneratorem, non sortem fœnoris nouit, non redolet usuras. Mensa ieiunantium nõ stranGulat filium, continentes uiri paternæ centesimæ. Non uexat uiduam oppignorata sobrij uiri, uiri defuncti non defœnerata excludit hęredem aula ieiunij. Etiam ipsis ieiuniũ

Prouerb. 26

Iudith 8

Hester 14

conuiuijs dat gratiam. Dulciores post famem epulę fiunt, qūę assiduitate fastidio sunt, & diurna continuatione uilescunt. Condimentum cibi ieiunium est. Quanto auidior appetentia, tanto esca iucundior. Commendat sitis poculum, nescit uinum quærere. Ieiunus quicquid hauserit, transmittit ad satietatem, non ad iudicium nari suspendit. Vsu etiam preciosa degenerant: quorum autem difficilis possessio, eorū grata perfunctio. Ipse Sol post noctem gratior: ipsa lux post tenebras splendidior: & post uigilias sopor dulcior: ipsa salus post ægritudinis tentamenta iucundior. Ab ipso mundi conditore didicimus sæpe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo & conuiuio fames, ut gratior fiat mensa ieiunis.

Quemadmodum mystica mensa ieiunio comparetur. Et quæ fames faciat accēptabile ieiunium. Quidq; sit quod dicitur: Cum ieiunatis ungite capita uestra. Et de duplici capite, ac de unguēto sobrietatis, & oleo lætitiæ. Cap. x

Psal. 22 Ystica quoq; mensa ieiunio comparatur. Illa mensa, de qua dicit Dauid: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Mensa ista famis acquiritur precio: & poculum illud inebrians sobrietate, cœlestiū sacramentorū siti quæritur. Dixit enim dominus: Qui sititis, ite ad aquam: & quicunq; nō habetis argentū, ite & emite, & bibite, & manducate. Et alibi ait: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt: uos uero esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent, uos autē sitietis. Qui uos, nisi qui ante potastis? De quibus suprà dixit: Parastis dæmonijs mensam, & implestis Fortunæ poculum. Ergo si ad mensam illam uenerabilem, ieiunia sancta nos perducunt, si hac fame illa quæ sunt æterna mercamur, quid de ijs dubitamus quę in usu humano sunt, quòd etiam suauiora hæc nobis faciat ieiunium? Non autem omnis fames acceptabile ieiuniū facit, sed fames quæ dei timore suscipitur. Considera. Quadragesima totis præter sabbatū & dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiunium domini pascha cōcludit. Venit iam dies resurrectionis, baptizantur electi, ueniunt ad altare, accipiunt sacramenta, sitientes totis hauriunt uenis. Merito dicunt singuli refecti spiritali cibo, & spiritali potu: Parasti in conspectu meo mensam, & poculum tuum inebrians q̄ præclarum est. Non sola autē fames quæritur, sed planè disciplina ieiunij. Denicq; alijs dicitur: In diebus ieiuniorū uestrorum inuenitis uoluntates uestras, & omnes subditos uestros stimulatis. Ad iudicia & rixas ieiunatis, & pulsatis pugnis. Vt quid mihi tale ieiuniū, ita ut audiatur in clamore uox uestra? Non hoc ieiunium ego elegi, & diem ad humiliandum animam suam hominē: nec sic flectas ut circulum collum tuum, cinerem etiam & cilicio substernas, nec sic uocabitis ieiunium acceptū. Non tale ieiunium ego elegi, dicit dominus. Quod ieiuniū improbetur, audiuimus: nunc audiamus quod sit probabile. Solue omnem colligationē iniustitiæ tuæ, dissolue obligationem uiolentarum cōmutationum, dimitte confractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos non habentes tectum induc in domū tuam: & si uideris nudum, cooperi eum: & domesticos seminis tui non despicias. Vides quę species sit & forma ieiunij, quis mentis habitus? ut orationi uaces, & in lege dei die ac nocte mediteris. Ipsa figura corporis plena iustitię grauitate, nullus rubor ebrietatis circumfusus genas intuentiū offendat aspectus, sed uultus casto micet pallore reuerendus, sermo grauior, oculus uerecundior, gressus stabilior atq; moderatior. Plerunq; enim in turbatiore incessu proditur motus animorū. Vultus intentior, & quidam cogitationis suæ arbiter, & tacitus cordis interpres, ut neq; tristitiam prætexat, neq; soluatur risu inconuenienti. Non enim superfluū hoc putes nostrę cōmonitionis, cùm sapientia dicat in Euangelio: Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Ideo dixit hypocritas, eò quòd simulatione alienam personam induant, sicut in scena qui tragœdias canunt, proeorum dictis quorum personas gerunt, motus suos excitant, ut aut irascantur, aut mœreant, uel exultent. Affectant enim isti, ut ieiunare uideantur hominibus magis quàm deo, cupientes probare quod faciebant Iudæi. Ideo nobis dicitur: Vos autem cum ieiunatis, ungite capita uestra, & faciem uestram lauate, ne pareatis hominibus quia ieiunatis, sed patri uestro qui est in abscondito: & pater uester qui uidet in abscondito, reddet uobis. Quid est, Vngite caput uestrū? Sed & luxuriosi dicunt: Vino & unguentis nos repleamus. Vnguento enim se ungunt, qui corpori odoris gratiam quærunt. Sed & illa unguenta

Psal. 22
Esa. 55
Ibidem 65
Psal. 22
Esa. 58
Psal. 1
Matth. 6
Hypocritæ
Sap. 2

unguenta libidinis illecebras mouere consueuerunt. Aliud est sobrietatis unguentum, de quo dicit ecclesia ad sponsum suum: unguentũ exinanitũ nomen tuum: aliud oleum quo artus animæ & quædam membra pinguescunt. Vnde & Dauid dicit: Impinguasti in oleo caput meũ. Et hoc est oleum lætitiæ, quo unctus est Christus à deo patre, ut præ omnibus suis emineret consortibus. Hoc iubet ungere caput nostrum, ut oleo lætitiæ obducatur omnis simulata tristitia, ne uidearis ieiunium tuum uendere hominibus, ne uidearis contristari in animæ tuæ salute. Nemo enim tristis coronat, nemo mœstus triũphat. Vnge ergo caput tuum, ubi sensus sapientis sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Ad mysteria uocaris, & nescis: discis cũ ueneris. Et reminiscere illud: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron: tunc cognosces quid sit, Vngite capput uestrum, quando placueris deo, ut tibi sua patefaciat sacramenta, & det gratiam spiritalem. Est & aliud caput mysticum. Quod est illud? Audi: Caput mulieris uir, caput autem uiri Christus. Mitte in Christum, mitte etiam in caput eius unguentum. Caput eius deus est. Illa mulier ecclesiæ typum gerens, quæ in caput eius misit unguentum, confessa est eius diuinitatem: & quę in pedes eius misit, confessa est eius passionem. Vtraq; lauatur. Et tu fac quo laueris, quo remissionem accipias peccatorum. Laua faciem tuam, emunda animam tuam peccatricem, laua illam, & omnem conscientiam tuam. Index enim facies plerumq; est conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis: cum aut peccato compungimur, aut integritate lætamur. Noli hanc exterminare faciem, laua illam, & omnem sordem conscientiæ tuæ dilue. Exterminat faciem suam, qui aliud corde gerit, aliud foris prætendit. Non nos uelut quodam peripetasmate operiamus: quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur. Nemo in ieiunio culpam includat, præferat innocentiam. Ieiunium etenim culpæ interfectorium est.

Cant. 1
Psal. 22
Eccles 2
Psal. 132
1. Cor. 11

Quòd amara optabiliora sint dulcioribus. Et quomodo esca ad horam dulcis, in posterum exemplo Esau amarior efficiatur. Et quòd nihil prosit ieiunium ad iactantiam factum. Cap. XI

NEmo amarioribus præoptet dulciora. Dulcis uoluptas uidetur, amarum ieiunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim cum in intimis puerorum uisceribus uermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorũ uis inolescit asperior, quorum odore morianturita profundum animæ uirtus ingressa ieiunij, culpam latentẽ interficit. Quid Esau seruum fratri suo fecit? Nonne esca ad horam dulcis, amara in posterum? Quid Iacob dominũ fratri dedit? Non ne contemptus cibi, ad tempus amarior, sed salubris in reliquũ? Ipsa corpora dulcibus frequenter inflantur, & melle iecur tenditur, idem tamen escæ amaritudine tẽperatur. Ideo non mediocris, sed laudata quęstio: De manducante exiuit esca, & de forti dulcedo. Animi habent: Et de tristi dulce: Græci codices maxime. Sed & forte laboriosum est. Exit ebi prodest ieiunium. Quæ enim ad ostentationem fiunt, non in futurum fructum extendit suum, sed præsentium mercede consumuntur. Helias in deserto erat, ne quis eum ieiunantem uideret, nisi soli corui, qui eum pascerent. Helisæus in deserto erat, ubi nõ inueniretur esca, nisi amara. Ioannes in deserto erat, ubi solas locustas & mel syluestre inueniret. Ieiunantibus epulæ pio angelorũ ministerio deferebantur. Prandebat Daniel interieiunantes leones. Ille prandebat alienum prandium, feræ non tangebant suum. Ieiunantibus epulæ uolant, prandentibus pedes uacillant. Ieiunantibus manna de cœlo descendit, epulantibus culpa præuaricationis ascendit.

Gen. 25
Iudicũ 4
3. Reg. 19
4. Reg. 5
Matth. 3
Dan. 14

Quemadmodum ebrietas in omne facinus præcipitet. Et de conuiuijs lubricorum hominum. Cap. XII

SEd quid est hoc? dum de ieiunio disputo, strepitus audio conuiuiorum. Nisi fallor, in sermone meo dum disputo, redoluit prandium. Sonus ergo literarum inuitat, impatientiæ exempla nõ terrent. Etenim qui ieiunantem, & ea quæ legis sunt ferentem, expectare non passus est populus, utiq; sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Videmus sacrilegium ebrietati fuisse coniunctũ. Nam sicut mater fidei, continentia: ita perfidiæ mater, ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat?

Exod. 32

pitat? Sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam nõ habentes, nec sumptũ se-
quentis diei, de imperatoribus & potestatibus iudicant, imò regnare sibi uidentur, &
exercitibus imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in ueritate inopes. Aurũ donant,
dispensant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui nõ habent unde cauponi potus sui
precium soluant. Feruet enim uinum in his, & nesciunt quid loquant. Diuites sunt dum
inebriantur: mox ubi uinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Vno die bibunt mul
torũ dierũ labores. De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt. Pro uino
sanguis effunditur, & ipsum sanguinẽ uina fuderunt. Quàm fortes sibi homines uident
in uino, quàm sapientes, quàm diserti, quàm etiam pulchri ac decori, cum stare non pos-
sint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor & sanguis ora suffundit. Fœtor ebrietatis hor-
rori sit. Barbari in ferrum ruunt, uulgus in rixas. Si quis eorũ pugno fuerit percussus, ui-
deas ora sauciorũ uini lachrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet enim
hoc temulentia, ut & molliat & resoluat corda temulentorum. Sicut enim ignis probat
ferrum durum, ita & uini incendio etiam superborum hominũ cor liquescit. Omnes sibi
in uino æquales uidentur, nullus inferior. Non pauper diuiti cedit, utpote quia pauperẽ
se esse nescit. Non infirmus ualido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus
locupletiori, non ignobilis honorato: sed cum bibunt, illum regem habent, qui biben-
Eccli 31 do superauerit uiros. Meritoq; scriptum est: Aequalis uita hominibus, uinũ in ebrieta-
te. Sed utinam & quod sequitur audires: Bibas illud moderate, ut sis sobrius. Non ha-
bes quòd accuses uinum, in iucunditatem creatum est, non in ebrietatẽ ab initio. Exul-
tatio animæ & cordis est, si moderate bibas, immoderatio autem potus in iracundiam
concitat, & ruinas multas efficit. Sed forte dicant has esse potationes uulgariũ & leuissi
morum hominum. Veniamus ergo ad horum potentium & fortissimorum conuiuia.
Non ego hic unguentatos adolescentulos aut coronatos rosis proferam, qualem ferũt
illum fuisse qui delibutus unguentis, redimitus floribus, subnixus meretricibus, antelu-
cano potu ebrius, & diurno cereorum comitatus lumine, philosophi auditorium dispu-
tantis ingressus sit. Quo audito, coronas, ut aiunt, sensim detraxerit, unguenta detersc-
rit, scortis uale dixerit: philosophus postea tantus euaserit, ut esset sobrietatis exem-
plum, qui fuerat ante ebrietatis ludibrium. Nõ enim emendatum illis inuideo, doceam
genus eorũ luxuriæ à me non esse simulatum. Certe ille si resipuit à uino, fuit tamen sem
per temulentus sacrilegio.

De conuiuijs prælatorum & fortissimorum adolescentum, & de potu ad æ- Cap. XIII.
quales calices. Et de furoris poculo.

Gitur hinc ad adolescentes lubricos, ad conuiuia prælatorum ueniamus.
I Inter arma prandendum est. Stipatores hi sunt bellici, qui ministrant, succin-
cti auro, & Babylonicis lumbos suffulti baltheis: aureis torquibus nitẽt col-
la, infantium aureis bullis zonam tegunt, aureis thecis cultros includunt suos, quibus di-
micent cum epulis diuidendis. Assistunt pueri coma nitẽtes, ex gente barbarica ad hos
usus electi, per singularum distincti ætatum uices: Cernas poculorum diuersorum ordi-
nes, aciem ordinatam putes, uasa exposita aurea & argentea, pompam arbitreris, cornu
in medio uini plenum, non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discum-
bentes in certamẽ accendat. Primo minoribus poculis uelut uelitari pugna præluditur.
Verùm hæc non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina. Etenim ut tragœdia-
rum actores primo sensim uocem excitant, donec uiuę uocis aperiant iter, ut postea ma-
gnis possint clamoribus personare: ita isti quoq; in principio pręluforijs se exercent po-
culis, ut irritent sitim, ne forte restinguant eam, & satiati postea bibere non possint. Ergo
ubi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis: feruor inardescit. Aridus cibus siti
exæstuat, & ubi imminui uasa cœperint, potu meraciore reparãtur. Certant pocula cum
ferculis, & inter moras sæpe geminantur. Deinde procedente potu longius, contentio-
nes diuersę, & magna certamina, quis bibendo pręcellat. Nota grauis, si quis se excusset,
si quis temperandum forte uinũ putet. Et hæc donec ad mensas perueniatur secundas.
At ubi consummatæ fuerint epulæ, & putes iam esse surgendum: tunc de integro poti
instaurant suũ: & cum consummauerint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phia-
læ, tunc maximi crateres quasi instrumẽta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitre-
ris,

tis, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa, pendet anceps diu & dubius belli euentus. Furor enim illic est præliaris. Cedunt pincernarum manus uina fundentium, & coquorum labores calida ministrantium, cedunt qui mensuras ipsas bonas superefluentes diligenti librant examine ne quid effundant: nō cedunt bibentes. Sola illa sunt sine excusatione certamina. In bello si quis se inferiorem uiderit, arma conuertit, & meretur ueniam: hic si quis calicem conuertat, urgetur ad potū. In scammate si quis te manu leuat, exors quidem palmæ, sed immunis iniuriæ es: in conuiuijs etsi manum reuocet à uino, ori eius infunditur. Omnes inebriantur, victores, victiq; omnes ebrij iacent, plerique sopiti. Nec portari eos ad sepulchrum licet, priusquam qui pascit, de omnibus uindictam uiderit, ut ulciscatur dispendium. Qui autem damna non sentit, hanc mensæ suę gloriam putat, si ex ea uulnerati omnes ac saucij tanquam de arena exeant. Spectaculū triste Christianorum oculis, & miserabilis species. Cernas iuuenes terribiles uisu hostibus de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleri, ut exhauriant: & exhauriri, ut bibant. Si quis uerecundior fuerit, ut erubescat surgere, cum iam immoderatos potus tenere non possit, anhelare uehementius, sudare, gemere, signis prodere quod pudet confiteri. Ibi unusquisq; pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi & somnolenti nesciunt mente quid lingua proferat. Vnusquisq; stertit & potat, dormit & dimicat: & si quando consurrectum fuerit, uiri prælatores stare non possunt, gressu uacillant. Rident seruuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaq; huc atq; illuc tanquam nauigia sine gubernatore fluctuant, & tanquam uulnere icti in terram defluunt, nisi excipiantur à seruulis. Alij referuntur in scutis, fit pompa ludibrij. Quos mane insignes armis spectaueras, uultu minaces, eosdem uespері cernas etiam à puerulis rideri: sine ferro uulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentutis flore arentes.

De reprehensione eorum qui conuiuia illicita præparant: & quòd maior sit uis uini, quàm uenení. Cap. XIIII

Q Vis tale miscuit furoris poculum? Quis tantum infudit mentibus uenenū? Periclitatur homo ultum esse de corpore, & ipse sibi reus est insaniæ uoluntariæ, corruptelæ spontaneæ: & tamen nec uos excusamini qui uocatis ut amicos, & emittitis ut inimicos. Quanto melius in terram tua uina fudisses? Sed & terra inebriat, & asperiores etiam ipsas feras reddit si uini contigerit odor. Denicq; uindemiæ tempore si uineam intrare uoluerint, solent ebrietate succendi. Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem: inuitas ad prandium, efferre uis ad sepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas: uina prætendis, uenena suffundis. Omne enim quicquid nocet, uenenum est. Tollit sensus, uiscera exurit, somnum infestat, caput uexat. Etiam maior uis uini quàm uenení est. Denicq; uenenum uino excluditur, non uinum ueneno. Merito deus per Moysen nō solum ueneno, sed etiam draconum ueneno uinum comparauit, dicens: Furor draconum uinum eorum, & ira aspidum insanabilis. Et pulchre additur, insanabilis. Multi enim reliquorum serpentium ueneno curantur, nemo ebrietate. Certè ueneno caro uulneratur, uino mens. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit. Aduerte etiam & perfidię uenenum, uini declaratum nomine. Ait enim suprà de alienigenis, qui nescirent deum: De uinea enim Sodomorum uinum eorum, & uitis eorum uitis Gomorræ. uua eorum uua fellis, botrus amaritudinis in ipsis. Deut. 32 Ibidem

Quid de ebrietate Esaias loquatur. Et quod non solum uinum, sed etiam sicera inebriet. Et quid significet, Calix aureus Babylon in manu domini. Et quomodo uas Apostolorum fictile sit. Cap. XV

P Vtatis me tanquam uino crapulatum, intemperantius ieiunij prædicatione hunc miscuisse sermonem? Et adhuc secundū prophetas fortissimos uiros quanta præterij, quanto minora dixi, q̄ dominus locutus est? Audistis quid per Moysen dixerit, audite quid in libro sermonū Esaiæ scriptū sit. Inuenit enim dominus huiusmodi uerbis usus & ait: Væ ijs qui consurgūt mane, & sectant sicerā, qui ebrij sunt Ibidem Esa. 3.

ueſpertina, uinum eos comburet. Cum cithara enim & pſalterio & tympanis uinum bi-
Prou. 23. iuxta 70 bunt: opera autem domini non reſpiciunt, & opera manuum eius non conſiderant. Cui uæ, inquit, cui iudicia, cui tumultus? Diuerſa ſingulis, temulẽtis omnia. Væ enim ijs qui ebrij ſunt ueſperi. Quid ergo illis qui & ante ueſperam, & frequenter in luce madent?
Eſa. 5 Ergo uæ ſibi debitũ. Habent concertationes, conſerunt lites, in cædem proſiliunt, & uenium ad iudicia, uel uocantur. Habent ergo & iudicia tanq̃ rei. Fit nonnunquã grauior tumultus, quia uino mens peruertitur ebrioſi: & non meminit regis, nec magiſtratus, ut
3. Eſd. 3 ſcriptũ eſt: Et omnia aperta facit loqui, & non meminerunt cum biberent, amicitiæ, nec fraternæ neceſſitudinis. Sed non poſt multũ ſumũt gladios: & cum à uino merſi fuerint, & ſurrexerint, non meminerunt ipſi quæ geſſerint. Habent ergo etiam dignam mercedem tumultus. Prætereã certe ego citharam, pſalteria, tympana, quæ cognouimus conuiuijs huiuſmodi frequẽter adhiberi, ut uino & cantu excitentur libidines. Plericq; etiam Perſico more mulieres dignas temulentorum conſortio induci iubent, & ab his phialas accipiunt, atq; illis ſe ſubſternunt ſedentibus. Et hunc ritum ſacratæ habent obſeruationes in ebrietatis miniſterium. Habent ergo uinũ & Barbari: libenter his Romanus indulget, ut & ipſi ſoluantur in potus, & eneruati ebrietate uincantur. Nec ſolum uinum ebrietatẽ facit, ſed ſicera. Denicq; Hebræi omnem potũ qui inebriat, ſiceræ nomine uocant. Non immerito ergo uæ illis, qui mane ebrietatis potũ requirunt, quos cõueniebat
Sap. 16 deo laudes referre, præuenire lucem, & uacare orationi, occurrere Soli iuſtitiæ, qui nos uiſitat, & exurgit nobis, ſi nos Chriſto nõ uino & ſiceræ ſurgamus. Hymni dicuntur, & tu citharam tenes? Pſalmi canuntur, & tu pſalterium ſonas aut tympanum? Merito uæ, qui ſalutem relinquis, mortem eligis. Vix diluculum, & iam curſatur per tabernas, uinũ quæritur, excutiuntur tapetes, accubitum feſtinant ſternere, lagenas argenteas, auratos
Hiere. 51 calices exponunt. Væ, inquit, iſta quærentibus. Calix aureus Babylon in manu domini inebrians omnẽ terram. A uino eius biberunt omnes gentes, ideo cõmotæ ſunt. Et ſubito cecidit Babylon, & cõtrita eſt. Calix ergo aureus cõtritus eſt: quia Babylon contrita eſt, quę eſt calix aureus. Sed q̃uis auro ſe iactet & precio, in domini & ipſa eſt poteſtate. Denicq; diuina indignatione cõteritur. Qua ratione calix aureus? quoniam qui à ueritate deficit, quærit illecebram, ut ſpecie ſaltẽ preciosa ad bibendum aliquos poſſit illicere. Conſtitue ante oculos tuos pompam huius ſeculi, uide ſpecioſam illecebram, ſed inanẽ
1. Cor. 4 gratiam. Non ſeducant te aurea uaſa & argentea. Habemus & nos theſaurũ in uaſis fictilibus. Vas Apoſtolorũ fictile eſt, ſed in eo theſaurus eſt Chriſti. Væ ſiceram mane ſectantibus. Aureum eſt hoc uas, poculum eſt, & in eo poculo uenenũ mortis, uenenũ libidinis, uenenum ebrietatis. Hoc qui biberit, commouetur & cadit. Commouetur non ſolum corpore, ſed etiam corde turbatur. Commoueri enim peccati eſt.

De magna ebrietatis deteſtatione. Cap. XVI

Enicq; Cain exiens à cõſpectu dei, habitauit in terra Naid, quod per interpre-
D tationem ſignificat cõmotionem. Ergo qui calice aureo inebriatur, peccato mouetur. Quid te ſub maledicto conſtituis Cain illius parricidæ, ut tremens
Matth. 27 atq; profugus mouearis? Sed & perſecutores domini tranſeuntes mouebant capita ſua. Exagitabat enim eos ſpiritus nequam, qui repleta à ſe corpora mouere conſueuit. Et ille cum defuerit, tremor deſinit: ebrietas autem perpetuũ dat tremorẽ. Sudant uino corpora temulentorum. ſi leuius ea tetigeris, exprimis uinum. Ebrietas fomẽtum libidinis, ebrietas incentiuum inſaniæ, ebrietas uenenum inſipientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali uapore corporis calidi, & præter naturam uini calore flammati, cohibere ſe nõ queunt, & in beſtiales libidines excitantur, ut nullum tempus præſcriptum habeant quod doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore uariantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremũt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt. Hinc phreneſis periculoſa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc uomitus frequens ſemeſas epulas cum interiorum uiſcerũ cruore fundentium. Mentior niſi eadem dominus per Hieremiam lo-
Hiere. 25 cutus eſt dicens: Bibite & inebriamini, & uomite, & cadetis, & non conſurgetis. Hinc etiã uanæ imagines, incerti uiſus, inſtabilis greſſus, umbras ſæpe tranſiliunt ſicut foueas. Nutat his eũ facie terra, ſubitò erigi & inclinari uidetur, & quaſi uertaẽ, timẽtes in faciẽ ruunt,

ruunt,& solum manibus apprehendunt,aut concurrentibus montibus sibi uidentur ineludi.Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor,& resonantia fluctu littora. Canes si uiderint,leones arbitrantur,& fugiunt.Alij risu soluuntur incondito,alij incon solabili mœrore deplorant,alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est,somnus his mors est: excitari nullis uocibus possunt quantolibet stimulando impulsu petas, nisi resipuerint, euigilare non possunt. Vnde bene Hieremias huiusmodi hominem tanquam superfluam creaturam deflendũ putat. Quid est homo ebrius,nisi superflua creatura?Itaq; sic ait: Sicut fletum Iazer deflео te uitis,quia deserta est ciuitas Iazer.Et infra: Vinum erat in torcularibus tuis, manе non calcauerunt,meridie autem non fecerunt.Iazer,Mohi,Ticine,Piccot factura superflua est.Moderatio enim naturalis est: supra mensuram quicquid est,superfluum habetur.ita est ebrietas,quæ fletu prophetico deploratur. Vnde ait Apostolus: Nolite inebriari uino,in quo est luxuria,sed inebriamini spiritu.Est ergo ebrietas culpę,est & gratiæ.Et forte hæc naturæ quæ gratiæ, qui ad imaginem & similitudinem dei facti, spiritu sancto repleti esse debemus. *Hier.48* *Ephes.5*

De obtestationibus & sacramentis potantium, quæ uiolare nefas arbitrãtur. Et quomodo sæpe uino secretiora hominis extorqueantur. Quodq; frequens ingurgitatio interiora hominis absumat. Cap.XVII

Q Vid autem obtestationes potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ uiolare nephas arbitrantur? Bibamus,inquiunt, pro salute imperatorũ: & qui non biberit,sit reus in deuotione. Videtur enim non amare imperatorem,qui pro eius salute nõ biberit.O pię deuotionis obsequiũ.Bibamus pro salute exercituum,pro comitũ uirtute, pro filiorum sanitate. Et hæc uota ad deum peruenire iudicant,sicut illi qui calices ad sepulchra martyrũ deferunt,atq; illic in uesperam bibunt,& aliter se exaudiri posse nõ credunt.O stultitiam hominũ,qui ebrietatem, sacrificium putant:qui æstimant illos ebrietate placari,qui ieiunio passiones sustinere didicerũt.Quot de intemperantia conuiuij nouimus ad tormenta uenisse? Dum per ebrietatẽ de imperio suo certant,& sibi regna promittunt,alijs honores pollicentur,infœlices ad pœnam ducti sunt,qui quid dicerent,nesciebant. Vnde plericq; boni iudices ea quæ per ebrietatem dicta sunt,esse tenenda ad crimen non putauerunt. Plericq; etiam uino utuntur ut equuleo: & quibus tormenta nõ eliciunt uocẽ proditionis,eos tentant bibendo, ut patriæ statũ,salutem ciuium,defensionis suę prodant consilia. Virtus enim plerunq; uincit dolorem,fidem autẽ potus excludit.Cognoui plerosq; fidiculis exulceratos nomen suũ negasse.Quis inter cyathos texit,quod latere cupiebat? Quid retexam audita? Mihi nõ poculi,sed profluuij genus esse uidetur,quòd in ora hominũ tanquam per fistulas aut canales uina funduntur.Hos homines an utres uerius æstimauerim? Et tamen ipsi utres,si immoderata transfusio fit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominũ uina decurrunt,& si quis respirauerit, commissum flagitium,soluta acies,loco motus habetur.Aqua decurrens à Libano cautes rumpit & soluit, quomodo mollibus putãt nequaquam nocere uisceribus uinolentorum impetus fluentorum? Elephantos quoq; ferunt promuscide haurire aquæ plurimum,eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu esse contentos. Sed si forte ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, indignantes,replere concauum promuscidis, non ut bibant, sed effundant, atq; ita momentarijs inundationibus irrigare eius tabernam, de quo se putarint uindicandos. Siccantur ad potum subito lacus,ac repente funduntur,natant omnia.Cui non mirum, tam immania beluarum corpora superfluum nil tenere?

Quomodo etiam fœminæ usq; ad ebrietatẽ bibant, & inde in plateis inuerecundos uiris sub conspectu adolescentulorum intemperantium ducant choros. Et quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia. Cap.XVIII

S Ed quid de uiris loquamur,quando etiam fœminæ,quas oportet sollicitiorẽ castitatis,sobrietatisq; adhibere custodiam, usq; ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes,quas etiam inter secreta domus uel audiri ab alienis non conuenit uel uideri, prodire audent in publicum non uelato capite, uultu procaci. Apostolus mulieres tacere etiam in ecclesia iubet, domi uiros suos præcipit interrogare. *1.Cor.4*

Illæ

Illæ in plateis inuerecundos uiris sub conspectu adolescentulorum intemperantiũ cho
ros ducunt, iactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, plauden
tes manibus, saltantes pedibus, personantes uocibus, irritantes in se iuuenum libidines
motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentũ, &
fit miserabile theatrũ. Inter saltantium ruinas & spectantiũ lapsus, cœlũ impuro contami
natur aspectu, terra turpi saltatione polluit, quę obscœnis cantibus uerberatur. Quomo
do patienter loquar, pie prætereã, conuenienter defleam? Vinũ nobis tantarũ animarũ
damna intulit. Etenim si uinũ & mulieres discedere à deo faciunt, quòd uel ebrietas, uel
libido præuaricationis illecebræ sint, si singula ac separata hæc faciunt, quid faciunt uni-
Eccli 26 ta? Vnde non immerito ait Sapiens ante nos quidam: Mulier ebriosa, ira magna. Quid
autem mirum si uino decipiuntur animæ fœminarũ, cum omnes illę tribus patrum cum
de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes ualidissimas uincerent, & nõ e-
rat in his ullus infirmus: ubi uerò carnes desiderare cœperunt, & desideriis in Aegyptũ
conuertebantur, nequaquam ex tot milibus hominum in terram promissionis præter
duos peruenire potuerunt? Itaq; quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia, hinc
collígi datur, quando qui murmurabant, requirentes Aegypti delicias, à serpentibus
mordebantur: quando per maris rubri transibant semitam, aquam bibebant. Nos er-
go uereamur exemplum, nos fugiamus delicias, ne nos futurorum bonorum adeptio-
ne defraudent.

Quid sibi sperare debeãt bene pasti & luxurioſi, & de uisione Tyri. Quodq; ma
re nulla necessitate, sed sola humana intemperantia inquietatum fuerit. Et quo-
modo luxurioſi nauibus assimilentur. Cap. XIX

Esa. 22 E T quid aliorũ utar exemplis? Ipsi bene pasti ac luxurioſi quid sibi sperant, au
Ibid. 33 diamus. Inducit enim eos Esaias propheta, dicentes: Manducemus & biba-
mus, cras enim moriemur. Meritoq; exclamat: Vlulate naues Carthaginis,
quia perierunt, & nõ amplius erunt. Quod est dictum de uisione Tyri, quã luxurioſam
urbem cognouimus. Ideoq; nona uisio est, nõ septima aut octaua, quòd ea neq; legẽ cu
stodiat, neq; Euangelij gratiam: cum & sabbato legitimo ignes libidinis adolere sit ue-
titum, & Euangelij serie octauus dies resurrectionis illuceat. Idem autẽ dies primus atq;
octauus, quia dominica dies in se recurrit. Luxuria ergo nec finẽ habet, nec ob seruantiã
disciplinæ, luxuria seminarium & origo uitiorũ est. Nec arbitremini me aduersus Apo-
1. Tim. 6 stolum dixisse, quia ille ait auaritiam radicem esse uitiorum omnium: quoniam luxuria
ipsius est mater auaritiæ. Etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates,
quærit postea auara cõpendia. Audistis hodie quid lectum sit: Mercatores, inquit, Phœ
nicum transmeantes mare. In aqua multa semina mercatorũ, sicut messis quæ defertur.
Vicinæ sunt istæ ciuitates, Tyrus, Phœnice, Sidon: uicinæ ut locis, ita & uitijs. Mercatu
ris ac negociationibus periculosa transfretatio maris. Lucella quærens solicita uita ho-
minũ, inquieta conuersatio, & quodam semper in turbine, uentis ipsis mobilior quibus
uoluitur, huc atq; illuc sæpe iactatur. Et utiq; accusatis crebra naufragia, quis uos nauí-
gare compellit? Quasi non inuidia opum & terras faciatis intutas, & ad latrocinij plu-
rimos excitetis. Mare nõ ad nauigandum fecit deus, sed propter elementi pulchritudi-
nem. Latius pelagi fudit æquora, certe ut freto includeret terras, ne longius tu uagus &
exul errares. Sed tẽpestate iactatur mare. Temere ergo nõ usurpare debetis. Elemẽtum
innocens nihil deliquit, temeritas humana sibi est ipsa discrimini. Denicq; qui non nauí-
Gen. 1 gat, nescit timere naufragium. Dominus dixit: Dominamini piscij maris, non dixit, Na
Ionæ 1. & 2 uigate in fluctibus. Denicq; & propheta Ionas, qui missus est in Niniuem ut pœnitẽtiam
prædicaret, quia uoluit nauigare ut fugeret à facie dei, tempestate turbatur, & sorte du-
Psal. 8 ctus & iactatus in mare & exceptus à ceto est. Propheta quoq; Dauid ait cum dei circa
hominem cõmemoraret gratiam: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues u-
niuersas, insuper & pecora campi, Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semi
tas maris. Piscibus dedit nõ hominibus perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare
datum est, nõ ad periculum: ad cibum nõ ad mercatũ utere. Cur tibi periculum generas
de uoluptate? Cur separatoris elementi profunda rimaris? Cur inquietas mundi altio-
ra secreta? Cur postremò sæpius sulcare atq; exarare fluctus impatiens nauta cõtendis?

Cur

Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplebilis auaritia mercatorum. Cedit tibi pelagus, & mare inquietudinē tuam ferre non potest totiens recurrentibus mercatoribus exaratū. Erubesce Sidon, ait mare. Tanquam fatigati elementi uox ista dicētis est: Erubesce Sidon, hoc est, meos fluctus negociator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior: & erubesce uel pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores uenti sunt, quàm uestræ cupiditates. Illi habent ocia sua, nunquam uestra quęrendi studia feriantur. Et cum ociosa tempestas est, nunquā uestra ociosa sunt nauigia. Versatur unda sub remige, quæ quandoq; quiescit à flamine. Non parturiui, inquit, nec peperi, nec enutriui iuuenes, quid me inquietant quos nescio, quos nō agnosco? Ite in Carthaginem, ululate qui inhabitatis insulas. Suprà dixit: Vlulate naues Carthaginis. Carthaginem etenim Tyrij condiderunt, & ideo Carthaginenses sequuntur luxuriam conditorum, transfusa in se decolora successione nequitiæ, pessimorum uitiorū deteriores hæredes. Et bene luxuriosos naues dixit. Sicut enim illæ uento, ita hi cibo iactantur & uino. In insulas repleta potu nauigant corpora, naufragijs circumsonant, tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem nec per noctem quiescunt. Horum igitur mercatorū semen in aqua, messis in fluctibus est. In aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant. In aqua eis seges pullulat, in aqua messis exuberat. Fructus ipsis in aqua est, nunquam tutus & solidus. Vnde recte ait: Qui seminabat in terra, non introiuit in negociationem, imò qui seminabat in cœlo. Sed est & bona terra, in qua quicunq; seminauerit, fructus ei cœlestis oriatur.

Esa. 23

Quis dicatur cantus meretricis, de quo in Esaia: Eritq́; post annos septuaginta Tyrus ut canticum meretricis. Et de misericordia medici, & Saluatoris gratia, & quibus modis quærenda sit.

Cap. XX

VLulate, inquit, iterū naues Carthaginis, quoniam perijt munitio uestra, & erit in illa die, relinquetur Tyrus. Et infrà: Eritq́; post septuaginta annos Tyrus ut canticum meretricis. Videte quibus uerbis utatur propheta, nec refugiat uerborū istiusmodi uilitatē. Nos interdum refugimus, nō quod nobis quàm illis lingua sit castior, sed authoritas inferior. Maior enim uis rerum in talium expressione sermonum est: ut qui delicta non erubescunt, erubescant uel nomina delictorū. Eritq́; Tyrus, inquit, ut canticum meretricis. Videte ne cum aliquis illos choros uiderit pia uerba cantare, dicat: Ecce Tyrus facta est ut canticū meretricis. oraculum propheticæ annunciationis impletum est. Et subiecit: Accipe citharam, uagare ciuitas meretrix oblita, bene cithariza, multa canta, ut fiat memoria tui. Et post septuaginta annos erit Tyrus canticum meretricis, & uisitationē faciet deus Tyri. Vnde possumus & in bonum canticū Raab illius meretricis accipere, quæ exploratores Iesu fideli mente suscepit. Nam & dominus ait: Cantauimus uobis & non saltastis. Et Dauid ait: Cantate domino canticum nouū, cantate domino omnis terra. Hoc est canticū meretricis, quod ante illa meretrix in Adam & Eua terra cantauit, meretrix in populo nationū. Hæc meretrix bonas plurimas fecit meretrices: de quibus dictum est à domino Iesu ad illum electum & seniorem populum dei: Publicani & meretrices præcedent uos in regnū dei. Ergo quoniam tam misericordem habemus dominū, qui etiam graui ignoscat errori, conuertamur nos à uitijs, nō recedamus à lege, præceptū domini quasi serui sedulis studijs exequamur. Quid nobis cum impuritatibus & impudicitijs? Quid cum operibus diaboli? Audistis hodie in lectione decursa quid legio dixerit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dauid? Et tu dicito si forte uides pugnare aduersum te diaboli tentamēta: Quid mihi & tibi est Belial? Ego Christi seruus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipaui. Quid mihi & tibi est? Non noui opera tua. Nihil tuū quæro, nihil tuum possideo: nihil tuum desidero. Quanto magis nos oportet separare à diabolo, si se ille discernit à Christo? Et si fuimus ei aliquando obnoxij, iam nō simus: confugiamus ad medicū, qui uulnera superiora curauit. Et si quid superest acerbitatis, medela nō deerit. Et si quid iniuriæ fecimus, memor nō erit qui semel donauit. Et si grauia deliquimus, magnū medicū inuenimus, magnam medicinam gratiæ eius accepimus. Magna enim medicina tollit peccata magna. Habemus etiā plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniā habes, redime peccatum tuū. Non uenalis est dominus, sed tu ipse uenalis es. Peccatis tuis uenundatus es,

Esa. 23

Iosue 2

Lucæ 7

Psal. 95

Matth. 21

Lucæ 8

redime

redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed preciosa est misericor-
Tob. 12 dia. Eleemosyna, inquit, à peccato liberat. Et alibi dicit: Redemptio uiri, diuitiæ eius. Et
Prou. 13 in Euangelio dominus dicit: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Et ueneno
Lucæ 16 frequenter antidotũ temperatur, hoc est, uenenũ ueneno excluditur. Veneno mors re-
pellitur, uita seruatur. Fac & tu quasi bonus dispensator de instrumento auaritiæ subsi-
dium misericordiæ, syncerítatis gratiam de corruptionis illecebra.

Quomodo intelligendum sit illud prophetę: Ecce uenit dominus disperde-
re orbem terrarum. Et quomodo athletæ simus, quibus multis certaminibus
in stadio currendum est pro brauio, & ideo sobrietate, & abstinentiæ exerci-
tio nobis opus sit. Cap. XXI

Esa. 13 Vdisti quid lectum sit hodie: Ecce uenit dominus disperdere orbem terra-
A rum. Quasi manu sanctus propheta demonstret, quasi oculis aduenientẽ ui-
deat iudicij diem, ita dicit: Ecce uenit dominus disperdere terrarum orbem.
Imò quia in spiritu prophetis etiam quæ futura sunt, tanquam præsentia reuelãtur, ideo
quæ uidebant, nobis quoq; demonstrare cupiebant, ut nos ad conuersionem ab errore
reuocarent. Nec tamen quisquam frangi debet cum audit, quia disperdet dominus or-
bẽ terrarũ. Ne forte dicat, Esto, nos grauia peccata cõmisimus: quid orbis deliquit, quid
cœlum, quid terra, ut & illam disperdat? cur perit tam pulcher ornatus? Sed angustia est
animi, istiusmodi opinio. Cęterùm si altius spectes, inuenies hoc esse pro nobis quod pu
tas esse contra nos: iudicabis hoc esse pro mundo, quod aduersum mundum arbitraris.
Non semper stadium plenũ repertũ est spectatoribus, non semper certaminibus inquie
tum, non semper concretũ puluere: sed quando certamina, tunc populus in spectaculo,
luctator in scammate, puluis in stadio. Vbi decursa certamina: cõuentus soluitur, discę-
dit unusquisq;, aut uictor ad gratiam, aut uictus ad opprobrium: euehit corona uictorẽ,
uictum premit uerecũdia, angit iniuria. Si quis ergo postea ingrediatur stadium, uideat
uacuũ celebritatis, dicat agonothetæ, cur uacat stadium? cur silent certamina? cur solen
nia feriantur? Respondebit qui agoni præest, oportet feriari athletas, oportet spectato-
res requiescere. Qui enim laboris est fructus, nisi requies post laborẽ? Similiter & orbis
terrarũ aliquando soluendus est, ut sit requies fatigatis. Athletæ sumus, in quodam sta-
1. Cor. 4 dio decertamus spiritali. Deniq; bonus athleta dicebat: Facti sumus spectaculum huius
Ibid. 9 mundi. Et alibi: Sic curro, nõ ut in incertũ: sic enitor, nõ ut aerẽ cædens, sed castigo cor
Philip. 3 pus meum. Et alibi: Superiora obliuiscens, & quæ sunt priora appetens, ad destinatũ se-
quor brauiũ. Athletæ ergo sumus, legitimè certandum est. Multa certamina sunt: & qui
hodie uictus est, cras se reparet. Ante ad brauiũ contendit, postea ad coronã. Nunquid
athleta ocio uacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, un-
gitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custodit.
Et tu dedisti nomẽ tuum ad agonẽ Christi, subscripsisti ad competitionẽ coronæ, medi-
tare, exercere, ungere oleo lætitiæ, unguẽto exinanito. Cibus tuus, cibus sobrietatis sit,
nihil habeat intẽperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat:
custodi corporis castimoniã, ut possis esse habilis ad coronã, ne existimatio tua offendat
spectatoris affectũ, ne te fautores tui negligentẽ uideant & deserant. Spectant te archan
geli, & potestates, & dominationes, & illa angelorũ decem milia milium. Sub tãtis spe-
ctatoribus erubescere cõsidera & dedecorosum sit. Ingressus stadium puluere rigorem
animæ tuæ excita, lacertos excute. Progressus in scamma, necesse est ut excipias puluę-
rem, subeas æstiui solis flagrantiam. Grauis æstus, sed dulcis uictoria. Molesta caligo pul
ueris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulen-
tum reddunt certamina. Ibi colligitur puluis, ubi palma proponitur. Nemo iterum niti-
dus coronatur: puluerulentũ decet uictoria. Veni ergo domine Iesu, exeat corona tua,
admitte uictores in requiem, uictos ad compunctionẽ. Etsi disperdideris orbem terra-
rum, plura sunt inuisibilia opera tua, & quæ uidimus. Qui angustioris est animi, illa non
cernit, dolet quod disperdas orbem terrarũ. Sed qui nouit spectare quæ inuisibilia sunt,
Matth. 6 gaudet ut uenias, & omnes liberes. Gaudent athletæ qui possunt dicere: Veniat regnũ
Rom. 8 tuum, fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Gaudebit creatura mundi, ut à uanitate
mundi istius liberetur, quæ nunc congemiscit & parturit, quia uanitati etiam illa crea-
tura

tura subiecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum, & totius corporis redemptio compleatur. In bono ergo disperdet orbem terrarũ: Erit etenim cœlum nouum, & nox non erit amplius. Denique reuelabit, inquit, faciem eius, ut reuelata facie spectemus gloriam Christi. 1.Cor.3

Qua ratione corpus nostrũ ieiuniis castigandum sit, comessationesq; indecoræ fugiendæ, ne succumbentes in stadio, exortes ueniæ, multis fautoribus mœrorẽ affe ramus. Et de ablutione aquæ baptismatis, quodq; festinandũ sit ad gratiã. Cap. XXII

A Duertimus ergo in stadio constituti, quantis aut delectationi aut dolori eri-mus, qui nunc fautores nobis sunt, ne pro nobis incipiant erubescere. Sicut enim erit gaudiũ in cœlo super uno peccatore pœnitentiã agẽte, ita erit mœ- Luc.15
stitia super uno peccatore, si exors ueniæ, cursum huius uitæ confecerit. Castigemus er-go corpus nostrũ ieiuniis, fugiamus indecoras comessationes. Caucamus ne nobis dica tur, Vlulate à uino. Ne ueniat Moyses, & Leuitas aduocet: & quicunq; paratus ad domi num armatam dexterã gerat, separet se ab his qui manducando & bibendo grauia con- Osee 1
traxere peccata. Et hodie Moyses uenit cũ lex recensetur: Moyses uocat, cum lex præci pit. Apostolus docet ut separemus nos ab omni fratre inquiete agente. Percutiamus eũ 2.Thess.3
gladio spirituali, qui est uerbũ dei. Non fratris, non propinqui accipiamus personam, sed Ephes.6
omnẽ immundũ à Christi secernamus altaribus, ut emundet & corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereat. Si quis aũt non est baptizatus, securior conuertat, & remissionẽ accipiat peccatorũ. siquidẽ baptismus uelut ignis quidã peccata cõsumit, quia Christus in igne & spiritu baptizat. Denicq; hũc typũ Legis in Regnorũ libris inue- 3.Reg.18
nies, ubi Helias super altare ligna imposuit, & dixit ut mitterent super de hydriis aquã, & dixit: Iterate tertiò. & iterauerunt tertiò: & cum manaret aqua, precatus est Helias, & ignis descendit de cœlo. Tu es homo super altare qui abluēris aqua, cuius exurit culpa, ut uita renouet. Lignũ enim & stipulã consumit ignis. Noli timere ignẽ per quẽ illumi-naris. Ideo tibi dicitur. Accedite ad deum, et illuminamini. Suscipite iugũ Christi. Nolite Psalm.33
timere, quia iugum est: festinate, quia leue est. Non conterit colla, sed honestat. Quid du- Matth.11
bitatis? quid procrastinatis? Non alligat ceruicẽ uinculis, sed mentẽ gratia copulat. non necessitate constringit, sed uoluntatẽ boni operis dirigit. Quid negas adhuc esse tempo ris? Omne tempus opportunũ ad indulgentiã. Si aurũ tibi offeram, non mihi dicis, Cras ueniás: sed iam exigis. Nemo differt, nullus excusat. Redemptio animę promittit, & ne-mo festinat. Ioannes in pœnitentiã baptizabat: & omnis Iudæa cõueniebat: Christus ba- ibid.3
ptizat in spiritu, Christus gratiã dispẽsat, & cum fastidio conuenit. Typum baptismatis demonstrauit Helias, & cœlũ aperuit quod fuit clausum tribus annis, & sex mensibus. 3.Reg.17
Quanto maiora munera ueritati sunt? Aperuit itaq; cœlum non pluuia descendens, sed ascendens gratia. Nemo enim nisi per aquam & spiritũ ascendit in regnũ cœlorũ. Clau-serat cœlum hominibus perfidia, sed aperuit fides. Patebat & antehac cœlũ hominibus. Denicq; Enoch raptus ad cœlũ est. Iterũ clausum est: sed aperuit Helias, qui raptus est cur- Genes.5
ru igneo. Et uos potestis ascendere, si sacramenti gratiã consequamini. Quousq; ad de- Eccl.44
lectationes? Quousq; ad comessationes? Instat iudicij dies. dum differs gratiã, mors ap- Hebr.11
propinquat. Quis dicat, Nunc mihi non uacat, occupatus sum, nõ mihi demonstres lu- 4.Reg.2
men, nolo tam cito me redimas, nõ mihi adhuc opus est regno cœlesti? Nonne hoc di-cit qui excusat se à baptismate? Ad quantã gratiã uocaris ô homo? purgaris, & non exu-reris: sanaris, & non doles: reformaris, sed non dissolueris: ictũ mortis non excipis, & re-surgis. Et adhuc dissimulas, adhuc expectas ut uiuas seculo, postea te reseruas deo? An ignoras quòd Cain propterea displicuerit sacrificiũ, quoniã non primitiua obtulit, sed primitiuis ipse perfunctus est, de sequentibus munus deo tentauit offerre: Abel aũt pri-mitiarum suarum oblatione prælatus, meruit insigni pietatis laudari oraculo?

CAPITA LIBRI DE THOBIA.

Quòd humiliter ac patienter uir iste iustus, misericors, & hospitalis tulerit captiuitatis ærumnam, quam ob uirtutes quibus præditus fuerat subijt, cõmunem magis iniuriã quàm priuatam dolens. Quodq; nullum humanitatis officiũ illo sit prestantius quod defunctis corporibus confertur. Cap. I

De cõmendatione ſancti uiri, qui dum cæcitatem incidit, non ingemuerit, nec conque-
ſtus fuerit. Et quod diligẽter cauebat ne quid furtiuum domum ſuam intraret. Quod
etiam pecuniam quam proximo ſuo cõmodauerat, in tanta indigentia non popoſce-
rit. Quòd præterea in hoc quod pecuniam commodauit, & non fœnerauit, iuſti ſer-
uauerit officium. Et de duplici fœnore cum deteſtatiõe execrabilis ac mali fœnoris, Cap. II
& commendatione boni. Cap. III
De deteſtatione duritiæ & auaritiæ fœneratorum.
Qua ratione fœneratores Iudæ & diabolo comparẽt. Et quid ſignificetur nominibus Cap. IIII
creditoris, debitoris, fœnoris & ſortis.
Quomodo pecunia fœneratorum nunquam quieſcat. Quomodo etiam imprudenter
recipientes ſub uſuris mutuo, ſtatim multos acquirant amicos, cum quibus opiparè
& ſplendidè conuiuent, qui tamen exhauſta pecunia ſoli fœneratori dilacerandi re-
linquuntur. Et de illorum ſera pœnitentia. Cap. V
De nequitia fœneratorum, qui aliena damna arbitrantur ſua lucra, & quomodo ſibi fin- Cap. VI
gant tectoriolũ ſuæ iniuſtitiæ.
De increpatione adoleſcentũ, qui ſub uſuris pecuniam mutuo recipiunt, & de uulnere
remedium quærunt. Et q̃ triſtis his ſit facies creditoris occurſantis. Et de inducijs per- Cap. VII
eos poſtulatis, parum tamen profuturis.
Quòd pro paterno debito nõnunq̃ liberi in auctionem deducant, & publicè ſub haſta Cap. VIII
uendant. Et quomodo obligatus fœneratori uenditus dicatur.
Quòd fœnerator peccati noſtri diabolus ſit. Et de cõparatione ipſius ad uſurarium. Et Cap. IX
quòd idem ſit exactor qui ſe creditorem appellat.
Quòd à fœneratoribus defunctorũ cadauera aliquando teneantur pro pignore, & eis
tumulus denegetur. Et quòd nihil intereſt inter funus & fœnus, inter mortem & ſor- Cap. X
tem
De uſura ab aleatoribus exorta. Et de inuiolabili lege aleæ, cui ſubijciuntur etiam fero- Cap. XI
ciſſimi homines.
De odibili fœneratorum exactione. Et de uarijs uocabulis ab eis ſub honeſtatis ſpecie
excogitatis. Et quòd fœneratoris pecunia ſit Echidna, & imitetur naturam ſerpen- Cap. XII
tum.
Vnde dicatur uſura. Et quemadmodũ ſimul naſcatur & enutriat, & iam nata parturiat, Cap. XIII
ſemperq̃ inexplebilis atq; inſatiabilis ſit.
De uſura diuina lege prohibita. Et quòd ſecundum Catonẽ fœnerare ſit hominem occi-
dere. Quodq̃ omne quod præter ſortem accipitur, ſit uſura, quocunq̃ uocabulo ap- Cap. XIIII
pelletur.
Quomodo intelligatur illud Deuteronomij, Ab alienigena uſuram exiges, non autẽ à Cap. XV
fratre. Et de maledictione uſurarij ſecundum Ezechielem.
Quibus dñs in Euangelio doceat fœnerandum. Et quòd fœneratores à deo peccatores Cap. XVI
appellent. Et quis poſſit eſſe bonus fœnerator, & quærere bonas uſuras. Cap. XVII
An liceat mutuum danti recipere pignora.
Quid fœnerandum, & quibus ſecundum legis ſtatuta, & quòd etiam iuſtus & pauper Cap. XVIII
hoc facere ualeant.
Quomodo patres noſtri gentibus fœnerarint. Et quomodo hodie ſacerdotes fœnerare Cap. XIX
debeant.
Quod ſit illud pignus quod lex reddi iubet ante ſolis occaſum. Et de triplici pignore.
Caput XX
De reprehenſione debitorũ mutuum recipientium, & poſtmodum cõmodantibus in-
gratorũ in redditione facienda, & de obligatione molæ & lapidis ſupermolaris pro- Cap. XXI
hibita. Cap. XXII
Quem fœneratorem imitari debeamus.
An fœneratores excuſet quòd etiam ſuperiores noſtri id fecerint, & quod antiquum ſit
uſurarum exercitium. Et quomodo Thobias neq; pignus neq; fideiuſſorẽ receperit. Cap. XXIII
Quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiubere debeat.
De alijs uirtutibus Thobiæ. Et quomodo mercenario merces ſit ſoluẽda. Cap. XXIIII

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE THOBIA LIBER VNVS.

Quàm humiliter ac patiẽter uir iſte iuſtus, miſericors & hoſpitalis tulerit captiuitatis ærumnam, quam ob uirtutes quibus prædítus fuerat ſubíjt, cõmunem magis iniuriam q̃ priuatam dolens. Quod q̃ nullum humanitatis officiũ illo ſit præſtantius quod defunctis corporibus confertur. Cap. I

ECTO Prophetico libro qui inſcribitur Thobias, quamuis plenè uobis uirtutes ſancti Prophetæ ſcriptura inſinuauerit, tamen compendiario mihi ſermone de eius meritis recenſendis & operibus apud uos utendum arbitror, ut ea quæ ſcriptura hiſtorico more digeſſit latius, nos ſtrictius comprehendamus, uirtutũ eius genera uelut quodam breuiario colligentes. Fuit uir iuſtus, miſericors, hoſpitalis, & ob uirtutes quibus prædítus fuerat, ſubíjt ærumnã captiuitatis: quã ferebat humiliter atq; patienter, cõmunem magis iniuriam q̃ priuatam dolens. Nec ſibi uirtutũ ſuffragia nihil profuiſſe deplorans, ſed magis eam ſibi cõtulíjs capitiuitatis mortuũ ſepultũ daret. At ille interdicto non reuocabat magis q̃ incitabatur, ne deſerere officiũ pietatis mortis metu uideret. Erat enim miſericordiæ preciũ, monío egenus & exul reſtitui ſuis. Iterũ in his uerſabat officijs: ſi quid alimenti foret, peregrinũ cum quo cibum ſumeret, quærens. Itaq; cum à ſepultura feſſus reuertiſſet meridie, appoſitis ſibi edendi ſubſidijs, miſſo filio querebat conſortẽ conuiuij. Dum cõuiua accerſitur, nunciatis inſepulti corporis reliquijs, deſerebat: nec putabat pium ut ipſe cibum ſumeret, cum in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianũ opus, & magnum quidem. Nam ſi uiuentes operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? Si uiantes ad longiora deducere ſolemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde iam non reuertentur? Ego, inquit Iob, ſuper omnem infirmum fleui. Quis infirmior defuncto, de quo dicit ſcriptura alibi: Super mortuũ plora? Eccleſiaſtes aũt ait: Cor ſapientum in domo luctus, cor aũt ſtultorum in domo epularũ. Nihil hoc officio præſtantius, ei conferre qui tibi iam nõ poſſit reddere, uindicare à beſtijs conſortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur, homines denegabunt?

Iob 33
Eccl. 12
Ibid. 7

De cõmendatione ſancti uiri, qui dum cæcitatem incidit, non ingemuerit, nec conqueſtus fuerit. Et quod diligẽter cauebat ne quid furtiuum domũ ſuam intraret. Quòd etiã pecuniã quam proximo ſuo cõmodauerat, in tanta indigentia non popoſcerit. Quòd præterea in hoc quod pecuniam cõmodauit & non fœnerauit, iuſti ſeruauerit officium. Et de duplici fœnore, cum deteſtatione execrabilis ac mali fœnoris, & cõmendatione boni. Cap. II

THam ſancto feſſus officio propheta dum requieſcit in cubiculo ſuo, cadente de paſſerum nido albugine cęcitatem incidit, nec conqueſtus ingemuit, nec q̃ oculorũ munere: nec cæcitatẽ pœnam, ſed impedimentũ putabat. Et cum uictũ mercede leuaret coniugis: ne quid furtiuum domum ſuam intraret cauebat. Vxor hœdum pro mercede acceperat. At ille plus honeſtati quàm pietati conſulens, cui ſua deerant, alimoniam cõmodauerat proximo ſuo, quam toto uitæ ſuæ tempore in tanta indigentia non popoſcit. Vix ubi ſe feſſum uidit, & depoſitum ſenectute, inſinuauit filio: non tam cupiens commodatum repoſcere, quàm ſolicitus, ne fraudaret hæredem. Quod igitur commodauit pecuniam, & non fœnerauit, iuſti ſeruauit officium. Malum eſt enim fœnus, quo quæruntur uſuræ: ſed non illud fœnus malum, de quo ſcriptum eſt:

Eccl. 29 Fœnera proximo tuo in tempore neceſſitatis illius. Nam Dauid ait: Iuſtus miſeretur &
Pſal. 36 commodat. Aliud illud fœnus iure execrabile, dare in uſuram pecuniam, quod lex pro-
hibet. Sed Thobias hoc refugiebat, qui monebat filium ne præceptũ domini prę̃teriret,
ut ex ſubſtantia ſua eleemoſynam faceret, non pecuniam fœneraret, non auerteret faciẽ
ſuam ab ullo paupere. Hæc qui monet, condemnat uſuras fœnoris, ex quo multi quę̃ſtũ
fecerunt, & multis cõmodare pecunias negociatio fuit. Et quidem eam prohibuerunt
ſancti. Quo grauius malum fœnus eſt, eo laudabilior qui illud refugit. Da pecuniã ſi ha
bes, proſit alij quæ tibi ocioſa eſt. Da quaſi non recepturus, ut lucro cedat ſi reddita fue-
rit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam: ſi fraudaris pecunia, acquires iuſtitiam.
Iuſtus eſt enim qui miſeretur & cõmodat. Si amittitur pecunia, cõparatur miſericordia.

Eccli. 29 Scriptum eſt enim: Qui facit miſericordiam, fœnerat proximo. Cap. III

De deteſtatione duritiæ & auaritiæ fœneratorum.

Vlti diſpendij metu non fœnerant, dum fraudem uerentur. Et hoc eſt quod
M petentibus conſueuerunt referre. Horum unicuiq; dicitur: Perde pecuniam
propter fratrem & amicum, & non abſcõdas illam ſub lapide in perditionẽ.

Ibidem. Pone theſaurũ tuum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi magis q̃ aurũ. Sed obſurdue
runt aures hominũ ad tam ſalutaria pręcepta, & maximè diuites ære illo ſuæ pecunię au
res clauſas habent. Dum pecuniã numerant, reſponſa non audiunt. Simul ut aliquis ne-
ceſſitate conſtrictus, aut pro ſuorũ redemptione ſolicitus quos captiuos Barbaris uen-
dat, rogare cœperit, ſtatim diues uultũ auertit, naturam nõ recognoſcit, humilitatẽ ſup-
plicis non miſeretur, neceſſitatẽ non ſubleuat, fragilitatẽ cõmunem non conſiderat, frat
inflexibilis, reſupinus, non precibus inclinatur, non lachrymis mouetur, non eiu: atibus
frangitur, iurans quòd non habeat, imò & ipſe fœneratorem requirat ut neceſſitatibus
ſubueniat ſuis. Quid addis duritiæ & auaritiæ tuæ iuramentum? Non abſolueris periu-
rio, ſed ligaris. At ubi uſurarũ mentio facta fuerit aut pignoris, tunc abiecto ſupercilio
fœnerator arridet, & quem ante ſibi cognitũ denegabat, eundem tanquã paternam ami
citiam recordatus oſculo excipit, hæreditarię pignus charitatis appellat, flere prohibet.
Quęremus, inquit, domi ſi quid nobis pecunię eſt, frangam propter te argentũ paterni
quod fabrifactũ eſt, plurimũ damni erit. quæ uſuræ cõpenſabunt precia emblematum?
Sed pro amico diſpendiũ non reformidabo. cum reddideris, reficiam. Itaq; antequã det,
reficere feſtinat: & qui in ſumma ſubuenire ſe dicit, uſuras exigit. Kalẽdis, inquit, uſuras
dabis. fœnus interim, ſi nõ habueris unde reſtituas, nõ requiro. Ita ut ſemel det, frequen
ter exigit, & ſemper ſibi debere efficit. Hac arte tractat uirũ. Itaq; prius eũ chirographis
ligat, & aſtringit uocis ſuæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, abſolutur
miſer minore debito, maiore ligatur. Talia ſunt ueſtra diuites beneficia. Minus datis, &
plus exigitis. Talis humanitas, ut ſpolietis etiam, dum ſubuenitis. Fœcundus uobis etiã
pauper eſt ad quęſtũ. Vſurarius eſt egenus. cogentibus uobis habet, quod reddat: quòd
impendat, nõ habet. Miſericordes planè uiri. Quem alij abſoluitis, uobis addicitis. Vſu-
ras ſoluit, qui uictu indiget. An quicquam grauius? Ille medicamentũ quærit, uos of-
fertis uenenum. Panem implorat, gladium porrigitis. Libertatem obſecrat, ſeruitutem
irrogatis. Abſolutionem precatur, informis laqueí nodum ſtringitis.

Qua ratione fœneratores Iudæ & diabolo comparentur. Et quid ſignificẽt nõ
minibus creditoris, debitoris, fœnoris & ſortis. Cap. IIII

Pſal. 54 Anc præcipuè iniuſtitiam deplorat ſanctus Dauid, dicens: Vidi iniquitatẽ
H & contradictionem in ciuitate, & non defecit de plateis eius uſura & dolus.
Itaq; cum proditionem Iudæ ſubij̃ceret, hoc præmiſit: ſiue quod ultra facrile
gij̃ inuidiam, coniuratis dominicæ necis fœnoris crimen acciderit, ſiue quod tantum ſa
crilegium ſatis abundeq; uſura fœnoris ultum iret. Mali fœneratores, qui dederunt pe-
cuniam ut interficerent authorem ſalutis: mali & iſti, qui dant ut interficiant innocen-
tem. Et iſte quoq; qui pecuniam acceperit, ut proditor Iudas laqueo ſe & ipſe ſuſpendit.
Ipſum Iudam hoc maledicto putauit eſſe damnandũ, ut ſcrutaretur fœnerator eius ſub-
ſtantiam: quia quod proſcriptio tyrannorum, aut latronum manus operari ſolet, hoc ſo
la fœneratoris nequitia conſueuit inferre. Doctiores autem ipſi fœneratori putant dia-
bolum comparandum, qui uires animæ, & precioſæ mẽtis patrimoniũ fœnerat, quodã
uſurariæ

usurariæ iniquitatis sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu inuoluit, sic caput pro thesauro reposcit. Quid uobis iniquius, qui nec sic capitis solutione estis cõtenti? Quid uobis iniquius, qui pecuniam datis, & uitam obligatis & patrimonium? Accipitis aurũ argentumq; pro pignore, & adhuc illum debitorem dicitis, qui uobis plus credidit, quàm accepit? Vos creditores asseritis, qui amplius debetis. Vos inquã dicitis creditores, qui non homini, sed pignori creditis. Bene fœnus appellatur quod datis: ita uile ac fœnum est. Sortem dicitis quod debetur. Etenim uelut urna ferali misera sors uoluitur, perituri debitoris luenda supplicio. Stant pallentes rei ad sortis euentum. Non sic trepidant de quorum damnatione sors ducitur: non sic dejecti ac suspensi pauitant, de quorum capti uitate expectatur sortis euentus. Illic enim unius captiuitas, hic plurimorum addicitur. Et fortasse ideo sors, quia in euentu sunt patrimonia quæ sub hac arte uoluuntur. Magnum & memorabile beneficium dei hoc specialiter ore prophetico prædicatur quod in patres contulit, quia ex usuris & iniquitate liberauit eos. Et proprie ait, Ex usuris liberauit eos, quia usuræ inferunt seruitutem. Quasi diceret: Ex seruitutis uinculo ereptos reddidit libertati. Graue uocabulum debitorum. Debita, peccata dicuntur. Debitores quoq; crimino si appellantur. Sic enim & isti sicut & illi de capite decernunt. Culpæ tamẽ habent nomen suum, ut factorum diuersitatem. Debita quamuis diuersæ quantitatis, unum habent nomen, unum onus, unũ periculũ. Nescit ergo quid poscat infœlix, qui pecuniam petit mutuam: quid accipiat, ignorat. Psal. 71

Quomodo pecunia fœneratorũ nunq; quiescat. Quomodo etiam imprudẽter recipientes sub usuris mutuò statim multos acquirant amicos, cum quibus opiparè & splendidè conuiuentur, qui tamen exhausta pecunia soli fœneratori dilacerandi relinquuntur. Et de illorum sera pœnitentia. Cap. V

NOn nouit pecunia fœneratoris uno diutius loco stare, solita transire per plurimos. Vno teneri sacculo nescit, uersari ac numerari expetit: usum requirit, ut acquirat usuram. Fluctus est quidam maris, non fructus. Pecunia nunquã quiescit. Labitur: uelut scopulo illisa, ita gremium debitoris percutit, & continuò relabitur eò unde processit. Cum murmure uenit, cum gemitu reuertitur. Frequenter tamẽ placidum stat uentis mare, semper fœnoris unda iactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, uestitos exuit, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis. Hinc Charybdis circunstrepit, hinc Sirenæ quæ uoluptatis specie, & canoræ dulcedinis suauitate in uada deductos cæca, repetendæ domus (ut ferunt fabulæ) spe & cupiditate fraudabant. Statim uenditores unguẽti & diuersarum specierum irruunt uelut quidam canes sagaci prædæ uagantis odore perstricti, uenatores, aucupes, caupones quoq; miscentes mero aquam, qui nobilitatem uetusti generis & patriæ & natalem diem uini circunsonent: circunstantes repentè parasiti, quem antè solebant spernere, salutant, deducunt, ad lætitiam prouocant, ad sumptum incitant, dicentes: Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquã in iuuentute celeriter, uino precioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequã marcescant, nullum pratũ sit quod non pertranseat luxuria nostra, ubiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars & hæc est sors nostra. Et uerè sors omnis illorum facta est, tu autem remanes exors bonorum. Non tales sortes tibi scriptura monstrauit. Nõ inter tales sortes Dauid memorat dormiẽdum, dicens: Si dormiatis inter medias sortes. Nam si in medio illarum dormisses sortium, id est ueteris & noui Testamenti, non te pecuniæ cupiditas in uoraginem teterrimi fœnoris demersisset, gratia spiritalis fidei tibi dedisset argentum, & in speciem auri diuinæ sapientiæ institutione formasset. Etenim si nos unũ testimonium diuinæ scripturæ posuimus, & luxurioſum illud cõuiuium declinauimus, utiq; potuit & iste saluari, si oraculis cœlestibus inhæsisset. Reuertamur tamen ad conuiuium, non ut eius degustemus epulas, sed cauendas alijs demonstremus. Onerat mensa peregrinis & exquisitis cibis, adhibẽtur nitentes ministri, magno empti precio, sumptu pascendi maiori. bibitur in noctem, dies conuiuio clauditur, ebrietati deficit. Surgit ille uini plenus, uacuus opum, dormit in lucem, uigilans somniũ putat. Etenim ut in somnis sibi uideẽ subitò dives ex paupere, sic etiam egenus ex diuite. Dum defluit interim pecunia, usura superfluit, tempus minuit, fœnus augetur, thesaurus exinanit, fors accumulat, paulatim Esa. 1. iux. 70. Sap. 2 Psal. 67

paulatim conuiuæ se subtrahunt, sponsores conueniunt, manè fœnerator pulsat adianuas, quæritur dies solutionis transisse præscriptos, iurgijs uigilantẽ adoritur, in somnis dormientem excitat. Non noctes quietæ, non dies suauis est, non sol iucundus. Distrahuntur paulatim deauratæ ac sericæ uestes, & ueneunt dimidio minoris. Ponit cum lachrymis ornamenta coniunx iam tristior, empta carius, uendenda uilius. In auctiõe pueri constituunt̃ mensæ ministri, & malè assueti emptorẽ auertunt. Offertur pecunia credi tori. uix, inquit, hæc soluit usurã. caput debes. Redit exhausto patrimonio capitis reus, & imminuto fœnore accipit inducias, tristiores bellicis, quasi post biduum præliaturus. In bello enim incerta uictoria, hic certa inopia. Illic se clypeo tegit, hic nudus occurrit. Illic lorica pectus includit, hic totus carcere includitur. Illic manus telis onerat, armatis gittis: hic ære uacuas offert uinculis alligandas. Ducitur plerunq; uterq; captiuus. Ille habet quem accuset aduersum belli euentum, hic præter se quem accuset non habet. Nihil est intolerabilius hac miseria, quæ excusari non potest. Acerbat conscientia pondus iniuriæ. Tunc secum reputat, tunc scripturas recordatur, tunc dicit: Nónne mihi scriptum
Prou. 5 est: Bibe aquam de tuis uasis, & de tuorum puteorum fontibus? Quid mihi cum puteo fœneratoris, ubi & aqua includitur? Suauiora erant olera cum securitate, quàm alienæ epulæ pastæ cum solicitudine. Non oportuit aliena quærere. Si incidẽ debita, de meis oportuit fontibus remedium quęrere. Erant domi uasa minutiora. Melius erat ministerium deesse, quàm cibum: melius uestem uenalem proponere, quàm libertatem addicere. Quid profuit quòd publicare paupertatem meam uerecundatus sum? Ecce alius publicauit. Ego nolui nutritores uendere, ecce alius adiudicat. Sera hæc consideratio. Tũc decuit metuisse tuis, quum acciperes aliena: tunc decuit succurrere, quũ uulnera prima proserperent. Melius fuerat in principio tenuare sumptum, & necessitatem debiti, rei familiaris angustijs alleuare, q̃ ut ad horam ditatus alienis, postea exuereris & propriis.

De nequitia fœneratorum qui aliena damna arbitrantur sua lucra, & quomodo sibi fingant tectoriolum suæ iniustitiæ. Cap. VI

Accusamus debitorẽ, quòd imprudentius se gesserit. Sed tamẽ nihil nequius
A fœneratoribus, qui lucra sua, aliena damna arbitrantur: & dispendio suo deputant, quicquid ab alijs possidetur. Aucupant̃ hęredes nouos, adolescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se, simulantes paternam & auitam amicitiam, uolunt domesticas eorũ cognoscere necessitates. Si quam causam inuenerint, accusant uerecundiam, pudorẽ arguunt, quod non antè de se speratũ atq; præsumptum. Sin uerò nullos laqueos alicuius necessitudinis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium esse uenale, amplam domum, accumulant prouentus fructuũ, annuos reditus exaggerant, hortantur ut coemant. Similiter faciunt preciosas uestes, & monilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: Vtere ut tua: de fructibus emptæ possessionis preciũ multiplicabis, debitũ reddes. Prætendunt alienos fundos adolescenti, ut eum suis expolient, tendunt retia. Simul ut indagine cincta septa fuerit ingressus, cogunt eum in retia cautionũ, laqueos usurarũ, petunt obligari sibi auitum prætorium, paternũ sepulchrum: præstituit̃ dies solutioni, dissimulatur cõuentio, quando potest solutio sustineri. ubi satis securũ reddiderint, repentè ingruunt, et instant uehementius, causanti incumbunt dicentes: Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus. Aurũ dedimus, lignum tenemus. Tibi fructuũ emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniæ. Ociosa causatio est, saltem renouetur chirographum.

De increpatione adolescentũ qui sub usuris pecuniam mutuò recipiunt, & de uulnere remedium quærunt. Et q̃ tristis his sit facies creditoris occursantis. Et de inducijs per eos postulatis, parũ tamen profuturis. Cap. VII

Taq; dum primum adolescens nihil putat de uestibus suis aut possessionib.
I esse uendendum, ad hæc facienda poscit dilationem. Vsuræ applicantur ad sortem, accumulantur centesimę. Iam suspirare incipit, iam malum suũ agnoscere. Die ac nocte usuram cogitat: quicquid occurrerit, fœneratorem putat: quicquid crepuerit, uocem sibi uidetur fœneratoris audire. Si habes, cur non soluis? si non habes, cur malũ malo adiũgis, & de uulnere remediũ quæris? Cur quotidie obsidionẽ pateris
Ibid. 29 fœneratoris? expugnationẽ times? Vetus sententia est: Fœneratoris & debitoris inimicẽ sibi

sibi occurrentiũ, prospectum amborũ facit dominus. Alter quasi prædam requirit, alter quasi fera prædonẽ declinat. Ille quasi leo quærit quẽ deuoret, iste quasi bos iuuenculus prædonis impetũ reformidat. Ille quasi accipiter unguibus olorem quęrit inuadere, iste quasi anser aut fulica mauult se uel in prærupta deiicere, uel in profunda demergere, quã istũ humani corporis accipitrẽ sustinere. Quid quotidie fugis? Ersi nõ occurrat fœnerator, occurrit tibi inopia tanquã bonus cursor. Ambos ergo uidet dominus, fœneratorẽ & debitorẽ. Occurrentes sibi spectat ambos: testis alterius iniquitatis, alterius iniurię. Illius auaritiã condemnat, huius stultitiã. Ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatẽ deflexus: iste cõtinuo post columnas caput obumbrat. Nullã em habet debitor authoritatẽ. Ambobus in digitis usurarũ repetit sæpius calculatio. Par cura, sed dispar affectus. Alter lætat incremento fœnoris, alter cumulo debitionis affligitur. Ille quæstus numerat, hic ærumnas. Quid fugis hominẽ quẽ poteras & nõ timere? Quid fugis? aut quousq; fugies? Si quis pulsauerit nocte, fœneratorẽ putas sub lecto. Illico si quem subito intrare senseris, tu foris exilis. Canis latrat, & cor tuũ palpitat. Sudor effunditur, anhelitus quatitur, quæris quid mentiaris, ut fœneratorẽ differas: & cũ dilationẽ impetraueris, gaudes. Fœnore tuo simulat se fœnerator grauari: sed libenter impertit, quasi uenator qui feram cinxerit, securus prædæ. Tu oscularis caput, amplecteris genua, & quasi ceruus sagittæ toxico ictus paululũ procedens tanquã uictus ueneno procumbis: aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocunq; fugerit, uulnus uehit. Et uere piscis ille in esca mortẽ demũ cernis, & glutis. Hamus tuus fœnus est creditoris, hamũ uoras, sed uermis te semper obrodit. Ipse est esca quæ decipit. Itaq; & tibi fœnoris nec cibus usui est, & hamus uulneri. An ignoras quia semel illaqueatus nodo, se magis, si fugiat, ipse cõstringit, & intra retia positus fugiendo magis deiiciat super se retia? In plateas fugis, cũ intra parietes tutus esse nõ possis. Inueniet te cũ uoluerit fœnerator. Deniq; ubi tempus impleueris, sicut lupus nocte irruit, dormire nõ sinit, ex lecto ad publicũ trahit, aut tabulis uenditionis cogit subscribere. Vt fureris pudoris dispendiũ, subscribis illico, uenditurus auitum sepulchrum. Paterne sane ut parcat aliquid uerecundiæ, emitur ieiunũ solũ, iactatur quod infœcunda uendiderit, dispendijs onerauerit debitorẽ, & superioris temporis adscribuntur dispendijs damna præsentis. Mox & laudata uendunt, & inferuntur iam non instrumenta, sed uincula. Tamẽ adhuc quærẽdi fideiussores. Tribuuntur inducię nõ ut prædã libertatis inueniat, sed ut consortẽ seruitutis adiungat, qui se societ ærumnoso. At quid iuuare potest alienæ calamitatis accessio? Iam & amici fugiũt, cõuiuæ nõ recognoscũt. Ipse quoq; cõspectus omniũ refugit, & ut pugil ictus uarios concertantiũ, ita iste honestorum uitat occursus, & solicitus ubi in aliquẽ offenderit, uigilanti exit obtutu. Redit paratus ad uincula, redit mortẽ optans, cogitans eã sibi si moreret, quietẽ inferre. Redit miserę se ipse cõdemnans, quod alienã pecuniã nõ refugerit, & fœneratoris se ære deuinxerit. O quãtos miseros aliena fecerũt bona? Quid, inquit, tibi ut bibas aquã Gyõ? Quid inquã tibi ut biberes calicẽ fœneratoris? Multi, inquit, mutuati ad tẽpus, & necessitatib. consuluerũt suis, & pecuniã reddiderũt. Et quãti sę ꝓpter fœnus strãgulauerũt? Illos conideras, hos nõ enumeras? Reminiscęris euasisse aliquos, nõ reminiscęris oppetisse? Nũmos redditos imputas, laqueos appetitos nõ cõputas? Quos deformitate tã dedecorosę conuentionis pleriq; uerecundiores ad contumeliam, fragiliores ad iniuriam, expetito interitu prætulerunt, opprobrium uitæ amplius quàm mortis suppliciũ pertimescentes.

Hiere. 2

Quod pro paterno debito nonnunquã liberi in auctionẽ deducantur, & publice sub hasta uendãtur. Et quomodo obligatus fœneratori uẽditus dicatur. Ca. VIII

VIdi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionẽ deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis: & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, urget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro alimonia seruitutem recognoscant, pro sumptu licitationem subeant. Agitetur hasta de precijs singulorum. Non immerito hasta agitatur, ubi caput quæritur: non immerito ad auctionem peruenitur, ubi sors poscitur. Hæc est fœneratoris humanitas, hæc debitoris stultitia, ut filijs quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat, pro testamento chirographũ dimittat: pro emolumento hæreditatis,

syngrapham obligationis. Quid sibi uult paterni in liberos scriptura maledicti, ubi nulla est impij offensa peccati? An potest durius aliquod esse maledictum, grauiusq; seruitium. Et illa sæpe post mortem habet defunctus cõpendia, quod non spectat miserias filiorum. Vendit plerunq; & pater liberos authoritate generationis, sed nõ uoce pietatis: ad auctionem pudibundo uultu miseros trahit dicens: Soluite filij gulæ meæ sumptum, soluite paternæ mensæ precium. Vomite quod non deuoraſtis, reddite quod nõ accepi stis. Hoc meliores, quod uestro precio redimitis patrẽ, uestra seruitute paternã emitis libertatẽ. Esto ut aliquis qui subuenire possit, accedat. Quis tantam expleat charybdim? quis rationes fœneratoris agnoscat? quis auaritiã satiet? quę nõ iste precia exaggeret, cũ uiderit redemptores? Non enim suo magis lucro quàm alieno detrimento pascitur. Vera profecto, uera est, utpote dei, diuina sententia, qui cum iratus esse propter impietatẽ
Esa. 50 populi Iudæorum, quod post deos alienos abirent: Cui, inquit, uendidi uos fœneratori? Venditur enim qui obligatus fœneratori fuerit, & uenditur non uno precio, sed quotidiano: uenditur non cum definitione, sed cum accessione diurna. Noua usurarũ auctio per mẽses singulos, noua sub quotidiana licitatione uenditio. Qui plus obtulerit, trahit: semper uenalis addicitur, nunquam quasi uenditus æstimatur. Magna igitur uis cœlestis sententiæ. Non satis iudicauit dominus dicere: Cui uendidi uos? sed addidit fœneratori. Offensus nihil potuit grauius inuenire, quo iudicaret in perfidos. Derelictus expostulat, cur ita fugerint salutis authorẽ, quasi fœneratori eos alicui dominus uendidisset, digna pœna. Dominum relinquentes habent serui quod amplius quàm carceris pœnas & uincula reformidẽt, habent liberi quod paueant pro libertatis incuria. Simul illud aduerte, quod fœneratio præuaricationis materia iudicata sit: quod is facile recedat à domino, qui fœneratori se potuerit obligare. Fœnus enim radix mendacij, causa perfidiæ
Esa. 50 est. Ego, inquit, uos non uendidi, & peccatis uestris uenditi estis. Ergo qui se fœneratori obligat, ipse se uendit, & quod peius est, uendit se non ære, sed culpa.

Quòd fœnerator peccati nostri diabolus sit. Et de comparatione ipsius ad usurarium. Et quòd idem sit exactor, qui se creditorem appellat. Cap. IX

Vis iste peccati est fœnerator, nisi diabolus? à quo Eua mutuata peccatũ obnoxię successionis, usuris defœnerauit omne genus humanũ? Deniq; quasi malus fœnerator chirographũ tenuit, quod postea dominus suo cruore delevit. Etenim quod mortis erat scriptum apicibus, debuit morte dissolui. Fœnerator er-
Matth. 4 go diabolus. Deniq; ostendebat saluatori diuitias suas dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidẽs adoraueris me. At uerò dominus æris solutor alieni, nihil ipse debebat, qui po-
Ioann. 14 terat dicere: Ecce uenit huius mundi princeps, & in me suum nihil inuenit. Nihil debe-
Psalm. 68 bat, sed soluebat pro omnibus, sicut ipse testatur dicens: Quæ non rapui, tunc exoluebã. Quid distat malitia huius, & principis mundi? Fœnerator pecuniæ caput obligat, manũ
Luc. 15 tenet, sorte ducit. O nomen triste de dulci. Dominus ouem centesimã liberauit. Illa centesima salutis, hæc mortis est, & terra bona centuplum fructum reddit. Væ ijs qui dicunt
Esa. 5 quod amarũ est dulce, & quod dulce amarũ. Quid amarius usura? quid dulcius gratia? Nónne hoc ipso sermone quo centesimã appellãt, reuocare deberẽt in memoriã redemptorem, qui uenit centesimam ouem saluare, non perdere? Quis grauior exactor est? Et
Ibidem. 3 hoc triste nomen. Deniq; dominus ait: Populus meus, exactores uestri circunscribunt
Luc. 12 uos. Et in Euangelio habes: Dum uadis cum aduersario tuo ad magistratũ, da operam liberari ab illo, ne forte perducat te ad iudicẽ, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Quis iste sit exactor agnosce, qui etiam nouissimũ quadrantẽ exigit, & idem se creditorẽ uocat, atq; in hoc etiã nomine fraudem facit, ut qui uenenì pocula mel le illinit, ut sub grato odore mors lateat, atq; illita calicis ora uim fraudis abscondat. Creditor prætexitur, quasi fidelis: & quasi incredulus, ad quem fidelis oppignorat.

Quòd à fœneratoribus defunctorum cadauera aliquando teneantur pro pigore, & eis tumulus denegetur. Et quòd nihil interest inter funus & fœnus, inter mortem, & sortem. Cap. X

Votiens uidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus exposcitur? Quibus ego acquieui libenter, ut suum cõstringerent debitorem, ut electo eo fideiussor euaderet. Hæ sunt fœneratoris leges. Dixi

ges. Dixi itaq; tenete reum uestrum: & ne uobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubili uestro, carnificibus duriores: quoniam quem uos tenetis, carcer non suscipit, exactor absoluit. Peccatorum reos post mortem carcer emittit, uos clauditis. Legum seueri se. Non inuideo tamen, pignus uestrum reseruate. Nihil interest inter funus & fœnus, nihil inter mortem distat & sortem. Personat funebrem ululatum fœnoris usura. Nunc uerò capite minutus est quem conuenitis, uehementioribus tamē nexibus alligate, ne uincula uestra non sentiat, durus & rigidus est debitor, & qui non iam nouerit erubescere. Vnum sane est quod non timere possitis, quia poscere non nouit alimenta. Iussi igitur leuari corpus, & ad fœneratoris domum exequiarum ordinem duci, sed etiā inde clausorum mugitu talia personabant. Ibi quoq; funus esse crederes, ibi mortuos plangi putares. Nec fallebat sententia, nisi quod plures cōstabat illic esse morituros: Victus religionis consuetudine fœnerator (Nam alibi suscipi pignora etiam ista dicuntur) rogat ut ad tumuli locum etiam reliquiæ deferantur, tunc tantum uidi humanos fœneratores, gratuari me: tamen ego eorum humanitatem memorabar proficere, ne postea se quererentur fraudatos esse, donec feretro colla subiecti ipsi defunctum ad sepulchra deducerent, grauiori mœrore deflentes pecuniæ suæ funus.

Dé usura ab aleatoribus extorta. Et de inuiolabili lege aleæ, cui subijciuntur etiam ferocissimi homines. Cap. XI

A Liud non minoris acerbitatis accipite. Obseruant isti aleatorum conuenticula: & perdentis ęrumnam, commoditatem suam iudicant: spondent pro singulis. Varios primo sors ludit euentus, ad diuersos sæpe transfertur uictoria, stipendiaq; eius uicissim atq; ærumna mutantur. Omnes uincuntur & uincunt, fœneratorem solus acquirit. Penes alios inane manet nomen quod uicerint, penes fœneratorē solum fructus est, non annuus, sed momentarius. Illi soli faciunt lucrum in omnium detrimento, illis solis est usuræ uictoria. Videas reliquos subito egentes, repente diuites, deinde nudos, singulis iactibus statum mutantes. Versatur enim eorum uita, ut tessera. Voluitur census in tabula, fit ludus de periculo, & de ludo periculum. quot propositiones, tot proscriptiones. Clamor plaudentium, fletus despoliatorum, gemitus deplorantium. Sed & hos creditor ut tyrannus damnat unumquemq; sorte capitali, agitat hastas, feralem instituit de singulorum exuuijs auctionem. Alios proscriptioni addicit, alios seruituti, non tanti occisi sub tyrannis sunt. Vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim quàm pecuniæ, sub momento fertur, quod ualeat in æternū. Ebrietas iudicat, & nullus appellat. Habet & alea suas leges, quas fori iura non soluant. Notatur (si credi potest) infamia qui putauerit renitendū, & infamium sententia grauius quàm cēsura iudicialis inurit oppro briū: quoniā qui apud iudicē damnant, apud illos gloriosi sunt: qui apud illos damnātur, apud iudicē criminosi sunt. Nobile cōstituit Moyses seniorū iudiciū, Hi tamen de leuioribus iudicabāt, uerbū graue hoc est de potioribus negocijs Moysi iudicio reseruare cō sueuerant. Hic dicitur, Aleonū concilio iudicauit, & plus eorū timetur potentia, quàm dæmonum. Inter has feras uiuis fœnerator atq; uersaris. His bestijs cibum eripis, his tutior æstimaris, his crudelior plus timeris. Ferunt Hunnorum populos omnibus bellū inferre nationibus, fœneratoribus tamen esse subiectos: & cum sine legibus uiuant, aleę solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis quàm hostilibus ictibus interire. In uictoria sua captiuos fieri, & spolia suorum perpeti, quę pati ab hoste non nouerint. Ideo nunquam belli studia deponere, quod uicti aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt, bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapi ut cum ea (quæ sola magna æstimant) uictus arma tradiderit, ad unum aleæ iactum uitam suā potestati uel uictoris uel fœneratoris addicat. Denicq; constitit, quòd quidam eorū & imperatori Romano cognitus in fide precium seruitutis quam sibi tali sorte superatus intulerat supplicijs imperatę mortis exoluerit. Premit ergo fœnerator etiam colla Hunnorum, & eos urget in ferrum, premit Barbaros suæ terrore sæuitiæ.

De odi-

De odibili fœneratorum exactione. Et de uarijs uocabulis ab eis sub honestatis specie excogitatis. Et quòd fœneratoris pecunia sit Echidna, & imitetur naturam serpentum. Cap. XII

Vid etiam tetrius eo qui hodie fœnerat, & cras exigit? Est odibilis inquã homo huiusmodi. Oblatio quidem blanda, sed immanis exactio. Verùm ipsa oblationis humanitas facit ad exactionis sæuitiam: protulit pecuniam, hypothecas exigit, & in suis apothecis recõdit. Vna pecunia à fœneratoribus datur, & quàm multa à debitoribus exiguntur? Quanta sibi fecerũt uocabula? Numus datur, & fœnus appellatur. Sors dicitur, caput uocatur. Aes alienum scribitur, multorum hoc capitũ immane prodigium, numerosam exactionem efficit. Syngraphã nũcupat, chirographũ nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat. Fiducias uocat, obligationem asserit. Vsuras prædicat, centesimas laudat. Echidna quædam est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fœcunda pœnis uiscera trahens, partu suo rumpitur, & morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus suis scindunt. illic ubi nascitur uenenũ, primum probatur. Pecunia autẽ fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior. Non minus flexuosa quàm serpens, atq; in orbem se totam colligens, ut caput seruet. Reliquo flagellat corpore, illud solũ producit ad uulnera, spiris ingentibus quos comprehenderit ligat, solo capite interficit: saluo capite etiamsi reliqua pars eius dilapidata fuerit, reuiuiscit. Diuersa quoq; serpentibus sunt conueniendi & parturiendi tempora, pecunia fœnebris à die initæ conuentionis crescentibus serpit usuris, quæ parturire nõ uit, quia dolores magis ipsa in alios transfundit. Ibi dolores ut parturientis. Vnde etiam *Psalm. 74* τόκους Græci appellauerunt usuras, eo quòd dolores partus animę debitoris excitare uideantur. Veniunt kalendæ, parit sors centesimam. Veniunt menses singuli, generantur usuræ. Malorum parentum mala proles. Hæc est generatio uiperarũ. Creuit centesima: petitur nec soluitur, applicatur ad sortem. Fit maledictum propheticum, dolus in dolo, usura improbi seminis fœtura deterior. Itaq; non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ.

Vnde dicatur usura. Et quemadmodum simul nascatur & enutriatur, & iam nata parturiat, semperq; inexplebilis atq; insatiabilis sit. Cap. XIII

Suram quoq; ab usu arbitror dictam, quod ut uestes, usu, ita usuris patrimonia scindantur. Lugubre ceræ prima litera sonat, parturit uox doloris est. V

Quid ibi potest esse boni quod à dolore incipit, & ab obligatione? Lepores ferunt generare simul & educare, & continuo parturire. Istis quoq; anaglypharijs usura rum generatur & supergeneratur usura, enutritur ac nascitur, & nata iam parturit. Radices quoq; arborum primo plantantur ut prendant: cum prenderint, tunc uirescere incipiunt, postea pullulare. At uerò pecunia fœnebris uix plãtata iam pullulat. Semina tem pore erumpunt, animalia tempore pariunt (Tempus enim pariendi, & tempus mori- *Eccle. 3* endi: tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatũ est: tempus occidendi, & tempus sanandi. Et infra: Tempus acquirendi, & tempus reddendi: tempus custodiendi, & tempus expellendi, ut Ecclesiastes ait) pecunia fœnebris hodie seminatur, cras fructificat: semper parit, & nunquam interit: semper plantatur, uix euellitur. Vult semper fœnerator acquirere, nunquam perdere, nunquam custodire, pecuniam suam semper ex- *Eccle. 1* plere, nunquã sanare, semper occidere. Et quia bonus ad omnia magister Ecclesiastes liber est, Salomoni ipsi paulisper inhæreamus. Non satiabitur oculus, inquit, uidendo, & non satiabitur auris auditu, nec fœnerator expletur accipiendo, nec affectus eius quotidiano numerãdi æris satiabitur auditu. Et iterum: Omne quod fuit, ipsum est quod erit. Crescit semper pecunia ocium nescit auaricia, usura ferias. Omnes, inquit, torrentes uadunt in mare, & mare nõ adimpletur. Mare istud fœnerator est. Omniũ patrimonia tanquam fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plericq; utuntur ad quæstũ, fœneratore nemo utitur nisi ad dispendiũ. Illic multorum commodũ est, hic uniuersorum naufragium. Multa sunt animantia quæ cito generare incipiunt, sed cito etiam generare desistunt. Sors cito generat, & nunquã desinit: imò cũ exordiũ crescendi acceperit, in infinitũ extendit augmentũ. Omne deinde quod crescit, cũ ad naturæ suæ formã atq; men-

suram

suram magnitudinem q; peruenerit, uacat incremẽto, sed fœneratorum pecunia tempore semper augetur, & ultra formam maternę sortis se extendens, modum non continet. Pleraq; etiam animantium cum cœperint ea quę ex his orta sunt generare, tanquam effœtis uiribus usum generationis amittunt, sors autem fœnoris cum fuerit crescentibus exæquata centesimis, & uetustatẽ sui renouat, & partus solitos adiunctione multiplicat.

De usura diuina lege prohibita. Et quod secundum Catonem fœnerare sit hominem occidere. Quodq; omne quod præter fortẽ accipitur, sit usura, quocunque uocabulo appelletur. Cap. XIIII

NOnouum nec perfunctorium hoc malum est, quod ueteris atq; diuinæ præscripto legis inhibetur. Populus qui despoliauerat Aegyptum, qui pede transierat mare, monetur à fœnoris pecunia cauere naufragia. Et cum de alijs peccatis semel aut multum iterata admonitione præscripserit, de fœnore sæpius intimauit. Habes in Exodo: Quod si pecuniam fœneraueris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi usuram. Ostendit quid sit suffocare, id est usurã imponere. Strãgulat enim, & quod peius est, animam laqueat creditoris. Quo sermone & prædonis uiolentiam, & deformis nodum mortis expresserit. Quod si pignus acceperis uestimentum proximi tui, ante solis occasum restitues. Illud est enim opertoriũ eius tantùm, hoc uestimẽtum turpitudinis eius in quo dormiet. Quod si itaq; proclamauerit ad me, exaudiam eum. Audistis fœneratores quid lex dicat, de qua dixit dominus: Non uenì legem soluere, sed adimplere? Quam dominus non soluit, uos soluitis? Vsurã, inquit, petere, suffocare est. Hoc quoq; foris sero est dictum à quibusdam eorum prudentibus. Quid est, inquit, fœnerare? Hominem, inquit, occidere. Sed utiq; non Cato prior quàm Moyses qui legem accepit. Multo ille posterior. Si pignus acceperis uestimentum proximi tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudo. Vos autem exuitis atq; nudatis, & non redditis. Videte ne sol occidat super auaritiam uestrã, ne sol iustitiæ uobis occidat, quia iustitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia uestra condatur. Dies quoq; perit inuito, nox irruit sicut ludæ: qui, cũ diabolus misisset in cor eius, surrexit ad proditionem, & facta est nox. sol enim iustitiæ occiderat ei, & recubuerat super eum. Qui in cor eius intrauit, fecit illi tenebras: ut lucis non uideret authorem. Ibi miser periit in illo cõuiuio, quo alij saluãtur. Redditur uestimentum debitori, in quo dormiat, & quietus sit. Si nolueritis reddere, exaudiã, inquit, eum: quia misericors sum. Si uos non exauditis ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciam inopis precem. In Deuteronomio quoq; scriptũ est: Non exiges à fratre tuo usuram pecuniæ, & usuram escarũ, & usuram omnium rerum quascunq; fœneraueris fratri tuo. Si alienigenæ credideris, usuram exiges ab eo, à fratre autem tuo non exiges. Vides quantum pondus in uerbis sit. Noli, inquit, exigere usuram à fratre tuo, hoc est, cũ quo habere debes omnia communia, ab eo tu usurã exigis? Frater tuus cõsors naturæ, & cohæres gratiæ. Noli ab eo exigere amplius à quo durũ est repetere quod dederis, nisi cũ habuerit unde dissoluat. Et quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniã negociatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usuram emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat: Neq; usuram, inquit, escarum accipies, neq; omnium rerum quas fœneraueris fratri tuo. Fraus enim ista & circunscriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere quia à negociatore uelut mutuũ suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium precio, unde tibi soluit usuram. Fraudis illius tu author, tu particeps, tibi proficit quicquid ille fraudauerit. Et esca usura est, & uestis usura est, & quodcunque sorti accedit, usura est. Quod uelis ei nomen imponas, usura est. Si licitum est, cur uocabulum refugis? cur uelamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris? Quod peius est, hoc uitium plurimorum est, & maxime diuitum, quibus hoc nomine instruuntur cellaria. Si quis instaurandum conuiuium putat, ad negociatorem mittit, ut absinthiaci cupellam sibi gratis deferat: ad cauponem dirigit, ut Picenum uinũ aut Tyriacum requirat: ad lanium, ut hyllam sibi procuret: ad alium, ut poma sibi adornet. Itaq; humanitates iudicant quę alieno periculo constant. Tu bibis, & alius diffluit lachrymis? Tu epularis, & alios cibo tuo strãgulas? Tu symphonia delectaris, & alius miserabili deplorat ululatu? Tu poma degustas, & alius spinã uorat? Nunquid colligũt de spinis uuas,

Exod. 22

Matth. 5

Ioann. 13

Deut. 23

Matth. 7

uuas, aut de tribulis ficus? Spina usura est, spina centesima est, tribulus est fœnus, male ui-
rit: Quomodo potes fructum habere de spinis? Si iste fructus de spinis non nascitur, ille
nascetur æternus? De ærumnis ditaris, de lachrymis lucrum queris, de fame aliena pasce
ris, de exuuijs despoliatorum hominum cudis argentum, & iudicas te diuitem, qui stipē
Luc. 6 poscis à paupere? Sed audi quid dicat saluator: Væ uobis diuitibus, qui habetis consola
tionem uestram.

Quomodo intelligatur illud Deuteronomij, Ab alienigena usurā exiges, nō au
tem à fratre. Et de maledictione usurarij secundum Ezechielem. Cap. XV

Deut. 23 Ed forte dices, quia scriptum est: Alienigenæ fœnerabis, & non consideras
S quid Euangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, Le
gis ipsius uerba cōsidera. Fratri tuo, inquit, nō fœnerabis ad usurā, sed ab alie-
nigena exiges. Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorræus, nisi hostes? Ibi
inquit, usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legiti-
mè indicantur usuræ. Quem bello non potes facile uincere, de hoc cito potes centesima
uindicare te. Ab hoc usuram exige quem non sit crimē occidere. Sine ferro dimicat qui
usuram flagitat, sine gladio & de hoste ulciscitur qui fuerit usurarius & exactor inimici.
Ergo ubi ius belli, ibi etiam ius usuræ. Frater autem tuus omnis, fidei primū, deinde Ro-
Psalm. 21 mani iuris est populus. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ lauda-
Leuit. 25 bo te. Denique in Leuitico præscripsit etiam lex usuram à fratre nō esse poscendam. Sic e-
nim habes: Et uiuet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in usuram, & in am-
plius recipiendum non dabis illi escas tuas. Generaliter hæc sententia dei omne sortis
Psalm. 14 excludit augmentum. Vnde & Dauid & benedictum æstimauit, & dignum habitatio-
ne cœlesti, qui pecuniam non dedit in usuram. Si ergo qui nō dedit, benedictus: sine du-
bio maledictus qui ad usuram dedit. Cur ego maledictionem potius eligis quàm bene-
dictionem? Potestis enim benedicti esse si uelitis, potestis iusti esse. Homo enim iustus
Ezech. 18 secundum Ezechiel, qui pignus debitori reddiderit, & pecuniam suam in usuram nō de-
derit, & superabundantiam non acceperit, & ab iniustitia auerterit manum suam. Iustus
est, inquit, iste: uita uiuet: dicit dominus. Qui autē pignus non reddidit, & in simulachra
apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum usura dedit, & superabundantiam accepit,
hic uita nō uiuet. Omnes iniquitatis istas fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum
manet. Vide quomodo fœneratorem cum idololatra copulauit, quasi crimen æquaret.
Elige ergo quod dulcius est. Cur semper tristes? cur semper amarissimi? cur semper soli-
citi? Procedat aliquando à uobis misericordia, procedat ueritas. Obligetur mēdacium,
fraus odio sit. Docuisti periurium. Fœneratorium sacramentū dicitur, ubi paratur perju-
rium. Periurastis frequenter, cū reddita fuerit pecunia, quod syngrapha non appareat.
periurastis postea quod non reperitis pecuniam. Nolite ergo semper miseri esse, semper
Iudic. 14 auari, semper mœsti. Leones sunt, & feritatem suam mutāt, De manducante, inquit, exi-
uit esca, & de forti & tristi exiuit dulce. Græcus & tristi habet. Sic inuenimus. Tamen de
forti hoc intelligitur, quia leo fortis est feritate: & qui ferus, tristis. Et de uobis qui pecu-
niam deuoraſtis & auaritiam, exeat misericordia. Hęc est enim esca egenorum. Et de tri
Esa. 5 sti exeat dulce, ut dimittatis ei qui non habet unde dissoluat. Quid trahitis peccata ut fu
ne longo, & iugi loro uitulæ? Quod fit utique, cum fœnus producitis. Tenetis pauperem
debitorem, uelut ibi sit aliqua gratia, ubi nulla spes commodi. Et hoc secundum auari-
tiam uestram loquor.

Quibus dominus in Euangelio doceat fœnerandum. Et quod fœneratores à
deo peccatores appellentur. Et quis possit esse bonus fœnerator, & quærere
bonas usuras. Cap. XVI

Aeterùm dominus in Euangelio talibus magis existimat fœnerandū à qui-
Luc. 6 C bus retributio non speretur. Sic enim ait: Et si mutuū dederitis à quibus spe-
ratis recipere, quæ uobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fœneran
tur, ut recipiant. ueruntamen amate inimicos uestros, & benefacite eis, & mutuum date
nihil sperantes, & erit merces uestra multa in cœlo, & eritis filij altissimi, quia ipse beni-
gnus super ingratos & malos. Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est
Aduertitis quod nomen fœnerator à domino acceperit, quod nomē etiā qui fœnori
uestro

uestrò fuerit obligatus. Peccatores, inquit, peccatoribus fœnerant, ut recipiant. Vterq; peccator, & fœnerator, & debitor: uos autem, inquit, amate inimicos uestros. Nõ discutiatis quid mereantur inimici, sed quid uos facere oporteat. Dare mutuum ijs, à quibus non speratis uos quod datum fuerit recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multũ recipietis. In terra datis, & id uobis soluetur in cœlo. Fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis. Fœneratores esse desinitis, filij eritis altissimi. Eritis misericordes, quo uos patris æterni probetis hæredes. Sed fœneratorum uos delectat & usurarum uocabulum. Id quoq; non inuideo. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon: Fœnerat domino qui miseretur pauperi, secundum datum autem eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem me uestris cõmodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham uobis debitorem? Deum prouideo, Christum surrogo, illum demonstro qui uos fraudare non possit. Fœnerate ergo domino pecuniam uestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur, ille scribit quicquid egenus acceperit. Euangeliũ, eius cautio est. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem. quid dubitatis dare? Si quis uobis dues huius seculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est uobis dominus cœli, & conditor mundi huius? & adhuc delibera tis quem ditiorem quæratis fideiussorem? Sed allegatis, quare pauper factus est, cum di ues esset? Vidistis ergo quia fides eius dives est, fides eius idonea est: pauper factus est, cum pro nobis soluerit, & adhuc paupertas ipsius non decipit. Nos enim diuites fecit, quos pauperes putatis. Dicit enim Apostolus: Pauper factus est cũ dives esset, ut illius inopia uos ditaremini. Bona inopia, quæ largitur diuitias. Nolite ergo paupertatem timere, ut sitis diuites. Date ociosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam, & paupertatem subuenietis necessitatibus, & uobis custodiæ solicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit, & uobis quod dederitis inopi, sine custode seruabitur. Quod si incrementum usurarum quæritis, in lege benedictio, in Euangelio cœlestis est merces. Quid suauius benedictione? quid maius est cœlo? Si escarũ desiderantur usuræ, à quoq; præsto est, sicut legimus. Is enim qui miseretur pauperis, ipse pascetur.

Prouerb. 19

2. Corint. 8

An liceat mutuum danti recipere pignora. Caput XVII

R Eddite ergo pignora quæ tenetis, quoniam fideiussorem idoneum repe ristis. Sed obmurmurant adhuc, dicentes, quia licet tenere pignora, & se le ge defendunt. Aiunt enim. Scriptũ est in Deuteronomio: Si fuerit tibi debitum à proximo tuo quodcunq;, non introibis in domum ipsius pignerare pignus, sed foris stabis, & homo apud quem est debitum tuum proferet tibi pignus foras. Si autem homo ille pauper fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis, & dormiet in uestimento suo, & benedicet tibi, & erit in te misericordia coram domino Deo tuo. Et alibi, inquiunt, scriptum est: Non pignerabis molam neq; lapidem superiorem molæ: quoniam hic pignerat. Et alibi: Non accipies pignus uestimenti uiduæ. Vnde argumentantur quod specialia pignora sunt interdicta, non omnia: id est pauperis & uiduæ. Molam quoq; & lapidem superiorem molæ prohibitum pignerari. Sed cum per Ezechielem prophetã dicat dominus iustum esse qui pignus reddidit, iniustum qui tenuit: utiq; non speciale aliquod, sed generaliter omne pignus suadet reddendum esse, cum dicat Iob: Conscriptionem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptam, imponens coronam legebam: &, Si non scindens eã reddidi, nihil accipiens à debitore. Cum dominus nihil ab ijs quibus mutuum dederimus, sperandum esse præcipiat, quod recipere debeamus: quomodo pignus secundum legem putant retinendum esse?

Deuter. 24

Ibidem

Ezech. 18

Iob 31

Quid fœnerandum, & quibus, secundum legis statuta, & quod etiam iustus & pauper hoc facere ualeant. Caput XVIII

A T ne pari recrudescant modo, & dicant etiam se ad fœnerandum incitari legis oraculo, quia scriptum est: Fœnerabis gentibus multis, tu autem nõ mutabis: tempus est, plenius & expressius disputare & docere quid fœnerandum, & quibus legis statuta præscribunt. Præcedit enim fœnoris causa pignoris causam.

Deuter. 15

Psalm.36 sam. Mutuabitur, inquit, peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & tribuet. Au-
dis debitor quid debeas declinare, audis creditor quid debeas imitari. Et infra: Iuuenis
fui, & senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die mi
sereꝛ & fœnerat. Vnde huic iusto quod tota die fœnerat? Ergo diues iustus est: & quan-
to ditior unusquisq; fuerit, tanto iustior. Qui plus habet unde fœneret, ipse erit iustior.
Matth.19 Sed difficile diues intrat in regnum cœlorũ. Quid ergo fœnerator? dic mihi sancte Da-
Act.3 uid. Contra me protuli testimonium, nisi mihi subuenis. Petrus dicebat: Argentum non
Psal. 111 habeo: nunquid non erat iustus? Tu mihi ergo expone quid fœneret. Dixisti enim: Be-
tus qui miseretur & cõmodet, disponet sermones suos in iudicio. Inuenis quid fœneret
Act.3 iustus. Petrus quoq; doceat me & ipse quid fœneret, qui dixit inopi attendenti ad se, &
ad Ioannem: Argentum & aurum non habeo. Nihil ergo dabis pauperi Apostole? Das
tamen, & plus das quàm alij. Das inopi, quod alij dare nõ possunt. Das inopi, quod ege
re non possit. Das inopi, quod etiã diuites accipere cõcupiscunt. Das inopi, quod si qui
istud argentum & aurum habent, conferre nõ nouerunt, quia auaritia eos impedit. Das
inopi, quod eum diuitibus faciat ditiorem. Incitasti animum meum, cõcupisco hoc do-
num tuum. Dic cito, rogo, quid des. Noli me diu suspensum reddere, cupio petere si ci-
to solues: sed soluisti cito, non distulisti inopem, non despexisti precem pauperis, non
diutius eum desperare fecisti, non uacuus ad templum ascendisti dicens: Argentum &
aurum non habeo. Non illi soli plenis manibus ascendunt qui argentum & aurum ha-
bent: Ascendit & pauper non uacuus, ascendit & ille non uacuus qui aurum & argentũ
non habet. Audiamus quid det iste pauper. Sed quod habeo, inquit, dabo tibi: In nomi-
ne Iesu Nazareni surge & ambula. O optanda paupertas, ô ditior inopia. Claudicabat,
cui diuites dabant. Vnus pauper dabat, & statim qui claudus erat, sanus est factus. Ha-
bet ergo iustus quod fœneret, habet & argentũ quod fœnerat, sermones suos fœnerat.
Psalm.11 Hoc est iusti argentum. Eloquia enim domini, eloquia casta, argentum igne examina-
tum, probatum terræ, purgatum septuplum. Hoc fœnerat qui legem accepit, qui legem
meditatur, qui legem exercet. Hoc fœnerauit Petrus, hoc fœnerauit Paulus, quibus di-
Act.10 citur ut ad uiros nationum pergerent. Petrus ad Cornelium Centurionem, cui dicitur:
Surge uade nihil dubitãs, quoniam ego misi illos: & surrexit & iuit. Et infra dixit: Nun-
quid aquaꝛ uetare possumus ne baptizentur ij qui spiritum sanctum acceperũtꝛ Iussitq;
eos baptizari. Hoc est, fœnerabis gẽtibus, ut peccata dimittas, debita auferas: tu autem
Psalm.36 non mutuaberis. Mutuatur enim peccator, & non soluet peccata sua, quia peccator est.
Paulo dicitur: Fœnerabis gentibus: qui missus est ad gentes. Ioanni dicitur: Fœnerabis
Matth.28 gentibus. Iacobo, & cæteris dicit: Fœnerabitis gentibus: quibus dictũ est: Ite baptizate
gentes. Dicitur Paulo: Si patrũ custodieris mandata, benedictus eris, & fœnerabis gen-
tibus uerbum. Deniq; non de pecunia dici significant sequentia: Princeps eris gentibus
Deuter.28 multis, tibi autem nemo dominabitur. Constituet te dominus Deus tuus in caput, &
non in caudam: & eris tunc supra, & non subter, si audieris uocem domini Dei uestri.
Et sequitur: Si autem non audieris, maledictus tu in ciuitate, & maledictus in agro,
Et infra: Maledicta progenies uentris tui. Non pecunia utiq; benedictum facit, sed co-
gnitio Dei, prædicatio uerbi, si gratiam domini fœneremus, si indigentibus eloquia
domini conferamus, si obseruemus mandata cœlestia. Et contra, maledictum non fa-
cit si desit pecunia quæ fœneretur: sed si desit studium, si desit obseruatio cœlestium sta-
tutorum, maledictus eris.

Quomodo patres nostri gentibus fœnerarint. Et quomodo hodie sacerdo-
tes fœnerare debeant. Caput XIX

Ibidem 15 Eniq; mysterium Ecclesiæ euidenter exprimitur. Primũ enim quia in Deu
D teronomio legis: Si audieris legem, & custodieris, fœnerabis gentibus,
quod factum est à patribus nostris. Fœnerauit Moyses gentibus, qui pro-
selytos acquisiuit, fœnerauit Iesus Naue, fœnerauit Gedeon, fœnerauit Samuel, Dauid,
3.Reg.10 Salomon, Helias, Heliseus, & si quis uolebat uerbum cognoscere, pergebat ad eos. Re-
gina Austri ueniebat audire sapientiam Salomonis. Vbi cœpit populus Iudæorum nõ
custodire legem, cœperunt aduenæ, hoc est, ex populo nationum qui in dominum le-
sum crediderunt, interpretationem scripturarum fœnerare illi uetusto populo. Fœne-
rauit

rauit Timotheus patre Græco ortus uerbũ Iudęis, cum ſacerdotium recepiſſet. Fœnera mus hodieq; ſacerdotes in Eccleſia uerbũ Iudæis, qui de Synagoga ad Eccleſiam trãſie- runt. Fœneramus & nouam & uetuſtã pecuniam. Etenim quam habuerunt, iam nõ ha- bent. Oculos habent, & non uident: aures habent, & non audiunt. Pecuniam habent, & *Pſalm. 113*
non habent, quia uſum eius ignorant, precium eius neſciunt, figurã eius & formam non cognouerunt. Nam ſi cognouiſſent, nunquã authorem pecuniæ denegaſſent, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Qui quidem rediens accepto regno iuſſit uocari ſer- *Luc. 19*
uos ſuos, quibus dedit pecuniã, & eos qui fœneraſſent pecuniam, prædicauit: ei autem qui pecuniã tenuit ocioſam domini ſui, reſpõdit: Sciebas quòd ego homo auſterus ſum tollo quod non poſui, meto quod non ſeminaui: & quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego ueniens utiq; cũ uſuris exegiſſem illam? Audiſtis quæ pecunia boni fœneratoris ſit, quæ pecunia bonas acquirat uſuras, quæ pecunia non infamet fœnera- torem, non opprimat debitorem. Quam pecuniã non ærugo poſſit obducere, nõ tinea demoliri: quæ pecunia nõ de terreno ſit, ſed de æterno: quę pecunia diuitem faciat acci- pientem, nec aliquid imminuat fœneranti. Hæc pecunia uſurã habet: non ut centeſimã eius quod dederis portionem, ſed centuplũ ferat fructum. Expande igitur ſinum men- tis, ut huius pecuniæ numeratã tibi ſuſcipias quantitatem. Intende cordis obtutu, ut ag- noſcas pecuniæ huius imaginem & inſcriptionem. Certe hanc pecuniã excute, tabulam ſupra menſam animæ tuæ, quæ ſtabilis uirtutibus ſit, quadratã conſtitue, conde in the- *Matth. 13*
ſauro pectoris tui, de quo doctus ſcriba depromit noua & uetera. Vides qualis hæc pe- cunia ſit, quemadmodum creditorem, debitoremq; inuiſa in ſe coniungit nomina. Qui inuehebar in fœneratores, iam prouoco debitorem. Huius ergo fœneratores pecuniæ uos eſſe deſidero, ut ad uos qui mutuũ ſumant, ſponte feſtinent: per quam non nummũ, ſed regnum poſſitis acquirere: per quam nõ maledicta quæratis, ſed benedictionis gra- tiam. Hanc pecuniam fœnerat populus nationum, qui ſcit accipere fœneratum, qui ſcit cernere, qui ſcit excutere. Recuſaſti indicta fœnoris ſpiritalis, egere cœpiſti. De te ergo Dei filio dictum eſt: Mutuabitur peccator, & nõ ſoluet. Tibi dicitur: Aduena qui eſt in *Pſalm. 36*
te, aſcendet ſuper te, tu autem deſcendes in imum. Neſcit ſummũ qui Chriſtũ ignorat. In inferno ſemper eſt, qui non aſcendit ad Chriſtũ. In ſummo autem populus qui uerbum recipit, hic habet fidei patrimoniũ omne. De hoc dicit lex: Hic tibi fœnerabit, tu autem *Deuter. 28*
non fœnerabis ei. Hic tibi erit caput, tu autem eris cauda. hoc eſt, ille erit primus, tu ulti- mus & abiectus. Auferam à Iudæa caput & caudam, initium & finem. Initiũ Chriſtum, qui interrogatus quis eſſet, reſpondit: Initium, quod & loquor uobis. Finem quoq; Chri- *Ioann. 8*
ſtum dicit: Ipſe eſt enim finis legis ad iuſtitiam omni credenti. Ergo qui nõ credit ad iu- *Roman. 10*
ſtitiam, nec initium, nec finem habet, ſed ipſe finis ſui eſt.

Quod ſit illud pignus quod lex reddi iubet ante ſolis occaſum. Et de tripli- ci pignore.

Caput XX

C Ognouimus fœnus legitimũ, cognoſcamus & pignus quod lex reddi iu- *2. Corint. 1*
bet ante ſolis occaſum. Quod ſit iſtud, audi dicentem Apoſtolum. Dedit Deus pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Tripliciter & pignus & cõmen- datum, & depoſitum dicitur. Pignus dicunt quod pro mutuo ære ſuſceptũ eſt: Cõmen- datum autem & depoſitum quod cuſtodiatur cauſa alicuius cõmiſſi. Vnde ait Apoſto- *2. Timot. 1*
lus: Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt cõmendatum meum ſeruare in illum diem. Depoſitum quoq; idem docuit quod eſſet, dicens: Bonum depoſitũ cuſtodi per ſpiritum ſanctũ qui habitat in nobis. Nunquid ſpiritus cõmendati auri argentiq; cuſtos eſt, aut per ſpiritũ ſanctum pecunia cuſtoditur? Spirituale igitur pignus cuſtodit ab ſpi- ritu, ne aues cœli ueniant, & auferant illud de cordibus noſtris. Petamus ergo, ut cuſto- diat in nobis Chriſtus hoc pignus quod ipſe donauit, & depoſitum ſuũ cõmendatumq; conſeruet. Nihil enim accipiet à nobis, ſed ipſe nobis credidit, quod noſtrũ non erat. Et ideo detrimento honeſtatis afficitur, qui depoſitũ uiolarit alienum. Si cõmendatum ho- minis nulla debemus fraude uiolare, quanto magis diuinum & ſpiritale depoſitũ bona fide ſeruare nos cõgruit, ne exiſtimationis grauia damna ſubeamus? Hoc igitur pignus eſt quod lex prohibet pignerari, & uiolenter auferre. Sic enim habet ſcriptura: Si debi- *Deuter. 24*
tum tibi fuerit à proximo quodcunq;, nõ introibis in domũ ipſius pignerare pignus: &

homo apud quem est debitũ tuum, proferat tibi foras pignus. Si autem homo ille pau-
per fuerit, non dormies in pignore ipsius, sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occa-
sum solis, & dormiet in uestimento suo, & benedicet te, & erit in te misericordia. Dices
itaq; mihi: Ecce lex auferri pignus prohibuit, nõ suscipi, pauperi autem iussit reddi, non
omnibus. Ac de corporalibus quidem pignoribus sanctus etiã Esdras docuit nos, quod
Neemi. 5 iam fœneratores aduersus patrum uestrorũ nõ possitis uenire professionem. Nam cum
iuberentur qui fœnerauerant & acceperant aliena pignora, ut restituerent ea, dixerunt:
Reddemus, & ab ipsis nihil quæremus. Boni patres, qui statuerunt pignora debitorum
esse reddenda, boni etiã fœneratores qui responderunt quod & pignora redderent, &
pecuniã non requirerent quam dedissent. Et sententia nos paternę censionis his adstrin-
git, & professio creditorem. Est autem & aliud pignus quod lex spiritalis prohibet au-
ferri: & si datũ fuerit, reddi iubet ante solis occasum: quod homo debitum reddit, & ipse
protulit. Debitor est autem omnis qui audit uerbũ regni & non intelligit, uenit malus,
& rapit quod seminatũ est in corde ipsius. Noli ergo introire in domum eius ut illud pi-
Matth. 18 gnus accipias. Væ enim qui scandalizauerit unum de pusillis istis. Si sua stultitia amise-
rit pignus suum, tu non habebis delictũ. Si autem pauper fuerit, redde pignus ante solis
occasum. Pignus autem uestimentũ est. Sibi dives uidetur, ipse se decipit si pignus tradi
derit suũ. Si autem pauper, qui non habeat diuitias spiritus, redde illi uestimentũ suum
ante solis occasum. Si de corporali ageretur pignore, utiq; magis per diem reddendum
fuit, ne turpitudo nudi corporis diurno lumine proderetur, tenebræ enim nudũ nõ pro-
dunt. At si hoc moueret quod non haberet pauper quo dormiens tegi posset, utiq; aut
stragulum aut amictum diceret esse reddendũ. Nunc autem dicendo uestimentum, tu-
nicam magis significat qua induimur atq; uestimur. Redde ergo pauperi tunicã suam,
ut dormiat in ea noctu. Nónne tibi uidetur illum pauperem significare, qui cum tunica
una iubetur pergere, alteram non requirere, emissus à Christo ad Euangeliũ prædican-
dum? Ipse est enim pauper spiritu, qui dormire possit. Nam satiato diuitijs, non est qui
sinat eum dormire. Dormit enim pauper somnum resurrectionis, quem dives dormi-
re non potest, quia à diuitijs & uoluptatibus suffocatur. Dormit Christi quietem dicen-
Psalm. 3 tis: Ego dormiui & quieui, & surrexi. Hæc est tunica illa desuper texta, qua erat indutus
Christus, quam scindere non potuerunt illi milites quos agnoscis. Nullus enim eorum
uestimentũ Christi scindit, sed diuidit, sicut scriptũ est: Diuiserunt uestimenta mea sibi,
Psalm. 21 & super uestem meam miserunt sortem. Diuiserunt sibi Euangelistæ uestimenta eius, &
super uestem eius, hoc est super prædicationem Euangelij, qua uestitur hodie dominus
Iesus, miserunt sortem. Illam utiq; sortem, quæ cecidit super Mathiam, ut Apostolorum
duodecimus numero exclusо nomine proditoris adiungeretur. Bene autem de Euãge-
listis dictum est quia miserunt sortem. Sors enim ueluti diuino pendet examine. Et ideo
quia nõ in potestate propria sunt locuti, neq; omnes eadem omnia, sed pleraq; dixerũt
diuersa, quę alius non dixerat, sancti spiritus gratiã uelut sortito illis ea tribuisse cogno-
scimus, quę loquerentur singuli de operibus domini Iesu, ut eius describenda pro eius
Roman. 13 nutu gesta diuiderent. Est & alia tunica quã demonstrat Apostolus dicens: Induite do-
minum Iesum. Hæc est tunica quæ inhonesta operit nostra, & in ijs abundantiorem ho-
1. Corint. 1 nestatem circundat in Christo. Induimus uiscera misericordię in Christo, induimus cru-
Galat. 6 cis gloriã, quę Iudæis scandalum, Græcis stultitia uidebatur. Illi erubescant, qui eam eru
bescendam putant, nobis autem absit gloriari, nisi in cruce domini Iesu. Hæc ignobilia
nostra, honorem abundantiorem habent, quia per passionem domini regnũ nobis pa-
ratur æternũ. Quo enim quis plus peccauerit, eo plus diligit. Consepeliamur igitur do-
Coloss. 6 mino Iesu, ut participes resurrectionis eius esse mereamur. Expoliemus ueterem homi-
nem cum actibus suis, induamus nouũ, in quo remissio peccatorũ est. Bonus ergo ami-
ctus atq; uestitus, uerbum Dei. Hoc uestitu filij Noe pudenda patris operuerunt, acci-
pientes super humeros uestimentum, & retrorsum pergentes, ne uiderent uirilia patris,
hoc est, corporea quæ habent pudorem quendã generationis humanæ. Et ideo qui ui-
Ioann. 8 dere uoluit, angustioris animi dignam mercedem recepit, ut seruus fieret. Omnis enim
qui facit peccatũ, seruus est peccati. Vnde ille terrenus remansit. Hoc pauperi nemo tol
lat uestimentũ, aut si tulerit, sol nõ occidat super despoliatũ eum, antequam restituat, ne
peccatum

peccatum pauperis fœneratori possit adscribi, & non solum suo, sed etiã alieno incipiat laborare peccato. Hoc pignus in hac seculi nocte reddatur, hoc uestimento in his mũdi tenebris induatur. Hoc pignus illius dominicæ sortis est, non illius contrariæ. Legimus enim duas sortes in Leuitico, de quibus dictum est: Vnam domino facies, alterã transmissori. Transmissor sortem suam ad fœneratores transmisit. Serui domini in sorte sunt Christi. In hac sorte constitutus Aaron, contrariæ sortis excluſit ęrumnã, cum inter duas partes populi constitutus, mortem à defunctis serpere in sortem uiuorum sui corporis non permisit obiectum. Huius sortis bonum pignus est, uerbi amictus. Hãc uobis tunicam nemo auferat debitores, hanc tunicã nulli oppigneretis si uultis nunquã turpitudinem sustinere, ut dormiatis inter medios cleros, sicut Aaron, dormiatis inter duo testamenta, ut dormiatis somnũ resurrectionis, & uos reparare possitis. Hoc est uestimentũ quod etiam si oppigneraueritis, recipiendũ, in Prouerbijs sanctus Salomon præcipit dicens: Auferuestimentum tuũ: præterijt enim iniurioſus. Sapientiæ uestimentũ est ex ilProuerb. 27
lis uestimentis quæ ex byſſo & purpura sapientia sibi fecit: hoc est, indumentũ fidei constat ex prædicatione cœlestiũ, & dominicæ sanguine passionis. Byſſo ætherea figuratur, purpuræ specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum cœleste conferSapiens esto fili, ut lętetur cor tuum. Et intra duos uersus ait: Imprudentes autem superuenientes damnum patientur. Auferuestimentum tuum. Auferigitur, ne damnum excipias imprudentiæ, & ne exutum te proprio uestimento nequissimus ille communis fœnerator agnoscens, confusionem tui detegere conetur opprobrij, & persuadeat tibi ut te foliis tegas, & nudum te esse conspiciens, in Dei uerearis uenire conspectũ. Reddeinquit, proximo in tempore, coangusta uerbum, & fideliter age cum illo, & in tempore inuenies quod tibi necessarium sit. Non amat multis innocentia se defendere. Susanna uocis assertione nõ eguit. Verbum coangustauit ad dominum, & statim adipisci meruit castitatis propriæ testimoniũ. Plurima presbyteri loquebantur, qui laborabant uerborum fuco obducere ueritatem: sed nunc filia Iuda tacuit apud homines, locuta est Deo. Erubescenda erat in plebe ipsa defensio muliebris. Et dum pudor defenditur, impudentia prętendebatur. Coangustauit uerbum, dicens ad dominũ: Tu scis quia falsa di Daniel 13
xerunt de me. Et dominus spiritum Danielis pueri castitatis excitauit ultorem. Coangusta uerbum ergo, ut redhibitio creditori, nõ lingua respõdeat. Siue mystice: Coangusta Roman. 9
uerbum, hoc est, consumma. Verbum enim cõsummans & breuians faciet dominus su- Esaiæ 10
per terram. Hoc est, ex multis ratiocinijs abbreuiata tibi summa conueniat. Deducito quod expensis diuersis est erogatum, ut saluum habeas quod superſit: quomodo dominus de multis dispensationibus Iudæorum ex multo illo ratiocinio peccatorum cõsummauit tandem atq; breuiauit, ut reliquiæ saluæ fierent per electionem gratiæ, & seruaIbidem
rentur ad semen, per quos intermortuam spem synagogæ resuscitaret.

De reprehensione debitorum mutuum recipientium, & postmodum cõmodantibus ingratorum in redditione facienda. Et de obligatione molę & lapidis supermolaris prohibita.

Caput XXI

Q Vàm deforme est ut pro beneficio ei qui te adiuuit rependas molestiam, cum istum fraudaueris cui debes, postea in tempore necessitatis tuæ non inuenies creditorem? Quàm indignũ ut cum uictum tuum sustentare non queas, cum adhuc nihil debeas, putes quod & uictũ tuum possis & debitum sustinere? Ante cogita unde dissoluas, & sic mutuũ sume. Fructus, inquit, agrorum capio. Sed qui nõ abundant usui, quomodo abundabunt contracti fœnoris incremento? Sed possessionem meã uẽdo. Et unde fructus quibus utaris ad sumptũ? Fœnus nõ pecunia sua solui tur, sed augetur: numerando coaceruatur & crescit. Deinde non cogitas humilitatem & uerecundiã postulãtis? Donec accipias, oscularis manus fœneratoris: superbè humilias uocem tuã, ne clarior sonitus uocis tuæ aures eius offendat, ne plures te audiant deprecantem. Paupertas non habet crimen, nulla indigentię infamia est: sed debere, uerecundum est: non reddere, uerecundius. Postulabis dilationem cum cœperis cõueniri in tempore præscriptæ solutionis: pro pecunia afferes tædia, causaberis de tempore, excusationes strues. Et cũ totũ promiseris: ne in uniuersum fraudare uidearis, uix dimidium

restitues. De amico inimicum facies, pro honore referes contumeliã, pro benedictione maledictum. Quàm hæc opinionem lædant cõsidera, quàm à uiro bono discrepent recognosce. Ergo dum liber es à uinculis, ipse te reuoca à iugo & onere seruitutis. Diues es? non sumas mutuũ. Pauper es? nõ sumas mutuum. Diues es? nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? considera soluendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur, paupertas usuris non leuatur. Nunquam enim malum malo corrigitur, nec uulnus curatur uulnere, sed exasperatur ulcere. Hoc uide, ne dum pecuniã petis, molam tuam obliges, aut lapidem supermolarem. Mola est enim qua similago conficitur, qua molit similagi-

Matth.24 nem una mulier quæ assumitur, & altera relinquitur. Fortasse illa assumitur quæ semper

1.Corint.5 molit uerbum Dei, ut habeat similaginem, & spiritalem facit farinam. Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio. Custodit molam suam, interpretatur scripturas, seruat sibi lapidem supermolarem. Illa autem relinquitur quæ oppignerat molã suã. Cum autem aliquid emoluerit perfunctorie, oppignerat lapidem qui est super molam. Quis

Psalm.117 iste sit lapis, quæro. Legisti: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quare super molam? Quia ipse est qui molentes iuuat. Ipse est qui dicit:

Ioann.5 Scrutamini scripturas in quibus putatis uos uitam æternã habere. Noli fœnerator hunc

Luc.20 lapidem supermolarem oppignerare, ne cadas super illum. Omnis enim qui ceciderit super hunc lapidem, quassabitur: super quem autem ceciderit, cõminuet illum. Nec uiduæ pignus suscipias. graue & secundum literam utrumq; , si instrumentũ uiuendi egeno auferas, aut uiduæ pignus detrahas: sed grauius, si animæ quæ uerbi uidua est, uerbũ teneas, ut ei sterilitatem uiduitatis inducas.

Caput XXII

Quem fœneratorem imitari debeamus.

Ibidem 7 Tq; ut sciatis quod hęc amãti affectu suadeam, ut sciatis quod liceat bene

A fœnerare, ostẽdam uobis quem fœneratorem debeatis imitari. Duo, inquit, debitores erant uni fœneratori, unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisq;. Quis ergo eũ plus diligit? Respondens Simon Pharisæus dixit: Aestimo quia is cui plus donauit. Et laudata est sententia eius, dicente domino: Recte iudicasti. Recte iudicauit Pharisæus, qui male cogitauit: putans quòd ignoraret magis dominus peccata mulieris, quàm donaret. Sed laudatur eius sententia, ut excusatio ei omnis adimatur. Plus remissum est Ecclesiæ, quę congregata est ex populo nationum, quoniam plus debebat: sed & ipsa plus soluit, non exigenti, sed donanti. Dedit aquam pedibus Christi, qua sua peccata mũdauit. Osculata est pedes, ferens pacis insignia. Misit oleum in pedes eius, misericordiã & ipsa in pauperes conferendo. Isti sunt pedes Christi, in his innocens ambulat Christus. Et capillis capitis sui terst. Christo enim humiliatur, quicunq; habet humilitatis affectũ. Et ideo inquit, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Aduerte quod dominus & misericordiam impertit ut liberalis, & iudicium cum miseratione dispensat. Ante donauit per gratiam, sed quibus donaret sciebat. Nõ habet quod excusset ludæus. Mihi quasi peccatori plura donauit, illi quasi ingrato minora concessit. Sciuit tamen quod & ille quasi ingratus non possit soluere quod accepisset, & Ecclesia memor gratiæ eo plura soluerit, quo plura meruisset.

An fœneratores excusset, quod etiã superiores nostri id fecerint, & quod antiquũ sit usurarum exercitiũ. Et quomodo Thobias neq; pignus, neq; fideiussorem recepérit. Quo pacto etiam quis pro alieno debito fideiubere debeat.

Caput XXIII

Abetis ergo quem sequamini fœneratorem, si uultis laude donari, si uultis

H non esse quod reprehendatur à nobis. Nos enim non personæ obtrectamus, sed auaritiæ. Nec fallit, dixisse aliquos, cum ante biduũ tractatus noster eorum cõpunxisset affectum. Quid sibi uoluit episcopus aduersus fœneratores tractare, quasi nouum aliquid admissum sit, quasi id non etiã superiores fecerint, quasi non uetus sit, fœnerare? Verum est, non ego abnuo. sed & culpa uetus est. Denicq; peccatum ab Adam: ex illo culpa ex quo & Eua: ex illo præuaricatio, ex quo & humana conditio, Sed ideo Christus uenit, ut inueterata aboleret, noua cõderet: & quę inueterauerat culpa, renouaret gratia. Ideo se passioni obtulit, ut renouaretur spiritu, & absoluere uniuersos. Diabolus Euam decepit, ut supplantaret uirum, obligaret hæreditatem. Quid

fœneratores

fœneratores faciunt? Decipiunt defœneratos, obligant fideiussores. Sed non Thobias pignus quæsiuit, aut fideiussorem popoſcit. Currendum est igitur ut fideiussorem requiras, ut eum tuis nominibus adstringas. Ecce paratur alter inimicus. Nam cum nõ habueris unde debitum soluas, ille pro te tenebitur. Inueniris in eo circunuentor & fallax, qui amicum deceperis. Ille nudabitur, ille pro te in uincula ducetur. Illũ grauiorem exactorem creditore patieris, qui alligauit. Stimula ciuem tuũ quem spopondisti. Ita fiet ut ipse quoq; esse incipias ingratus, & prætereas illud quod scriptum est: Gratiam repromissoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam bonã. Necesse est dicas: Quis enim te quærebat fidem dicere? Nam nisi tu fidem dixisses, ego non accepissem pecuniam. Adulterinam accepi pecuniam, æs auro admixto mihi dedit, utinam te non obtulisses. Fortasse creditor te subornauit, uel tu illum. Ergo caue ne alieno te obliges debito, ne hoc quoq; uendidisse dicaris: ne si quod tibi (ut habet usus amicitiæ) debetur, aut debitor dederit gratiæ, ut à te uideat̃ emisse. Aut si uis interuenire, moueris amici obsecratus oratis, erubescens negare: ita interueni, ut si debitum soluendo non fuerit, de tuo noueris esse soluendum. In hęc paratus accede. Legisti enim: Non spondeas super uirtutem tuã: si enim spoponderis quasi restituens cogita. Et infra: Recipe proximum tuum secundum uirtutem tuam, & attende tibi ne cadas: id est, ne maiore te obliges numismatis quantitate, quàm ferre possunt & exoluere tuarum copiæ facultatum. Si enim quod habes tradas, amisisti opes, non amisisti fidem. Famæ tuæ damna nõ sentis, redemisti amicum sine tui fraude. Alibi quoq; id te monent Prouerbia Salomonis dicentis: Spondens sponde amico tuo, quemadmodum qui obligat se sponsorem amicorum suorum. Si autem non habes, audi quid Salomon dicat: Noli te dare in spõsionem, erubescens personam: si enim non habueris unde soluas, auferet stramentum de sub lateribus tuis. Bonus ergo fœnerator acquiret gratiam, improbus execrationem.

Eccl. 29

Ibidem 8

Prouerb. 22 iuxta 70

De alijs uirtutibus Thobię. Et quomodo mercenario merces sit soluẽda. Cap. XXIIII

Ed non his tantum uirtutum finibus contentus fuit sanctus Thobias. mercenario quoq; sciuit soluendam esse mercedem, dimidium usq; obtulit, meritoq; pro mercenario Angelum inuenit. Et tu unde scis ne forte iustum aliquem mercedem defraudes, punisue infirmum? Væ enim illi qui scandalizauerit unum de pusillis istis. Quî scis an in eo Angelus sit? Neq; enim dubitare debes quod in mercenario possit esse Angelus, cum ipse Christus possit, qui in minimo quoq; esse consueuit. Redde ergo mercenario mercedem suam, nec eum laboris sui mercede defraudes, quia & tu mercenarius Christi es, & te conduxit ad uineam suam, & tibi merces reposita est cœlestis. Non ergo lædas seruum operantem in ueritate, neq; mercenarium dantem animam suam. Non despicias inopem qui uitam suam suo exercet labore, & mercede sustentat. Hoc est enim interficere hominem, uitæ suæ ei debita negare subsidia. Et tu mercenarius es in hac terra. Da mercedem mercenario, ut & tu possis dicere domino cum precaris. Da mercedem domine sustinentibus te. Thobias tibi dicit: Luxuria mater est famis. in quo continentiam docet. Dicit etiam: Mercedem omni homini qui pecunes te operatus fuerit, redde eadem die, & non maneat apud te merces hominis, & merces tua non minorabitur. Dicit tibi: Noli uinum bibere in ebrietate. Dicit tibi: De pane tuo cõmunica esurientibus. Vide quid te fœnerare cupiat. Et de uestimentis tuis nudos tege. Ex omnibus quæ abundauerint tibi, fac eleemosynã. Omni tempore benedic dominum. In his itaq; fœnus æternum est, & usura perpetua.

Matth. 18

Thob. 4

FINIS.

CAPITA LIBRI PRIMI DE INTERPELLATIONE.

De approbatione per scripturam & exempla sanctorum quod cõsolationes, præcipue quæ ex spe futurorum habentur, omnibus præsentibus incõmodis & perturbationibus quæ in hac uita sunt, incomparabiliter præponderent. Caput I

Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter uxorem, tanquam bonus athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusauerit. Caput II.

Quòd misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare non possit, quodq; uana somni delectatio pœna potius quàm requies sit dicenda. Caput III

Quomodo amici Iob ad consolandum eum uenerint, & quod optimũ solamen in aduersitatibus sit à culpa uacare. Caput IIII

Quomodo intelligatur illud, Qui facit montes inueterascere, &c. Et de cõmotione cõluminarum. Quomodo etiam sol iussus non oriebatur, & quomodo dominus supra mare tanquam pauimentum ambulet. Caput V

De multiplici hominis tribulatione, & de ueloci cursu uitæ nostræ, cum deploratione sancti uiri pro cõmuni infirmitate. Caput VI

Quid significet illud: Quare obscripsisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata &c. Similiter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis uitæ est &c. Præterea etiã istud: Cũ aũt dormierit homo, nõ resurget usq; dũ cœlũ assuaĩ &c. Cap. VII

De intelligentia illius, Vtinam in inferno conseruares, absconderes autem me donec desinat ira tua &c. Caput VIII

De reprehensione eorũ qui curiosius inquirũt secreta altitudinis sapiẽtiæ Dei. Quamq; beatus sit ille qui sapientiam inuenerit. Et quæ sit uera sapientia. Caput IX

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI, DE
INTERPELLATIONE SANCTI IOB, LIB. I

De approbatione per scripturam & exempla sanctorum quod consolationes, præcipue quę ex spe futurorum habentur, omnibus præsentibus incõmodis & perturbationibus quæ in hac uita sunt, incomparabiliter præponderent. Caput I

MVLTAS nobis perturbationes in hac uita esse subeundas, scriptura diuina frequentibus demonstrat locis. multasq; suppetere consolationes, quibus animus capax uigoris, & recti conscius absorbere debeat, quæ præsentium incõmodorum sunt, spectare quæ habeãt perpetem iucunditatem. Præponderant enim consolationes perturbationibus: quia & præsentium sedationem afferunt, & spem futurorum. Vnde & Apostolus Paulus: Indignæ sunt, inquit, passiones huius temporis ad superuenturam gloriã. Indignæ utiq; ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis. Quæ est tam præclara cuiusquam uita in terra, ut adæquare cœlestem gloriã possit? Quid sublimius Paulo, qui tantum periculorum subijt, tantum dolorum atq; infirmitatum absorbuit? In ijs quas Christi nomine subijt passionibus, quotidie, ut ipse dicit, moriebatur, & nihil indignum perpeti se in hoc tempore pro tante gloriæ spe atq; expectatione censebat. Helias famem, insidias, mortisq; terrores, laborum acerba tolerabat, & tamen solus ille igneis curribus, equis igneis de cœlo deductis ad terras, & de terris reuectis ad cœlum, omne meritum huius militiæ abscondit, atq; ultra humana omnia gratiam pij ascensoris euexit. Nam de Petro quid loquar, qui crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus, inuerso suspendi popposcit uestigio, ut aliquid passioni suæ adderet, cuius acerba re ipse sibi supplicia non timeret? Vnde nõ immerito sanctus Dauid ad illam gloriam, cum in cætero opere, tum maxime in quadragesimoprimo Psalmo se festinare testatur dicens: Quando ueniam & apparebo ante faciem Dei? In quo Psalmo & perturbationes humanæ fragilitatis, & consolationes à domino euidenter expressit. In quo etiam interpellat pro nobis Deum, quod oblitus operis sui, oblitus collatæ in hominem liberalitatis & gratiæ, quem tuendum atq; ornandum acceperat, dereliquerit, & infirmum ac naufragum diuersis infirmitatibus reiecerit atterendũ. Quod idem ante ipsum fecerat sanctus Iob. Sed iste moralius, ille uehementius. Vtriusq; igitur interpellationes considerare

Roman. 8

3. Reg. 18
4. Reg. 2

considerare cordi est: quod in his uitæ humanæ forma exprimitur, causa agitur, prærogatiua formatur. Suo igitur ordine spectandæ nobis sunt.

Quomodo beatus Iob amissis omnibus præter uxorem, tanquam bonus athleta perturbationibus non cesserit, nec certare recusauerit. Caput II

A Missis itaq; liberis Iob atq; omnibus suis præter uxorem, quę ei sola ad tentationem fuerat reseruata, perfossus etiam ulcere graui, cum uideret amicos suos non ad consolandũ uenisse, sed ad exaggerandum & ad acerbandum dolorem, aduertit à domino datã in se aduersario tentãdi sui potestatem. Et quamuis sagittas domini in corpore suo sentiret esse, à quibus compungi se diceret, tamen quasi bonus athleta, qui dolori non cederet, nec dura certaminis recusaret, addidit: Incipiens dominus uulneret, in fine autem non perimat. Quę enim mea uirtus qui sustineo, aut quod meum tempus, ut sufferat anima mea? Nunquid fortitudo lapidum, fortitudo mea, aut carnes meæ sunt æreæ, aut non in ipso confidebam, adiutorium autem à me recessit? Visitatio autem eius despexit me. Nónne tentamentũ est uita hominis super terram, & sicut mercenarij quotidiani uita eius, aut sicut famulus timens dominum suum, qui se sub umbra obtegat, aut sicut mercenarius expectãs mercedem suã, sic & ego menses expectaui uacuos, noctes autem dolorũ datæ sunt mihi? Si quiescam dico, quando dies? Si surgam, iterum quando uesper? Plenus sum doloribus. A uespere usq; mane fermentatur mihi corpus in putredine uermiũ. Liquefacio autem glebas terræ, saniem rame lectulus meus, terres me in somnijs, & in uisionibus me percellis. Iob 6 Ibidem 7

Quòd misera conditio hominis & quasi mercenaria sit, & se nisi ex aliena misericordia sustentare non possit. Quodq; uana somni delectatio, pœna potius quàm requies sit dicenda. Caput III

Q Vàm misera hominis conditio, quæ quasi mercenaria alijs laborat, sibi indiget, & nisi aliena misericordia sustentare se nequit. Quotidie sub formidine, sub timore grauem tolerãs seruitutem, & ne deprehendatur à domino erratica atq; fugitiua, sub umbra quadam seculi huius putat se posse delitescere. Considera illum de quo ait in Ecclesiastico Syrach: Omnis homo trãsgrediens in lecto suo, contemnens & dicens in anima sua: Quis me uidet? Tenebræ circundant me, & parietes, quem uereor? Nónne tibi uidetur iste uerè esse mercenarius qui prodegerit, ut ille adolescens in Euangelio, qui legitur accepisse à patre substantiæ portionem, & egens atq; inops, quo famem leuaret, pascere greges cœpit alienos, ut mercede sumptũ exerceret suum? Sed ille tamen aliquando conuersus est, quia reuertitur ad patrem, & peccata sua nõ repressit, sed prodidit. Hic autem qui se existimat ab eo qui omnia uidet non uideri, & tenebris putat cõmissa sua posse cælari, umbram prętendit, sed frustra latere sinet, & intimi cordis penetret conscientiam, atq; in alta & profunda descendat. Vanus ergo qui putat tenebris esse se tutum, cum lucem uitare nõ possit, quæ lucet in tenebris, & tenebrę eam non comprehenderunt. Quasi fugitiuus itaq; & malus mercenarius deprehenditur, & antequam se occultet agnoscitur, quia domino omnia antequam quærat, cognita sunt. Non solum quæ facta, sed etiam quę futura sunt reperit. Igitur in uacua spe qui putat quod suum crimen abscondat: fabula est istud, non ueritas. Denicq; fabula peccantiũ ociosa, non habens fructum, sed gemitum. Narratio enim fatui sarcina in uia. Quid enim aliud est peccatum, nisi sarcina? quę huius seculi onerat uiatorem graui de- Eccl. 23 Luc. 15 Ioann. 1 Eccl. 11

pressum fasce delicti, qui si nollet oneri subiacere, debuit audire dicẽtem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Quid autem ærumnosius cum ipse lectus ad cõmunem quietem datus, graue uulnus infligat? Tunc enim solemus quę fecimus recordari, & factum suorum stimulis compungitur interior conscientia. Vnde scriptura ait his: Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris cõpũgimini. Remedium quidem debiti, & tamẽ conscientiã uulnerauit. Sed esto ut aliquãdo fesso somnus obrepat, terremur insomnijs, exagitamur uisionibus, ut non iam requies sed pœna sit. Ita enim abeũt diuitię seculi, ueluti somniũ exurgẽtis. Surrexit aliquis ex istius corporis somno, & nihil possidet, idq; ipsum quod se credebat habere amisit. Constituite mihi Matth. 11 Psalm. 4

nunc

nunc diuitem illum, qui quotidiana lucra, & quæstus uarios congerebat, & exagitabatur cupiditatibus suis, subito resipiscentem, cõsiderantemq; secum, quia cum moriemur, non accipiet omnia, neq; descendet cum eo gloria domus eius: & cum ea quæ possidet
Psalm. 48 in hac uita, habeant aliquid uoluptatis: non etiã in futurum aperientem oculos ad cœlestia. Nonne tibi uidetur sicut qui in somnis bibebat, bibisse, & qui in somnis epulabatur epulatus, aperuisse oculos, & cognouisse quòd anima eius inane sperauit, & adhuc esuriat, adhuc sitiat, quia modum non habet auaritia, nec rapiendo expletur, sed incitatur, hoc egentior, quo plura quæsierit? Et hic ergo surrexit, & uanum est somnium.

Quomodo amici Iob ad consolandum eum uenerint, & quod optimum solamen in aduersitatibus sit à culpa uacare. Caput IIII

Iob 8 & 9 Ed iterum ipsum audiamus dicentem. Incumbebant illi amici qui ad consolandum uenerant, & quasi inimici amaris eum perurgebãt sermonibus.

S Vnum enim solatij genus est in ærumna & in amaritudine cõstitutis, culpa uacare: ut ea quæ perpetiuntur aduersa, nõ pro delicti precio sustinere uideant. Hoc quoq; sancto uiro adimere gestiebant, ut uideretur ipse suæ author ærumnæ, qui peccatis grauibus domini contraxisset offensam, & pro impietatibus suis illa toleraret, describentes impiorum supplicia, qui uitia sererent, & meterent sibi dolores, quod mandato perirent Dei, & spiritu uitæ ipsius interirent, qui insufflaret domos luteas inhabrantibus, & arescerent, cogitationes destitueret uersutorum, os obstrueret iniuste. Quæ uera quidem de domini potestate, sed non conuenientia tanti uiri meritis asserebant. Is
Ibidem 9 ergo respondit: In ueritate noui quia ita est. Quomodo enim erit iustus mortalis apud dominum? Si enim uoluerit iudicio contendere cum eo, non audiet illum, ut non ad unum uerbum eius mille sermonibus cõtradicat. Sapiens est enim intellectu, & fortis & magnus: quis tam durus, ut in conspectu eius possit subsistere? Qui facit montes inuerascere, & nesciunt, & euertit eos iracũdia. Qui cõmouet orbem terrarum à fundamentis, & columnę eius mouentur. Qui dicit soli, & non oritur, aduersus autem syderacontis, & columnę eius mouentur. Qui dicit soli, & non oritur, aduersus autem syderacontis signat. Qui extendit cœlum solus, & ambulat sicut in pauimento supra mare. Qui facit uergilias, & uesperum, & septentrionem, & austri ministerium, qui facit magna & inuestigabilia, glorioſa, & immensa, quorum non est numerus. Si præterierit me, non uidebo: & si me prætergressus fuerit, nec sic sciam. Quãto uehementiore tuba iste crepuit de domini potestate? Sed in ea iustorum auxilium, non ruina est. Denicq; uidetur exprimi potentia, sed magis redemptionis nostræ mysteria declarantur.

Quomodo intelligatur illud, Qui facit montes inueterascere, &c. Et de cõmotione columnarum. Quomodo etiam sol iussus nõ oriebatur, & quomodo dominus supra mare tanquam pauimentum ambulet. Caput V

Ibidem Vi sunt enim montes quos inueterascere facit, nisi Moyses, Aaron, & Helias, Iesus Naue, Gedeon, Prophetæ, omnes libri Veteris testamenti? Ve-

Q nit dominus Iesus, Nouum detulit testamentũ, & illud quod erat uetus, factum est nouum. Innouatus est Christianus, inueterauit Iudęus. Renouata est gratia, inueterauit litera. Euertit montes, & conuertit. Euertit enim & subruit intellectum secundum literam, & statuit intelligentiam spiritalem. Intellectus ergo ille legis euanuit car-
Roman. 7 nalis, & factus est spiritalis. Vnde Apostolus ait: Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. Sed & ipse qui carnalis erat, factus est spiritalis, sicut ipse asse-
1. Corint. 7 ruit dicens: Puto enim & ego me spiritũ Dei habere. Hos ergo mõtes inueterauit Iesus,
Ibidem 2 & Iudæi nesciunt. Si enim cognouissent, nunquã dominũ maiestatis crucifixissent, nunquam adhuc Iudaica delyramenta sequerentur. Ipsi sunt ergo qui nesciunt.
Luc. 23 Euangelio dicit dominus Iesus: Dimitte illis pater, quia nesciunt quid faciunt. Sed non excusantur quia nesciunt, cum scire nolunt quod debuerint cognoscere. Certe non illis inuidemus, si domini sequantur sententiam. Sententia enim superiora solet absoluere, non futura. Sed nec ille immunis à scelere qui crucifixit suæ authorem salutis, & postea ueniam non poposcit. Esto ut ante ignorauerit, quem persequebatur, in cruce tamen positum debuit recognoscere uniuersorum esse dominum elementorum, sub quo omnia elementa tremuerunt, cœlum obscuratum est, sol refugit, terra dissiluit, defunctorum sepulchra patuerunt, mortui uiuentium receperunt cõsortia. Vnde & Centurio

turio ait: Vere Dei filius erat iste. Centurio agnoscit alienum, Leuita non recognoscit suum: Gentilis ueneratur, Hebræus abiurat. Non immerito ergo columnę orbis terrarũ motæ sunt, quando non crediderunt principes sacerdotũ. Sed motæ sunt ueteres, ut noua confirmarentur, sicut ipse dignatus est dicere: Ego confirmaui columnas eius. Audi quas colũnas confirmauerit, Petrus & Iacobus & Ioannes, qui uidebãtur columnę esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ cõmunionis. Quomodo ergo excusant se nescisse, quorũ alij uiderunt, alij cognouerunt solem nõ expleto diei curriculo recessisse, & rursus ante peractum spatium noctis egressum, noctem in die fecisse, in die noctem? Vtiq; intelligere debuerunt, quia sol iussus se recepit, & iussus exiuit. Prædixerat enim dominus, quia tribus diebus futurus erat in corde terrę, & tribus noctibus. Didicerat hoc sol, seruabat præceptum. Dubitabat ergo dicens: Quid facio? Orior, & dies est; occido, & nox est. Si cursum meum seruauero, demorabor mundi salutem. Festinemus etiã ad redemptionem nostram. Festinare etiam debeo ipse ad nouam uitã. Erit enim beneficio crucis, qua renouantur uniuersa, & sol nouus, & cœlum nouũ. Festino ergo, ut illũ possim uidere solem iustitiæ, illuminantem animas uniuersorũ. Sed quid faciam? Ipse uult post triduum fieri resurrectionem. Inueni quid faciam, ut & moras non faciam, & numerum dierum meorum custodiã. Non faciam integrũ diem, & integram noctem. Abbreuiabo horas, ut tribus quidẽ diebus ac noctibus sit inter mortuos dominus Iesus. citius tamen quàm trium dierũ & noctium interualla patiuntur resurgat à mortuis. Abbreuiabo igitur horas ubi ascenderit crucem. A sexta hora statim fiat nox, ne uideam domini passionem, sed fugiam parricidalis persecutionis spectaculum. Occidã, & erit nox horarum trium. egrediar, & innouabo diem, ut sit horarum triũ. Percursus est primus dies, sequetur nox secũdo spatio suo, sequetur similiter dies, incipiet nox tertia, resurget dominus in nocte, & erit dies in lumine resurgentis, ut cõpleatur illud: Et nox sicut dies illuminabitur. Hic est dies ille magnus quem uidit Abraham & gauisus est, de quo & Dauid ait: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus & lætemur in eo. Cui nõ ministerio laboris, sed fructu exultationis interero. Ipse ergo dominus diem ducit, & ante mundi cõsummationem uidebitur lumen, quod illuminat omnem hominem uenientem in hũc mundum. Ipse est dominus qui signat & numerat multitudinem stellarũ. Ipse est dominus qui cœlum solus extendit, qui ambulat tanquã in pauimento super mare, quãdo Petrus uidit eum ambulantem, & dixit: Domine, iube me uenire ad te super aquas. Et iussit dominus: sed ille titubauit: & nisi porrexisset ei dominus dexterã, dimersus fluctibus occidisset. Titubauit caro, saluauit dextera. Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Fides ergo ambulauit in Apostolo, non caro. Denicq; fides titubauit, & caro sentire cœpit naufragium. Quod non improprie dictum est, quia caro nauis est animæ, sicut scriptum est: Qui descendunt mare in nauibus. Et alibi: Ibi dolores ut parturientis, in spiritu uehementi conteres naues Tharsis. Animæ enim nostræ cum uerbum parturiunt, edunt dolores. Quæ autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est illi homo qui mundum redemit. Naues Tharsis, id est intelligibiles quæ Salomoni aurũ ferebant atq; argentũ, id est corpora nostra quæ habent thesaurum in uasis fictilibus, ut Apostolus dixit. Vel quod etiam hic partus dubio conteruntur, iuxta quod dictum est: Væ prægnantibus & nutrientibus. Nam cum anima quatitur, caro fluctuat. Vel spiritu uehementi agitabuntur infuso, cum expleto tempore fuerit resurgendum, secundum quod scriptum est: Veni spiritus, & insuffla in mortuos istos, & uiuent. Vnde & ipse Iob in posterioribus dicit: Noui enim quia æternus & potens est qui soluturus est me in terra: Resuscitare pellem meã quæ portauit. Conteruntur autem, quia resuscitantur ad iudicium. Est autem bona contritio. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Et alibi: Sana contritiones eius. Sed & ad Iosaphat dictum est: Cõtritæ sunt naues in Tharsis: eo quod se sacrilegio miscuisset. Vtrũq; igitur contritio significat, quia utrunq; est in die iudicij, quãdo omnes qui in monumentis sunt, audient uocẽ filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem uitę: qui male egerũt, in resurrectionem iudicij. Quod etiã Dauid propheta significat dicens: Ibi dolores parturientis, sicut audiuimus, ita & uidimus in ciuitate domini uirtutũ, in ciuitate Dei nostri. Nanq; & dolorem futurum & lætitiam comprehendit: Dolorem de iudicio, & de absolutione lætitiam.

Matth.27
Psalm.74
Galat.2
Matth.12
Psalm.138
Ioann.8
Psalm.117
Ioann.1
Matth.14
Psalm.106 & 47
Ioann.16
2.Corint.4
Luc.21
Ezech.37
Iob 19 iuxta 70
Psalm.50 & 59
2.Paral.20
Ioann.5
Psalm.47

De mul-

De multiplici hominis tribulatione, & de ueloci cursu uitæ nostræ, cum deploratione sancti uiri pro cõmuni infirmitate. Caput VI

Ed ad propositę nobis interpellationis seriem reuertamur. Multas, inquit, *Iob 9* S contritiones fecit mihi, respirare me non sinit. Impleuit me amaritudine, & quia uirtute est potens, nemo potest iudicio eius resistere. Si iustus sum corde, lingua mea errat. Magnum & potentem disperdit ira. Improbi in morte grauí, iusti autem irridentur. Dati sunt enim in manus impij.] Vide singula. Potentibus ira sua grauis est, improbis nequitia, iustis conditionis infirmitas. Ita nihil periculo uacat. Fortitudo & magnitudo uiri sua potestate decipitur, improbitas afflictatur, uirtus ridetur. Ridetur ille, quia plus potest, labitur iste, quia nihil potest. Affligitur, cõditionis est uitium, quia uita nostra leuior est cursore. Transiuit, & nihil uidit. Tanquam nauis uestigium, aut aquilæ uolantis & quærentis escam, ita præterit & uita hominis. Quod loquimur, obliuiscimur, nec ullũ transitus nostri insigne deprehenditur, nisi quod sit plenum *Ibidem 10* mœroris & gemitus. Concutior, inquit, omnibus membris. Vtinam sit mediator noster arguens & dijudicans inter utrũq; nostrum. Dicam domino: Quare sic me iudicas? An bonum tibi est si iniustus ego sim, quia repulisti opera manuum tuarum, & consilio impiorum intendisti? Nũquid sicut mortalis uidet, sic uides, aut uita tua sicut hominis, aut anni tui sicut uiri, quia exquisisti iniquitates meas, & peccata mea inuestigasti? Nosti quia impie non gessi: sed quis est qui de manibus tuis eruat? Magna fides, magna authoritas conscientiæ, Deum testem mentis suæ accersire. Quod conditionis est, non negat: quod impietatis est, repellit: quod infirmitatis est, fatetur. Peccasse conditionis est, quia nemo immunis lapsus est. Impiè agere non conditionis est, sed perfidiæ, & nequissimæ mentis uenenum. Non agnoscit hoc iustus, sed absolutio hominis, in Dei misericordia & non in hominis potestate est. Manus, inquit, tuæ plasmauerunt me, postea cõuertisti & percussisti me. Memento quia lutum me fecisti, & in terram me resolues. Nũquid nõ ut lac mulsisti me, confecisti me sicut caseum? Corio & carne me induisti, ossibus & neruis me inseruisti. Vitam autem & misericordiam in me posuisti, & uisitatio tua protexit spiritum meum. Quanta deploratio sancti uiri pro cõmuni infirmitate, quanta cõuentionis authoritas, quod Deus hominem manibus suis fecerit? Excusatur culpa infirmitatis obtentu, cõmendatur gratia priuilegio operationis æternę, & protectione dignationis *Psalm. 8* cœlestis. De quo loco etiã Dauid pulcherrime locutus est dicens: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quia uisitas eum? Hæc, inquit, habens in te, noui quia omnia potes, impossibile autem tibi nihil. Si enim peccauero, custodies me, ab iniqui- *Iob 10* tate autem immaculatũ me non fecisti. Si impius fuero, uæ mihi: si sim iustus, nõ possum me erigere. Plenus sum enim cõfusionis, inuestigor sicut leo ad necem. Vide tria. Si peccauero, inquit, custodies me. Et ideo ô homo fatere peccatũ, ut ueniam consequaris: dic *Esaiæ 43* iniquitates, ut iustificeris. Quid erubescis fateri eas in quibus natus es? negantis non latentis crimen est, negare quod natus sis. Quod accepisti, utinam serues. Cur putas tehabere quod non acceperis? Ergo peccator fateatur, impius ingemiscat. Iustus non se erigat & extollat, ne per arrogantiam fructum iustitiæ amittat. Et pulchre ait: Si iustus sum non possum me erigere: plenus enim sum confusionis. Iustus enim aduertit magis fragilitatem suam, quàm iniustus: & lapsus suos sapiens agnoscit, nõ agnoscit insipiens. De- *Prouerb. 18* niq; lapsibus suis sapiens compungitur, insipiens delectatur. Iustus accusator est sui, iustus assertor. Iustus præuenire uult accusatorem confessione peccati, iniustus peccatum suũ occultare desiderat. Ille in principio sermonis occurrit ut prodat errorem, iste multiloquio sermonis sui somnum excusationis inuoluit, ne prodat errorem.

Quid significet illud: Quare obscripsisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata &c. Similiter & illud: Mortalis filius mulieris, breuis uitæ est &c. Præterea etiam istud: Cùm autem dormierit homo non resurget, usq; dum cœlum assuatur. Caput VII

Iob 18 Terum adijciens dicit: Quare obscripsisti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata? I] Pulchrè id ætatis arripuit ad querelã, quæ magis ad uitium lubrica esse cõsueuit. Habet enim puerítia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa uicina adolescentiæ iuuentus bonę existimationis intuitum, & uere-

& uerecundiam delinquendi. Adoleſcentia ſola eſt inualida uitiis, infirma conſilijs, uitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delicijs. In tanto igitur confragoſo & procelloſo mundi huius turbine cur tam crebra naufragia improuidæ adſcribuntur ætati? Vnde præclare Dauid totius tẽporis eius ueniã ſibi à domino poſtulauit dicẽs: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ ne memineris domine: quia tunc maxime calor corporis feruet, & æſtu ſanguinis uaporantis igneſcit. Sed iterum ipſum audiamus: Mortalis, inquit, filius mulieris breuis uitæ eſt, & plenus iracũdiæ, qui ſicut flos floruit, & cecidit. Di re in iudiciũ ſub conſpectu tuo. Quis autẽ mundus eſt à ſorde? Sed nemo, etiam ſi unius diei ſit uita eius ſuper terrã. Vere miſerabilis cõditio, ut peccati ſui quod uitare nõ poſſit rationem præſtare cogatur intrare iudiciũ, in conſpectum ſubire domini omnipotentis compellatur, edere cauſas geſtorũ ſuorũ, quæ tot uitæ ſuę ætatibus percurrerit, cũ mundus à peccato quiuis eſſe non poſſit, ut ab ipſis cunabulis prius obrepat infantiæ culpa, quàm ſit ullus ſenſus erroris. Quamq; illud miſerabile, ut breuis ſit uita eius, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia quotidiana. Itaq; in exigua delectatione amaritudo perpetua eſt. Eſt, inquit, arbori ſpes. Si enim fuerit excíſa, uirideſcit: & ſi in terra mortuus fuerit ramus eius, ab odore aquæ florebit, faciet autẽ meſſem ſicut nouella. Vir autẽ defunctus abijt, cadens autẽ mortalis homo nõ ultra eſt. Tempore autẽ fluctuat mare. Spectauimus prophetici ſermonis ſeriẽ ex duobus inferioribus elementis terra ac mari, quę omni iniuriæ crebriſq; tempeſtatibus ſubiacẽt, quàm ualidũ argumentũ noſtrę expreſſit ærumnæ? Terrena, inquit, uirgulta, nemoroſaq; arborũ etiam cum fuerint mortua, in uſus uitales reſurgunt. Mare quoq; ipſum temporũ uicibus ſolet fluctuare. At uerò caro noſtra ſemper exæſtuat, ſibiq; ipſa tempeſtas eſt, nec unquam à motibus procellarũ miſerandiſq; naufragijs feriatur. Cum autem dormierit homo, non reſurget uſq; dum cœlum aſſuatur. Quod uidetur declarare, donec cœlum mouetur. Erit nouum cœlũ, & terra noua, ſicut ſcriptum eſt: Quod enim aſſuitur, uetus eſt: quod uetus, mutabitur. Denicq; audi Dauid dicentem: Initio terram tu fundaſti domine, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt: tu autem permanes, ſicut ueſtimentum ueteraſcent, & ſicut operto rium mutabis eos & mutabuntur. Poſſumus etiam illud attexere, quoniam quod uetus eſt aſſuitur, quod nouum cogitur. A diebus autem Ioannis baptiſtę regnum cœlorũ cogitur, & cogentes diripiũt illud. Aſſuebat ergo illud Synagoga in paucis, Eccleſia cogit in multis. Vel quia nunc cœlum aſſui uidetur nebulis & caligine, nocturniſq; tenebris, & croceo diei ſurgentis rubore diuerſa & diſcolori ſpecie ſæpe contexitur. Tunc autem nox non erit amplius, & non indigebunt luce lucernæ, & lumine ſolis, quia dominus illuminabit ſuper eos: ſicut dicit Ioãnes. Vel quia Vę iſs qui aſſuũt ceruicalia ad euertẽdas animas populi. Deploranti prophetæ miſeriam noſtrę fragilitatis, quę & in hac uita retam diu non reſurrecturos homines, donec ueniret qui nõ aſſueret uetera nouis, nec uequiem non haberet, & uniuerſa ſubito incurſu mortis amitteret, ſpiritus ſanctus infudit ſtimentum nouum committeret in ueſtimentum uetus, ſed omnia faceret noua, ſicut ipſe dixit: Ecce faciã noua. Ipſe eſt enim reſurrectio, primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogatiuam futurę reſurrectionis accepimus ſolus tamen adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit.

Pſalm. 24

Iob. 14

Ibidem.

Pſalm. 101

Matth. 11

Apoc. 22

Ezech. 13

Apoc. 21

De intelligentia illius: Vtinam in inferno conſeruares, abſconderes autem me, donec deſinat ira tua, & cætera. Cap. VIII

A Vdito igitur quid locutus eſſet in eo deus, & cognito per ſpiritum ſanctum quod filius dei non ſolum ueniret in terras, ſed etiam deſcenſurus eſſet ad inferos ut mortuos reſuſcitaret, (quod tunc quidem factum eſt ad teſtimoniũ præcedentium, & exemplum futurorum) conuerſus ad dominum ait: Vtinam in infer- Iob. 14
no conſeruares, abſconderes autem me donec deſinat ira tua, & ſtatuas mihi tempus in quo memoriam mei facias. Si enim mortuus fuerit homo, uiuet, cõſummans dies uitę ipſius. ſuſtinebo donec iterum fiam, donec uocabis me, ego autem te obaudiam, opera uerò manuum tuarum ne deſpicias. Numeraſti autem meas adinuentiones, nec præteribit te quicquam ex peccatis meis. Signaſti autem iniquitates meas in ſacculo, & notaſti ſi quid inſcius præteriui.] Quàm ſuauis locus, qui nos de reſurrectione cõfirmat, & quàm

uidetur uoci dominicę conuenire, quæ in Euangelio legitur, ubi ait: Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Erit enim in consummatione Luc. 13 seculi ira domini. Recte ergo sanctus in iudicium mauult resurgere, quàm in tempus diuinæ iracundiæ, quæ terribilis etiam innocentibus est. Simul etiam illud prophetare intelligitur dicendo: Statuas mihi tempus in quo memoriam mei facias, quod in passione domini resuscitãdus foret, sicut in fine huius libri testatur: nec tamẽ deplorare desinit: & quo magis intelligit sibi resurrectionem esse propositam, uitam hãc fugere desiderat, ut dens se in manus traditum aduersariorum, proiectum se in potestate impiorum, cui etiã amici in inimicos conuersi sunt, qui cum debuerint consolari, ruinam super ruinam infe-
Iob. 16 rant: memor tamen conscientiæ suæ puræ, & mundæ orationis ait: Terra non cooperias in sanguine carnes meas, ut oratio eius sicut incensum dirigatur ad dominum, non in terra diuersetur, sancti enim oratio nubes penetrat: peccatoris orationem, sicut à deo Cain dictum est parricidæ, aperiens os suum terra in sanguine carnis abscondit. Maledictus,
Genes. 4 inquit, à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinẽ fratris tui de manu tua, quoniam operaberis terram.

De reprehensione eorũ qui curiosius inquirunt secreta altitudinis sapientiæ dei.

Quamq; beatus sit ille qui sapientiam inuenerit. Et quæ sit uera sapientia. Cap. IX.

Lebiliter igitur sanctus deplorat uitæ istius tempora. Pereo, inquit, & spiritu
Iob. 17 F circunferor, oro autem sepulturam, & nõ impetro, precor laborans. Et quid faciam? Dies mei transierũt in honore, dirupti sunt articuli cordis mei.] Nec
Rom. 11 tamen derogat iudicio dei. Scit enim profundam esse altitudinem sapientiæ & scientiæ dei, & inscrutabilia iudicia eius, atq; inuestigabiles uias eius. Non calcauerunt, inquit, eas filij glorificantiũ, nec transiuit per eas leo. Quis enim potuit uias eius comprehendere, quę abditè occulta penetrant? Vnde, inquit, inuenta est sapientia, aut quis locus discriminæ? Nescit mortalis homo uiam eius, nec inuenta est in hominibus. Abyssus dixit, nõ
Ibidem. est in me: & mare dixit, nõ est mecũ. Non tibi licet scire ô homo alta sapientiæ: ideo tibi scriptum est: Noli altum sapere, sed time. Quid curiosẽ queris inuestigare quod tibi non
2. Cor. 12 expedit scire: nec cognoscere datur? Paulus audiuit aliqua secreta sapientię, quæ prohibitus est alijs intimare, & ideo raptus est in paradisum, raptus usq; ad tertium cœlum, ut audiret ea quę in terris audire non poterat. Si quę audiuit homo, nõ licuit ei loqui, quem admodum quod non audiuit inquirit? Imperatoris huius in terris non licet tibi scire consilia, & uis scire diuina? Non licet tibi curiosius inuestigare quæ in terris geruntur, & curiosius requiris quid supra cœlum agatur? Cur tu disputas unde nata sit sapientia? Nescit homo uiã eius, nec in hominibus inuenta est perfecta sapientia.] Non in Moyse, nõ
Psalm. 50 in Aaron, non in Iesu Naue fuit, non in ipso Dauid qui ait: Incerta & occulta sapientiæ
Psalm. 72 tuæ manifestasti mihi, quia ipse dixit in posterioribus: Velut iumentũ factus sum apud
Esa. 7 te. Supra te est scire ô homo altitudinẽ sapientię, satis est tibi ut credas. Si enim nõ crediderítis, inquit, nec intelligetis. Abyssum scire non potes, abyssum nõ potes cõprehendere, quomodo altitudinẽ sapientiæ cõprehendes? Abyssus dixit, nõ est in me, & tu potes dicere quia in te est sapientia? Abyssus ergo dixit, nõ est in me, quia ipse dominus dixit.
Psalm. 15 Non derelinques animam meam in inferno. Et Apostolus dixit: Qui descendit in abyssum hoc est Christũ ex mortuis deducere. Ergo si interrogatur abyssus, ubi est sapiẽtia?
Rom. 10 dicit, me-
Iob. 28 respondet: Non est mecũ, quia surrexit. Si interrogatur mare, ubi est sapientia? dicit, mecum nõ est, quia calcauit me, nec fluctus mei eam turbare potuerũt. Et tu ergo in hoc seculi istius positus freto noli perfectã illã dei sapientiã in hoc mundo quærere: quia mundus eam nõ cognouit. Sed si uis eã inuenire, calca fluctus huius mundi sicut calcauit Petrus, & ambula super aquas huius seculi, & porriget tibi dexterã sapientia, sicut porrexit & Petro: quia nemo fuit quẽ non seculi huius unda turbauerit. Turbauit & Abrahã, turbauit & Moysen, turbauit & Petrũ Moyses per mare transiuit, & per mare peditũ duxit exercitũ, sed ante & ipse turbatus est. Petrus super aquas calcauit, sed mersus fuerat corpore, quia infirmioris fidei uestigio claudicauit. Ergo noli sapientiam in mari quærere, quia non dixit cum mari se futurum dominus Iesus, sed cum discipulis suis, ut aliqua ex
Matth. 28 parte eum cognoscerent, quibus ait: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationẽ seculi. Beati cum quibus est, utinam & nobiscum sit. Sed nobiscum mare est, Petrus cum Christo

Christo, quia & ipse calcauit mare. Nobis aurum cordi atq; argentum est, sapientia autẽ supra aurum, nõ in auro est. Ideo qui sapientiam habere cupiebat, Argentũ ait & aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi, in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Quia aurũ non habebat, in nomine Christi habebat piæ operationis gratiam. Ideo & tibi dicitur: Attrahe sapientiam in interiora. Latuit, inquit, omnem hominẽ, & à uolatilibus cœli abscondita erat. Nec homines sciebant ubi erat, nec angeli, quia ipsi sunt aues cœli, de quibus dictũ est. Et uidi angelum uolantem per cœlum. Nemo potuit noscere sapientiam, quia nemo nouit filiũ nisi pater, & nemo nouit patrẽ nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Ipse ergo reuelauit Ioanni cum quo esset sapientia: & ideo dixit ille, nõ quod suum erat, sed quod sapientia infudit ei: In principio erat uerbum, & uerbũ erat apud deum. Nescit sapientiam interitus, nescit malitia. Interitus enim tenere eũ non potuit, qui dixit: Vbi est mors uictoria tua? ubi mors aculeus tuus? Nescit etiã malitia, quia dixit, Quærent me mali, & nõ inuenient. Possunt dicere: Audiuimus gloriam eius. Solus est deus qui nouit eam, quia deus, inquit, bene cõstituit uiã eius. Ipse eñ nouit locũ eius, quod sit receptaculũ sapientiæ. Audi discipulum eius dicentẽ: Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Agnouit eñ patrẽ filius, quia ipse ait: Sicut agnouit me pater, & ego agnosco patrẽ. Aequa mẽsura est cognitionis, ubi unitas potestatis est. Pater ergo qui omnia nouit, uentorum libram, aquarum mensurã, ipse uidit sapientiam, & enarrauit eam per prophetas suos, quia pater enarrauit sapientiam, & inuestigauit eam, sicut & filius patrẽ enarrauit, quem nihil præterit, & dixit: O homo, quid uis profunda scire sapientiæ quæ supra te sunt? Timere deũ sapientia est, abstinere à malo disciplina est.

Actor. 3
Iob. 28
Apoc. 14
Matth. 11
Ioann. 1
1. Cor. 15
Ioann. 10

CAPITA LIBRI SECVNDI DE INTERPELLATIONE.

Quòd plerique etiam prudentes moueantur cum uiderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter in hoc seculo affligi. Cap. I

Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit: Et tacendo irridendoq; suos conuiatores redarguerit, ostendens quod à domino deo sua tentatio uenerit. Cap. II

Quantum bonum sit taciturnitas, & quod multi per sermonem decepti sint. Quàm pulchrum etiam sit ridere cum nobis maledicitur, ex eo quòd iniuriarum cumulus bonæ conscientiæ non præiudicet. Cap. III

Qua ratione si propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundent. Cap. IIII

Quòd orandum potius nobis hic sit subire laborẽ, quàm rerum temporalium abundantia affluere, propter diuersum, & contrarium utriusq; finem, eo quòd sic uera sapientia inueniatur. Cap. V

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE INTERPELLATIONE SANCTI IOB, LIB. II.

Quòd plerique etiam prudentes moueantur cum uiderint iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter in hoc seculo affligi. Cap. I

SVPERIOR nobis disputatio fuit de interpellatione sanctorũ quàm fragilis & imbecilla conditio sit humana, quæ nusquam sui habeat firmitatem, nisi in protectione cœlesti: Nobis hodie sumenda est, qua uulgus hominum, plerique etiam prudentium ualde mouentur, cum uident iniustos affluere rebus secundis, iustos autem frequenter affligi in hoc seculo. Et uere lubricus hic locus, in quo etiam sancti uix potuerunt ueræ opinionis tenere uestigiũ. Deniq; turbatus est & ipse Dauid, qui in superioribus dixerat. Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Veruntamen cõfirmauit se ipse postea, & perfectæ rationis uiam inuestigauit. Iob quoq; sanctus cum tribus illis ueteribus amicis qui

Psalm. 50

ad consolandum uenerant, de ea opinione in sermone luctatus est. Vtriusq; igitur disputationes in medium proferamus. Digni enim sunt qui nobis magisterium uiuendi affe-
rant, quandoquidem in aduersis positi, plus deo placere meruerunt. Audiamus igitur u-
trumq; suo ordine. Increpuerant uehementer sanctum Iob, Eliphaz Themaneorum rex
& Baldad Santhæorum tyrannus, & Sophar Naamatenorum rex, eo quòd propter pec
cata sua tantum supplicij sustineret. Infirmo etenim ingenio non aduertebãt quod do-
minus eum tentandũ dedisset, ut athleta Dei tentationibus eruditus, ad maioris gloriæ
coronam perueniret. Non uidentes itaq; tantũ sapientiæ sacramentum, angusti cordisti
more, ne uiderentur iniustitiæ deum arguere, qui pœnis affici innoxium perpeteretur,
in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant dicentes, quia omnis uita impij in solici-
tudine, & diuitiæ iniuste congregatę euomentur: omnia quæ patitur homo grauia in ter
ra, propter peccata sua eum perpeti. Qui etiam si in rebus prosperis sit, perpetuari ei se-
cunda non posse, & tanquam somnium cito euanescere, ut non inueniatur locus eius: læ
Iob. 20 titiam autem impiorum esse grauiorem ruinam. Ideoq; etiam sanctum Iob à prosperis in
aduersa mutatum, & delictorum suorum precio ex summis in ultima corruisse: labi eum
qui se assereret innocentem, cum portio impij huiusmodi sit, ut superueniens in eum à
domino indignatio iungat ei dolores, & interitus domum eius inuoluat.

Quomodo sanctus Iob in aduersis fortior factus sit: & tacendo irridendoq; suos conuitiatores redarguerit, ostendens quod à domino deo sua tentatio uenerit. Cap. II

A Vdiebat hæc sanctus Iob, & quasi athleta fortis in stercore sedens, in tantis uibicibus & sæui doloribus uulneris, totum corpus diris perfusus ulceribus, mysteria loquebatur: nec acquirendis propriæ remedijs ægritudinis, sed sa-
cris uacabat sermonibus. Fortiores itaq; sermones ægri hominis quàm illorum qui non ægrotabant. Illi enim loquebantur iustitias, sed non secundum scientiam: prædicabant diuina iudicia, pœnas reorum, præmia sanctorũ, sed reum à iusto discernere nesciebant. Quem enim dominus iustum pronunciauit, eum condemnabant iniustitiæ, arcessebant iniquitatis. Ignorabant ergo quid unicuiq; cõueniret. At uir sanctus Iob discernebat spi-
ritu quomodo unicuiq; oporteret loqui: fortior sane quàm ij, qui sani & incolumes uide
bantur. Et quid dicam fortiorem inuentum cæteris? Fortior æger quàm cum sanus esset,
seipso inuentus est. Fortior enim æger Iob quàm cum sanus fuerat, secundum quod scri-
2. Cor. 12 ptum est: Virtus in infirmitate consummatur. Ergo & Iob cum infirmaretur, tunc uali-
dior erat. Non enim ægrotabat animo, etsi doleret corpore: quia non erat in carne eius
anima, cuius passionibus nõ adhærebat: sed in spiritu, cuius uirtute se texerat. Ideo ergo
non carnis gemitus & corporis infirmitates, sed uoces spiritus loquebatur, quibus urge
ret, nõ quibus cederet. Et primo quidẽ lenius, ut illis pudorem incuteret, quia urgebant
iustum iniuste, dicentes quod minora peccatis suis supplicia sustineret: & nõ erubesce-
Iob. 19 bant ipsi peccatores falsis accusare innocentem. Esto, inquit, ego errauerim, & apud me
deuius ille inhabitet, qui mẽtibus hominũ offundit errores, ut loquar sermones quos nõ
oportet, sicut uos dicitis, & errẽt uerba mea, nec opportune sermo meus promatur, cur
uos in me insilitis & cõuitiamini, nõ cõsiderãtes quia à domino mihi uenit ista tentatio,
qui me uallo quodã perturbationũ arbitratus est sepiendũ? Exerceor aduersis circũual-
latus undiq; laboribus & periculis, & insultatis adhuc uolẽtes opprimere quẽ deberetis
Iob. 19 iuuare? Ecce rideo in op,probriis, & nõ loquar nec respõdebo cõuitijs uestris. Nõ em uos
estis qui iudicatis, sed qui iudicat me, dominus est, & ipsius tamẽ iudicij tẽpus nondũ ad
1. Cor. 4 uenit. Quid opus clamare ante iudiciũ? Bonũ est tacere dum expectatur qui iudicat. Bo-
num est conuitiũ cõuitio nõ referre, ne & nos inter detrahẽtes adnumeremur. Imitemur
ergo hunc uirũ, qui silentio suo redarguebat cõuitiantes. Ostendebat em uirtutẽ animi
sui, quẽ cõtumeliæ nõ mouerent: & cõscientiæ innocentiã manifestabat, qui obiecta nõ
recognosceret, sed quasi aliena rideret. At uero si nobis aliquid obijciatur: dũ nos purga
re uolumus, acerbamus: dum ulcisci cupimus, cõfitemur: cum dicat scriptura ut auertas
dedecoris sermonẽ, & auferas uestimentum tuũ: Præterit enim iniuriosus. Taceamus er
Eccle. 8 go, ut prætereat, ne uestimentũ nostrũ prouocatus exurat. Scriptũ est enim: Noli incen-
dere carbones peccatoris, ne forte exuraris in igne flammę eius. Propterea ergo sanctus
tacet: &

tacet:& si seruus proteruit, & si pauper cõuitiatur, tacet iustus:& si peccator opprobria iacit, iustus ridet:& si infirmus maledicit, iustus benedicit. Tacebat Dauid cum Gera filius Semei malediceret, Iob ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait: Maledicimur,& benedicimus. Magisterio quippe diuino processus humanæ uirtutis excreuit, quia iam uenerat qui ex infirmis faceret fortiores,& audierat dicentẽ: Benedicite maledicẽtes uobis,& orate pro calumniãtibus uos. Quod uerbo dixit, exemplo probauit. Denique & in cruce positus de persecutoribus suis conuitiantibus sibi ait: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciũt, ut oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipse dimittere. Iob ergo ridebat, quia nondũ uenerat Christus, cui soli seruabatur magnarũ prærogatiua uirtutũ, quia ipse est uirtutũ principiũ, sicut dixit: Dominus creauit me principiũ uiarũ suarum.

2.Reg.16 Iob.19 1.Cor.4 Matth.5 Luc.23

Quantum bonum sit taciturnitas,& quòd multi per sermonem decepti sint.

Quàm pulchrũ etiam sit ridere cum nobis maledicitur, ex eo quod iniuriarum cumulus bonæ conscientiæ non præiudicet. Cap. III

E T ridens tacebat. Qua ratione tacendum sit, docet: Clamabo,& nondum iudicium. Ipse, inquit, uoluit hæc me perpeti. Tanquam muralibus tentationibus clausus nõ possum effugere, donec placeat deo destruere altitudines tentationum mearum. Nunc enim sic clamo, nondum iudiciũ. Adhuc in agone sum, adhuc luctor, adhuc certamẽ supereſt mihi. Nondum enim exiuit corona. Nemo autẽ nisi qui legitime certauerit coronatur. Debebatur illi certamen tertium, amiserat omnia sua, id est, patrimonium cum filijs. Patiebatur uulnera caro eius, manebat ut tentationes uerborum uinceret. Non mediocre certamẽ. Sermone deceptus est Adam, uerbo uictus Samson. Nihil enim sic penetrat animã sicut sermo fucatus: nihil iterũ sic mordet, ut durior sermo. Multi cum uicerint adhibita tormenta, sermonũ duritiam non sustinuerũt. Laborabat Iob, sed sustinebat,& uerborũ ictus iuxta uulnerũ onera portabat. Vidit eũ Agonotheta suus, de nube & turbine manũ laboranti dedit,& obluctantes graui lapsu cecidisse pronunciauit, uictorem asseruit, coronam detulit. Quid autẽ pulchrius, quàm ridere cum maledicitur nobis? Gaudere enim debemus si aliena dicantur. Primũ quidẽ, quia uolens inimicus aliquid dicere aduersum nos quo crimen adfingeret, nõ inuenit quod uerum est, sed falsa pro ueris cõposuit. Deinde, quia dixit ipse dominus in Euangelio de huiusmodi criminatione quæ innocentibus falsò irrogaretur propter iustitiã: Gaudete & exultate, quoniã merces uestra multa est in cœlo. Tacere ergo debet qui recognoscit obiectum, ne uulnus exasperet,& scindatur cicatrix: Tacere,& qui non recognoscit, audit enim alterius, non suũ crimẽ. Quod si referat, suũ facit: si tacet, retorquet,& cõuitiantem uulnerat. Tacere debet etiã ille qui de memorata mercede præsumit. Non enim patitur præiudiciũ, cui nõ est iudiciũ. Et si fuerit præiudiciũ in seculo, non erit in iudicio dei. Deinde ut cognoscas quia nõ præiudicat cõtumelia bonæ conscientiæ, audi sanctũ Iob dicentem, locupletiorẽ utiq; testem quàm si imperio urbis Romanæ potitus esset: Nunc obmutescam & derelinquam: si nunc mihi præiudicium est, tunc à facie tua nõ abscondar. Hæc ergo parcius in exordio respõdit, ut admoneret illos iudicij dei, atq; ab insolentia & furore reuocatos quasi bonus medicus faceret resipiscere. Sed postea quàm eos adhuc uertit perseuerare in cõtumelijs, plura fortiora repetiuit,& tanquã pugno eos ualidiore percussit, qui uerborũ suorũ saxis lapidabant innoxiũ. Audite, inquit, audite uerba mea, non sit mihi à uobis consolationem quærere, portate me, quia fortiora loquar, graue erit pondus uerborum meorum. Dicam & ego secundum opinionem uestram, eò quòd multi abundant in hoc seculo rerũ secundarũ successibus,& alij grauantur ære. In ærumna positi sunt,& uidetur hoc seculum peccatorũ merito deseri. Quod & si dicam, nolite ridere quasi uobis acquieuero:& si peccator sum, non sum homini reus, quia sub peccato est & ipse qui iudicat,& sibi in me potestatẽ uindicat. Aut si iudicor quasi homo, commune est istud, increpari nõ debeo. Infirmitas conditionis est, non specialis improbitas.

Matth.5 Iob.21

Qua ratione si propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundent. Cap. IIII

S Ed dicite mihi: Si propter peccatum meum hoc patior, sicut obijcitis, quare impij uiuunt? Nec solum uiuũt, sed etiam repleti sunt diuitijs,& fructus multiplicant, sed etiam filijs potiuntur, abundant domus eorum? Hæc euidenter

ſpecie bona,ſed altiori myſterio inuenies quoniã quæ putantur bona,non ſunt bona:& quæ putantur mala nõ ſunt mala,et potiora illis æſtimãtur. Inueteraueruntin diuitijs, παλαίουσαι dixit,ut non tam diuturna diuitiarum poſſeſſio, quàm inueterata copiarũ mo
Iob.21 leſtia ſignificata uideatur,ſicut uidit Eccleſiaſtes diuitias cuſtodiri in malum poſſidenti
Eccle.5 eas,quæ pereunt in ſumma diſtrictione ac ſolicitudine.Pereunt enim quę hic relinquun tur & mortuo prodeſſe non poſſunt. Habuit igitur defunctus ex illis ſolicitudinem,re quiem inuenire nõ potuit,qui reliquit quod erubeſceret,nec ſecũ abſtulit quod teneret;
Pſalm.12 longe diſpar ab eo de quo ſcriptum eſt:Beatus homo qui repleuit deſiderium ex his,nõ confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Cui hęreditas dominus eſt,& merces ex Mariæ uirginis partu:hic in exitu ſapientiæ laudibus prædicatur,quoniã non habuit quod erubeſceret,qui nihil eorum quæ ſunt ſeculi cõcupiuit,ſed aduerſariũ depoſitis ue teris hominis exuuijs,telo continentiæ uulnerauit,ut obſtrepere ei in huius uitæ fine nõ poſſet uulnere claudus, & uirtutũ admiratione confuſus. Habes ergo nõ eſſe laudabilẽ qui inueteratus in pecuniæ cupiditatibus ſit,non renouatus in perceptione gratiæ. Vi deamus aliud.Semen eorũ,inquit,ſecundum animam:id eſt,non inter iuſtos habetur.Iu ſti enim in ſpiritu ſeminant,& de ſpiritu metent uitam ęternam.Illi uero qui ſecundũ ani
1.Cor.2 mam ſeminant,ſpiritalia metere non poſſunt, quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei,ſtultitia enim illi eſt: & non poteſt ſcire quæ ſunt ſpiritus:& ideo nõ re pletur ſpiritalibus,ſed iudicatur.Filij eorum in oculis, id eſt,quę faciunt,ideo faciunt ut uideãtur ab hominibus,nõ quia boni cõſulant ut hoc elígant quod futuro iudicio com probetur.Filios ergo ſcriptura pro operibus frequẽter declarat, eò quòd locupletior in
Eſa.38 bonis factis quàm in filijs ſit noſtra poſteritas.Vnde & Ezechias de graui ęgritudine li beratus,ex hodierno,inquit, filios faciã qui nunciabunt iuſtitiã tuã domine deus ſalutis meæ,& non ceſſabo te benedicens cum pſalterio omnes dies uitę meę. Bona enim po ſteritas deuotionis & fidei,quæ captiuitati neſciunt ſuccumbere,quã filij Ezechiæ pertu lerunt.Et addidit dicens: Quia non eſt illis timor, non eſt flagellũ à domino.Iuſtus autẽ
Eccle.1 dicit,Quoniã flagellatus ſum tota die.& optat flagellari, ut recipiatur à domino:& uult timere dominũ,quia timor domini initium ſapientiæ eſt.Nec beatitudinẽ putat ſi nõ ab ortit bucula ſua,ſicut putant ſtulti.Per bouẽ enim quid ſignificatur niſi ruralis culturę la bor? qui ſemper redit in orbem, & nunquam deſinit:ſed cum expleri uidetur,reuocatur in exordiũ.Iſti ſunt qui colunt Sodomam & Gomorram.Ergo qui colunt Aegyptũ, gle basq; terrarum aratro quodam mentis ſolidæ inuertunt, laborem ſibi pariunt,& dolorẽ metunt.Ideo bucula eorum non abortit,ſed parit,ut augeatur labor eorum,& quæ con ceperunt,omnia generant ſine timore dei.Iuſti autem longe aliter gloriantur. Nõ enim
Eſa.26 in abundantia diuitiarum,nec in partu pecorũ,ſed in domino gloriantur, dicentes:De ti more tuo in utero accepimus,et parturiuimus ſpiritũ ſalutis.De iuſtis ergo dicit,quia ſpi ritum ſalutis generauerunt,quẽ acceperunt de timore dei, nõ de malitia huius ſeculi,de
Pſalm.7 qua legimus:Ecce parturiuit iniuſtitiam,concepit dolorem,& peperit iniquitatem.Me lior ergo abortus quàm partus ſecularium.Denicq; de homine qui in hoc ſeculo uenit,&
Eccle.6 uanitatem mũdi huius & tenebras pertulit longęuitate diuturna, Eccleſiaſtes pronun ciauit quia melior illo abortiuus. Huic enim requies magis quàm illi,qui non expertus uarietatem ſeculi,in qua etſi mille annos quis uixerit, quod bonũ eſt uidere non potuit. Fugiſſe ergo hęc magis eſt gratię,quàm ſubijſſe.Et fortaſſe moueat illud quod adiunxit:
Iob.1 Quia maneant ſicut oues paternæ, pueri autem eorũ ludunt accipientes pſalteriũ & ci tharam,& delectantur uoce pſalmi:Conſummarunt autem in bonis uitã ſuam,in requie autem inferni dormierũt.Diſtingue hæc,& quia ſpiritalis es,dijudica. Impij autem ſicut æterni ſunt,nõ ęterni,quia nõ poſſunt æternitatẽ accipere ab eo qui non ſit æternus.Nõ ergo poteſt dare quod nõ habet,nec poteſt illuminare,quia non poſſidet lucẽ,ſed trans
2.Cor.11 figurat ſe in angelum lucis,ut decipiat incredulos.Transfigurat autẽ ſe ſimulatione falſę
Luc.10 lucis,non ſplendore perpetuæ claritatis.Vnde & ſaluator ait: Videbã ſathanam ſicut ful gur cadentẽ de cœlo.Nec fulgur eſt,ſed ſicut fulgur. Conſidera hæreticũ aliquẽ intentũ abſtinentiæ corporis, & cogitationi cœleſtium ſacramentorum, ſicut æternus putatur, non habet æternæ uitæ ſtipendiũ,quia falſam habet imitationẽ, qui fidei non haberue ritatem.Huius paruuli ludũt: ſicut illa quæ cum luxuriata fuerit,nubere uult.Luxuriata eſt in

est in psalterio & cithara, id est, in sono uocis, nõ in sacramentorum profundo, ut labijs resultaret, non in corde conferret.

Quòd orandũ potius nobis hic sit subire laborẽ, q̃ rerũ tẽporaliũ abũdantia affluere, ꝓpter diuersum & contrariũ utriusq; finẽ, eò ꝙ sic uera sapiẽtia inueniat. Cap. V

H

Viusmodi itaq; in bonis seculi cõsummauerunt uitã suam, hanc utiq; qua uiuebant, non illam cuius mercedẽ ſperabant, & ideo in requie inferni dormierunt, non in requie cœlesti. Nos aũt oremus hic potius laborẽ subire, ut in regno cœlorũ consolationẽ quietis ęternæ mereamur adipisci. Magna enim illecebra delinquendi est rerũ affluentia secundarũ. In superbiã enim extollit, obliuionẽ autoris infundit. Considera illũ diuitẽ in Euangelio super ostrum et purpuram recumbentẽ, cuius de mẽsa micas iustus ille pauper Lazarus colligebat. Nónne tibi uidet diues ille ad deũ dicere: Discede à me, uias tuas scire nolo? Et uerè scire noluit huiusmodi uias domini. Si enim uellet, cognosceret. Sed quia plenæ sunt laboris fugiunt, & declinant à perditis. Luc. 16

Quasi ebrius itaq; nõ recognoscit salutis autorẽ. Deinde cõuersus ad compotores suos: Manducemus, inquit, & bibamus, quid prodest si seruiamus ei? aut quæ utilitas si obseruemus eum? Hæc itaq; dicit secularium abundantia rerũ temulentus, quia nõ continuò in seculo scelerũ merita rependunt. Supinabat enim, quia in manibus ei ad uoluptatẽ omnia suppetebant, et cõscius impietatis suæ, cuius pœna sequestrabat, putabat quòd deus impiorũ scelera nõ uideret. Huic ergo opiniõi eius respõdet sanctus Iob: Noli esse securus ac dissolutus, æstimans quòd ad te in hoc seculo domini flagella nõ ueniant. Et iã lucerna impiorũ extinguit, ad tẽpus lucet, nõ habet lucẽ æternã. Et ipsi quãuis seculum faueat, quia eius qui principatũ habet in hoc seculo, faciunt uoluntatẽ, solet uenire rerum conuersio, & dolores ab ira & indignatione cœlesti, ut uentilent sicut paleę à uento. Iusti sicut paleæ uentilant, iusti sicut triticũ. Deniq; audi dicentẽ Petro dominũ: Ecce satanas expetiuit uos ut uentilet sicut triticũ, ego aũt rogaui pro te ut nõ deficiat fides tua. Deficiunt illi qui sicut paleæ uentilantur, non deficit qui ad similitudinẽ illius grani est quod cecidit, & resurrexit plurimorũ fructuũ accessiõe cumulatũ. Ideo dicit propheta: Heu me, quia factus sum sicut qui colligit stipulã in messe. Stipulæ igit quæ cito exurit, impietas comparat & pulueri. Ideo posteq; dixit, Erũt sicut paleæ à uento, subtexuit uer Prouer. 13 Luc. 16

ficulus statim dicens: Aut sicut puluis quẽ abstulit uentus. Deniq; ut cognoscas quia impius sicut puluis cito fatiscit atq; euanescit, habes in primo Psalmo dictũ: Non sic impij, nõ sic, sed tanq; puluis quẽ proijcit uentus à facie terræ. Et facit discretiões inter iustum & impiũ. Hic, inquit, morit in simplicitatis suę potẽtia, totus in abundantia & gratia, interiora aũt eius plena sunt adipe. Medulla aũt eorũ superfluit, ille aũt conficit in amaritudine animę suæ cursum uitę istius, nihilq; boni epulatus finẽ accepit. cui pro meritis suis quid potest dignũ repræsentari? In sepulchra inducit, & in tumulo uigilat suo. Ne hæc quidẽ pœna mediocris, mortis requiẽ non habere, deferri eũ nõ ad terram uiuentiũ, sed ad tumulos mortuorũ. Qui uiuit enim, nõ inter mortuos quærit, sed in Abrahæ sinu uitam carpit æternã. Ideo uiri illi duo in ueste fulgẽti dicebant ad mulieres: Quid quæritis uiuentẽ cum mortuis? Non est hic. Deinde enumerat scelera impiorum, quòd confinia transcenderint, & cum pastore diripuerint gregem: Subiunctoriũ pupilli abduxerũt, pi Luc. 24 Iob 24

gnerauerunt bouẽ uiduæ, agrũ demessuerũt nõ suum, infirmi aũt in uineis eorũ sine mercede & cibo operati sunt. Detractis uestimentis nudos fecerunt dormire. Pleriq; quorũ animæ operimentum ademerint, stillicidijs humescebant montiũ, et quia tegumentum deerat, petra sese operiebant. Rapiebantur pupilli ab uberibus matrũ suarum, lapsi optulorũ grauiter ingemiscebat. Nunquid hæc ignorare potuit, quem nihil præterit? Nudæ primebantur, qui magis erigi debuissent. Esurientes fraudabantur cibo, & anima infanda inferna in conspectu eius, & non est amictus nequissimis, quia latere non possunt.

Extendit Boream pro nihilo, suspẽdit terram in nihilo, alligans aquam in nubibus suis, & nõ est rupta nubes sub pedibus eius. Columnæ cœli dissiluerũt & timuerũt ab increpatione eius. Virtute compescuit mare, disciplina aũt struit cetum maris. Claustra cœli formidant eum, præcepto mortificauit draconẽ præuaricatorem. Virtutẽ tonitrui eius quis intelligit? In tantis ergo flagitijs quę spes impio est? Nunquid si confidit in dño, salubitur? Dicã, inquit, uobis, quid sit in manu domini, & desinite inanib. inania addere. Ibid. 26

Et deſcribit quàm miſerabilis impiorum portio ſit. Quod & ſi plures habeant filios, ſine poſteritate ſunt, quibus deeſt bonorum meritorum ſucceſſio. Illa enim uera poſteritas, quæ non in terris, ſed in cœlo eſt. Huiuſmodi ergo uiris hęreditas inopia eſt, & mors ſuc-
Iob 27 ceſſio. Cum diuitias coaceruauerint, mendicabũt: quia cum mortui fuerint, indigebunt, qui requiem inuenire non poſſunt. Viduas eorum nemo miſerabitur, ſed manebũt de ſertæ, atq; omnis copulæ ſolatio deſtitutæ. Et ſi congregetur pecunia ſicut terra, atq; ut lutum præparatum fuerit aurum, inanis erit ſicut aranea ſubſtantia eorum, & omne pa-trimonium eorum tanq; tineis conſummabitur. Dormiens diues nihil adijciet. aperui oculos ſuos, & iam non eſt, permanet in doloribus. Nihil enim ſunt omnia quæ in hoc mundo ſunt. Aurũ in metallis, argentum in metallis. De metallo eruitur, & in metallum reuertitur. Quid enim aliud niſi metallũ eſt mens auari? quæ tanq; defoſſum tenet quic-quid receperit, & in uenis terræ ac latibulis abſcondit, eò quòd uti neſciat. Quotidie au-rum de metallis promitur, de auaro proferre quis potuit? Cum igitur nihil profit: uana fames auri, quia qui congregauerit, labitur. Miſerandi profectò qui deſeruerũt uiam iu-ſtam, & obliti ſunt eam, cui precioſi lapides haudquaquã ſunt cõparandi: difficilis inue-ſtigatu, imperuia ſuperbis, intercluſa iactantibus, humilioribus plana, aperta ſapientibus. Et ideo ſapientiam debemus quærere, ut ambulemus in uia iuſta, per quam aduerſarius ille ſicut leo rapiens & rugiens qui percurrit hunc mundum, tranſire nõ potuit. Sed qui ſapientiam uult inueſtigare, non in abyſſo eam quærat ſicut philoſophi, qui arbitrantur quòd ipſi ſua ſponte ſuo ingenio, profunda eius poſſint cognoſcere. Nõ in mari eam re-quirat. Etenim ubi tẽpeſtas, ubi procella uenti eſt, non poteſt ibi eſſe ſapientia. Sed ibi
Philip. 4 quærat ubi eſt tranquillitas mentis, & pax quæ ſuper omnem intellectum eſt.

CAPITA LIBRI TERTII DE INTERPELLATIONE.

De tranſitu authoris ad interpellationem ſancti Dauid: qui in pluribus locis Pſalmorũ de uanitate ſeculi non tacuit, & inania eſſe quæ bona in hoc mũdo putantur, frequen-ter aſſeruit, & maximè in Pſalmis XXXVIII & XCIIII. Qui denique in ſeptuageſi-moſecundo proteſtatur ſe non mediocriter doluiſſe cum uideret peccatores in hoc mundo affluere diuitijs, & abundare rebus ſecundis: ſe aũt, qui iuſtificauerit cor ſuũ, Cap. I eſſe in afflictionibus & ærumnis.
De ſerie pſalmi LXXII, & exordio interpellationis propheticæ ducta à primo uerſicu-lo, ſcilicet: Quàm bonus Iſrael deus rectis corde. Et quòd nemo poſſit deum bonum fateri, niſi qui ex cœleſtiũ myſteriorum profundo, & diuinæ diſpoſitionis altitudine bonitatem eius cognoſcit. Quodq; iuſto ſemper bonus ſit deus, & cum torquetur do-Cap. II loribus corporis, & cum affligitur acerbitate pœnarum.
Quòd quaſi prolapſus fuerit propheta, cum uideret peccatores in hoc mundo affluere diuitijs & rebus ſecundis, bonos aũt eſſe in afflictionibus & ærumnis. Cap. III
Quòd flagella & caſtigatio in hac uita firmamentum præſtent, non autem poſt mortẽ proſint. Cap. IIII
De ueſtimento iniquitatis, & de operimento ieiunij. Cap. V
Quid ſit ponere in cœlum os: Et de ſcientia quæ eſt in deo. Cap. VI
Quòd poſt flagella & caſtigationem ſequatur prauæ opinionis correctio, & quòd bo-na tranſitoria non ſint præmium uirtutis, nec inopia pœna peccati. Cap. VII
Quid ſit intrare in ſanctuarium dei, & intelligere nouiſſima. Et quòd ij qui proficiũt ho-noribus, & cadunt moribus, deficiantur cum alleuantur. Cap. VIII
Quòd propter iniquitatem ſuam perierint qui terrena concupierunt. Et quòd imago ipſorum ad nihilum redigatur, qui uel in ſuperbia euanuerunt, uel in uoluptatib. ſuis radicati ſunt. Cap. IX
Quòd iuſtus qui ab exordio fuit turbatus, delectet cũ animo cõſiderat q; deus humana curet & reſpiciat. Et q; homo cõparatione cœleſtiũ ſit quaſi mutũ iumentũ. Cap. X
Quòd qui ad dexteram ſuam deum habet, non cõmoueatur. Cap. XI
Quòd nullas ſeculi illecebras deſideret aut concupiſcat, quẽ manus domini dirigit. Et quòd deus neminẽ repellat, niſi qui ſe ab eius conſpectu ſequeſtrare putat. Quemad-modum etiam qui ſeparatur à deo pereat. Cap. XII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE INTERPELLATIONE sancti Dauid, Liber tertius.

De transitu authoris ad interpellationem sancti Dauid: qui in pluribus locis Psalmorũ de uanitate seculi non tacuit, & inania esse quę bona in hoc mũdo putantur, frequenter asseruit, & maximè in Psalmis XXXVIII & XCIII. Qui deniq; in septuagesimosecundo protestatur se non mediocriter doluisse, quum uideret peccatores in hoc mundo affluere diuitijs, & abundare rebus secundis: se aũt qui iustificauerit cor suũ, esse in afflictionibus & ærumnis. Cap. I

DECVRSA est interpellatio sancti Iob, nunc adoriamur eam interpellationem quam reperimus in Psalmis. Ipse quidẽ Dauid pluribus locis de seculi uanitate non tacuit, & inania esse quæ putant bona huius mundi, frequẽter asseruit, in Psalmo maximè XXXVIII, in quo dicit: Veruntamen uniuersa uanitas, omnis homo uiuens, quanq; in imagine dei ambulet homo, tamen uanè conturbat, thesaurizat, & ignorat cui cõgregabit ea. Et alibi: Vsquequo peccatores domine, *Psal. 93* gloriam: ubi de seculo excesserint, fructũ consolationis inuenire nõ possint. Idem tamẽ usquequo peccatores gloriabuntur? Quòd hic habeãt umbratilem inseruit Psalmũ septuagesimumsecundũ, in quo ipse sub Asaph nomine protestat quòd eius fuerit primo prolapsionis, ut non mediocri dolore perstrictus sit, cum uideret peccatores in hoc mundo affluere diuitijs, abundare rebus secundis: se autem, qui iustificauerit cor suũ, esse in afflictionibus & ærumnis. Nec mediocrẽ traxisse offensam in exordio, sed postea per domini flagella correctũ, & illuminatum diuinæ cognitionis gratia, didicisse seriem traditionis. Nusquam aũt inuenio sanctũ Asaph aliquibus aduersis fuisse uexatũ: At uerò sanctus Dauid plurima grauia & periculorum plena tolerauit. De suis enim laboribus dicit. Vnde & Psalmus nõ quasi sancti Asaph, sed quasi sancto Asaph, ut docet titulus, superscribitur, quod ex Græco Psalterio apertius manifestatur, ut uideatur Dauid etiam huic Asaph, sicut & alijs, canendum quem scripserat ipse Psalmum dedisse. Sed quia scriptũ est in ipso titulo, defecisse Psalmos Dauid, quomodo autem defecerunt, cum decursis his decem Psalmis, postea Psalmus Dauid titulorũ inscriptionem comprehendit usq; in ultimum finem?

De serie psalmi LXXII, & exordio interpellatiõis propheticæ ducta à primo uersiculo, scilicet: Quàm bonus Israel deus rectis corde. Et quòd nemo possit deum bonum fateri, nisi qui ex cœlestiũ mysteriorum profundo, & diuinæ dispositionis altitudine bonitatem eius cognoscit. Quodq; iusto semper bonus sit deus, & cum torquetur doloribus corporis, & cum affligitur acerbitate pœnarum.

Cap. II

1 Deo sequestrata huiusmodi definitione quæ sit Psalmi series consideremus, & à primo uersiculo interpellationis propheticæ ducamus exordiũ. Quàm bonus Israel deus rectis corde. Elucet in principio emendationis profectus. *Ibid. 72* Nemo enim potest deum bonũ fateri, nisi hic qui non ex successibus cõmodorum suorum, sed ex cœlestium mysteriorũ profundo, & diuinę dispositionis altitudine, bonitatẽ eius cognoscit, quæ nõ specie præsentiũ, sed futurorũ utilitate pensanda est. Iusto itaque semper bonus est deus, & cum torquetur doloribus corporis, & cum affligitur acerbitate pœnarũ, semper dicit: Si bona accepimus de manu domini, quæ mala sunt cur non *Iob 2* sustineamus? Gratulatur hic se conteri, ut in futurum consolationem inuenire possit, sciens quoniã qui bona receperit in hac uita, habet mercedem suam. futura præmia sperare non poterit, qui nõ luctatus, nõ exercitatus diuersorum certamine præliorum. Qui uerò siue iustè siue iniustè afficitur in hoc seculo, gratulatur uel quòd hic soluat precia delictorum suorum, uel quia nouit eam esse apud deum uberiorẽ gratiam, si iniustè pro eius

eius nomine,aut pro bono aliquo opere acerba aliqua patiatur,secundū quod scriptum
1.Pet.2 est:Quia nulla est gloria si peccantes punimini & sustinetis,sed si benefaciētes,& patientes:hæc est gratia apud deum.In hoc enim uocati estis,quia Christus pro nobis mortuus est,relinquens uobis exemplum ut sequamini uestigia eius,qui peccatū nō fecit,nec inuentus est dolus in ore eius:qui cum maledīceretur, non maledixit:cum pateretur,non cōminabatur.Ergo iustus etiam si in equuleo sit, semper iustus est, quia iustificat deum, & minora se peccatis suis dicit sustinere.Semper sapiens est: nō enim auferē equulei tormentis uera perfectaq; sapientia.Nō amittit quod est,quia timorē excludit foras studio & proposito charitatis:nouit ut sapiens dicere,quia indigna sunt quæ in hoc corpore sustinemus,remuneratione futuræ gloriæ: & omnes huius temporis passiones superuenturam mercedem æquare nō possunt. Bonus igitur huic semper est deus, qui nouit quo tempore metat. Et ideo quasi bonus agricola hic arat agrū suū quodam rigidioris abstinentię uomere,hic stirpat quadam falce uirtutū amputatrice uitiorū,hic stercorat humi
Psal. 112 liando se usq; ad terrā,sciens quia deus de terra suscitat inopem,& de stercore erigit pau-
Philip.3 perem.Deniq; apostolus Paulus nisi æstimatus esset ut stercora,nunq; Christū potuisset sibi acquirere. Hic custodit fructus suos, ut illic securius recōdat. Semper itaq; ei bonus deus,quia semper quę bona sunt de deo sperat.Accipe aliud:Quàm bonus,inquit,deus Israel rectis corde.Non ergo omnibus bonus est deus. Ille quidem omnibus bonus est,
Luc. 19 quia saluator est omniū,maximè fideliū. Et ideo uenit dominus Iesus, ut saluum faceret quod perierat. Venit enim ut peccatū mundi tolleret,uulnera nostra curaret. Sed quia nō omnes medicinā expetunt,sed pleriq; refugiunt, ne medicamētis compungat uis ulceris,ideo uolentes curat, nō adstringit inuitos. Accipiunt igitur sanitatē qui medicinā expetunt:illi aūt qui refutant medicū, nec requirūt,bonitatē medici quam nō experiuntur,sentire nō possunt. Qui aūt curatur,etiam sanat. Ideoq; his bonus est medicus quos sanauit.His igitur bonus est deus quibus peccata donauit.Qui aūt insanabile peccatum habet mentis suæ ulcere,quomodo potest medicū bonum æstimare,quem refugit? Pulchrè aūt Apostolus ut prę̄misimus,explanauit quia & omnibus bonus est deus,qui uult
1.Tim.2 omnes homines saluos fieri. & maximè fidelibus diuinæ pietatis prærogatiua seruatur, quibus & uoluntas dei opitulat & gratia.Sed & Psalmista dicendo: Quàm bonus deus Israel rectis corde,ad ipsorū sententiam retulit,qui aliter de deo sentire non norunt, nisi quia bonus ad omnia & in omnibus est.

Quòd quasi prolapsus fuerit propheta, cum uideret peccatores in hoc mundo affluere diuitijs & rebus secundis, bonos autem esse in afflictionibus & ærumnis. Cap. III

Psal.72 Deniq; & in sequentib.exponit ipse quid senserit,dicendo: Mei aūt penè moti sunt pedes, paulò minus effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatorib. pacem peccatorum uidens.Nō utiq; pedes corporis appellat gressus,sed di-
Ibid.35 rectionē mentis & gressum,de quo alibi dicit:Non ueniat mihi pes superbiæ,& manus peccatoris nō moueat me. Ideo semper petendum est ut dirigat dominus nostrorū animorum uestigia,ne labantur, & lubrico quodam erroris effusa, stabilitatē sui tenere nō possint.Prolapsionis aūt ea causa est,quòd pacē æmulatus est peccatorū. Aemulari aūt debemus quæ bona sunt,non ea quę plena dedecoris,sicut & Paulus apostolus expressit dicens: Bonum est autem æmulari in bono semper. Nec te moueat quòd pacē in ma-
Gal. 4 lo posuit.Deniq; et in Euangelio habes esse pacem quam respuit Christus,ut ipse ait:Pa-
Ioan.14 cem relinquo uobis,pacem meam do uobis.Non quomodo mundus dat ego do uobis. Est enim pax quæ non habet offendiculum,est quæ habet. Quæ ex dilectione est,non
Ezech.13 habet offendiculum:quæ ex simulatione habet.Ideo & Propheta ait: Pax pax,& nō est pax.Refugiamus ergo pacē peccatorum: cōspirant enim aduersus innocentes, coeunt ut iustos opprimant,uiduam exterminent,uel expugnent eius pudorem.Et ideo nō est reclinatio mortí eorum. Non declinatio, ut pleriq; codices Latini scripti sunt, sed reclinatio.Quando enim laboramus,& incuruamur ad opus aliquod, atq; inclinamur, non reclinare consueuimus.Peccatores aūt grauium scilicet delictorum,& maximè impij se
Psal. 68 reclinare non possunt,de quibus dictum est: Et dorsum eorum semper incurua. Non enim se erigunt ad cœlestia,qui Christo non adhæserunt. Et ideo non resurgunt cum eo, quorum

quorum mors pessima, sicut scriptum est: Mors peccatorum pessima. Qui autē Christo cōmoritur, & consepelitur cum illo, non solum reclinatur, sed etiam resuscitat. De quo pulchrè illud conuenit dictum: Vniuersum stratum uersasti in infirmitate eius, maximè si martyr sit, cuius infirmitas passione soluit, mors resurrectione. Psal. 33 Ibid. 40

Quòd flagella & castigatio in hac uita firmamentū præstent, nō autem post mortem prosint. Cap. IIII

Vidimus illum diuitem qui indutus purpura & bysso in hoc seculo recumbebat, & epulabatur quotidie splendidè, de cuius mensa quæ cadebant pauper Lazarus colligebat, quemadmodū in tormentis positus in inferno se reclinare non poterat, sed uix ad Abraham, non totum se sed oculos erigebat, rogans ut mitteret Lazarum qui extremū digiti sui in aquam intingeret, & linguam eius refrigeraret. Ergo illius morti reclinatio non erat, nec firmamentū in plaga eius. Nihil enim prosunt flagella post mortem. Et ideo Dauid dum esset in istius corporis uita, in flagella se præparabat, ut eum dominus reciperet castigatum. Considera iterū mihi sanctum Iob, qui perfusus erat ulceribus, & concutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terræ uulnerum suorum sanie & humore dissoluens, quēadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenerit, ideoq; conscius sui dixit: Mors uiro requies. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit fermonis sui lubrico, qui in illis omnibus nihil peccauit labijs suis, sicut scriptura testat, sed magis plagæ suæ reperit firmamentū, per quem confirmatus in Christo est. Ergo & Iob & Dauid, quia flagellati hic sunt, firmamentū habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium quem recipit: qui aūt hic non flagellantur, ibi non suscipiūtur ut filij. Ideoq; in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ut in perpetuo cum diabolo flagellentur. Luc. 16 Iob 3. iuxt. 70 Heb. 12 Psal. 72

De uestimento iniquitatis, & de operimento ieiunij. Cap. V

Indeo obtinuit, inquit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate & impietate sua. Malum uestimentum iniquitas, quod si quis uoluerit in nobis tenere, remittere nos oportet, ne incipiat in iudiciū uenire nobiscum: & si quis tunicā nostram quam accepimus spiritualem auferre conetur, remitte palliū iniquitatis, sume operimentum fidei atq; patientiæ, quo se Dauid operiebat in ieiunio, ne amitteret tegumenta uirtutis. Ipsum ieiunium operimentū est. Deniq; nisi sanctum Ioseph texisset lobrietas ieiuna, adulteræ proteruitas exuisset. Quo ieiunio si se tegere uoluisset Adā, nudus non fuisset effectus. Sed quia de ligno scientiæ boni & mali contra interdictū cœleste gustauit, & imperatum ieiunium præuaricatus est incontinentiæ cibo, nudum se esse cognouit. Quòd si ieiunasset, fidei seruasset exuuias, nec se aspexisset intectum. Non ergo nos induamus iniquitate & impietate, ne de aliquo nostrum dicatur: Et induit se maledictionem. Male se induit & Adam, qui dum quærit integumenta foliorum, maledictionis excepit sententiam. Induerunt se maledictione Iudæi, de quibus scriptū est: Propinguè repletur, ut scriptum est: sic iniquitas quæ quasi ex adipe procedit, non tenuis & exilis significatur, sed plena uitiorum. Ibidem. Ibidem.

Quid sit ponere in cœlum os. Et de scientia quæ est in deo. Cap. VI

Deniq; non fortuito quodam lapsu in errorē incidere, sed consilio & dispositione in sacrilegium transierunt. Posuerunt in cœlum os suū, & lingua eorū transiuit in terra. Ponere in cœlum os suum quid sit, docet nos ille ex fratrib. adolescentior, qui regressus ad patrem dixit: Pater peccaui in cœlū, & coram te. Ponunt aūt in cœlum os suū, qui sibi criminū authores, natiuitates putant quadā necessitate deferri. Hi nec cœlo nec terris parcere solent, ut cursu quodam stellarū arbitrentur uitā hominis gubernari. Nihil prouidentiæ, nihil bonis moribus derelinquunt. Atq; utinam & isti, sicut ille unus de duobus adolescentibus, reuersi essent: bonus dominus remedium non negasset: & tamen etiam ipsi si nolunt sanari, reseruat dominus regressionis gratiā, ut qui in Israel expulsi sunt per cordis proprij cæcitatem, per plenitudinem Ecclesię reuertantur, & non uacuos dies uitæ istius ducant, sed plenos habeant bonæ operationis & fidei, Ibidem. Luc. 15

& fidei, quũ repleuerit eos dominus gratia spiritali. Quomodo aũt reuertantur accipe.
Rom. 11 Quia cecitas, inquit, ex parte Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic o-
mnis Israel saluus fieret. Sed quia mysterium oportebat impleri, ut cõcluderet deus om-
nia in incredulitate, id est, redargueret atq; conuinceret (cum enim duo contendunt, ti
unus superior sit, dicitur, concluſit illum alterum) ideo per suam misericordiam, ut sub-
ditus fieret deo mundus, regressus quidem est populus in hæredibus, sed is celeri errore
traductus est ut deum non crederet occultorũ esse præscium. Sed dominus illis, ut quan
Psal. 72 doque redimantur, salutis futuræ gratiam reseruauit, dicẽs: Ideoq; reuertetur huc popu
lus meus. Quid est huc? Id est ad me, ad æquitatem & iustitiam meam, ad cultum meum.
Et impleuit dies uitæ suæ. Quod utrumq; sic accipies, ut populus quidem redimatur qui
crediderit in eo. Et si non redimantur qui non crediderunt, tamen redempti populi deo
prærogatiua defertur. Isti ergo in errorem positi dixerũt: Quomodo sciuit deus, & sieſt
scientia omnis in altissimo? Putant enim non esse in deo scientiã, quia peccatores abun
dant prosperis secularibus. & adhuc inducit eos loquẽtes: Ecce ipsi peccatores & abun
dantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Habes hoc in Euangelio planius expressum, ubi
Simon ille Pharisæus uidens quòd mulier illa peccatrix uenit in domum eius, & super
Luc. 7 pedes Christi effudit unguentum, dicebat intra se: Hic si esset propheta, sciret utiq; quæ
& qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Sed patientia dei non prejudicat
ueritati, & præscientia eius & prouidentia hoc ipso amplius probatur, quòd in peccato
positus successu affluit secularium prosperitatum. Quod fortior uidens ridet, incautus
traducitur & mouetur.

Quòd post flagella & castigationem sequatur prauæ opinionis correctio,
& quòd bona transitoria non sint præmium uirtutis, nec inopia pœna pec-
cati. Cap. VII

Psal. 72 Enique Psalmista dicit: Dixi ergo, sine causa iustificaui cor meum, & laui in-
D ter innocentes manus meas. Hoc est, uideo illos abundare, uideo illis cõmo
da omnia secundari, me aũt cõteri atq; exagitari tentationibus plurimis. Fru
stra ergo dedi me innocentiæ, atq; ad studia sobriæ conuersationis intendi. Et pulchrè
ait: Laui inter innocentes manus meas, ut non arrogare sibi summam innocentiæ, sed se
dulum deferre studium uideret. Interea non impunè huiusmodi à se sermonem exisse te
statur. Nam tota die flagellatum se memorat, quia frustra iustificare se domino cor suum
dixerat: post flagella aũt continuò secuta est prauæ opinionis correctio. Statim enim iu
dex meus, inquit, in matutinis, id est, in aperto & perspicuo. lux enim ueritatis compre-
hendens eum, non siuit hæc sentire quæ dixit. Reuincebat itaq; & redarguebat me ueri
tatis lumen offusum animo meo, eò quòd non rectè dixerim, Sine causa iustificaui cor
meum. Locutus sum enim illa tanquam in tenebris constitutus, & recordanti illa mihi
cor compungebatur. Compuncto autem corde illuminabatur affectus, ut fieret in cor-
de meo ignis flammigerans, qui faciebat in me diei spiritale principium. Illuminata itaq;
oriente mihi die, & quasi in multis matutinis positus intelligebam quia extra constitu-
tionem generationis filiorum dei factus sum. Qui cum primò credidissem, eò quòd ope
rator mundi prouidens generationi humanæ, omnia ad utilitatem nostri uel tristia, uel
ea quæ parum delectent fecerit, tam bonam sententiam postea prauis opinionibus tur-
batus amiserim. Conferebam itaq; cum corde meo, et dicebam mihi: Si narrabo sic, quia
sine causa iustificaui cor meum, occurrebat mihi dei uox dicens: Ecce generationi filio-
rum tuorum, cui disposui: id est, Ecce his scripturis inuenis ô tu Adam quia disposui ge
nerationi filiorum tuorũ, quia fortuitu diuitiæ ad impios, non aliquo merito deferant,
nec præmia uirtutis sunt emolumenta thesauri: nec econtrario inopia pœna peccati est,
sed indiscretè ueniunt ista, quæ modo fluminis quodam seculi profluuio uolutantur. Et
existimabam & uidebar mihi cognoscere hoc esse uerum, hoc congruere diuinæ
prouidentiæ & conuenire, me autem frustra in ijs turbatum esse,
in quibus adhærere non debui.

Quid

Quid sit intrare in sanctuarium dei, et intelligere nouissima. Et quòd ij qui proficiunt honoribus, & cadunt moribus, deijciantur cum alleuantur. Cap. VIII

I Taque quia uidebar mihi ueram scientiam cõprehendisse, & cognitionẽ rei ipsius esse assecutus, dicebam mihi: Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium dei, & intelligam in nouissimo: id est, solus mihi supereſt labor ut ingrediar in sanctuarium dei, ubi est Cherubin, id est, cognitionis profundum, & non labor est in incertis & uanis opinionibus. Narratio enim fatui, sicut sarcina in uia. Ideo ingrediamur aditum cognitionum sacrarum, atq; interiora penetralia ueritatis, ut non sit nobis labor. sapientia enim nos à sensu laboris abducit. Deniq; non est labor in lacob. Causa autem laboris ignorantia est, quoniã qui nescit iustis reposita esse præmia, non reficitur à laboribus, sed magis imprudẽtiæ suę labore curuatur & frangitur. Ingrediamur igitur sanctuarium dei, ubi sunt Cherubin, in quibus est recordatio sacræ cognitionis, & ueri illius atq; æterni luminis. In illo candelabro imago resplendet, quo possumus intelligere in nouissimo. Sanctus etenim in ultimo cognoscit, & perfectam sapientiam processu ætatis adipiscitur, dicens: Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum quis est ut sciam quid desit mihi. Quis est finis, nisi ille cum traditur regnũ deo patri, quando reuelantur occulta sapientiæ? Hunc finem nostri certaminis requirebat propheta, cupiens cognoscere quid suæ deesset perfectioni. Finis enim disciplinę nostræ & studiorum, perfectio est. Hęc ergo prima uera ratio cognitionis, quia fortuitu accidant quæ in seculo sunt secunda illa, quia propter eorum tergiuersationes posuisti eis successus profluos secularium cõmodorum, & abundantiam diuitiarũ: ne causarentur propter inopiam, seu acerbitatẽ alicuius doloris & luctus, minus fuisse deuotos, atq; in culpã latrocinij, & direptionis studium, necessitate egestatis impulsos. Non enim ad tranquillitatẽ uitæ usuramq; lætitiæ diuitijs opimati, aut honoribus eleuati sunt, sed ut querela excluderetur, coacerbaretur ærumna. Deijciuntur itaq; dum alleuantur huiusmodi. Nõ enim uiri gratia, sed ruina est, ubi nec diuturni usus muneris reseruatur, & admittur excusatio delinquendi. Quod enim grauioris pondus querelæ, quàm illud diuitijs opimati, et de domo seruitutis liberaui te? Ecce quomodo deijciuntur impij dum alleuantur. num quod habes in Micheæ libro prophetę: Populę meus quid feci tibi? aut in quo contristaui te? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Nonne eduxi te de terra Aegypti, et de domo seruitutis liberaui te? querela eorũ excluditur, pœna aceruatur. Cœlestibus enim beneficijs inuitati, deserere non debuerunt uitæ securitatis & prosperitatis datorẽ, cui magis debuerant obtemperare. Sed sicut iustitia dei magna, ita etiam seuera uindicta. Quando enim impius perseuerare consueuit? de quo & alibi habes scriptum: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Incredibilis celeritas extinctionis eius. Vides subitò impium in hoc seculo potentem: dum tu transis, ille iam nõ est. Quanta est enim umbra in terra? quàm non diuturna? Transpone uestigiũ, & umbra præterijt. Aut si hic aliquid mouent, ad ea quæ futura sunt, attolle mentis uestigium, & inuenies illic impium non futurũ, quem hic esse credebas. Non enim est, qui nihil est.

Quòd propter iniquitatem suam perierint qui terrena concupierunt. Et quòd imago ipsorum ad nihilum redigatur, qui uel in superbia euanuerũt, uel in uoluptatibus suis radicati sunt. Cap. IX

D Enique dominus eos cognouit qui sunt eius. qui autem non sunt, eos non agnouit, quia ipsi eum qui est nõ agnouerunt. De ipsis ergo & hic dicit: Defecerunt et perierunt propter iniquitatem suam, uelut somnium exurgentis: id est, ita deficiunt & euanescunt impij sicut somnium exurgẽtis à somno primum, quia in tenebris sunt, & in tenebris ambulauerunt, nec resedit aliquid eorum boni operis uestigium, sed similes eorum qui somnium uident. Qui autem somniat, in nocte somniat, nox autem in tenebris. Filij tenebrarum sunt priuati sole iustitiæ, & splendore uirtutis, dormientes semper, & non uigilantes, de quibus benedicitur: Dormierunt somnũ suũ, & nihil inuenerunt. Etenim cum animæ eorum à corpore separatæ, tanquam resoluti à corporis somno nihil inuenerint, nil tenebunt: & quòd se tenere arbitrabantur, amittẽt: quoniam stultus & insipiens quum diuitijs exundauerit, relinquet alienis diuitias suas,

Pſal. 72

Eccli. 21

Pſal. 38

Mich. 6

Pſal. 36

2. Tim. 2

Pſal. 72

ibid. 75

neq; ſimul ad inferna deſcendet cum eis gloria eorum. Sequentia quoq; demonſtrant quomodo ipſi non inueniantur, ſed intereant. Quoniam imago eius in ciuitate domini illa ſuperiore Hieruſalem non inuenitur. Dominus enim pinxit nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſicut ipſe docet dicens: Ecce ego Hieruſalem pinxi muros tuos. Si bene egerimus, manet in nobis iſta imago cœleſtis: & ſi malè quis agit, deleẽ in illo hæc imago, illius utiq; qui deſcendit de cœlo, & eſt in eo imago terreni. Vnde & Apoſtolus
1.Cor.15 dicit: Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus imaginem huius cœleſtis. Bonorum ergo imagines perſeuerant, & in illa dei ciuitate reſplendent. Si quis autem ad grauiora peccata deflexerit, nec egerit pœnitentiam, imago eius aboletur uel deiicitur, ſicut Adam de paradiſo eiectus eſt & excluſus. Quicunq; autem piè honeſteq; ſe geſſerit, intrat in ciuitatem dei, & infert imaginem ſuam, ut in illa dei fulgeat ciuitate. Domine in ciuitate tua imagines ipſorum ad nihilum rediges. Quia iſti in lumine fulgere non poſſunt, qui tenebroſis ſe operibus induerunt. Exemplum accerſamus de ſeculo. Vide quemadmodum in ciuitatibus bonorum principum imagines perſeuerent, deleantur imagines tyrannorum.

Quòd iuſtus qui ab exordio fuit turbatus, delectẽ cũ animo conſiderat quòd deus humana curet & reſpiciat. Et quòd homo comparatione cœleſtiũ ſit quaſi mutum iumentum. Cap. X

Pſal. 72 Aec ergo conſiderans, animoq; intendens ſanctus propheta delectatus eſt,
H qui fuerat antè turbatus. Vnde ait ipſe. Quia delectatum eſt cor meum, & renes mei reſoluti ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui, & uelut iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Cum cognouiſſem, inquit, quia deus humana curat & reſpicit, & requieuerunt renes mei, hoc eſt, ex maxima fatigatione ueteris imprudentiæ requieui per agnitionem boni cœleſtis & gratiæ. Sunt enim quidam renes animæ, qui uexantur in nobis per ignorantiæ laborem, hi reſoluuntur ad requiem ſcendum cœleſtis agnitione doctrinæ, & quaſi pulchro quodam fulcro cœleſtiũ præceptorum ſubnixi fouentur. Tunc, inquit, intellexi quia uanè fatigabar, quoniam id quod uerum eſt neſciebam, & uelut iumentum factus ſum. Pulchrè addidit, Apud te. Comparatione enim cœleſtium homo quid eſt, niſi iumentum irrationabile? Nam ſtellę cũ ſint
Exod. 4 lucidæ, uaneſcunt ſolis exortu. Et Moyſes ait: Non ſum idoneus ab heſterno die ex quo cœpiſti loqui cum ſeruo tuo, & tenui, inquit, uocem, & tardè locutus ſum. Ita ergo & homo, non dicam Chriſti, ſed angelorum comparatione mutum uidetur eſſe iumentum. Sed tamen nemo deſperet, quia homines & iumenta ſaluos facit deus. Et ideo quia non ex me, ſed ex te didici, tibi adhærebo ſemper, ut deſinam eſſe iumẽtum, & dicas mihi, tu autem, hic ſta mecum. Circunfuſus enim dei gratia, homo incipit eſſe, qui per imprudentiam prætendebat inſenſibilitatem, & inſcientiam beſtialem. Homo enim probatur, ſi capax ſit rationis & gratiæ.

Quòd qui ad dexteram ſuam deum habet, non cõmoueatur. Cap. XI

Taque à mutis animalibus ſeparatũ ſe eſſe gaudet, & in hominũ aſcitum eſſe
I conſortia, quæ deus uiſitat & tuetur. Quid enim eſt homo niſi quia memor eſt eius dominus, aut quia à domino uiſitatur? Vnde quaſi uiſitatus ab eo dicit:
Pſal. 72 Tenuiſti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me. Sic accepimus, & ſecundum Græcum ſic conuenit. Dixit autem Græcus, ἐκράτησας τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς μου, id eſt, tenuiſti manum dexteram meam. Bene dirigitur, cui-
Ibid. 15 ius dexteram manu ſua tenet. Poteſt dicere: Dominus à dexteris meis, ne commouear. Adam ſi à dextris ſuis dominum habuiſſet, non eſſet à ſerpente deceptus. Sed quia oblitus eſt mandatum dei, & uoluntatem ſerpentis impleuit, manum eius diabolus tenuit, & ad lignum ſcientiæ boni & mali extendi fecit, ut interdicta decerperet. Præiudicatum eſt in illo omnibus, & cœpit uniuerſis aduerſarius à dextris ſtare. Vnde & illa in ludam
Ibid. 108 maledicti forma proceſſit: Et diabolus ſtet à dextris eius. Si illud maledictum graue, maxima eſt iſta benedictio qua maledictionis duræ uincula laxantur. Ideo dominus Ieſus ad dexteram ſibi diabolum ſtatuit, ſicut in Zachariæ libro legimus. Hominis enim cauſam lo cumq; ſuſceperat. Ibi ergo ſtetit, ubi Adæ ſtetit hæreditas. Quaſi bonus athleta
Matt.16 permiſit eum ad dexteram ſibi ſtare, ut eum retrorſum repelleret, dicens: Vade retro ſathana.

thana. Itaq; aduersarius loco deiectus recessit: Tibi autē ne diabolus à dextris staret, ait: Veni sequere me. Præuidens igitur Dauid aduentum domini, qui nos à potestate aduersarij liberaturus descendit è cœlo, ait: Dominus à dextris est mihi, ne cōmouear. Cui autem à dextris erat diabolus, mouebatur. Meritò ergo & hic ait: Tenuisti manum dexteram meam. id est, ut iam peccare non possim, ut ille lubrico antè fluctuabūdus uestigio, fidei iam possim statione consistere. Quàm bene hoc Apostolus dixit, quando eum turbatum dominus uidit, & extendens dexteram manum suam turbari non passus est, atq; intrepido firmauit incessu. Liberatus itaq; Petrus quid aliud est locutus nisi hos propheticos uersus: Tenuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me?

Matth. 9
Psal. 2
Ibid. 72

Quòd nullas seculi illecebras desideret aut concupiscat, quem manus domini dirigit. Et quòd deus neminē repellat, nisi qui se ab eius conspectu sequestrare putat. Quemadmodū etiam qui separatur à deo pereat. Cap. XII

Q Væ dextera nisi actuosa animæ uirtus? Quæ si domini uoluntate dirigatur, nihil aliud desiderat, nil querit, nullas mundi huius opes, nulla adiumēta deposcit. Ideo dicit sanctus Dauid: Quid enim mihi restat in cœlo, & à te quid uolui super terram? Id est, Tu portio mea es, abundas mihi ad omnia, nihil quæsiui aliud nisi ut te partem haberem, nulli me cœlesti, ut Gentiles, subdidi creaturæ, nullas seculi huius diuitias, & uoluptatum illecebras cōcupiui. Nullius egeo, qui à te assumptus sum: nec supereſt in cœlestib. quod amplius quæram. Nihil habens, omnia habeo, quia Christum habeo, cui pater altissimus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū. quomodo ergo non cum illo omnia nobis donauit? sicut Apostolus dixit: Omnia eīm in Christo, per quem omnia, & in quo cōstant omnia. Omnia ergo in illo habens, aliam non quæro mercedem, quia ipse merces est uniuersorum. Ideoq; perfecto dixit: Tolle crucem tuam, & sequere me. Qui illum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionē, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore uirtutis. Christus enim per naturam bonus, non propter præmij cupiditatem. Ideo passus est, quia bene facere eum delectauit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat. ideo qui illū imitari cupit, non quod sibi, sed quod aliis prosit operetur. Vnde non immeritò deficit sibi, aliis autem uirtutis incremento ualescit. Et conuenienter dicit: Defecit cor meum & caro mea deus cordis mei. Neq; eīm possunt perpetua succedere, nisi terrena defecerint. Deficit ergo caro, quando mortificantur quæ sunt carnalia. Deficiunt & illi qui mortificationem Iesu Christi in sua carne circunferunt. Mors enim Christi in illis operatur ut omnis errorum moriatur illecebra. Vnde colligitur quia & cor hominis deficit quando mortificantur cogitationes malæ quæ à corde procedunt, ut terrena omnia abscondat obliuio, & fiat deus cordis eorum, qui beati mundo corde deum uidere mereantur, ut appropinquent ei, & non se segregent. Deus enim appropians, non repulsor appropiantium est, omnibus enim uult salutis causa esse, non mortis. Deniq; neminem repellit, nisi qui se ab eius conspectu putauerit sequestrandum. Quoniam, ecce, inquit, qui elongant se à te, peribunt. Vnusquisque enim operib. suis pietati tuæ sese aut iungit aut separat. Fugit eīm deum qui operatur ea quorum cognitione metuat deprehendi, sicut ille qui tectus parietibus & circumfusus tenebris à domino deo sese existimat non uideri. Videtur autem cum dicitur: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Sicut enim mulier quæ fornicatur, non adhæret uiro, nec una caro cum uiro suo, nec unus spiritus est, sed diuidit sese ac separat fornicando: ita quæcunq; anima non adhæret deo, sed uanis idolorum cultibus inseruiens fornicatur & diuidit se sacrilegij obscœnitate, & longè fit à domino, quę propè esse deberet. Peribit autē qui separatur à domino. Vnde sanctus qui dei iudicium reformidat, semper adhærere uult Christo, & in eo spem suam ponere, ut laudet deum: cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis & nūc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Matth. 5
Psal. 72
Ibidem.

FINIS.

APOLOGIAE DAVID CAPITA.

Qua ratione author Apologiam Prophetæ Dauid arripuerit stylo scribere, cum recitatione historiæ de adulterio & homicidio per eum cõmissis, excusatione quoq; ipsius ex eo quod iudicari nõ debeat quem deus iustificauit. Cap. I

De altero errore ipsius Dauid, quòd uidelicet numerari fecerit populum, & de excusatione eiusdem. Quemadmodum etiam lapsus in peccatũ sæpius prosit. Et qua ratiõe diuina prouidentia curatum sit, ut sancti aliquando laberentur. Cap. II

Qua ratione deus suos athletas in uarijs certaminum generibus exercitet & experiatur. Et quomodo talia nobis facta sint in figuram, cum multarum allegoriarum adductione. Cap. III

Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis pœnitentia. Quemadmodum etiam multi fortissimi uiri in errorem prolapsi sint. Cap. IIII

Quomodo Dauid lapsus proprium peccatum deplorans, domini misericordiã non desperauerit. Et de requisitione ouis abductæ. Cap. V

Quibus operibus Dauid potuerit tegere peccatũ. Et quomodo iustos peccata sequantur, malos autem præcedant. Cap. VI

De pugna Dauid contra progeniem gigantum, & quemadmodum aquam sitiuerit ex lacu Bethleem, quam tamen non biberit. Cap. VII

De titulo Psalmi quinquagesimi, & de numero quinquagenario. Quemadmodum etiam pœnitentia sit agenda. Et quomodo quis mundetur ab iniquitate & iniustitia. Cap. VIII

Quis dicatur agnoscere suam iniquitatem. Et quod contra sapientem semper sit delictum. Cap. IX

Quòd Dauid quãuis rex esset, & solutus legibus humanis, uoluerit tamen subditus esse deo, cui soli peccauerat. Et quomodo dicatur iustificari dominus. Cap. X

An mortalis originis inquinamentum in quo concipimur, parentum sit, an prolis. Et quo prius incipiat in homine macula quàm uita. Cap. XI

Quòd confitenti peccata sua subitò splendor ueritatis effulgeat, & ipse ueritatem agnoscat, & quid sit mundari hyssopo, atq; lauari. Cap. XII

Quomodo dicantur exultare ossa humiliata propter peccatorum remissionem. Et quo modo rogandus sit deus ut nos quidem respiciat, faciem autẽ suam à peccatis nostris auertat, ea delendo. Cap. XIII

De postulatione Prophetæ ut cor mundũ sibi creet. Et quomodo in eo in quo cor mundum est, innouetur in eius interioribus spiritus eius. Quomodo etiam peccator proiiciatur à facie dei. Cap. XIIII

De lætitia salutaris, quæ redditur naturæ rationabili. Et quis dicatur spiritus principalis. Cap. XV

Quòd ille magnus sit fidei zelator, qui correctus à peccatis docet etiã iniquos ut se conuertant. Et quid sit liberari à sanguinibus. Cap. XVI

Quòd os peccatoris deus claudat ne loquatur iustitias eius: illius autẽ labia aperiat, qui accipit uerbum in apertione oris sui. Et quale sacrificiũ deus eligat. Qui etiam dicantur muri Hierusalem, & quod sit sacrificium iustitiæ. Cap. XVII

DIVI

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, APOLOGIA SANCTI DAVID.

Qua ratione author apologiam prophetæ Dauid arripuerit stylo scribere, cum recitatione historiæ de adulterio & homicidio per eum cõmissis, excusatione quoq; ipsius ex eo quòd iudicari non debeat quem deus iustificauit. Cap. I

APOLOGIAM prophetę Dauid præsenti arripimus stylo scribere, non quo ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis enituit, uirtutibusq; effloruit, sed quia plerique gestorũ eius lecta serie, non introspicientes uim scripturarum, uel occulta mysteriorum, mirantur quomodo tantus propheta adulterij primò, deinde homicidij contagia non declinauerit. Ideo nobis studio fuit ipsam recensere historiam, quæ patuisse peccato uidetur. Namq; in secundo Regnorum legimus libro, quoniam deambulans Dauid in domo sua regali, prospexerit lauantem mulierem, nomen illi Bethsabee, forma egregia, & uultus decore præstanti admodum, quibus illecebris delinitum, potiendę eius sumpsisse affectum. Erat autem mulier uiro nupta, Uriæ nomine, cui mandatis regijs cõposita est scena necis. Nam etsi nihil ad impedimentum cupiditatis, plurimũ tamen ad uerecundiam adulterij obstare uita eius existimabatur. Itaq; ut à planioribus exordiamur, quem deus iustificauit, tu dijudicas? Pro minimo mihi est, inquit Paulus, ut à uobis dijudicer, aut ab humano die: sed neq; meipsum dijudico. Et adhuc erat in corpore situs, adhuc tentationi obnoxius. Sed ideo se non dijudicabat, quia spiritalis à nemine dijudicatur nisi à solo deo. Denique subdidit: Qui dijudicat me, dominus est. Itaq; nolite ante tẽpus iudicare. Sed Dauid iam tempus impleuit, & gratiam meruit, & iustificatus à Christo est, quandoquidem Dauid se dici filium ipse dominus gratulabatur, & qui eum ita confitebantur, illuminabantur. Cur hominem dei à præmio in iudicium uocas? Iudicauit iam de eo dominus, de quo dixit ad Salomonem: Si ambulaueris in conspectu meo, sicut ambulauit Dauid pater tuus in sanctitate cordis & iustitia, ad hoc ut faceret secundum omnia quæ mandaui ei. Hic ergo iudicio dei dignus an præmio est, qui fecit secundum omnia mandata cœlestia, ambulans in iustitia & sanctitate cordis? Ubi aliorum uitia & peccata delitescunt, ibi Dauid uirtutis & gloriæ suæ diuinum accepit testimonium. Et de eius peccato dispu tamus ocioſi, pro cuius merito & gratia aliorum peccata releuata sunt? Nam cum offendisset Salomon quòd nõ custodisset mandata domini, & regnum eius dispositum esset deus scindere in plurimas partes, ait ad eum: Ueruntamen in diebus tuis non faciam hoc propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui accipiam illud. Ueruntamen non totum regnum accipiam, sceptrum unum dabo propter Dauid seruum meum. Iustificante igitur domino, quis est qui tantum dijudicet uirum? Quod deus, inquit mundauit, tu cõmune ne dixeris. Saluo tamen iudicio cœlesti, quo etiam ipse tantum honorificat prophetam, in eius actus moresq; ingredere. Non miraris hominem, & angelis adæquandum iuditis tentationibus positum, semel tantum locum errori dedisse, & ei errori quo etiã angeli cœlorum, ut scriptura cõmemorat, de sua uirtute & gratia deiecti sunt?

2. Reg. 11

1. Cor. 14

Ibid. 2

3. Reg. 9

Act. 10

De altero errore ipsius Dauid, quod uidelicet numerari fecerit populũ, & de excusatione eiusdẽ. Quemadmodũ etiam lapsus in peccatũ sæpius prosit. Et qua ratiõe diuina prouidentia curatum sit, ut sancti aliquando laberentur. Cap. II

Ane & alter legitur error ipsius, quòd numerari fecerit populũ. Unusquisq; nostrũm per singulas horas quàm multa delinquit, & tamen unusquisq; de plebe peccatum suum confitendum non putat. Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione atque immenso dolore reddidit peccatum suum domino. Quem mihi nunc

nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpæ reus, non mo
leste ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato ho
mine corriperetur quòd grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed cõfessus in
gemuit culpæ dolore. Denique dominũ dolor intimi mouit affectus, ut Nathan diceret:
2. Reg. 12 Quoniam pœnituit te, & dominus transtulit peccatũ tuum. Maturitas itaque ueniæ, pro
fundam regis fuisse pœnitentiam declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alij
homines cum à sacerdotibus corripiunt, peccatũ suũ ingrauant dum negare cupiũt aut
defendere, ibique eorũ lapsus est maior, ubi speratur correctio. Sancti aũt domini qui con
summare pium certamen gestiunt & currere cursum salutis, si cubi forte ut homines cor
ruerint naturę magis fragilitate q̃ peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt,
pudoris stimulo maiora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur
lapsus impedimentum, sed etiam uelocitatis incentiua cumulasse. Ergo si currentiũ nõ
soluitur cursus, cum forte aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa ma
nent certamina, quin etiam plerique post unum aut alterũ lapsum, gratia maiore uicerũt:
quanto magis agonem pietatis ingressi, non debent unius prolapsionis offensione cen
seri, cum beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum? quoniam post mortẽ quoq; re
surgere, munus beatorũ est. Aliàs quoq; prodesse peccatum possumus comprehẽdere,
& prouidentia domini sanctis obrepsisse delicta. Propositi enim ad imitandum nobis
sunt, & ideo curatũ est ut & ipsi aliquando laberent. Nam si inoffensum à uitijs inter ro
lubrica huius seculi curriculũ peregissent, dedissent nobis occasionem infirmiorib. esti
mandi, cuiusdam superioris eos naturæ ac diuinæ fuisse, ut delictum recipere, & culpæ
consortium habere non possent. Quæ opinio utique, ut exortes nos illius substantiæ, ab
impossibili imitatione reuocaret. Præterijt igitur paulisper dei gratia, ut nobis ad imita
tionem uita eorum fieret disciplina, & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium
de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infir
mitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo. Admonet etiam apo
2. Cor. 12 stolus Paulus prospexisse dominum deum nostrum, ne uel reuelationũ sublimitate, uel
secundo operum cõtinuante processu, humanus etiam in sanctis extolleretur affectus,
nec sibi deputarent, uirtutiq; attribuerent suæ, quod diuina sibi operatione foret colla
tum. Ergo ne in tantum iudicium ruerent, atq; in perfidiæ foueam decíderent, passus est
dominus illis subintrare culpã, ut & ipsi aduerterent diuinis se auxilijs indigere, ducẽq;
salutis suæ quærendũ esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testa
1. Cor. 12 tur, dicente domino roganti sibi, ut à se stimulus carnis suæ discederet: Sufficit tibi gra
tia mea. nam uirtus in infirmitate consummat. Meritoq; gloriatur in infirmitatibus. Scie
bat enim uirtutis abundantia plurimos etiam sanctos sine remedio corruisse. Quanto
igitur commodius uni aut duabus reprehensionibus locũ dedisse, quàm traxisse in per
petuum diuinitatis offensam?

Cap. III

Qua ratiõe deus suos athletas in uarijs certaminum generibus exercitet & ex
periatur. Et quomodo talia nobis facta sint in figuram, cum multarum allego
riarum adductione.

Quos etiam illa adijciam quæ ex ipso usu mundi conijcere possumus, quia ple
rosq; cum probauerimus in aliquo officio, eosdem quasi industrios atq; im
pigros in alio munere uolumus experiri? Quàm multi athletæ cũ in isto cer
tandi genere præualuerunt, ad aliud genus uocantur certaminis? Quid si & te dominus
deus tuus cum aliquod specimen uirtutis dederis tuæ, in alio uirtutum genere uult pro
bare? Iob sanctum currentem inoffense, tentari tamen filiorum interitu, & corporis to
tius ulceribus passus est, ut in hoc quoq; eius uirtutem probaret, si nec iniurijs nec acer
bitatibus coactus deuotionẽ sui minueret affectus. Num liquet quòd etiam sanctũ Da
uid fide nobilem, præstantissimũ mansuetudine, manu fortem probare uoluerit, quẽad
modum uitium tegeret, lapsum emendaret, ut nos doceret quemadmodum admissum
possimus operire peccatum? Nisi forte uilis causa alicui uidetur, ut propter nostram cor
rectionem tantus erraret propheta, cum propter omnium redemptionem infirmitates
nostras Christus susceperit, qui peccatũ pro nobis factus est, cũ peccatũ nõ cognouerit.
Et indignũ æstimatur, nec uerisimile creditur quod Dauid propter posteritatis profectũ

unius

unius lapsus opprobrium inciderit, cum ipse dominus sit pro nobis factus opprobrium sicut ipse ait: Ego autem sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Et alibi: Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Ergo futuræ dispensationis mysterium in suis antè præmisit. Et seruuli quidem conditionis suæ peccata portarunt, ideo non potuerunt etiam & ipsi exortes esse peccati. Dominus autem onus suscepit alienum, ideo solus fuit sine consortio delictorum. Ad summam Apostolo quoq; docente, cognouimus in figura gesta esse complura quę temporibus gesta superioribus sunt. Nam cum dixisset in deserto patres à serpentibus uulneratos non aliter posse sanari, nisi Moyses serpentem suspendisset æneum, quo uiso letales illi morsus infusionesq; ueneni noxiæ curabantur, subiecit: Hæc autem in figura facta sunt illis ad nostram correctionem. In figura æreus serpens tanquam confixus cruci, quia uerus serpēs crucifigendus generi annunciabatur humano, qui serpentis diaboli uenena uacuaret, in figura maledictus, in ueritate autem qui totius mundi maledicta deleret. Alibi quoq; idem ad Galatas ait: Quia duos filios habuit Abraham, unum de ancilla, & unum de libera. Et subdidit: Sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Quid sit per allegoriā, sequentibus expositum euidenter, dicens duas illas generationes, unam de ancilla, alteram de libera, duo esse testamenta. Vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, in quo quæ in Isaac filios, hoc est, in libertate gratiæ, non in literæ seruitute generauit. Seruis enim pœna decernitur, liberis cōfertur gratia. Nónne in typo geminæ plebis Iacob duas accepit uxores, ex quibus diuersam sobolem procreauit? Cur patriarcha Iudas propriæ nurus post filij sui mortem legitur expetisse concubitum, quo geminorum partus est editus, nisi ut figura domini Iesu utroq; præcederet testamento: quorum alterum in typo futuræ mortis eius est conditum, alterum in Euangelij ueritate, duos populos esse generandos, quorum posterior in crucis signo sepem omnem ac munitionē populi superioris incideret? Hic est populus manu prior, ortu posterior. Vel quia ipse dominus Iesus natus ex tribu Iuda opera sua ante pręmisit quàm nobis ex Virgine nasceretur. Quid de Ioseph loquar, qui à fratribus appetitus, exutus patrio uestimento, in lacum missus, in seruitutem uenditus, euidens dominicæ incarnationis expressit indicium, eò quòd ille dilectus patri cum esset in dei forma, non rapinam arbitraretur esse se æqualem deo, sed ipse se exinaniret, & formam serui accipiens ueniret, & se usq; ad mortem crucis humiliaret: cuius precio & emptus & uenditus à suis fratribus, genus redemit humanum? In cuius typo Dauid minor electus ex fratribus, unctus in regnū, solus belli grauis periculo, singulari certamine uniuersum populum liberauit, triumphauit in decē milibus, ita ut puellæ cum tympanis psallerent: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Quę figura in illis iuuenculis, nisi animarum quæ triumphalem Psalmum concinūt Christo? Genuit ex se duos filios, unum incestum, alium parricidam, eò quòd incestus & parricidalis populus affixam patibulo crucis carnē propriį iugulaturus esset authoris. Denicp in tertio Psalmo Abessalon titulus prænotatur, & passio domini prophetatur. Quid de Salomone sancto loquar, cuius posteriora cum graui errore non careant, uulgus tamen Iudaicum ipsum existimat ueniſſe pro Christo? Et quàm multos grauis erroris offensa reuocauit? Maior itaq; culpa plus profuit, ne supra hominem crederetur qui uitio non caruisset humano. Fuit igitur in eo inuidiosa sapientia, & culpæ suasoria, quæ hominē comprobaret. Quid igitur obstat quo minus Bethsabee sancto Dauid in figura sociata fuisse credatur, ut significaretur congregatio nationum, quæ nō erat Christo legitimo quodam fidei copulata coniugio, quòd transuersarijs quibusdam foret uestibulis in eius gratiam præter legis ingressura præscriptum, in qua nuda mentis synceritas, & aperta simplicitas lauacri iustificante mysterio, ueri Dauid & regis æterni mentem traduceret, lacesseret charitatem? Merito uenit occultus, & qui falleret principem mundi tanquàm Vriam illum qui interpretatione dicitur lumen meum, transfigurantem se in angelum lucis. Venit, inquam, in hunc mundum, & uenit occultus, tanquam adulter intrauit, ut ius legitimum uindicaret.

Psalm. 21 *Psalm. 68*

Num. 21

1. Cor. 10

Galat. 4

Philip. 2

1. Reg. 18

Quale fuerit peccatum Dauid, & qualis pœnitentia. Quemadmodum etiam multi fortissimi uiri in errorem prolapsi sint. Cap. IIII

Istinximus allegorias ualidas, ut arbitramur, & in figura fuisse textum huius
D historiæ comprobauimus, nunc superiora repetamus, & tanquam exutũ spi
ritalibus indumentis introspiciamus errorem. Peccauit Dauid, quod solent
reges: sed pœnitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est cul
pam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, con
fessionis suæ testimonium in perpetua secula uulgato dolore transmisit. Quod erube
scunt facere priuati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum nega
re peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tene
batur humanis. Quod peccauit, conditionis est: quod supplicauit, correctionis. Lapsus
communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est: delesse, uirtutis.
Iob. 15 Quis gloriatur, inquit, castum se habere cor? Nec unius diei infans mundus esse scriptu
ræ testimonio declaratur. Da mihi aliquem sine prolapsione delicti. Validissimus om-
Iudic. 14 nium Sampson legitur, qui leonem etiam suis manibus strangulauit, sed utinam amorẽ
Iudic. 15 suum suffocare potuisset. Messes incendit Allophylorum, & ipse mulieris unius arsit i-
Iudic. 11 gniculo. Iepte uictor ab hoste remeauit, sed uexilla referens triumphalia, suo uictus est
sacramento, ut pietatem occurrentis filiæ parricidio remunerandam putaret. Primũ om
nium quid opus fuit tam facile iurare, & incerta uouere pro certis, quorũ nesciret euen-
tum? Deinde ad quid sacramenta tristia domino deo reddidit, ut cruentis soluat sua uo-
ta funeribus? Nec de sacerdotibus silendum arbitror, ne nostra uidear dissimulare deli-
cta. Aaron ipse summus sacerdos, quo duce pariter ac Moyse rubrum pede mare transi-
uit populus Hebræorum, rogatus à plebe ut deos sibi faceret quos adorarent, aurum po
posci t, in ignem misit, & caput uituli figuratum est, cui sunt oblata sacrificia. Quo indi-
cio claruit auri cupiditatem materiam esse perfidiæ, & auaritiæ studio sacrilegia solere
generari. Iterum tantus sacerdos locum incidit offensionis cum sorore sua Maria. Nam
dum fratri uterq; obtrectat quod alienigenam accepisset uxorem, illicò Maria cõtagio
maculosæ carnis efflоruit. Quo loci, euidentis fuit figura mysterij, quòd sacerdotalis ille
populus patrum fraterno populo posterioribus temporibus derogaret, Aethiopissæ il-
lius nesciens sacramentum. Nam si cognouisset, non reprehendisset, quod cum ueteri
mysterio conueniret. Itaq; cum Iudæus eum qui ex gentibus credidit, dicit esse commu
nem, & uult à lege secernere, lepram habet, quam non poterit euadere nisi spiritalis ei le
gis agnitio ad ueniam fuerit suffragata.

Quomodo Dauid lapsus, proprium peccatum deplorans domini misericor Cap. V
diam non desperauerit. Et de requisitione ouis abductæ.

2. Reg. 12 Rgo & Dauid qui sciret hominem se esse natum lapsui, ueniam postulauit,
E domini autem non desperauit misericordiam. Nec parabola à mysterio uide
tur discrepare. Quis enim diues nisi dominus noster Iesus, qui de se ait, ut ho-
die lectum: quod homo quidam cum diues esset, abijt in regionem longinquam acci-
pere regnum, & reuerti? Et uere diues erat maiestatis suæ opibus, & diuinitatis propriæ
plenitudine, cui angeli & archangeli uirtutes & potestates & principatus, throni & do-
minationes, Cherubim & Seraphim indefesso obsequio seruiebant. Sed tamen cum di-
Luc. 15 ues esset, reliquit nonaginta & nouem in montibus oues, & unam ouẽ quæ lassa reman
serat, requisiuit. Hanc princeps istius mundi, cõtemplatione illius diuitis egenus & pau
per, quasi filiam alimentis propriis nutriebat. Merito itaq; defecerat, cui substantia erat
cibus seculi. Errauerat hæc ouis in Adam, insidijs solicitata serpentis. Et non mala ouis,
quæ erat uerbi plena, utpote rationabilis hebdomadis filia, & sancti munus auctoris, ta
Psalm. 57 men non preciosis aliquibus, sed uilibus pauperis diu opibus alebatur. Denicq; de pane
eius, inquit, manducabat, & de calice eius bibebat, & in sinu eius dormiebat. Non bona
esca Aethiopũ, noxius calix aureus Babylonis, qui gentes inebriat. Nõ utilis somnus est
dormientibus, malo uigilare. Denicq; turbati sunt omnes insipiẽtes corde, obdormierũt
somnũ suum, & nihil inuenerunt. Hospitij igitur gratia, quia susceperat hospitem, ut ei
epulas exhiberet, illam pauperis ouẽ abstulit. De suis enim uel gregibus uel armentis si
quod animal immolaret, nobis ꝓdesse nõ poterat, quod, nisi immolasset, nõ redemisset.

Infirmita-

Infirmitates igitur nostræ fragilitatis in sua carne hospitali quodam susceptt affectu, cuius leuandæ causſa uel potius reficiendæ carnem suam salutari illi obtulit passioni, ut & cibum nobis uitæ præberet æternæ. Et bene agnã dixit scriptura, qui erat Virginis partus. Bene dignus morte pronũciatur dies iste iudicio prophetico, quia & Caiphas prophetauit dicens: Expedit unum hominem mori pro populo. Solus autẽ dominus Iesus tali dignus electus est morte, qui tolleret peccatum mũdi. Pulchre quoq; addidit: Agnã restituet, quia carnem propriã resuscitauit, carnem illam uirginalis integritatis reddidit. Nec illud ociosum quod ait: In quadruplum restituet. Quadruplatur enim resurrectio mortuorum, sicut docet Apostolus, dicens: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in uirtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Restituet planè in quadruplum agnam etiam illo modo quo potest homo dicere: Si cui aliquid abstuli, reddo quadruplũ. Conuenienter etiam illud adiecit: Quia non pepercit. Non enim pepercit sibi Christus, ut omnibus subueniret. Ideoq; dictum est à domino Iesu Christo ad seruum suũ Dauid, ut mysterium declararet: Quoniam tu hoc fecisti in occulto, & ego faciam hoc uerbum coram omni Israel in conspectu solis huius. Et primo quidem nesciens sacramentũ, commotus est Dauid indignatione, sed non errauit affectu. Postea uero ubi cognouit mysterium magnum (magnum enim sacramentũ Christi & Ecclesię) uidens remissionem futuram omnium peccatorum, præuidens fulgorem gratiæ per lauacrum regenerationis, & infusione spiritus sancti, ait securus ueniæ: Peccaui domino, ut & ipse in eorum ueniret consortium, quibus culpæ remissio proueniret.

Ioann. 11

1. Cor. 15

Luc. 19

Quibus operibus Dauid potuerit tegere peccatum. Et quomodo iustos peccata sequantur, malos autem præcedant. Cap. VI

Duertis quemadmodum peccatum proprium deplorauerit? Quis igitur meretur ei esse dimissum? Nunc consideremus opera eius quibus potuit tegere peccatum. Etenim quia nõ potest sine peccato esse humana fragilitas, cauendum ne plura peccata sint quàm opera uirtutum. Quod magna ui sapientiæ suæ sanctus Paulus expressit dicens: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Hoc est, non inuenitur quisquam illibatus à culpa, habet quis bona merita, habet & uitia atq; peccata: Omnia itaq; nostra quasi in trutina ponderãtur. Si bonis igitur factis peccata præponderant, præcedunt ad iudicium. Vergunt enim peccata quasi in profundum, uergũt quia & manifesta sunt uel pondere atq; acerbitate, uel multitudine. Quosdã autem, inquit, & subsequuntur, hoc est eos qui se egerint sobrie, sed fragilitate conditionis dederint aliquando etiam errori locum, bona facta præcedunt, mala sequuntur. Hi honestiores, sed tamẽ homines lapsi leuioribus uitijs & erratis. Ergo iustos sequuntur peccata, non præeunt: iniustos præcedunt, & præponderant peccata quæ uergunt, sequuntur autem si qua rectè facta sunt, quasi quodam præiudicio peccatorum pręeuntium prægrauata. Similiter & facta bona manifesta sunt lucent enim opere uirtutum, & splendore meritorum: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Ergo talia non teguntur, non obumbrat ea charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, non operit bonorum operũ gratia, nõ abscondit uirtutum multitudo quia nuda & intecta produntur. Non enim est in ijs qui dicat: Sub umbra alarum tuarũ protege me. Crux enim domini omnes abolet atq; abscondit errores. Quis igitur magis operuit & texit quàm sanctus Dauid, qui & alibi ait: Et in umbra alarum tuarũ sperauí, donec transeat iniquitas? Et sic dilexit dominum ut nimia charitate peccatum omne tegeret atq; absconderet. Etenim si Apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis aboleuit domino dicente ei tertio, Simon Ioannis amas me? ut quẽ tertio negauerat, ter tio fateretur, atq; ita trino quodã dilectionis uelamine lapsum trinę negationis absconderet: si quia semel Petrus fleuit, ueniã reportauit, quanto magis Dauid, qui lauabat per singulas noctes lectũ suũ, & lachrymis stratũ suũ rigabat: cui erant lachrymæ suæ panes die ac nocte: qui cinerem tanquã panem mãducabat, & potum suũ cum fletu miscebat? Etenim si eius qui conuersus ingemuerit, miseretur Iesus: si Petrum aspexit, & ille fleuit: quanto magis qui diu fleuit à conspectu domini non recessit? Negauit Petrus, & nõ fleuit: quia nõ respexerat Iesus. Negauit secũdo, & nõ fleuit: quia nõ respexerat dominus.

1. Tim. 5

1. Pet. 4

Psalm. 16

Psalm. 56

Ioann. 21

Psalm. 6

Psalm. 41

Psalm. 101

Matth. 26

Negauit

Psalm. 24 Negauit tertio, respexit Iesus, & statim fleuit, & fleuit amarissime. Ideo Dauid qui sem-
Psalm. 118 per fleuit, dicebat: Oculi mei semper ad dominũ. Quia semper uidebatur à Christo, dice-
bat: Per exitus aquarũ descenderũt oculi mei. Sed iam etiã facta eius cõsideremus. Quis
non tantarũ laude uirtutũ unius criminis obũbraret inuidiã? Diuino electus examine,
statim probauit indignũ se tanto nõ esse iudicio. Processit in prœliũ, & trepidantibus cæ-
1. Reg. 17 teris solus Allophylũ Goliã uerborũ iactantia, & immanis corporis mole terribilẽ, con-
currenti simul fide ac uirtute prostrauit. Vnius fortitudo facta est uniuersorum uictoria.
Conferatur, si placet, priuatum crimẽ, & triumphus omniũ: mors unius, & tantorũ quos
liberauit à morte, uita populorũ. Veniamus ad alia. Insidias patiebatur à rege, uitam eius
quærebat extinguere, sed dispositione diuina in eius rex potestatẽ traditus, cũ totus pa-
teret ad uulnus, ferituris socijs Dauid sanctus occurrit, & à corpore perituri uulnus læta-
1. Reg. 26 le retorsit, dicens: Nolite tangere Christum domini. Quinetiam inimici illius ultus est
mortem, deplorauit interitum, & debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat deo
authore deberi. Quo solo docuit omnes homines non præripiendum regnum, etiam
si debeatur, sed expectandum, ut suo tempore deferatur. Vtinam hunc uirum imitati es-
sent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates. Arguis quod unum occide-
rit, non consideras quot docuerit quemadmodum pax orbi Romano perpetua seruare-
tur. Quàm graui adhuc luimus uastitate, quàm publico quodam totius orbis funere ap-
petiti, necem regis exoluimus? Hei dira supplicia. Inde adhuc nobis barbarus hostis in-
sultat, dum parata aduersum se in nos arma uertuntur. Sic uires ceciderunt publicæ, sic
Romana uirtus suis motibus fracta consenuit: dum publico rapitur parricidio, quod pa-
ternæ solicitudinis religione suscipitur. Ideoq; eo usq; præcauit, ut cum Adoniam filium
regnum sibi usurpare comperisset, & serere conuentus: non eum qui præripere gestie-
bat, sed eum qui expectaret eligeret. Saltabat ante arcam potentissimus regum, & cum
à propria reprehenderetur uxore quòd denudatus esset ante faciem puellarum, respon-
dit: Coram domino nudabor adhuc, & ero nudus ante oculos tuos, ut honorificetur, in-
quit, dominus qui me pro patre tuo adsciuit in regnum. docens contuitum regalis po-
tentiæ non habendum, ubi religioni exhibetur obsequium. Specta aliud memorabile.
Parricida filius regnum patrium uiolenter inuaserat, cedebat primo pater eius furori,
& locum prælij declinabat, ut uel sic impius à furore resipisceret. Bello quoque interes-
se noluit, rogauit ad prælium profecturos ut parcerent filio. Securus erat uictoriæ qui
rogabat ut parcerent. Nec pietatis alienus, qui perire debere etiam impium filium non
2. Reg. 18 putabat. Fleuit, & magno luctu deplorauit exitum parricidæ, dicens: Filius meus Abes-
salon, quis dabit mihi mortem pro te, filius meus Abessalon? Vindicandum putabat
eum qui pro paternæ uindicta pietatis occiderat. Quàm uero iniuriæ patiẽs & doloris?
cedebat, ut dixi, filij sui Abessalon furori, uallatus dextera læuaq; ualidis bellatoribus,
2. Reg. 16 Maledicebat ei uir cui nomen Semei, cruentum appellans, & uirum sanguinis, dignoq;
iudicio domini deiectum esse de regno. Sed ne talibus quidem mouebatur cõuitijs, mo-
uebantur autem comites eius. Denique unus ex socijs, Abysai nomen uiro, minatus est
2. Reg. 21 quod iniuriæ precium caput eius auferret, sed rex conuersus ad Abysai, Quid mihi, ait,
& tibi est fili Saruiæ? Ideo maledicit mihi, quoniã dominus dixit illi ut maledicat. Quàm
moraliter docuit quod iniuriarum uel periculorum nostrorum tempora, tentationum
certamina, & examina probationum sint, & ideo non sine diuino ea irrogari solere iudi-
cio. Exercetur bonus athleta cõuitijs, exercetur laboribus & periculis, ut dignus sit cui
deferatur corona iustitiæ, & ideo ferenda patienter sunt quæ putantur aduersa. Denicq;
Iob. 2 & alibi te docet scriptura diuina, dicẽte iusto: Si bona accepimus de manu domini, quæ
2. Reg. 16 mala sunt cur nõ sustineamus? & addidit sanctus propheta dicens: Ecce filius meus qui
exiuit de uentre meo, quærit animam meam. Si autẽ Iemineus maledicit mihi, dimitte il-
lum ut maledicat, quoniam dixit illi dominus, ut uideat humilitatem meam, & retribuat
mihi dominus pro maledicto hoc. O altitudo prudentiæ: O insigne patientiæ: O deuo-
randæ contumeliæ grande inuentum. Moueris, inquit, Abysai, quod mihi maledicat ex-
traneus, quem parricidio petit filius? Dominus dixit ei ut maledicat mihi. Sed nõ est ma-
ledicus dominus, nec delectatur cõtumelijs. Vide quã singula diligenter custodiat. Nõ
accusat dominũ quasi authorẽ iniuriæ, sed magis laudat, quòd patiatur nos minora per-
peti, ut

peti,ut maiorum ueniam peccatorum adipiſcamur. Ecce uerborum contumelia parrici
dij leuauit ærumnam,abſoluit procacẽ,cuius maledicta plus proſint,quæ diuina remu-
neratione donantur. Quis ſecum talem non compenſet iniuriam, ut quem homo læſit,
eum deus meliorum retributione ſoletur?

De pugna Dauid contra progeniem gigantum,& quemadmodum aquam ſitiuerit ex lacu Bethleem, quam tamen non biberit. Cap. VII

A Lia quoq; eius geſta conſideremus. Pugnauit aduerſus progeniem gigantũ, 1.Reg.17
quando unus exillis uerſantem in prælio regem penè percuſſerat,quos au-
ſus tamen aduerſarius exceptæ precio mortis exoluit. Hoc quoq; percepto
gentis uictæ ferocis triumpho,iterum in ualle Titanum bellũ immane ſuſcepit,non mi-
nus aduerſus hoſtem quã aduerſus naturam. Sitiens enim cum uerſaretur in bello,quod
biberet non habebat. Quis mihi potũ,inquit,dabit de lacu qui eſt in Bethleẽ ad portas? 2.Reg.23
Erat autem inter lacũ & ſanctũ Dauid interfuſus hoſtis, & media hoſtilium ſepta caſtro
rum. Præciderunt tres uiri multitudinem aduerſariorũ, & impleuerunt aquã de lacu qui
erat in Bethleem,& obtulerunt regi bibendam: ſed rex noluit bibere,& profudit illam
domino. Dignũ etenim tanto munere fuit,ut quæ erat uiuidæ uirtutis inſigne,fieret pie-
tatis ſacrificium. Dixitq; dignam prophetico ſpiritu ſententiã: Non contingat mihi hoc
facere,ne ſanguinem uirorũ qui abierũt,ex animis illorum bibam. Vicit ergo naturam,
ut ſitiens non biberet,& exemplum de ſe præbuit,quo omnis exercitus tolerare ſitim di
ſceret. Exercuit etiam ſubditos ad uirtutis officium,ut etiam per pericula regali imperio
uoluntarij milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere,declarauit probandorũ
militum ſe imperaſſe gratia,nõ ſitis uictum neceſſitate, proſpexiſſe etiam ne cui regũ bi
bendi uſus alienis periculis quæreretur. Poſtremo piæ uulnus conſcientiæ deprecatum,
eò quòd aqua tot uirorum quæſita ſanguine, ſuauitatẽ bibendi habere non poſſet,quę
propoſitæ mortis horrore conſtaret. Quòd ſi altius uelis ſpectare,& introſpicere myſte
rium, ſitiebat Dauid non aquam de lacu qui eſt in Bethleem,ſed oriundum ex Virgine
Chriſtum ſpiritu præuidebat. Volebat ergo bibere nõ aquã fluminis,ſed potum gratiæ
ſpiritalis,hoc eſt non aquarũ ſitiebat elemẽtum,ſed ſanguinem Chriſti. Deniq; nõ bibit
oblatã aquã,ſed domino profudit,ſignificans ſitire ſe Chriſti ſacrificiũ,nõ naturæ fluen-
tum: illud ſacrificium in quo eſſet remiſſio peccatorum,illũ ſitire ſe fontem æternũ, non
qui periculis quæreretur alienis,ſed pericula aliena depelleret. Tot igitur operibus,tam
mirandis,unius ſanguinem tectũ nõ credimus? Merito uox ſanguinis Abel iuſti clama- Geneſ.4
uit ad dominum,quia nullis Cain impius bonis operibus tegebatur,quia parricidalis e-
rat,quia non confitebatur flagitium,ſed negabat. Dauid uero occiderat quidẽ uirũ mi-
nime reum,ſed occiderat nõ ſtudio crudelitatis impulſus, ſed ut obumbraret pudorem,
tegeret uerecundiam conſcientiæ. Non audeo dicere quòd ui criminis fuerit oppreſſus.
Neq; enim oppreſſus eſt,qui ſciuit quẽadmodũ à ruina illa peccati ſe poſſet leuare. Dico
tamen quod ui tentationis inflexus ſit. Dixerat enim ſupra: Proba me domine,& tenta Pſalm.25
me,ure renes meos,& cor meum. Et alibi: Ego autẽ dixi in mea abundantia, non moue- Pſalm.29
bor in æternum. &, Igne me examinaſti,& non eſt inuenta in me iniquitas. Voluit enim Pſalm.16
eum ſubiacere dominus tentationi,ne ſupra hominẽ ſibi aliquid arrogaret: Nam uirtus
in infirmitate conſummatur. Neq; enim cruẽto fecit affectu, nihil minus ſancto prophe 2.Cor.12
tæ adſcribi poteſt,qui etiam uita decedens,ſuprema uoce cõuenit Salomonẽ filiũ,ut in-
nocentem ſanguinem à ſe tolleret,quẽ fuderat dux eius exercitus Ioab,quando Abner,
cum de ineunda ſocietate tractaret,dux licet aduerſarij agminis,inſidijs appetitus occu
buit,quem fleuit,& poſt luctũ eius ambulans,depoſitis inſulis poteſtatis,exequiarũ iu-
ſta curauit. Quo facto,docuit etiã aduerſarijs fidẽ promiſſam eſſe ſeruandam,honoran-
dam quoq; & in hoſte uirtutem. Nónne tam miti ſuæ hęreditate pietatis,etiam huius ne
uum deterſit erroris? Quàm præclarum autem, quòd tribus oblatis ſibi conditionibus
quam uellet eligeret,quando numerato populo cõtraxit offenſam,cũ propoſitũ eſſet u- 2.Reg.24
trum triennio famẽ ſuper terram fieri uellet, aut tribus menſibus fugere à facie inimico-
rum ſuorũ perſequentiũ ſe,aut triduo fieri mortẽ in terra,tertium elegit,quod domini ſe
mallet quã hominũ cõmittere poteſtati: dominus enim cito miſeratus ignoſceret. Itaq;
ſic ait: Angustiæ ſunt mihi ualde in his tribus, ſed magis incidã in manus domini (quo-
niam

niam misericordia domini magna est ualde) quàm in manus hominũ incidam. Hac humilitate, prudentia, mansuetudine fecit (ut uerbis scripturæ utar) habere dominum pro-
Hiere. 18 priæ commotionis pœnitentiam. Deniq; sic scriptum est: Quia pœnitentiam habuit dominus super malitiam. Quàm uero illud etiam admirabile, quod angelo ferienti plebẽ, se obtulit dicens: Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domũ patris mei. Quo facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est ueniam, cum Moyses offerendo se domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleuerit. Texit igitur peccata sua, an non? Sed quis hoc neget, cum hic ipse docuerit propheta, quod remittantur iniquitates, tegantur peccata, non imputentur à domino? Peccatum remissum sibi esse do-
Psalm. 31 cuit, sicut scriptum est: Delictum meum agnosco, & iniustitiam meam nõ operui. Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatẽ cordis mei. Si dixit, Pronunciabo, & ueniam meruit antequam pronũciaret: quanto magis ubi de se pronunciauit dicẽs: Iniquitatem meam ego agnosco, remissum est ei omne peccatum? Licet specialiter de hoc & Nathan responderit: Et dominus traduxit peccatũ tuũ. Ergo remissionem meruit iniquitatis, & texit charitate, atq; operuit peccata sua, texit operibus bonis. Nec imputatum est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, sed laps erroris. Deinde quia non fuit improbitatis æstus, sed umbra mysterij. Et tamen confessus est delictum suum, agnouit iniquitatem, uidit lauacrum, & uidit, & credidit. Dilexit multum, ut nimia charitate tegere quemuis posset errorem.

De titulo Psalmi quinquagesimi, & de numero quinquagenario. Quemadmodum etiam pœnitentia sit agenda. Et quomodo quis mundetur ab iniquitate & iniustitia. Cap. VIII

Ed iam se ipse defendat. nam quinquagesimum Psalmum ad eam scripsit hi-
s storiam. Et cum priorum gestorum suorum historiã subiecit, ut de proditione Doech Syri, cuius est titulus in Psalmo quinquagesimo primo, & Zypheorum, quę comprehendi titulo uidetur Psalmi quinquagesimi quarti, istam quę posterior est præmisit historiam, cum Doech ante prodiderit uel Ziphei, quã regnum Dauid propheta susciperet. Quandoquidem regem Saul fugiens, adhuc per diuersa secreta exul errabat: Betsabeę autem iam cum regnaret, accepit. Cur ergo secundum gestorum ordinem Psalmorum quoq; ordo non quadrat? Quia non tam ordinẽ ordini, quàm mysterium gestis uoluit conuenire: ideoq; numerum remissionis aptare huic uoluit historiæ. Quinquagesimus enim numerus, remissionis est numerus, sicut in Euangelio dominus ipse nos docuit, dicens: Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, dona-
Luc. 7 uit utriq;. Quis ergo eum plus diligit? Et in lege habes, quia Iubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita uacuantur, confirmantur Hebræorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum læti celebramus post domini passionem, remisso culpæ totius debito, chirographo quoq; uacuato ab omni nexu liberi, & suscipimus aduenientem in nos gratiam spiritus sancti, die Pentecostes uacante ieiunio, laus dicitur deo, alleluia cantatur. Deniq; & puellæ pater illius quæ per uim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta didrachmata argentea accipiet, ipsa autem in coniugio permanebit. Hoc etiam numero uitia uertuntur in
Psalm. 50 gratiam. Magnus igitur Psalmus, quo docemur quemadmodum agenda pœnitentia sit. Miserere, inquit, mei domine secundum magnam misericordiam tuam. Et secundũ multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. In multum laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.] Quis nostrum, etiam si confiteatur delictum suũ, non perstringendum potius, quàm repetendum putet? quis secundo repetat aut tertio? Vide quot uersibus tantus propheta peccatum suum resonet, quàm nullus uersus sine confessione delicti sit. Congessit omnia simul, iniquitates suas & iniustitiam personando, iungens delicta peccatis: atq; ea sæpe repetendo, merito magnam misericordiã posc
cit. Nec

scit. Nec solum magnam misericordiam, sed etiam multitudinem miserationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio? Quam culpam precatio huiusmodi non emũdet? Ille pro uno peccato miserationum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus peccatis uix semel eius misericordiam credimus obsecrandam. Deinde legimus, quia in uirtute sua magna, & brachio suo excelso populum suum de terra Aegypti liberauit, quando traduxit eum per mare Rubrum, in quo fuit figura baptismatis. Si ergo uirtus magna in figura fuit sacramentorum, quanto magis in ueritate eorum magna misericordia est? Recte quoq; illic poscitur miserationum multitudo, ubi multitudo peccantium est. In multum laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me.] Non tam sæpius quàm plenius lauari petit, ut conceptam sordem possit eluere. Nouerat secundum legẽ plura quidem mundandi esse subsidia, sed nullum plenum atq; perfectum. Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo iustitia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum, sicut ipse docet dominus Iesus. Nam cum uenisset ad Ioannem, ait Baptista: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respondit dominus: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. sed postea quàm baptizatus est Christus, & spiritus sanctus super eum tanquam columba descendit, et pater filium signauit è cœlo, iustitia omnis impleta est. Ideo propheta dicit: In multum laua me ab iniustitia mea. Grã dis enim squalor & macula non exiguo sed multo aufertur lauacro. Quod si quis aliter accipere uult, potest ita suum formare intellectum: Mundat sermo diuinus, mundat nostra confessio: ille dum auditur, ista dum promitur. Mundat bona cogitatio, mundat honesta operatio, bonæ quoq; usus conuersationis. His mundatus, unusquisq; facilius hauris statim preciosus succus irradiat, sed primum succo ignobili uellus inficitur, deinde aliis atq; aliis succis naturalis eius species frequenter eluitur, & diuerso sæpius colore mutatur, ac sic postea uelut plenioris lauacri adhibetur infectio, ut purpuræ uerior atq; perfectior fulgor irrutilet. Sicut igitur muricum plurium in purpuræ infectione, ita in lauacro regenerationis miserationum est multitudo cœlestium, ut iniquitas deleatur. Itaque qui in multum lauatur, ab iniustitia mundatur, & à delicto, & peccandi quandã inolitam studijs ac moribus deponit habitudinem, & obliuiscitur qualitatem. Et bene lauatur ab iniustitia uel iniquitate, quæ maior est: mundatur à delicto, quod minus est. Ideo'que addidit.

Quis dicatur agnoscere suam iniquitatem. Et quod contra sapientem semper sit delictum.

Cap. IX.

Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper.] Non mediocre est, ut agnoscat unusquisq; peccatum suum. Ideoq; & supra ait: Lapsus quis intelliget? Id est, quis est tantus ut intelligat? Quomodo illud: Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis ascendet in montem domini? Non utiq; nullus, sed rarus. Qui enim potest agnoscere, potest declinare, potest quid se quatur eligere. Plerisq; in suis lapsibus gloriant̃, & putant ea laudi esse quæ crimini sunt. Si alienum coinquinauit thorum, & pudicæ fœminæ expugnauit affectũ, si uiduæ proposítum aliqua fraude mutauit: alius necem hominis, latrocinij insidias, & rapto uiuere putat esse uirtutis. Nonnulli circumuenire ac fallere arbitrantur esse sapientiæ. Ex his nullus potest dicere: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. Sed ille qui potest dolere quod fecerit, condemnare quod deliquerit, quem sua uitia compungunt. Vnde & propheta ait: Quę dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini. Plerisq; equorum cum ceciderint, se iactare consuerunt: & quos casus non læserit, iactando se debilitant & frangunt. Alij (qualis Græcorum equorum fertur natura) cũ uel in certamine curuli elisi fuerint, uel fortuito ceciderint, nequaquam se mouere consuerũt, & quandam tenent quietis & patientiæ disciplinam. His si casus nõ nocuit, quies prodest, certe non acerbatur offensio. Non'ne mutis animalibus deteriores æstimandi, qui se in flagitijs suis iactant, & putant insigne esse uirtutis ubi lapsus est criminis? Ideo quasi muto dicitur iumento: Peccasti, quiesce. Vnde pulchre addidit: Et delictum meum contra me est semper. Insipiens enim delectatur erroribus suis, & nouis uetera obumbrando peccatis se existimat adiuuari, ideoq; exultat in crimine. At uerò sapiens aduersum se iu

Psal. 135

Matt. 3

Psal. 14

Ibid. 4

Gen. 4

dicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum aduersantiũ modo sibi arbitratur obsistere. Quicquid personuerit, quicquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit: quicquid fuerit dictũ aut lectũ, in se dictũ putat: quicquid intẽderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur, ante oculos eius semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obliuiisci sinit, uelut grauis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur aduersa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit quo fugiat, quippe se perurget & stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, uulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiũt uulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui aũt aliquo dolore pungũtur, sicut doloris sensu non carent, ita etiã non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiã sensus est uitæ. sentire enim, uitalis uigoris ac muneris est. Vnde & ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit: qui autem agnoscit, utiq; resipiscit. non respuit remedia sanitatis: se ipse restringit, pœnitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, & cogitando se ipse
Prou. 18 condemnat. Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, iustus est, sobrius est, sanus est. Iustus fauere sibi nescit, rigorem iudicij etiam circa se non nouit inflectere, recordationem lapsus proprij perhorrescit, & commissum erubescit errorẽ, omnem eius memoriam pauet, metuit, reformidat, grauem sibi se iudicat, seipsum arbitrum refugit, nec sese sibi audet committere, quòd nullum putat sibi esse grauiorem, quicum quem latere non possit, fallere non queat, fugere ac uitare non reperiat, nisi ut se sibi abneget, & domini crucem tollat. Magna uis obnoxiæ cõscientiæ. Magna supplicia
Gene. 3 timebant Adã & Eua: & cum domini uocẽ in paradiso ambulantis audirent, cupiebant
Ibid. 4 se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoq; metuebat ne omnis eum quicunq; inueniret, occideret. Ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset cui nullus ignosce-
1. Reg. 21 ret. Vnde bene ait: Et delictum meũ cõtra me est semper. hoc est, sine interuallo aliquo recordatio & species ipsa mei me erroris impugnãt. Cõsidera quomodo nos cõfundat, cũ aliquid deliquimus, quomodo incurset oculos, quomodo in memoriã semper recurrat. Quem cõmissi pudet, nescit postea aliquid tale cõmittere, unde similiter erubescat. Præcedit autẽ iniquitas, peccatũ sequitur. Radix est iniquitas, fructus autem radicis est culpa. Vnde uidetur iniquitas ad mentis improbitatem referri, peccatum ad prolapsionem corporis. Grauior iniquitas tanquam materia peccatorum, leuius peccatũ. Denique iniquitas per lauacrũ remittitur, peccatũ tegitur bonis factis, & tãquam bonis ope-
Psal. 31 ribus obumbratur. Vnde bene suprà hic ipse ait: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Charitas enim abscondit errorẽ, & operit multitudinẽ peccatorum. Multa quoq; charitas remittit etiam ipsa peccata, sicut scriptum est de ipsa mu-
Luc. 7 liere quæ super dominũ fudit unguentum: Remissa sunt peccata eius multa, quoniã dilexit multum. Sunt etiam qui accipiunt priorem uersiculum de lauacro esse, secundum de pœnitentia. Qua gratia etiam Petrus, qui ante fuerat baptizatus, interrogatus, post-
Ioan. 21 quam uisus est dominum negasse: Simon Ioannis diligis me? dicit ei: Vtiq; tu scis domine quia diligo te. Et iterum interrogatus: Simon Ioannis, diligis me? Et iterũ respondit: Tu scis quia amo te. Et tertio interrogatus: Simon Ioannis amas me? Et cõtristatus est, quia dixit ei tertio, Amas me? & dicit ei: Domine omnia tu scis, tu nosti quia amo te. Et dictum est ei trina uice: Pasce oues meas, sequere me, quasi qui peccatum suũ nimia charitate texisset. Nec ociosè post confessionem nimiæ charitatis iubetur plebem regere, qui etiam turbatus non amiserat quemadmodum ipse se regeret. Hæc propter gratiam diximus charitatis, eo quòd peccatum tegat. Deniq; nõnulli ideo trinam interrogationem dilectionis factam esse dixerunt, quia trina fuerat negatio, ut trinę lapsum negationis professio charitatis totiens repetita deleret.

Quòd Dauid, quamuis rex esset, & solutus legibus humanis, uoluerit tamẽ subditus esse deo, cui soli peccauerat. Et quomodo dicatur iustificari dominus. Cap. x.

Ibi soli peccaui.] Rex utiq; erat, nullis ipse legibus tenebaꝰ: quia liberi sunt reges à uinculis delictorum. Neq; enim ullis ad pœnam uocantur legibus, tuti imperij potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur ob-

T noxius.

noxius. Sed quãuis tutus imperio, deuotione tamẽ ac fide erat deo subditus: & legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatũ suum negare non poterat, sed quasi reus cũ amaritudine fatebatur, qui sciret maioribus uinculis se teneri, quia maiora deberet: quoniã plus ab eo exigitur, cui plus cõmissum est. Possumus etiã & ita accipere: Quis me diiudicat, cum omnes sub peccato sint? Deniq; dominus de illa ad ultera: Qui sine peccato, inquit est, prior lapidet eam. Et nemo lapidauit. Hoc igitur ait Propheta: Tibi soli peccaui, qui solus sine peccato es. Qui aũt peccato obnoxius est, quasi peccatorem non potest iudicare. Inexcusabilis est enim omnis homo, qui in alio ea quę agit ipse cõdemnat. In quo enim aliũ iudicat, semetipsum adiudicat. Tibi, inquit, peccaui, & malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris.] Tibi peccaui, qui me ad uirtutis studia prouocasti, qui me erudisti in lege tua. Tibi soli peccaui, quem solum abscondita cogitationum, & mentis occulta non fallunt. Et malum coram te feci, quem solum sanctificatio decet. Hominis testimonium declinamus, & in conspectu tuo ea quæ sunt indigna committimus. Iniuria est homini spectare flagitia. deum arbitrum omniũ esse scimus, & eo ipso teste peccamus, & tamen in his iustificatur magis dominus deus noster, quia iniustitia nostra dei iustitiam commendat: & mendacium nostrum concelebrat ueritatem dei. Sit enim deus uerax, omnis autem homo mendax. Vt iustificeris in sermonibus tuis.] Sermones dei pleni ueritatis sunt atq; iustitiæ, ideoq; uera sunt quæcunq; locutus est dominus de fragilitate humana, quia inclinatum est cor eorum ad nequitiam, propendet ad fraudem: & quia definiuit, eò quòd non sit homo qui nõ peccet. Omnes enim declinauerunt, & inutiles facti sunt. Ideo uincit dum iudicatur, quoniam prolapsione uniuersorum probauit quæcunq; de nostra iudicauit fallacia. Ergo si dixerimus quia iniquitatem fecimus, iustificamus deum in sermonibus suis. Si autem dixerimus quia non peccauimus, mendacem facimus deum: sed impossibile est mentiri eum. Nos igitur omnes sub peccato esse manifestum est. Quantũ igitur crimen, ut homo peccatorem se neget? Quoniam quantum in ipso est, summum deum uidetur arguere mendacij, qui tam moderatus & patiens est, ut uincat cum iudicatur. Veniens enim ad iudicium deus dicit: Populus meus quid feci tibi, aut quid contristaui te, aut quid molestus fui tibi? Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysen, Aaron, & Mariam. Plebs mea in mente habeto quid cogitauerit de te Balach. Singula in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tanquam de his iudices, quæ seruare debueras, quo magis reus fias, qui diuinis non potueris stare beneficijs. Quid feci, inquit, tibi? Tanquam reum se constituit, & te iudicem. Aut quid contristaui te? Offensi uultus non abnuit crimen, si tu deo es contristatus authore. Aut quid molestus tibi fui? Interpellationis iniuriam confitetur, si molestior æstimata est: addit beneficia, quorum gratiam non erubuit, qui existebat ingratus. In hac quoq; caussa considera quomodo dominus se ipsi Dauid iudicandum præbuit, ut uinceret. Dicit enim Nathã: Hæc dicit dominus deus Israel, Ego unxi te in regẽ super Israel, & ego liberaui te de manu Saul, & dedi tibi omnia quæ erant domini tui: & uxores illius in sinum tuum dedi, & dedi tibi domum ipsius Israel: & si pauca sunt, adijciam tibi. Et quare pro nihilo duxisti dominum, ut faceres nequiter in conspectu eius? Horum commemoratione conuẽtus cum uideret inferiorem se esse, cum iudicat, ait: Peccaui domino. Ita iustificauit dominum, qui peccatum suũ negare ausus non est. Possumus & ita accipere: Iustificat dominum qui peccatum fatetur. Deniq; in Euangelio habes: Quia publicani iustificauerunt deum baptizati baptismo Ioannis. Baptista autem Ioannes Baptismum fecit pœnitentiæ. Qui autem agit pœnitentiam, delicta non abnuit. Ergo quia Dauid semper habebat delictum suum contra se, utiq; non negabat quod & erubescebat, non negabat quod & agnoscebat. Non negando autem utiq; commissi pœnitentiam gerebat erroris, atq; ita confitendo delictum, iustificabat dominum, & ipse iustificabatur à domino. Iustificatur enim dominus, dum eius prædicatur iustitia, & ab eo uenia postulatur. Simul & ipse iustificat confitentem, & iustificatur in sermonibus suis, sicut scriptum est: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris.

Luc. 7
Ioan. 8
Rom. 3
3. Reg. 8
Psal. 13
1. Ioan. 1
Mich. 6
2. Reg. 12
Luc. 7
Esa. 43

An mortalis originis inquinamentum in quo concipimur, parentum sit, an prolis. Et quòd prius incipiat in homine macula quàm uita. Cap. XI

Cce enim in iniquitatib. cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.]

Psalm. 50 E Quis tanto affectu agit pœnitentiã? Humi stratus iacuit fusus in lachrymas, cibum non gustauit, lauacro se abdicauit. Quid iam relíqua dícam, quod abstinuerit ornatu & comitatu regio? Adiunxit confessionem iniquitatis suæ, & in perpetua secula toto canendã orbe transmisit. Ecce, inquit, in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ.] Antequã nascamur, maculamur cõtagio: & ante usurã lucis, originis ipsius excipimus iniuriã, in iniquitate cõcipimur. Nec expressit utrũ parentum, an nostra. Et in delictis generat unumquemq; mater sua. Nec hic declarauit utrũ in delictis suis mater pariat, an iã sint & aliqua delicta nascentis. Sed uide ne utrumq; intelligendum sit. Nec conceptus iniquitatis exors est, quoniam & parentes non carent lapsu. Et si nec unius diei infans sine peccato, multo magis nec illi mateni cõceptus dies sine peccato sunt. Cõcipimur ergo in peccato parentũ, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua. Nec unũ tantũmodo habet ipsa natura contagiũ. Bonum quidem coniugium, sancta copula, sed tamen qui habẽt uxores, ita sint ac si non habẽtes. Ipse est thorus incoinquinatus, & nemo alterũ fraudare debet eo, nisi forte ad tẽpus, ut uacent orationi: tamen secundũ Apostolum non uacat orationi qui eo tempore usum corporeæ illius conuentionis exercet: & mulieris mẽstruatę

1. Cor. 7

Esai. 64 coinquinatus est pãnus, nec potest illis diebus purgationis suę offerre sacrificiũ. Et mulieris quæ generauerit, dies partus, & pleriq; alij à sacrificio feriati sunt, donec legitimo ritu fœda mũdetur. Ideo in quo uoluit dominus nulla huiusmodi originis esse cõtagia,

Hier. 1 dicit illi dominus: Priusquam te formarẽ in utero matris tuæ, noui te: & priusquam exires de uulua, sanctificaui te, & prophetã in gentibus posui te. Quis tantus, cui tam magna delata sunt? Nunquid Hieremias? Sed non ille utiq; in gentibus propheta propositus, sed in Iudæa tunc temporis: nunc autem etiam in nationibus, quæ in Iesum dominũ crediderũt. Vide tamen ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Vírgine, iam dudũ erat, & erat semper, & operabatur in utero Mariæ constitutus, & ita sanctus erat, ut sanctificaret prophetas suos, in quo solo & cõceptus uirginalis & partus sine ullo fuit mortalis originis inquinamento. Dignum etenim fuit ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo Dauid flebiliter in se deplorauit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quàm uita.

Quòd confitenti peccata sua subito splendor ueritatis effulgeat, & ipse ueritatem agnoscat. Et quid sit mundari hyssopo, atq; lauari. Cap. XII

Vm hæc dicit, & peccatorũ specialium atq; cõmunium colluuiẽ confitetur,

D subito ei splendor ueritatis, & candor gratiæ spiritalis effulsit. Supergressus enim umbram spiritu prophetico ipsa uidit mysteriorũ sacramẽta cœlestiũ, quorum typum Moyses prefigurauit in lege. Vulneratus igitur charitatis uulnere, & indagandæ captus ueritatis cupiditate, in superiora suæ mentis extendit intuitũ: & in futura prospiciens, thesauros sapientiæ & scientiæ uidit in Christo, prævidit Baptismatis sacramentum, & miratus gratiã, exclamauit subito dicens: Ecce enim ueritatem dilexisti,

Psal. 50 incerta & occulta sapiẽtiæ tuæ manifestasti mihi.] Nõ incerta mysteria, quia certa sunt: nec incerta secreta & arcana sapientiæ, sed non manifesta. Hoc enim significat, quia nullis essent manifestata. Quod enim oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis

Esai. 64 1. Cor. 2 ascẽdit, hoc præparauit deus diligẽtibus se. Vidẽs igitur ea, dicit: Ecce iã non in umbra, nec in figura, nec in typo, sed in ueritate lux aperta resplendet. Ecce nunc ueritatẽ aspicio, splendorem ueritatis agnosco, nunc te maiori domine deus noster ueneror affectu. Ecce enim ueritatem dilexisti, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem te mihi Christe demonstrasti, in tuis te inuenio sacramentis. Hæc sunt tuæ uera sacramẽta sapientiæ, quibus mentis occulta mundantur. Itaque iam lætus atq; securus, quod utbrassset ei sapientiæ plenitudo, dicit ad dominum: Asperges me hyssopo, & mundabor:

Psal. 50 lauabis

lauabis me,& super niuem dealbabor. Bene & Veteris testamenti sacramenta non euacuat,& Euangelica docet mysteria præferenda,hyssopo mundari secundum legem postulat,lauari secundū Euangelium concupiscit:& supra niuem se existimat, si lotus fuerit,dealbandū. Per hyssopi fasciculum aspergebatur agni sanguine,qui mūdari uolebat typico baptismate. Lauatur autem,qui diluitur æterni fontis irriguo:& supra niuem dealbatur,cui culpa dimittitur. Denicq; de ipsa anima dicitur: Quæ est hæc,quæ ascendit dealbata? antequam baptizaretur ipsa est quæ dicebat: Nigra sum & decora filiæ Hierusalem. Erat enim nigra,tenebroso peccatorū horrore deformis: sed posteaquā abluta per baptismū remissionem meruit delictorum,dealbata ascendit ad Christū. Inde & per Esaiam dominus locutus est dicens: Si fuerint peccata uestra sicut phœnicium,ut niuē dealbabo: id est, si cruenta,si tetra,mundabo. Hæc est nix intelligibilis, de qua ait quod domini Iesu in Euangelio refulserint uestimenta sicut nix: eo quòd peccatum nō cognouerit: caro enim qua se induit,ab omni fuerat munda delicto. Quid miraris si uidit baptismatis sacramenta? cùm supra dixerit,ubi descripsit passionem domini: Dominus pascit me,& nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit,super aquam refectionis educauit me. Et alibi: Vox domini super aquas,deus maiestatis intonuit. Et de ipso sacramē to plenius dixit: Parasti in conspectu meo mensam,impinguasti in oleo caput meum,& poculum tuum inebrians,quàm præclarum est.

Esai. 1 Matt. 17 Psal. 22 Ibid. 28 Ibid. 22

Quomodo dicantur exultare ossa humiliata propter peccatorū remissionē.

Et quomodo rogandus sit deus ut nō quidem respiciat, faciem autem suam à peccatis nostris auertat ea delendo. Cap. XIII.

M Erito ergo iste quoq; exultans ait: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Probasti domine Iesu quia nunquā uerba tua præterient. Probasti illud Euangelicū quod dixisti: Multi prophetæ & iusti uoluerunt uidere quæ uos uidetis,& audire quæ uos auditis. Ecce Dauid solo lætatur auditu,quia futura esset peccatorū remissio:& prophetat quia exultabunt ossa humiliata. Sicut enim omnia iusti ossa dicēt,Domine,quis similis tibi? sic exultabunt ossa humiliata. Humiliantes scilicet animā suam iusti dicūtur,ergo ossa uirtutis dicūtur: ossa enim uelut quidā animi motus: qui motus humilianē peccatis,sed exultāt gratiæ cœlestis munere. Dicuntur & ossa populi Ecclesiarū. Vnde habes dictū & in Psalmo: Nō est absco ditū os meum,quod feciſti in abscondito. Os suum Ecclesiā dixit,& plebis deotæ conuentus sacros,quoniam sumus membra corporis Christi de carne ipsius, & de ossibus eius. Hoc igitur dicit,quia Ecclesia domini omnia opera diuina cognoscet,& fidem resurrectionis accipiet. Sequitur: Auerte faciem tuam à peccatis meis,& omnes iniquitates meas dele. Vsitata est deprecatio,ut eos quos læsimus,obliuiſci offensionis propriæ postulemus. Moraliter ergo deum rogat Propheta ut auertat faciem suam à peccatis eius,& tanquam obliuia peccatorū eius assumat. Sed quia omnia spectat,& nihil eū præterit,obliuiſci nō potest: sicut nos,quos breui interuallo tēporis eorum quæ cognoueri mus,memoria subterfugit. Ideo bene agit ut faciē suā auertat, nō ab ipso,ne deficiat dominus,illuminat:& in uultu domini pietas atq; indulgētia est. Ideoq; hic ipse ait: De uultu tuo iudicium meum prodeat. De uultu enim domini uenia,non pœna procedit. Rogandus est ergo ut nos aspiciat,auertat autem faciem suā à peccatis nostris,ut deleat ea. Quæ enim non aspicit,delet:& quę deleuerit,ea à memoria sepelientur,sicut ipse dominus ait: Ego sum ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autē memor esto,& iudicemur. Peccatum autem aut donatur, aut deletur,aut tegitur. Donatur per gratiā,deletur per sanguinem crucis,tegitur per charitatē. Similiter & iniquitas,quæ æstimatur habitudo mētis iniustæ: licet Ioannes in Epistola eum qui fecerit peccatum, & iniquitatem feciſſe dixerit,sicut habemus scriptum: Omnis qui facit peccatū, & iniquitatem facit: Peccatū est iniquitas,quia in peccato ipso iniquitas est. Tamen ut nobis uigo ut ipsa iniquitas deleatur,excidatur radix & seminariū peccatorū: mala tollat radix, ne malos fructus ferat: aboleatur erroris omnis affectus, uniuersa iniquitatū genera tollātur. Itaq; quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina, imprudentiā tollit,

Psal. 50 Matt. 24 Matt. 13 Psal. 34 Ibid. 138 Ephe. 5 Psal. 50 Psal. 16 Esa. 43 1. Ioan. 3

& scientia ignorantiam: sic perfecta uirtus iniquitatem, & remissio peccatorũ delet om-
Coloss. 2 ne peccatum. Vnde præclare Apostolus ait: Quia donauit nobis peccata dominus Iesus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum inquit, de medio tulit, affigens illud cruci. Deleuit sanguine suo atramentum Euæ, deleuit obligationem hæreditatis obnoxiæ. Fides igitur peccatũ minuit. Et ideo dominus dimittens pec-
Matth. 9 cata dicebat: Fiat tibi secundum fidem tuam.

De postulatione Prophetæ ut cor mũdum sibi creet. Et quomodo in eo in quo cor mundum est, innouetur in eius interioribus spiritus eius. Quomodo etiam peccator proiiciatur à facie dei. Cap. XIIII

Pſal. 50 C Or mundum crea in me deus, & spiritũ rectũ innoua in uisceribus meis. Superius mundari ab occultis se petit, hic postulat cor mundũ creari sibi, quod ei prouenit qui renouatur spiritu. In nouo enim homine cor mundum est, in quo ueterũ delictorũ fuerit deleta colluuies, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies. Grande autẽ munus, cordis esse mundi. Vnde pulchrè Salomon: Quis gloriabitur castum se habere cor? Et dominus in Euangelio: Beati mundo corde, ipsi enim deũ uidebunt. Propterea etiã Dauid cor mundũ habere cupiebat, ne à facie domini proiicere-
Prouer. 20 Matth. 5 tur. In quo autẽ cor mundũ est, innouatur in eius interioribus spiritus. Viscera enim uelut interiora sunt animæ. Sicut enim uiscera sunt interiora corporis, ita sunt & intelligibilia uiscera animæ, ut sunt uiscera misericordiæ, ut sunt interiora quæ benedicunt dominum, de quibus ait: Benedic anima mea dominũ, & omnia interiora mea nomẽ sanctũ
Pſal. 102 eius. Viscera aũt animę adinuẽtiones sensuũ sunt, bonæ cogitationis studia, uirtutũ peruerſitia, postremo illæ quæ Græcè εὐνομίαι dicunt. Rectus autẽ spiritus, qui bene dirigit, qui deducit in uiã rectã, hic est spiritus ueritatis, uel certè recta hominis conscientia nullis inflexa peccatis, uel spiritus qui in homine est. Non prætermisimus quid alij sentiant, tamẽ nobis uidetur, quoniã de mysterijs dicit lectio, & futuræ gratia renouationis
Ibidem 50 exprimit, spiritusq; sancti infusio postulat. Deniq; sequit: Ne proiicias me à facie tua, & spiritũ sanctum tuũ ne auferas à me. Si quis nos offenderit seruulorũ, auertere ab eo uultum solemus. Plerisq; autẽ diuitũ amandare consuerũt mancipia sua, & per agellos relegare, & hæc pœna grauior æstimat. Deniq; solent magis se offerre uerberibus. Si apud homines hoc graue ducitur, quanto magis apud dominũ deum nostrũ? Quasi nõ hinc dolor parricidalis, reprimendus quidem si qua eum pietas tẽperare potuisset, eruperit,
Gen. 4 quod faciẽ suam deus à Cain muneribus auertit, respexit autẽ super munera Abel. Itaq; tacito uultu alterũ innocentẽ pronunciauit, alterum peccatorẽ. Ergo quasi ultimus seruus humiliat se: & quasi in peccato deprehensus, & offensæ reus, obsecrat ut flagelletur potius, quàm proiiciatur à facie domini. Quomodo proiiciat deus à facie sua, audi dicẽ-
Matth. 25 tem: Tollite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Qui nõ emen-
Pſal. 26 datur à facie eius, in tenebris constituit. Ideo iustus ne tenebras patiatur, ait: Vultum tuũ
Pſal. 108 domine requirã. Vbi enim domini uultus, ibi lumẽ est, sicut scriptũ est: Faciem tuam illumina super seruũ tuum. Deniq; ubi primũ intuitus Petrum uidit, & illuminauit. Gran-
Gen. 3 de igitur supplicium proiici à facie dei. Proiectus est Adam de paradiso, nec immerito.
Ibid. 4 ipse enim antè se absconderat à facie dei. Exiuit & Cain à facie dei, non solum post parricidale cõmissum, sed etiam postq; deum putauit esse fallendum, ut crimen negaret. Peccator igitur excluditur à facie dei, iustus autẽ dicit: Ecce ego. Deniq; ipse Dauid cum uideret interire populũ, semetipsum obtulit, dicens: Ego sum, ego peccaui, & ego pastor
2. Reg. 24 male feci. & sic ira domini mitigata est, & uenia donata. Simul ostendit quia sancti permanent, criminosi proiiciũtur. Ideoq; seruanda est nobis gratia spiritalis, ne propter peccata nostra auferatur à nobis. Nõ enim proiicitur in quo spiritus sanctus est, sed inoffenso muneris sui fructu studet se domino semper offerre, sicut ille qui dicẽti domino, Nun-
Ioan. 6 quid & uos uultis discedere? respondit: Ad quẽ ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus. Simul illud considerandum, quia nõ aufertur spiritus nisi domini uoluntate, sicut non datur nisi domini uoluntate. Qui utiq; cum datur, nõ quasi coactus operatur, sed pro sua uoluntate diuiditur, sicut scriptũ est dicente Apostolo: Hæc autem om-
1. Cor. 12 nia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Cum igitur non auferatur nisi domini uoluntate, apparet quia una trinitatis uoluntas est.

Delæ-

De lætitia salutaris, quæ redditur naturæ rationabili. Et quis dicatur spiritus principalis. Cap. XV

R Edde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Cui debetur & redditur? Redditur rationali naturæ lætitia salutaris. Lætitia autem & gaudium fructus est spiritus. Firmamentum quoq; nostrum spiritus principalis est. Denicq; is qui principali confirmatur spiritu, non est obnoxius seruituti, nescit seruire peccato, nescit fluitare, nescit errare, nec studio nutat incertus, sed firmatus in petra solido stabilitur uestigio. Quem putamus dici spiritum principalem? Plericq; spiritum rectum ad dominum referunt Iesum, qui peccatum mundi abstulit, & omne hominum genus sui sanguinis effusione renouauit: & ideo dictum est, Spiritum rectū innoua in uisceribus meis. Spiritum autem sanctum, de quo dicit: Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me, spiritum intelligunt ueritatis: spiritum uero principalem deum patrem arbitrantur. Quàm moraliter autem ait: Ne proijcias me à facie tua? Fideliter timet auferri sibi quam acceperat gratiam. Ideoq; alibi ait: Oculi mei semper ad dominum. Et inferioribus: Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorū suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nobis. Certè hic est spiritus, author & princeps, qui regat mentem, confirmet affectum, quo uelit trahat, in superiorem uitam dirigat. Sunt & qui acceperunt spiritum hominis, qui in ipso est. Ideo ait Apostolus: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in ipso est? Qui potest scire omnia, quem hominis occulta non fallunt, potest in homine habere principatum. Gal. 5 Psal. 24 Ibid. 122 1. Cor. 2

Quòd ille magnus sit fidei zelator, qui correctus à peccatis docet etiã iniquos ut se conuertant. Et quid sit liberari à sanguinibus. Cap. XVI

D Ocebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Ille præcipuus est gubernator, qui scopuloso in littore nauim gubernat. Ille doctor bonus, qui duriora acuit ingenia ad eruditionis profectum. Ille bellator egregius, dux mirabilis, qui timidiores accendit in prælium, & exploratis locorum fulcit ingenijs, ut infirma uirium commoda stationis opportunitate compenset. Ille similiter magnus etiam fidei zelator, qui iniquos docet. Vnde pulchrè ait: Docebo iniquos. Non dixit: Docebo iustos, nouerunt enim iusti uias domini, sed iniquos inquit, docebo. Denicq; author prudentiæ & magister omnium dicit: Non ueni iustos uocare, sed peccatores. Et medicus ille cœlestis, Non opus est sanis, inquit, medicus, sed infirmis. Siue igitur ex persona illius qui gentes uocauit, siue ex sua, bene posuit: Docebo iniquos uias tuas, quia cõmuare uitiosos affectus potest, propositumq; conuertere doctrina cœlestis: & operatio diuina sacrilegis pectoribus studia pietatis infundere, ut hi qui sine lege uiuebant, conuertantur ad dominum. Verùm qui antè auertebantur, regalis quoq; exemplo pœnitentiæ, qui iniquitates & acerba exercent flagitia, corrigantur: & fide atq; opere conuersi, doctrinæ remedium salutaris accipiant, ingrediãtur domini uias, in quibus nullos erroris anfractus, nulla diuerticula præcipitis prolapsionis offendant. Sicut enim bonæ uitæ specimen & uirtutis exemplar in ijs uiris est, qui inoffensa uitæ suæ tempora percurrerint, ita qui anteactis renunciantes flagitijs uel incredulitatis erroribus emendauerint cursum posterioris ætatis, his ad imitandum propositi sunt qui uel opere uel cogitatione labunt. Sequitur: Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ. Et ad Vriæ mortem potest referri, quod mandatæ necis eius conscius, ueniam tanti poscat admissi: & quamuis rex legibus absolutus, suæ tamen reus sit conscientiæ. Quibus uinculis se enodari desiderans, diuinũ sibi precatur auxilium, ut ab omni criminis perpetrati labe munda detur. Et reuera cum mitis & corde mansuetus egregia semper dederit sanctus Prophetæ suæ mansuetudinis & pietatis insignia, ita ut aduersarijs suis frequenter ignouerit, atque ab eorum nece putauerit abstinendum, nõ est mirum quod tam grauiter doleat fundi sanguinis innoxij sibi obrepsisse peccatum. Ideo liberari se à sanguinibus, hoc est à peccatis mortalibus postulauit. Laudauit dominum deum suum, iustitiam domini prædicauit. Ideoq; addidit: Exultauit lingua mea iustitiam tuam. Matth. 9

Quòd os peccatoris deus claudat, ne loquatur iustitias eius: illius aũt labia aperiat, qui accipit uerbum in apertione oris sui. Et quale sacrificium deus eligat. Qui etiam dicantur muri Hierusalem, & quid sit sacrificium iustitiæ. Cap. XVII.

Omine labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam. Qui enim
D laudat dominum, ab inimicis suis erit saluus, ut scriptum est. Et certè supra dixerat in quadragesimonono Psalmo: Peccatori aũt dixit deus, quare tu enarras iustitias meas? Cũ ergo per os suũ dixerit quod peccatorẽ prohibuerit deus suas enarrare iustitias, utiq; ipse enarrãdo iustitiã dei, declarauit commissum hoc nequaquã sibi imputatum esse peccatum. Et addidit: Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Os peccatoris deus claudit, ne loquatur iustitias dei: iusti aperit ut loquatur. Cuius ergo labia aperit, hunc peccati absoluit reatu. Illius autem aperit labia dominus, qui accipit uerbum in apertione oris sui. Vnde & Apostolus petit se adiuuari orationibus plebis, ut aperiatur sibi ostiũ uerbi ad loquendũ mysterium Christi. Linguam uero pro sermone accipimus eius qui exultat in dei laudibus. Vnde & illud sic æstimatur: Lingua mea calamus scribæ uelociter scribentis, sermo infusus Prophetæ. Quod ex persona Christi dictũ accipimus, uide ne scriba sit uelociter scribens uerbũ dei, quod animæ uiscera percurrat & penetret, & inscribat in ea uel naturæ dona uel gratiæ. Lingua aũt sit sanctum illud ortũ corpus ex Virgine, quo uacuata sunt uenena serpentis, & Euangelij opera toto orbe celebranda decursa sunt. Accedit ad euacuandũ peccatum, quod humilitate suscepit. Contriuit cor suum, quod magis sacrificium dominus elegit quàm holocausta pro peccatis, quę secundum legem offerri solebant. Deniq; supra ait: Holocausta & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce uenio, id est, non rapinam arbitratus esse me æqualem deo uenio formã serui accipiens: uenio in specie susceptionis humanæ, in ueritate crucis mortis humilitate obedientiã probaturus, ut inobedientia deleatur. Merito ergo & hic dicit: Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utiq;, holocaustis non delectaberis. Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non spernit. Et sicut supra dixi, certum est mysterio cõuenire quod ipse dominus Iesus uidetur hic quoq; ex sua persona loqui, qui superius illud personæ suæ euidenti testificatione deprompsit. Ipse enim uerus Dauid manu fortis, uerus, humilis, atq; mansuetus, primus et nouissimus: æternitate primus, humilitate ultimus: per cuius obedientiam humani generis culpa deleta, refusa iustitia est. Ipse inquam Iesus umbræ finis & legis, aduenit humilitatis magister, docere superbos sensu, & tumore cordis inflatos, ad mansuetudinẽ & simplicitatem esse migrandũ. Quomodo igitur in typo eius misterij peccatũ imputari potest, cum in ipso mysterio sit remissio peccatorũ? nisi forte ideo Dauid iniquitatem suam, peccatumq; confessus est eius admissi, ut & ipse ad remissionẽ peccati, & gratiam mysterij pertineret. Nam quid sibi uult quod uir peccatum suũ confitens, de Sion & Hierusalem psallit, dicens: Bene fac domine in bona uoluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem? nisi quia accelerare ei placet Ecclesiæ congregationem per uocationem gentium: quę non ancillæ filij, sed liberæ Hierusalem illius quę in cœlo est, fidei suæ prosapiam toto orbe diffunderet, & spiritaliũ septa murorũ doctrinæ Apostolicæ fundaret assertione. Muri itaq; Hierusalem fidei propugnacula, disputationum munimenta, uirtutũ culmina sunt. Muri Hierusalẽ Ecclesiarum cõuentus sunt toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit: Ego murus, & ubera mea turris. Et bene muri Hierusalem, Ecclesiarum conuenticula sunt, quoniam quisquis bona fide atq; opere ingreditur Ecclesiã, fit supernæ illius ciuis & incola ciuitatis quæ descendit de cœlo. Hos muros lapidum ædificat structura uiuorum. Videns igitur Hierusalem ueram & Siõ dixit: Cum direxeris in uoluntate tua Hierusalem & Sion, tunc acceptabis sacrificium iustitiæ: hoc est sacrificium corporis Christi, qui ait cum de propria passione loqueretur: Aperite mihi portas iustitiæ & ingressus in eas confitebor domino. Et in Euangelio ait ad Ioannem: Sine modo. sic enim oportet nos implere omnem iustitiam. Et infra: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Iustitia Christus est. Sacrificium ergò Christi acceptabile futurum patri asserit. Hoc est ergo de quo & supra ait: Sacrificate sacrificiũ iustitiæ, & sperate in domino. hæc est iustitia spiritalis, oblatio & holocaustũ fer-

Colos. 4

Psal. 44

Psal. 39

Philip. 2

Psal. 50

Ibid.

Cant. 8

Psal. 50

Psal. 117

Matt. 3

Ibid. 5

Psal. 4

uentis deuotionis, & infusionis spiritus sancti, quod dicit futurum, cum ad illud spiritale

domini

domini altare cœperint admoueri animæ credentium, quæ renunciantes uoluptatibus atq; delicijs, tanquam aratrum in uiſceribus ſuis ducant, ut fructus poſſint ferre piæ cul turæ. Vel certe ita, cũ benedixeris Eccleſiam ex gentibus acquiſitam, & ſpiritale ſacrifi cium iuſtitiæ cœperit frequentari, tunc & martyres ſancti, qui ſuum pro Chriſto corpus obtulerint exarandum, tanquam uituli ſacris altaribus offerentur, ſicut in Apocalypſi Ioannis ſcriptum inuenimus, quia ſub altari erant animæ eorum qui pro domini Ieſu no mine corpora ſua obtulerunt martyrio, ut Chriſti ſibi gratiam mercarentur: cui eſt ho nor & gloria, laus perpetua cum deo patre & ſpiritu ſancto à ſeculis & nunc & ſemper & in omnia ſecula ſeculorum. Amen. Apoc. 6

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GVILHELMO DVCI CLIVENSI, Iuliacenſi, Montenſi, Comiti Marchiæ, & in Rauenſpurg &c. Eraſmus Roterodamus. S. D.

NOs in opacis ſaltibus clariſſime princeps, nos in uetuſtis bibliothecis uena ri ſolemus, in quibus nuper nacti ſumus duos libellos, titulo quidem diuũ Ambroſium autorem præferentes, ſed ipſa phraſi, Ambroſianæ dictionis æmulum: uerum ita feliciter æmulum, ut dotibus aliquot præcurrat. Nam & explicat dilucidius, & minus à re digreditur, nec apte pariter ac denſe ci tandis ſcripturarum teſtimonijs, nec pietate ſententiarum, nec alluſionum gratia, nec a culeorum acrimonia, Ambroſio tot ſuſpiciendo nominibus inferior, mea quidem ſen tentia. Huius arbitror eſſe libellos duos, quos habemus Ambroſii titulo de Vocatione gentium. O nos felices, ſi theologi, quorum bona pars nunc ſophiſticis argutationibus inſenescit, huiuſmodi progymnaſmatis, in adytis arcanarum literarum ad Eccleſiaſticas conciones exercerentur. Sic enim nemo loqui poteſt, niſi qui ſcripturas diuinas omnes penitus excuſſerit, imbiberit, concoxerit, tantoq; uſu contrectarit, ut in naturam abiſſe uideantur. Habes ornatiſſime princeps duos Heroas, eximię pietatis exempla: quorum alterum deus in graue crimen prolabi paſſus eſt, ut in eo cunctis quidem hominibus, ſed præcipue principibus oſtenderet pœnitentiæ remedium: alterum facultatibus uni uerſis exutum, liberis ac nepotibus orbatum, diris etiam corporis ulceribus excruciari paſſus eſt, ut in hoc ederet omnibus inuictæ tolerantiæ formam. Grauior erat Dauidis calamitas, quàm Iobi. Hic enim externis tantum ſpoliatus eſt, incolumi poſſeſſione om nium optima, bona mente. At is qui ab amore numinis excidit, plus iacturæ fecit quàm ſi mũdum uniuerſum unà cum uita corporis amitteret. Proinde Dauid tam miſere, tam ſine fine plorans, nos admonet, quàm aduigilandum ſit, ne quid huius poſſeſſionis no bis pereat. Iobus gratias agens, docet hominem, nec in ſumma rerum proſperitate tol lendos animos, nec in quamlibet grauibus fortunæ procellis exanimari oportere, mo do hoc ſit incolume, quod unum beat hominem, nec nobis niſi noſtro uitio poteſt eri pi. Confido futurum, ut Chriſto tuam eximiam indolem moderante, nec in Dauidis la chrymas, nec in Iobi calamitatem incidas: expedit tamen ſapientis animum ad omnes caſus qui poſſunt homini accidere, præmunitum atq; inſtructum eſſe. Bene uale. Datum apud Friburgum Briſgoiæ. Kalendis Iulijs. Anno M D XXIX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS LIBER DE APOLOGIA DAVID.

NORTASSE pleroſq; Pſalmi titulus offenderit, quem audiſtis legi: quod uenit ad Dauid Nathan propheta, cum intrauit ad Bethſabee: ſimul etiam non mediocrem ſcrupulum mouere potuit imperitis, Euangelij lectio quæ decurſa eſt, in quo aduertiſtis adulteram Chriſto oblatam, eandemq; ſine damnatione dimiſſam. Nam profecto ſi quis ea auribus accipiat ocioſis, incentiuum erroris incurrit, cum legerit ſancti uiri adulterium, & adulteræ abſolutionem:

tionem: humano propemodũ diuinoq; lapsus exemplo, quod & homo putauerit adul-
terium esse faciendum, & deus censuerit adulterium non esse damnandum. Lubrica igi-
tur ad lapsum uia uel ueniæ, uel concupiscentiæ. Accedit illud, quod ipsas faces iuuent
lis lasciuiæ uidetur accendere: quia adulterium suum non erubuerit, non celauerit, sed
quadam diuini carminis prædicatione uulgarit. Quid ergo tam impudens, tam impro-
uidus sanctus Dauid fuit, ut ipse suum cãtaret opprobriũ: maxime cum ipse in alio quo-
que qui hodie decursus est Psalmus, dixerit: Vsquequo peccatores domine, usquequo
peccatores gloriabuntur? Alios de peccato gloriari prohibet, & ipse etiã sacrato carmi
ne gloriatur? Quomodo ista distinguimus? Esto tamen, Dauid petulanter errauit, num
quid & Christus errauit, ut putemus eum non rectum habuisse iudiciũ? Bene ergo qua
si ad eos Dauid hodie prophetauit dicẽs: Intelligite insipiẽtes, & stulti aliquãdo sapite.
Quomodo enim Christus potuit errare? Fas nõ est, ut hoc ueniat in sensus nostros. Qui
plantauit aurem, non audit? aut qui finxit oculũ, non considerat? Qui corripit gẽtes, nõ
arguet, qui docet hominẽ scientiam? Christus ergo interrogare culpam, & accusationẽ
iustam audire nesciuit? Christus petulantiã potuit approbare? Christus qui corripit gen
tes, arguendam adulterã non putauit? Christus qui nouit uniuscuiusq; cordis interna, et
scientiam docet legis: aut falli potuit errato, aut contra legis seriem iudicare? Et quomo
do ipse dixit: Non ueni legem soluere, sed adimplere? Christus qui condemnat occul-
ta, potuit dissimulare uulgata? Christus qui fecit tempora, potest nescire tempora? Qui
nouit cogitationes hominum uanas, non nouit etiam criminosas? Et ideo satis illis re-
sponsum sit, qui cum creatorem negare non possint, negant tamẽ potentiam creatoris;
qui cum sapientiam fateantur, insipientiã asserunt, obijciendo ei imprudentiã futurorũ.
De quo possemus latius dicere, sed alius propositus, nobis uidetur esse tractatus, & licet
diuersarum series decursa sit lectionũ, in eandem tamen assertionẽ proficiunt, & maxi-
me Psalmi titulus & Euangelica lectio. Sed quamuis cõueniat una assertio, tamen iuxta
ordinẽ lectionũ sit ordo tractatus: & ideo de titulo Psalmi prius tractandũ uidetur. Pro-
posita est historia, quæ adulteriũ habeat & homicidium. Nam ita reperimus in libro scri
ptum esse Regnorũ: quia Dauid rex, cum deambularet in domo sua, lauantem se Vriæ
uidit uxorem, amauitq; illicò, & iussit accersiri. Deinde uirum eius innocentem (ut scri
ptura inducit) bellatoribus obijci iussit acerrimis, ut ui opprimeretur hostili. Hæc facta
sunt, nec negantur. Quomodo igitur defenduntur? Bene admonet Euangelica lectio,
etiam cum peccatum appareat, sobrium tamen debere esse iudicis iudicium: ac memo-
rem unumquemq; esse oportere suæ conditionis & meriti. Sæpe enim etiam & in iudi-
cando maius peccatum iudicij est, quàm peccati ipsius de quo fuerit iudicatum. Nam si
præscriptum est à quibusdam sapientibus mundi, ut iudican do caueatur, ne maior pœ-
na quàm culpa sit, idq; seruatur: quanto magis id seruandum uidetur, ut unusquisq; de
alio iudicaturus, de se ipse prius iudicet, ne minora in alio errata condemnet, cũ ipse gra
uiora commiserit? Quis es igitur tu, qui Dauid sanctum uirum iudicas? Gentili dico, Iu
dæo dico, Christiano dico: & ideo tripertito mihi distinguendus esse uidetur tractatus,
unus aduersus Gentiles, alius aduersus Iudæos, tertius apud Christianos. Primus ergo
aduersus Gentiles mihi sermo est, qui plerunq; obiectare consuerunt: Ecce quomodo
Christiani innocentiam sequuntur, fidem præferunt, religionem uenerantur, castitatem
docent, quorum principes, & homicidia, & adulteria fecisse prodũtur. Ipse Dauid de cu
ius genere (ut dicitis) nasci Christus elegit, ipse & homicidia sua & adulteria decãtauit.
Et quales possunt esse discipuli, quorum tales magistri sunt? Quid igitur? Negamus fa-
ctum, an repudiamus magistrum? Nihil horum. Sed qui speciem obijcit, communitatẽ
consideret. Species facti est: cõmunitas naturæ. Nihil ergo mirum, si intra generalitatẽ
species est. Agnosco enim hominem fuisse Dauid, & nihil mirum: agnosco cõmune ut
homo peccet. Nec enim noua infirmitas conditionis humanæ, magisq; mirum uidetur
si homo peccato careat, quàm si peccatum incidat. Fecit igitur peccatũ sanctus Dauid,
nullo ambiguo uos tenebo, fecit adulteriũ, cõmentus est homicidiũ, & cõmentus est &
peregit. Peccauit, quod solẽt reges: sed pœnitentiã gessit & fleuit, quod nõ solẽt reges.
Rogauit ueniã, nõ arrogans potestatis, sed infirmitatis suæ cõscius: prostratus in terram
cilicio se operuit, oblitus imperij, & memor culpæ. Quẽ mihi tu huiusce modi reperias
uirum,

uirum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat: qui putet sibi quod non decet non licere, qui se legibus obstringat suis: & quod per iustitiam non licet, nec per potestatem licere cognoscat? Non enim soluit potestas iustitiam, sed iustitia potestatē. Nec legibus rex solutus est: sed si peccat, leges suo soluit exēplo. An fieri potest, ut qui de alijs iudicat, suo ipse sit liber iudicio? & in se suscipiat, in quo & alios adstringat? Bonus ergo Dauid: & multo admirabilior qui potestatē uicit, quàm qui amorē. Castitas enim corpori nonnunquā defertur, frequenter errori: potestas deo subditur: & facilius reperias qui se in amore cohibeat, quam in potestate moderetur. Non ergo ignoscis quod minus est, in quo maiora miraris? Lubrica in omnibus hominibus, & prona natura peccandi: lubrica etiam in bonis moribus licētia potestatis, & oblatio facultatis. Non enim distat ira regis ab ira leonis: sed qui stimulatum & admiscetur, peccat in animam suam. Caue ergo ne stimulet aliquis potestatē, ne cassibus anima irretita corporeis, uitio se non possit exuere. Non ergo mirū, si etiam Dauid specie lapsus est potestatis: sed multo amplius admirandum, quod fidei contemplatione reuocatur. Videtis igitur quòd potestas hæc secularis frequenter nihil prosit, & plerunq; obsit. Sæpe enim culpæ exitus, in authoritate est potestatis. Noli igitur tu quicunq; es rex, de potentia & facultate præsumere. Cor enim regis in manu domini. Noli tibi de populorum subiectione blandiri, quia non saluabitur rex per multitudinē uirtutis suæ: nec gigas saluus erit in multitudine uirtutis suæ. Non enim in altis tabernaculorum fastigijs preciosoq; tectorum culmine, sed super timentibus eum beneplacitum est domino, & in eis qui sperant super misericordia eius. Lubricam igitur uidemus ad uitia potestatem, nec tamen semper inflexam dixerim: quoniā regali potestate sublimem & Dauid legimus cultus auxisse diuinos, & Salomonem templū deo consecrasse. Nūc ilud quod perstrinximus afferamus, facultatē imperandi, incentiuum esse peccādi: & secundum historię seriem prosequamur. Non adulterasset Dauid alieni ius thori, & fœde rati pacta coniugij, nisi nudam & lauantem mulierē de domus suæ interioribus uidisset. Et ideo bene scriptū est: Non intendas in mulieris speciē: & non concupiscas mulierē. Et alibi: Ad omnes irreuerentes oculos caue: nihil de continentia tua & uirtute præsumas. Etenim fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur: & ideo causam primo peccati fuge. Nemo enim diu fortis est. Necq; fragili tantū, sed omni homini dicitur, non te uincat concupiscentia formæ: si non uis uinci, non concupiscas. Ne de te uitia coronentur: neq; capiaris oculis, neq; abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier uidetur ad precium, sed fortis ad uitium: quia mulier uirorum pretiosas animas capit. Difficile est itaq;, ut quisquam libidinis irretitus illecebris, immunis euadat. Nec mea tantum hoc sentētia difficile iudicatur: sed etiam sancti Salomonis prouerbijs impossibile iudicatum est, qui suo ductus exemplo ait: Ligauit quis ignē in sinu, uestimenta autem non comburet? uel ambulauit quis super carbones ignis, pedes autē non comburet? Caue ergo & tu, ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis & amorem accendas: ne corporeum uestimentum illō animi consumatur incendio, ac perpetuitatem resurrectionis amittas: uel certe uestigium tuæ mentis uratur, si per libidinum fauces tibi putaueris esse gradiendum. Nam qui uritur corde, comburitur corpore. Ompnibus igitur modis, lasciuæ mulieris uitandus occursus est. Et ideo prudentiam discipulam adquire tibi, inquit, ut te custodiat ab uxore aliena & fornicaria: ne te laqueis labiorum suorum teneat obligatum, & criniculis erroris inuoluat. Itaque unde debeas cauere meretricem, propheta te docuit: ut à fenestra caueas eius ingressus. A fenestra enim domus suæ intrat. Fenestra eius, est oculus: & ideo ad omnes irreuerentes oculos caue, ne per fenestram introeat amor, libido penetret. Etenim mulier fornicaria inlicit uisu amatorem: & nisi petulantem obtutum mentis animiq; compescas, mors ingreditur per fenestram. Non est desidiosa petulantia meretricis, non ociosa lasciuia: quæ facit iuuenum uolare corda, ut propriæ mentis nequeant tenere constantiam: & huc atque illuc feruido amore rapiantur. Caue ergo huiuscemodi mulierem quæ pedibus non quiescit, foris errat, insidiatur per angulos, oculis ligat, uerbis inlicit, instítis lectum intexit suum, & tapetis ab Aegypto stratis. Neque enim de cogitatione diuina, sed de seculari illecebra assumit ornatum: quæ merito uirum suum

Eccl. 26

Ibid. 26

Ibid.

dicit

dicit absentem, quoniam non potest adulterа omnis Christū habere præsentem. Vides igitur quantis retibus etiam sanctorum corda capiantur? & ideone mireris si etiam sanctus Dauid captus est. Vir quidē magnus, & qui allophylum immanē corpore, armis quoq; bellicis inhorrentē, fide uicerit: sed utinam se ipse uicisset, utinā sicut illū aduersarium strauit, sic interiorē aduersarium suum sternere ac superare potuisset. Grauior est pugna eius qui intus, quàm illius qui foris dimicat. Sed quid de solo Dauid loquor? Accersamus etiā alios ad tractatum huiusmodi, ne imbecillitatem Dauid magis, unius scilicet hominis, putemus, quàm corporeæ cōditionis fuisse infirmitatem. Sampson validus & fortis leonem suffocauit: sed amorē suum suffocare nō potuit. Vincula soluit hostium: sed suarū nō soluit nexus cupiditatum. Messes incēdit alienas: & unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ uirtutis amisit. Salomō templum deo condidit: sed utinam corporis sui templū ipse seruasset. Verū ad ipsum à quo discessit, reuertatur oratio. Triū phauit Dauid in decē milibus, sed errauit in uiginti & amplius milibus: & quia errauit, hominē se esse cognouit, cōfessus est culpā, ueniam deprecatus est, dicens ad dominū: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. Miserere mei domine, quoniā infirmus sum. Si Dauid infirmus, tu fortis es? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorū, tu potes primus esse sanctorum? Ergo si errauerunt isti, errauerunt tanquā homines: sed peccatū suum tanquam iusti agnouerūt. Si iusti pœnæ atrocioris exceperunt sententiā, tu quemadmodū tibi spem impunitatis proponis, cū scriptura dicat: Si iustus uix saluus fit, peccator & impius ubi parebit? Aduertitis ergo filij, quàm plerunq; etiā bonum propositū subruat causa peccandi: & ideo causas ipsas primo fugere & uitare debetis. Nō uis amore capi? noli in speciē mulieris intēdere: quia oculi tui cū uiderint alienā, os tuum loquitur peruersa, & iaces tanquā in corde maris, & sicut gubernator in magno turbine. Magnā enim faciunt tempestatem multitudines cupiditatū: quæ uelut in quodā freto corporis nauigantē hinc atq; inde perurbāt, ut gubernator sui animus esse non possit, die ac nocte caliginē amoris ignorans. Oculis igitur excitatur libido, sed ebrietate succendit. Omnis enim ebriosus & fornicator, paulo per fiet. Nec tibi de potentia blandiaris potandi. Noe ebriatus est, & qui nō inebriatus est diluuio, inebriatus est uino. Sed ille naturā uini ignorabat (nō enim ante potauerat) tu in illo didicisti cauere quid debeas. Loth per somnum deceptus est: & tu si non uis decipi, somnum mentis tuæ discute, ne ebrio illudat filius aut filia dormienti. Non pietas illic, sed ebrietas ridetur: nec pater illic, sed dormiens circunscribitur. Vis non aduri? noli ad ignem accedere. Vis non præcipitari? nutantia fuge, prærupta euita, caue caduca, declina labantia. Vides igitur in illis qui iusti esse meruerunt, non alteram fuisse naturā, sed alteram disciplinam. Post primi namq; hominis lapsum, iustamq; sententiam, cum in uno carnis damnatus sit appetitus, uitium traxit conditio, infecit culpa naturam, sed naturæ ipsius uitium fides temperauit, & deuotionis intentio mitigauit offensam. Conuertimini igitur ad dominum gentes, scitote quoniā dominus ipse est deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Scitote quoniā caro sumus & puluis. Relinquamus ergo quæ fecimus: & ipsum nostri ueneremur authorem, qui uitam dedit, peccata donauit, qui solus potest dicere: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates uestras, & memor nō ero. Magnus plane & misericors deus: qui beneficium confert, nec beneficij munus exprobrat. Miramini quod Dauid regem fecit, uictoremq; multarum gentium? Sic seruulos suos consuuit euehere. Non auarus munerum, nec beneficij parcus, nec gratiæ angustus & frugi: sed opulens largitatis, quos redemit à peccato, auget in præmio. Hæc aduersum Gentiles. Sed quoniam tripertitam diuisionem tractatus huius polliciti sumus, unam aduersus Gentiles, aliam aduersus Iudæos, tertiam apud ecclesiam: nunc contra Iudæos uidetur esse tractandum. Quid igitur nobis propositum sit recenseamus. Titulus inquit Psalmi. Dauid intellectus, cū uenit ad eum Nathā propheta: cū intrauit ad Bethsabee. Nempe historia hæc & adulterū Dauid inducit & homicidā, & hūc uos Iudæi dicitis esse dei filium? sed deus uirtutū est, non criminum. Et de hoc dicit deus pater: Thronus eius sicut dies cœli, qui dolum fecerit, peccata non uicerit. & quomodo scriptum est: Nemo ne peccato, nisi unus deus? Si igitur nō potest non esse deus qui dei filius est, utiq; dei filius, arbiter iustitiæ, non est obnoxius culpæ. Qua autem opinione uel Dauid dei filium iudica-

iudicatis,uel Salomonem putatis? An quia scriptum est: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis? & quia titulus Psalmi in Salomonem Psalmum septuagesimum dicit esse compositum? Sed quem Salomonem dicat aduertite. Salomon enim pacificus est:hoc habet interpretatio.Psalmus in eum dicitur,quem uere scimus esse pacis authorem. Quomodo autem Salomon pacificus? Nõ hoc Ioab sanguis ostendit,quem inter altaria templi iussit occidi: non Adoniæ pœna, quem affectatæ affinitatis regiæ reum percussit,nec matris obsecratione ab indignatione reuocatus. Quomodo autem in Salomonem Dauid filium existimatis cõuenire quod scriptum est: quia permanebit cum sole & ante lunam in secula seculorum,cum ille breuis uitæ adeptus usuram,angustis terminis uiuendi spacium transegerit? Quomodo autem de eo dicitur: Dominabitur à mari usq; ad mare, cum ille intra Syriam constitutus, hoc est intra unius regionis prouinciam,circunscriptos fines habuerit imperij? solus autem Christus usq; in orbis totius terminos suum propagauit imperiũ? Solus enim iste est, de quo bene Psalmi series prophetauit,quia reges Arabum & Saba dona adducent,& adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei. Hunc enim nouimus gentibus uniuersis & nationibus imperantẽ: incircunscripto imperio intermina potestate. Nõ ergo Salomon Dei filius.Sed qua ratione eum Dei filium putauistis? An quia sapiens fuit? Sed hic sapientiam postulauit,ut quam non habebat,acciperet:Christus ipse sapientia est, naturaliter in uniuersum habẽs, quod in rebus humanis Salomon accepit per gratiã. Denicq; quod accipitur ex tempore,in tempore possidetur.Salomon enim sapientiam nec principio sui habuit:nec in fine possedit. Neq; enim habere se credidit quod popposcit: & postea auersus à Dei cultu,nõ quasi sapiens,sed quasi insipiens lapsus est,ut offenderet. Offendit in tantum,ut etiam quod meruerat amitteret. Cur igitur hũc Dei filium credidistis? An quia templum Deo condidit? Sed hinc dominum & Deum nõ esse credere debuistis,quia scriptum est:Nisi dominus ędificauerit sibi domum,in uanum laborauerũt qui ædificant eam.In uanum laborauit,qui ædificauit id templũ,quod subiectus ignis exussit.An quia Dauid patri ipsius dictum est:Non tu ædificabis mihi domum,sed cũ tu dormieris,excitabo semen tuum post te? Verùm ibi quoq; templum non corporale nõ materiale promittitur (neq; enim Deus in manufactis habitat) sed templum est sancta Ecclesia,quæ uticq; non humana sed cœlesti uirtute fundatur.Nam si prestantioris licet,sed humanæ tamen uirtutis opera miremur,multos huiuscemodi reperiemus, quos cũ Dauid & Salomone cõparare possimus.Et ideo ubi operis æqualitas est,non est excellentia potestatis.Nec plures possumus dicere Dei filios, cum unum Dei filium legerimus: sed non ex beneficijs suis quæ in parentes nostros cõtulit, facienda est iniuria Dei filio. Multi enim præclari uiri,sed per unum Iesum Naue stetit,inquit,sol contra Gabaon. Videtis eum ultra Dauid regis processisse uirtutem. Terrenis enim Dauid, non syderibus imperauit. Videtis etiam solem ministrum esse non dominum, qui etiam uoci seruierit humanæ.Stetit tamen:quia in Iesu & typum futuri agnoscebat,& nomen.Neq; enim in sua uirtute Iesu Naue,sed in Christi mysterio cœlestibus luminibus imperabat.Designabatur enim Dei filium in hoc seculum esse uenturum, qui mundani luminis concidentis & iam uergentis in tenebras,uirtute diuina differret occasum,lucem redderet, inueheret claritatem.Enoch quoq; raptus est ad cœlum,sed tamen ille raptus est,hic regressus. Raptus est ille,ne malitia mutaret cor eius: ipsam malitiam seculi hic aboleuit. Helias curru atq; equis ascendit ad cœlũ, Christus autem descendit è cœlo: nec curru & equis ut ille conscendit:quia ille aliter nequiuit,hic autem propria uirtute remeauit. Heliseus in Iordane leprosum lauare præcepit,ut ab omni contagione mundaret:hic in Iordane totum diluit mundum. Moses ipse cui crediti sunt populi Iudæorum, aquam diuisit: & ille quidem diuisit elementa,quia non diuisit potentiã trinitatis.Separauit moles aquarum,quia patrem non separauit à filio. Videtis quanti uiri,& qualium documenta operum dereliquerint. Quemadmodum igitur quos pares Dauid regi uel Salomoni uirtute cognoscitis,conditione impares iudicatis,ut Salomonem Dauid filiũ putetis ad Dei sedere dexteram? præsertim cum ipse Dauid euidenter de quo dictum esset, expresserit. Neq; enim de filio suo diceret: Dixit dominus domino meo, sede ad dexteram meam. Quomodo enim filium suum dominũ nominaret? Lex prohibet, repugnat religio, abhorret

horret fides: ut ad dexteram Dei omnipotentis mortalem hominem loces. Alius est il-
le qui sedet ad dexteram, qui corpus suscepit, non qui cœpit à corpore: qui ante luciferu
genitus est, id est ante omnium luminum claritatem: quoniam ipse creauit uariorum lu
minum dignitates. Nam Salomon utiq; post luciferum est, Salomon sacerdos non fuit
& ideo dici ei à Domino omnipotente nō potuit: Ex utero ante luciferum genui te. Di
ci ei non potuit. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: maxime
cum illo tempore quo Salomon fuit, secundum ordinem Aaron, non secundum ordi
nem Melchisedech fuerint sacerdotes. Adhuc enim sacerdotes sanguinem hircorū atq;
taurorum pro peccatis plebis & erroribus offerebant. Postea uero quàm Christus adue
nit, qui semetipsum pro salute obtulit mundi (ut quos taurorum sanguis lauare non po
terat, Christi sanguis abluëret) semetipsos cœperūt offerre pro hostijs sacerdotes: itaq;
una quæstione dominus noster Iesus Christus omnium hæreticorum ora sepsit, sacrile-
gia conclusit. Non solum enim Iudæos, sed etiam Photinianos & Arrianos, & Sabellia-
nos hac redarguit quæstione: & ideo nobis (quoniam Iudæos defeciſſe iam cernimus,
& illam execrabilem perfidiam imminutam) iam de Arrianis qui nō multum à Iudæis
differunt, Photinianisq; & Sabellianis, aliqua in istius quæstionis tractatu perstringen-
da sunt. Taceat ergo Photinus, qui Christum Dauid filiū, non Dei dicit: & taceat, dam-
natus uoce cœlesti. Quomodo enim dicit Christum filium Dauid esse, cum ipse Dauid
dixerit in libro Psalmorum: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec po
nam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Si Dauid, inquit, dominum illum uocat,
quomodo filius est? Non ergo Dauid filius, sed Dei filius Christus. Taceat etiam Sabel-
lianus, cum legit dominum domino dixisse. Intelligat non eundem & ipsum esse, cui di
cit, & cui dicitur. Nec enim sibi pater dixit: Sede à dextris meis, nec sibi dixit: Ponam ini
micos tuos. & aliquando intelligant omnes, filium esse qui à dextris sedet: & hanc distin
ctionem inter patrem filiumq; custodiāt, ut sit distinctio patris & filij: quod alius pater,
alius filius: quia una in sede, una maiestate potestatis, sed pro copula charitatis: in quo unam patris & fi
gnitatis, nec pro ordine potestatis, sed pro copula charitatis: in quo unam patris & fi
lij intelligant potestatem, in quo & Arrius conticescat, qui cōtraria Sabellio erroris ui-
get uestigia. Audiat dominum domino dicere, audiat ad dexteram patris filium sedere,
& desinat de sermone atq; ordine hominum diuinitati facere quæstionem. Nec argu-
mentetur hic, quia pater dicit, sede: legimus enim & alibi, etiam sine patris dicto, sedere
filium, sicut scriptum est: Et sedet ad dexteram Dei. Et alibi: Amodo uidebitis filium ho
minis sedentem ad dexteram Dei. Ipse est enim cui dicitur, sede. Qui filius hominis no-
minatur, audit quasi homo: sedet, quasi Dei filius. Quid hac potest dici præcellentius po
testate, quæ etiam carnem hominis ad dexteram Dei collocauit? & infirmū illud condi
tionis humanæ (postquam tamen uerbum caro factum est) diuinitati copulauit aeter-
næ? Sed quid hoc est? Posteaquam Photinus obmutuit, Arrius conticuit, Sabellius uo-
cem perdidit, adhuc hæresin tamen diuersa contra Ecclesiam exerentem ora conspicio
nam ecce Manichæus, & Valentinianus, & omnis deriuatio Manichæorum eo telo ni-
titur, quo alij sunt perempti: & fidei præiudicium, fidei testificatione molitur. Ait enim
detestanda hæresis: Ecce negauit Christus filium se esse Dauid: & ideo, inquit, creden-
dum est quod non susceperit carnem. Quibus apertissime, in ipso principio Euangelij,
Matth. 1 scriptura respondet, cum dicit: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid. Cur igitur aut
alibi Dauid filius dicitur, aut alibi Dauid filius negatur: nisi ut intelligas aliud esse, secun-
dum substantiam diuinam esse filium: aliud secūdum carnis susceptionem? Nam secun-
dum substantiam diuinam, Dei filius est: secundum carnem, filius Dauid. Itaq; ubi gene
ratio secundum carnem describitur saluatoris, Dauid filius nominatur: ubi uero plenis-
tudo confessionis exigitur (cum designatur generatio saluatoris) nō uult se Dauid fi-
lium, sed Dei nominari. Designatio enim maiestatis, eius naturā interpretatur. Sed iam
redargutis scenicorum interpretationibus, ad Ecclesiam sermo uertendus est. Verum
quod sæpe titulum quinquagesimi Psalmi repetimus, non præsumptionis, sed infirmi-
tatis exemplum est. Vno enim die, uel per angustias ingenij, uel per fragilitatem uocis
omnem seriem non possum explere tractatus. Et ideo die superiori aduersus Iudæos no
ster sermo directus est, quos quidem eo usq; documenta fidei subegerūt, ut Christus fi-
cœlesti

cœlesti solio locaretur: quod utiq; in hominem non potest conuenire. Neq; enim alium nisi dei filium ad dexteram dei sedere, credendum est. Non alius utiq; nobis sedere ad dexteram patris nisi dei filius (remotis omnibus ambiguis) æstimandus est. Rursus quoniam scriptura habet: Ex fructu uentris tui ponã super sedem tuam, idem utiq; dei filius carnem ex Maria suscepisse credendus est, in qua prophetici fructus est uentris: ut uere successionem originis recognoscas, illumq; dei filium (factum postea filium hominis, per susceptionem scilicet carnis) in patris throno cœlestis sedere non dubites. Neq; enim Christus sedem aliquam regalem hoc habuit in seculo: ut putes aliam sedem Dauid semini esse promissam, cum ipse maxime dixerit dominus: Regnum meum non est de hoc mundo. Concussi itaq; undiq;, eò perfidiæ suæ tentamenta deriuant, ut incredibile esse asserant, quod deus susceperit carnem. Qua ratione autem non potuerit suscipere, explicare non possunt. Quæro enim, utrum impossibilitatis an iniuriæ causa existiment, carnem à deo susci pi nequiuisse. Si impossibilitatis, aliquid ergo impossibile deo. Nihil uerò est quod facere uoluerit & facere nequiuerit. Supereſt ergo ut aut uoluisse aut noluisse doceatur. Quod autem maius indicium uoluntatis, quàm quod ipse dixit: Palàm apparui non quærentibus me, expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi? Si ergo uoluit & potuit, an putamus eum causa iniuriæ noluisse? Et quam diuinitas sui sentit iniuriam? Expers enim est contumeliæ, neq; subiecta nostris est passionibus. Neq; enim caro uel detrimentum diuinitati afferre potuit uel augmentum. Qui tamen hoc obijciunt, quod dei filius carnem susci pere nõ potuerit? Si Gentiles, cur deos suos (quoniam homines fuisse negare non possunt) humana specie uisos esse testantur? An rex eorum, quem illi suis diis omnibus anteponunt, prodigiales formas potuit pro amore susci pere: Christus carnem hominis, quẽ ad imaginem sui fecit, atq; illud præstantissimum opus suum susci pere pro mundi salute nõ potuit? & pulchrius illis uidetur, propter adulterium alieni thori, quàm propter redemptionem omnium speciem carnis assumptam? Quod si Iudæus hoc obijcit, quomodo legit: Ecce Virgo accipiet in utero, & pariet filiũ, & uocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus? Quomodo legit: Ecce qui loquebar assum? Quomodo autem lectum asserit: Ecce sicut panthera & sicut ursus aporiatus occurram eis? Dei ergo filius carnem susci pere non potuit pro redemptione omnium, cũ ipsi negare non possint, quod pro nostrorum supplicio peccatorum, affectum quendam deus ferinæ crudelitatis induerit: ut qui natura pius est & misericors, nostrorum tamen scelerum atrocitate cõmotus, assumat etiam quandam sæuitiam bestiarum? Sed iam quia & superiore die & hodie Iudæis satis responsum arbitror: apud uos mihi fratres dilectissimi prophetici facti ratio præstanda est. Etenim cum primum legeretur hic Psalmi titulus, quod uenerit Nathan ad Dauid, cum intrauit ad Bethsabee, diximus plurimos serie historiæ huius offendi, & ideo tractatum eius adsumpsimus tripertitum. Diuisionemq; tractatus ita putauimus esse faciendam, ut apud Gentiles lapsus conditionis non negaretur, correctio erroris astrueretur: apud Iudæos autem ideo lapsum esse sanctum Dauid doceremus, ne amplius perfidia claudicarent, eumq; uel Dei filium desinerent credere, quem uiderent cõmuni conditione obnoxium fuisse peccato: Christiani uero, surgentis Ecclesiæ mysteria possint aduertere. Tripertita ergo diuisio facta est: una secundum naturam, alia secundum fidem, tertia secundum gratiam: nec infirmitas excludit à uenia, & fides excusat à culpa: gratiam quoq; præmissa iam dudum sacramenta conciliant. Peccauit Dauid, ne totus mundus erraret: peccauit sibi, ut nobis omnibus emendaret: postremo peccauit in corpus suum (qui enim fornicatur in corpus suum peccat) peccauit in corpus suum, ut in Christi corpore redimeretur. Ecce, quem uix defendendum putabamus, iam cernimus prædicandum. Quis enim est qui nolit diuina in se magis munera, quàm humana opera prædicari? Arbitramur enim secundum Apostolum iustificari hominem per fidẽ sine operibus legis. Iustificetur ergo ex fide Dauid, qui per legem peccatum agnouit, sed peccati ueniã ex fide credidit. Iustificetur Dauid, quia in peccato eius surrectura Ecclesiæ mysteria refulserunt. Dicit aliquis, qua ratione & adulterium & parricidium cõmiserit, dominici generis author electus à Deo. At ego aliud dico. Talis author dominici fuit corporis eligendus. Quid est enim corporatio, nisi re-

missio peccatorum? Et ideo exsors peccati esse non potuit, ut diuinam gratiã & exem-
plo præferret & nũcio. Deniq; ea dispositione Bethsabee & Thamar inter authores do-
minici generis cõputantur: quarum altera adulterium fecit, altera cõmisit incestum. Ea
dispositione & Achab & Iechonias (sicut Matthæus Euangelista descripsit) adnume-
rantur maioribus Christi: ut omnes homines redempturus, beneficium à suis maioribus
inchoaret: simul ne qui se subiecit usq; ad corporis passionem, nobilitatem captasse im-
maculatæ originis uideretur. Hominum enim ista iactantia est, non alienam gloriã sed
suam quærere: & tamen inter ipsos homines maior uirtutis quàm nobilitatis est gratia.
Simul edendum exemplum fuit, ut intelligerent omnes, maiorum probra nõ posse po-
steris esse dedecori: quod q; unusquisq; successionis maculã propriæ merito posset abo-
lere uirtutis. Vides quantos & quàm grauiter criminosos dominicæ generationis series
comprehendat: de quorum origine propter te nasci Christus non erubuit? Et hæc sicere-
das, diuinæ misericordiæ munera sunt: & hoc cœlestis insigne est potestatis. Superabun-
dauit enim peccatũ, ut superabũdaret gratia. Non fuit igitur Dauid exceptus à culpa, ut
esset electus ad gratiã. Sed iam mysteria ipsius recenseamus historiæ, & ex ipsis scriptu-
rarum fontibus hauriamus: atq; ut omnem seriem mysteriorum introspicere possimus,
textum ipsius repetamus historiæ. Sic nempe in libro Regnorum meminimus expres-
sum, quod Dauid cum lauantem uidisset Bethsabee Vriæ uxorem, adamauerit: deinde
domum uenire præceperit, quum absens esset uir mulieris. Non multo post maritũ eius
regressum esse, nunciantem euentum belli, religiosum sane & deuotum uirum, qui belli
tempore nõ putauerit sibi ingrediendam domum, quum socios bello uideret intentos,
nec domesticis in tabernaculis, sed in præliaribus tentoriis excubantes. Postea iussit Da
uid in bellum reuocatum, sub ea præceptione, ut obijceretur aduersarijs bellatoribus,
quo morte uiri liberam copiam potiendæ mulieris rex haberet. Et hic nonnulla est pec-
cati uerecundia, & pudor culpæ, quod latebram quæsiuit erroris: & iniustæ necis, nec
authoritatem sibi iure regiæ potestatis assumpsit, sed inuidiam declinauit. Culpã fateor,
sed tolerabilior est quæ premitur uerecũdia, quàm quæ insolentia prædicatur. Mortuus
est igitur Vrias, bellatoribus obiectus, sed postea ijdem qui eum peremerant, iussu Da-
uid (expugnata urbe) sunt interempti. Hæc est historiæ series, in qua profunda licet
spectare mysteria. Et quoniam Dauid nõ defendendum (neq; enim meo eget auxilio)
sed excusandum recepimus uel potius prædicandum, ne in tanto mysteriorum profun-
do uacillem, iustum est ut eius ore utar, cuius utor historia. Vtar ergo responsorio pro-
phetico dicens: Cor mũdum crea in me deus, spiritũ rectum innoua in uisceribus meis.
Nemo enim sine spiritus sancti infusione, tanta diuini recessus potest spectare mysteria.
Etenim si ille tantus Propheta, spiritus sancti petit sibi munus infundi, quid facere inbi-
mus debeo, quum præsertim Apostolus sanctus populi quoq; se putet precibus adiu-
uari, ut aperiatur ei ostium ad loquendum mysterium uerbi? O si mihi ostiũ illud Chri-
stus dignetur aperire. Pulsemus tamen. Solet enim exaudire pulsantes, quia ipse dixit:
Pulsate, & aperietur uobis. O si mihi seipse reseraret, quia Christus est ianua: ipse intus,
ipse extra, ipse uia quæ ducit, ipse uita ad quam contendimus peruenire. Veni ergo do-
mine Iesu, & aperi nobis fontes tuos, ut bibamus de aqua, quam qui bibit, non sitiet in
æternum. Vel si de fonte adhuc tuo haurire non possumus, dignare concedere ut de pu-
teo saltem haurire possimus, unde potum Samaritanæ illi, dubitanti adhuc mulieri pol-
liceris. Et tu quidem de fonte omnibus polliceris, sed dubitantibus, ut illi Samaritanæ
fons tuus adhuc altus est puteus. Bibamus & nos aquam cœlestium secretorũ. Et quo-
niam ad fontem tuũ merumus peruenire, liceat nobis imaginem saltem mysteriorum
uidere cœlestium. Itaq; nisi fallor, per prophetam spiritum sanctũ intelligimus: per adul-
teram autem, licet synagogæ fornicationes uarias æstimare. Et ideo multo ante cerni-
mus reuelatum ex spiritu sancto, ex familia Iudæorum (quorum patres, & ex quibus
Christus secundum carnem) dominum Iesum esse generandum, qui quidem quasi Iu-
dæus ex adultera familia natus est, sed quasi immaculatus ex Virgine. Erat sub lege, erat
quasi sub uiro familia Iudæorum. Abolenda fuit legis obseruantia, ut ueritas substitue-
retur & gratia. Habemus unum mysterium, accipite & aliud: ita tamen, ut memineritis
ex prima conceptione Bethsabee natum esse paruulum qui mortuus est, postea natum

esse

esse Salomonem. Illum paruulum, ex conceptione furtiua: istum uerò Salomonem, iam ex professione cõiugij. Liquet igitur per Dauid intelligi Prophetã, per Prophetam populum propheticum, ex quo & Synagoga. Primus ille qui natus est, quoniam degenerauerat à maioribus suis per flagitia formatus, & per uitia concretus populus Iudæorum, ad resurrectionis æternitatem peruenire non potuit, nec in uirum perfectum crescere, sed in exigua sensuum paruitate, & quadam uirtutis defecit infantia. At uerò ille qui postea ex legitima conceptus est copula, populus Christianus, ille sapiens atq; pacificus (hoc etiam Salomonis interpretatione referatur) ad incanam longæuæ resurrectionis ætatem, atq; ad regnum illud cœleste peruenit. Per illum autem populum lex soluta, per istum gratia reformata est. Accipite etiam tertium mysterium. Quod Dauid Hebræi dicunt, Latini humiliatum interpretantur. Quis est autem uere humiliatus, nisi ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed formam serui accipiens humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem? Hic igitur est qui significatur Dauid, excelsus per naturam, sed humiliatus per misericordiam: sublimis in diuinitate, sed mitis in corpore. Itaq; ubi humiliatus, ibi obediens. Ex eo enim nascitur obedientia, ex quo humilitas, & in eo desinit. Quum enim obediens dicitur factus usq; ad mortem (mors autem non diuinitatis, sed corporis fuit) non utiq; obedientia diuinitatis fuit illa, sed corporis: nec humilitas maiestatis illa, sed carnis. Itaq; quantum ad susceptionem corporis spectat, Apostolica lectio, in quo Christi fuerit humilitas declarauit: quod uerò ad naturam spectat diuinitatis, Euangelica lectio reserauit: quam pio prosequuti estis assensu, quum audiretis legi, dicente Dei filio: Ego & pater unum sumus. Vnum enim diuinitate sunt filius & pater: sed non unum sunt, corporis sacramentum, & diuinitatis æternitas. Nec solus tamen Apostolus humiliatum dixit esse dominum, sed ipse quoq; se humilem esse memorauit, dicens: Tollite iugum meum, quia leue est, quoniam mitis sum & humilis corde. Et tamen non sola interpretatione, sed etiam manifesta appellatione signatum est, quia scriptum est: Inueni Dauid seruum meum, in oleo sancto meo unxi eum. Et infra dicit: Pater meus es tu. &, Ego dicam illi, filius meus es tu. Ergo Dauid quem quærebamus inuenimus: seruum quidem specie, sed dominum in ueritate. Hic ergo Dauid, intra domum deambulauit suã. Quæ domus est itaq; Christi, nisi illa de qua dicit: Quia apud patrem mansiones multæ sunt? In illa ergo regia sidus uirtutum, quia per insidias serpentis, genitalibus erat naturæ suæ exuuijs destituta. Necq; enim uerisimile uidetur, ut ante domum regis mulier nudaretur, ante domum regis fœmina se lauaret: quasi locus lauacro opportunior alius esse non posset. Non quadrat, non congruit, non cum fide cõuenit: distat à uero, abhorret à sensu. Talem rex, tam petulantem, tam procacem, horrere potuit, non amare. An illa si non uiros uerecunda, nistri arcere potuerunt? Ergo si hoc cum fide non potest conuenire, quæramus quę ista sit nuda: uidelicet humana conditio, omnibus uestimentis exuta, naturę carens amictu, immortalitatis & innocentiæ spoliata uelamine. Nudus est enim, qui peccato nudatur & culpæ. Deniq; ille primus nostri generis peccator (atq; utinam solus) antequã peccaret, nudum se esse nõ sensit, postea quàm peccauit, nudum se esse uidit: & ideo tegendum foliis putauit, quia nudum se esse cognouit. Factus est igitur sibi nudus, postea quàm factus est reus culpæ. In illo nudata est omnis humana cõditio, per successionem naturæ, non solum culpæ, sed etiam ærumnæ obnoxia. Ergo ille se nudum sensit & uidit. Vnde ita est omnis nostra conditio, ut qui se nudum putauerit, nudum & uideat & sentiat. Deniq; qui diuitias concupiscit, nudus est: qui contemnit, opulentus est. Adeò suus cuiq; sensus ærumna est, & sua cuiq; uirtus expers iniuriæ est. Ergo humanã conditionem primo per legem sibi Christus in coniugium uindicauit, quam repudiauit postea. Vnde & ait: Quis liber repudij matris uestræ, quo dimisi eam? Hoc igitur genere Christus familiam suam nudam uidit, & amauit. Amat enim sanctam Christus animam. Denique amabat Iesus Lazarum & Mariam. Amabat Christus Ecclesiam suam, quamuis nudam, quamuis nullo adhuc uirtutum decore uestitam. Deniq; ut sciamus propositæ disputationi scripturarum seriem conuenire, discamus Ecclesiam nudam,

Destruit historiam.

díscamus quærentem, festínantem, & lauantem se ante domum Christi, quando baptizabat Ioannes in Iordane, dícens. Ego quidem baptízo uos aqua, in pœnitentiam, qui autem uenit post me, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare: ipse uos baptízabit spíritu sancto. Ergo quando baptízabatur plebs in pœnitentiam, Christum utiq; domui eius iam uicina quærebat, ut peruenírет ad gratiam. Quærebat ergo in Ioanne Christum Ecclesia, dícens: Adnuncia mihi quem dilexit anima mea: ipsum caussam desiderij, ipsum caussam lauacri sibi esse commemorans, sicut habes: Fusca sum & decora, filia Ierusalem, ut tabernaculum Cedar, ut pellis Salomonis. Habes caussam qua ratione se lauare gestiat, quæ fuscam se esse commemorat. Nam quasi interroganti Ioanni, qua ratione plebs multa concurrens gestíret lauarí, respondit: Fusca sum & decora filia Hierusalem. Quia fusca est, lauari desíderat: quia decora est, uideri nuda non metuit. Nolite, inquit, aspícere me, quia offuscata sum, quia non est intuitus me sol. Ergo fuscamur quando non uídemur à Christo: sed quando uidemur, albescímus. Vidit ergo eam ille cui nuda sunt omnia, & interna pectoris occulta esse non possunt, quia scrutator est renum & cordis. Nihil huic tectum, nihil est inuolutum. Vidit Ecclesiam suam nudam, & ut uidit, adamauit. Vidit nudam dilectam, & quasi filius charitatis adamauit. Videte quemadmodum inuítet, uídete quemadmodum uocet. Non hic adulterij opprobria, sed mysteria castitatis sunt. Tota es, inquit, formosa amica mea, proxima mea, & reprehensio non est in te. Ades huc à Líbano sponsa, ades huc à Líbano, transíbis & pertransíbis à Líbano fidei. Et bene à príncipio fidei. Ergo ubi fidem habes, adulterium timere non debes. Fides enim coniugij est, fraus adulterij. Sed ut adesse possit à Líbano, antè præmísit dícens: Exurge, ueni proxima mea, formosa mea, columba mea, perfecta mea. Proxima, utiq; fidei desíderio: formosa, decore uirtutis: columba, gratia spirituali. Pennæ enim columbæ deargentatæ, æternam illam significant potestatem: & columbæ uolatus, sancti spíritus præsentiam declarauit. Vocat igitur ad se eam Christus ut ueniat, quoniam spíritualibus iam precijs dotata ueniebat. Quia ecce, inquit, hyẽs præterijt, imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra. Videte quemadmodum sancta inuítetur Ecclesia. Hyems, inquit, discessit sibi, ne hyemem nuda formídet: hyemem, non temporis sed infirmitatis, quæ agrum animę fœcundum omni flore dispoliat. Est enim hyems non terreni solis, est hyems mentis, quando animo frigus inlabitur, quando uapor animi euanescit, quando soluitur uigor sensus, quando nimius humor exundat & mentem grauat, quando interior calígat aspectus. Et ideo ait dominus: Videte ne fiat fuga uestra hyeme uel sabbato. Bonum enim ut tunc dies iudicij uel mortis adueniat, quum uíget animi blanda temperies, quum cœleste mysterium serena luce resplendet, quum cor nostrum ardet in nobis. Tunc enim Christus est præsens, sicut testantur in Euangelio, Ammon & Cleopas, dícentes: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis in uia, quum aperiret nobis scripturas? Víget autem animus, quãdo etiam flos uidetur in terris. Quis est iste flos boni odoris, nisi ille qui dixit: Ego flos campi & lilium conuallium? De quo & in Esaia scriptum est: Exiet uirga de radice Iesse, & uirga ex radice eius ascendet, & flos ex uirga exiet. Radix utique familia Iudæorum est, uirga Maria, flos Mariæ, Christus. Qui quando nostra resplendet in terra, & in agro animæ redolet, uel in Ecclesia sua uernat, nec frigus possumus timere, nec pluuiam uereri, sed expectare iudicij diem. Et ideo Ecclesia ut hunc florem uideret, omni studio festinabat, sicut ipsa testatur dícens: In cubili, in noctibus quęsiui quem dilexit anima mea. Quæsiui eum, & non inueni: uocaui eum, & non exaudiuit me. Exurgam itaq; & introibo in domum, in forum & plateas, & quæram quem dilexit anima mea. Quæsiui, & non inueni eum. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, & me percusserunt, tulerunt pallium meum. Vidétis quemadmodum quærat quæ desíderat inuenire, ut non timeat uulnerari. Sed hæc uulnera non metuenda sunt, sed optanda: quia uulnera charitatis sunt, sicut ipse dicit: Vulneratę charitatis ego sum. Bona charitatis uulnera. Denique utíliora uulnera amici, quàm uoluptaria oscula inimici. Merito ergo nuda, quia pallium perdidit: aut fortassis ideo nuda, quia nonnunquam uirtutis est, opertum non habere pectus, cor non habere uelatum. Denique uelatam illam, hoc est Synagogam, quæ habebat uelamen in lectione Veteris testamenti, quod modo reuelatur, quoniam in Christo

Christo euacuatur: uelatam inquam Synagogam Christus despexit & spreuit: unde hodieq; uelamen super cor Iudæorum est positum. At uerò ea quę tota ad dominum mente conuertitur, nuda est atq; perspicua. Cum enim quis conuersus fuerit ad dominum, uelamen auferetur, ut gloriam Dei speculantes uidere possimus. Denicq; etiam alibi nudam esse, uirtutis indicium est, quia scriptum est: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quam igitur tunicam exuerit, & non inuenerit quemadmodum induat eam, de scripturis si possumus, reuelemus. Est enim quædam tunica corporalis, sunt cupiditatum quædam intexta uelamina: & ideo interdum melius est nudũ esse corpore, quàm corde uelatum. Vnde etiam Paulus nos admonet, expoliari multo esse melius quàm superuestiri, dicens alibi: Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, induite nouum qui renouatur in agnitione, secundum imaginem eius qui creauit eum. Ergo quæ expoliata est, & pedes lotos habet, nescit quemadmodum inquinari possit. Obliuiscitur enim per gratiam, quod hauserat per naturam. Magnus igitur hic & iustus amor mulieris, ante Dauid regiam se lauantis. Sed non solum lauit, sed etiam uocauit, ut in eodem accepimus libro, dicente sancta Ecclesia: Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in uineas, uideamus si floruit uitis. Non solum igitur lauat, sed etiam Christum ad se uenire prouocat & inuitat dicens: Tibi dabo ubera mea. Nec sua tantum, sed etiam noua ac uetera pollicetur, sicut habes: Noua & uetera frater meus seruaui tibi. Et quasi amoris impatiens, quærit adminiculum alicuius, à quo Christus rogetur ut ueniat. Videte æstuantem, uidete desiderantem. Quis dabit, inquit, te frater mi lactentem ubera matris meæ? Et qua ratione quærat, & qua gratia inuitet, & quemadmodum possit tenere demonstrat, quemadmodũ foris morantem expectet ostendit, & ut domum suam ingrediatur, implorat dicens: Inueniens te foris osculabor te, assumam te, & adducam te in domum matris meę, & in secretum eius quæ concepit me. Vides quemadmodum nuda sit, quæ non potest tectum habere secretum intemeratæ utiq; naturæ, secretum intimæ conscientiæ, non resignatum aliqua temeritate uitiorum. Hortus enim clausus, est Ecclesia sancta & immaculata uirginitas, quæ ideo hanc gratiam meretur à Christo, quia uerbum Dei quęsiuit, desiderauit, inuenit, aduigilans ante ostia sapientiæ, sicut ipsa dicit: Beatus uir qui audit me, & homo qui uias meas custodierit, aduigilans meis ostiis quotidie, custodiens postes mei introitus. Exitus mei, exitus sunt uitæ. Sic Ecclesiæ suæ Christus speciem concupiuit, & parauit sibi eam uxorem adscire. Sed quia erat sub lege (sub lege enim Petrus, Ioannes, cæteriq; Apostolici uiri) prius nos obseruantiæ corporalis uinculis relaxandos putauit. Quamuis enim lex religiosa, lex iusta, sicut Vriæ persona inducitur (qui tam religiosus & castus fuit, ut regressus è bello uxorem non recognosceret nec intraret ad eam) tamen quia Vrias in Dauid, hoc est uiro humili, copulam cognouit Ecclesiæ, à Synagogæ coniunctione discedens, lo cum futuris nuptiis præparauit. Vnde & Ioannes typum accepit legis, qui quamuis esset ex patribus, parari uias domini nunciauit, & Ecclesiæ copulam prophetabat: & ideo occisus inducitur, ut defectum legitimæ obseruationis ostenderet. Lex enim & Prophetæ usq; ad Ioannem. Ergo iam Vrias occisus est in typo legis, ut Synagoga legis laqueis solueretur: quoniam quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro ligata est legi: si autem mortuus fuerit uir, soluta est à lege uiri. Igitur uiuente uiro, uocabitur adultera, si iuncta fuerit alteri uiro. Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ita ut non sit adultera, si fuerit cum alio uiro. Ergo non adultera humana conditio, quæ licet sub lege fuerit, tamen abolita quodammodo obseruantia legis, in gratiam uindicata est. Legis autem obseruantiam non Christus aboleuit: unde & Vrias non Dauid occidit, sed occidi à bellatoribus passus est: hoc est profanari ritum obseruantiæ ex lege uenientis, per incursionem Barbarorum & captiuitatem Iudæorum passus est Christus. Denique Vrias, lux mea dicitur. Qui autem Christi lux, nisi Lex & Euangelium? Si enim crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Quia lux Christi in lege præcessit, cuius postea in Euangelij gratia quasi in heptamyxo spiritu uniuersa mundi huius impleuit. Huic ergo legi carnem sustulit, Ecclesiam sibi iunxit, cuius legis lumen populus hostilis imminuit, quando Legis sancta uiolauit. Imminuta ergo lux

Dei est in populo Iudæorum, quia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Superest adhuc & quartum mysterium, quod quæso placidis accipiatis auribus, & mentem nostram non uerba pendatis: non enim in uerbo est regnum Dei, sed in uirtute. Adulterium factū est, & homicidium factum. Hoc est quod dictum est ad Prophetam: Sume tibi baculum nucinum. Et alibi uirgam nucinam legimus, per quam intelligimus ius quoddam & summam prophetię, quæ more nucis foris amara, in cortice dura, in medio tenera, intus est fructuosa. Et si igitur in historia amariora auditis, in typo dura cognoscitis, sperate tamen in mysterio fructuosa. Adulterium, inquam, in typo salutis est factum: nō enim adulterium omnemdamnandum est. Deniq; ad Prophetam dictum est: Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus iubet cum ea quæ fornicaria fuerit esse coniugium: cuius coniugij (ut supra diximus) partus est Christus. Nanq; filio qui ex fornicatione est natus, à domino nomē impositum est Iezrahel, quod est diuina generatio. Si ergo pia illa copula fornicariæ, etiam ista utiq; pia societas adulteræ, copula est. Sed illa de Iudæis: de diuinis autem non audeo, licet pium, adulterium nominare, ne quem uel sonus sermonis offendat, licet sensus ueneratior in promptu sit: quod potest tamen cautius dici, & si non expressius, ex disparibus copulis contubernium pium factum est: uerbum scilicet caro factū est. Non sunt legitima consortia diuinitatis & carnis: nec ut quodam fœdere conueniente naturæ, caro animæ & anima carni, ita etiam diuinitas & caro iusti seruant quodāmodo thorī legem. Suscepit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus. Deniq; ut scias esse mysterium, interpretare uocabula. Dauid enim accipis in typo Christi, Bethlahee, filia sabbati, aut filia plena, uel puteus dicitur iuramenti. Quid igitur expressius, quàm quod filia sabbati caro Christi est? quia misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Eadem plena, quia in passione eius legis est plenitudo, uel quia plena spiritus sancti. Iesus enim plenus spiritu sancto regressus est à Iordane. Eadem etiam puteus iuramenti, hoc est religionis & fidei. Et bene puteus, quia flumina de uētre eius fluent aquæ uiuæ. Hanc ergo assumens sibi Deus uerbum, copulā fecit esse legitimam, quod mysterium etiam illæ nuptiæ declararunt, quæ sunt in Canticis canticorum, quibus Christo Ecclesia, & spiritui caro nubit. Et ideo circūcursabat & quærebat ubiq; Dei uerbum, quia uulnerata, quia nuda, quia adultera in omnibus (& si immaculata in Christo) quærebat caro misera redemptorem. Hanc sibi Christus iunxit, ut immaculatam redderet: hanc sociauit, ut auferret adulterium. Et quia sub lege erat, moriendum fuit ut liberaretur à lege, ut per illam mortem, uelut quoddam legis & carnis matrimonium solueretur. Mortua est igitur in Christo caro, ut nos mortificati legi per corpus Christi (sicut Apostolus dixit) essemus alterius qui ex mortuis resurrexit, & passiones cupiditatesq; carnis, & cogitationes peccatorum, quæ per legem erant in membris nostris, in illa morte morerentur: nos autem soluti à lege mortis, quasi noua Christi copula, in nouitate spiritus resurgeremus. Et tamen qui legem in Christi carne soluerunt, eamq; putauerunt esse uiolandam, omnes iussu Dauid à bellatoribus interempti sunt. Quo iudicio ostenditur, id quod posteriora docuerunt, esse signatum, quod eorum qui Christum interfecerunt nullus euaserit: idq; euidentissime reuelatur, eos quos ante mortem assumpserat Iesus, sicut Iudæos, perisse paruulos & informes: eos uerò quos post mortem adsciuit in numerum filiorum, regno esse seruatos. Vnde iuxta hoc mysteriū conuenit, quod primus in Iudæis fuerit partus infirmus, ut postea in Christianis fieret fructus æternus. Sed iam ad nuncium transeamus. Nam superioribus diebus tractatus nobis de illo inuidioso adulterio & homicidio Dauid prophetæ fuit: decursisq; mysterijs, non solū nihil quod condemnaretur, sed etiā quod laudaretur, inuenimus. Nunc tractatus incipit esse de nuncio: quem decursi Psalmi titulus iam sæpe repetitus ostendit. Sic enim est, Psalmus Dauid intellectus, cū uenisset ad eum Nathan propheta: cū intrasset ad Bethsabee. Itaq; & hęc pars historię retexenda est, quę huiusmodi est. Diues, inquit, & pauper intra unā erat ciuitatem. Diuiti multa armenta, multę oues, pauperi una ouis, & quę de pane & uino pauperis alebat, & in sinu eius requiescebat. Venit hospes ad diuitem, diues neq; de armēto suo, nec de gregibus suis aliquid abstulit, sed unā ouem pauperis

peris occidit. Hoc ubi cognouit Dauid: Morieſ, inquit, uir ille, & reſtituet quadruplũ. Reſpondit Nathan: Tu es. Deinde aperuit ei cœleſte mandatũ, dicens mandaſſe dominum, quod multa illi bona ſublato de paſtorũ numero contuliſſet, quodq; in eum ſuam miſericordiam profudiſſet, & ideo quoniã peccato exaſperaſſet dominum, abducenda eius omnia, rapienda ab hoſtibus, depopulandam domum. Tunc ait ille: Peccaui. Et reſpondit Nathan: Quoniam peccaſſe te confiteris, remittet tibi dominus peccatum, ſed filius tuus qui natus eſt ex Bethſabee, morietur. Hoc filio ægrotãte, Dauid fleuit, humiliacuit, cilicio ſe operuit, ieiunauit: ubi mortuum cognouit, ſurrexit, lauit, cœnauit, alios cõſolatus eſt. Videte quàm multa. Primo omnium, quod Deus pius & miſericors eſt, & quæ nobis aduerſa contingunt, pro precio noſtri erroris excipimus. Didicimus igitur captiuitatem, precium eſſe peccati: hæc enim decernitur pœna pro crimine. Deinde illud aduertimus, quod regum lapſus, pœna populorum ſit. Sicut enim eorum uirtute ſeruamur, ita etiam errore periclitamur. Vnde optandũ eſt nobis, ut regem glorioſum atq; perfectum habere poſſimus. Nos ergo qui regem uolumus habere perfectum, Deũ nolumus habere perfectum? An uero illi poſſunt uelle hominem eſſe perfectũ, qui Deum nolunt eſſe perfectum? Illud etiam breuiter textus operatur hiſtoriæ, ut aduertamus quàm cito ueniæ ſpes ſequuta ſit. Non mediocre autem, quod Nathan denunciauit ei: hoc eſt inferior Propheta. Grauis enim uerecundia pudorq; delicti, ab inferiore reprehendi. Videtis quod culpa gratiã minuat? Sciebat Nathan, quod Dauid neſciebat: adeò caligat animus, obumbratus quadam nube uitiorum. Deinde hic eſt Nathan, qui in ſuperioribus Dauid acceptum domino prophetauit, ut doleret eodem redargutum eſſe peccatum, quo prophetante meritum fuerat prædicatum. Sed iam myſterium requiramus. Duo, inquit, uiri erant in una ciuitate, unus diues, & alter pauper. Quis eſt hic diues aut pauper, niſi forte unus populus Iudæorum, & alter populus Chriſtianus? Ille diues in lege, diues eloquijs Dei ſibi creditis, diues prophetis, diues oraculis: hic uero pauper. Sed nolite hãc refugere paupertatem, quam ſequitur regnum cœlorum. Scriptum eſt enim: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ. Bona paupertas, quæ quod habuerit, non amittit. Bona paupertas, quę ſi theſaurum non habet pecuniæ, habet tamen theſauros ſcientiæ atq; ſapientię. Nolite filij quaſi uilem deſpicere paupertatem. Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Nolite quaſi magnis inuidere diuitijs. Diuites egerunt & eſurierunt. Sed ſi uultis habere bona, dominũ quęrite. Inquirentes enim dominũ, non deficient omni bono. Ergo nolite recuſare omnem paupertatem. Pauper erat Petrus, & quem donaret numulũ non habebat: ſed precioſiorem omni pecunia donabat ſalutem. Pauper ille erat Lazarus in Euangelio, ſed ille qui antè in oſtro diues iacebat & purpura, optabat poſt exitũ uitę ſtillante digito pauperis refrigerari. Quãuis ille oſtro ſuperbus regio, & purpuratis ueſtibus, uulnera pauperis diues faſtidioſus horruerit, tamen in inferis locatus optabat eo loci fuiſſe quo Lazarus. Quo loco lectio non uidetur pecuniarũ diuitem pauperemq; deſcribere, ſed eum pauperem, qui pro fide & deuotione uulnera corporis non horruerit, famem ieiuniumq; toleraueritit. Dum igitur haberet populus Iudæorũ in ſuis gregibus plurimas copias hoſtiarũ, tamen unam ouiculam quam populus ille pauper habebat eripuit, glorioſæ illi ſubijciens paſſioni. Vis ſcire quam ouem? Sicut ouis ad uictimã ductus eſt. Qui pane pauperis alebatur, & potu pauperis utebatur, & in ſinu pauperis dormiebat. Noſtris enim alebatur alimentis, in noſtri pectoris gremio quieſcebat. Nam in Iudæorũ ſinu quieſcere ſe non poſſe memorauit, dicens: Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Et uenit hoſpes, inquit, ad uirum illum diuitem. Quis eſt iſte hoſpes, niſi miſerabile peccatum? Etenim culpa in hunc mundum tanquam hoſpes intrauit, aliena noſtræ & peregrina naturæ. Itaq; non de ſuis gregibus hoſtiam obtulit, ſed accepit ouiculã pauperis, & occidit. Cuius quidem paſſio licet ad ſacrificium ſalutare profecerit, tamen uidetur ille ſui fuiſſe furoris augmentum, & cibus culpæ, incentiuumq; peccati. Denicq; Iudas panem accepit à Chriſto, & tunc magis repletus eſt diabolo: quia non accepit ex fide, qui tam hoſpitali domino proditionem parabat. Et iratus eſt Dauid ad uirum illum. Diximus quod per prophetam Iudæorum populus declaretur, & ideo ſub hac figura ſe ipſe cõdemnat. Dignus eſt morte uir ille qui fecit hoc, & ouiculã reſtituet in quadruplũ: hoc eſt, periturũ

populum

populum Iudæorum,ſed cumulatioribus bonis fruiturum populum Chriſtianum:quia præſtabilior eſt præſentibus ſtatus,qui ex reſurrectione debetur. Propoſitum mihi fuit (ut meminiſſe dignamini) aduerſus eos qui homicidium adulteriumq; ſancti Dauid arguendum putant,qualicunq; meo reſpondere ſermone:& ita fauore ueſtræ unanimitatis tractatus noſtri curſus euaſit,ut prædicandus ore omnium uideretur, quem putabamus non poſſe defendi.Sed quoniã noſtro uir ſanctus auxilio non indiget,iam ipſe uobis pro ſe loquatur,& factum ſuũ ipſius oratio defendat.Miſerere,inquit, mei domine, ſecundum magnam miſericordiam tuam.Noua,niſi fallor,coniunctio iſta ſermonis, ut magna miſericordia diceretur,& non facile alibi lectum memini,& ideo quæ ſit magna miſericordia debemus aduertere. Nam & ſi magnã miſericordiã non facile legerimus, legimus tamen magnam Dei uirtutem.Et ideo cõſiderantes quæ magna ſit uirtus,conijcere poterimus, quam miſericordiam magnam uoluerit deſignare. Legimus enim in ſancto Hieremia.Quis es domine? Tu feciſti cœlum & terram,in magna uirtute tua,& brachio excelſo.Virtus ergo magna cœlum fecit.Quę eſt uirtus magna? Patris,an filij? Magna utiq; patris uirtus eſt:ipſe enim per filium cœlum fecit & terram,ſicut habes: In principio fecit Deus cœlum & terram. Sed tamen & filius magna uirtus eſt. Nam cum uirtutem patris filium legeris,ſicut habes Chriſtum Dei ſapientiam atq; uirtutem, utiq; cum uirtus patris filius ſit,magna uirtus eſt filius. Quemadmodum igitur omnipotens denegatur, quem fatemur magnam Dei eſſe uirtutem? Hæc igitur magna uirtus cœlum fecit,quia cœlum fecit & filius,ſicut habes: Omnia per ipſum facta ſunt. Ergo ſi & pater fecit & filius,utiq; facti unitas, operationis indicat unitatem. Non ergo operatio patris & filij diſcrepat.Si autem una opera, una utiq; operationis poteſtas, & maieſtas una factorum eſt.Hæc de patre & filio.Quid ergo ſilemus de ſpiritu,præſertim cum ſcriptura nos diuina non patiatur ſilere? Dat enim locus opportuniſſimum teſtimonium, ad ſancti ſpiritus unitatem cum patre & filio comprobandam, ut eius quoq; operationem ab opere patris & filij diſſociare nequeamus.Legimus enim magnam uirtutem patris eſſe,quod cœlum fecit,magnam uirtutem etiam filium eſſe, quoniam cœlum fecit, nec ſolum fecit,ſed etiam firmauit. Verbo enim domini cœli firmati ſunt. Ergo ſi & feciſſe & firmaſſe cœlum,magnæ uirtutis eſt,etiam ſpiritum ſanctum à maieſtate magnæ uirtutis ſeparare non poſſumus, quia ſcriptum eſt: Et ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum.Namq; cum cœlum fieret & terra,ſuperferebatur ſpiritus.De quo alibi ait Prophe ta Dauid:Emittes ſpiritum tuum & creabuntur.De quo etiam alibi dixit: Quoniam uidebo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Non enim corporalibus digitis Deus cœlum fecit,ſed ſpiritus gratia ſeptiformis: illo uidelicet digito, de quo habes in Euangelio:Quod ſi in digito Dei eijcio dęmonia.Hunc enim digitum alibi ſpiritum dixit, ſicut habes:Quod ſi ſpiritu Dei dæmonia eijcio. Si igitur digitus Dei ſpiritus eſt, quoniam brachiũ Dei filius eſt, utiq; ſpiritus cooperatus patri & filio,per unitatẽ operationis cœlum fecit & terrã.Ideo enim digitum filius nuncupauit,ut tanquã unius corporis, ita diuinitatis exprimeret unitatem.Itaq; ſi magna uirtus cœlũ cõdidit,utiq; magna ſapientia cœlũ condidit,quia ſcriptũ eſt:Omnia in ſapientia feciſti.Didicimus igitur quæ magna ſit uirtus,colligamus nunc quæ magna ſit miſericordia. Si magna uirtus cœlos fecit, & magna miſericordia debet eſſe de cœlo, & magna iuſticia debet eſſe de cœlo.Iuſtitia enim de cœlo proſpexit,& miſericordia uenit e cœlo. Magna ergo facta miſericordia, quia uerbũ caro factũ eſt,& habitauit in nobis. Ergo magna uirtus cœlos fecit, magna uirtus cœlos inclinauit,ſicut legimus:Et inclinauit cœlos & deſcendit. Quo oſtenditur nunquã diuinitatis ſuę exors fuiſſe Dei filius,nec cũ inter homines uerſaretur:quoniam & ſi ſuſcepit quod nõ erat,nõ deſtitit tamen eſſe quod erat.Itaq; cum dicit: Et inclinauit cœlos,& deſcendit,non tam uidet cœlos inclinaſſe,quàm ipſe de cœlo deſcendiſſe. Nã cum pater filiũ alloqueretur in terris ſitum,angeli miniſtrarent, non tam mutaſſe uideretur ſedem Dei filius,quàm tranſtuliſſe.Ergo didicimus magnam eſſe miſericordiam. Itaq; ſi magna miſericordia eſt deſcẽdiſſe de cœlo quę ſit multitudo miſerationũ diſtinguere atq; intelligere debemus.Sequit enim:Et ſecũdũ multitudinem miſerationũ tuarum dele iniquitatẽ meã.Non enim idẽ ſignificat uterq; uerſiculus:ſed illud ad incarnationem refert,hoc uero quod ſequit, ad eas referendũ uidet quas Deus in carne ſuſcepit

pit iniurias, quia ieiunauit, quia esuriuit, quia fleuit, quia uapulauit, quia crucifixus est, quia mortuus, quia sepultus est. Hæc enim carnis, nō diuinitatis insignia sunt. Et necessarium fuit, ut ærumnarū multitudinem miserationum multitudo depelleret, profuturo nobis dominicæ certamine passionis. Non enim sua peccata delebat, qui peccatum nullum fecerat: sed quia peccatū factus est, nostra erant delenda peccata, sicut Dauid dixit: Dele iniquitatem meam. Quid est dele? Videamus hoc uerbum: non enim ociosum est. Denique & alibi ait: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor nō ero. Sunt profecto altè impressa quædam conscientiæ nostræ ulcera delictorum, & quædam mentium nostrarum animorumq; uibices, quæ errorū nostrorum obducuntur ulceribus. Habet ergo culpa characteres suos & apices, quibus proditur, quod non ingenio nostro affingimus, sed prophetica authoritate signamus. Scripta est ergo, & ubi scripta sit uide. In pectore, inquit, cordis tui. Hoc est, ibi scripta est culpæ series, ubi etiã forma uirtutis: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed quæ bona sunt, non atramento scribuntur, sed spiritu Dei uiui, Quæ autem uiciosa, graphio ferreo & ungue adamantino. Talis propemodū scriptura, qualis est pœna peccati. Scribit illa graphio ferreo, hoc est uirga ferrea coercetur, sicut scriptū est: Reges eos in uirga ferrea. Alia est illa uirga recta uirga regni tui: hæc supplicio coercet noxios, illa innoxios gubernat imperio. Ergo scripta est culpa, uideamus ubi. Non foris, sed intus in corde tuo, & in pectore tuo. Sicut enim prope est uerbū in ore tuo & in corde tuo, sic infidelibus in ipso corde exprimitur figura peccati, & erroris effigies. Intus igit est culpa, intus uirtus. Et ideo dominus: Sentio, inquit, de me uirtutem exisse, ut ostenderet quæ bona sunt de interiore procedere, & cōtra, quę mala sunt de interiore prodire. Nō enim quod intrat, inquit, in os coinquinat hominem, sed quod exit de ore. De corde enim tuo cogitationes procedūt, & ideo caue ne de corde tuo malæ cogitationes prodeant, quæ te posteriore tempore arguant & accusent. Non enim Deus testimoniis ad reuincendum te argumentisq; indiget, tua te ipsum culpa accusat & prodit. Deinde bene in hoc Psalmo Dauid dicit: Et delictum meum contra me est. Væ enim mihi quod latere cupio, & latere non possum. Quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia delictorū? Nudabitur in illo iudicij die uniuscuiusq; pectus, testimonium reddente omnibus conscientia sua, & inuicem accusantibus cogitationibus aut etiã defendentibus, in die qua iudicabit dominus occulta hominū. Quis pudor ille cum prodi omnibus cœperit, quod putabamus occultum? cum aperire se cœperit uniuscuiusq; imago delicti, ut unusquisq; sui criminis serie reuincatur? Quis pudor cum illum quem despicabilem in hoc seculo iudicabas, uideris esse prælatum? illum seruum tuum, illum quem iuxta seculi huius astutias ineptū & inhabilem arbitrabaris, simplicitatis suæ diuitijs cognoueris honoratū? Ergo dum uiuimus, cōfugiamus ad eum qui potest delere peccatum. Nec uereare, quod graphio ferreo scriptū est, & ungue adamātino: hic enim portas ferreas adamātinasq; confregit. Nec timeas culpā fateri. Confessus est Dauid, agnouit iniquitatem suā, agnouit error em, & ideo ait: Quoniã iniquitatē meā ego agnosco. Dauid agnoscit, & tu nō agnoscis? Dauid fatetur, & tu negas? Paulus se nocētem clamat, & tu te innocentem asseris? Non est igitur maximis erubescendi locus, quando cū plurimis peccati mixta cōsortia sunt. Sequamur tamen studiū corrigendi. Neq; rursus paueas, ne culpę confessio teneatur ad pœnam: bonus enim & misericors Deus non solum culpā ignoscere confitentibus, sed etiã præmia corrigentibus impertire consueuit: si tamen unusquisq; sibi donari petat, quod intelligit nō latere. Dic ergo iniquitates tuas, ut iustificeris. Dei uox ista est, uolentis ignoscere: Dei uox ista est, promittentis quod tuum uelit delere peccatum. Tibi peccaui (Dauid dicit) & malum coram te feci. Hoc est, & si homines non uident, tu uides: & si homines me dijudicare nō possunt, qui participes delictorum sunt, tu tamen iudex es singulorū, qui expers es delictorum. Quamlibet in corde intimo cogitationes noxiæ lateant, coram te tamen sunt, qui potes dicere: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Nempe Christus hoc dicit. Qui ergo nouit quid in corde sit scriptum, potest delere quicquid in corde conscriptū est. Cui se fatetur noster Dauid non solum in seipso, sed etiam in primo homine peccasse, dum præcepta diuina temerantur. Quo licet aduertere fratres quemadmodū omnes hęreses, dum se impugnāt, in se recurrāt. Itaq; Arriani,

dum

dum patris & filij separant potestatem, in eum furiose exitũ disputationis incurrunt, ut cum Manichæis eorũ concurrat assertio. Illi enim dicunt, alterũ Deum esse Veteris, alterum Noui testamenti. Quam prophanam assertionem Ecclesia sancta condemnat, quę unum Deũ legit, quia unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipsum: & unus dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Vtiq; omnipotẽs potestas & una patris & filij declaratur, ut nec patrem à Noui testamenti gratia secernamus, nec rursus ab institutione mundi filiũ separemus. Deniq; cõsideremus utrum idem Deus utriusq; sit conditor testamenti. Nempe omnes in primo homine peccauimus, & per naturę successionem, culpę quoq; ab uno in omnes transfusa successio est. In quem ergo peccauit? In patrem, an in filiũ? Vtiq; in eum qui mihi credidit, quod nõ seruando peccauit. Mandatum est homini, ut ab omnibus gustaret quę erant in paradiso, sed lignũ scientię boni & mali nõ tãgeret. Adam ergo in singulis nobis est. In illo enim cõditio humana deliquit, quia per unum in omnes pertransiuit peccatũ. Video summã mihi creditam, uideo quę præuaricationis æra cõtraxerim, dum uetita & interdicta degusto. Hinc debeo cõmissæ fortis usurã, quia creditum mandatorũ cœlestium fœnus, intemerata fides seruare non potuit. Agnouimus creditũ, agnoscamus etiã creditorem. Creditoris nempe ius est ut exigat & relaxet: & ideo idem relaxat, qui ius habet exigendi. Cũ igitur in Euangelio Christus dixerit mihi: Remissa sunt tibi peccata tua, nónne eundem intelligo dominũ sortis, quem arbitrũ uenię recognosco? Aut si pater credidit & filius relaxauit, nõ per unitatẽ, ut nos dicimus, sed ut Arriani asserũt, per distantiã potestatis, alius Deus credidit, alius relaxauit. Vnde incurrunt, ut Manichæorũ perfidiã non euadant. Deinde unum dicendo bonũ Deum, aduertant quos laqueos dementię suę incidant. Si bonus est qui credidit, quomodo nõ est bonus qui relaxauit? Ergo cũ illis partem habeãt Arriani, cũ quorum adsertione cõueniũt. Nec mirũ si is qui semel deuiare cœpit à uero, nexibus se alieni erroris inuoluat. Et ideo una est sententia, quę hęreticorũ omniũ machinas destruat, ut unius potestatis, maiestatis atq; uirtutis trinitatem esse credamus, & ideo quod filius fecit, non separemus à patre, nec ab eo quod pater mandauit, filiũ segregemus. Ita enim fiet, ut nõ alterũ Deum Veteris, alterum Noui testamenti inducamus: sed per unitatem potestatis & filius in patre, & pater intelligatur in filio: & filius fœneretur in patre, & pater relaxet in filio. Nam & pater dimittit peccatũ, filiumq; dimisisse iam diximus. Accipite quia dimittit & pater. Dimitte, inquit, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vtiq; ex persona nostra hoc filius patri dicit. Nec ideo dicit, quasi dimittere ipse non possit: sed ideo dicit, ut tu unitatem potestatis intelligas. Deniq; si authoritatem quæris in filio: Iam uos, inquit, mundi estis, propter sermonem quem locutus sum uobis. Dimittit sermone, dimittit imperio: sed cum ratione dimittit, dicens: Vade, & posthac uide ne pecces. Habes authoritatem, quia uetera donauit: habes iudicium, quia futura præscripsit.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE INTERPELLATIONE DAVID.

VLTI quidem deplorauerunt infirmitatem fragilitatis humanę, excellentius tamen cæteris sanctus Iob, & sanctus Dauid. Ille superior, directus, uehemens & acer, & quasi grauibus exasperatus doloribus maiore cothurno: hic blandus, placidus atq; mansuetus, minore affectu: ut uere, quem imitandum sibi proposuit, cerui imitaretur affectum. Nec te moueat, si tantum prophetam feræ similitudine uidear prædicare, cum legeris ad Apostolos dictũ: Estote astuti sicut serpentes, simplices sicut columbę. Sed tamen quãuis istiusmodi similitudines pijs astruantur exemplis, sitq; innocens & mitis natura ceruorum, illum ceruum ad imitationem Prophetæ propositũ hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ

paternæ mentis assertor in Prouerbijs dixit, Ceruus amicitię, & pullus gratiarũ confabu
letur tibi. Verus enim dei filius in semetipso naturã quam animantibus ipse donauit ex-
pressit, qui in hunc mundũ tanquã ceruus aduenit: & cũ his se mira simplicitate iunge-
bat, à quibus ei parabãtur insidiæ. Fertur enim huiusmodi ceruorũ esse simplicitas, ut cũ
se exagitari uiderint, his sese equitibus adiungant, qui ministerio fraudis appositi, fugæ
specie ac simulatione societatis inductos, ad retia usq; deducant. Ita ergo dominus, tan-
quam ignarus periculi atq; improuidus, Iudæis dolũ sibi struentibus admiscebatur, & so
cietatem Iudæ proditoris sibi asciuit, cuius simulatione funesta, usq; ad crucis laqueos
& passionis retia peruenit. Vnde cõuersus ad eũ dixit: Iuda, osculo filiũ hominis tradis?
Et hoc quidem modò uenit ad synagogæ retia, uolensq; se induit: sed nõ implicitus est,
nec instrictus, qui omnes resoluit. Deniq; eminebat super retia. Et quia eum sui nõ susce
perãt, uocabat Ecclesiam, & suã ei gratiã cõferebat, sicut ipsa sancta Ecclesia in Canticis
protestatur dicens: Adiurauí uos filiæ Hierusalẽ in uirtutibus & fortitudinibus agri, ne
suscitaueritis, & ne resuscitaueritis charitatẽ, usquequo uoluerit. Petit ergo in odore agri
quẽ olebat sanctus Iacob, id est illa fide illa deuotione excitari sponsam suam à filiabus
Hierusalẽ ut festinet ad sponsum, & excitari eius in se charitatẽ, aut etiã ipsum excitari,
quia charitas sponsus est. Deus enim charitas est, sicut dixit Ioãnes. Sed ille nõ est passus
se ab eis excitari: quia spõte properabat, egressus de thalamo, exultauit ut gigas ad cur-
rendam uiã. Vidit eum sponsa, & uocẽ uenientis audiuit: subitoq; conuersa ait: Ecce, hic
aduenit saliens super mõtes, transiliẽs colles. Maiores enim salit, minores transilit, ne pię
festinationis impedimẽta patiatur. Similis est, inquit, cõsobrinus meus capreolæ hinnu-
loq; ceruorũ super montes Bethel. Bonus ceruus, cuius mons est domus dei, in quã tãta
celeritate currebat, ut sponsæ uota & desideria præueniret. Deniq; quẽ de longinquo ue
nientem uiderat, repente sibi adesse cognouit, unde & ait: Ecce hic est post parietẽ no-
strum, prospiciens per fenestras, eminẽs per retia. Respondit cõsobrinus meus, & dixit
mihi: Exurge, ueni proxima mea, formosa mea, colũba mea, quia ecce hyems præterijt,
imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra. Hyems, synagoga est: imber, populus Iu
dæorũ, qui solẽ uidere nõ potuit: flores Apostoli sunt. Et addidit: Messis incisionis adue
nit, uox turturis audita est in terra nostra. Messis illa, Ecclesiæ fides est: uox turturis, pudi
citia est. Nec his solis contentus, ceruí etiam similitudinẽ susc ipit Christus, quia ueniens
in terras serpentẽ illum diabolũ sine ulla sui offensione protriuit: cui calcaneum suũ ob-
tulit, sed eius uenena non sensit. Vnde dictũ est ei: Super aspidẽ & basiliscum ambula-
bis. Simus ergo & nos ceruí, ut super serpentes ambulare possimus. Erimus ceruí, si uo-
cem Christi sequamur, quæ nos & præparat ceruos, & facit morsus serpentiũ nõ timere:
ac si qui forte fuerint uulnerati, aufert eorũ dolorẽ, soluendo delictũ. De his ceruis dicit
dominus ad Iob: Custodisti partus ceruorũ, numerasti autẽ menses eorũ, plenos partus?
Partus autẽ eorum soluisti, & enutristi filios eorũ, ut non timeant. Audi quomodo nõ ti-
meant filij ceruorũ talium. Doceat te Esaias dicens: Et puer paruulus mittet manũ in ca
uernam aspidũ, & nõ illis nocebunt. Et ut agnoscas quod Ecclesiæ filios significare uide
tur, addidit: Partus autẽ eorum emittes, dirumpentur filij eorũ, & multiplicabũtur in ge
neratione, exibunt & non reuertentur retro. Nemo enim mittens manũ ad aratrũ, & a-
spiciens retro, habilis est regno dei. Merito ergo ceruus factus est dominus, ut tales sibi
ceruos dominus præpararet, de quibus ait: In nomine meo dęmonia eijcient, linguis lo
quentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit. Tollebãt
enim serpentes, cum spiritu oris sui sancti Apostoli de latebris corporũ eruerent nequi-
tias spirituales, nec uenena mortifera sentiebant. Deniq; cum exiliens de sarmentis Pau-
lum uipera momordisset, uidentes Barbari pendentẽ uiperã de manu eius, putabant re-
pente moriturũ. At ille stabat intrepidus, nec uulnere mouebatur, nec ueneno infunde-
batur. Vnde uidentes eum, non tanquã hominis cõditione genitum, sed tanquã dei gra
tia editum, supra hominẽ esse arbitrabantur. Vide ceruũ uiperam de latebris eruentem,
spiritu diuino, qui erat in naribus eius, sicut dixit dominus ad Iob. Cõuersus, inquit, Pau
lus in spiritu, & respiciens cum dolore ait ad Phytonem: Præcipio tibi in nomine domi
ni nostri Iesu Christi, cõtinuo exire ab ea. Et exiuit eadem hora. Vide ceruũ uenientem
ad baptismũ, qui sacri fontis ablutus irriguo, omnia persecutionis uenena reiecit. Vide

ceruum dominum Iesum, quando uenit ad Ioannem Baptistam, & dicente sibi Ioanne, Ego à te debeo baptisari, & tu uenis ad me, respondit: Sine modo. Et hoc dicto, in aquas (salutē sitiens publicā) tota auiditate descēdit. Sed iam satis nobis in exordio tractatus, si cut in principio anni, more uulgi ceruus allusit. Pergamus ad cętera. Interpellat (ut dixi) Dauid dicens ad dominū: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Sitiuit anima mea ad deum uiuum, quando ueniam, & apparebo ante faciem dei. Aestuat sanctus, nec sese capit. Maior animi magnificentia, quā cuiuslibet corporis magnitudo: & securus meriti, de terrenis ad cœlestia euolare desiderat, sicut & alibi dicit ipse: Quis dabit mihi pennas sicut columbę, & uolabo & requiescam? Hic enim sunt laquei, quibus & si non implicatur iustus, tamen impeditur: hic dolores & sollicitudines, illic lætitia, ibi gratia: hic postremo corporis uincula, quæ Paulus soluere gestiebat, ut omnibus exutus impedimentis, domino liber assisteret. Hoc ergo sitiebat anima Dauid, ut iam non per fidem, sed facie ad faciem deum uideret, nec solum peregrinaretur à corpore, sed corpore solueretur. Dissolui enim & cum Christo esse multo melius, quia iusto mori est lucrum: Et grande quidem lucrum carere peccato, delictorum illecebris non moueri. Quis enim mundus à sorde, quando nec unius diei uita hominis in terra caret delictorum contagio? Viuendo ergo damna contrahimus innocentiæ, morte finem erroris adipiscimur. Lucrum ergo morte acquiritur, uitæ autē usu tanquam miseris debitoribus usurarij nominis ad reatū fœnus augetur. Et bene sitit anima, quæ festinat ad fontē, non aquæ istius, sed uitæ æternæ, de quo supra dixit: Quoniā apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Merito ergo Dauid properabat peruenire & apparere ante faciē dei, cuius uultus lumen est, quia omnes quos dominus ipse actat, illuminat. Fuerūt, inquit, lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus. Ibi bene lachrymę panes sunt, ubi esurītur iustitia. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sunt igitur lachrymæ quę panis sunt, & confirmant cor hominis. Cui disputationi etiam illud Ecclesiasticum cōuenit dictum. Mitte panē tuum ante faciem aquæ, quia ubi panis cœlestis, ibi aqua gratiæ: quoniam recte accipiunt substantiā uerbi & mystícæ rationis alimentum, quibus flumina aquæ uiuæ de uentre labuntur. Similiter quoq; hic panis ibi uiuus, ubi aqua lachrymarū, & fletus est pœnitentiæ. Sic enim scriptū est: In fletu exierunt, & in consolatione reuocabo eos. Beati ergo quorū panis lachrymæ, qui ridere meruerūt, quia beati qui fletis. Horum memor, inquit, effudi super me animam meā. Sanctus sese colligit ab his quæ foris sunt, & supra se effundit animā suā, ut anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, tegat corpus ad pœnitentiā, & uirtus ubiq; animę mentisq; prętendat. Vnde & in posterioribus dicit: Effundā in conspectu eius orationem meam. Vbi effunditur oratio, ibi peccata sunt tecta. Quorū autem memorē se dicit? Eorum utiq; quæ desiderabat ut uenirent, & appareret in conspectu dei, ut eius aulā illam uideret ętернā, in qua spaciabatur animo, & præsumpto delectabatur ingressu: Quoniā ingrediar, inquit, in locū tabernaculi admirabilis usq; ad domū dei. In uoce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Non immerito flebat, quoniā uersaretur in terris, cui cœlestia tabernacula debebantur, & quem aulæ potentis expectabat introitus. Denicq; illā solā omnibus regni sui opibus præferebat, sicut ipse testificatus est alibi dicens: Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ, & ut uideam delectationem domini. Delectatio domini in Ecclesia est: Ecclesia uero est imago cœlestiū. Etenim postquā umbra præterijt, imago successit. Vmbra, synagoga est. In umbra lex, in Euangelio ueritas. Ideo in Euāgelij lumine ueritatis imago refulget. Flebat igitur prophe ta, quia differebantur plena gratiæ bona & referta lætitiæ. Denicq; & in posterioribus dicit: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et ideo interpellabat dominū, quia ad meliora properabat. In ipsis tamen afflictionibus seculi magna erat cōsolatio prętentiū, spes futurorū. Quis enim non erigeret animā, qui posset sperare, in tabernaculo cœlesti beata illa sibi cōsortia reseruari? Sed quia infirmæ cōditioni plerumq; futura tædio sunt, præsenti uexatione, ideo & sancti prophetæ insurgētibus corporis fluctibus anima turbabatur. Nolo eīm mireris si propheta animā suā dicit esse exagitatā, cū dixerit ipse dominus Iesus: Nūc anima mea turbata est. Qui eīm susceпit infirmitates nostras, nostrū quoq;

susceпit

ſuſcepit affectum, in quo & triſtis erat uſq; ad mortem, nõ propter mortem. Mors enim uoluntaria mœſtitiam habere non poterat, in qua futura erat uniuerſorum lætitia, uniuerſorum refectio. De qua & alibi dixit: Et ſurrexi, & uidi, & ſomnus dulcis factus eſt mihi. Bonus ſomnus qui fecit non eſurire eſurientes, non ſitire ſitientes, quibus ſacramentorum dulcedinem præparauit. Quomodo ergo anima eius timore turbata eſt, qui fecit aliorum animas non timere? Triſtis ergo uſq; ad mortem, donec cõſummaretur gratia, quod probatur ipſius teſtimonio, dicentis de morte ſua: Baptiſmate habeo baptizari, & quomodo angor, dum perficiatur? Turbatus igitur Dauid lubricis anfractibus ſeculi dixit: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in deo, quoniã adhuc confitebor illi, ſalutare uultus mei, & deus meus. Ergo quando anxij ſumus & ſolliciti, ſpes nos futurorum expectatione confirmet. Vide ſingula. Spera, quoniã confitebor, inquit. Non confiteor, ſed confitebor, hoc eſt, tunc melius cõfitebor, quando reuelata facie gloriam domini ſpeculatus, in eadem imagine reformabor. Subito cum ſe cõſolaretur, in ſe reuerſus ait: Ad meipſum anima mea conturbata eſt. Id eſt, qui alios confirmare debeo, ipſe cõturbor. Et quia ex me nõ habeo firmamentũ, de authore ſumamus. Propterea, inquit, memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim. Memor eſt de terra Iordanis, in qua gratia memoriã deuotionis accumulat. In Iordane Naaman Syrus ille deſcendit, & mundus à lepra factus eſt. In Iordane baptizatus eſt Chriſtus, quando formã lauacri ſalutaris inſtituit. Iordanis nomen deſcenſionis ſignificat, qua deſcendit dominus Ieſus, qui à contagio delictorum uicinos Iordanis fluminis emũdauit. Hic fluuius exit de Aegypto, & diuidit terram repromiſſionis. Ergo qui turbatur, ſi boni cõſulit, ex Aegypto exit, & ſequitur uiam lucis. Hermonim etiã uiam lucernæ interpretati ſunt. Exi ergo prius ex Aegypto, ſi uis lumen Chriſti uidere. Exiuit Chananæa à finibus gentiũ, & Chriſtũ inuenit, cui dicebat: Miſerere mei fili Dauid. Exiuit & Moyſes ex Aegypto, & ꝓpheta factus eſt & remiſſus ad populũ ut de terra afflictionis populũ liberaret. Lucerna autem in Chriſti corpore. Hæc tibi lucerna uiam mõſtrat. Vnde & ſanctus ait: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Lucerna, quod illuminauerit animas uniuerſorum, & in tenebris uiam monſtrauerit. Euangelium, uia lucernæ eſt. In umbra lucet, id eſt in ſeculo. Vnde & alibi habes, Niue dealbabũtur in Selmõ, id eſt in umbratione. Iordanis quoq; Chriſtus, qui diuidit terram. Quomodo diuidat, audi: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ad reuelandas multorũ cogitationes cordiũ: eo quod ſit noſtrarũ diuiſor animarũ, qui in intima cordis ſecreta deſcendat, & cogitationes mentium deprehendat. Hic gladius uerbũ eſt dei uiuum. Deniq; ad Hebræos ſic legis: Viuũ eſt dei uerbum & ualidum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetratq; ad diuiſionem animæ & ſpiritus, artuumq; & medullarum. Hic eſt fons Siloa, qui dicit miſſus, quoniã Chriſtus à patre dixit ſe eſſe miſſum. Eſt & illa diuiſio quæ collígitur ex eo quod utramq; ripã Iordanis tribus incoluerint Iudæo rum, quoniã filius hominis qui poſterioribus tẽporibus deſcendit è cœlo (uerus ille Iordanis, uerus ille terreſtriũ atq; cœleſtium diuiſor) poſſeſſionẽ diuiduã patribus dedit: unam quæ poſſideretur in terris, alterã quę futurę uitæ meritis ſeruaretur. Quorũ utrunq; conuenit ſoli Chriſto, uel cœleſtia diuidere, uel occulta deprehendere. Interiora enim diuidit, qui occulta deprehẽdit, quod eſt utiq; diuinitatis inſigne. Deniq; ſic habes ſcriptũ, quia dominus dixit, Lętabor & diuidã Sichimã. Hęc eſt illa magnifica portio, quã Iacob filio ſuo Ioſeph præſtantiorẽ omnibus deputauit. Vnde ait, Ego do tibi Sichimã, magnificum ſuper fratres tuos, quã accepi de manu Amorrẽorũ, in gladio meo & ſagitta. Quę diuiſio ſoli domino debetur, quæ uerbo hoc eſt ſpirituali illo ueri Salomonis gladio cõprehenditur. Quid eſt ſoli? Patri ſine Chriſto, aut Chriſto ſine patre? Minime. Cum ſolũ dico patrẽ, filium non ſeparo, quia in ſinu & ſecreto patris filius eſt. Cum ſolũ filũ dico, & patrẽ iungo, ſicut iunxit & filius dicens: Ecce uenit hora, ut me ſolum relinquatis, ſed non ſum ſolus, quoniã pater mecum eſt. Sic ergo & pater ſolus beatus & ſolus potens dicitur, ut ab eo filius non ſequeſtretur, qui in patre ſemper eſt. Deniq; præclare Ioãnes, In principio erat uerbum, ſed ſine patre non erat. Et deus pater erat, ſed ſine uerbo nõ erat, quia uerbũ erat apud deũ. Hęc Sichima Eccleſia eſt. Ipſam enim elegit Salomõ, cuius latentem ſibi elegit affectũ. Hæc Sichima Maria eſt, cuius animã gladius dei tranſit & diuidit. Hæc Sichima, eſt aſcendẽs, ſicut interpretatio habet. Quę ſit aſcendẽs, audi dicen-

tem de Ecclesia. Quę est quę ascendit dealbata innitẽs super fratrem suum? Hæc est ecclesia, quæ Græce ἀκτινώδης dicitur, quod fide operibusq; resplendeat: cuius filius dicit, Opera uestra luceant coram patre meo, qui in cœlis est. Memor ergo est dei Dauid de terra Iordanis, & Hermonim à monte modico. Quis est mons modicus? Consideremus ne forte diuinitas Christi, mons magnus. Denicq; cœlum & terram compleo dicit dominus. Si ergo diuinitas Christi mons magnus est, uticq; incarnatio eius mons exiguus est. Vtrũq; ergo Christus, & mons magnus & minor: Magnus uere, quia magnus dominus & magna uirtus eius: minor, quia scriptum est, Minorasti eum paulominus ab angelis. Vnde & Esaias dicit: Vidimus eum, & non habebat speciem neq; decorem. Idem tamẽ & ex magno minor factus, & ex minore magnus factus. Ex magno minor, quia cũ in forma dei esset, semetipsum exinaniuit, & formã serui accepit: ex minore magnus, quia dicit Daniel: Et lapis qui elisit imaginẽ, factus est mons magnus, & impleuit omnẽ terrã. Lapis hic qui sit requiris, agnosce. Lapidẽ quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Idem tamen cum & exiguus uideretur, magnus erat. Cui rei astipulatur Esaias dicẽs: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius initiũ super humeros eius, & uocabitur magni consilij angelus. Omnia propter te Christus. Lapis propter te, ut tu ædificeris: mons propter te, ut tu ascendas. Ascende ergo super montẽ, qui cœlestia petis. Ideo inclinauit cœlũ, ut tu esses uicinior: ideo surrexit in uerticẽ montis, ut eleuaret. Non immerito ergo abyssus abyssum inuocabat, ut iste mõs fieret exiguus, de quo Propheta ait: Abyssus abyssum inuocat, in uoce cataractarum tuarũ. Nõ prævalebat Vetus testamentũ ad istius mũdi redẽptionẽ: inuocabat, & quasi ad auxiliũ arcessiebat Nouũ testamentum. Clamabat Lex, annuncias Euangelium. Erat enim semiplena, & ideo erat necessarium, ut ueniret qui legẽ impleret. Finis enim legis Christus, ad iustitiã omnì credenti, qui uenit legẽ implere nõ soluere. Quomodo abyssus lex, audi Dauid dicentem: Iudicia tua abyssus multa. Simul hinc intellige, utrunq; unius esse sapientiæ testamentũ, quod quasi suum uenit implere. Cataractas autẽ intelligimus profunda uerborũ, & uim cœlestis eloquij: quæ fluxere nobis sicut imber è cœlo. Ergo remedium tædiorum omnium Christus, & scriptura diuina: atq; in tentationibus unum refugium. Denicq; ubi aduertit Dauid quod eleuationes fluctuum secularium super se uenirent (quas necesse est plurimas subeamus in istius salo uitæ) memor domini miserationũ quas innumeris promisit oraculis, ad preces conuersus interpellat deum: sciens quod misericordia eius in lucem mandatur, id est in lege, quia lex præcepta tua. In tentationibus autem, quasi in noctis tenebris, manifestatur. Vnde tanquam uiator qui repatriare desideret, & peruenire quò tendat, confragoso tamẽ uitæ huius itinere fatigatus, ducẽ arcessit, & alleuamentum obsecrat. Apud me, inquit, oratio deo uitæ meæ: dicam deo, susceptor meus es. Bene nota iam sibi quærit auxilia, & promissi authorem conuenit, atq; usitati muneris præbitorẽ: ut in subueniendo si meritũ hominis offendit, diuinũ non offendat exemplum. Dicũt aliqui. Quando suscepit eũ deus? Vt hoc astruamus, uenì mecũ ad scripturæ sacræ exordium: & uide quomodo dominus manibus suis de luto hominẽ figurauerit. Vnde & hic in posterioribus dicit: Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me. Quasi figulus quidam fabricam carnis est operatus humanæ. Et ad Hieremiam dicitur: Descende in domum figuli, & audies illic uerba mea. Figulo uticq; sæpe cõtingit, ut dum uas fingitur, cadat de manibus eius: & iterũ colligat lutũ ut uas reformet. Denicq; & Hieremias dicit: Descendi, & uidi quomodo cecidit uas, quod ipse faciebat manibus suis. Et iterũ, inquit, fecit uas aliud, quomodo placuit ei. Recte ergo susceptor dicit, qui manibus suis nos ipse suscepit, ipse plasmauit. Humani figuli uasa fuut illa, alia in honorẽ, alia in contumeliã. Omnes sumus uasa fictilia: & si rex sit aliquis, tamen fictile uas est. Vnde & Paulus, Habemus, inquit, thesaurum istũ in uasis fictilibus. Et propheta de rege dicit: Depretiatus est lechonias sicut uas, cuius opera non sunt necessaria. Et addidit: Terra audi uerbũ domini: Scribe uirum istum abdicatũ. Quasi patrio iure, deus noster filios solet abdicare degeneres: ideo & in terra eos scribit, quia filij terræ sunt. Vnde cum Iudæi accusarẽt adulteram, dominus Iesus digito scribebat in terra. Iusti autẽ non in terra scribuntur, quibus dicitur: Gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cœlo. Suscepit ergo nos dominus, quando nos finxit: suscepit & quando nos iubet nasci. Vnde & iustus ait: Suscepisti me ex utero

ex utero matris meæ. Cuius matris? Priusquam te formarem in utero noui te. Quos format, & suscipit exeuntes quoq; suscipit. Et priusquam exires de uulua matris, sanctificaui te. Susceptor est qui susceperit manibus, ut generis humani operator dicitur: & qui uisitatione susceperit, ut protegat. Vnde alibi ipse dicit propheta: Qui habitat in adiutorio altissimi, dicet domino susceptor meus es tu, & refugium meum. Prima susceptio est operationis, secunda defensionis. Denicq; audi Moysen dicentem: Extendens alas suas assumpsit eos, & suscepit eos super scapulas suas: sicut aquila suscipit, quę fœtus suos examinare consueuit, ut teneat atq; enutriat, quibus ueræ indolis partus, & incorruptæ gratiam naturæ astipulari aduerterit: aut repellat, quibus in degeneris originis infirmitatẽ in tenera adhuc ætate deprehenderit. Quare mei oblitus es, & quare me repulisti? Deus non obliuiscitur. Impossibile est enim ut obliuiscatur, cui omnia quæ sunt facta & futura præsentia sunt: sed nostra peccata meritum obliuionis ei infundunt, ut obliuiscatur eos quos indignos sua uisitatione cognouerit. Eos enim cognoscit dominus, qui sunt eius. Tamen ubi aliqui iniquitatem operantur, his dicit: Non noui uos. Quis ergo qui possit deo dicere, quare mei oblitus es? Sed tamen cõmune hoc sanctis: nobisq; inferioribus est. Sanctus dicit quasi meriti sui conscius: & tamen quo sanctior hoc humilior. Quod si uix sanctus dicit, quid ego dicam peccator, nisi ad illud referam, quare operis tui oblitus es? postremo, quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid est enim homo, nisi quia uisitas eum? Non ergo obliuiscaris infirmum. Memento domine quia infirmum me feci sti: memento quia puluerem me finxisti. Quomodo stare potero, nisi solidaturus hoc lutũ semper intendas: ut de uultu tuo solidítas mea prodeat? Cum auerteris faciem, turbabuntur omnia: si intendas, uæ mihi: non habes quod in me aspicias nisi cõtagia delictorum: nec deferi utile, nec uideri est: quia dũ uidemur, offendimus. Possumus tamẽ æstimare, quia non repellet quos uidet: quia emundat quos aspicit. Ignis ante eum ardet, qui crimẽ exurat. Bonum est ergo nobis, ut nõ repellamur. Ideo queritur Dauid, quia repulsum se credidit, qui fuerat antè susceptus. Denicq; in posterioribus dicit: In te confirmatus sum ex utero. Sed & supra scriptum habemus: In te proiectus sum ex utero: de uentre matris meæ deus meus es tu. Bonũ est & proijci, sed in deum. Denicq; ex persona Christi, hoc in uigesimoprimo Psalmo dicitur: qui uere in patrẽ de utero proiectus est Virginis. Non enim terrena eum excepere moriẽtem. Vnde in cruce positus, cũ emitteret spiritum, ad patrem ait: In manus tuas domine cõmendo spiritũ meum. Non ergo addãt domine, ut psaltæ faciunt, quod neq; in Latino codice inueni meo, neq; in Græco, neq; in Euangelio, quod est euidẽtius. Denicq; supra dixerat: Pater dimitte illis hoc peccatũ. Et ideo tanquam patri in manus eius cõmendare se spiritum suũ, in cuius sinu semper est filius: quanquam, etsi addat quod dixerit domine, considerent quod quasi homo in morte positus hoc loquatur. Ergo proiectus est de utero in patrẽ, de uentre matris suæ, hoc est, definuit quod ille uterus qui proiecit eum, uenter est matris. Pater autem dixit. Ex utero ante luciferum genui te. Non proiecit utiq; pater filiũ, à quo nunquã digressus est filius, sicut ipse ait: Traditus sum, & non egrediebar. Non proiecit eum, cui eiusdem substantiæ unitate cõnectitur. Potest ergo & sic legi: In te proiectus sum ex utero de uẽtre matris meę: ut sequatur, deus meus es tu, ne discedas à me. Potest & sic: De uentre matris meæ deus meus es tu, quoniam in utero positus à te nunquam recessi: tecum eram, qui tanquam lonas in utero ceti positus, te pro populo deprecabar. Et uere de matris suæ uentre cũ deo erat, secundum quod scriptum est: Quoniam priusquam sciret puer bonum aut malum, elegit quod bonũ est. Et antequam patrem uocaret aut matrem, uirtutẽ Damasci & spolia Samariæ deprædatus est: ut gentibus euocatis regnum patri piæ deuotionis acquireret. Videamus cætera. Quare me, inquit, repulisti, & quare tristis incedo? Dum affligit me inimicus, confringit ossa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei, dũ dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus. Quare tristis es anima mea? Et reliqua. Prima interpellatio querelam habuit, quod comperendinarentur bona quorum iam fructus desiderabatur: Secunda interpellatio, quod expectatus prudentibus Christi differebatur aduentus quẽ lex adnunciauerat, quẽ prophetæ pollicebantur: & eo impatientius estua bant corda iustorum, quoniam ad redemptionẽ cognouerant esse uenturũ uniuersorũ. Quorũ uniuersorum? Quibus Euangelico tramite uiam uirtutis aperiret, bonorumq;

operum ſemitas demonſtraret: ſicut ipſe dixit in Prouerbijs: Domínus creauit me princi
pium uiarũ ſuarũ. Ideo ergo dicebatur ei, ubi eſt deus tuus: quia adhuc nõ uenerat Chri
ſtus, ſed ſperabat. Sæuiebat ergo diabolus, ut obtereret quos ſciebat in aduentu domini
credituros: & diuerſis afflictabat exitijs. Interpellat ergo Dauid, ut morantem excitet, &
queſtu prophetico feſtinare urgeat, admoneat ſubuenire. Habemus ſimilitudinẽ huius
interpellationis etiã in poſterioribus: ubi dicit idẽ propheta: Vt quid repulíſti nos deus
in finẽ? Et ibi aperte, quod cõgregationis ſuæ oblitus ſit, & uirgam hæreditatis ſuæ abie
cerit, flebiliter deplorauit: & quod in plebẽ dei inſurrexerint eius inimici de quibus ait:
Et gloriati ſunt qui oderunt te, in medio feſti tui. Forte hic uerſiculus uideretur Aſſyrios
declarare, qui triumphauerunt populũ Iudæorũ: niſi ſequeretur, poſuerunt ſigna ſua ſi-
gna, & nõ cognoui. Signa ſemper in bello ſunt, quæ præliaturos præire cõſueuerunt, &
agmen ducere militare. Vnuſquiſq; numerus aut legio, ſigna ſua ſequitur. Et ſi diſperſi
fuerint bellorũ tumultu, eo ubi ſigna ſua proſpexerint eſſe, quãlibet longe poſiti reuer-
tuntur. Vnuſquiſq; ductor hæc ſigna cõſtituit, & ſequẽda præſcribit. Sed ſunt etiã alia ſi-
gna, quæ uictor hoſtis imponit, & tanquã captiuis obſeruanda decernit: ſed qui fidelis
eſt miles, propria ſigna ſequitur, nõ agnoſcit aliena. Quæ ſint aliena ſigna, intẽlius & in
penſius conſideremus. Signũ ſuũ poſuit deus in frontibus ſingulorũ. Ibi quoq; Antichri
ſtus ſua ſigna ponet, ut ꝓprios recognoſcat: ſed qui in occulto Iudæus eſt, ille uerus con
feſſor dicit: Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & nõ cognoui. Poſuerũt diabolus & miniſtri eius
ſed ego neſciui illa: quia nõ conſenſi artibus eius, nõ acquieui imperijs eius. Poſuit Aſſy
rius Nabuchodonoſor ſigna pueris Hebræorũ, & mutauit illis nomina: & præcepit ut
adorarent imaginẽ eius, & recederent à ſolẽnibus patrũ ſuorũ, ritusq; Chaldæos poſtha
bita dei lege ſequerẽtur. Cõſtituit hoc rex: ſed ſtatuit Daniel in corde ſuo, ut regalis men
ſæ contagia declinaret. Recte ergo ei cõuenit dicere: ſigna nõ cognoui aliena. Iuſſum e-
rat ut Hebræi pueri adorarent imaginẽ regis. Reſponderũt ei: Non adoramus imaginẽ
tuam. Aperte dixit unuſquiſq; eorũ, poſuerũt ſigna ſua ſigna, & non cognoui: id eſt non
ſum expertus, nõ ullo cõſenſu recepi, nõ aliqua ſocietate in me tranſtuli. Vnde & de dei
filio legimus, quod peccatũ non cognouit. Et alibi habes, quoniã qui cuſtodit mandatũ,
non cognoſcet uerbũ nequã: cum liquido clareat, quia nõ cognitio improbitatis, ſed ſo
cietas criminoſa ſit. Ipſe etiã Dauid in poſterioribus dicit: Declinantes autẽ malignos à
me, non cognoſcebã. Vbi autẽ uoluerint hæc ſigna aduerſarij deponere: declarat. Sicut
in uia, inquit, ſummũ, quaſi in ſylua lignorum, ſecuribus conciderunt ianuas eius in idip
ſum, in bipenni & aſcia deiecerũt illud. Quid hoc ſibi uult, niſi ut oſtendat quia fides no-
ſtra non quaſi in uia eſſe debeat, ne ueniant uolucres cœli, & auferãt eam: ſicut uerbũ il-
lud, quod legis in Euãgelio nõ debere circa uias & ſemitas ſeminari? Ergo ſancti uolen-
tes fidem huiuſce aduerſarij eradicare, qui non uident ſigna ſua in corde eius, tentauerũt
quaſi in uia, id eſt in peruio collocare. Cor autem in ſummo eſt: quia oculus ſapientis in
capite eius. Et poſuerũt ſigna quaſi in ſylua lignorũ: quæ cito exurunt igni, aut ſecuribus
cõciduntur. Exit enim ignis de ſyluis, & exurit etiã cedros Libani. Hoc autẽ faciendum
putauerunt, ut polluerẽt diuini nominis tabernaculũ, quod eſt in nobis. Sicut enim tem
plum dei ſumus, ita ſumus & tabernaculũ dei, in quo feſta domini celebrantur. Ergo tu
ô homo ſummũ tuũ cuſtodi: ut cõquaſſes capita inimicorũ uerticẽ capilli perambulan-
tiũ. In ſuperfluis enim perambulant, nõ in ſanctis. In uertice capilli, non in uertice deuo-
tionis & fidei. Et ſi ſpiritus poteſtatem habens in te aſcendat, ut habes in Eccleſiaſte, lo-
cum tuum ne derelinquas. Etenim ſuperiorem te Chriſtus conſtituit, quem ad imaginẽ
dei fecit. Tene ergo ſuperiorẽ fidei & pietatis locum, quẽ à deo accepiſti: ut ſuperior fa-
ctus, aſcendentẽ de inferioribus, hoc eſt, de terrenis & ſecularibus, ſpiritum nequam fa-
cile repellas, & ſigna eius non ſuſcipias in pectore tuo, non occupet animæ tuæ ueſtibu
la, nec introitus mentis tuæ & quaſi in ſylua lignorum ignibus ſuis caduca & fragilia po
puleť, aut ſecuribus ſuis ianuas tui cordis excindat. Sit igiť in nobis non ſylua ſed uinea,
ſit porta noſtri oris & cordis clauſa diligentius, ne hoſtis introeat. Cito deijcit ianuam, ſi
patentem eam inuenerit. At uerò Chriſtus pulſat, non deijcit, qui confortauit ô Hieruſa
lem ſeras portarum tuarũ. Chriſtus manu pulſat ut aperias, aduerſarius ſecuribus conci
dit: & ideo ſcriptũ eſt, ne ſecuris & malleus in domũ dei intret. Foris debet eſſe ſuperbia
& fallacia,

& fallacià, non intus. Foris enim pugnæ, pax intus, quæ supra omnem intellectũ est. Nõ scindatur ferro anima tua, sed ut anima Ioseph, ita ut anima tua per ferrum pertranseat, ne principale tuũ, uelut quoddam tabernaculũ uerbi, in ipso fidei principio & doctrinæ spiritualis diruatur ingressu. Fundatus enim usu atq; exercitatione, immobilis perseuerat, nec locum dat ei qui in summũ (quasi transfigurans se in angelũ lucis) conatur ascendere: qui si in nobis sua signa nõ uiderit, authoritatẽ resistendi habere non poterit. Ergo ne affligat nos inimicus, ne ossa nostra confringat, non deficiamus perseuerare in Christo, ut dicat de nobis: Triduum habent quod perseuerent mecum, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. Beatus cui ipse cordis dederit firmamentũ, ut deficere non possit in istius uitæ tramite constitutus. Non deficit qui sperat in domino, atq; ei in intimo confitetur affectu, quandoquidem eques ille cuius equi calcaneum serpens momordit, & si retrò cecidit, deceptus tñ non est, quia salutem expectauit à domino. Tertia quoq; interpellatio, quod in medio hominum nequitias exercentium constitutus, causam suã ab eorũ contagio cupiat separari. Quod multi ad dominũ Iesum referendum putant, eò quòd ipsius solius est non timere iudicium, qui uincit cum iudicatur. Habet enim à uiro in quo iudicium in quod uolens Christus ingredi, ut habes scriptũ: Populeus quid feci tibi, aut in quo contristaui te? Cæterũ cum omne iudiciũ illi dederit pater, non quasi infirmo utiq;, sed quasi filio, quod potest ipse subire iudicium? Si iudiciũ patris arbitrant filio esse subeundũ, pater utiq; nõ iudicat quenq;, sed omne iudiciũ dedit filio, ut omnes honorificent filiũ, sicut honorificant patrẽ. Pater honorat filium et tu dijudicas? Hoc eò posuimus, ne quis nos arbitraret quasi metu quæstionis in locũ domini subrogare perso nam prophetæ, quum sanctus Dauid præuidens spiritu, insurrecturos Iudæos aduersus domini passionẽ, iudicium domini non pertimescit. Discerni quoq; causam suam à persecutorũ gente deposcit, ne malis generis sui & posteritatis hæredibus, prosapia totius Iudaici generis implicet. Non immeritò ergo turbatur, qui uidet sibi aduersus carnẽ & sanguinẽ esse luctamen, atq; in seipso sibi graue esse naufragiũ, & in suo corpore tempestatem quam sustinere nõ ualeat, nisi cœleste auxiliũ suffraget. Nemo enim grauior homini hostis, q̃ domestici eius. Quid aũt tam domesticum q̃ sibi homo, & suæ carnis infirmitas? Et ideo festinat propheta, & toto precatur affectu, ut Christus aduenìat fortitudo uniuersorum, qui suscipiat omnes infirmitates, & faciat utraq; unum, ut compugnantes sibi mentis & carnis inimicitias, sublato soluat pariete, qui internum (quo minus in concordiam conueniret) diuidebat affectum. Ergo quia in seipso sibi erat pugna, erat et à proximis, qui legis & æquitatis immemores, laqueos fraudis & insidias præparabant, speratumq; differebatur remediũ, repulsum se arbitrabat, quasi recusaret uenire qui pro miserat remedio se futurũ. Et tanq; ab spe lucescentis diei in tenebrarũ profunda reuocatus, orabat ut squalorẽ huius seculi repulsura lux irradiaret, æterna adesset ueritas, quæ fallacem imaginẽ mundi huius aboleret. Affuit deus uotis, qui solet & improuisus adstere, & non rogantibus se manifestare, sicut ipse ait: Palàm factus sum non quærentibus me. Et pijs astipulatus oratibus, uotorũ seriem celeri præuenit effectu: subitoq; in ecclesia & in tabernacula sua sanctum prophetam deduxit in spiritu, atq; ante oculos eius sacrum altare constituit, in quo futura totius mundi esset redemptio, & uniuersorum toto orbe remissio peccatorum. Videns ergo in spiritu illam dulcedinem sacramentorũ cœlestium, illam mensam quæ repellit atterentium insidias, sicut ipse in superioribus dixit: Parasti in conspectu meo mensam, aduersum eos qui conterunt me, ait: Et introibo ad altare dei mei, ad deum qui lætificat iuuentutem meam. Pulchrè dixit quasi Adam, Et introibo. Eiecti eramus de paradiso domini, ex quo Adam peccati sui cõscius uultum domini declinauit. Decore quoq; addidit: Et introibo ad altare dei, quasi in conspectu dei rediret. Auersus enim erat muneribus nostris, quando Cain parricidæ illius munera nõ probauit. Latebat Cain alienus à domini conspectu, furens effera ui animi, quòd in fratris sui dominus respexerat munera, in sua autẽ non respexerat, sub offensione proprios reliquit hæredes. Occiderat aũt Abel, nõ sibi, cuius & sanguis clamabat ad dominũ, sed occiderat omnibus nobis. Nullius propè iam sacrificiũ probabat, quia nõ erat qui faceret bonitatẽ, nõ erat usq; ad unũ, quando nec deo fides, nec fratri germanitatis pietas seruata est. Venit dñs Iesus ut resuscitaret Adam. Resuscitatus est & Abel, cuius munera

placuerunt deo. Obtulit semetipsum dominus Iesus, id est, primitias corporis sui, in san-
guinis aspersione, melius loquente, q̄ sanguis Abel locutus est in terra. Respexit deus
in eius munera, ex quo ipse recõciliationis diuinæ gratiã, bonis reliquit hæredibus. Re-
ctè igitur sanctus Dauid, quasi ex persona recõciliati hominis ait: Et introibo ad altare
Dei mei, ad deum qui lætificat iuuentutẽ meam. Adstruamus hunc locum si possumus
etiam alterius prophetæ exemplo, quemadmodũ & hominis auersatus sit dominus pri
mum sacrificia, & postea sit eidem reconciliatus. Habemus in Esaiæ libro scriptũ, dicẽte
domino, Quo mihi multitudinẽ sacrificiorũ uestrorũ, dicit dominus? Plenus sum, id est,
abundo meis, uestra non quæro: holocaustomata arietũ, & adipem agnorũ, & sanguinẽ
taurorũ nolo & hircorum, nec sic ueniatis in conspectu meo. Et utiq; à fœtu pecorũ ob-
tulerat Abel sacrificium in quo placuerat deo, sed typum non requirebat, qui expecta-
bat sacrificij ueritatem. Expectabatur enim passio domini salutaris. Quis enim, inquit,
ista requisiuit de manibus uestris? Calcare regiam meam non apponetis. Et infrà, Quũ
extenderitis manus ad me, auertam faciem à uobis. Sed lauamini, mundi estote, auferte
malicià ab animis uestris. Iudicate pupillo, & iustificate uiduam, & uenite disputemus,
dicit dominus. Claret igitur quod & antè auersatus sit dominus sacrificium hominis, &
postea recõciliatus, ut respicere in nostra sacrificia dignaretur. Ideo ergo securus intrat,
qui ad domini ingreditur misericordiã. Deniq; bono seruo dicit: Intra in gaudiũ domini
tui. De seruo aũt nequam dicitur: Tollite illum in tenebras exteriores. Ideo & Adam ei
ectus de patria cœlesti & illa sede paradisi, in insulam peccati est relegatus. Rectè ergo di
cit scriptura, Renouamini insulæ, quia peccatorũ fluctibus, sicut insulæ in istius mundi
freto circumuenimur. Istæ ergo insulæ per aduentũ domini peccatorũ remissione reno
uatæ sunt, id est, homines in lauacro medij inter aquas quasi insulæ constituti, tundeban
tur undarum molibus, sicut insulæ consonoris peccatorũ relidentibus fluctibus, sicut in
sulæ in quib. antè uelut fraudiũ scopulis erant simplicibus crebra naufragia, quia dolus
erat in corde, in ore blandiciæ. At uerò posteaquã dominus Iesus, in quo dolus non est,
aduenies in hunc mundũ, cœlestis expositione doctrinæ humanarũ profunda mentiũ
serenauit, & tranquillitatẽ refudit affectibus singulorũ, auferens sepem discordiæ, quasi
quædam portuum cœpere appropinquantibus esse suffragia, ut unusquisq; nauigiũ suæ
quietis in proximi aut fratris constituat affectu, & in secessu quodam piæ mentis hęreat
litorali. Non immeritò ergo tanquã renouatus clamat Dauid, Et introibo ad altare dei
mei, ad deũ qui lætificat iuuentutẽ meam: ut qui supra se inueterasse inter inimicos suos
dixerat (uti in sexto legimus psalmo) hic ait iuuentutẽ sibi ex inueterata prolapsiõis hu-
manæ senectute renouatam. Renouamur enim per lauacri regenerationẽ, renouamur
per spiritus sancti infusionem. Renouabimur etiam per resurrectionẽ, sicut in posterio-
ribus dicit: Renouabitur sicut aquilę iuuentus tua. Quomodo renouemur, audi: Asper-
ges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Et in Esaia ait, Si
fuerint peccata uestra ut phœniceum, ut niuem dealbabo. Rectè renouatur, qui de tene
bris peccatorũ in lucẽ uirtutũ mutat, & gratiam: ut qui tetra prius colluuione sordebat,
supra niuẽ albenti nimis fulgore resplendeat. Cõfitebor tibi in cithara deus deus meus.
Habet citharam suam anima nostra. Neq; enim diceret Paulus, Orabo spiritu, orabo &
mente: psallam spiritu, psallam & mente: nisi haberet citharam quæ plectro sancti spiri-
tus resultaret. Cithara est caro nostra, quando peccato moritur, ut deo uiuat. Cithara est
caro nostra, quando septiformem accipit spiritum in baptismatis sacramento. Testudo
enim dum uiuit, luto mergitur: ubi mortua fuerit, tegmen eius aptatur in usum canẽdi,
& piæ gratiam disciplinæ, ut septem uocũ discrimina numeris modulantibus obloqua-
tur. Similiter caro nostra, si uiuat illecebris corporalibus, in quodam cœno uiuit, & uo-
ragine uoluptatum. Si luxuriæ moriatur atq; incontinentiæ, tunc ueram uitam resumit,
tunc edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis sonus est castimoniæ,
dulcis sonus timentium deum. Deniq; in omnem terram exiuit sonus eorum. Dulcis so
nus est fidei, quæ annunciatur (ut scriptum est) in uniuerso mundo. Hic sonus à nobis
exeat ad deum, sicut exiuit à Thessalonicensibus, ut etiam nõ canentes canamus, & bo-
norum concentu operum dominum prędicemus: cui est honor, gloria, perpetuitas à se-
culis & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

CAPITA

CAPITA LIBRI DE SALOMONE.

De inductione admirationis quod sapientissimus omnium hominũ Salomon propheta proposuerit tria impossibilia esse quæ scire non posset, & quartũ adhuc esse quod non ualeret agnoscere, cum tam locuples possessor sapientiæ fuerit, ut omnia cognouisse uisus sit. Et de istius admirationis solutione. Cap. I

De repetitione superius propositorũ, & apertione mysterij absconditi in primo quod Salomon testatus est se scire non posse, uidelicet uestigia aquilæ uolantis. Cap. II

De expositione mysterij quod in secundo impossibili ad sciendum occultatur, uias scilicet serpentis super petram. Cap. III

Quid mystice significetur per tertium impossibile quod Salomon se scire non posse dixit, id est semitas nauis nauigantis. Cap. IIII

De mysterio quarti, uiarum scilicet uiri in iuuẽtute, quod Salomon se nõ ualere cognoscere asseruit. Cap. V

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SALOMONE LIBER VNVS.

De inductione admirationis quod sapientissimus omniũ hominũ Salomon propheta proposuerit tria impossibilia esse quæ scire non posset, & quartũ adhuc esse quod nõ ualeret agnoscere, cum tam locuples possessor sapientiæ fuerit, ut omnia cognouisse uisus sit. Et de istius admirationis solutione. Cap. I

MIRVM satis est, dilectissimi fratres, quod in hoc capitulo sapientissimus omnium hominum Salomon propheta proposuit tria impossibilia esse quæ scire non posset, quartum adhuc esse quod non ualeret agnoscere: Vestigia aquilæ uolantis, Vias serpentis super petram, Et semitas nauis nauigantis, Et uias uiri in iuuentute. Hæc se nescire testatur ille propheta Salomon: qui ut primum transactis infantiæ rudimentis annos iuuentutis ingressus est, in quibus posita adhuc infirma ætas, quem cursum uitæ deligat, nutat incerta: nihil aliud à deo ꝙ̃ sapientiam postulauit, inter ipsa, ut dixi, uitæ tentamenta iam sapiens, qui in dilectione rerũ, quod omnibus præiret elegit. Sic enim ipse in libro Sapientiæ suæ se dominum omnipotentem deprecatũ fuisse cõmemorat: Da mihi, inquit, sediũ tuarum astitricem sapientiam, ut sciam dispositionem orbis terrarũ, uirtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem omniũ rerum, diuisiones & mutationes temporum, anni cursus, & dispositiones stellarũ, naturas animalium, & iras bestiarum, uim uentorum, & cogitationes hominum, differentias arborum, & uirtutes radicum. Omnium enim artifex, ait, docuit me sapiẽtia. Et alibi ipse in eodem libro: Inuocaui, inquit, & uenit in me spiritus sapientiæ. Et quidem dilectissimi fratres, quod tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cũ omnia cognouisset quę in arcanis abditarũ dispositionum tenebantur absconsa, hæc sibi impossibilia esse prætendit: quippe qui à deo esset sapientiam consecutus, qui nouerat mundanę dispositionis introitũ, qualiter esset hoc cœlum omne quod cernimus, ardua sublimitate suspensum, quemadmodũ fieret aeris istius circumiectus & fusus æquo moderamine libratus in medio, quibus modis pigro ad imum dilapsa pondere terra subsisteret, qua ratione intra certas littorũ metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exæstuet: quod principium rerum, quis finis, & quę essent media colle. Quem iterum diuisiones & mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorũ mutua uicissitudo redeunte orbe succederet cursus prece dendo se nonnunꝙ̃, aut subitò subsequẽdo, unde earũ esset ortus aut obitus, & alia multa, quæ sapientia docente cognouerat. Mirum quòd ista quę sibi impossibilia esse dicit,

Prou. 30

Sap. 7 & 9

Ibid. 7

aut

aut scire nõ potuit, aut uidere. Sed quia omnia quæ in libris diuinis prophetarũ annun-
ciatione congesta sunt, suis sunt temporibus reseruata, meritò Salomõ ante aduentum
domini nostri Iesu Christi, quid aquila uolans, quid serpens in petra, quid nauis nauigãs
quę iuuenis uia in iuuentute esset, scire non potuit. Adhuc non erat tempus quo umbra
corpus fieret, aut ueritas de figura. Nobis uerò, quibus dominus noster Iesus Christus o-
stendit, quòd omnia de ipso essent in lege conscripta, quibus aut nihil est occultũ quod
nõ reueletur, & posteaq̃ signatum illũ septem sigillis librũ nemo alter potuit reserare q̃
Christus, permissum & indultũ est nobis ut omnia et uidere possimus & nosse, sicut ipse
Matth. 11 dominus ait: Pater qui abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et iterum:
Luc. 8 Vobis, inquit, permissum est scire mysteriũ hoc. Quæ ideo retuli, ut non tam Salomonẽ
quòd non potuisset scire reprehenderim, q̃ non fuisset temporis ut sciret.

De repetitione superius propositorum, & apertione mysterij absconditi in primo
quod Salomon testatus est se scire nõ posse, uidelicet uestigia aquilæ uolantis. Ca. I

Ed iam ne proposita lectio diutius differat, pauca uobis quæ ita in quæstio-
Prou. 30 § nem ueniunt, propitio deo nostro cogitaui exponere. Tria sunt, inquit, im-
possibilia scire, & quartũ quod nõ agnosco: Vestigia aquilę uolantis, & uias
serpentis super petram, & semitas nauis nauigantis, & uias uiri in iuuentute. Quis enim
unquam dilectissimi fratres potuit ista cognoscere? quasi uerò sit facile ut suspẽsa aqui-
la in altum celeri elatione pennarũ, plausus sui & lapsus uestigia manifesta cõstituat, aut
uiam signet in uacuo, & lineã sui uolatus ducat, figat in liquido? Quis cursum nauis de-
prehẽdat in fluctibus? Quis indiciũ eius, per quos aggeres & limites feratur, intelligat?
Crebra semper & inquieta mutatio, dum undis sequacibus aut obruitur quod præcellit,
aut opprimit quod secutum est. Quis in petra signum aliquod serpentis agnouit, quum
& materia sit dura saxorũ, & lubrica natura serpentum? Aut quomodo possunt uiæ uiri
in iuuentute cognosci, qui unde ueniat, & quò eat, nõ potest deprehendi? Hęc sunt quę
sapientissimus Salomon propheta dixit se non posse cognoscere. Nunc ergo de singu-
lis rebus istis quid dicamus, audite. Aquilam in hoc loco Christum dominũ nostrũ debe-
mus accipere, qui post uenerandam resurrectionẽ, qua docuit humanũ genus in uitam
redire post mortẽ, uelut aquila reuolauit ad patrẽ, prædam secum referens, id est, homi-
Ezech. 1 nem quem rapuerat de faucibus inimici. Hæc est aquila, quam Ezechiel propheta in il-
lam quadriformem sedem, & Cherubim uidisse se retulit inter animalia, quæ mysticum
uehiculum rotis iuncta portabant. Vnum enim animal simile uituli, aliud leonis, tertiũ
hominis, quartum aquilæ, sicut in Apocalypsi Ioannes se uidisse conscripsit. Primũ, in-
quit, animal simile uituli, secundum leonis, tertium hominis, & quartum aquilæ. Sed de
hac animalium æqualitate alter locus ad tractandũ necessarius est. Nunc interim quod
Psal. 56 cœpimus, explicemus. Hæc est aquila, de qua scriptum est: Sicut aquila tegit nidũ suũ, id
Ibidem. est, Christus Ecclesiam. Et iterum inquit: In umbra alarum tuarum sperabo. Et iterũ: Re-
Ibid. 102 nouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Nam ut aquila colona, quasi ita mater nidi semper
unius est, nec ad procreandam sobolem aliud aliquando cubile perquirit, & cum primũ
calidis ouis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes: hos contra fa-
ciem feruidi Solis opponit, ut qui ægram & inualidam corusco radiorum appulsu aciẽ
submiserit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum consortio separetur, &
dejiciatur in terram. Et sicut auis ista inimica serpentũ est, quos cum in aere alarum remi-
gio subuectando supportat, hos obunco rostro, & armatis quasi quibusdam telis pedi-
bus suis lacerat ac diuellit: quos cum deuorat, calore suo interno noxium illud uirus ex-
tinguit: Ita ergo & Christus dominus unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum,
quam ab æstu persecutionis alarum suarum defendit umbraculo. Sic quoq; extra Eccle-
siam proiecit in quibus fidei lumẽ infirmum est, qui igneam Euangeliorum lucem uitijs
secularibus inquinati ferre non possunt. Et ut aquila serpentes deuorat, & eorum uene-
na calore coquit interno, ita & Christus dominus noster percusso dracone, id est, diabo-
lo lacerato, dum humanũ sibi corpus assumit, peccatum illud quod hominem tenebat
Rom. 8 obnoxium, tanquam pernicioſum uirus extinxit, sicut Apostolus ait: Et de peccato da-
2. Cor. 5 mnauit peccatum in carne sua. Et alibi: Qui cum peccator non esset, pro nobis peccatũ
Num. 21 fecit. Ad hoc quoq; Moyses serpentem æreum in eremo suspẽdit in ligno, qui propriũs
erat

erat typus corporis Christi,ut quicunq; in eum aspiceret,non periret. Corpus enim hominis per transgressionem uas fuerat serpentis effectum. Sic & alibi ipse Moyses uirgã proiecit in terram,quæ in similitudinem est corporata serpentis, quæ & ipsa imago erat corporis domini:ideo omnium Aegyptiorum potestatem is,quia tantæ uirtutis in se typum gerebat, absorbuit. Hoc est ergo quod ait, Vestigia aquilæ uolantis: quia etsi post passionem & resurrectionẽ suam præsentibus Apostolis dominus noster ascendit in cœlum,tamen cuius hominis tam altus sensus & tantus est,ut explicare possit quomodo illa tanta maiestas de cœlo aut uenire dignata fuerat,aut redire? cum hoc solũ nobis scire liceat, quòd aut uenit aut rediit. Quis enim cognoscere potest quemadmodũ uerbũ in Virginem uenerit,ut repentè conciperet, ut tam felicem fœtum partus uirginalis effunderet,ut hominem deus indueret,quem totus mundus non potest nec sufferre nec capere? Id est quod ait, Vestigia aquilæ uolantis: id est,Christi domini aduenientis ad terrã, ac redeuntis ad cœlos,uestigia comprehendi enarrariq; non posse. Prou.13

De expositione mysterij quod in secundo impossibili ad sciendum occultatur, uias scilicet serpentis super petram. Cap. III

E Tuias,inquit,serpẽtis super petram.] Dixi iam charitati uestræ,quod in uos labens membris nitidus & uolubilis coluber tractibus suis uestigium alimolli scriptura signatur in puluere.Nunc ergo uideamus quid sit iste serpẽs,aut quę pegere non debemus.Sic enim Apostolus ait: Bibebant autem de spirituali sequenti petra, tra,in qua serpentis uestigium non apparet. Hanc petram dominum nostrum esse ambi petra autẽ erat Christus. Et Psalmographus: In petra, inquit,exaltasti me.Et Moyses in cantico Deuteronomij: Lactauit eos mel ex petra,& oleum de solida petra,id est,quòd dulcem daturus is esset Euangelij suauitatem, aut spiritũ sanctum per chrismatis unctionem.Et alibi ait:Beatus qui tenet & allidit infantes suos ad petrã.quod utiq; in religiosis parricidiũ erat,si petra ista figuram Christi corporis non haberet.Nemo enim beatus in funere est,qui infantes suos allidit ad petram: sed ideo beatus est,quòd illos cõiungit ad petram.Dixi ergo petram dominũ & saluatorẽ nostrum in scripturis omnibus inueniri.Serpens aũt ex ipso nomine quòd sit diabolus apparet, sicut callidior omnium bestiarum quæ sunt super terram,id est diabolus: qui ideo serpẽs dicitur,quòd occultè serpat,& quòd sensus hominis tenuiter in labendo pertentat: quos si conuicerit, medullis se hominum atq; ossibus implicat & immergit.Qui in corpore hominis quòd omnipotens Christus induerat,nulla malitiæ suæ potuit imprimere uestigia,quanuis illud ausus fuerit sæpe tentare, sicut ipse dominus in Euangelio ait: Ecce uenit princeps mundi, & nihil in me inuenit.Et alibi: Nihil proficiet inimicus in eo,& filius iniquitatis non nocebit eũ.Hæc est ergo petra,id est caro Christi,nulla inimici iniquitate resperſa,in qua serpentis id est peccati alicuius uestigium non apparet,ut scriptum est:Qui peccatum non fecit,nec dolus inuentus est in ore eius. Ibid. 30 1.Cor.10 Psal. 60 Deut.32 Psal.136 Ioan.14 Psal. 88 1.Pet.2

Quid mystice significetur per tertium impossibile, quod Salomon se scire non posse dixit,id est semitas nauis nauigantis. Cap. IIII

A Dhuc quid subiungat, audite. Et semitas,inquit,nauis nauigantis.]Nauem adæque Ecclesiam debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quæ crebris uentorum fluctibus,id est tentationum plagis & uerberibus fatigat: quam turbidi fluctus, id est, huius seculi potestas conatur ad saxa perducere. Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe uexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium,quia in arbore eius,id est in cruce Christus erigitur, in puppi pater residet gubernator, proram paracletus seruat spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt,id est duodecim Apostoli,& similis numerus prophetarum. Inde Mõtani antra latratu falsi carminis resonant, qui duabus fœminis prophetissis Priscillæ & Maximillæ tanq; alicuius scyllæ rabidis succinctus est canibus.In ista naue Ecclesiæ ea feliciter præterimus.Inde in Fotinianam charybdim non incidimus.Inde nullo modo in illud baratrum,quasi Dathan & Abiron, id est in profundum mortis Vrsacij & Valentis non incurrimus.Inde Arriũ archipiratam, qui nos per mare seculi ad instar Pharaonis insequitur,non timemus,illã stellã seruantes in cœlo quæ magos perduxit ad Chri- Prou.30 Matth.2

ad Christum, per quam nos regnum dei, qui malorum omnium futurus est portus, expe
ctat. Inde nunquam nos de hac naui ecclesiæ præcipitatos, Marcion cetus ille absorbuit.
Inde Sabellius pirata nõ cepit. Inde nobis aquilo nocere nõ poterit, quamuis inde sint
Hier. 1 antichristi uiolenta flabra uentura, sicut scriptum est: Ex aquilone exardescẽt mala. In
de syrtes gentiliũ, & periculosas hæreses, & scopulos euitamus, quos superiacens aquæ
tenuis occultat allapsus, quia hæretici sub prætextu nominis Christiani absconsa perfi
diæ saxa fallaci cõfessione pris obducũt, in quæ homines, dum illis quod Christiani sint
fides adhibet, impingũt. Hęc ergo nauis ecclesia est, quę etsi quotidie seculũ istud tanq̃
aliquod pelagus sortitur infestũ, nunc̃q̃ elidítur ad saxũ, nec mergitur ad profundũ. Na
uem aũt ecclesiam esse diuinis testimoniis approbamus, sicut ait: Illic transierunt naues
Thars. Et alibi: Aduersus omnẽ nauẽ maris, quia sunt ecclesię seculi quæ totã sibi spem
quod fit in hoc tempore, non tam de deo, q̃ de potestatibus huius seculi repromittunt.
Sed quod ait, Vias nauis nauigantis, propriè significat quod in tẽpore miro modo per-
secutionis comprehendi omnino non posset. Quemadmodũ uiuida per interitũ & di-
Psal. 4 ues per damna reddatur, sicut ait ex persona ipsius Psalmographus: In tribulatione dila
tasti me. Quæ ob hoc multis in locis subitò aut soli comparatur, aut lunæ: quæ etsi tundi
tur, non mouetur: & si moueatur, resurgit.

De mysterio quarti, uiarum scilicet uiri in iuuentute, quod Salomon se non Cap. V
Prouer. 30 ualere cognoscere asseruit.

Tuias, ait, uiri in iuuentute.] Vir iste, Christus dns noster est, sicut in Actib.
Act. 2 E Apostolorũ scriptũ est: Viri Israelitæ audite hæc uerba: Iesum Nazarenũ ui-
rum à deo electũ, in uobis uirtutib. & signis & portentis approbatũ. Et Apo
Ephes. 4 stolus: Vt omnes in uirũ perfectũ occurrere possimus in mensurã corporis Christi. Et a-
2. Cor. 11 libi: Destinaui uos uni uiro uirginẽ castã exhibere Christo. Hic est uir cuius uiæ cogno-
sci à iuuentute nõ possunt. Quis em̃ ęstimare animo possit, aut capere quanta ille opere
exercuerit cum secundũ hominẽ moraretur in terris? Quæ itinera uirtutum duxerit, in
quas uias beneficiorũ circa humanũ genus fuerit ingressus, dum claudis pedũ restituit
firmitatẽ, dum cæcis lumina amissa reddit, aut imponit cognita, dum eloquium præstat
mutis, & surdis insinuat auditũ, dum largũ in sanguine fluxũ siccat in Martha, dum dæ-
mones pellit ex Maria, dum corpus rediuiui spiritus calore constringit, & quod mors
sibi uindicauerat ad pœnã, lux denuò recepit ad uitam? Quid ille solidus gressus in flu-
ctibus? quid reliquiæ de paucis panibus? plus superesse saturata multitudine, q̃ fuisse?
Quid inopem in uino Galilæi coniugis apparatũ, sed domini operibus preciosum? Et
Ioan. 12 alia multa, sicut in Euangelio dictũ est: Quę si omnia scripta essent, mũdus ea capere nõ
posset. Aut quid postremo descẽsus ad inferos, aut ascẽsus ad cœlum? Quid illud quod
in passione ipsius integram lucis consuetudinẽ sol habere nõ potuit, ut taceam ruptum
uelum, lapidẽ reuolutum? Hæ ergo uiæ sunt in iuuentute, quas non tam deprehendere
Propheta, q̃ enarrare se nõ posse testatus est. Tales hic etiã dicit uias meretrícis, quę po-
steac̃q̃ abluta est, dicit se nihil mali fecisse. Meretrix ista Ecclesiæ typus est, aliquando in
gẽtibus cõstituta, idolorũ cultibus uitiata, quã uanæ superstitiõis stupra polluerant, quã
falsorũ deorũ adulteram fecerat multitudo: lasciuosc̃q̃ ac turpes incõpositis motibus lal
tus nemorũ & lucorũ inculta lustrabat, dedita luxuriæ, põpæ gentiliũ mancipata. Hanc
posteac̃q̃ dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem et
criminis accipit & nominis per gratiã fidei. Post meretricẽ fit uirgo, quia uni se destina-
uit sponso. Nam & Raab illa meretrix Hierichũtis, quæ speculatores Iesu Naue excepit
hospitio, & quod signo cocci signata est, qui color figurã Christi sanguinis indicabat, et
quod euersionẽ ciuitatis euasit, Ecclesiæ typũ habuit, quæ per sanguinẽ Christi ruinam
Osee 1 mũdi istius secura nõ metuit. Sic em̃ ait ppheta, Accipe, inquit, tibi uxorẽ fornicariã, &
fac filios fornicationis. Vbic̃q̃ em̃ dilectissimi fratres cultura idolorũ, fornicatio nũcupa
Apoc. 2 ta est: ut in Apoc. scriptũ est: Et sinis fornicari seruos meos, & manducare idolis immola
ta. Denic̃q̃ Hierusalẽ ciuitas illa quondã nobilis Hebræorũ, quotiescũc̃q̃ à ueritate defle
xerat, & idolis seruiebat, statim meretricis uocabulo nominabatur, sicut clamat Esaias:
Esa. 1 Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Inde est ergo quod ait Salomõ: Talis
autem uia mulieris meretricis, quæ posteac̃q̃ abluta est, dicit se nihil fecisse.

CAPITA

CAPITA LIBRI DE IIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS.

De continuatione huius libri ad superiores, cum exhortatione auditorum ut aures aperiant, & bonum odorem uitæ æternæ inhalatum munere sacramentorum carpant, quemadmodum ipsis etiam prius author se id significasse cõmemorat. Cap. I
Qua ratione ingressus regenerationis sacramentum repetere debeat quid interrogatus fuerit cum baptizaretur, & quid uiderit. Cap. II
Quòd idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operetur in aquis baptismatis, ut omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio. Cap. III
Quòd tres sint qui testificantur in baptismo, & de mysterio & forma baptismatis, ac de angelo qui commouit natatoriam piscinam. De baptismo præterea Christi, & columba quæ super eum descendit de cœlo. Quodq; sæpe species pro ueritate accipiatur. Cap. IIII
Quòd in ijs quæ à sacerdotibus fiunt, non merita personarum, sed officia consideranda sint. Et quomodo in baptismo æqualiter promittatur in patrem, & in filium, & in spiritum sanctum credere debere. Cap. V
Quare fiat unctio in capite, & de lotione pedum discipulorũ. Et quare Petrus qui mundus erat, plantam lauare debebat. Cap. VI
De mysterio uestimentorum candidorum quibus induuntur infantes. Et quomodo Ecclesia hæc habens uestimenta dicat in Canticis: Nigra sum, & decora, & cætera quæ sequuntur. Cap. VII
De sacrosancti corporis dominici communione, & conuiuio cœlesti. Quod' que antiquiora sunt Ecclesiæ sacramenta quàm Synagogæ, & præstantiora quàm fuerit manna. Cap. VIII
De uirtute sacramenti corporis & sanguinis Christi, & comparatione per excessum ipsius ad manna, & ad aquas petræ. Et de per plurima exẽpla probatione quod corpus Christi quod accipimus, non panis sit, sed caro, quæ ex Virgine nata, quæ crucifixa, quæ sepulta fuerit. Cap. IX

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE IIS QVI MYSTERIIS INITIANTVR, Liber unus.

De continuatione huius libri ad superiores, cum exhortatiõe auditorum ut aures aperiant, & bonũ odorem uitæ æternæ inhalãtum munere sacramentorũ carpant, quemadmodum ipsis etiam prius author se id significasse cõmemorat. Cap. I

DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum uel Patriarcharum gesta uel Prouerbiorum legerentur præcepta, ut his informati atq; instituti assueceretis maiorum ingredi uias, eorumq; iter carpere, ac diuinis obedire oraculis, quo renouati per baptismũ, eius uitæ usum teneretis quæ ablutos deceret. Nunc de mysterijs dicere tempus admonet, atq; ipsam sacramẽtorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quàm edidisse æstimaremur. Deinde quòd inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorũ infuderit, quàm si eam sermo aliquis præcucurrisset. Aperite igitur aures, & bonum odorem uitæ æternæ inhalatũ uobis munere sacramentorum carpite, quod uobis significauimus, cum apertionis celebrantes mysterium dicemus: Effeta, quod est adaperire: ut ueniens unusquisq; ad gratiam quid interrogaret

cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebrauit Christus
Mar. 7 in Euangelio, sicut legimus, cum mutũ curaret & surdum. Sed illi os tetigit: quia & mu-
tum curabat & uirum. In altero ut os eius infusæ sonum uocis aperiret: in altero, quia ta-
ctus iste uirum decebat, fœminam non decebat.

Qua ratione ingressus regenerationis sacrarium, repetere debeat quid interro-
gatus fuerit cum baptizaretur, & quid uiderit. Cap. II

POst hæc reserata tibi sunt sancta sanctorũ: Ingressus es regenerationis sacra-
rium. repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuncia-
sti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac uoluptatibus. Tenet
uox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro uiuentium. Vidisti illic Leuitam, uidi-
sti Sacerdotem, uidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporũ figuras, sed my-
Mal. 2 steriorum gratiam. Præsentibus angelis locutus es, sicut scriptum est: Quia labia sacer-
dotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, quoniam angelus est do-
mini omnipotentis. Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi &
uitam æternã annunciat. Non specie tibi æstimãdus est, sed munere. Qui tradiderit con-
sidera, usum eius expende, & statum eius agnosce. Ingressus igitur ut aduersarium tuum
cerneres, cui renunciandum mox putares, ad orientem conuerteris. Qui enim renũciat
diabolo, ad Christum conuertitur, illum directo cernit obtutu.

Quòd idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operet̃ in aquis baptisma-
tis, ut omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio. Cap. III

QVid uidisti? Aquas utiq;, sed nõ solas, Leuitas illic ministrantes, Summum sa-
cerdotem interrogantem & consecrantem. Primò omniũ docuit te Aposto-
2. Cor. 4 lus nõ ea contemplanda nobis quæ uident̃, sed quæ nõ uidentur: quoniam
quæ uident̃, temporalia sunt: quæ aũt non uident̃, æterna. Nam & alibi habes: Quia in-
Rom. 1 uisibilia dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, comprehendunt̃, sempiterna quoq;
Ioan. 10 uirtus eius ac diuinitas operibus æstimantur. Vnde & dominus ait: Si mihi nõ creditis,
uel operibus credite. Crede ergo diuinitatis illic esse pręsentiam. Operationẽ credis, nõ
credis præsentiam? Vnde sequeretur operatio, nisi pręcederet antè præsentia? Conside-
Gen. 1 ra aũt q̃ uetus mysterium sit in ipsius mũdi præfiguratũ origine. In principio ipso, quan-
do fecit deus cœlũ & terram, Spiritus, inquit, ferebat̃ super aquas. Qui superferebat̃ su-
per aquas, non operabat̃ super aquas? Sed quid dicã, operabatur? Quod ad pręsentiam
spectat, superferebatur. Non operabatur, qui superferebatur? Cognosce quia operabat̃
Psal. 32 in illa mundi fabrica, quando tibi dicit Propheta: Verbo domini cœli firmati sunt, & spi-
ritu oris eius omnis uirtus eorũ. utrumq; prophetico subnixũ est testimonio, & quia su-
perferebatur, & quia operabat̃. Quia superferebat̃, Moyses dicit: quia operabat̃, Dauid
testificatur. Accipe aliud testimoniũ. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis.
Gen. 6 Non permanebit, inquit deus, spiritus meus in hominibus, quoniã carnes sunt. Quo o-
stendit deus, quia carnali immundicia grauioris labe peccati gratia spiritalis auertitur.
Ibid. 7 Vnde uolens deus reparare quod deerat, diluuiũ fecit, & iustũ Noe in arcã iussit ascen-
Ibid. 8 dere. Qui iam decedente diluuio coruum dimisit prius, qui nõ reuertitur: dimisit colum-
bam, quæ cum ramo oleæ legit̃ reuertisse. Vides aquam? uides lignũ? columbã aspicis,
& dubitas de mysterio? Aqua est ergo qua caro mergit̃, ut omne abluatur peccatũ. Se-
pelitur illic omne uitiũ. Lignũ est, in quo suffixus est dñs Iesus cũ pateret̃ pro nobis. Co-
lumba est, in cuius specie descendit spiritus sanctus, sicut didicisti in nouo Testamento,
qui tibi pacẽ animæ, tranquillitatemq; mentis inspirat. Coruus est figura peccati, quod
exit, & nõ reuertit̃, si in te quoq; iusti custodia & forma seruetur. Tertiũ quoq; testimo-
1. Cor. 10 nium est, sicut te Apostolus docuit: Quoniã patres nostri omnes sub nube fuerũt, & om-
nes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Deniq; & ipse
Exod. 15 Moyses dicit in Cantico: Misisti spiritũ tuũ, & operuit eos mare. Aduertis q; in illo He-
bræorũ transitu iam tũc sacri baptismatis figura præcesserit, in quo Aegyptius perijt, &
Hebręus euasit. Quid em̃ aliud in hoc quotidie sacramẽto docemur, nisi quia culpa met̃
gitur, & error abolet̃? Pietas aũt & innocẽtia tota permãsit. Audis quia sub nube fuerũt
patres nostri? Et bona nubes, quę carnalium refrigerauit incẽdia passionũ. Bona nubes
Luc. 1 obũbrat q̃s reuisit Spiritus s. Deniq; superuenit in Mariã uirginẽ, & uirtus altiss. obum-
brauit

brauit ei, quando redemptionē genti genuit humanæ. Et illud miraculū per Moysen in figura factū est. Si ergo in figura affuit spiritus, nō adest in ueritate, cum scriptura tibi dicat, Quia lex per Moysen data est, gratia aūt & ueritas per Iesum Christū facta est? Marath fons amarissimus erat. misit in eum Moyses lignū, & dulcis est factus. Aqua ēm sine prædicatione dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est. Cum uerò salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lauacri, & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontē Moyses misit lignū, hoc est propheta: ita & in hunc fontem sacerdos prædicationē dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Nō ergo solis corporis tui credas oculis, magis uidēt quod non uidetur, quia istud temporale, illud æternū aspicitur. quod oculis nō comprehenditur, animo aūt ac mēte cernitur. Deniq; doceat te decursa Regnorū lectio. Naaman Syrus erat, & leprā habebat, nec ab ullo mundari poterat. Tūc ait puella ex captiuis, quòd esset propheta in Israel, qui poset eum à lepræ contagione mundare. Sumpto, inquit, auro & argento, perrexit ad regē Israel. Qui cognita aduentus eius causa, scidit uestimenta sua, dicens quòd tentaret ē magis, cum de se ea quæ non essent potestatis regiæ, poscerentur. Heliseus aūt regi intimauit ut ad se dirigeret Syrum, quo cognosceret quòd esset deus in Israel. Et cum uenisset, mandauit ei ut septies mergeretur in Iordane fluuio. Tunc ille secū tractare cœpit quòd meliores aquas haberent patrię suæ, in quibus sępe mersisset, & nunq; à lepra esset mundatus: eoq; reuocatus non obediebat mandatis prophetæ, sed admonitu & persuasioni bus seruulorum acquieuit, ac mersit. Mundatusq; illicò intellexit non aquarū esse quod unusquisq; mundatur, sed gratiæ. Recognosce nūc quæ sit illa puella ex captiuis, iunior scilicet ex gentibus congregatio, id est, Ecclesia domini, depressa antè captiuitate peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat, cuius cōsilio uanus ille populus nationum uerbum audiuit propheticum, de quo antè diu dubitauit: postea tamen ubi credidit exequendum, ablutus est ab omni contagio uitiorum. Et ille dubitauit anteq; sanaretur: tu iam sanatus es, & ideo dubitare non debes.

4. Reg. 5

Quòd tres sint qui testificantur in baptismo, & de mysterio & forma baptismatis, ac de angelo qui cōmouit natatoriam piscinam. De baptismo pręterea Christi, & columba quæ super eum descendit de cœlo. Quodq; sæpe species pro ueritate accipiatur.

Cap. IIII

Deo tibi antè prædictū est, ut non hoc solū crederes quod uidebas, ne fortè & tu diceres: Hoc est illud magnum mysterium quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Aquas uideo, quas uidebam quotidie, istæ me habent mundare? in quas sæpe descendi, & nunquā mundatus sum. Hinc cognosce quòd aqua nō mūdat sine spiritu. Ideoq; legisti quòd tres testes in baptismate unum sint, aqua, sanguis, & spiritus: quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentū. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum cōmune, sine ullo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysteriū est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest introire in regnum dei. Credit aūt etiam catechumenus in crucem domini Iesu, qua & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire. Ergo ille Syrus septies mersit in lege. Tu autem baptizatus es in nomine trinitatis, confessus es patrē, recordare quid feceris: cōfessus es filium, confessus es spiritum sanctū. Tene ordinem rerum in hac fide, mūdo mortuus es, & deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi es consepultus elemento, peccato mortuus, ad uitam es resuscitatus æternam. Crede ergo quia nō sunt uacuæ aquæ. Ideo tibi dictū est: Quia angelus domini descendebat secundum tempus in natatoriā, & mouebat aqua, & qui prior descēdisset in natatoriā post cōmotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocūq; tenebatur. Hęc piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabat. Sed nemo antè sanabatur, q; descendisset angelus. Vt esset indicium quia descenderat angelus, moueb atur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides. Illis angelus descendebat, tibi spiritus sanctus. Illis creatura mouebatur, tibi Christus operatur ipse dominus creaturę. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur, aut certè unus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mendax. non sanat baptismus perfidorum, non mundat,

1 Ioan. 1 Exod. 15

1. Cor. 2

1. Ioan. 5

Ioan. 3

Ibid. 5

sed polluit. Iudæus urceos baptizat & calices, quasi insensibilia uel culpã possint accipe re uel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuũ sensibilem in quo bona opera tua luceant, in quo gratiæ tuæ splendor fulgeat. Ergo & illa piscina in figura, ut credas quia in hunc
Ioan. 1 fontẽ uis diuina descendit. Deniq; paralyticus ille expectabat hominẽ. Quem? nisi illũ dominũ Iesum natũ ex Virgine, cuius aduentu iam nõ umbra sanaret singulos, sed ueritas uniuersos? Iste est ergo qui expectabat ut descẽderet, de quo dixit deus pater ad Iotas annem Baptistam: Super quem uideris spiritũ descendentẽ de cœlo, & manentẽ super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. De quo testificatus est Ioannes, dicens: Quia uidi spiritũ descendentẽ de cœlo quasi columbã, & manentẽ super eũ. Et hic quare spiritus sicut colũba descẽdit, nisi ut tu uideres, nisi ut tu agnosceres columbã etiã illam quã
Gen. 8 Noe iustus emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, ut typũ agnosceres sacramenti? Et fortasse dicas: Cum illa uera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic ueritatem, cum secundum Græcos in specie columbæ spiritum descendisse sit scriptum? Sed quid tam uerum quàm diuini tas, quæ manet semper? creaturæ autẽ non potest ueritas esse, sed species, quæ facilè soluitur atq; mutatur. Simul quia eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed ue-
Matt. 10 ra simplicitas. Vnde & dominus ait: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Meritò ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbæ habere debere. Speciem autem pro ueritate accipiendam legimus & de Christo; Et
Philip. 2 specie inuentus ut homo. Et de patre deo: Neq; speciem eius uidistis.

Quòd in ijs quæ à sacerdotibus fiunt, non merita personarum, sed officia considerãda sint. Et quomodo in baptismo æqualiter præcipiatur in patrem, & in filium, & in spiritum sanctum credere debere. Cap. v

Sed ne adhuc quod dubitare debeas, cum euidenter tibi clamet in Euangelio
Matt. 3 E pater, qui ait: Hic est filius meus in quo complacui? Clamet filius super quẽ sicut colũba se demonstrauit spiritus sanctus. Clamet & spiritus sanctus, qui
Psal. 28 sicut columba descendit. Clamet Dauid: Vox domini super aquas, deus maiestatis in-
Iudic. 6 tonuit, dominus super aquas multas. Quum tibi scriptura testetur quòd ad Hieroboal
2. Reg. 18 preces ignis descenderit de cœlo, & rursus precante Helia ignis est missus qui sacrificiũ consumpsit: non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita spectas, sicut Heliam consideras, Petri quoq; merita spectato, uel Pauli, quia acceptũ à domino Iesu, hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis uisibilis mittebatur ut crederẽt, nobis inuisibilis operatur qui credimus. Illis in figuram, nobis ad commonitionem.
Matt. 18 Crede ergo adesse dominum Iesum inuocatum precibus sacerdotum, qui ait: Vbi fuerint duo uel tres, ibi & ego sum. Quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam? Descendisti igitur, recordare quid responderis, quòd credas in patrem, credas in filium, credas in spiritum sanctum. Non habes illic, Credo in maiorem & minorem & ultimum. Sed eadem uocis tuæ cautione constringeris, ut similiter credas in filium sicut in patrem credis: similiter in spiritum sanctum credas, sicut credis in filium, hoc solo excepto, quòd in crucem solius domini Iesu fateris tibi esse credendum.

Quare fiat unctio in capite, & de lotione pedum discipulorũ. Et quare Petrus qui mundus erat, plantam lauare debebat. Cap. vi

Ost hæc utiq; ascendisti ad sacerdotem: considera quid secutum sit. Nonne
Psal. 132 P illud quod ait Dauid: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbã barbam Aaron? Hoc est unguentum de quo & Salomon ait: Vnguentum exinanitũ est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te.
Cant. 1 Quantæ hodie renouatæ animæ dilexerunt te domine Iesu, dicentes: Attrahe nos post te, in odorẽ uestimentorum tuorũ currimus, ut odorẽ resurrectionis haurirent. Quare hoc fiat intellige, quia oculi sapientis in capite eius. Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam iuuentutis. Ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, sacerdotale, preciosum. Omnes enim in regnum dei & in sacerdotiũ ungimur gratia spirituali. Ascendisti de fonte, memento Euangelicæ lectionis. Etenim dominus noster Iesus lauit pedes discipulis
Ioan. 13 suis, quando uenit ad Simonẽ Petrum, & ait Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternũ. Non

Non aduertit mysterium, & ideo ministerium recusauit, quòd grauari humilitatem serui crederet, si sibi obsequium domini patienter admitteret. Cui respondit dominus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Quo audito Petrus: Domine non tantũ pedes, inquit, sed manus & caput. Respondit dominus: Qui lotus est, nõ indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Mundus erat Petrus: sed plantam lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantauit serpẽs, & persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per baptismum relaxantur. Simul cognosce mysterium ipsum, humilitatis consistere in ministerio. Ait enim: Si ego laui uobis pedes dominus & magister, quanto magis & uos debetis lauare pedes inuicem uobis? Cum enim ipse author salutis per obedientiã nos redemerit, quanto magis nos seruuli eius humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obsequium?

De mysterio uestimentorũ candidorum, quibus induuntur infantes, & quomodo Ecclesia hæc habens uestimenta dicat in Canticis: Nigra sum, & decora, & cætera quæ sequuntur.

Cap. VII

A Ccepisti post hæc uestimenta candida, ut esset indicium quòd exueris inuolucrum peccatorũ, indueris innocentiæ casta uelamina, de quibus dixit Propheta: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Qui enim baptizatur, & secundum legem, & secundum Euangeliũ uidetur esse mundatus. Secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moyses aspergebat sanguinẽ agni. Secundum Euangelium, quia Christi erant candida uestimenta sicut nix, cum resurrectionis suæ gloriam in Euangelio demõstraret. Super niuem dealbatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Esaiam dominus ait: Si fuerint peccata uestra sicut phœnicium, ut niuem dealbabo. Hæc uestimenta habens Ecclesia per lauacrũ regenerationis assumpta, dicit in Canticis: Nigra sum & decora filiæ Hierusalem. Nigra per fragilitatẽ conditionis humanę: decora per gratiam. Nigra, quia ex peccatoribus: decora, fidei sacramento. Hæc uestimenta cernentes filiæ Hierusalem, stupefactæ dicunt: Quæ est hæc quę ascendit dealbata? Hæc erat nigra: unde nunc subitò dealbata? Dubitauerunt enim etiam angeli cum resurgeret Christus, dubitauerunt potestates cœlorum uidentes quòd caro in cœlum ascenderet. Deniq; dicebant: Quis est iste rex gloriæ? Et cum alij dicerent: Tollite portas principis uestri, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ: alij dubitabant, dicẽtes: Quis est iste rex gloriæ? In Esaia quoq; habes dubitantes uirtutes cœlorum dixisse: Quis est iste qui ascendit ex Edom, rubor uestimentorum eius ex Bosor, speciosus in stola candida? Christus aũt uidens Ecclesiam suam in uestimẽtis candidis, pro qua ipse (ut habes in Zachariæ libro prophetæ) sordida uestimenta susceperat, uel animam regenerationis lauacro mundam atq; ablutam, dicit: Ecce formosa es proxima mea, ecce es formosa, oculi tui sicut columbę. in cuius specie spiritus sanctus descendit de cœlo. Formosi oculi sicut diximus suprà, quia sicut columba descendit. Et infrà: Dentes tui sicut grex tonsarum, quę ascenderunt de lauacro, quæ omnes geminos creant, et infœcunda non est in eis, ut resticula coccinea labia tua. Non mediocris ista laudatio. Primũ dulci comparatione tonsarum. Capras enim & in altis pasci sine periculo nouimus, & in præruptis securas cibum sumere. Deinde cum tondent̃, deonerari superfluis. Harum gregi cõparatur Ecclesia, multas in se habens animarũ uirtutes, quę per lauacrũ superflua peccata deponant, quæ mysticam fidem & moralem gratiã deferant Christo, quæ crucem domini Iesu loquant̃. In ijs formosa est Ecclesia. Vnde ad eam uerbũ deus dicit: Tota formosa es proxima mea, & reprehensio nõ est in te: quia culpa demersa est. Ades huc à libano spõsa, ades huc à libano, transibis & pertransibis à principio fidei, eò quòd renuncians mundo transierit seculum, pertransierit ad Christum. Et iterũ dicit ad eam deus uerbum: Quàm pulchra & suauis facta est charitas in delicijs tuis? Statura tua similis facta est palmæ, & ubera tua botris. Cui respondet Ecclesia: Quis dabit te frater mihi, lactantem ubera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te. Et quidem nõ spernent me. Assumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in secretũ eius quæ concepit me, docebis me. Vides quemadmodũ delectata munere gratiarũ, ad interiora cupit mysteria peruenire, & omnes sensus suos cõsecrare Christo? Adhuc quærit, adhuc

Psal. 50
Exod. 24
Heb. 9
Esa. 1
Cant. 1
Psal. 23
Esa. 63
Zach. 1
Cant. 4
Ibidem.
Ibid. 7
Ibid. 8

ſuſcitat charitatem,& ſuſcitari ſibi eam poſcit à filiabus Hieruſalem,quarum gratia,hoc eſt animarum fidelium, ſponſum in amorem ſui uberiorem deſiderat prouocari. Vnde dominus Ieſus & ipſe inuitatus tanto ſtudio charitatis,pulchritudine decoris & gratiæ,

Cant. 8 quòd nulla iam in ablutis delicta ſorderent,dicit ad Eccleſiam:Pone me ut ſignaculum in corde tuo, ut ſigillū in brachio tuo:hoc eſt, decora es proxima mea, tota formoſa es, nihil tibi deeſt. Pone me ut ſignaculum in corde tuo, quo fides tua pleno fulgeat ſacramento. Opera quoque tua luceant,& imaginem dei præferāt, ad cuius imaginem facta es. Charitas tua nulla perſecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina in-

Eſa. 11 undare non poſſint. Vnde repete quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, ſpiritum ſapiētiæ & intellectus, ſpiritum conſilij atq; uirtutis, ſpiritum cognitionis atq; pietatis, ſpiritum ſancti timoris:& ſerua quod accepiſti. Signauit te deus pater, cōfirmauit te Chriſtus do-

2.Cor.5 minus,& dedit pignus ſpiritus in corde tuo,ſicut Apoſtolica lectione didicimus.

De ſacroſancti corporis dominici communione, & conuiuio cœleſti. Quod quæ antiquiora ſint Eccleſiæ ſacramenta quàm Synagogæ, & præſtantiora quàm fuerit manna. Cap. VIII

Pſal. 42 Is abluta plebs diues inſignibus, ad Chriſti contendit altaria, dicens: Et introibo ad altare dei,ad deum qui lætificat iuuētutem meam. Depoſitis enim inueterati erroris exuuijs,renouata in aquilæ iuuentutem, cœleſte illud feſti nat adire conuiuium. Venit igitur,& uidens ſacroſanctum altare compoſitum,exclamans ait: Paraſti in conſpectu meo menſam.Hanc loquentem inducit Dauid, dicens:

Ibid. 22 Dominus paſcit me,& nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit:ſuper aquam refectionis educauit me. Et infrà: Nam & ſi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum,& poculum meum inebrians quàm præclarum eſt. Nunc illud conſideremus,ne quis fortè uiſibilia uidens,quoniam quæ ſunt inuiſibilia,non uidentur,nec poſſunt humanis oculis comprehendi,dicat fortè: Iudæis deus manna pluit,pluit coturnices: Eccleſiæ autem illi dilectæ hæc ſunt quæ præparauit,de quibus dictū eſt quod ocu-

1.Cor.2 lus non uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcēdit quæ præparauit deus diligentibus eum? Ergo ne quis hoc dicat,ſummo ſtudio uolumus comprobare quod & antiquiora ſint ſacramenta Eccleſiæ quàm Synagogæ, & præſtantiora quàm manna eſt. Antiquiora docet lectio Geneſis quæ decurſa eſt. Synagoga enim ex lege Moyſi principium ſumpſit. Abraham uerò longè anterior,qui uictis hoſtibus, & nepote proprio recepto,cum potiretur uictoria, tunc illi occurrit Melchiſedech, & protulit ea quæ Abraham ueneratus accepit. Non Abraham protulit,ſed Melchiſedech, qui inducitur ſine patre,ſine matre,neque initium dierum,neque finem habens, ſimilis autem filio dei: de quo ait Paulus ad Hebræos: Quia manet ſacerdos in perpetuum, qui interpretatione latina dicitur rex iuſtitię, rex pacis. Non agnoſcis quis iſte ſit? Poteſt homo eſſe rex iuſtitię, quum uix iuſtus ſit? Poteſt eſſe rex pacis, quum uix poſſit eſſe pacificus? Sine matre ſecundum diuinitatem, quia ex patre deo genitus eſt, unius ſubſtantię cum patre. Sine patre ſecundum incarnationem, qui natus ex Virgine eſt. Initium & finem nō habens, quia ipſe eſt initium & finis omnium, primus & nouiſſimus. Non igitur humani,ſed diuini eſt muneris ſacramentum quod accepiſti, ab eo prolatum qui benedixit ſi dei patrem Abraham, illum cuius gratiam & geſta miraris. Probatū eſt antiquiora eſſe Eccleſię ſacramēta,nūc cognoſce potiora. Reuera mirabile eſt quod manna deus plue-

Pſal. 77 rit patribus,& quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt: Panem angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in de-

Ioan. 6 ſerto mortui ſunt. Iſta autē eſca quam accipis, iſte panis uiuus qui deſcendit de cœlo, uitæ æternę ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunque hunc manducauerit, non morietur in æternum: & eſt corpus Chriſti.

De

De uirtute sacramenti corporis & sanguinis Christi, & comparatione per excessum ipsius ad manna, & ad aquas petræ. Et de per plurima exempla probatione quòd corpus Christi quod accipimus, non panis sit, sed caro, quæ ex Virgine nata, quæ crucifixa, quæ sepulta fuit. Cap. IX

Onsidera nunc utrum præstantior sit panis angelorum, an caro Christi, quæ utiq; corpus est uitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterũ seruaretur: hoc alienum ab omni corruptione: Quod quicunq; religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horã satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & sitit: tu cum biberis, sitire nõ poteris. Et illud in umbra, hoc in ueritate. Si illud quod miraris, umbra est, quantum istud est cuius & umbram miraris? Audi quia umbra est quæ apud patres facta est. Bibebãt, inquit, de consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum cõplacitum est deo. nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Cognouisti præstantiora. Potior est enim lux quàm umbra, ueritas quàm figura, corpus authoris quàm manna de cœlo. Forte dicas: Aliud uideo, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; uim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiã natura ipsa mutatur. Virgã tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpẽs. Rursus appre hendit caudam serpentis, & in uirgæ naturã reuertitur. Vides igitur Prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & uirgæ? Currebãt Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium uenis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuijs. Rursus ad prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarũ natura remeauit. Circũclusus undiq; erat populus Hebræorum, hinc Aegyptijs uallatus, inde mari clausus uirgã leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorũ speciem congelauit, atq; inter undas uia pedestris apparuit. Iordanis retrorsum cõuersus contra naturã in sui fontis reuertitur ordiũ. Nõne claret naturã uel maritimorũ fluctuũ uel fluuialis cursus esse mutatã? Sitiebat populus patrũ, tetigit Moyses petrã, & aqua de petra fluxit. Nũquid nõ præter naturam operata est gratia, ut aquã uomeret petra, quã nõ habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, ut sitiẽs populus bibere nõ posset. Misit Moyses lignũ in aquã, & amaritudinẽ suã aquarũ natura deposuit, quã infusa subito gratia temperauit. Sub Helisæo propheta uni ex filijs prophetarũ excussum est ferrũ de securi, & statim mersum est. Rogauit Helisæũ qui amiserat ferrũ, misit etiã Helisæus lignũ in aquã, & ferrũ natauit, utiq; & hoc præter naturam factũ esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse uirtutis gratiam quàm naturã, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiã? Quod si tantũ ualuit humana benedictio, ut naturã conuerteret: quid dicimus de ipsa cõsecratione diuina, ubi uerba ipsa domini saluatoris operantur? Nã sacramentũ istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantũ ualuit sermo Heliæ, ut ignẽ de cœlo deponeret: nõ ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorũ? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod nõ erat: nõ potest ea quæ sunt, in id mutare quod nõ erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quã mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisq; exẽplo astruamus mysterij ueritatẽ. Nunquid naturæ usus præcessit cũ Iesus dominus ex Maria nasceretur? Si ordinẽ quærimus, uiro mixta fœmina generare consueuit. Liquet igitur quod præter naturę ordinẽ Virgo generauit, & hoc quod cõficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinẽ in Christi corpore, cũ præter naturã sit ipse dominus Iesus partus ex Virgine? Vera utiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quę sepulta est, uere ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem uerborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, amen: hoc est, uerũ est. Quod os loquitur, mẽs interna fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat. His

2. Cor. 10
Hebr. 3
Exod. 15
4. Reg. 6
Psalm. 148
Matth. 26

tiat. His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur sub-
Cantic. 4 stantia. Meritoq; uidens profectum eius gratiæ continentem, dicit ad eam: Quàm deco
ra facta sunt ubera tua soror mea sponsa, quã decora facta sunt à uino: & odor uestimen-
torum tuorum super omnia aromata. Fauũ distillãt labia tua ô sponsa, mel & lac sub lin-
gua tua, & odor uestimentorum tuorum sicut odor Libani, Hortus cõclusus soror mea,
sponsa mea, hortus conclusus, fons signatus. Quo significat signatũ debere apud tẽ ma-
nere mysterium, ne uioletur operibus malæ uitæ, atq; adulterio castitatis, ne diuulgetur
quibus non conuenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Bona debet ergo
fidei tuæ esse custodia, ut intemerata uitæ ac silentij integritas perseueret. Vnde & Eccle
sia altitudinẽ seruans mysteriorum cœlestium, reijcit à se grauiores uenti procellas, & in
uitat uernantis gratiæ suauitatem: & sciens quòd hortus suus Christo displicere nõ pos-
sit, aduocat ipsum sponsum dicẽs: Exurge Aquilo, & ueni Auster, perfla hortũ meum, &
fluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suũ, & edat fructum pomifera-
rum suarum. Bonas enim arbores & fructiferas habet, quæ radices suas tinxerint in sacri
fonti irriguo, & in bonos fructus nouæ fœcunditatis germine pullulauerint, ut non iam
Prophetica cædantur securi, sed Euangelica ubertate fœcundẽtur. Deniq; fertilitate ea-
rum dominus delectatus respondet: Ingressus sum in hortũ meum soror mea sponsa, uin
demiaui myrrham, cum unguentis meis, manducaui cibum meum cum melle meo, bibi
potum meum cum lacte meo. Quare cibũ & potum dixerim, fideles intelligunt. Illud au
tem non dubium, quod in nobis ipse manducat & bibit, sicut in nobis legisti, quia in car
cere esse se dicit. Vnde & Ecclesia uidens tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur
Cantic. 5 proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens: Edite proximi mei & bibite, & inebria-
mini fratres mei. Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetã spiritus sanctus ex-
Psalm. 33 pressit dicens: Gustate & uidete quoniã suauis est dominus, beatus uir qui sperat in eo.
In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi: nõ ergo corporalis esca, sed spiri-
1. Cor. 10 talis est. Vnde & Apostolus de typo eius ait: Quia patres nostri escam spiritalem mandu
cauerunt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim dei, corpus est spiritale. Corpus
Thren. 4 Christi, corpus est diuini spiritus, quia spiritus est Christus, ut legimus: Spiritus ante fa-
1. Pet. 2 ciẽ nostrã Christus dominus. Et in Petri epistola habemus: Christus pro nobis mortuus
est. Deniq; cor nostrum esca ista cõfirmat, & potus iste lętificat cor hominis, ut Prophe-
Psalm. 103 ta memorauit. Vnde & adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse. Nec dicamus, quo-
modo regenerati sumus: nunquid in uentrẽ matris nostrę introiuimus, & renati sumus?
Non agnosco usum naturæ. Sed nullus hic naturę ordo, ubi excellẽtia gratia. Deniq; nõ
semper usus naturæ regenerationem facit. Generatum ex Virgine Christum dominum
confitemur, & naturæ ordinem denegamus. Non enim ex uiro Maria concepit, sed de
Matth. 1 spiritu sancto in utero accepit, ut dicit Matthæus: Quia inuenta est in utero habens de
spiritu sancto. Si ergo superueniens spiritus sanctus in Virginem, conceptionem opera
tus est, & generationis munus impleuit: non utiq; dubitandum est quòd superueniens
in fontem uel super eum qui baptismũ consequitur, ueritatem regenerationis operetur.

FINIS.

CAPITA LIBRI PRIMI DE SACRAMENTIS.

De fide Christiani, & quomodo baptizatus considerare debeat peracta mysteria ada-
pertionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tangantur, ut aperiantur, & Cap. I
quare nares, & non os.
De unctione in baptismo, & abrenunciatione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dica-
tur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. Cap. II
Quòd licet in baptismo sacerdos & minister uideantur, alia tamen maiora sint quæ ope
rantur, & non uidentur. Cap. III
Quòd sacramenta Christianorum diuiniora & priora sint quàm Iudæorum. Et quid pa-
scha significet. Cap. IIII
Quid significat lotio Naaman Syri leprosi, & quòd non aqua sed consecratio mundet.
Quodq;

Quodq; in baptismate omnis iustitia sit constituta. Et de columba super Christum descendente, & quare Christus prior descenderit in aquã, & postea spiritus sanctus. Ca. v
Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum Rubri maris, & de malo murmurationis. Quid etiã significet columna lucis præcedens, & nubis subsequens.
Et quòd in diluuio figura baptismi præcesserit. Cap. VI

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE SACRAMENTIS LIBER PRIMVS.

De fide Christiani, & quomodo baptizatus considerare debeat peracta mysteria adapertionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tangantur, ut aperiantur, & quare nares, & non os. Cap. I

DE sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior, cuius rationẽ non oportuit antè præmitti. In Christiano enim uiro prima est fides. Ideo Romæ fideles dicũtur qui baptizati sunt: Et pater noster Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus. Ergo accipiẽtis baptismum credidistis. Nefas est enim me aliud æstimare. Neq; enim uocatus esses ad gratiã, nisi dignum te Christus sua gratia iudicasset. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionẽ: quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quãdo tibi aures tetigit sacerdos & nares. Quod significat in Euãgelio dominus noster Iesus Christus cũ ei oblatus esset surdus, & mutus, tetigit aures eius & os eius. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait: Effeta, quod Hebraicũ uerbũ est, & Latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirẽtur aures tuæ ad sermonẽ & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi: Quare aures? Quia surdus erat. Os tetigit, ut quia loqui nõ poterat sacramenta cœlestia, uocẽ acciperet à Christo. Et ibi quia uiri, hic quia mulieres baptizantur, & nõ eadẽ puritas serui, quanta & domini. Cum enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ potest esse compatio? Ideo propter gratiam operis & muneris non os tangit episcopus, sed nares: ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas: Christi bonus odor sumus deo, quemadmodum dixit Apostolus sanctus, & sit in te fidei deuotionisq; plena fragrantia. Rom. 4. Marc. 7. 2. Cor. 2.

De unctione in baptismo, & abrenunciatione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dicatur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. Cap. II

VEnimus ad fontem, ingressus es: considera quos uideris, quid locutus sis considera, repete diligẽter. Occurrit tibi leuita, occurrit presbyter, unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus, professus es luctamnis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret, ubi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo; sed coronaris à Christo, & pro certaminibus seculi coronaris. Nam & si in cœlo præmiũ, hic tamẽ meritũ præmij colligitur. Quando te interrogauit: Abrenũcias diabolo & operibus eius? quid respõdisti? Abrenuncio. Abrenuncias seculo, & uoluptatibus eius? quid respõdisti? Abrenũcio. Memor esto sermõis tui, & nunquã tibi excidat tuæ scriptionis. Si chirographũ homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniã eius accipias: teneris astrictus, & reluctantẽ te fœnerator astringit si recusas, uadis ad iudicem, atq; illic tua cautione cõuinceris. Vbi promiseris cõsidera, uel quibus promiseris. Leuitã uidisti, sed minister est Christi. Videsti illũ ante altaria ministrantẽ. Ergo chirographũ tuũ tenetur nõ in terra, sed in cœlo. Cõsidera ubi capias sacramẽta cœlestia. Si hic corpus est Christi, hic & angeli cõstituti sunt. Vbi corpus, ibi & aquilæ, legisti in Euãgelio. Vbi corpus Christi, ibi & aquilæ uolare cõsuerũt: ut terrena fugiãt, cœlestia petãt. Quare hoc dico? quia & homines angeli quicũq; annũciant Christũ, & in angelorũ ascíti uidentur lucrum. Quomodo? Accipe baptistæ rationẽ. Ioannes natus erat ex uiro & muliere. Attamen audi quia angelus est ipse: Ecce mitto angelũ meũ ante faciẽ tuam, & parabit uiam Matth. 24. Matth. 11.

tuam

tuam ante te. Accipe aliud, Malachiel ait propheta: Quia labia sacerdotis custodiunt
Mala. 2 scientiam, & legē exquirunt ex ore ipsius: Angelus est enim domini omnipotentis. Hęc
ideo dicūtur, ut sacerdotij gloriā prædicemus, nō ut aliquid personaliter meritis arroge
tur. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti seculo, esto solicitus. Qui pecuniā debet,
semper cautionē suā considerat. Et tu qui fidē debes Christo, fidē serua, quæ multo pre-
ciosior quā pecunia est. Fides enim æternū patrimoniū est, pecunia temporale. Et tu er-
go semper recordare quid promiseris. Si teneas promissionē tuā, tenebis & cautionem.

Quòd licet in baptismo sacerdos & minister uideantur, alia tamen maiora Cap. III
sint quæ operantur, & non uidentur.

Einde accessisti proprius, uidisti fontē, uidisti & sacerdotē supra fontē. Nec
D hoc possum dubitare quod in animum uestrum nō potuerit cadere quod ce-
cidit in illum Syrum Naaman: quia etsi mundatus est, tamen ante dubitauit.
Quare? dicā, accipe. Ingressus es, uidisti aquā, uidisti sacerdotē, uidisti leuitā. Ne forte ali
quis dixerit, hoc est totū? imò est totū, uere totū, ubi tota innocētia, tota pietas, tota gra-
tia, tota sanctificatio. Vidisti quæ uidere potuisti oculis tui corporis, & humanis cōspe-
ctibus, nō uidisti illa quæ operātur, sed quę uident. Illa multo maiora sunt quę nō uiden
2. Cor. 4 tur, quā quæ uidentur: quoniā quæ uidentur, temporalia sunt: quę non uidentur, æterna.

Quòd sacramenta Christianorum diuiniora & priora sint quàm Iudæorum. Cap. IIII
Et quid pascha significet.

Rgo dicamus primū, tene cautionē uocis meæ, & exige. Miramur mysteria
E Iudæorū quæ patribus nostris data sunt: primū uetustate sacramentorū, dein
de sanctitate præstantiū. Illud promitto, quòd diuiniora & priora sacramēta
sunt Christianorū quàm Iudæorū. Quid præcipuū quàm quod per mare transiit Iudęo-
rum populus? ut de baptismo interim loquamur. Attamen qui transierūt Iudæi mortui
sunt omnes in deserto. Cęterū qui per hunc fontē transit, trāsit à terrenis ad cœlestia, hoc
est enim pascha, id est trāsitus eius, trāsitus à peccato ad uitam, à culpa ad gratiam, ab in-
quinamento ad sanctificationē. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

Quid significet lotio Naaman Syri leprosi, & quòd nō aqua sed cōsecratio mun
det. Quodq; in baptismate omnis iustitia sit cōstituta. Et de columba super Chri
stū descēdēte, et quare Christus prior descēderit in aquā, & postea spiritus sanctus. v

4. Reg. 5 Aaman ergo leprosus erat, puella quædam ait uxori illius: Dominus meus si
N uult mundari, uadat in terram Israel, & ibi inueniet eum qui possit ei lepram
tollere. Dixit illa dominæ suæ, uxor marito, Naaman regi Syrię, qui eū quasi
acceptissimū sibi misit ad regē Israel. Audiuit rex Israel quod misisset ad eum cuius leprā
mundaret, & scidit uestē suam. Tunc Helisæus Propheta mandat ei: Quid est quòd scidi
sti uestem, quasi non sit deus potēs qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit ille.
Cui aduenięti ait ꝓpheta: Vade descende in Iordanē, mergere, & sanaberis. Ille cœpit co
gitare secū & dicere. Hoc est totū? Veni de Syria in terrā Iudæam, & dicitur mihi: Vade
& descende in Iordanē, mergere, & sanaberis? quasi flumina meliora non sint in patria
mea. Dixerunt ergo serui: Domine, quare nō facis uerbū prophetæ? Magis fac, & expe-
rire. Tunc ille iuit in Iordanem, mersit, & surrexit sanus. Quid enim significat? Vidisti a-
quā: sed nō aqua omnis sanat, sed aqua sanat quæ habet gratiā Christi. Aliud est elemen
tum, aliud cōsecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio spiritus sancti
est. Nō sanat aqua nisi spiritus sanctus descēderit, & aquā illam cōsecrauerit: sicut legisti
quod cū dominus noster Iesus Christus formā baptismatis daret, uenit ad Ioannē, & ait
Matth. 3 illi Ioannes: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respōdit illi Christus: Sine mo
do. Sic em̄ decet nos implere omnē iustitiā. Vide quia omnis iustitia in baptismate cōsti
tuta est. Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur, caro quā susceperit de
noștra cōditione? Non enim abolitio peccatorū suorū Christo necessaria erat, qui pecca
tum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxij. Ergo si propter
nos baptismi nobis forma est cōstituta, fidei noștrę forma proposita est. Descēdit Chri-
stus, Ioānes astabat qui baptizabat, & ecce quasi colūba spiritus sanctus descēdit. Nō co
lūba descēdit, sed quasi colūba. Memēto quid dixerim, Christus carnē susceperit, non sicut
carnē, sed carnis istius ueritatē, uere carnē Christus susceperit. Spiritus autē sanctus in spe
cie colum-

cie columbæ, nõ in ueritate colũbæ, sed in specie columbæ descẽdit de cœlo. Ergo uidit Ioãnes, & crẽdidit. Descẽdit Christus, descẽdit & spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea spiritus, cũ forma baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons cõsecretur, & tũc descendat qui baptizãdus est? Nã ubi primũ ingreditur sacerdos, exorcismum facit, secũdo super creaturã aquæ inuocationẽ, postea & precẽ defert ut sanctificet fons, & adsit præsentia trinitatis eternę. Christus autẽ ante descẽdit, secutus est spiritus. Quare ficaret ipse, sanctificaret & spiritus. Ergo descẽdit in aquã Christus, & spiritus sanctus sicut columba descendit. Pater quoq; deus è cœlo locutus est. Habes præsentiã trinitatis.

Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum Rubri maris, & de malo murmurationis. Quid etiã significet columna lucis præcedẽs, & nubis subsequens. Et quòd in diluuio figura baptismi præcesserit. Cap. VI

IN mari autẽ Rubro figuram istius baptismatis extitisse ait Apostolus dicẽs: Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari. Et subdit: Hęc autem omnia in figura facta sunt illis. Illis in figura, sed nobis in ueritate. Tunc Moyses uirgam tenebat, concluſus erat populus Iudæorum, instabat Aegyptius cum armis ex una parte, mari claudebantur Hebræi, neq; maria transire poterant, neq; in hostem recurrere, murmurare cœperunt. Vide, non te prouocet quia exauditi sunt. Etsi exaudiuit dominus, tamen culpa non carent qui murmurauerũt. Tuũ est ubi constringeris credere quòd euadas, nõ murmurare: inuocare, non querelam expromere. Tenebat uirgam Moyses, & ducebat populum Hebręorum in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi ueritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem ueritatis & gratię spiritalis affectibus infudit humanis? At uero columna nubis est spiritus sanctus. In mari erat populus, & præibat columna lucis: deinde sequebatur columna nubis, quasi obumbratio spiritus sancti. Vides quod per spiritum sanctum, & per aquam typũ baptismatis demonstrauerit? In diluuio quoq; fuit iam tunc figura baptismatis, & adhuc utiq; non erant mysteria Iudæorum. Sic ergo huius baptismatis forma præcessit. uides ergo superiora mysteria Christianorum, quam fuerint Iudæorum. Sed interim secundum fragilitatem uocis nostræ, & secundum temporis rationem satis sit hodie tanta de sacro fonte libasse mysteria. Crastina die, si dominus dederit loquendi potestatem uel copiam plenius intimabo. Opus est ut sanctitas uestra aures paratas habeat, prõptiorẽ animum, ut ea quæ nos colligere possumus de serie scripturarum, & uobis intimauerimus, tenere possitis, ut habeatis gratiam patris, & filij, & spiritus sancti. Cui trinitati perpetuum est regnum à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. 1.Cor.10

CAPITA LIBRI SECVNDI DE SACRAMENTIS.

Quòd diluuium nihil aliud sit nisi baptisma, quo peccata diluuntur, sola autem mens iusti & gratia resuscitentur. Et de multis generibus baptismatum. Cap. I

Quid significet angelus descendens in piscinam. Et quid sit quod paralyticus respondet Christo, Hominem non habeo. Cap. II

De uarijs generibus & figuris baptismi. Cap. III

Quid significet quod ad preces Helisæi ferrũ securis demersum supernatauerit. Quid etiam quod Moyses lignũ miserit in fontẽ, quo aqua antea amara dulcescẽbat. Ca. IIII

De efficaci probatione quod ad inuocationem sacerdotis super fontẽ ueri baptismi potius adsit præsentia trinitatis quàm ad supratactas figuras baptismi, & quid significet columba. Quid etiam spiritus magno sono in die Pentecostes descendens, & apparens in dispertitis linguis. Cap. V

Quòd baptismum inuentum sit ad resurrectionem & uiuificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat. Cap. VI

De triplici immersione in baptismum, & triplici interrogatione, & quòd in uno nomine baptizari oportet. Et quomodo in morte Iesu baptizemur & ungamur in uitam æternam. Cap. VII

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI ME-

DIOLANENSIS DE SACRAMENTIS LIB. II.

Quod diluuium nihil aliud sit nisi baptisma, quo peccata diluuntur, sola autem mens iusti & gratia resuscitentur. Et de multis generibus baptismatum. Cap. I

IN diluuio figuram baptismatis præcessisse hesterno cœpimus disputare. Quid est diluuium, nisi in quo iustus ad seminarium iustitiæ reseruatur, peccatum moritur? Ideo dominus uidens hominum pullulare delicta, iustum solum cum sua progenie reseruauit: Aquã autem supra mõtes quoq; exire præcepit. Et ideo in illo diluuio omnis corruptela carnis interijt, sola iusti prosapia & forma permansit. Nónne hoc est diluuium quod est baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens & gratia resuscitatur? Multa sunt genera baptismatum, sed unum baptisma clamat Apostolus. Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptisma-ta. lauacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lauatur, non culpa diluitur, imò in illo lauacro contrahitur. Erant autem baptismata Iudæorum alia superflua, alia in figura: Et figura ipsa nobis proficit, quia ueritatis est nuncia.

Quid significet angelus descendẽs in piscinam, & quid sit quod paralyticus Cap. II
responderit Christo, Hominem non habeo.

Ioann. 5 QVid lectum est heri? Angelus, inquit, secundum tempus descendebat in piscinam, & quotienscunque descendisset angelus, mouebatur aqua: & qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore quocunq; tenebatur. Quod significabat figuram uenturam domini nostri Iesu Christi. Angelus quare? Ipse est enim magni consilij angelus. Secundum tempus, quod ad horam nouissimam seruabatur, ut in occasu ipsum diem deprehenderet, & differret occasum. Quotienscunque ergo descendisset angelus, mouebatur aqua. Dicis forte: Quare modo non mouetur? Audi quare. Signa incredulis, fides credentibus. Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Quid est prior? Tempore, an honore? Vtrumque intellige. Si tempore, prior qui descendisset sanabatur, hoc est de populo Iudæorum magis quàm de populo nationum. Si honore, qui prior descendisset, hoc est qui haberet dei metum, studium iustitiæ, gratiam charitatis, castitatis affectum, ipse magis sanabatur. Tamen tunc temporis unus sanabatur. Tunc inquam temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quanto maior est gratia Ecclesiæ, in qua omnes saluantur quicunque descendunt? Sed uidete mysterium: Venit dominus noster Iesus Christus ad piscinam, multi ægri iacebant. Et facilè ibi multi ægri iacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum paralyticum: Descende. Ait ille: Hominem non habeo. Vide ubi baptizaris, unde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi. Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso saluaberis. Hominem, inquit, non habeo,
1. Cor. 15 hoc est quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Non poterat descendere, non poterat saluari qui non credebat quod dominus Iesus carnem susceperat descendere, non poterat saluari qui non credebat quod dominus Iesus carnem susceperat ex Virgine. Hic autem qui operiebatur mediatorem dei & hominum, hominẽ Iesum Christum expectans eum de quo dictum est: Et mittet dominus hominem qui saluos faciat eos: dicebat: Hominem non habeo, & ideo ad sanitatẽ meruit peruenire, quia credebat in aduenientem. Melior tamen & perfectior fuisset si credidisset iam uenisse, quem sperabat esse uenturum.

De uarijs generibus & figuris baptismi. Cap. III

NVnc uide singula. Diximus figuram præcessisse in Iordane quando Naaman leprosus ille mundatus est. Puella illa ex captiuis quæ est, nisi quæ speciẽ habebat Ecclesiæ, & figuram repræsentabat? Captiuus enim erat populus nationum. Captiuus erat, non dico captiuitatem sub hoste aliquo constitutam, sed eam captiuitatem dico quę maior est, quando diabolus cũ suis sæuo dominat imperio, & captiuas sibi col-

sibi colla subiecit peccatorum. Ergo habes unum baptisma, aliud in diluuio, habes tertium genus quando in mari rubro baptizati sunt patres, habes quartum genus in piscina, quando mouebatur aqua. Nunc te consulo utrum credere debeas, quia habes praesentiam trinitatis in hoc baptismate quo baptizatur in ecclesia.

Quid significet quòd ad preces Helisæi ferrum securis demersum supernataue rit. Quid etiam quòd Moyses lignum miserit in fontem, quo aqua antea amara dulcescebat. Cap. IIII

Dem itaq; dominus noster Iesus Christus in Euangelio suo dicit ad Apostolos: Ite baptizate gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sermo hic Matth. 28
Saluatoris est. Dic mihi ô homo: Inuocauit Helias, & descendit ignis de cœlo. Inuocauit Helisæus domini nomen, & de aqua ferrum securis ascendit quod demer- 1. Reg. 18
sum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum 4. Reg. 6
quasi ferrum premitur atque dimergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam iam leuior fructuosi ligni species leuatur. Ergo & hic figura altera. Securis erat qua cædebantur ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est ferrum demersum est. Filius prophetæ nescíuit quid faceret, sed hoc solum sciuit, ut rogaret Helisæũ prophetam, & remedium postularet. Tunc ille lignum misit, & ferrum leuatum est. Vides ergo quod in cruce Christi omnium hominum leuatur infirmitas? Aliud, etsi non ordinem tenemus. Quis enim posset omnia gesta comprehendere Christi? sicut Apostoli dixerunt. Moyses cum uenisset in desertum, & sitisset populus, & uenisset ad Marath fontem, & bibere uellet, aquam ubi primum hausit, & amaritudinem sensit, & cœpit bibere non posse: ideo Moyses misit lignũ in fontem, & cœpit aqua quæ antea erat amara, dulcescere. Quid significat, nisi quia omnis creatura corruptelæ obnoxia, ut maris aqua amara est omnibus? Etsi ad tempus suauis est, ad tempus iucunda, amara tamen est, quæ non potest auferre peccatum. Vbi biberis, sities. ubi potus ceperis suauitatem, iterum amaritudinem senties. Amara ergo aqua, sed ubi crucem Christi, ubi acceperit cœleste sacramentum, incipit esse dulcis & suauis. Et merito dulcis, in qua culpa deuoratur. Ergo si in figura tantum ualuerunt baptismata, quanto amplius ualet baptisma in ueritate? Exod. 15

De efficaci probatione quod ad inuocationem sacerdotis super fontem ueri baptismi potius assit præsentia trinitatis quàm ad supratactas figuras baptismi, & quid significet columba. Quid etiã spiritus magno sono in die Pentecostes descendens & apparens in dispertitis linguis. Cap. V

Nunc ergo consideremus. Venit sacerdos, precem dicit ad fontẽ, inuocat patris nomen, præsentiam filij & spiritus sancti. Vtitur uerbis cœlestibus. Cœlestia uerba quæ sunt? Quòd baptizemus in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Si ergo ad hominis sermonem, ad inuocationem sancti aderat præsentia trinitatis, quanto magis ibi adest ubi sermo operatur æternus? Vultis scire quia descendit spiritus? Audite, quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Vt increduli uocarentur ad fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio. Accipe aliud. Post mortẽ domini nostri Iesu Christi. Apostoli erant in uno loco, & orabant in die Pentecostes, & subito factus est magnus sonus, quasi cum ui magna spiritus ferretur, & uisæ sunt linguæ dispersæ sicut ignis. Quid hoc significat nisi descensum spiritus sancti, qui se uoluit increduli etiam corporaliter demonstrare? Hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentũ. Ergo manifestum testimonium eius aduentus: nobis autem iam fidei prærogatiua defertur, quia in principio signa increduli fiebant, nobis iam in plenitudine ecclesiæ non signa, sed fidei ueritas colligenda est. Act. 2

Quòd baptismum inuentum sit ad resurrectionem & uiuificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat. Cap. VI

Nunc disputemus quid sit quod dicitur baptisma. Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum sacerdotem, leuitas & presbyterum ad fontem uidisti. Quid est baptismum? In principio deus noster hominem fecit, ut si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatũ contraxit, factus est obnoxius morti, eiectus est de paradiso. Sed dominus qui sua uellet beneficia permanere, & insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoq; omne quod nocuit: primũ quidem sen-

Gen. 3 tentiam tulit in hominem, Terra es, & in terram ibis. & morti hominem fecit obnoxiũ. Erat diuina sententia, solui humana conditione non poterat. Remedium datũ est, ut homo moreretur, & resurgeret. Quare? Vt illud quod antè damnationis loco cesserat, lo co cederet beneficij. Quid illud est nisi mors? Queris quomodo? quia mors interueniẽs finem facit peccati. Quando enim morimur, utiq; peccare desistimus. Satisfactum ergo sententiæ uidebatur, quando homo qui factus fuerat ut uiueret, si tamen non peccaret, incipiebat mori. Sed ut dei perpetua gratia perseueraret, mortuus est homo, sed Christus inuenit resurrectionẽ, id est, ut redintegraret cœleste beneficium, quod fraude serpentis amissum. Vtrunq; ergo pro nobis: quia & mors finis est peccatorum, & resurrectio naturæ est reformatio. Veruntamen ne in hoc seculo diaboli fraus uel insidiæ prævalerent, inuentum est baptisma. De quo baptismate audi quid dicat scriptura, imò

Lucæ 7 filius dei, Quia Pharisæi qui noluerunt baptizari baptismo Ioannis, consilium dei spreuerunt. Ergo baptismum consilium dei est. Quanta est gratia ubi est consilium dei? Audi ergo. Nam ut in hoc seculo nexus diaboli solueretur, inuentum est quomodo homo uiuus moreretur, & uiuus resurgeret. Quid est uiuus? Hoc est, uita corporis uiuens cum ueniret ad fontem, & mergeretur in fontẽ. Quid est aqua nisi de terra? Satisfit ergo sententiæ cœlesti sine mortis stupore. Quod mergeris, soluitur sententia illa: Terra es, & in terram ibis. Impleta sententia locus est beneficio remedioq; cœlesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem uitæ nostræ non admittebat ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lauat, sed aqua lauat: ideo fons quasi sepultura est.

De triplici immersione in baptismum, & triplici interrogatione, & quòd in uno homine baptizari oportet. Et quomodo in morte Iesu baptizemur & ungamur in uitam æternam. Cap. VII

INterrogatus es, Credis in deum patrẽ omnipotentem? Dixisti, credo. & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in dominum nostrũ Iesum Christum, & in crucẽ eius? Dixisti, credo. & mersisti: ideo & Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in spiritum sanctum? Dixisti, credo. tertio mersisti, ut multiplicẽ lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio. Denicq; ut uobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus posteaquam in passione domini lapsus uidetur infirmitate conditionis humanæ: qui antè negauerat, postea ut illum lapsum aboleret & solueret, tertio

Ioan. 21 interrogatus à Christo si Christum amaret, tunc ille dicit: Tu nosti domine quia amo te. Tertio dixit, ut tertio absolueretur. Sicut ergo peccatũ dimittit pater, sic dimittit filius, sic dimittit & spiritus sanctus. In uno autem nomine baptizari nos iussit: hoc est, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Noli mirari quia dixi unum nomen, ubi est una sub-

Act. 4 stantia, una diuinitas, una maiestas. Hoc est nomen de quo dictum est, in quo oportet omnes saluos fieri. In hoc nomine omnes saluati estis, redditi estis ad gratiã uitæ. Clamat

Rom. 6 ergo Apostolus, sicut audistis in lectione præsenti: Quoniam quicunq; baptizatur, in morte Iesu baptizatur. Quid est in morte? Vt quomodo Christus mortuus est, sic & tu mortem deguste. Quomodo Christus mortuus est peccato, & deo uiuit: ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis ueritate, sed in similitudine. Cum enim mergis, mortis suscipis & sepulturæ similitudinem: Crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clauis confixũ est corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhæres, clauis domini nostri Iesu Christi adhæres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clauus Christi, quem reuocat humanæ conditionis infirmitas. Ergo mersisti, uenisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, cõcessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in uitam æternam. Vide ubi unctus es. In uitam inquit, æternam. Noli hanc uitam illi uitæ anteferre. Verbi gratia, si exurgat inimicus aliquis, si uelit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam, uide quid eligas: noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut uitam æternam uitæ præferas temporali.

Capita

CAPITA LIBRI TERTII DE SACRAMENTIS.

Quare demersi in baptismum recipiant unguentum in capite, & quid sit regeneratio. Qua ratione etiam hoc seculum mare sit, nos autem piscis imitari naturam oporteat. Et de mysterio lotionis infantium. Cap. I

Quod per inuocationem sacerdotis septiformis spiritus infundatur. Quid etiam significet lutum ex sputo super oculos cæci positũ. Et quòd qui baptizatur, sine confessione etiam à peccato abluitur. Et quid sit aqua Siloe. Cap. II

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE SACRAMENTIS Liber tertius.

Quare demersi in baptismum recipiant unguentum in capite, & quid sit regeneratio. Qua ratione etiam hoc seculum mare sit, nos autem piscis imitari naturam oporteat. Et de mysterio lotionis infantium. Cap. I

HEsterno die de fonte disputauimus, cuius species ueluti quędam sepulchri forma est, in quẽ credentes in patrem, & filium, & spiritum sanctum, recipimur, & demergimur, & resurgimus, hoc est resuscitamur. Accipis autẽ mysterium, hoc est unguentũ supra caput. Quare supra caput? quia sensus sapientis in capite eius, Salomon ait. Friget enim sapientia sine gratia: sed ubi sapientia acceperit gratiam, tunc opus eius incipit esse perfectum. Hæc regeneratio dicitur. Quid est qui dicitur in Psalmo secundo: Filius meus es tu, ego hodie genui te: ad resurrectionẽ spectare uideatur. Nanq; sanctus apostolus Petrus in Actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tũc quãdo resurrexit filius à mortuis, patris uox resultauerit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde & primogenitus à mortuis dicit. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad uitam resurgimus? Sic ergo & in baptismate quoniam similitudo mortis est, sine dubio dum mergis & resurgis, similitudo fit resurrectionis. Rectè itaq; secundum interpretationẽ apostoli Petri, sicut illa resurrectio generatio fuit: ita & ista resurrectio regeneratio est. Sed quid dicis quia in aquam mergis? Ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet? Legimus quidem: Producat terra ex se fructum germinantem. Similiter & de aquis legisti: Producant aquæ animantia, & nata sunt animantia. Illa quidem in principio creaturæ. Sed tibi reseruatũ est ut aqua te regeneret ad gratiam, sicut illa generauit ad uitam. Imitare illum piscẽ qui minorẽ quidem adeptus est gratiã, tamen debet tibi esse miraculum. In mari est, & super undas est. In mari est, & super fluctus natat. In mari tempestas furit, stridũt procellæ, sed piscis natat, nõ demergitur, quia natare consueuit. Ergo tibi seculũ hoc mare est. Habet diuersos fluctus, undas graues, sæuas tempestates. Et tu esto piscis, ut seculi te unda nõ mergat. Pulchre autẽ pater dicit ad filium: Ego hodie genui te. hoc est, quando redemisti populum, quando ad cœli regnum uocasti, quando implesti uoluntatẽ meam: probasti meũ te esse filium. Ascendisti de fonte. quid secutũ est? Audisti lectionẽ. Succinctus est sacerdos. Licet eñ & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerij à summo est sacerdote. Succinctus inquã sumus sacerdos pedes tibi lauit. Quid istud mysterium? Audisti utiq; quia dominus cum lauisset discipulis alijs pedes, uenit ad Petrũ, & ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes? Hoc est, tu dominus seruo lauas pedes? Tu immaculatus mihi lauas pedes? Tu author cœlorum mihi lauas pedes? Habes hoc & alibi: Venit ad Ioannẽ, & ait illi Ioannes: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Ego sum peccator, & tu uenis ad me peccatorẽ, ut tua quasi peccata deponas, qui peccatũ non feceris? Vide omnẽ iustitiam, uide humilitatem, uide gratiam, uide sanctificationẽ. Nisi lauero, inquit, te, non habebis mecũ partem. Non ignoramus quod ecclesia Romana hanc consuetudinẽ non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Hanc tamen consuetudinẽ non habet, ut pedes lauet. Vide ergo ne forte propter multitudinẽ declinauit. Sunt tamen qui dicant & excusare

Eccli. 2

Act. 13

Gen.

Psal. 2

Ioan. 13
Matth. 3

Ioan. 13

cusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lauandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denicq; audi quia mysterium est & sanctificatio. Nisi lauero te, non habebis mecum partem. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse cõmendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus. Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius inhæremus deuotioni. Ad hoc ecclesia Romana quid respondet?

Ioan. 13 Vticq; ipse author est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiæ Romanæ. Ipse Petrus ait: Domine, non solum pedes, sed etiam manus & caput. Vide fidem. Quod antè excusauit, humilitatis fuit: quod postea se obtulit, deuotionis & fidei. Respondit illi dominus, quia dixerat manus & caput: Qui lauit, non necesse habet iterum lauare, nisi ut solos pedes lauet. Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & uenenum ei effusum est supra pedes, ideo lauas pedes, ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, ut laues uenena serpentis. Ad humilitatẽ quoq; proficit, ut in mysterio non erubescamus quod non dedignamur in obsequio.

Quòd per inuocationẽ sacerdotis septiformis spiritus infundatur. Quid etiam significet lutum ex sputo super oculos cęci positum. Et quòd qui baptizatur, sine confessione etiam à peccato abluitur: Et quid sit aqua Siloe. Cap. II

Equitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij atq; uirtutis, spiritus cognitionis atq; pietatis, spiritus sancti timoris. Septem quasi uirtutes spiritus.

Esa. 11 Et omnes quidem uirtutes ad spiritum pertinent: sed istæ quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quàm pietas? Quid tam principale, quàm cognitio dei? Quid tam principale, quàm uirtus? Quid tam principale, quàm cõsilium dei? Quid tã principale, quàm timor dei? Sicut timor seculi infirmitas, ita timor dei magna est fortitudo. Istæ sunt septẽ uirtutes quibus consignaris. Nam ut ait Apostolus sanctus: Quia

1. Cor. 12 multiformis est, inquit, sapientia dei nostri. Et ut multiformis est sapientia dei, ita multiformis est spiritus sanctus qui habet diuersas uarias q; uirtutum dicitur: quod aptari potest patri & filio & spiritui sancto. Sed hoc alterius disputationis, alterius est temporis. Post hęc quid sequitur? Venire habes ad altare. Quoniam ueneristi, uidere habes quæ ante non uidebas, hoc est mysterium quod legisti in Euangelio, si tamen nõ legisti, certe audisti. Cæcus obtulit se Saluatori, ut curaretur. Et ille qui alios uerbo tantum & sermone curabat, & refundebat imperio lumen oculorum, tamen in libro Euangelij qui scribitur secundum Ioannem, qui uere præ cæteris uidit magna mysteria, & designauit & declarauit, mysteriũ hoc in illo uoluit præfigurare. Omnes quidem sancti Euangelistæ, omnes Apostoli præter proditorem, omnes sancti. Tamen sanctus Ioannes qui ultimus scripsit Euangeliũ, quasi necessarius requisitus & electus à Christo, maiore quadam tuba fudit æterna mysteria. Quicquid locutus est, mysterium est. Alius dixit cæcum curatum, dixit Matthæus, dixit Lucas, dixit Marcus: solus Ioannes quid ait?

Ioan. 9 Tulit lutum, & liniuit super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in Syloam. Et exurgens iuit, & lauit, & uenit uidens. Considera & tu oculis cordis tui. Videbas quæ corporalia sunt, corporalibus oculis: sed quæ sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc uidere nõ poteras. Ergo quando dedisti nomen tuum, tulit lutũ, & liniuit super oculos tuos. Quid significat? Vt peccatum tuum fatereris, ut conscientiam tuam recognosceres, ut pœnitentiam ageres delictorũ, hoc est, sortem humanæ generationis agnosceres. Nam etiam si non confiteatur peccatum qui uenit ad baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit ut iustificetur, hoc est, ut à culpa ad gratiam transeat. Nolite ociosum putare. Sunt quidam, scio certè aliquem fuisse qui diceret cùm illi diceremus: In hac ætate magis baptizari debes. Dicebat ille: Quare baptizer? Peccatum non habeo. Nunquid peccatũ contraxi? Hic lutũ non habuit quod ei Christus non lauerat, hoc est, nõ ei aperuerat oculos. Nullus enim homo sine peccato. Ergo agno-

agnoscit se hominem, qui confugit ad baptismum Christi. Itaq; & tibi imposuit lutũ, hoc est, uerecundiam, prudentiam, considerationem fragilitatis tuę, & dixit tibi: Vade in Syloam. Quid est Syloas? Quod interpretatur, inquit, missus. hoc est, uade ad illum fontẽ in quo crux domini prædicatur. Vade ad illum fontem in quo omnium Christus redemit errores. Isti, lauisti, ueneisti ad altare, uidere cœpisti quæ antè nõ uideras: Hoc est, per fontem domini & prædicationem dominicæ passionis tunc aperti sunt oculi tui, qui ante corde uidebaris esse cæcatus, cœpisti lumen sacramentorum uidere. Ergo fratres dilectissimi, uenimus usq; ad altare, ad tractatum uberiorem. Et ideo quia id temporis est, disputationem integram non possumus incipere, quia prolixior tractatus est. satis sit quod dictum est hodie, & crastino die, si domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus.

FINIS.

CAPITA LIBRI QVARTI DE SACRAMENTIS.

Quomodo baptisterium sit secundum tabernaculum. Et de expositione eorum quæ in tabernaculo custodiebantur. Cap. I
De excellentia ablutionis sacramenti, quam etiam angeli admirantur. Et quomodo ibi renouari debeamus ut bona aquila. Cap. II
Quòd deus amplius præstiterit fidelibus in sacramento, quàm Iudęis in manna. Et de significatione oblationis Melchisedech. Cap. III
Quòd Christus sit author sacramentorum, & quemadmodum suo sermone sacramentum conficiat. Quomodo etiam manducans uenerabile corpus suum noua efficiatur creatura. Cap. IIII
Quibus uerbis consecretur corpus dominicũ & sanguis. Et quomodo manducans non moriatur in æternum. Cap. V
De magnitudine & excellentia huius sacramenti. Cap. VI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE SACRAMENTIS, Liber quartus.

Quomodo baptisterium sit secundum tabernaculum. Et de expositione eorũ quæ in tabernaculo custodiebantur. Cap. I

IN Veteri testamento sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare consueuerant: in secundum tabernaculum semel in anno summus intrabat sacerdos. Quod euidenter ad Hebræos recolens, seriem Veteris testamenti explanat apostolus Paulus. Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam uirga Aaron quæ aruit, & postea refloruit, & thymiamaterium. Quo spectat hoc? Vt intelligatis quid sit secundum tabernaculum in quod uos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare consueuit, hoc est ad baptisterium, ubi uirga Aaron floruit. Antè arida erat, postea refloruit. Et tu aridus eras, & cœpisti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, arueras erroribus atq; delictis: sed fructum iam afferre cœpisti, plantatus secus decursus aquarum. Sed fortè dicas: Quid hoc ad populum si uirga sacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipse quid est nisi sacerdos? Quibus dictum est: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, ut ait apostolus Petrus. Vnusquisq; ungitur in sacerdotium, ungitur in regnum. Sed spiritale regnum est, & sacerdotium spiritale. In secũdo quoq; tabernaculo est thymiamaterium. Thymiamaterium est quod bonum odorem fragrare consueuit. Ita & uos iam bonus odor Christi estis, iam nullæ in uobis sordes delictorum, nullus odor grauioris erroris.

Hcb. 9

1. Pet. 2

2. Cor. 2

De excellentia ablutionis sacramenti, quam etiam angeli admirantur. Et quò- Cap.II
modo ibi renouari debeamus ut bona aquila.

Equitur ut ueniatis ad altare. Cœpistis uenire, spectarũt angeli, uiderunt uos
S aduenientes, & humanam conditionẽ illam quæ ante peccatorũ tenebroso
Cant.3 squalore sordebat, aspexerunt subito refulgere. Ideoq; dixerũt: Quæ est hæc
quæ ascendit à deserto dealbata? Mirantur ergo & angeli. Vis scire quia mirantur? Au-
di ergo apostolũ Paulum dicentẽ ea nobis esse collata quæ cõcupiscunt & angeli uide-
1.Cor.2 re. Et iterũ: Quod oculus nõ uidit, nec auris audiuit quæ præparauit deus diligentibus
se. Deinde quid acceperis recognosce. Sanctus Dauid propheta hãc gratiã in figura ui-
Psal.50 dit & cõcupiuit. Vis scire quia cõcupierit? iterũ audi dicentẽ: Asperges me hyssopo, &
mũdabor: lauabis me, & super niuẽ dealbabor. Quare? Quia nix q̃uis sit cãdida, cito ali
qua sorde nigrescit atq; corrumpit. Ista gratia quã accepisti, si teneas quod accepisti, erit
diuturna atq; perpetua. Veniebas ergo desiderãs, utpote qui tantã gratiã uideras, uenie
Ibidem 42 bas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentũ. Dicet anima tua: Introibo ad altare
dei mei, ad deũ qui lætificat iuuentutẽ meam. Deposuisti peccatorũ senectutẽ, sumpsisti
gratiæ iuuentutẽ. Hoc præstiterũt tibi sacramẽta cœlestia. Denicp iterũ audi dicentẽ Da-
Psal.102 uid: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Bona aquila esse cœpisti, quę cœlum petis,
terrena fastidis. Bonæ aquilæ circa altare. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corpo-
ris altare est, & corpus Christi est in altari. Aquilæ uos estis, renouatæ ablutione delicti.

Quòd deus amplius præstiterit fidelibus in sacramento, quàm Iudæis in man- Cap.III
na. Et de significatione oblationis Melchisedech.

Enisti ad altare, uidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem mira-
V tus es creaturam. Tamen creatura solennis & nota. Forte aliquis dixerit, Iu-
dæis deus tantã gratiam præstitit, manna illis pluit è cœlo: Quid plus dedit
fidelibus suis? Quid plus tribuit ijs quibus plus promisit? Accipe quę dico, anteriora es-
se mysteria Christianorũ quàm Iudæorum, & diuiniora esse sacramenta Christianorum
quàm Iudæorum. Quomodo? Accipe. Iudæi quando esse cœperunt? Ex Iuda utiq; pro-
nepote Abrahæ. Aut si uis, & sic intellige, Ex lege quam Iudæi accipere meruerunt. Et-
Exod.16 go ex pronepote Abrahæ Iudæi dicti sunt tempore sancti Moysi. Et si tunc deus Iudæis
manna murmurantibus pluit è cœlo. Tibi autem sacramentorũ horum figura præcessit
Gen.14 quando Abraham erat, quando uernaculos trecentos decẽ & octo collegit, & ibi per-
secutus est aduersarios, de captiuitate eruens nepotem suum. Tunc uictor uenit, occur-
rit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & uinum. Quis habuit panem & ui-
num? Abraham nõ habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo author sacramen
torum. Quis est Melchisedech? Qui significatur rex iustitiæ, rex pacis. Quis est iste rex
iustitiæ? Nunquid homo quisquam potest rex esse iustitiæ? Quis ergo rex iustitiæ, nisi
Ioan.14 iustitia dei, qui est dei pax, dei sapientia? Qui potuit dicere: Pacem meam do uobis, pa-
cem meã relinquo uobis. Ergo primo intellige sacramenta hæc quæ accipis, anteriora
esse q̃ sint Moysi sacramenta quæcũq; Iudæi habere se dicunt, & prius cœpisse populũ
Christianũ, quàm cœpisse populũ Iudæorũ. Sed nos in prædestinatione, illi in nomine.
Hebr.7 Obtulit ergo Melchisedech panem & uinum. Quis est Melchisedech? Sine patre, in-
quit, sine matre, sine generationis ordine, nec; initium dierũ, nec; finẽ uitæ habens. Hoc
habet apud Hebræos epistola. Sine patre, inquit, est, sine matre, similis autem filio dei.
Sine matre natus est dei filius generatione cœlesti, quia ex solo deo patre natus est. Et
iterũ sine patre natus est, quando natus ex Virgine est. Non enim ex uirili semine gene
ratus est, sed natus de spiritu sancto ex uirgine Maria, utero editus uirginali. Similis per
omnia filio dei. Sacerdos quoq; erat Melchisedech, quia & Christus sacerdos, cui dici-
Psal.109 tur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Quòd Christus sit author sacramentorum, & quemadmodum suo sermone sa-
cramentũ conficiat. Quomodo etiam manducans uenerabile corpus suum no- Cap.IIII
ua efficiatur creatura.

Rgo author sacramentorũ quis est, nisi dominus Iesus? De cœlo ista sacra-
E menta uenerunt. Consilium enim omne de cœlo est. Vere autem magnũ est
& diuinũ miraculum quod populo pluit deus manna de cœlo, & non labo-
rabat

rabat populus,& manducabát. Tu fortè dicis:Meus panis est usitatus.Sed panis iste panis est ante uerba sacramentorũ: ubi accesserit consecratio,de pane fit caro Christi.Hoc igitur astruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus uerbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicũtur,laus deo defertur: oratio præmittitur pro populo,pro regibus, pro cæteris: ubi uenitur ut conficiatur uenerabile sacramentũ, iam non suis sermonibus sacerdos,sed utitur sermonibus Christi.Ergo sermo Christi hoc cõficit sacramentũ. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia.Iussit dominus,& factũ est cœlum.Iussit dominus, & facta est terra. Iussit dominus, & facta sunt maria. Iussit dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta uis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse quæ nõ erant: quanto magis operatorius est ut sint quæ erant,& in aliud cõmutentur? Cœlum non erat,mare non erat, terra non erat.Sed audi dicentem: Ipse dixit,& facta sunt: ipse mandauit,& creata sunt. Ergo tibi ut respondeam,nõ erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationẽ dico tibi,quòd iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est.Tu ipse eras,sed eras uetus creatura: postea quàm consecratus es,noua creatura esse cœpisti. Vis scire quàm noua creatura? Omnis, inquit, in Christo noua creatura.Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnẽ mutare consueuerit, & mutat quando uult instituta naturæ. Quomodo requiris? Accipe,& primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est ut non generetur homo nisi ex uiro & muliere,& cõsuetudine coniugali. Sed quia uoluit dominus,qui hoc elegit sacramentum,& de spiritu sancto & Virgine natus est Christus, hoc est, mediator dei & hominũ homo Christus Iesus. Vides ergo quia contra instituta & ordinem homo est natus ex Virgine? Accipe aliud. Vrgebatur populus Iudæorũ ab Aegyptijs, intercluſus erat mari.diuino imperio uirga Moyses tetigit aquas, & se unda diuisit: nõ utiq; secundum suæ naturæ consuetudinem,sed secundum gratiam cœlestis imperij. Accipe aliud. Sitiebat populus, uenit ad fontem,amarus erat fons. misit lignum sanctus Moyses in fontem, & factus est dulcis fons qui amarus erat.hoc est,mutauit consuetudinem naturæ suæ,accepit dulcedinem gratiæ.Accipe & quartum exemplum. Ceciderat ferrũ securis in aquas. quasi ferrum,sua consuetudine demersum est. misit lignum Helisæus, statim ferrum eleuatum est, & aquis supernatauit, utiq; contra consuetudinem ferri. Est enim materies grauior, quàm aquarum est elementum.Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus est in fonte terreno,si operatus est sermo cœlestis in alijs rebus, nõ operatur in cœlestibus sacramentis? Ergo didicisti quòd ex pane corpus fiat Christi,& quod uinum & aqua in calicem mittitur,sed fit sanguis consecratione uerbi cœlestis.Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non uideo.Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem precioſi sanguinis bibis,ut nullus horror cruoris sit,& precium tamen operetur redemptionis.Didicisti ergo quia quod accipis,corpus est Christi.

Psal.148

Exod.14

Ibid.15

4.Reg.6

Quibus uerbis consecretur corpus dominicũ & sanguis. Et quomodo manducans non moriatur in æternum. Cap.V

Marci 14
Lucæ 22
1.Cor.11

IS scire quia uerbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt uerba. Dicit sacerdos: Fac nobis,inquit,hanc oblationẽ ascriptã, rationabilẽ, acceptabilẽ: quod est figura corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi. Qui pridie q̃ pateret,in sanctis manibus suis accepit panẽ,respexit ad cœlum,ad te sancte pater omnipotens æterne deus,gratias agens: benedixit,fregit,fractumq; Apostolis suis & discipulis suis tradidit dicẽs:Accipite,& edite ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meũ,quod pro multis cõfringetur. Similiter etiam calicẽ postquam cœnatũ est, pridie q̃ pateretur accepit,respexit ad cœlum,ad te sancte pater omnipotẽs æterne deus,gratias agens: benedixit,apostolis & discipulis suis tradidit dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis meus. Vide,omnia illa uerba Euangelistæ sunt usq; ad accipite,siue corpus,siue sanguinẽ. Inde uerba sunt Christi: Accipite,bibite ex eo omnes:hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridie,inquit, q̃ pateretur,in sanctis manibus suis accepit panem. Antequã consecret,panis est: ubi aũt uerba Christi accesserint,corpus est Christi.

Denicp audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum. Et ante uerba Christi, calix est uini & aquæ plenus. Vbi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebẽ redemit. Ergo uidete quantis generibus potens est sermo Christi uniuersa conuertere. Deinde ipse dominus Iesus testificatur nobis quòd corpus suũ accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Iam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem & uenerabile, quod manna Iudæis pluit è cœlo. Sed intellige. Quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi utiq, qui author est cœli. Deinde manna qui manducauit, mortuus est. Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo nõ ociose tu dicis Amen, iam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, corpus Christi. Et tu dicis Amen. hoc est, uerum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

Cap. VI

De magnitudine & excellentia huius sacramenti.

Scias autẽ hoc esse sacramentũ, huius figura antè præcessit. Deinde quantum sit sacramentum cognosce. uide quid dicat: Quotienscunq; hoc feceritis, totiens cõmemorationem mei facietis, donec iterum adueniam. Et sacerdos dicit: Ergo memores glorioßissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatã hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem uitæ æternæ: & petimus & precamur ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorũ, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech. Ergo quotienscunq; ac-

1.Cor.11 cipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotienscunq; accipimus, mortem domini annunciamus: si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorũ. Si quotienscunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur: debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Interim & hodie quantũ potuimus explanauimus. Sed crastina die sabbato & dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus deus noster conseruet uobis gratiam quam dedit, & oculos quos uobis aperuit, plenius illuminare dignetur per unigenitum filium suum regem ac saluatorem dominum deum nostrum, per quem & cum quo sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas cum spiritu sancto à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

CAPITA LIBRI V. DE SACRAMENTIS.

Qua ratione in calice aqua admisceatur uino, & de mysterio illius. Cap. I
De gratiosa Christi inuitatione ad cœleste conuiuium per osculum oris sui. Cap. II
Quod accipienti sacramenta nihil desit. Et quomodo ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione, & quæ dicatur arbor pomifera. Cap. III
Quemadmodum orandum sit, & de breui expositione orationis dominicæ. Cap. IIII

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE SACRAMENTIS, Liber quintus.

Caput I

Qua ratione in calice aqua admisceatur uino, & de mysterio illius.

Hebr.7 Apoc.1

HEsternus sermo noster ac tractatus usq; ad sancti altaris sacramenta deductus est. Et cognouimus sacramentorum istorum figuram, Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neq; initium neq; finem habens dierum. Audi homo quid dicat Paulus apostolus ad Hebræos. Vbi sunt qui filium dei dicunt esse de tempore? De Melchisedech dictum est, quia neq; initium, neq; finem dierũ habet: Si Melchisedech nõ habet initium dierũ, num Christus habere potuit? Sed non

non est plus figura q̃ ueritas. Vides ergo quia ipse primus & nouissimus. Primus, quia autor est omniũ: Nouissimus, nõ quod finẽ inueniat, sed quod uniuersa concludat. Diximus ergo quod in altari cõstituatur calix & panis. In calicem, inquit, mittitur uinũ. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panẽ & uinũ obtulit? Quid sibi uult admixtio aquæ? Rationẽ accipe. Primo omniũ, figura quæ ante præcessit tẽpore Moysi, quid habet? Quia cũ sitiret populus Iudæorũ, & murmuraret quod aquã inuenire non posset, iussit deus Moysi ut tangeret petrã de uirga. Tetigit petram, & petra undam maximã fudit, sicut Apostolus ait: Bibebant aũt de consequenti petra, petra autẽ erat Christus. Non immobilis petra, quæ populũ sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysteriũ. Moyses, hoc est propheta: Virga, hoc est uerbũ dei. Sacerdos uerbo dei tangit petrã, & fluit aqua, & bibit populus dei. Tangit ergo sacerdos calicẽ, redundat aqua in calice, salit in uitã æternã, & bibit populus dei, qui dei gratiam cõsecutus est. Didicisti ergo hoc. Accipe & aliud. In tempore dominicæ passionis cum sabbatũ magnũ instaret, quia uiuebat dominus noster Iesus Christus, uel latrones, missi sunt qui percuterẽt eum. uenientes inuenerũt defunctum dominũ Iesum Christũ. tunc unus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & sanguis. Quare aquã? quare sanguis? Aqua ut emũdaret, sanguis ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per fœminã: gratia per dominũ Iesum Christum.

1. Cor. 10

Ioan. 19

De gratiosa Christi inuitatione ad cœleste conuiuiũ per osculũ oris sui. Cap. II

V Enisti ad altare, uocat te dominus Iesus uel animã tuam uel ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius. Osculetur me. Videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt: ideo te sacramẽtis cœlestibus dignum iudicat, & ideo inuitat ad cœleste conuiuium. Osculetur me ab osculis oris sui. Tamen propter sequentia anima tua uel humana conditio uel ecclesia uidet se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignã quę ad altare Christi possit accedere. Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi? Vidit sacramenta mirabilia, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui: hoc est, osculũ mihi Christus infigat. Quare? Quia meliora ubera tua super uinũ: hoc est meliores sensus, meliora sacramenta tua super uinũ. Super illud uinũ quod etsi suauitatẽ habet, lætitiam habet, gratiam habet: tamen in illo lætitia secularis, in te autẽ iucunditas est spiritalis. Iam tunc ergo Salomon inducit nuptias uel Christi & ecclesiæ, uel spiritus & carnis & animæ, & addidit: Vnguentum exinanitũ est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te. Quæ sunt istæ adolescentulæ, nisi animæ singulorũ quæ deposuerunt istius corporis senectutem, renouatę per spiritũ sanctum? Attrahe nos, post odorem unguentorũ tuorum currimus. Vide quid dicat. Non potes sequi Christum nisi ipse attrahat. Deniq; ut scias, Cum exaltatus, inquit, fuero, omnia traham ad meipsum. Induxit me rex in cubiculum suum, Græcus: In promptuarium suum, & in cellarium suum, habet. Vbi bona libamina, ubi boni odores, ubi mella suauia, ubi fructus diuersi, ubi epulæ uariæ, ut plurimis epulis tuum prandium condiatur.

Cant. 1

Ioan. 12

Cant. 4

Quòd accipienti sacramenta nihil desit. Et quomodo ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione, & quæ dicatur arbor pomifera. Cap. III

E Rgo uenisti ad altare, accepisti corpus Christi. Audi iterum quæ sacramenta es consecutus. Audi dicentem sanctum Dauid, & ille in spiritu hæc mysteria præuidebat, & lætabatur, & nihil sibi deesse dicebat. Quare? Quia qui accepit corpus Christi, nõ esuriet in æternũ. Quotiens audisti uigesimumsecundũ Psalmũ, & non intellexisti? Vide quemadmodũ aptus sit cœlestibus sacramentis: Dominus pascuit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuę ibi me collocauit. Super aquã refectionis educauit me, animã meam cõuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suũ. Nam & si ambulem in medio umbræ mortis: nõ timebo mala, quoniam tu mecũ es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga imperium, baculus passio est, hoc est æterna diuinitas Christi, sed etiam passio corporalis. Illa creauit, hæc redemit. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculum tuum inebrians q̃ præclarũ est. Venisti ergo ad altare, accepisti gratiam Christi, sacramẽta es cœlestia consecutus. Gaudet Ecclesia redemptione multorũ,

&

& astare sibi familiam candidatam spiritali exultatione lætatur. Habes hoc in Canticis canticorum. Lætata inuocat Christum, paratum habens conuiuium, quod dignum cœlesti epulatione uideatur. Ideoq; ait: Descendat frater meus in hortũ suum, & capiat fructum pomiferarum suarum: Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam: sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit dominus Iesus, & dignatione cœlesti respondit Ecclesiæ suæ: Descendi, inquit in hortum meum: uindemiaui myrrham cum unguentis meis, manducaui panem meum cum melle meo, & bibi uinum meũ cum lacte meo. Edite, inquit, fratres mei, & inebriamini: uindemiaui myrrham cum unguentis meis. Quæ est ista uindemia? Cognoscite uineam, & agnoscetis uindemiam. Vineam, inquit, ex Aegypto transtulisti, hoc est, populum dei. Vos estis uinea, uos estis uindemia, quasi uinea plantati, quasi uindemia fructũ dedistis. Vindemiaui myrrham cum unguentis meis, hoc est in odorem quem accepistis. Manducaui panem meum cum melle meo. Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit? Bibi uinum meum cum lacte meo. Vides huiusmodi esse lætitiam quæ nullius peccati sordibus polluatur? Quotienscunq; enim bibis, remissionẽ accipis peccatorũ, & inebriaris in spiritu. Vnde & Apostolus ait: Nolite inebriari uino, sed implemini spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, uacillat & titubat: Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur. Hæc sunt quæ de sacramentis breuiter percurrimus.

Cant. 5

Psal. 79

Ephes. 5

Quemadmodũ orandũ sit, & de breui expositione orationis dominicæ. Cap. IIII

Vnc quid superest, nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse uirtutis, scire quemadmodum oretis. Apostoli sancti dicebãt ad dominũ Iesum: Domine, doce nos orare, quemadmodũ Ioannes docuit discipulos suos. Tunc ait dominus orationẽ: Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuũ, Veniat regnum tuum, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, Et ne nos patiaris induci in tentationẽ, sed libera nos à malo. Vides q̃ breuis oratio, & omnium plena uirtutũ? Primus sermo quantæ sit gratiæ? O homo, faciẽ tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius: Ideo præsume, nõ de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrẽ, qui te per lauacrũ genuit, ad patrẽ qui te per filiũ redemit, & dic: Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Patrẽ dicis quasi filius, sed noli tibi specialiter aliquid uindicare. Solius Christi specialis est pater, nobis omnibus in commune est pater, quia illũ solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, ut filius esse merearis. Ecclesiæ cõtuitu & consideratione te ipse cõmenda. Pater noster, qui es in cœlis. Quid est in cœlis? Audi scripturã dicentẽ: Excelsus super omnes gentes dominus. Et ubiq; habes quod super cœlos cœlorũ dominus sit, quasi nõ in cœlis & angeli, quasi nõ in cœlis & dominationes. Sed in illis cœlis de quibus dictũ est: Cœli enarrãt gloriã dei. Cœlum est ibi, ubi cessauit culpa. Cœlum est ibi, ubi flagitia ferianť. Cœlum est ibi, ubi nullũ mortis est uulnus. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuũ. Quid est sanctificetur? Quasi optemus ut sanctificetur ille qui ait: Estote sancti, quia ego sanctus sum, quasi aliquid ei ex nostra precatione sanctificationis accedat? Non: Sed sanctificetur in nobis, ut ad nos eius possit sanctificatio peruenire. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, ueniat regnũ tuum. Quasi non æternum sit dei regnũ. Ipse Iesus dicit: Ego in hoc natus sum: & tu dicis patri, Veniat regnum tuum, quasi non uenerit? Sed tunc uenit regnum dei, quando eius estis gratiam consecuti. Ipse enim ait. Regnum dei intra uos est. Veniat regnum tuũ. Fiat uoluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Sanguine Christi pacificata sunt omnia, uel in cœlo, uel in terra, Sanctificatũ est cœlum, deiectus est diabolus. Ibi uersatur, ubi & homo quem ille decepit. Fiat uoluntas tua, &c. hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in cœlo. Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Memini sermonis mei cum de sacramẽtis tractarem. Dixi uobis quod ante uerba Christi, quod offertur, panis dicatur:

Lucæ 11

Ephes. 2

Psal. 112

Ibidem 18

Leuit. 10

Ioan. 18

tur: ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica quæ postea sequitur, ait: Panē nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπούσιον dixit, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est qui uadit in corpus, sed ille panis uitæ æternę, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideo Græcè ἐπούσιον dicitur. Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt aduenientem. Quia Græci dicunt τὸν ἐπιόυσαν ἡμέραν aduenientem diem. Ergo quod Latinus dixit & quod Græcus, utrumq; utile uidetur. Græcus utrunq; uno sermone significauit, Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quē admodum Græci in Oriente facere consuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic uiue, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere: quomodo Iob sanctus pro filijs suis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid uel in corde uel in sermone peccassent. Ergo tu audis quod quotienscunq; offertur sacrificium, mors domini, resurrectio domini, eleuatio domini significetur, & remissio peccatorum: & panem istum uitæ non quotidianū assumis? Qui uulnus habet, medicinā requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est, cœleste & uenerabile sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie ergo est quando Christus resurgit. Heri & hodie ipse est, apostolus Paulus ait. Sed alibi ait: Nox præcessit, dies autē appropinquauit. Nox hesterna præcessit, dies hodiernus appropinquauit. Sequitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitū quid est nisi peccatum? Ergo & si non acciperes alieni fœnoris pecuniam, non egeres: & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras ad imaginem & similitudinem dei factus. perdidisti quod habebas, hoc est humilitatē, dum arrogantiam desideras uindicare, perdidisti pecuniam. sicut Adam nudus es factus, accepisti à diabolo debitum, quod nō erat necessarium. Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam dominus crucifixit, & suo cruore deleuit. Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo ait: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vide quid dicas. Quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene conuenit ut dimittat tibi. Si non dimittis, quomodo eum cōuenis ut dimittatur tibi? Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos à malo. Vide quid dicat: Et ne patiaris induci nos in tentationem, quam ferre non possumus. Non dicit: Non inducas in tentationem, sed quasi athleta talem uult tentationem quam ferre possit humana conditio: ut unusquisq; à malo, hoc est ab inimico à peccato liberetur. Potens est autem dominus qui abstulit peccatum uestrum, & delicta uestra donauit, tueri, & custodire uos aduersum diaboli aduersantis insidias, ut non uobis obrepat inimicus qui culpam generare consueuit. Sed qui deo se cōmittit, diabolum non timet. Si enim deus pro nobis, quis contra nos? Ipsi ergo laus, & gloria à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

Iob 1

Psal. 2
Hebr. 13
Rom. 13

Ibidem 8

FINIS.

CAPITA LIBRI VI. DE SACRAMENTIS.

Quomodo panis Christi sit uera caro, & uerus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur. Cap. I

Quòd in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum. Cap. II

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso. Cap. III

Quare secretè potius orandum sit quàm cum uociferatione. Et quare uiri in omni loco orare debeant, & non mulieres. Et quid sit leuare puras manus. Cap. IIII

De inordinata disceptatione orantium. Et quod mulieres non in ornamentis orare debeant. Et de inchoatione orationis, eiusq; medio ac fine, cum iterata dominicæ orationis expositione. Cap. V

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS DE SACRAMENTIS Liber sextus.

Quomodo panis Christi sit uera caro, & uerus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur. Cap. I

Sicut uerus est dei filius dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita uera eius caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & uerus eius sanguis est quem potamus. Sed fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem: Nisi quis manducauerit carnẽ meã, Ioan. 6 & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit uitam æternam. Fortè dicas: Quomodo uera? Qui similitudinem uideo, non uideo sanguinis ueritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare & conuertere genera instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen Petrus dixit: Verba uitæ æternæ habes, & ego à te ibidem quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, ueluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis: ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed uerè naturę gratiã uirtutemq; consequeris. Ego sum, inquit, panis uiuus qui de cœlo descendi. Sed caro nõ descendit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis è cœlo, & panis uiuus? Quia idem dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis: & tu qui accipis eius carnem, diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento. ibidem Cap. II

Quod in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum.

ERgo accepisti de sacramentis, plenissimè cognouisti omnia, quòd baptizatus es in nomine trinitatis. In omnibus quæ egimus, seruatum est mysterium trinitatis. Vbiq; pater & filius & spiritus sanctus, una operatio, una sanctificatio, etsi quædã ueluti specialia esse uideantur. Quomodo? Deus qui te unxit, & signauit te dominus, & posuit spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo spiritum sanctũ in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum spiritus sanctus in corde, ita etiã Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis canticorũ Christum dicentẽ ad Eccle Cant. 8 siam: Pone me sicut signaculũ in corde tuo, sicut signaculũ in brachijs tuis. Ergo unxit te deus, signauit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionẽ, accepisti signaculũ ad illius similitudinẽ, ut ad ipsius formã resurgas, ipsius uiuas figura, qui peccato crucifixus est, & deo uiuit: Et tuus homo uetus in fontẽ demersus, peccato crucifixus est, sed deo resurrexit. Deinde habes alibi speciale, quod te uocauerit deus, in baptismate aũt quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi speciliter quando accipis spiritale signaculũ, uide distinctionẽ personarũ esse, sed connexum 1. Cor. 12 omne mysteriũ trinitatis. Deinde quid Apostolus tibi dixit, ut lectum est nudiustertius? Diuisiones aũt gratiarũ sunt, idem aũt spiritus. Diuisiones mysteriorũ sunt, idem aũt dominus. Diuisiones operationũ sunt, idem aũt deus, qui operat omnia in omnibus. Omnia, inquit, operat deus. Sed & de spiritu dei lectũ est: Vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Audi scripturã dicentẽ quia diuidit spiritus pro uolũtate sua, nõ pro obsequio. Ergo diuidit uobis spiritus gratiã prout uult, nõ prout iubet. Et maximè quia spiritus dei, spiritus Christi est. Et illud tenete, ipsum esse spiritum sanctum, ipsum dei, ipsum spiritũ Christi, ipsum spiritum paracletum. Arriani putant se derogare sancto 2. Cor. 1 spiritui si dicant illum spiritum paracletũ. Quid est paracletus nisi consolator? Quasi nõ & de patre lectum sit, quia ipse est deus consolationis. Vides ergo quia in eo derogandum putant spiritui sancto, in quo patris æterni potestas pio prædicatur affectu. Cap. III

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso.

NVnc quomodo orare debeamus accipite. Multæ uirtutes orationis sunt. Vbi orare debeamus, non est mediocre, nec mediocris quæstio. Ait Apostolus: Volo autem uiros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & 1. Tim. 2 disce-

disceptatione. Et dominus dicit in Euangelio: Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuũ. Non tibi uidetur esse contrarium, ut dicat Apostolus: In omni loco ora? & dominus dicat: Intra in cubiculum tuum, & ora? Sed non est contrarium. Hoc ergo absoluamus. Deinde quomodo debeas incipere orationem, & quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodũ claudere orationẽ. Deinde pro quo orare debeas. Hæc omnia dicamus, Primo ubi orare debeas. Aliud Paulus uidet̃ dicere, aliud dominus. Nunquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? Non utiq;. Qua ratione? Quia nõ cõtrarius, sed interpres est Christi. Imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi. Quid ergo? Potes ubiq; orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubiq; cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Iudæos positus sis, habes tamẽ tuum ubiq; secretũ. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumq; conseruas. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum. Bene addit Intra, ne sic ores quomodo Iudæus, cui dicitur: Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum longe est à me. Non ergo de labijs tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intẽde, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctoriũ uideat ille cui te placere desideras. Videat quia ex corde oras, ut te ex corde orantẽ dignetur audire. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuũ. Habes hoc & alibi: Ambula popule meus, & intra in recessus tuos, abscondere pusillũ donec transeat ira domini. Hoc locutus est dominus per prophetam. In Euangelio autẽ dixit: Tu autẽ cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuũ. Quid est clauso ostio? Audi quod ostium habeas, quod debeas claudere quando oras. Vtinã mulieres audirent. Audisti iam, sanctus Dauid docuit te dicens: Pone domine custodiã ori meo, & ostium circuitus labijs meis. Est aliud ostium quod ait apostolus Paulus, dicens: Vt aperiatur, inquit, mihi ostium uerbi ad loquendum mysterium Christi, hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere orationem tuam, nec iactare per populos. In secreto tuo ora securus, ut te in secreto possit audire qui omnia uidet, atq; audit uniuersa. Et ora patrem tuum in abscondito, audit te deprecantem.

Matth. 6
1. Cor. 11
Esa. 29
Ibid. 26
Matth. 6
Psal. 140
Coloss. 4

Quare secretè potius orandum sit, quàm cum uociferatione, Et quare uiri in omni loco orare debeant, & non mulieres. Et quid sit leuare puras manus. Cap. IIII

Q Vid prosit aũt interrogemus, qua ratione secreto magis orare debeamus, q̃ cũ uociferatione? Audi. De cõsuetudine hominũ sumamus exemplũ. Si aliquẽ rogas qui cito audit, nõ opus putas esse clamore, sed rogas uoce moderata. Si surdũ aliquẽ rogas, nónne incipis uociferari, ut te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat q̃d aliter deus nõ possit nisi clamantẽ audire. Et cũ rogat eũ, eius derogat potestati. Qui aũt in silẽtio orat, fidẽ defert, & confitet̃ q̃ deus scrutator cordis & renis sit, & orationẽ tuã antè ille audiat, q̃ tuo ore fundat̃. Ergo uideamus: Volo aũt uiros orare in omni loco. Qua ratione uiros dixit? Vtiq; cõmunis oratio est & mulieribus & uiris. Quod nõ inuenio, nisi fortè sanctus Apostolus ideo uiros dixit, ne mulieres usurparent & male intelligerẽt in omni loco, & inciperent ubiq; clamare, quas in ecclesia sustinere nõ possumus. Volo aũt uiros, hoc est, qui possint seruare præceptũ, orare in omni loco, leuãtes puras manus. Quid est leuãtes puras manus? Nũquid debes in oratione tua crucẽ dñi gentib. demõstrare? Illud quidẽ signũ uirtutis est, nõ pudoris. Est tamẽ quomodo possis orare, nec figurã demõstres, sed actus tuos leues. Si uis operari orationẽ tuã, leua puras manus per innocẽtiã. Leua eas nõ q̃tidie, semel leuasti, nõ opus est ut iterũ leues. Volo aũt in omni loco uiros orare, leuãtes puras manus sine ira & disceptatione. Nihil uerius. Ira, inquit, perdit etiam sapientes. Ideo cũ omni tẽpore, quantũ fieri potest, Christianus uir iracundiam debeat temperare, maximè quando ad orationẽ accedit, ne perturbet animũ suum indignatio, ne iræ quidam furor impediat orationẽ suam. Magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Seruus peccauit. Tu accedis ad orationem, ut tua tibi delicta donentur, & alij indignaris? Hoc est ergo sine ira.

1. Tim. 2
Prou. 15. iuxta 70

De inordinata disceptatione orantium, & quod mulieres non in ornamentis orare debeant, & de inchoatione orationis, eiusq; medio ac fine, cum iterata dominicæ orationis expositione. Cap. V

N Vnc de disceptatione uideamus. Plerumq; negociator uenit ad orationẽ, aut

auarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quod eum deus possit audire. Et ideo quando oras, diuina humanis præferre te conue-
1.Tim.2 nit. Similiter & mulieres, inquit, uolo orare nõ iactantes se in ornamentis, necp in marga-
1.Pet.3 ritis, ait apostolus Paulus. Sed & apostolus Petrus: Mulieris, inquit, gratia plurimũ ua-let ut uiri eius conuertatur affectus per uxoris suæ bonam conuersationẽ, & incredulus se cõuertat ad gratiã Christi. Hoc ualet mulieris grauitas, & pudicitia, & eius bona con-uersatio, ut uirũ suum uocet ad fidem & deuotionẽ, quod prudentis uiri sermo frequen-ter operatur. Ergo mulier, inquit, non in ornatu capillorũ, nõ in tortis crinibus ornamẽ-tum suũ habeat: sed oratione, & corde puro, ubi est absconditus cordis homo, qui sem-per est apud deum locuples. Habes ergo in quo sis diues, in quo diuitiæ tuæ pudicitiæ sunt & castitatis insulæ, fides, deuotio, & misericordia. Hi sunt thesauri iustitiq, sicut Pro-pheta memorauit. Deinde unde debeas incipere. Dic mihi, si uelis hominem rogare, & sic incipias: Da mihi, ecce illud quod à te peto: non'ne arrogans uidetur oratio? Et ideo inchoari oratio debet à dei laude, ut roges omnipotentẽ deum, cui possibilia sunt om-nia, qui habet uoluntatem prestandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicẽs:
1.Tim.2 Obsecro ergo primum fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Prima ergo oratio lau-dem debet habere dei. Secunda supplicationem. Tertia postulationem. Quarta gratia-rum actionẽ. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante à laudibus dei. Vnde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinã: ut iudicẽ fautorem sibi præ-stent, incipiunt à laudibus eius, ut beneuolum sibi faciant cognitorẽ. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, ut patienter dignetur audire. Audet & tertio postulationẽ suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo cœpit à laudibus dei, sic debet in dei laude desinere. Habes hoc in oratione dominica: Pater noster qui es in cœlis. Laus dei, quod pater prædicatur, in eo pietatis gloria. Laus dei, quia in cœlis habitat & in ter-ris. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuũ: id est, ut sanctificet seruos suos. Nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando prædicantur homines Christiani. Er-go optantis est, Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnũ tuum, Postulatio ut in nobis sit regnum Christi. Si deus in nobis regnat, locum habere aduersarius non potest. Cul-pa non regnat, peccatum nõ regnat, sed regnat uirtus, regnat pudicitia, regnat deuotio. Deinde, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra: Panem nostrum quotidianũ da no-bis hodie. Hæc postulatio maxima est eorum quæ postulantur. Et dimitte, inquit, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ideo quotidie accipe, ut quo-tidie debito tuo indulgentiam petas. Et ne patiaris nos induci in tentationem, sed libe-ra nos à malo. Quid sequitur? Audi quid dicat sacerdos. Per dominum nostrum Iesum Christũ, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum spiritu sancto à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum, Amen. Aliud, Psalmorum Dauid licet unus libellus sit, habens eas uirtutes orationis quas suprà dixi-mus: tamen plerumq; & in uno Psalmo omnes istæ orationis partes inueniuntur, quo-modo in octauo psalmo inuenimus. Denicp sic cœpit: Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Oratio ergo prima. Deinde obsecratio: Quoniam uidebo cœlos opera digitorum tuorum, hoc est, cœlos uidebo, lunam & stel-las, quas tu fundasti. Vticp non cœlum dicit uidebo, sed uidebo cœlos, in quibus incipit albescere gratia & splendor cœlestis. Hos sibi cœlos tunc promittebat propheta dari, qui cœlestem gratiam à domino mererentur. Lunam & stellas quas tu fundasti: lunam ecclesiam, stellas cœlestis gratiæ resurgẽtes. Deinde uide postulationẽ eius. Quid est ho-mo q; meministi eius? aut filius hominis quia uisitas eum? Minorasti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuũ tua-rum. Et alia gratiarum actio: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues uniuer-sas, insuper & pecora campi, &c. Docuimus pro captu nostro forsitan quod à domino didicimus, ut potuimus, expressimus. Sanctitas ergo uestra institutis sacerdotalibus in-formata, laboret tenere quod accepit à deo: & oblatio sicut hostia pura, & in uobis sem-per suum signaculum recognoscat, ut & ipsi ad gratiam & ad præmia uirtutũ peruenire possitis, Per dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria, honor, laus, perpetuitas à seculis & nunc & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

Capita

CAPITA LIBRI DE DIGNITATE SACERDOTALI.

De causis authorem mouentibus ut consacerdotes atq; conseruos suos de uita perfecta commonere, ac laborem propositi operis suscipere curauerit. Cap. I
De aggressu desiderati laboris, & cohortatione auditorum, sacerdotalis q; prærogatiuę, & dignitatis præmonstratione. Cap. II
Quòd idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis author prę misserit, ut ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis repe-riri, sic tamen, si nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Quodq; sicut nihil episcopo excellentius est, ita nihil miserabilius sit si episcopus de sancta uita pe-riclitetur, & si sacerdos in crimine teneatur. Quòd prę terea quãto prę cęteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior sit. Cap. III
De speciali depictione formulæ ab episcopis & sacerdotibus iuxta apostolicã regulam obseruandæ, cum pulchra ac succincta eiusdem regulæ expositione. Cap. IIII
De detestatione episcoporum sacerdoralem honorem diffamantium, qui Giezi & Si-monis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecu-niis comparare non uerentur. Cap. V
De ostensiua repetitione malorum, ad quę deificus ordo uoluitur, probrorumq; ad quę prolapsi sunt sacerdotes, cum acri eorundem reprehensione. Cap. VI
De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum quæ in ipso demonstrata sunt, & notationem sacerdotum quos author nouit sibi infideliter detracturos, inuocatio-nemq; sancti spiritus ut adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendum ea quæ ipso inspi-rante in hoc opusculo elocutus est. Cap. VII

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, DE DIGNITATE SACERDOTALI, LIB. VNVS.

De causis authorem mouentibus ut consacerdotes atq; conseruos suos de uita perfecta cõmonere, ac laborem propositi operis suscipere curauerit. Cap. I

SI quis fratres oraculi reminiscatur domini quo frugi famulum de ser uata sibi pecunia, quam ad prærogandum susceperat, increpauit di-cens: Tu dedisses pecuniam meam, & ego ueniens cum usuris exe- *Lucæ 19*
gissem eam: non iam ocioſus auditor collatam sibi diuini muneris gratiam suis tantum usibus reseruabit, sed cunctis eam cõmunicabi lem faciens, copiosius prærogando, securius possidebit: ut sibi per hæc & plurimis ædificationis exhibeat fructum: & uelut decora ar bor pomis referta non infructuose probatur occupare terram dum uiuit, cum & per seipsam suis pomis ornatur, & omnis qui ex ea fructum perceperit, sa-ginatur, beato nos etiam Apostolo ad hæc eadem inuitante: Nolite quærere quæ uestra *Philip. 2*
sunt, sed quæ aliorum. Et alibi: Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis, ut sal- *1. Cor. 19*
ui fiant. Idcirco nos quibus in uerbis diuinis credita est dispensatio, & qui gregem Chri sti alendum nutriendumq; suscepimus, non sine ingentis periculi noxa nos credimus e-uasuros, si non secundum hunc modum uiuamus, aut etiam si minimè prædicemus. Et licet ad hæc prædicanda nos retardet uitæ huius improbitas, inuitat nos tamẽ præcepti necessitas. Et uæ iam mihi est si minimè prædicauero, & si susceptum thesaurum in ter-ra defossum, id est, in meo corde diu occuluero, & lucernam diuini uerbi compressam sub modio retentauero, & non super candelabrum propositam, cunctorum oculis ma-nifestauero, & claustra humanæ imperitiæ per claues illas regni cœlorum quas in beato Petro apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minimè reseruauero, ut audire per hęc me-rear pro linguæ meæ modulo: Euge serue bone & fidelis quia in pauca fuisti fidelis, su- *Matth. 25*

pra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Vnde uerens ijs increpationi-
bus & supplicijs subdi, timore pœnæ perculsus, amore fraterno inuitatus, non iam ad
subditum loquor uulgus, quos iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam prædicatores
uulgi mea uerba conuerto: & meis conseruis uelut obediens seruus, id est, episcopus sa-
cerdotibus, antistes pontificibus, audacter prædicare salutis communia non retardabo,
Nec prærogatiuã mihimet scientiæ, si hæc meis consacerdotibus charitatis intuitu præ-
rogem, uendicabo, aut uitæ perfectæ me esse fateor, cum de uita perfecta alios moneo,
sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor audiam.

De aggressu desiderati laboris, & cohortatione auditorum, sacerdotalisq; præ- Cap. II
rogatiuæ & dignitatis præmonstratione.

A Ggrediar iam diuina ope suffultus, facultate qua ualeo, & eorum precibus
adiutus, ad quos noster respicit sermo, desideratũ carpam iter, & in gremio
quasi consacerdotum positus, ipsos alloquor sacerdotes. Audite me beatissi-
mi patres, & si dignum ducitis, sanctissimi fratres. Audite me stirps Leuitica, germen sa-
cerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. Audite me rogantem
uos pariter & timentem, & commodis & commonitionibus solito consulentem, & ho-
norem episcopatus demonstrare uolentem, ut cum honoris uobis prærogatiua mon-
stremus, merita etiam cõgrua requiramus, nec falli possimus in opere, qui cognoscimus
ueritatem. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur à nobis, & sic dein-
Psal. 48 de seruetur à nobis, ut Psalmographi sententia queat repelli à nobis: Homo cum in ho-
nore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est il-
lis. Honor igitur fratres & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus ada-
quari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius quàm si
plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum uideas regum colla & prin-
cipum summitti genibus sacerdotum & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorũ
credent se communiri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine, cui non solum præfer
ri à domino meruit, sed ut eam quoq; iure tueatur patrio, præceptis imperatũ est Euan-
Ioan. 21 gelicis? Sic certe à domino ad beatum Petrum dicitur: Petre amas me? Et ille: Tu scis
domine quia amo te. Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset sub-
secutus, repetitum est à domino tertio: Pasce oues meas. Quas oues, & quem gregem
non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos
suscepimus omnes. Vnde regendæ sacerdotibus contraduntur, merito rectoribus suis
subdi dicuntur, quia Euangelico coruscante mandato uidemus nihilominus esse præfi-
Lucæ 6 xum: Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, sed sufficit
discipulo ut sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.

Quòd idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis author præmiserit, ut
ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius e-
piscopis reperiri, sic tamen, si nomen congruat actioni, & actio respondeat no-
mini. Quodq; sicut nihil episcopo excellentius est, ita nihil miserabilius sit si e-
piscopus de sancta uita periclitetur, & si sacerdos in crimine teneatur. Quòd
præterea quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligen Cap. III
tiam delabatur, ruina grauior sit.

H Æc uerò cuncta, fratres, ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut osten-
deremus nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius
episcopis reperiri, ut cum dignitatem episcopatus episcoporum oculis de-
monstramus, & digne noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione po-
tius quàm nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomi
ni, ne sit nomen inane & crimen immane. Ne sit honor sublimis, & uita deformis. Ne sit
deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus. Ne
sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, &
conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, &
mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatẽ ha-
Esa. 29 beamus lupinam. Ne digne nobis per Prophetam respondeatur à domino: Populus hic
labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Ergo fratres sicut senatorem chla-
mys

mys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosq; opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat authores, sic episcopum nõ aliud nisi episcopalis opera designat: ut ex bono opere magis quàm professione noscatur, plus meritis esse episcopus, quàm quod nomine uocitetur: quia sicut nihil esse diximus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius si de sancta uita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur. Et ut leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quanto præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet solicitudine circunuallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: Quia optimis permixta sunt pessima. Et alibi: Potentes potentiora tormenta potiuntur. Et scienti legem & non facienti eam, peccatum est grande. &, Seruus sciens uoluntatem domini sui si non fecerit eam, uapulabit multùm. Aliud est enim quod ab episcopo requirit deus, & aliud quod à presbytero, & aliud quod à diacono, & aliud quod à clerico, & aliud quod à laico, uel à singulis quibusq; hominibus. Et licet omnium hominum opera deus in suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur cui plus cõmittitur. Ampliores enim pœnas luit cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *Sap. 6* *Lucæ 12*

De speciali depictione formulæ ab episcopis & sacerdotibus iuxta Apostolicam regulam obseruandæ, cum pulchra ac succincta eiusdem regulæ expositione. Cap. IIII

Vt specialiter ipsius episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, apostolica est nobis regula reuoluenda, quæ de ijs per singula episcopales actus depingit. Sic ad cunctos episcopos beatus ait Apostolus: Fidelis sermo. Ac si diceret: De quo sum locuturus, ueraciter loquor, ne quis existimet me fuisse mentitum. Subiunxit: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: hoc est, Si episcopus esse desideras, magnum est quod esse cupis, sed si & opus bonum simul amplectaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non potes: quia sequitur: Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse. Irreprehensibilem ait. Nam si episcopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ. Et profecto culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit usque ad mortem. Ecce ad quid uoluitur dignitas episcopalis. Et post paululum ait: Vnius uxoris uirũ. Si ad superficiem tantum literæ respiciamus, prohibet digamum episcopum ordinari. Si uerò ad altiorẽ sensum conscendimus, inhibet episcopum duas usurpare ecclesias. Et si adhuc introrsus profundiora perscruteris, monet ne post catholicum dogma, sensum inueniatur episcopus habere hæreticum, sed Christianam tantum orthodoxam & catholicam sibi associet fidem, ut unius tantummodo uxoris & catholicæ ecclesiæ uir episcopus uocitetur. Sequitur deinde, & ait: Sobrium, hoc est, non uino tantum, sed & uitijs parcum, ut nec uino amplius indulgeat quàm oporteat, & mente semper sobrius inueniatur. Et adiunxit sequentia dicens: Prudentem. Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur quod stultitia sit apud deum: sed prudentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & uerbo perita, ut sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. Et denuo infert: Ornatum. Quod si iuxta sensum literæ tantum respiciamus, non aliud sacerdotes quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratia: Castorinas quærimus & sericas uestes. Et ille se inter episcopos credit esse altiorem, qui uestem induerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non uult, quia non carne episcopum, sed mente docet esse ornatum, ut ille sacerdos placeat deo, qui animam habuerit compositam deo. Et post hæc addidit: Hospitalem. Vt humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, & egenum sine tecto inducat in domum suam, nec solus deuoret dona Christi quæ largita est bonitas Christi. Et ut hilarem datorem diligat Christus, sine murmure cõtribuebat pauperibus Christi. Sequitur deinde & ait: Docibilem, id est, sic polleat episcopus sapientia, ut non solum creditum sibi populum sufficienter doceat, uerum etiam & cunctarum queat hæresium contradictiones à catholica repellere ecclesia, ne sua imperitia *1. Tim. 1* *Ibid. 3* *Ibidem* *Ibid. 3* *1. Cor. 3* *2. Cor. 9*

imperitos minimè doceat, & huiusmodi casu præuentus eueniat illi quòd scriptum est:
Matth. 15 Cæco cæcus ducatum præbens ambo in foueam cadunt. Qui uero talem se ut diximus
esse ignorat, sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius usurpare præsumat: præ-
sertim illius qui fulgore suæ sapientiæ populorũ potest corda lustrare. Subiunxit & ait:
Non uinolentum, hoc est, non multo uino deditum, ut sic credatur & uideatur episco-
pus: utrum biberit an nõ, ignoretur: ne post largam potionem uini, mulierum delectetur
illecebra, nec per uinum, sicut ait Apostolus, omnis nutriatur luxuries. Demum subse-
1. Tim. 3 quitur dicens: Non percussorem, sed modestum, id est, manus improbas ad cædem nõ
habeat, & suspicionibus prauis minimè percutiat conscientias aliorũ, ne dum petulans
inuenitur ad cædem, athleta magis quàm episcopus iudicetur. Sed magis è diuerso ab
aliis illatas patiẽter ferat iniurias, ut mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam
Ibidem demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat. Iterum addidit dicens: Non litigio-
sum, id est, nõ linguam ad conuitiũ relaxet episcopus, ne per eandem linguam per quam
laudes refert deo, & diuina libat sacrificia, litium uenena proferat, quia nõ decet de ore
episcopi benedictionem simul & maledictionẽ egredi, ne per eandem linguam per quã
deus laudatur, homo maledicatur: quia non potest de uno fonte dulcem & amarã pro-
Ibidem ducere aquam. Deinceps subsecutus est dicens: Non cupidum, id est, nõ turpis lucri cu-
pidum, ne lucri cupiditate episcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, quæ est ra-
Ibidem 6 dix omnium malorum. Qui stipendijs tantum contentus ecclesiæ suæ, penitus non am-
biat quæ intelligit esse superflua, sed de ipsa potius paupertate ecclesiæ suæ libenter im-
2. Cor. 9 pertiat pauperibus Christi, sicut scriptum est: Hilarem datorem diligit deus. Et conne-
xuit subsequentia dicens: Domui suæ bene præesse, filios habentem subditos, cum om-
ni castitate. Domui suæ bene præesse potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Do-
1. Tim. 3 mui, inquit, hoc est corpori suo imperioso iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo,
& in desiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur, sed potius filios suos suo ca-
stitatis exemplo ad pudicitiæ regulã doceat. Nam si quis domui suę præesse nesciat, quo-
Ibidem modo ecclesiæ dei diligentiam adhibebit? Hoc est enim de quo superius diximus: Qui
cordis sui domum excolere non ualet, quomodo plurimorũ adhibebit diligentiam? Et
qui peccati trabem de suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit
amputare festucam? Item sequitur, & ait: Non neophytum, hoc est, qui nuper ad fidem
ex gentilitate aduenit, aut certè ex militia seculari ad clericatus est officium sociatus. Hi
ergo non tam passim sacerdotalem arripiant gradum, ne elati in superbiam, in iudicium
incidant, & in laqueũ diaboli: quia quod longo tempore minimè discunt, in paruo tem
pore seruare non possunt. Et concludens regulam & episcopalem formam, ad extremũ
Ibidem intulit dicens: Oportet autem & illum testimonium bonum habere ab ijs qui foris sunt:
id est, hæreticis & schismaticis, qui extra sanctam ecclesiam catholicam cõuenticula sibi
profana præficiunt, quos tamen testes Apostolus & testimonium dicit debere bonum
habere de immaculata uita, & sancta episcopi conuersatione, ne forte accipiant inimici
locum episcopo obtrectandi, & infamare incipiant catholicum dogma.

De detestatione episcoporum sacerdotalem honorem diffamantium, qui Giezi & Simonis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecunijs comparare non uerentur. Cap. v

Is ita prælibatis, ut reor, in hoc opere uelut à grandi fœnore nos perfensimus
H liberatos, cum nõ nostra contra episcopos, sed sancti Apostoli opposuimus
testimonia, ne uelut uulgaribus fabulis nostrum irriderent opus. Cum uero
authoritas nobis per singula sancti arriserit apostoli Pauli, ipsum potius apostolũ si au-
sint & nos reprehendant. Et licet iam coartet nos libelli huius prolixitas, & tempus nos
urgeat ut ad finẽ huius operis ueniamus: solicitudo tamen fraterni nos retardat amoris,
illorũ præcipue sacerdotum qui mentis tepore hebetati, sacerdotalem diffamant hono
rem, & qui nouam prodigaliter regulam ac tempestatem peperisse deflentur, & Giezi
sectantes & Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecunijs coemerunt, ne-
Act. 8 quaquam timentes, cum honorẽ sacerdotalem pecunijs emerent, à beato Petro apostolo
lo se cum Simone fuisse damnatos, sicut ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia
donũ sancti spiritus te credidisti pecunijs comparare. Et lepram cum Giezi à sancto su-
scepisse

scepisse se credant Helisæo, qui gradum sacerdotalem æstimant pecunijs cõparare. Qui bus cum ista dixerimus, sufficere debuit suam cõparando lepram possidere. Nam sicut ualidioribus morbis capite uitiato, reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi letaliter irrigari, ita & ij qui caput uidentur esse ecclesiæ, morbo pestifero fraternum uitiant corpus, ut nihil ex totius corporis cõpage insauciatũ possit euadere, quod negligentium sacerdotũ uitiositatis mortale infecerit uirus, ita ut uideas in ecclesia passim quos nõ merita sed pecuniæ ad episcopatus ordinẽ prouexerunt: nugacẽ populum & indoctum, qui talem sibi asciuerunt sacerdotẽ: quos si percunctari fideliter uelis, quis eos præfecerit sacerdotes, respondent mox & dicunt: Ab archiepiscopo sum nuper episcopus ordinatus, centumq; ei solidos dedi ut episcopalem gratiam consequi meruissem: quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem. Vnde melius est mihi aurũ de saccello inuehere, q̃ tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatũ comparaui: quos tamen solidos, si uiuo, recepturũ me illico non diffido. Ordino presbyteros, consecro diaconos, & accipio aurũ. Nam & de alijs nihilominus ordinibus pecuniæ quæstũ profligare confido. Ecce & aurũ quod dedi, in meo saccello recepi, & episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopũ fecit. Nam propter pecunias spiritaliter leprosum ordinauit. Pecunia, inquit, tua tecũ sit in perditionẽ, quia donũ sancti spiritus gratiæ precio cõparasti, & cõmercium miserabile in animarũ exitium peregisti. Et nescij homines & indocti in ordinationibus eorum clamant & dicunt: Dignus es, & iustus es, & conscientia misera. Indignus es, & iniustus es, dicit. Pronunciat enim episcopus huiusmodi ad populum dicens: Pax uobis. Oculis quidem carnalibus uidetur quasi episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisiuit indebitũ ordinẽ, & deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatẽ. Caro ancilla, domina facta est animæ: & anima quæ erat domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit dæmoni. Carni sacerdotium cõparauit, & animæ detrimentũ parauit. Et quid prodest huiusmodi homini si totũ mundum lucretur, & animæ suæ detrimentũ patiatur? Aut quam dabit homo cõmutationem pro anima sua? Quod dedit cum ordinaretur episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret: quod accepit, pecunia fuit: & quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorũ, in perniciem eorum. Interrogo tamen fratrem & coepiscopũ nostrum, quia & ego episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper. Frater episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te, Hæc gratia cur tali uocabulo nuncupatur? Respondet: Cur inquis? Vt reor, pro eo quod gratis datur, ideo gratia uocitatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro nõ æstimatur, à te cur gratia pecunijs cõparatur? Respondet: Non, inquit, mihi daretur, si pecunijs non emeretur, nec episcopus fuissem ordinatus, si pecunias nõ dedissem. Ergo ut apparet ex respõsionibus tuis, gratiam cum ordinareris nõ suscepisti, quia gratuito eam nõ meruisti. Et ideo frater si gratiam nõ accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos dominus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Cur ergo gratuitã æstimasti te precio possidere gratiam? Nam ut uideo, aurũ dans perdidisti, & gratiam sanctam nõ acquisisti. Adhuc tamen semel adijciens fratrẽ perquiro episcopũ, ne quid de approbamentis ueridicis nos prætermisisse uideamur. Quis dat frater episcopalem gratiam? deus, an homo? Respondes sine dubio: deus. sed tamen per hominem dat deus, homo imponit manus, deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexterã, & deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinẽ, & deus tribuit dignitatẽ. O iustitia, ô æquitas. Si homini pecunia datur qui nihil in ordine amplius operat̃, nisi solum seruitiũ quod ei credit̃, cur deo totum negatur qui ipsum ordinem tibi largitur? Iustum ne tibi uidetur ut seruus honoretur, & dominus iniuriam patiatur, & iniuste accipiat sacerdos pecuniam, & deus patiatur ab homine iniuriam? Sed quia pro cõcesso ordine deus à te nihil expectat, cur à te sacerdos impudenter pecuniam expectat? Deus homini cõcedere uoluit gratis, & episcopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis? Deus homini ut certe benignus gratis donauit, & sacerdos malignus eum sine causa prædauit? Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

4.Reg.5

Matth.16

Ibid.10

1.Cor.4

De ostensiua repetitione malorum ad quę deificus ordo uoluitur, probrorumq; ad quæ prolapsi sunt sacerdotes: cum acti eorundem reprehensione. Cap. VI

E Cce ad quæ mala uoluitur deificus ordo. Ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi: Vos estis lux huius mundi. Ecce quibus subiiciuntur gentes, quibus à domino dictum est: Vos estis sal terrę. Ergo si lux est ecclesiæ episcopus à domino ordinatus, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solũ quia ipse dum male agit, digne perit: insuper & alios secum indigne perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis arua condire, cur infatuatus tali uitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita ut nec alios nec teipsum possis cõdire? Oculorum etiam in corpore officium, id est in ecclesia, uoluntarius appetisti, ut reliquũ per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc quadam lippitudine & caligine uitiorum obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & alijs adimis lumen. De quibus oculis in Euangelio dicitur: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: id est, si episcopus qui lumen promeruerit præesse in corpore, simplicitate est sancta & innocentia decoratus, omnis ecclesia splendore luminis radiatur. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est: id est, si episcopus qui uidebatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Id est, quid secularis factura est multitudo, cum uoluptatibus illicitis & actionibus uetitis ad similem facinorum uoraginem episcopus multitudinem populi prouocauerit, ut nulli iamiamq; illicitum esse uideatur quod ab episcopo quasi licitum perpetratur. Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile quicquid episcopus habuerit delectabile. Nec quisquam quod agere pontifex nõ dubitat, se indubitanter agere dicat, Episcopus enim à cunctis indubitanter uocaris, præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector? maxime cum solio in ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te uelut tetrum speculum uniuersorum oculis demonstras, ita ut non possint obscuritate tua se comptius exornare?

Matth. 5

Ibid. 6

De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum quę in ipso demonstrata sunt, & notationem sacerdotũ quos author nouit sibi infideliter detracturos. Inuocationemq; sancti spiritus, ut adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendum ea quæ ipso inspirante in hoc opusculo elocutus est. Cap. VII

V Fficiat hucusq; nunc nostris consacerdotibus, paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum demonstrauimus, ne fidentes in sublimitate honorum, minime requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent sacerdotis nomine plus quàm opere gloriari. Et quanquam sciam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes qui hæc quæ loquimur agere nolunt, infideliter esse detracturos, credo tamen plurimos qui hæc agunt, uel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorũ minime prægrauamur, sic demum probatorum & sanctorum uirorum orationibus adiuuamur. Age iam nunc sanctificus spiritus, qui nos in hoc opere diuinis inspirationibus adiuuisti, cunctos sacerdotes adiuua, & præsta ut faciant quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti, ut eis una mecum tribuas seculorum regna, quæ sanctis in regna seculorum dare promisisti, Amen.

S

FINIS.

DIVI

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, PRECATIO PRIMA PRAEPARANS AD MISSAM.

VMME sacerdos & uere pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti deo patri in ara crucis hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium in uirtute spiritus sancti, dicens: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per tuum sanguinem preciosum, magnum salutis nostræ precium: Rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo: Doce me seruum tuum indignum, quem inter cetera dona tua ad officium sacerdotale uocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: Doce me quæso per spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reuerentia & honore, eaq; deuotione & timore quibus oportet & decet. Fac me domine Iesu Christe per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu uerborum, loquatur omnem ueritatem tantorum mysteriorum. Profunda sunt nimis, & sacro tecta uelamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & semper missarum solennia puro corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, uanis & obnoxijs cogitationibus. Muni me beatorum angelorum pia & fida tutela, atque fortissima custodia, ut hostes omnium bonorum confusi discedant per uirtutem tanti mysterij, & per manum sancti angeli tui. Repelle à me domine Iesu Christe & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbiæ, cenodoxiæ, inuidiæ, iracundiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & blasphemiæ. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui cuncta perdere festinant. Rex uirtutum, castitatis & integritatis amator deus cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi ueram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in ueritate, ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde ualeam tibi offerre. Quanta enim domine Iesu Christe cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in ueritate sumitur, ubi sanguis tuus in ueritate bibitur, ubi summa imis iunguntur, ubi adest præsentia sanctorum angelorum, ubi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter constitutus. Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio, & uere scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad mysterium tantum propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio ueraciter, & credo ex toto corde, & ore confiteor, quia potes me facere dignum, qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine, de peccatoribus facere iustos & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarum fonte, cum lætitia spiritali, & cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo. Ego enim domine memor uenerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, & offerri præcepisti in cõmemorationem pro salute nostra. Suscipe ergo istud quæso summe deus, dulcissime Iesu Christe pro ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo quem acquisisti sanguine tuo precioso. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum medium esse uoluisti

Iob 6

uoluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis cre
ditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat precium,
pro quibus uictima factus salutaris dignatus es esse redemptio. Profero ergo domine
(si dignaris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuo-
rum gemitum, miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium,
desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuuenum, uota uirginum, lamen-
Sap. 11 ta uiduarũ. Tu enim misereris omnium domine, & nihil odisti omnium quæ fecisti. Me-
morare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es, ne irascaris satis, neq; multitudi-
nem uiscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris pro-
sternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Auser à no
bis domine iniquitates nostras, & ignẽ sancti spiritus in nobis clementer accende. Aú-
fer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum quod te timeat, diligat & ho-
norificet, te delectetur, te sequatur, & te perfruatur. Oramus domine clementiam tuã,
ut sereno uultu familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris.
Et ut nullius sit irritum uotum, nullius uacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas
ipse audire propitius & exaudire delecteris. Rogamus etiam te sancte pater pro spiriti-
bus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refri-
gerium sempiternum, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine deus meus sit illis
hodie magnum & plenum gaudium de te pane uiuo & uero, qui de cœlo descendisti,
& das uitam mundo, de carne sancta & benedicta, agni uidelicet immaculati, qui tollis
peccatum mundi. Et potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere ema-
nauit crucifixi domini nostri, ut consolati exultent in laude & gloria tua sancta. Peto do
mine clementiam tuam, ut descendat super hunc panem & calicem istum plenitudo di-
uinitatis tuæ. Descendat etiam domine illa sancti spiritus tui inuisibilis forma, & incom
prehensibilis maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblatio-
nes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem tuum do-
ceat tantum tractare mysterium, ita ut placidè ac benignè sacrificium suscipias de mani
bus meis ad salutem omnium tam uiuorum quàm defunctorum. Rogo te domine per
ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui quo quotidie in ecclesia tua
pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atq; unius tuę summęq; diuinitatis par
ticipes efficimur, quatenus des mihi uirtutes tuas sanctas, quibus repletus bona consci-
entia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramẽta efficiantur mihi salus & ui-
Ioan. 6 ta. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Panis quem ego dedero, caro mea est
pro mundi uita. Et qui manducat me, uita uiuet propter me, ipse manet in me, & ego in
eo. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, ui-
uet in æternum. Panis dulcissime sana palatum cordis mei, ut sentiam suauitatem amo-
ris tui. Sana ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candi-
dissime habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos sem-
per reficis, comedat te cor meũ, & dulcedine saporis tui repleantur uiscera animæ meæ.
Manducat te angelus pleno ore, mãducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne de-
ficere possit in uia, tali recreatus uiatico. Panis sancte, panis uiue, panis pulcher, panis
munde, qui descendisti de cœlo, & das uitam mundo, ueni in cor meum, & munda me
ab omni inquinamento carnis & spiritus. Intra in animam meam, sana & sanctifica me
intus & exterius. Esto tutamen & perpetua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me
insidiantes mihi. Hostes recedant procul à præsentia tua, ut foris & intus per te muni-
tus recto tramite perueniam ad tuum regnum, ubi non mysterijs sicut in hoc tempore
1. Cor. 15 agitur, sed facie ad faciem te uidebimus, cum tradideris regnum deo patri, & erit deus
omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis satietate menstrua, ut nec esuriam nec
sitiam in æternum. Qui cum eodem deo patre & spiritu sancto uiuis
& regnas per omnia secula seculorum, Amen.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, PRECATIO SECVNDA

præparans ad missam.

SVmma & incomprehensibilis natura, uirtus uitaq; beata, lux inaccessibilis, uera, singularis, & una sapientia, ueritas incōmutabilis, sancta, incomparabilis, & æterna dilectio, temporalium rerū sine tempore conditor, uisibilium & inuisibilium inuisibilis æternusq; patrator, pater & filius & spiritus sanctus, unus & uerus in trinitate deus. Pater non habens à quo sis, habens tamen sapientiam, id est filium, cui maior uel anterior nō sis. Filius habens patrem à quo sis, non tamen habens cui minor uel posterior sis. Spiritus sanctus habens patrem & filium, à quibus sis, nō tamen habens quibus uel inæqualis uel impar sis, quia totum in hac tua diuinitate, cui tempus nunquā accidit, æternum ac coæternū, æquale ac coæquale est, in qua alius pater, alius filius, alius spiritus sanctus, sed pater in filio & spiritu sancto, filius in patre & spiritu sancto, spiritus sanctus in patre & filio: quia sicut tua deus noster natura personas recipit, sic partes nequaq; admittit, cui nec supra nec subtus, ante uel retro conuenit, quia corporū lineamenta nō recipit. Vnde & tota in locis sine loco habetur, nec tamē tota cōprehenditur. Tota nanq; ubiq; habetur, quia perfectior pars in ea nulla reperitur. Tota autē non cōprehenditur, quia uidelicet cum in creaturis unicuiq; præsens efficitur, etiā ultra creaturas totus inuenitur. Quamobrem cum cœlum & terrā implet, totus est. cum hominē unum implet, totus est, nec uariatur per singula quæ in singulis tota est: nec de loco ad locū transit cum unum deserens, alterū petit, quæ semetipsam sine loco & tempore mouet. Hinc merito colendus, hinc adorādus es, hinc incōmutabilis, hinc incircumscriptus agnosceris, hinc mediator dei & hominū homo Christus Iesus secundū diuinitatis essentiam, totus cum hominibus in terris, totus erat cum patre in cœlis, cum diceret: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis, qui in cœlo est. Qui uidelicet cum forma dei esset, nō rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiēs in similitudine hominū, factus obediens usq; ad mortē, mortem aūt crucis. Per hunc te beata trinitas humanitatis habitū, per huius susceptionis humilitatē deprecor, per huius sacratissimam obedientiam, per huius beatissimam mortē exoro in primis, ut te deum meum diligam, te sitiam, te toto corde perquiram. deinde ut proximum iuxta uires atq; mensuram in hac ipsa tua dilectione charum semper atq; dilectum attendam. Sed hanc dilectionē nulli domine præstabis, nisi cui uitia prius odisse donaueris. Obsecro ergo pia & uera misericordia, solida atq; unica spes mea, ut superbiæ regnum auferas ab anima mea. Horrendum domine pauendumq; tam maximum malum, quod angelos de cœlo proiecit, quod homines de paradiso minauit, quodq; initiū omnis peccati est, & ad ipsum pertinet quicquid uitij & iniquitatis est, cuius primæ sobo-les, septem nimirum principalia uitia, ex hac uirulenta radice proferūtur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, uentris ingluuies, atq; luxuria: sed & numerosa prosapiis turba ex singulis generatur. Inanis ergo gloria cum plene mentem ceperit, mox septiformem in illa nequitiam gignit, inobedientiam, iactantiam, hypocrisim, cōtentionem, pertinaciam, discordiam, ac nouitatis præsumptionē. Sed si huic uera humilitas opponatur, omnis eius nequitia uacuatur. Te ergo deprecor humilitatis magister, ut hanc cordi meo inseras, insertamq; custodias, quæ dum cunctis inferiorem se attendit, subiectionem protinus gignit, iactantiam extinguit, hypocrisim excludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit, discordiam præcauet, nouitatum præsumptionem abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine morbum elationis sanandum præuideras, cum per hominē assumptū author nostræ salutis, tuis ad te uenientibus diceres: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Et rursum: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorū. De inuidia quoq; odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis eius propagat. O mala progenies, quę si animo intromissa dominari cœperit, omnem

1. Tim. 2
Ioan. 3
Philip. 2
Matth. 11
Ibid. 18

omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaq; inuidet uel odit, non alium prius quàm seipsum occidit. Qui susurrat, & detrahit, prius suas quàm aliorum radices euellit. Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in prosperis eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc secundum superbiæ uirgultum tunc primo fuit exortũ, cum ille de quo scriptũ
Sap. 2 est: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarũ. Cain persuasit ut liuoris odio fraterGen. 4 num funderet sanguinem. Sed nimirum idem Cain inuidus prius suam animam quàm
1. Ioan. 3 alterius carnem peremit. Scriptum quippe est: Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Hinc domine apparet cuius primũ homicida est qui alterũ odit, in quo uita non est. Quod contrà Moyses omnium mitissimus admonet, dicens: Ne oderis proximum tuum in corde tuo. Et quia ille qui inuidet & odit, consequenter susurrat & detrahit, hoc malum scriptura sanLeuit. 19 cta præcauendum denunciat. Non eris, inquit, susurro in populis, & nolite detrahere alIacobi 4 terutrũ fratres. Qui enim detrahit fratri, detrahit legi. Qui enim susurrat & detrahit, consequens est ut in aduersis proximi exultet, in prosperis autẽ animi tristitiam contrahat.
Rom. 12 Sed occurrit beatus Apostolus, & dicit: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Et ecce alius pro terrenis rebus, terrenisq; honoribus, alius pro uirtutum successibus cuilibet inuidet, quemlibet odit: contra quemlibet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiuslibet aduersis exultat, de prosperis animũ mœstificat. Sed ut in cunctis hoc multiplex malum superetur, occurrat domine quæso illud multiforme bonum quod potenti uirtute resistens non det inuidiæ locum, charitas scilicet, quę fundamentum est omniũ uirtutum & bonorum: quæ non inuidet, sed congaudet: non odit, sed diligit: non susurrat, sed obiurgat: non detrahit, sed arguit: non de aduersis proximis gaudet, sed mœret: non de prosperis afflictionem, sed consolationem recipit. Merito autem tale nomẽ
1. Ioan. 4 accepit, quod illa carius inueniri non potest: quam qui habet, te utiq; habet. Deus, inquit, charitas est: & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Cui ut præfatum inuidiæ superet malũ, cordis simul & oris iungenda custodia est: cordis scilicet, ne inuideat, ne in aduersis proximi exultet, ne in prosperis mœstitiam contrahat. Oris uerò, ne
Prou. 18 susurret, ne detrahat. Scriptum quippe est: Omni custodia serua os tuum. Cor, quia ex ipso uita procedit. Et rursum scriptum est: Mors & uita in manibus linguæ. Citius malũ
Psal. 140 quod intus latet, extinguitur, si à prauo eloquio foris lingua frænetur. Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis, ut non declines cor meum in uerba malitiæ. Libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Ira autem inuidiam sequitur, qua inter cætera uitia nihil asperius, nihil inuenitur amarius: quę dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumq; corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumelię, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur. De qua nimirum scriptura sancta testatur
Eccles 7 dicens: Ira in sinu stulti requiescit. &, Ira uiri iustitiam dei non operatur. Sed obijce do-
Iacobi 1 mine contra tam amarissimum iracundiæ malum suauissimum patientię bonum, in quo
Lucæ 21 specialiter animarũ nostrarum salus collocatur, cum nobis per Euangelium dicitur: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Quæ nimirum dum arcem & principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas & cõtumelias in exhortationem conuertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem tumoremq; mentis mansuetudine uincit, blasphemias gratiarum actione repellit. Quod si forte in immensum ira succensa ad horam patientia succubuerit, nullum ne do-
Matth. 5 mine remediũ erit? Erit certe. Nam cum huius mali damnationẽ denunciat dicẽs: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autẽ dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio: qui aũt dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis: protinus recuperationẽ subiungit, cum dicit: Si offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius recõciliari fratri tuo, &
Marci 11 tunc ueniens offer munus tuũ. Et illud: Cum statis ad orandum, remittite si quid habetis aduersus alterũ in cordibus uestris. Hanc mihi domine deus secundam tribue uictoriam, si furore cæcatus amisero primã, cum nõ tuo zelo, sed meo uitio cuiuslibet animũ offendo. Tristitia quoq; irã persequitur: quæ dum cordis arcana penetrat, protinus in eius cubiculo malitiam, rancorẽ, pusillanimitatẽ, desperationẽ, torporẽ circa præcepta, uagatio-

uagationẽ mentis erga illicita generat. Quæ inter cætera uitia quàm sit detestanda, bea
tus Paulus indicat, Seculi, inquiens, tristitia mortẽ operatur. Sed domine deus meus op 2. Cor. 7
pone contra seculi tristitiam futuræ beatitudinis lætitiam, quæ ex mœrore contractam
malitiam uincat beneuolentia, tædio procuratum rancorem pellat synceritate, pusillani
mitatem fortitudine roboret, desperationem spei fiducia erigat, torporem circa præce-
pta exercitio spiritali repellat, uagationem mentis erga illicita, inconcussa stabilitate re-
frænet. Quod si ad momentum subtracta lætitia, spiritali malum tristitiæ præualuerit, a-
gam quæso quod monet beatus Iacobus: Tristatur quis in uobis? oret æquo animo, & Iacob. 5
psallat. Auaritia sequitur tristitiam, quæ in utroq; Testamẽto pari notatur execratione.
In Veteri nanq; dicitur: Auaro nihil est scelestius. In Nouo autẽ: Et auaritia quæ est ido Eccl. 10
lorum seruitus. Ex qua profecto septem nequitiæ procreãtur, scilicet proditio, fraus, fal- Ephes. 5
lacia, periurium, inquietudo, uiolentia, & contra misericordiam obduratio. Et ecce do-
mine deus quilibet amator mundi, & non tui, propter metalla preciosa, ardentes fulgẽ-
tesq; lapides, seruos & seruas, prædia & fundos ad mortem proximum tradit, fraudẽ in-
currit, fallaciam obducit, periurium cõmittit: & alius inquietus & uiolentus est propter
uillam, alius propter gallinam, alius obduratur contra misericordiã, ne tribuat aurum, a-
lius ne porrigat potum. Sed peto mihi deus amator castus & uerus, ut cui præter te nul-
la possessio debetur in terra, nihil quod tu non es, cõcupiscam in terra, semper illius sen
tentiæ meminerim, qua dicitur: Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus reuer Iob 1
tar illuc. Atq; illius: Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus. 1. Timot. 6
Quæ nimirum dum pie consideratur, mundi contemptum afferre uidetur, qui auaritiæ
contrarius est. Post hæc restat uentris ingluuies, quæ à necessitate quidẽ incipit, sed mo-
dum necessitatis excedens, ad uoluptatem pertransit: dumq; à licitis ad illicita peruene
rit, mox ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, sensusq; hebetu-
dinem circa intelligentiam parturit, cuius mortiferum uirus tunc utcunq; uacuatur, cũ
non qualitas, sed libido in escis præcauetur. Prima enim mulier non exquisitarum da- Gen. 3
pum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit: & antiquus hostis regem no
strũ non de carne, sed de pane tentauit: & Sodoma idcirco igne & sulphure perijt, quia Matt. 4
inter cætera mala panem in saturitate comedit. Quapropter clementiã tuã deus implo Genes. 29
ro, ut sicut æger ad medicinã, sic ad sumendas dapes accedam, nequaquã in eis uolupta
tem appetens, sed necessitati subueniens. Aufer à me propter magnam misericordiam
tuam omne ciborũ noxium desiderium, cõgruamq; seruo tuo escarum propitius tribue
abstinentiam, ut intra necessarium modũ proprium temperem appetitũ, remotaq; à me
omni prorsus crapula & ebrietate, sciam in uirtute tua abundare, sciam & penuriam pa-
ti, nouerim quoq; in quibus mihi sufficiens esse possim. Ita domine, ita pater bone no-
xijs gastrimargiæ succis arefactis inepta lætitia uel scurrilitas nõ pullulabit, quæ illos ma
xime ad infaniã perducit, in quibus crapula & ebrietate dominiũ sumit. Sedit enim po- Exod. 32
pulus manducare & bibere, & surrexit ludere. Contra quos illa sententia uenit qua dici Luc. 6
tur: Væ uobis diuitibus qui habetis consolationem uestrã. Et uæ uobis qui ridetis nũc,
quia plorabitis & flebitis. Quod contra ij qui carnem suam crucifixerunt cum uitijs &
concupiscentijs eius audiunt: Mundus gaudebit, uos uerò contristabimini, sed tristitia Ioan. 16
uestra uertetur in gaudium, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et rursum: Beati Matt. 5
qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Immunditia quoq;, quæ iuxta Apostolum qui
busdam regni cœlestis aditum claudit, uigilantem nunquam, dormientem uero tardius
sua colluuione fœdabit. Multiloquiũ inedia pressum silebit. Hebetudo sensus circa in-
telligentiam spiritalis acuminis ingenio cedet, quod sancta parsimonia in mente propa
gabit. Venter enim contractus humanos in altum eleuat sensus. Luxuria gastrimargiã
sequitur, quæ dum licentiæ metas excedit, mox de se cæcitatem mentis, inconsideratio
nem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium dei, affectum præsentis secu-
li, horrorem autem uel desperationem gignit futuri. Sed peto domine ut qui ab ipso pu
bertatis tempore à complexu carnalis copulæ alienum me esse uoluisti, delectationis e-
ius sensu non tangar. Quid enim prodest domine deus uirginem esse corpore, si contin
gat mente esse corruptum? Qui enim uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam Ibidem
mœchatus est eam in corde suo. Huic profecto necdum castitatem professo iuxta Apo

1.Cor.7 ſtolum: Melius eſt nubere quàm uri. Sed obſecro domine ut cui non licet nubere, ne cõ
tingat aduri. Ecce dum pro me ſolicitus talia poſtulo, meminiſſe charitatis debeo, ut &
pro alijs exorem. Te igitur amatorem Eccleſiæ tuæ deprecor deus pro ſacerdotibus e-
ius, ut uerbis ſimul & meritis uitæ populum ſibi creditum ad cœleſtem patriam inuitẽt.
Pro regibus, ducibus, & ijs qui in ſublimitate poſiti ſunt, ut patres orphanorum & iudi-
ces uiduarũ ſemetipſos exhibeant, miſerijs inopum, & gemitibus pauperum doleãt, nil
niſi quod iuſtum eſt, in iudicio quærant, ſicq; adminiſtrent præſentia, ne amittant bona
futura. Pro uirginibus, continentibus, ac mundo renunciantibus, ut præſentia deſpiciãt,
futura requirant, ne ſe negocijs ſecularibus implicent, ut tibi militantes placeant, cui ſe
probauerunt. Pro coniugatis, ut ſic ſibi inuicem carnis debitum ſoluant, ne à deſiderio
patriæ cœleſtis exorbitẽt. Sed quid ago domine? quaſi oblitus peccatorum meorũ pro
Luc.18 alijs orare præſumo? O quàm in multis offendi atq; offendo, ſed non ſubrepit deſpera-
Ibidem 23 tio, cum publicanũ in templo iuſtificatum attendo, cum latronẽ in cruce cõfitentem, &
Ibidem 7 de cruce ad paradiſum tranſeuntẽ aſpicio, cum Mariam poſt multas criminũ culpas fon
Ibid.12 te pietatis ablutã, cum Petrũ poſt negationem apoſtolatus gratiã recuperaſſe intueor.
Sed rogo ineffabilis pietas, ut cui de tantis exemplis præſumere donaſti: gemitus publi
cani, confeſſionem latronis, lachrymas meretricis, fletusq; negantis Apoſtoli cõcedas.
O domine ſi flagello temporali ſcelera mea uindicanda prouideris, lachrymoſus implo
Heb.12 ro ut dum cõtra hæc iratus deſæuis, ſemper in ira miſericordiæ recorderis. Quẽ enim di
ligis, corripis: flagellas autem omnẽ filium quem recipis. quibus nimirum uerbis etiã uir
ga percuſſionis minatur, paternus tamen pietatis affectus monſtratur. Da ergo inter fla
gella tolerantiam, ne murmurationis notas ut malus ſeruus incurrã, ſed magis quaſi bo
nus filius gratiarũ actiones rependã. Illud etiam magnopere peto, ut diem obitus, diem
extremi iudicij, damnationem æterni ſupplicij, beatitudinemq; regni futuri ſemper me
minerim: quod nemo indeſinenter poteſt, niſi qui ad uitam præordinatus eſt æternam.
Indeſinenter domine recolenda eſt dies illa in qua lux cum tenebris pugnat, miſericor-
dia cũ crudelitate deſudat, in qua aduerſarius noſter mala quę fecimus, locuti ſumus uel
cogitauimus, uiolentiſſimus accuſator retexet, iuſtitiã tuam ad hæc puniẽda depoſcet.
Vbi quid ſum domine, niſi tu qui iuſte iudicas, etiã miſericorditer defendas? Recorda-
re quia aduocatus meus es ipſe qui iudicas. Quod ſi etiam in illo adhuc ſeculo aliquid
in me uindicandũ reſeruas, peto ne me poteſtati dæmonum tradas, dum ſcelus meũ pur
gatoria pœna detergis. Nunquid domine obliuioni tradenda eſt dies illa, de qua dixit
Propheta: Dies, inquit, iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & mi
Matt.13 ſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies tubarum & clangoris, in qua cœlis & terris ardẽ
tibus exibunt Angeli & ſeparabũt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminũ
ignis, in quem meſſores collecta zizania alligabunt in faſciculos ad comburendum. In
Ibid.25 quo à ſiniſtris poſiti audient impij: Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui para-
tus eſt diabolo, & Angelis eius. In quo iã obſeratis uitæ ianuis, extinctis lãpadibus, ſtul-
tæ uirgines à thalamo excluſæ plorabunt, damnationẽq; ingemẽtes clamabũt: Domine
domine aperi nobis. et tunc dices illis, neſcio uos. In quo etiam qui miraculis coruſcaue
Ibid.7 runt, ſimiliter lamentabuntur repulſi, & dicẽt: Domine domine, non'ne in nomine tuo
prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in tuo nomine uirtutes mul-
tas fecimus? Et tunc confiteberis etiã iſtis quia nunquã nouiſti eos, ſubijciẽs: Diſcedi-
te à me oẽs qui operamini iniquitatẽ. Quis hic domine deus terribilis in conſilijs, mira-
bilis in maieſtatibus, faciensq; prodigia: quis inquã hic nõ paueat, & à fundo cordis nõ
tremiſcat, cũ etiã illos damnari audiat quos in hac uita cõtigit miraculis coruſcare? Ad
Eccl.9 quæ nimirũ ualet illa ſententia qua dicitur: Neſcit homo utrum amore an odio dignus
ſit, ſed omnia reſeruantur in futurum incerta: in quo & ſi iuſtus uix ſaluabitur, peccator
& impius ubi parebunt? Etiam domine deus indeſinenter meditandum æternæ dãna-
tionis ſupplicium, in quo quicquid pœnarum excogitari poteſt, quicquid etiam nõ po
teſt, ſemper adeſt: cuius uermis immortalis, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis
eſt, cuius terra tenebroſa, & mortis caligine cooperta, terra miſeriæ & tenebrarum eſt,
cuius torrentes in picem conuertũtur, & humus in ſulphur, ardebitq; in ſempiternum,
cuius lacus ſanguine igneq; permixtus eſt: & quoſcunq; ſuſcipit, demergit ſimul & exu
rit.

rit. O quàm horrenda, ô quàm stupenda sunt ista, sed maior est domine cruciatus, amissio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miseriam, tua non perfrui beatitudine, in qua iusti receptis corporibus, sanctorũq; Angelorũ celsitudini coæquati, in æternam lucẽ aspicientes sicut sol refulgebunt. Nec immerito sole & luna non indigebunt, quia te perenne lumen habebũt. Non esurient, neq; sitient, non laborabunt neq; deficient, nõ mœrebunt neq; lugebunt, quia quicquid satietatis, quicquid quietis, quicquid gaudij est, tua uisitatio præstabit, quæ in omnibus omnia erit. Nec tẽpus iam illis accedet, quia totos æternitas possidebit, nec timebunt ultra iam mori, qui meruerunt beata immortalitate uestiri. Quid autem de hac beatitudine miser ego amplius dicere ualeo? quia de illa quicquid dixero, illa sententia reprimor, quam per prophetam & Apostolum dictã intelligo: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ prę parauit deus diligentibus se. Erunt certe in illa beata uita hæc bona quæ præmisi, ineffabili, & nobis adhuc incomprehensibili modo. Huius desiderio domine deus formator & reformator meus, huius amore peragã quicquid in hac uita præcipis ut agã: nec sit ulla timor in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorẽ. Et ut efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ uirginis suffragia peto, quam tanti meriti esse feci sti, ut prima inter mulieres nouũ munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet, nouũ scilicet munus prima offerret, ut puerpera uirgo perseueraret. Nulla præter ipsam tam nouũ acciperet, ut deum uirgo pareret, & post partũ uirgo maneret. Apostolorum inter cessionem imploro, qui beatissimam mediatoris paupertatẽ eiusq; passiones uestigio insequentes, ad tantum celsitudinis culmen peruenerunt, ut quæcunq; ligarent super terram, essent ligata & in cœlis: & quæ soluerent super terram, essent soluta & in cœlis: atq; in extremis sederent super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Martyrum preces deposco, qui pro ueritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas, usq; ad mortem, ut mortis superarent authorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici dum pie uiuerent in catholica pace, uel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atq; (ut uerum dicam) longioris occultiq; martyrij palmas acceperunt. Talium domine deus preces nũquam spernis, si ut pro me exorent, ipse inspiraueris, qui æternitate perenni uiuis & regnas cuncta per secula, & in omnibus seculis. Amen.

Eſa. 64
1. Cor. 2
Matt. 16 et 18
Ibid. 19

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI, IN PSALMOS ALIQVOT DAVIDICOS COMMENTARII.

In Psalmos Dauidicos præfatio.

SVMMVM incẽtiuum uirtutis proposuit deus futuræ beatitudinis delectationem: uehemens quoq; calcar erroris, delectationem esse diabolus excogitauit. Vtriusq; sententiæ præstat indiciũ primus humani generis Adam à domino deo in paradiso uoluptatis positus, ut æterna delectatione frueretur, ad uirtutẽ futurę sobolis prouocandam. Neq; enim erat incognitum deo, locum eum errori daturum, & cæteris propositam spem salutis esse debere, qua in prętere ptam humano sedem generi contenderent reformari. Et idem per speciem serpentis præfigurauit delectationis illecebram, uxoria persuasione deceptus. Occasione igitur accepta aduersarius per delectationẽ mihi operatus est mortem. Itaq; quod diuina gratia tributum erat ad uitam, factũ est mihi in mortẽ: eoq; faciliorẽ inimicus assensum hominis habuit ad lapsum, quo speciẽ prætendit naturæ. Delectarũt enim opera sua dominũ: delectarũt prima naturæ exordia. Quæ uidẽs dominus ait: Bona ualde. Laudant angeli dominũ, psallunt ei potestates cœlorũ, & ante ipsum initium mundi Cherubin & Seraphin cum suauitate canoræ uocis suæ dicũt: Sanctus, sanctus, sanctus. Innumera angelorũ milia assistunt, seniores & turba magna sicut uoces aquarum multarum

Rom. 7
Gen. 1
Apoc. 4 et 19

tarum concinũt. Alleluia. Ipsum axem cœli fert expressior sermo cum quãdã perpetui cõcentus suauitate uersari: ut sonus eius extremis terrarum partibus audiretur, ubi sunt quædam secreta naturæ. Nec id ab usu naturæ alienum uidetur: quando quidẽ uox missa gratiore plausu in montibus resultet, & suauiore sono reddãt quod acceperint. In scopulis quoq; ipsis & lapidibus reperit natura quod delectaret. Aliorum specula, aliorum uisus delectat aut gratia. Feræ ipsæ atq; aues loci amœnioris aut modulationis uocis delectatione mulcentur. Lactentibus quoq; paruulis aut seueritas terrori est, aut blanditię uoluptati. Naturalis igitur delectatio est. Vnde & Dauid sanctus, qui aduerterat unde homo & qua esset fraude deiectus, (nam si tenuisset infusam sibi à domino æternę illius cœlestisq; delectationis gratiam, nec secularibus captus amisisset illecebris, nunquam tam miserabilis ærumnæ subiisset iniurias) reparare eam studeris ac reformare, psallendi munere cœlestis nobis instar cõuersationis instituit. Etenim licet omnis scriptura diuina dei gratiam spiret, præcipue tamen dulcis Psalmorũ liber: quando quidẽ ipse Moyses qui plano gesta maiorum sermone descripsit, ubi tamen per mare Rubrum populũ patrũ memorabili admiratione transduxit, demersum aspiciens regem Pharaonẽ cum suis copijs, in maiora ingeniũ attollens suũ, quia maiora uiribus suis fuerat assecutus, cãticum domino cecinit triumphale. Maria quoq; tympanũ sumẽs, cæteras hortabatur dicens: Cantemus domino: gloriose enim honorificatus est: equum & ascensorẽ proiecit in mare. Ipse etiam Moyses cùm legem domini legisset, quò eius memoriã pectoribus affigeret audientium, per cãticum locutus est dicens: Audi cœlum, & loquar: Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descẽdant sicut ros uerba mea, sicut imber super gramen, sicut nix super fœnũ. Delectatur igitur cantico deus nõ solum laudari, sed etiam reconciliari. Inde & Moyses tunc maxime cantico usus est, quando cœlũ testificabatur et terrã, ut salutem suam cœlestis sono gratiæ concinentem auidius mundus audiret, & sacræ suauitate dulcedinis in æternum legis obseruantiam mentibus inoleret humanis. Denicq; legis tabulæ priusquã cantico firmarentur, per indignationẽ Moysi fractæ & cõminutæ sunt. Vbi uerò tali signaculo cõsecratæ sunt, humana locum ira nõ habuit, quia sanctificatio eam sacræ suauitatis excluſit. Canticum itaq; domini sicut ros mollior descendit è cœlo, & fidem hominum sicut gramẽ imbre quodam gratiæ spiritalis infudit. Duo igitur cantica in libris Moysi, tanquã duo mundi oculi, cœliq; lumina, totum corpus operis eius illustrant. At uerò Dauid principaliter à domino ad hoc munus electus est: ut quod in alijs rarum præminere reliquo in opere uidetur, in hoc iuge & cõtinuum refulgeret. Vnum canticum legimus in libro ludicũ, reliqua historiæ more decursa, qui bus expressa sunt gesta maiorũ. Vnum Esaias canticum scripsit, quo legentium corda mulceret: in reliquis terribili tuba correptionis infremuit. Canticum ei ne ipsi quidẽ inimici obijcere potuerunt, qui eum propter alia dicta usq; ad necem sunt persecuti. Vnũ Daniel, Vnum Abacuch. Salomon ipse Dauid filius licet innumera cantica cecinisse dicatur, unum tamẽ quod Ecclesia receperit, Canticorum cãticum dereliquit. Scripsit idẽ Prouerbia. In alijs igitur singula aduertere licet. Historia instruit, lex docet, prophetia annuncíat, correptio castigat, moralitas suadet. In libro Psalmorũ profectus est omniũ, & medicina quædã salutis humanæ. Quicunq; legerit, habet quo propriæ uulnera passionis speciali possit curare remedio. Quicũq; certare uoluerit, tanquam in cõmuni animarum gymnasio, & quodam stadio uirtutum diuersa genera certaminũ reperiens præparata, id sibi eligat, cui se intelligit aptiorem, quo facilius perueniat ad coronã. Si quis gesta recensere maiorũ studeat, atq; imitari uelit, intra unũ Psalmum totam paternæ historiæ seriem accipit comprehensam, ut thesaurum memoriæ compendio lectionis acquirat. Faciliora quoq; uidentur quæ breuius explicantur: Illud etiam quantæ altitudinis, quòd breui interuallo offensionũ aduersa distinxit, & reconciliationis secunda subtexuit: ut simul cognosceres, quid incredulitatis obesset offensa, quid fides prõpta conferret. Si quis uim legis explorat, quæ tota in uinculo charitatis est (qui enim diligit proximum, legem impleuit) in Psalmis legat quãto dilectionis affectu pro totius plebis opprobrio repellẽdo periculis se grauibus solus obiecerit: in quo nõ imparẽ charitatis gloriam triumpho uirtutis agnoscet. Si quis correptionum sæua formidat, audiat dicẽtem: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripias me. & discat quemadmodum

Exod. 15
Deut. 32
Exod. 32
Deut. 32
Iudic. 5
Esa. 38
Dan. 3
Abac. 3
Rom. 13
Psal. 6

dum debeat irati iudicis temperare censuram. Si quis patientiæ cognoscere gestit exemplũ, legat in Psalmis: Si reddidi retribuẽtibus mihi mala. & aduertat quia præceptum Euangelicũ spiritu præuidit, uirtute præuenit. Habes itaq; illud prouerbiale, Quia mãsuetus homo, cordis est medicus. Si quis pręterea aduersus nequitię spiritalis incursus uultior, & Saulis nequã spiritus fugabatur, qui eũ antea stringebat. De uirtute aũt prophetiæ quid loquar? Quod alij annunciauerũt per ænigmata, huic soli palam atq; aperte uidetur esse promissum, ut dominus Iesus ex eius semine nasceretur, sicut dixit ad eum dominus: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. In Psalmis itaq; nobis nõ solum nascitur Iesus, sed etiam salutarem illam suscipit passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram patris. Id quod nemo præsumpserat hominum dicere, hoc solus hic propheta annunciauit: postea ipse dominus in Euangelio prædicauit. Oẽs prętera scriptores Psalmorum in suis scriptis exempla posuerunt aut aliqua dicta superiorum: Psalmi nihil præter quod suũ est habẽt. Quid igitur Psalmo gratius? Vnde pulchre ipse Dauid, Laudate, inquit, quoniã bonus est Psalmus: deo nostro sit iucunda decoraq; laudatio. Et uere. Psalmus enim benedictio populi est, dei laus, plebis laudatio, plausus omniũ, sermo uniuersorũ, uox Ecclesiæ, fidei canora confessio, authoritatis plena deuotio, libertatis lætitia, clamor iucũditatis, lætitiæ resultatio. Iracundiã mitigat, solicitudinem abdit, mœrorem alleuat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutũ in timore, festũ in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atq; concordiæ, citharæ modo ex diuersis & disparibus uocibus unam exprimẽs cantilenã. Diei ortus Psalmũ resultat, Psalmũ resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere iubet: Psalmũ etiã bene clamãt. Hic omni dulcis ætati, hic utriq; aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc ueterani tristes in cordis sui iucunditate respõdent. Hunc iuuenes sine inuidia cantant lasciuiæ. hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo & tentamento cõcinunt uoluptatis, iuuẽculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris, puellulæ sine prolapsione uerecũdiæ, cum sobrietate grauitatis hymnũ deo inflexæ uocis suauitate modulantur. Hũc tenera gestit puericia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia decli nat ediscere. Ludus quidã est iste doctrinæ, maioris profectus, quàm cum seria traditur disciplina. Quantũ laboratur in Ecclesia ut fiat silentium cum lectiones leguntur? Si unus loquatur, obstrepit uniuersis. Cũ Psalmus legitur, ipse sibi est effector silẽtij. Omnes loquuntur, & nullus obstrepit. Psalmũ reges sine potestatis supercilio resultant. In hoc se ministerio Dauid gaudebat uideri. Psalmus cãtatur ab Imperatoribus, iubilatur à populis. Certant clamare singuli, quòd omnibus proficit. Domi Psalmus canitur, foris recensetur. Sine labore percipitur, cum uoluptate seruatur. Psalmus dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat. Quis enim non remittat ei, cũ quo unam ad deũ uocem emiserit? Magnum plane unitatis uinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire. Dispares citharæ nerui sunt, sed una symphonia. In paucissimis chordis sæpe errant digiti artificis, sed in populo spiritus artifex nescit errare. Psalmus nocturni operis cõmercium, diurnæ requiei stipendium. Institutio incipientiũ, perfectorum confirmatio. Angelorum ministerium, militiæ cœlestis hostia spiritalis. Psalmum & saxa respondent. Psalmus canitur, & ipsa etiam saxosa pectora molliuntur. Videmus flere præduros, flecti immisericordes. Certat in Psalmo doctrina cũ gratia simul. Cantatur ad delectationẽ, discitur ad eruditionẽ. Nam uiolentiora præcepta nõ permanent: quod autem cum suauitate perceperis, id infusum semel præcordijs non consueuit elabi. Quid est quod nõ tibi occurrat Psalmos legenti? In his lego canticũ pro dilecto, & sacræ desiderio charitatis inflãmor: in his torcularia diuini mysterij recognosco: in his reuelationũ gratiam, resurrectionis recẽseo testimonia, repromissionis munera: in his disco uitare peccatum, dediscо erubescere pœnitentiam delictorum. Tantus rex, tantus prophęta suo me prouocauit exemplo, ut aut cõmissum studeam extenuare peccatũ, aut nõ cõmissum cauere. Quid igitur Psalmus, nisi uirtutum est organum? Quod sancti spiritus plectro pangens propheta uenerabilis, cœlestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare. Simul cum ille in fidibus & chordis, hoc est in reliquijs mortuis diuersarum uocum modulatus discrimina, diuinæ laudationis ad cœlestia dirigeret cantilenã, docuit

Psal. 7 *1. Reg. 16* *Psal. 131* *Psal. 146* *1. Cor. 14* *2. Reg. 6*

utiq; prius nobis peccato esse moriendũ, & tunc demum in hoc corpore diuersa opera discriminanda uirtutũ, quibus ad dominum deuotionis nostræ gratia peruenire, ut occupatis intentione cœlestiũ nulla irreperet terrenorũ libido uitiorum, simul animus cœlestis gratiæ suauitate nitesceret. Merito igitur tanti ministrũ muneris dominus laudans ait: Inueni Dauid secundum cor meum. Aiunt etiam, eorum qui cithara canunt, peritio res intus canere: ut ferunt fabulæ de Aspendio citharista: Causas quoq; modulaminum, & quædam clausta rhythmorum in superiore parte esse psalterij. Docuit ergo Dauid
1.Cor.14 intus nos canere oportere, intus psallere: quemadmodum canebat & Paulus dicẽs: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente, & ad superiorũ intuitum uitam nostrã actusq; formare, ne delectatio dulcedinis excitet corporis passiones, quibus non redimitur nostra anima, sed grauatur: cum ad redemptionem animæ suæ psalle
Psal.70 re se sanctus propheta memorauerit dicẽs: Psallam tibi in cithara sanctus Israel: Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti: Sed iam Psalmistius qui propositus est nobis, ingrediamur exordia.

PRIMI PSALMI DAVIDICI EÑARRATIO.

B Eatus, inquit, uir qui non abijt in consilio impiorum.] Quàm aptum, quàm opportunum principium. Namq; ut ij qui agonis aliquam solennitatem receperint exhibendam, proponere præmium solent, iactare coronæ nobilitatem, quo certaturi studio maiore cõueniant, nisiq; propensiore decertent: ita dominus noster Iesus regni cœlestis gloriã, perpetuæ quietis gratiã, uitæ æternæ beatitudinẽ, ad uirtutis humanæ incentiua proposuit. Imperator quoq; cum progreditur ad bellum, donatiuũ militi, & promotiones dignitatũ numeris militaribus pollicetur, ut spes cõmodi furetur laborem, & metum abscondat periculi. Velut præco igitur magni Imperatoris sanctus Dauid hortatur milites, athletas uocat, præmium exprimit dicẽs: Beatus uir qui non abijt in consilio impiorum. A præmio cœpit, ut pondus futuri certaminis eleuaret: mercedem præmisit, ut unusquisq; præsentium rerum solicitudines ac labores corde trã siliens, ad emerendam beatitudinem futurorum auida festinatione contẽderet. Beatus, inquit uir. Quid plus potuit homini donari, quàm quo nihil amplius potuit deo Apo-
1.Timo.6 stolica authoritate deferri? Beatus enim, & solus potens, & rex regũ, & dominus dominantium deus dictus est. Ille solus potens, ille rex regum, ille dominus dominantiũ, beatitudinis tamẽ non supergreditur potestatem. Donauit nobis appellationis eius cõmunione consortium, quæ digna æstimata est honore diuino. Consideremus nunc qua ratione, beatus uir, dixerit: & nõ magis, beati homines: cum uterq; sexus uocetur ad gratiã. Nunquid à consortio beatitudinis excluserit mulieres, quia uirum solum beatum nuncupauit? Absit. Quia nec à consortio creaturæ excluserit deus fœminas, quia prius uirum cõ
Genc.1 didit. Dixit enim deus: Faciamus hominem secundum imaginẽ nostram, & secundum similitudinem nostram. Et fecit, inquit, deus hominem: ad imaginem dei fecit illum: masculum & fœminam fecit eos. In homine uterq; signatur, in uiro sexus exprimitur. Sed quẽadmodum cum homo dicitur, uterq; comprehẽditur: ita cum uir nominatur, & mu-
Genes.2 lier cuius uir ille sit intelligitur. Deniq; hæc uocabitur, inquit, mulier, quoniam de uiro suo sumpta est. Accedit illud, quoniam quorum natura eadẽ, eorum operationes utiq; non possunt esse discretæ: & quorum opus æquale, eorum utiq; æqualis & merces. Virum igitur scriptura dicendo, consortem copulæ non prætermisit: quia & hominem dicendo, consortem non tacuit naturæ. Itaq; quemadmodum illic hominem factum legimus, & cum sit una natura, tamen principalem sexum prius creatum negare non possumus: ita & hic cum legimus uirum, de principali portione sexum quoq; supparẽ recognoscimus. Paria igitur studia uirtutis, quia par prærogatiua est creaturæ. Quid autem sexum discutias, ubi non corporis à te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet? Non ergo illic discernas honorẽ, mercedem diuidas, ubi non discernitur sexus. Non incaute tamen, si prior uocetur ad exercitium, qui fuit posterior ad lapsum. Quæ male cœpit, sequi debet, non præcedere: ut uel post experimentũ sit uerecundior. Male Eua naturæ ordinẽ prætermisit: expectare debuit præcedentem. Astute serpens à posteriore cœpit. ideo Propheta ad superiorem reuertitur: eum utiq; qui lapsus non esset, nisi esset posteriorẽ secutus. Deniq; prius nos reuocauit à lapsu, quàm ad palmam uictoriæ prouo-

prouocauit. Beatus, inquit, uir qui non abijt in cõsilio impiorũ. Vide ubi beatus appelle ris ô homo. Non in diuitijs, non in poteſtatibus & honoribus, non in nobilitate gene- bonum. Deniq; non ſolum facilem cõmutationem habent in contraria, uerumetiã mi- niſterium ad culpam exhibent ei qui uti his neſciat. Quis enim iuſtus propter pecuniã? pter decorem? Illecebroſa hæc magis ſunt ad peccatũ, quàm fructuoſa ad uirtutis profe ctum. Quid ſibi deinde uult quod maluit dicere, Non abijt, & non ſtetit, quaſi de præte non ſtat, & in cathedra peſtilentiæ non ſedet? Vide dogma. Nõ enim ſtatim beatus, qui nõ eſt impius aut peccator, propter incerta exitus. Non enim ocioſe ſcriptum eſt: Ante mortẽ ne laudaueris aliquẽ. Ergo dum in hac uita quiſquã eſt, non poteſt definita prędi catione laudari, qui patere adhuc poſſit errori. Ille autem qui uitam ſine offenſione con cluſerit, iure beati appellatione cenſetur, quia utitur conſortio beatorũ. Sed forte dicas, Qua ratione ergo alibi dixit: Beatus qui intellexerit, ſed eum qui intelligit: quoniam qui bonum operantur, in dixit beatum qui intellexerit, ſed eum qui intelligit: quoniam qui bonum operantur, in ipſo opere & quo probentur inueniunt, remunerationem ſui in ipſo opere cõſequẽtes. Siquidem beatæ fructus eſt conſcientiæ, bonum factum. Qui autem à malo temperant, non ſi ſemel aut bis declinauerint culpam, ſtatim beati: ſed ſi potuerint culpæ cõtagium per omne uitæ ſuæ tempus euadere. Nunc illud occurrit, cur beatũ dicere maluerit, non eum qui pietatis aliquo ſit functus officio, ſed eum qui ab impiorum conſilio tempera- uerit. Videtur enim magis laudandus qui uirtutis munus impleuerit, quàm qui peccatũ euaſerit. Siquidẽ nec bos nec equus nec lapis in peccato eſſe conſueuit, aut ſedere in ca thedra peſtilentiæ. Sed illa beatitudinis nõ habent fructum, quæ uirtutis non habẽt ſen ſum. Nã quomodo peruenĩũt ad legis præmium, quæ non habẽt ſequẽdę legis affectũ? De rationabilibus ergo propoſitũ eſt, hoc eſt de nobis. Nobis autem initiũ bonorũ, ab- ſtinentia peccatorũ eſt: quoniam legimus: Declina à malo, & fac bonum. Hic enim or- do eſt diſciplinæ, ut ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maio- rum, qui leuiorum exordio debeas prouocari. Scalarum enim ſimilẽ eſſe ſcriptura nos docet pietatis aſcenſum, per quas uidit angelos domini aſcendentes & deſcendẽtes ſan ctus Iacob, uir exercitationis, qui nobis propoſitus eſt, ut per illum cognoſceremus gra dum uirtutis paulatim nos proferre debere, & ita poſſe ab imis ad ſumma contendere, ſi per proceſſus gradiamur exiguos ad ea quæ uidentur humanæ altiora naturæ. Has ti- bi ſcalas ſemper habeto propoſitas. Ne timeas ô homo gradus hos aſcẽdere diſciplinę. Primus gradus uicinus eſt terrę, ſequẽs ſimilis eſt priori. Sic per æquales gradus ad ſum ma cõſcenditur. Ne faſtidias ô homo primũ illum uelut uiliſſimũ gradũ. Ille primus aſcẽ ſus te à terris ſeparat. Aerem calcas, ubi ab humo eleuaueris ueſtigiũ. In uirtute poſitus ſurgendo liquiſti terrã. Terram relinquis, ſi culpam declinas. Exordium ergo proceſſio nis ad uirtutem, eſt abſtinere à peccato. Vt ſciamus autẽ hanc diſciplinã eſſe doctrinæ, audi legem dicentem: Non adulterabis, non homicidium facies. Imperfectis enim iſta præcepta conuenientia uidebantur. Deniq; ipſe dominus Ieſus ſciens imperfectũ à quo interrogabatur quibus ad uitam æternam operibus peruenĩret, reſpondit ei: Non adul- terabis, non homicidiũ facies, non furtũ facies, &c. Deinde dicenti quod feciſſet illa om nia, adiecit perfectiora, dicens: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurũ in cœlo. Tantumq; abeſſe docuit inter malorum declinationẽ, & imitationem bonorũ, ut hæc abnueret, qui illa ſibi facilia iudicabat. Sed quia nec illa aſcenderat, ideo ad hęc ſe aptare nõ potuit. Nã ſi dilexiſſet proximũ, potuiſſet pauperibus ſubſidia ſui pa trimonĩj non negare. Ideoq; gradum primum legis aſcẽde, ut poſſis ad Euangelĩj cœle- ſte faſtigium peruenire. Vnde arbitror quòd quaſi ſub lege poſitus, morem legis in pri- mo Pſalmo ſecutus, ex ſua perſona ſanctus propheta magis cauenda denunciet, quàm ſequenda proponat. In quadrageſimo aũt Pſalmo, qui ex perſona dicitur ſaluatoris, ad- hortatio magis uirtutis fiat, quàm erroris depreſſio. De paſſiõe enim ſaluatoris loquĩt, & ideo Euãgelĩj diſpenſator etiã, ſicut poſſumus exiſtimare, cũ audiamus dicentẽ: Bea- ti miſericordes. Et in Pſalmo itaq; propriæ paſſionis & in Euangelio miſericordiã coro

Eccl. 11

Pſal. 40

Pſal. 36

Gene. 28

Exod. 20

Matt. 19

Ibid.

Matt. 5

nauit. Sed adoriamur iam Psalmi explanationem, & uirtutẽ inspiciamus propheticam.

Beatus, inquit, uir qui non abijt in consilio impiorũ, & in uia peccatorũ nõ stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.] Possumus dicere tres esse species peccatorũ, quas hic putamus expressas: cogitationis, operationis, permansionis: beatumq; eum significari, qui & non cogitauerit quod malũ est. Nam quomodo potest beatus esse, qui suis cogitationibus accusantibus in die iudicij reuincẽdus est? Etiam si hominem fefellit, testẽ re fugit, accusatorẽ euasit: se tamen sui accusatorem habebit, & confitentem reum. Beatus ergo est qui & nõ cogitauerit quod malũ est, & non operatus fuerit peccatũ: quia inter

Prouer. 10 dũ & sine cogitatione delinquimus. Ex multiloquio enim nõ effugimus peccatum. Et non perseuerauerit in peccato. Vel sic, Qui & non cogitauerit quod fuit erroris, uel in ea cogitatione non steterit: uel certe non perseuerauerit in ijs cogitationibus quas plenas erroris aduerterit. Sed hæc utrum recte conueniant, qui legerit, æstimabit. Nam qui semel male cogitauit: nec stare in eo debuit, nec perseuerare. Sed & si non perseuerauit, beatus esse non potuit: quia stetit in eo quòd improbe cogitauit. Et si non stetit, tamen eo ipso quòd cogitauit male, utrum habeat beatitudinis fructum, clementem aliquem quærere debet interpretem. Postremo quia nemo potest dicere mundũ se habere cor: esto ut ueniabilis cogitatio sit, nunquid ueniabilis operatio peccatorũ? Postremo si ueniabilis statio, nunquid etiam plena beatitudinis, eo quòd non perseuerat in crimine? Deinde qui nõ cogitauit quæ improba sunt, quomodo in peccato stare potuit, aut perseuerare? ut beatus sit, qui tria hæc iure seruauerit. Certe ordo diuersus est, Primum est enim, ut nõ perseuerauerit in peccato: secundũ, ut nõ steterit in eo: tertiũ, ut non cogitauerit quod esset erroris. Qui enim nõ perseuerauit, potuit tamen stare: qui non stetit, potuit cogitare: qui autem nec cogitauit, uerè beatus est. Vnde alteram quoq; traditionẽ non prætermittẽdam putaui, quo tres gradus recto ordine factos asseramus: ut qui beatus uult esse, non abeat in consilio impiorum: hoc est, in eorum cogitationibus non ambulet: Deinde non stet in uia peccatorũ: Tertio non sedeat in cathedra pestilentiæ. Ad Ecclesiam factus es Christianus, uel tu qui ad gratiam tendis, abstine ab impiorum consilijs, ut possis dicere: Ne perdas cum impijs deus animam meam, et cũ uiris sanguinum

Psal. 25 uitam meam. Nec cogites quæ sunt impia. Quæ sunt illa, nisi quæ in dei excogitantur iniuriã? Pietas enim prima in deum, secunda in parentes. Et quidem inimicus inserit frequẽter diuersa mẽtibus nostris: & ideo caute propheta cogitatiões magis quàm infusiones improuisas putauit ad crimẽ tenendas. Abstinuisti ergo ab impiorũ cõsilijs? Recte: nõ tamen statim beatus. Caue etiã ne in uia peccatorum steteris. Quanto examine scripturæ diuinæ uerba ponuntur? Etenim quia omnes sub peccato sumus, non à te exigit quod ultra naturã est, ut peccatum nõ facias: quia nec unius dei infans sine peccato: sed ut non maneas in peccato quadam statione diuturna. Non omnes impij: ideo reuocaris ab omnibus cogitationibus & cõiurationibus impiorum: sed omnes peccatores: ideo admoneris ut desinas peccare. Fuerit adolescẽtioris lapsus ætatis, debet eum maturitatis emẽdare processus. Ergo in grauiora non abeas, in leuioribus nõ stes. Habes hoc &

Esa. 48 in Esaia dictũ à domino: Exi à Babylone, fugiẽs à Chaldæis. Hoc est: Etsi intrasti in cõfessionem uitiorum, exi. Non oportuit intrare. Sed ingressus es, carnis lege cogente, & captiuante te in lege peccati. Exi, egredere uel seruus, exue te seruitio graui. Non potuisti nõ introire in peccatũ, per fragilitatem: datur tibi exire peccato per sobrietatem. Exi ergo de Babylone, fugiens à Chaldæis. Babylon confusio est, quæ uirtutum ordinem nõ tenet. Confusa enim illecebris mente delinquimus. Chaldęi sunt qui syderum cursus uana studio superstitionis explorant, & impiæ serunt gentilitatis errores. Ab his fuge, ne te capiãt, ne te graui laqueo captiuitatis innectant. Abraham Chaldæus fuit, sed fugit à Chaldæis, & ante legem. tu sub lege natus es, fuge ab impijs. Ille hęreditatem patrum respuit, ut fidei possideret. Tu successionẽ corporis derelinque, hæreditatẽ deuotionis acquire. Si autem in peccato nõ steteris, nec sic beatus: Adhuc habes quo carere debeas. Multæ sunt illecebræ, multi à uirtute deflexus. Grauia irritamẽta sunt uoluptatũ: grauis fomes auaritiæ: cupiditas potestatũ: honoris ambitio: quæ uelut ueneno quodã mentes hominũ, & quadam animas pestilenti uitiorũ tabe cõtaminant. Hæc est cathedra pesti-

Matt. 25 lentiæ, super quam sederunt Scribæ & Pharisæi, qui imponũt hominibus onera grauia, ipsi

ipſi autem digito nolunt ea mouere. Has cathedras de tẽplo Saluator eiecit eorum qui ſe de honore iactarent, primatus quærerent dignitatũ: eorum qui ſacerdotio uel primatũ honoris uterẽtur ad quæſtum: eorum qui indulgentes gulæ nequaquã debitam continentiæ præſtarent cuſtodiam. Hæc uera eſt peſtilentia. Denicꝙ Heli filij erant filij peſtilentiæ. In hac quadã ſede uitiorum prohibet nos ſcriptura ceruicem inflectere, uiresꝙ totius corporis reclinare. Aduerte igitur proprietates. Beatus qui in uia peccatorũ non ſtetit, in cathedra quoꝙ peſtilentiæ nõ ſedit.] Viam dici uitæ huius curſum, in dubium non uenit: cũ ipſa ſcriptura dicat: In uia hac qua ambulabã, abſconderũt laqueũ mihi. &, Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, dũ es cum illo in uia. Etenim quoniã curſum uitæ huius currimus, habemus ſemitam per quam ambulemus quotidie, donec perueniamus ad finem. Etſi non uidemur corporaliter ire, progredimur. Nam ſicut in nauibus dormientes uentis aguntur in portus, & ſi nullus quieſcentibus ſenſus eſt nauigandi, tamẽ curſus eos urget ad finem, & impellit ignaros: ſic uitæ noſtræ ſpatio defluẽte, ad proprium unuſquiſꝙ finẽ curſu latente deducitur. Vnde dicitur: Surge qui dormis. Tu enim dormis, & tẽpus tuum ambulat. Et uide ne dum diu dormis, prætereat tẽpus. Ideo & ſi dormis, cor tuum uigilet, cor tuum non ferietur. Si cor ocioſum nõ ſit, nõ ſunt ocioſa tempora tua. In uia es ô homo, ambula ut peruenias, ne te nox in uia occupet, ne conſumatur dies uitæ antequam progreſſum uirtutis acceleres. Viator es uitæ huius: omnia tranſeunt, omnia poſt te fiunt. Omnia in hac uia cernis, & tranſis. Vidiſti amœnitatẽ arborum, herbarũ uiriditatem, puritatẽ fontium, & quodcunꝙ huiuſmodi quo delectantur oculi. Iuuit ſpectare, delectauit parumper attendere. Dum attendis, pertranſiſti. Iterum dum ambulas, incidiſti ſcopuloſum & confragoſum iter, cõcaua rupiũ, prærupta montium, denſa ſyluarum. Tædiaſti parum, iterum tranſiſti. Talis hæc uita eſt, cuius nec proſpera permanent, nec aduerſa diuturna ſunt. Ergo quaſi in uia locatum neꝙ ſecũda extollant, neꝙ aduerſa te frangant: nec plauſibilia remorentur, nec mœſta detineãt. Feſtina ſemper ad finem, feſtina ut peruenias. Elige tamẽ uiam antequam curras. Duæ uiæ ſunt: una iuſtorum, altera peccatorũ. Vna æquitatis, altera iniquitatis, de qua dixit propheta: Et uide ſi uia iniquitatis in me eſt. Non ſolum ergo uita noſtra uia eſt, ſed etiam ipſa uita noſtra aut uirtutis uia eſt, aut iniquitatis. Caue igitur ne in te greſſus ſuos collo cet auaritia, & ſis uia criminis: ne improbitas, ne libido, & ſis uia iniquitatis iterantibus detrita flagitijs. Licet tibi eligere quos ſequaris: aut iuſtos, aut iniuſtos. Iuſtorum uia anguſtior eſt, iniuſtorũ latior. Illa ſobrietatis anguſtior, hæc ebrietatis latior, ut poſſit capere fluctuãtes. Hæc habet ſeculi huius illecebras, illa habet futurorum præmia. In iſtis fructus præſentior, in illis ſpes tardior. Quæ enim ſuauia ſunt, nõ differunt diuturnã expectationẽ, ſed præſentem habent perfunctionẽ. Quod autem ſerum eſt, labore quæritur, quod à beata cogitatione uix capitur, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, quæ prę parauit deus diligentibus ſe. Difficile ſolemus credere quæ non uidemus: & ideo anima æſtuat, & huc atꝙ illuc uelut oculos quoſdam circunfert cogitationes ſuas. Tunc illi occurrunt diuerſæ rerũ ſpecies, ſecꝙ offundunt. Si ad ſempiterna intendat, uirtutem eligit: ſi ad præſentia, uoluptatem præponit. Graue & iniquum certamen aduerſus delectatio nes præſentiũ. Hic libertas eſt cupiditatũ, illic ſeruitutis iniuria, facere quæ nõ uis, & abſtinere. Hic conuiuiũ, illic ieiuniũ. Hic intẽperantia gaudiorũ, illic perſeuerantia lachrymarum. Hic ſaltatio, illic oratio. Hic cãtus dulces, illic gemitus graues. Scriptũ eſt quidem: Cor ſapientiũ in domo luctus, & cor ſtultorũ in domo epulationis. Melius eſt audire increpationẽ ſapientis, magis quàm uirũ audientem canticũ ſtultorum. Sed pauci hæc audiunt, pauciores ſequũtur. Allicit homines magis dulce peccati, quòd ad præſens influit & impinguat audientis affectũ, quàm triſte uirtutis, quæ fidei ſpẽ uelut quodã cortice amari laboris inuoluit. Beatus ergo atꝙ mirabilis, qui taliũ uiarũ poſitus in electione, nõ fuerit illecebris uoluptatis inflexus, ut gradũ ſuũ ſuper uadoſa & praua conſtituat. Nõ dicitur ei, Qui dereliquiſti ſemitas directas, abeũdo in uias tenebrarũ. Cognouimus igitur quæ ſit uia peccatorũ, in qua ſtandum non eſſe Propheta nos admonet, ſed & Eccleſiaſtes docet, qui ait: Noli ſtare in ſermone malo. Hoc eſt nõ perſiſtere in ſermonibus malis, ſimiliter & operibus improbandis. Quomodo in bonis ſit ſtandũ, ſanctus idẽ Propheta præcipit dicens: Stantes erãt pedes noſtri in atrijs tuis

Mar. 11

Pſal. 141

Matt. 5

Epheſ. 5

Pſalm. 138

1. Cor. 2

Eccl. 7

Pſal. 121

Hieru-

Deut. 5 Hierusalem. In Hierusalem standum est, de Babylone fugiendum. Et Moysi dicitur: Tu
Matt. 20 autem sta mecũ. qui de Aegypto fugit, & cum domino stans perseuerabat. Et in Euãge
Ibid. 25 lio, qui steterunt usq; ad horã undecimã, æqualem mercedẽ operantibus acceperunt. Et
quæ steterunt uirgines usq; ad aduentũ sponsi, ad nuptias simul introire meruerũt. Quę
autem discesserunt, & postea reuerterunt, dominicæ excluduntur authoritate sentẽtiæ.
Didicimus ergo non stare in uia peccatorũ, stare autem in uirtutis officio, quia scriptum
Rom. 11 est: Tu autem in fide sta. Nunc consideremus quid sit, Et in cathedra pestilentiæ
non sedit.] Et quidẽ præmisimus, quod nõ simplex confessus in huiusmodi quod in usu
est solio reprehendatur. Quid enim inuidiæ haberet ad culpam? Sed cum oculi domi-
ni semper super fideles terræ sint, tanquam sub conspectu imperatoris locati, & uelut in
ministerio quodã positi, stare debemus. Miles in procinctu stat, non sedet. Miles in ar-
Psal. 134 mis non se reflectit, sed excitat atq; erigit. Ideoq; militibus Christi dicitur: Ecce nunc be-
Zach. 5 nedicite dominũ omnes serui domini, qui statis in domo domini. At contra iniquitas in
talento plũbeo sedet, eo quòd fixa in peccato, se ab eo separare non possit. Et enim inue
terati in errore, & studiose flagitijs inhærentes, sedere dicuntur, qui nolũt assurgere, nec
Psal. 126 audire dicẽtem: Surgite postquam sederitis. Deniq; hic ipse Propheta alibi ait: Sederũt
Psal. 118 principes, & aduersum me detrahebãt. An ignoramus quòd tantam uim habeat inue-
terata consuetudo peccãdi, ut excludat naturam? Quæ cum sit medicabilis ad salutem,
tamen corroborata tẽpore, passionibus immedicabilis inuenitur. Nõ ergo permanea-
mus in uitijs, sed unusquisq; etiam si fuit, exiliat à culpa: sicut scriptum est de muliere me
Prouer. 5 retrice: Ne intendas in eam oculũ tuum, sed exili. Ne moreris: exili antequam te anni iu
uentutis inueniant. Sed (quod grauius est) plericq; luxuriem corporis nec albẽti erubue
re canitie, & usq; ad senectutis ætatẽ uiam produxere maculosam. Intimis enim conce-
pta uisceribus lues culpæ, processu temporis coaceruatur. Caue igitur ab impiorũ con-
Ibid. 6 silijs, non penetrent huiusmodi consilia mentẽ tuam, ne dicatur de te: Alligabit quis ig-
nem in sinu, uestimenta autem non comburet? Etenim qui semel in sinu mentis flagitij
flammã feruentis adoleuerit, cito corporis sui uestimenta comburet. Et ut in stipulã ig-
nis exiliens, inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit absumat: ita uel exigua
scintilla peccati si quo uitiorũ fomite fuerit excitata, incendiũ grande excitat. Noli ergo
stare in peccato. Postremo posuisti uestigium supra uoraginem culpæ, cito auferpede:
ne supra plantam tibi ascẽdat pollutio, & lapsu faciliore deceptus, supra lutum relideas.
Cauenda ergo prima sunt uitia, ne in plura deinde grauiora proserpant. Et enim sicut ij
qui se in luto uersant, quo magis uolutãtur, eo amplius inquinãtur: ita qui semel se luxu
improbitatis asperserit, nisi ab eo uelociter exiliat, grauius sibi dedecoris sui cœnũ per
singulos dies lutulentæ conuersationis obducit. Itaq; graui odore tetræ illius ac flagitio
sæ uoraginis contrahitur quædam animarum pestilentia, corruptoq; salubrium cogita-
tionum spiramine, lues æstuantium passionũ miseranda grassatur. Hinc letale se menti-
bus uirus infundit, hinc subrepit ægritudo corporibus, languor animis. Est enim malus
languor, erroris languor, auaritiæ languor, inexplebilis cupiditatis languor. Iste diuitiæ
Eccl. 25 sunt, ut dicit Ecclesiastes: Est languor malus quem ui di sub sole, diuitias custodiri in ma-
lum possidentis eas. Dic mihi ô Ecclesiastes, qua causa malus hic languor sit. Respondet
bit, quia multos auara spes deuorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est. Nescit satiari ar-
Ibid. gento qui concupiscit argentum. Distendũt diuitiæ, non explent. Et si quis satiatus fue-
Ibid. rit diuitijs, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidẽ omnes dies eius in tenebris,
& luctu, & iracũdia multa, & languore, & ira. Quomodo enim potest dormire, qui soli-
citam auri exercet custodiã, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui usuras cõputat,
qui apothecas numerat? Malus ergo languor, qui bonã aufert mentis quietem. Est lan-
guor malus luxuria, libido, concupiscentia, delectatio, secularis ambitio, quæ cito cor-
rũpit salutẽ sobrietatis. Omnis postremo mundi huius corruptela, pestilentia est. Ne er-
Colos. 2 go tetigeritis, ne attaminaueritis eam. Lues est, contaminat: morbus est, polluit. Ne gu-
staueritis quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu, ut Apostolus dixit: qui & alibi cla-
1. Timo. 6 mat, Radix omniũ malorũ est auaritia. Morbos excitat, dolores inserit. Deniq; qui eam
Ibid. appetierũt, inseruerũt se multis doloribus. Ista est pestilentia, quæ plerunq; neq; calidos,
Apoc. 3 neq; frigidos, sed (quod & calidis est deterius & frigidis) tepidos facit, ut euomant ex

ore

ore dominiIesu,quos propter grauia peccata reiecerit.Ista est quæ non paucorũ, sed omniũ excitat ægritudines.Omne caput in dolore,omne cor in mœstitia.A pedibus usq; ad caput peccatorũ ulcera.Omne caput in dolore, quando qui sapientes existimantur, dolore cruciantur auaritiæ.Sensus enim sapientis in capite eius:quod referri potest etiã ad Ecclesiæ præminentes.Omne cor in mœstitia,quando sapimus quæ sunt carnalia,& corporeis uoluptatibus aciem nostri cordis offundimus. Vnde ait dominus ad huiusmodi,quòd dederit illis cor carneũ. A pedibus usq; ad caput serpit lues dira morborũ, quãdo laborat cõtagio,quando cõpatiuntur alij si quis effectu libidinis defraudetur, ui duæ pudorẽ expugnare non potuit,agrũ inuadere: & ægre cuncti inuicem languores transferunt.Quotiẽs ingemiscũt seniores quòd diu potare nõ possint? quotiens dolẽt quòd scortari desierint,cũ scortandi habeant uoluntatẽ? quotiens inter fabulas ebriorũ uirtutes probro sunt,peccata laudi,honestas ludibrio,continẽtia risui,misericordia uanitati? Isti sunt morbi qui mala sua in multos transferũt. A paucis corruptela ad omnes peruenit.Sedent in cõciliis derogãtes sobrijs,ructantes crapulam: sedẽt in tabernis de ebrietate certantes.Inter hos meretrix plena uino,huic arridens,illũ adurens,& omnes ardore inflãmans libidinis. Verecundus si transeat,erubescit,à singulis carpitur:si flagitioſus,omniũ ore laudatur, & tanquam morbus transit in animas singulorũ. Qui enim in flagitijs celebris,plurimos ad imitationẽ adducit erroris.Itaq; dum peccatũ imitãtur alienum,suum faciunt malũ.Non sedeas inter eos,quos sanctus Propheta fugiebat.Illũ imitare,fugientem utiq;,non sedentem,qui ait:Non sedi in concilio malignãtium, & cũ iniqua gerentibus non introibo. Qua ratione eos fugiebas Dauid, explica nobis. Deprauati sunt,inquit,& abominabiles facti sunt:Non est qui faciat bonitatẽ, non est usq; ad unum. Generaliter ergo ad omnes flagitioſos, deinde potest referri specialiter ad irrisores bonorum,quos Aquila χλευασὰς dixit, quòd isti uere morbi sunt qui irridendo bonos,plurimorum animis operantur errorem,mentesq; corrumpunt. Quanta dixit à qui monstra has partes,ut & nos eas fugere possimus,ne inficiamur earũ contagio. Corruptibus beatus uir debeat abstinere? Et adhuc adijcit alia. Sed in lege domini fuit uoluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte.] Hoc est,beatus ille qui hæc faciat consilio,ratione,prudentia.Potest enim & paruulus non per uirtutẽ,sed per impossibilitatẽ & inscientiam delinquendi ab ijs quæ dicta sunt abstinere. Potest & irrationabili pecudi cõuenire,cui nulla uis consilij, nullus sensus erroris est. Hoc est ergo quartum quod sequitur,in quo definitio beati uiri à pecude discernitur: quia uir sapiens subditus legi est uolũtate,non necessitate.Plurimũ enim refert:quia in uolũtate,mercedis est fructus:in necessitate,dispensationis obsequiũ.Ita enim docuit nos Apostolus dicẽs:Si uolens hoc ago,mercedem habeo:Si inuitus,dispensatio mihi credita est. Ordo autẽ conueniens,ut primo diligas legem,secundo ut mediteris: Qui diligit,ex uolũtate facit mãdata legis:qui timet,inuitus obseruat. Hanc disciplinam docendi etiam dei iustitiam in lege accepimus.Sic enim scriptũ est:Audi Israel,Dominus deus tuus, deus unus est.&, Diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo,& ex tota anima,& ex tota uirtute tua. Et erunt uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie,in corde tuo,& in anima tua:& demõstra ea filijs tuis,& loqueris in eis sedens,& in itinere,& in quiete,& in uigilia.Alligabis ea in sinu tuo,& in manu tua,& erunt monilia ante oculos tuos:& scribes ea super limina in domicilijs tuis,& in ianuis tuis.Et infra:Et nũc Israel,quid abs te postulat dominus tuus,quàm ut diligas dominũ deũ tuũ,& ambules in omnibus uijs eius? Sapiẽtia quoq; dicit:Cõcupiscite ergo sermões meos,diligite illos,& habebitis disciplinã.Clara est,& quæ nunquã marcescat sapiẽtia,& facile uidetur ab ijs qui diligunt illã,& inueniẽt ab ijs qui quærunt illã.Legitime ergo docemur à sancto Propheta uoluntatẽ in lege habere, meditationẽ secundũ legem. Volũtas in lege nõ solũ in studio,sed etiã in facto est. Prior uoluntas,secũda operatio. Deniq; & dominus dicẽti sibi,Si uis potes me mũdare:respõdit,Volo:mũdare.quo ostenderet operationibus nostris uoluntatẽ præuiã esse debere. Deniq; lex uoluntarios quærit:quia lex domini irreprehensibilis est,conuertẽs animã. Nemo autem conuertitur,nisi qui uoluntate conuertitur. Voluntarius autem abscondit,& sensum furatur laboris.Ideo' que die & nocte in lege meditatur, in quo non tam continua legendi postulatur intentio, quàm seruandæ legis affectus. Ille enim plene

Esa.1

Eccl.2

Ezech.11

Psal.25

Psal.13

1.Cor.9

Deut.9

Sapien.6

Matt.8

Psal.18

medita-

meditatur, qui ipse sibi lex est, scriptum in corde suo opus legis intendens. Aquila tamẽ diem tantũmodo posuit, non etiam noctem. Quod non tam à cæteris discrepans, quàm alio referens posuit: quoniam qui legem meditatur, semper in luce est, noctem non habet. Etenim cuius lucent opera, non potest utiq; in tenebris ambulare: quia iustitia eius sicut lumen effulget. Meditetur ergo legem uita nostra, meditetur conuersatio, meditetur actus, meditetur intellectus mysteriorum cœlestiũ. Lex enim exẽplar est & umbra cœlestium, umbra futurorum bonorum, quæ is qui credit in Lege, in Euangelio recognoscit. Meditatur in tenebris & die: id est, & in aduersis positus, & in prosperis. Lex enim præcipit ut diligamus dominũ. Qui diligit, in omni statu suo debet seruare diuturnæ charitatis affectum. Pater diligit filium, diligit etiam cùm arguit, diligit etiam cũ uerberat baculo. Qui enim parcit baculo suo, odit filium suum. Nos quoq; dominus castigat, & diligit. Itaq; etiam cum digna coercitione committimus, ille tamen diligit, qui etiam recipit offensum. Castigat enim dominus omnem filium quem recipit. Et tu cũ castigaris, dilige: quia ideo castigaris, ut recipiaris. Nam quid grande est si tunc diligas dominum deum tuum, cum tibi abundant omnia, cum frueris optatis, cum honoribus, facultatibus, liberis gaudes? Et homini à quo acceperimus beneficiũ, gratiam referre consueuimus. Denicq; cum laudaretur Iob iudicio cœlesti, hoc retulit diabolus, minime mirum si gratus esset deo, cui tanta suppeteret affluentia prosperorum. Sed tunc probandum, si illa amittat uniuersa, & pij cultoris præstet officium. Hæc igitur prima uirtus, ut non frangaris aduersis, non extollaris secundis. Id te lex docet, ut in afflictione non relaxes intentionem, nec desperationem induas. Victor non dicas: Virtus mea & fortitudo mea hæc tribuit mihi: sed omnia noueris diuinę misericordiæ deputanda. Clamat Esaias: Non confundetur qui in angustia est usq; in tempus. Hoc primum bibe. Quid est, iuxta 70 hoc primum bibe? Sequestremus mystica, persequamur moralia, quæ docet litera. Propter errorum grauia, graues cõtritiones & uexationes populi dicit futuras. Et oportuit eas præcedere, ut sequeretur misericordia. Bibe ergo primum tribulationem. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum dei. Bibe, ut sensus tribulationis pectoris tui infundatur internis. Bibe cum patientis affectu mœrẽtis dolorem. Cũ enim conuersus ingemueris, tunc dominũ tibi reconciliabis offensum. Hoc ergo primum bibe, ut sis in dolore & angustijs. Cito lætitia infundit errorẽ. Pinguis factus & incrassatus populus surrexit ludere, & recessit à domino. Prodest tibi cor habere contritum. Hoc primum bibe, ut sacrificium tuum accipiatur à domino. Doceat te Apostolus quid sit. Hoc primum bibe: hoc est, tribulationis poculum. Tribulatio enim patientiã operatur. Non potest esse patientia, nisi antè fuerit tribulatio. Tribulatio, inquit, patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio uerò spem: spes aũt non confundit. Bibe primum tribulationẽ, ut postea tibi tot uirtutum pocula ministrentur. Et ut scias quia bibitur tribulatio, audisti dicentem hodie Prophetam: Potasti nos uino compũctionis. Et in posterioribus ait: Et potum dabis nobis in lachrymis in mensura. In mensura petit potum, non supra mensuram: ne ferre non possit. Denicq; quàm bono hoc precaretur affectu, suo probabat exemplo, qui potum suum cum fletu miscebat, ut domini in se inclinaret misericordiam. Bibe ergo hoc primum, ut bibas & secundum. Hic enim tempus est ut inseramus mystica. Bibe primum Vetus testamentum, ut bibas Nouũ testamentum. Nisi primum biberis, secundum bibere nõ poteris. Bibe primum, ut sitim mitiges: bibe secundum, ut bibendi satietatem haurias. In Veteri testamento cõpunctio, in Nouo lætitia est. Vide quemadmodum dominus artibus diaboli pro suis seruulis obuiauerit. Ille cibo fraudis decepit unum, ut in uno omnes circumueniret: Iesus autem cibo salutis omnes redemit, ut in omnibus & illum qui deceptus fuerat reformaret. Ille calicem aureum Babylonis excogitauit, ut quicunq; biberent, plus sitirent: & quia potus placere non poterat, auri precio illiceret ad bibendum. Propinauit de uino suo, cui metalli sufficit fragia requisiuit. At uerò dominus Iesus aquã de petra effudit, & omnes biberunt. Qui biberunt in typo, satiati sunt: qui biberunt in ueritate, inebriati sunt. Bona ebrietas, quæ infunderet lætitiam, non afferret confusionem. Bona ebrietas, quæ sobriæ stabiliret mẽtis incessum. Bona ebrietas, quæ uitæ munus rigaret æternæ. Hoc ergo poculum bibe, de quo dixit Propheta: Et poculum tuũ inebrians, quàm præclarum est. Nec te moueat quòd

Hebr. 10
Prouer. 3
Hebr. 12
Esa. 8
Act. 14
Rom. 5
Psal. 59
Psal. 69
Ibid. 101
Ibid. 22

quòd Babylonis aureum poculum est: quia & tu bibis poculum sapientiæ, quæ sit auro argentoq; precios̃ior. Vtrunq; ergo poculum bibe Veteris & Noui testamenti: quia in utroq; Christum bibis. Bibe Christum, quia uitis est. Bibe Christum, quia petra est, quæ uomuit aquam. Bibe Christum, quia fons uitę est. Bibe Christum, quia flumen est: cuius impetus lætificāt ciuitatem Dei. Bibe Christum, quia pax est. Bibe Christum, quia flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Bibe Christum, ut bibas sermones eius. Sermo eius testamentū est Vetus: sermo eius est Nouū. Bibitur scriptura diuina, & deuoratur scriptura diuina, cum in uenas mentis ac uires animæ succus uerbi descendit æterni. Deniq; non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. Hoc uerbum bibe, sed ordine suo bibe. Primū in Veteri testamento: cito fac ut bibas & in Nouo testamento. Et tanquam ipse festinet, dicit: Galilæa gentium, & partes Iudęę, populus qui ambulabas in tenebris, lucem uidete magnam: qui habitatis in regione mortis, lux fulgebit super uos. Bibe ergo cito, ut lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei, non solis, non lunę, sed lux illa quę umbram mortis excludat. Nam qui in umbra mortis sunt, lucem utiq; solis aut diei uidere non possunt. Et quasi requirenti tibi unde tantus splendor, tanta gratia sit, respondet: Quoniam puer natus est nobis: filius datus est nobis. Puer, quia ortus ex Virgine est: Filius, quia ex Deo natus tātæ author est lucis. Puer nobis natus est. Nobis, qui credimus: non Iudæis, qui non crediderunt: Nobis, non hæreticis: nobis, non Manichæis. Nobis natus est: quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nobis natus est, quia carnem suscepit ex Virgine, quia homo natus est ex Maria. Caro nascitur nobis, uerbū datur. Quod nostrum est, inter nos natum est: quod supra nos est, nobis donatum est. Satis excurrimus, ut putamus: sed nō ociosę, ut doceremus quia & in tribulationibus diligere dominum debemus, nec recedere ab eo, quoniam & lætitiæ tribulatio sæpe succedit, & lætitia tribulationi. Deniq; qui tribulatione non frangitur, & legem sequitur: beatus est. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: & omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur.] Quæ ista beatitudo est, quæ ligno arboris comparatur, nisi intelligamus in paradiso, illo beatorum loco, lignum uitæ in medio lignorum aliorum de terra productum? Inter multa enim ligna quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam hoc lignum terra produxit: & in medio paradisi erat, ut cætera ligna eius uiriditate florerent. Quod esse hoc lignū dicimus, nisi per quod nobis salus uenit? Et recte hoc terra produxit, quia eum Virgo generauit, quæ erat terra secundū auctoris sententiam, quæ in eum dicta est: Terra es, & in terrā ibis. Pulchre quoq; in medio legitur lignorum aliorum, quia erat in medio Apostolorum discentiū. Vel quia in medio erat mentis & cordis, sicut ipse ait: Medius uestrū stat, quem uos nescitis. Et alibi ait: Ego autem in medio uestrum sum. Deniq; & de ipso Salomon dixit: Lignum uitę est omnibus percipientibus eum. Qui ergo beatus est, imitator erit domini Iesu, qui est lignum uitę, lignum sapientiæ, plantatum in utero Virginis uoluntate patris: à quo in perpetuum mansurum plantatur, ut fructum daret in tempore suo. Non enim potuit arescere ista plātatio, quæ habebat ubertatem in se manentem gratiæ spiritalis. Deniq; plenus spiritu sancto Iesus regressus est ab Iordane. Hi sunt decursus aquarum de quibus dicit Euangelium: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuę. Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere qui crediturі erant in eum. Est & alia traditio: quia sunt aquæ de quibus prohibet nos bibere Hieremias dicens: Quid tibi & uiæ Aegypti, ut bibas aquam Geon? Est & Tygris fluuius Assyrios præterfluens. Est & Euphrates in Babyloniam tendens. Est & Phison, qui Latina interpretatione oris dicitur cōmutatio, circumiens terram Euilath, ubi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & lapis carbūculus, & lapis prasius. Merito os illic cōmutatur, ut non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, ubi est aurum bonum. Auaritia enim fidem frangit, nec tenet uerborum simplicitatem. Ornamenta quoq; preciosa mentem animumq; cōmutant: ut aliud in pectore, aliud in sermone sit. In illis ergo regionibus fluminum fuerunt Iudæi ut captiui abducti in Aegyptum, & ad Assyrios, & ad Babylonios, ubi super flumina Babylonis sedebant, & flebant suæ calamitatis ærumnam: & ut hic ipse Propheta testatur: Illic suspenderunt organa sua, & om-

Psalm. 45

Ioann. 7

Matth. 4

Esaiæ 9

ibidem

Ioann. 1

Genes. 3

Ioann. 1

Luc. 22

Prouerb. 3

Luc. 4

Ioann. 7

Hierem. 2

Psalm. 136

nem depoſuere lætitiam, ubi grauiora tolerarunt. Deniq; reliquę decem tribus ad Aſſy-
rios ductæ ſunt: duæ autem Iuda & Beniamin tanquam grauioris reæ flagitij in Baby-
loniam tranſierunt. Atrocius enim ſacrdotis filia adultera quàm cęteræ puniuntur: quia
ſacerdotalis generis gratiam turpi opprobrio decolorauit. Sicut illi ergo in tentatio-
bus grauiſſimis fuerunt, ita multis tentationibus ſe ſaluator noſter obiecit, ut nulla ten-
tationis noſtræ certamina præteriret. Plãtatus ergo recte dicitur ſecus decurſus horum
fluminum, non in ipſis decurſibus: ut finitimum, non demerſum intelligas. Fuit illi con-
Matth. 26 greſſio prima carnis & ſanguinis. Deniq; ait: Pater, transfer à me calicem iſtum: ſed non
quod ego uolo, ſed quod tu uis. Fuit diuitiarum obiecta tentatio, cum omnia regna ter-
Matth. 4 ræ ei inimicus offerret, ſi procidens dominus adoraret eum. Habes duorum fluminum
decurſus Geon & Phiſon. Fuit illi colluctatio aduerſus principes mũdi: fuit in ipſa paſ-
ſione certamen aduerſus tentatores, quos Perſas Hebræa appellat interpretatio: qui fal-
Marc. 15 ſa teſtimonia deferebant. Aduerſus eos qui dicebant: Deſcendat nunc de cruce, & cre-
dimus ei, quæ diabolus ſuggerebat. Habes Tigrim & Euphratem flumina. Quadripar-
Epheſ. 6 titum autem nobis certamen eſſe etiam Apoſtolus comprehendit, dicens: Quia non eſt
nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, ad-
uerſus mundi huius rectores & tenebrarum, aduerſus ſpiritalia nequitię quę ſunt in cœ-
leſtibus. Hi ſunt fluuij qui de paradiſo exeunt. Vnde puto quòd is qui in paradiſum ge-
ſtit redire, hos debeat tranſire decurſus aquarum. Quod non ociose expreſſit iſte ipſe
ſanctus Propheta, demonſtrans quòd qui tentationes omnes ſubegerit, deberi ſibi iam
Pſalm. 118 paradiſi requiem ſperet. Itaq; ſic ait: Decurſus aquarum deſcenderunt oculi mei. Sicut
enim romphęa eſt in ingreſſu paradiſi ignea, ut qui redit, per ignem reuertatur, urat pec-
cata ſua, probet aurum ſuum: ita qui redit, per hos decurſus redit. Meritoq; dicunt ſan-
Pſalm. 65 cti: Tranſiuimus per ignem & aquam. De iſtis decurſibus & Eſaias dicit: Si tranſeas per
Eſaiæ 43 aquam: flumina non te concludent. Quæ flumina? Audi dicentem Dauid de ijs qui fe-
Pſalm. 123 ſtinabãt ad paradiſum: Forſitan pertrãſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Quam-
Pſalm. 90 uis nonnulli de iſtis quatuor tentationibus etiam illud accipiunt: Super aſpidem & ba-
1. Corinth. 15 ſiliſcum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem. Vt ambulauerit in incarnatio-
ne, conculcauerit in paſſione, uel in traditione regni conculcet, quod patri tradet cum
omnem euacuerit principatum. Pulchre autem Aquila ὃ μεταφυτευμένον dixit, hoc eſt
tranſplantatum, eo quòd primo ſit plãtatus in Virgine, poſtea tranſplantatus in paradi-
Luc. 23 ſum: ſicut dixit ad latronem: Amen amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo. Hoc
lignum igitur fructum dabit in tempore ſuo. Ligna terrena fructum non dare, ſed ferre
dicuntur. Sed lignum uitæ ac ſapientiæ dat fructum, hoc eſt largitur & donat. Rurſus il-
Ibidem 12 lud occurrit: Si lignum eſt ſapientiæ, cur in tempore dabit, & non ſemper? Ne forte gra-
ue ſit nobis hoc ſentire de Chriſto: ſed tu qui legiſti quia diſpenſatorem fidelem & pru-
dentem conſtituet dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſu-
ram, in tempore utiq;, non ſemper, turbari utiq; non debes. Poteſt ſapientia ſemper fru-
ctum dare: ſed quia ſapientia eſt, debet ſapienter dare, diſpenſare prudenter. Tũc debet
ſemper dare, quando nos plenam menſuram poſſumus accipere. Sicut hic extremum
tempus fructum, ita & illic dabit fructum bonis indefinentibus, ut reſurrectionis eius
conſortium capere, ac ſeruare poſſimus. Nunc non poſſumus, in hoc ſeculo nõ ſuſtine-
mus. Hic enim corruptibiles ſumus, & cauendum fuit ne corrumperemus bonos fru-
ctus, quos lignum uitæ daret: quia nunc corrupti, illic autem incorrupti: quãdo & mor-
1. Corint. 15 tui, inquit, reſurgent incorrupti, & nos cõmutabimur. Oportet enim corruptibile hoc
induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem. Quid ergo proderat
morituro accipere, quod ei mors habebat auferre? Nouit ergo ſapientia quibus quan-
do dare debeat, quæ nec folium amittit ligni ſui. Et ideo qui fructus ſit ſapientiæ, quod
folium, conſideremus. Fructus, interior eſt: folium, quo fructus uel à ſole torrenti, uel à
frigore defenditur. Fructus uidetur eſſe fides, pax, doctrina, excellentia ueræ cognitio-
nis, intentio myſteriorum, ratio. Hos fructus bona uita cuſtodit: mala etiamſi percepit,
Pſalm. 49 amittit. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? In myſticis fru-
ctus eſt, in moralibus folium. Nam uirtutes ſine fide, folia ſunt: uidentur uirere, ſed pro-
deſſe non poſſunt. Agitantur uento, quia non habent fundamentum. Quanti Gentiles

habent

habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia fidem non habent? Labuntur cito folia, ubi uentus flauerit. Et aliqui Iudęi habent castimoniam, sedulitatem lectionis multam, & diligentiam, sed sine fructu sunt, & uersantur ut folia. Hæc fortè sunt folia quæ saluator in illa ficu reperit, sed fructum non reperit. Mystica saluãt, & à morte liberant: Moralia autem ornamenta decoris sunt, nõ subsidia redemptionis. Præstare autem mystica moralibus etiam ipse dominus docet in Euangelio suo dicens de Maria, quæ sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius, cum Martha circa ministerium festinaret, & quereretur quòd soror eam propria circa mensæ ministeriũ non iuuaret: Martha, Martha, Maria optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur illi. Si quæ Christo ministrabat ad mensam, non conferebatur ei quæ uerbum cupiebat audire: quem operantem studioso cognitionis ęternę conferre poterimus? Ita tamen, ut nec illius operationi fides, nec huius cognitioni, sicut Mariæ, desit operatio: ne uel folia sine fructu sint, uel fructus sine munimentis naturalibus sit intectus, & pateat iniuriæ. Possumus etiam illud intelligere, quia folijs se texerunt Adam atq; Eua, corporea uestimenta quærentes, eò quòd resurrectio dominici corporis prophetaretur: quia nec caro, quæ antea uice foliorum interire cõsueuerat, peritura esset in Christo: iustorumq; omnium, qui secundum Euangelium ad imitationem ligni sapientię nati ex Virgine, uitam suam actusq; formarent. Nam Græcus ita dixit: ὃ τὴν καρπὸν αὐτοῦ δώσει. quod potest ad beatum referri, μακάριος καρπὸν δώσει Græce: Latine autem sic dicitur: ut sit, Qui beatus dabit fructum: in resurrectione scilicet sua, quando potest perpetuum dare. Potest & sic, ὃ τὴν καρπὸν αὐτοῦ, ὑπὲρ ξύλον: ut referatur ad lignum, cuius facta omnia prosperabuntur. In quo euidens testificatio est quia de saluatore dictũ est. Cuius enim nisi ipsius facta possunt uniuersa laudari, & prosperos habere exitus? Aquila autem, dirigentur ait: quod ad quemcunq; hominem referendum uidetur, quem dirigit dominus fauore cœlesti. A domino enim diriguntur gressus uiri, & orationem suam in cõspectum Dei Dauid Propheta dirigi postulauit. Sed & ipse dominus dixerit opera sua, ut nullo erroris curuarentur anfractu. Sequitur: Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ.] Hoc est, non sic ut beatus uir: qui ideo beatus, quia non abijt in consilio impiorum: quia in peccato non stetit: in consilio pestilentium nõ sedit, uolentium uel credentes pie uel uiuentes peruertere. Qui uolũtatem habuit in lege, & meditabitur in ea. Aut (sicut Aquila posuit) resonabit in lege: ut pręcepta legis resonet uita eius, mores resultent: sicut illorum quorum in omnem terram exiuit sonus. Forte hic sonus doctrinæ hominum exeat, illic autem ubi facie ad faciem dabitur uidere, plenior quędam uerbi fieri uideatur expressio. Non ergo sicut beatus iste qui hæc fecerit, qui erit tanquam lignum plantatum, cuius gesta omnia prosperabuntur, ita erit & impius. Ideo repetiuit uel qui scripsit, uel qui postea addidit, ut quidã putant: quo confirmatior fieret repetita sententia, ita dicendo: Non sic impij, non sic: qui erunt tãquam puluis. Sunt enim terreni: & sicut puluis proijcitur à facie uenti, ita & isti proijcientur & dissipabũtur à spiritu sancto, qui terræ fertili atq; fœcundæ animæ salutaris sicut uentus Auster aspirare consueuit. Huic uento dicitur in Canticis: Veni Auster. ut clementia aeris mollioris cordis nostri arua laxentur, quæ brumali gelu stricta recipiendis gremiũ seminibus denegabant. Bonum est nobis ut hic uentus aspiret, qui naues Tharsis ferentes uero Salomoni quæ ad templũ eius necessaria uidentur, tutos deducat in portus. Sed tunc iste uentus aspirat, si Boreas ille grauis uẽtus flare desierit. Ideo uel Ecclesia uel anima pia dicit: Exurge Borea, & ueni Auster. Hoc est: Tu Borea recede, & ueni Auster, aspira hortum meũ, ut flores non discutias, sed reserues. Anima igitur plena pietatis hortum habet, uel ipsa hortus est, qui fructus ferat. Anima quę impietati patet, puluerem habet, qui est infœcũdus ad fructum. Fructiferam quidem illã fecit dominus, sed ipsa sibi collegit impietatis puluerem. Quid te iactas ô plene impietatis? An quia honoribus es potens, & abundas diuitijs? Non aduertis quia puluis es? & tu dispergeris & dissipaberis. Vidi, inquit, impiũ superexaltatum & eleuatum super cedros Libani: & transiui, & ecce nõ erat. Quid gloriaris quia multa te seruitia ambiũt, multi amici tegũt latera tua, plurimi te equi sequuntur? Quorum nobis enarras prosapiam, & tanquam maiorum tuorum genus? Præfers diuitias, quia conuiuijs pascis sodales. Vtinam egenos pasceres: utinam non iocorũ ministros,

Matth. 11

Luc. 10

Genes. 3

Psalm. 36 & 140

Psalm. 8

Cantic. 4

Psalm. 36

niſtros, ſed uotorum adiutores. Iactas quia prodeunti ilicò ceditur, & homines te tan-
quam feram declinant aut beſtiam. Num hæc eſſe aliquid putas? Nõ audis quia ea om-
nia tanquam umbra prætereant? Quid iuuant conſulares prætextæ, aut nitentes auro
triumphales palmatæ? Nudus exibis: nemo illic Conſulem recognoſcet. Quid proſunt
innumeræ poſſeſſiones publicæ? Súntne tuæ? Hodie tu tenes, cras alius. Cùm tu exie-
ris, alius intrat. Vix mouiſti pedem, alius greſſum intulit. Quãti ante te illic fuerũt quan
ti poſt te dominabuntur? & hoc putas eſſe priuatum? Quem unquam à morte diuitiæ
redemerunt? Imò quem non ad mortem diuitiæ coegerunt? Quem ab inferis ſuæ reuo-
carunt opes? Quem potentia excuſauit à pœna? Puluis eſt impietas, ſicut puluis eſt im-
piorum potentia. Caliginem infert, dare ſalutem non poteſt. Simul ut uehemens flare
cœperit ſpiritus, ſpargit eam atq; diſſoluit. Aerem turbat, ſolum nudat, ut puluis proji-
citur, deficit ut fumus, liqueſcit ut cera. Hinc pleriq; nõ mediocrem mouerunt quæſtio-
nem, utrum perituram naturam uideatur aſſerere ſcriptura diuina, maxime quia alibi di
Pſalm. 17 cit: Cõminuam eos ut puluerem ante faciem uenti, & ut lutum platearum delebo eos.
Et alibi: Ecce confundentur & reuerebuntur omnes aduerſarij: erunt enim tanquã non
ſint. Primum ergo interrogo, utrum impietatem ſecũdum naturam putent eſſe, an præ-
ter naturam? Si ſecundum naturam aſſerant, errare eorum opinionem certum eſt. De-
niq; dicant utrum naturæ peccatum conueniat, an non. Sed certum eſt, peccare, deuia-
re eſſe ab eo, quod eſt ſecundum naturam. Quid igitur tam ineptum, quam ut dicant mi
nus uideri, impium eſſe, quàm peccare: cum omnium acerbiſſimum ſit, quicquid in Dei
fieri uidetur iniuriam? Quòd ſi impie agere, non eſt præter naturam: uiuere ergo impie;
ſecundum naturam eſt, nec peccati loco habendum, nec dignum reprehenſione exiſti-
mandum. Nemo enim reprehenditur, qui operatur ſecundum naturam. Vnde conclu-
ditur, quia impietas præter naturam eſt. Quomodo igitur cum perditione conſuetudi-
nis, ἀπολλυσομένας φύσεις, hoc eſt, perituras naturas inducit ſcriptura, cum impietas nõ utiq;
naturalis ſit, ſed præter naturam? Quod enim non habet, non amittit: nec poteſt ea ſub-
ſtantia perire, quæ non fuit. Nam & puluis cõmotus, aut in aquæ ſubſtantiam transfer-
tur, aut in aerem, aut in ignem: hoc eſt, in aliam uidetur ſæpe tranſire naturam. Non er-
go in nihilum deficit, ſed in aliud tranſit. Quid obſtat igitur quin & ille qui uerbi uirtu-
te & ratione cõminuitur ut puluis, non in nihilum diſſipetur, ſed cõmutetur in melius,
ut ex terreno fiat ſpiritalis homo, & ut lutum platearum ſic deleatur, ut tollatur quic-
quid aſperum ac ſordidum uidetur, remaneat quicquid purum ac mũdum eſt? Et quod
ait de aduerſarijs Hieruſalem. Erunt ſicut qui non ſunt: utiq; potuit dicere, non erunt.
Sed cum dixerit, confundentur, & reuerebuntur: utiq; intelligis quia erunt per ſubſtan-
tiam, & profectum conuerſionis, ſed non erunt quaſi aduerſarij, quod fuerunt. Itaq; per
improbitatis defectum non erunt, erũt fide ac deuotione mutati. Denique & alibi ex pec
Mich. 6 catoris perſona dicitur: Et iram Dei ſuſtinebo, quia peccaui, donec iuſtificet iudicium
meum. Conuertere enim Deus cupiens peccatorem, punit eum & urit, ut purget. Vnde
Ibidem ait: Et educet me in luce. Nam & ceram urit ignis, & liqueſcit ut purgetur. Et nos per
ignem probamur. Et fumus conſumpto omni materiali expurgatur, neque naturam
tranſit. Itaq; & anima purgata ab omni labe, in id quod eſt deficit, non in id quod non
Num. 23 eſt: ut ait Balaam: Moriatur anima mea in anima iuſtorum: ut lapſus eius & quidam im-
probitatis uſus tranſiret in conſuetudinem, uitamq; iuſtorum. Omnia enim Deus fal-
Sapient. 1 ua uult eſſe. Vnde & Salomon ait: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione ui
uorum. Fecit animam ut ſit: creauit hominem in incorruptionem: quem ad imaginem
ſui fecit: ſed homines à naturæ munere deuiantes, obnoxios fecere ſe morti, ut quaſi
terreni corrumpantur. Sed Deus per tribulationes ad pœnitentiam cogit, ut per pœni-
tentiam uratur & conſumatur illud accidens malum improbitatis, & pereat: & locus il-
le animæ qui erat accidentis impietatis poſſeſſio, pateat ad receptionem uirtutis & gra
tiæ. Certum eſt autem animæ naturam eſſe precioſam, quæ ad ſimilitudinem Dei facta,
receptionem omnis uirtutis admittit: utpote quæ cognitionis ſupernæ non ſit fraudata
conſortio. Nunc illud ſupereſſe arbitramur, quod in multorum ore uerſatur, qua ratio-
ne Deus, cuius ſine uoluntate nec paſſer uiliſſimus cadit, & apud quem capilli capitis
Eſa. 40 numerati ſunt, dixerit per Eſaiam: Sic omnes Gentes, ut ſtillicidium de urceo, & ſicut
momentum

momentum ſtateræ æſtimatæ ſunt, & ut ſputum æſtimabuntur. Ita ergo peribunt omnes Gentes ut ſtillicidium de urceo, & ut ſputũ perit, & ad nullos uſus proficit? Sed tu qui noſti quia Gentes non eo uſq; pro nihilo habuit Deus noſter, ut & Abrahæ dixerit: Benedicentur in te omnes gentes: & per Dauid locutus ſit ad filium, dicens: Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & infra: Omnes Gentes ſeruient ei, qui legiſti: Quia obtulit Deus filium ſuum pro omni Gente, ut ſaluos faceret peccatores: debes hoc loco uim diuinæ ſententię conſiderare. Contemplatione etenim creaturarũ cœleſtium, quæ multæ ſunt, ſicut cœli (quod multipliciter maius quàm terra eſt, ut à pleriſq; punctum comparatione cœli terra ſit exiſtimata) angelorum, archangelorum, principatuum, poteſtatum, thronorum, dominationum, milium, & decem milium, & innumerabiliũ milium, contemplatione ergo horum Gentes ut ſtillicidium de urceo æſtimatæ ſunt, cuius eſt omnis plenitudo. Ex illa igitur plenitudine cœleſti tãquam gutta cadens æſtimatæ ſunt gentes. Quomodo enim poterant maximę uideri, cùm ipſa terra in qua ſunt Gentes, minima mundi portio ſit, & omnium quæ operatus eſt Deus, tanquam ſtateræ exigua inclinatio Gentes ſint? Simul cognoſce per hanc ſtateram omnia Deum cum iuſtitia condidiſſe, & in ipſis Gentibus ineſſe quiddam naturaliter in quo iuſtitię uideretur uel exiguum eſſe momentum, & ſputum ipſum tanquam ex uniuerſitate totius corporis interiorem exiſtere portionem. Magis ergo hic miſericordia prædicatur: quoniam qui uenit quærere quod perierat, nec ſtillicidium illud quaſi uile contempſit, ſed alleuauit momentum ſtateræ, & ſputo illi ſubſtantiam boni corporis donans, dignatus eſt omnes Gentes in unum corpus Eccleſiæ cõgregare. Inter Gentes autem & Iſrael annumerari poteſt nequaquã expers diuinæ iuſtitiæ: quia ipſe Moyſes dixit de Iſrael: Ecce populus ſapiens, & diſciplinæ tenax, Gens magna. Et ut ſcias quia ſupra meritum noſtrum Dei bonitas redundauit, Apoſtolus hunc propheticum locum interpretatus ait: Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur, & ſubiũxit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? Aut quis cõſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Hũc autem locum præmittens Propheta ait: Sic omnes Gentes ut ſtillicidium de urceo æſtimatę ſunt, & reliqua: ut agnoſcas intellectum iſtum cum interpretatione Apoſtolica cõuenire. Sed quid euidẽtius eo, quòd perituras naturas nõ uideatur inducere, cùm ipſe ſubiecerit ſanctus Propheta: Quoniam non reſurgũt impĳ in iudicio.] Non enim dixit: Non reſurgunt: ſed ait: Reſurgunt quidem, ſed non in iudicio. Qui autem reſurgit, eſt utiq;, & manet: ſed quia non credidit in Chriſtum, iam iudicatus eſt: & ideo non uenit in iudicium, quem peracti iam manet pœna iudicĳ. Et de reſurrectione quidem plurima diuinarum ſcripturarum ſunt teſtimonia, quæ non prætermiſimus in libris conſolationis & reſurrectionis. De eo autem quod ait: Non reſurgunt impĳ in iudicio: ſecundum Euangelium abſoluta ſententia eſt, quia non omnes iudicabuntur. Apoſtolus autem ait: Omnes enim oportet nos ſtare ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et putant pleriq; eſſe contraria: nec aduertunt quia ſaluator de perfidis dixit atq; impĳs, qui non crediderunt in dominum Ieſum. Sic enim ait: Qui credit in me, nõ iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti filĳ Dei. Hoc autem eſt iudicium, quia uenit lux in hunc mundum, & dilexerunt magis homines tenebras quàm lucem. Erant enim mala ipſorum opera. Liquet igitur de quibus dictum ſit: hoc eſt de iis qui non crediderunt in dominum Ieſum. Apoſtolus quoq; etſi dixit omnes, de iis utiq; dixit, qui crediderunt, ſed actuum ſuorum rationem in die iudicĳ reddituri ſunt. Denique ipſe alibi ait: Quia teſtimonium conſcientiæ noſtræ in die iudicĳ reuelabitur, cum inuicem cogitationes noſtræ aut accuſabunt ſe, ut ſcriptum eſt, aut defendent: & patebunt cordis occulta. Quid autem hoc euidentius quod ait alibi: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur? Immutabuntur enim iuſti in incorruptionem, manente corporis ueritate. Daniel quoq; dicit: Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Oſtendit ergo iudicium futurum, maxime cum alibi idem dicat: Multi qui ſedent in tumulo terræ, exurgent iſti in uitam æternam, & iſti in opprobrium & confuſionem ęternam: & intelligentes ſplendebunt ſicut ſplendor cœli, & de iuſtis multi ſicut ſtellę lucebunt.

Genes. 26
Pſal. 2. & 71
Luc. 19
Roman. 11
Ioann. 3
2. Corint. 5
Ioann. 3
Roman. 2
1. Corinth. 15
Daniel 7
Ibidem 12

bunt. Quod iſtud eſt iudicium ſedentium iudicum, & qui libri aperti, niſi conſcientiæ noſtræ, uelut libri peccatorum noſtrorum ſeriem continentes? Quanquam hoc ipſum uile ſit æſtimare quaſi humani ſimile iudicij. Aliud eſt Chriſti iudicium, ubi conſcientia ipſa ſe prodit, quæ latere nõ poteſt occultorum arbitrum: ubi cogitationes lucent apud
Matth. 9 eum quid adhuc cogitantibus dicebat: Quid cogitatis mala in cordibus ueſtris? Cũ iudæis diceret, dicebat omnibus: ne quis putaret quòd occulta poſſent eſſe quę faceret: ne quis putaret quòd parietibus clauſus teſtem occulti erroris effugeret. Ideoq; & Euange
Luc. 6 liſta teſtatur dicens: Ieſus autem ſciebat cogitationes eorum. Quomodo ergo ait: Libri aperti ſunt? Non utiq; atramento ſcripti, ſed ueſtigijs delictorum, & flagitiorum inquinamento. Aperietur liber conſcientiæ tuæ, aperietur liber cordis tui, culpa noſtra recitabitur. Eſt ibi liber, ubi eſt tabula. Imo ſunt libri inſcripti, ubi ſunt inſcriptæ tabulæ, quas
2. Cor. 3 inſcribit ſpiritu ſancto Apoſtolica doctrina, ſicut legimus dicente Paulo: Epiſtola noſtra uos eſtis, inſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus? Sunt ergo tabulæ cordis inſcriptæ ſpiritu ſancto: iſtæ recitabuntur. Si bene egeris, manebit tabula. Vide ne tollas ſpiritus ſancti gratiam: uide ne deleas, & ſcribas atramento flagitia tua, ne ueniat dies iudicij, & dicat iudex: Recitentur libri, recitentur tabulæ geſtorum eius, & dicat tibi: Ego tabulas tuas, cur deleſti apices meos? Ego ſcripſi dona mea, quomodo deleſti munera mea, & ſcripſiſti opprobria tua?
Pſalm. 44 Non legiſti quia ſcribo? Non tibi dixi per os Prophetæ mei: Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribentis? Iudicium autem uerbi eſt. Multi ergo dormientium in tumulo terræ ſurgent: qui bene egerunt, in reſurrectionem uitæ: qui male egerunt, in reſurrectionem iudicij. Quod Daniel ait, in uitam æternã, hoc Saluator in reſurrectionem uitæ dixit. Item quod ait Daniel, In opprobrium & confuſionem: Saluator dixit, in reſurrectionem iudicij. Non expedit nobis ad iudicium uenire, & non expedit non uenire: ne aut prædamnati uideamur, aut in hac labe uitiorũ ſubeamus tanti ponduspſalm. 141 dicij. Propheta rogat ne intret dominus in iudicium cum ſeruo ſuo: Quanto magis nos iudicium domini timere debemus? Pone quia miſericors dominus ignoſcet. Quanta prodentur quę latere credebam? Qui pudor, quę confuſio erit, cum is qui alios profitebar docere, ipſe in eo deprehendar in quo alios arguebam? Et ideo quoniã & Saluator
Apocal. 20 duo genera reſurrectionis poſuit, & Ioannes in Apocalypſi, dicens: Beatus qui habet partem in prima reſurrectione: (iſti enim ſine iudicio ueniunt ad gratiam. Qui autem nõ ueniunt ad primam reſurrectionem, ſed ad ſecundam reſeruantur, iſti urentur donec impleant tempora inter primam & ſecundam reſurrectionem: aut ſi non impleuerint, diutius in ſupplicio permanebunt) ideo ergo rogemus ut in prima reſurrectione partem habere mereamur. Sunt qui reſurrexerũt in paſſione Chriſti: & iſti plane beati, quia acceperunt Chriſti gratiam, & audierunt uocem eius de qua ſcriptum eſt: Venit hora,
Ioann. 5 quando audient mortui uocem filij Dei: & qui audierint, uiuent: & ingreſſi ſunt in ſanctam ciuitatem. Puto quòd magis illam ſignificet ſupernam, quàm iſtam Hieruſalem, quam reliquit, quam incuſauit, quòd in iſtam pedibus, in illam autem ſupernam meritis intrauerint. Sed & illud caueamus, ut hic poſiti ſurgamus de tumulo terræ. Sunt qui uentes ſepulchro ſunt circundati, & repleti mortuis, quorum guttur ſepulchrũ eſt, non loquentium uerba uitæ, ſed mortis. Si hic reſurrexerimus à mortuis, & illic reſurgemus. Si hic nõ fuerimus oſſa arida, ſed acceperimus rorem uerbi, humorem ſpiritus ſancti: & illic uiuemus. Si hic nos excitauerit Ieſus uoce ſua magna, ut excitauit Lazarum, & per
Ioann. 11 diſcipulos ſuos ſoluerit à uinculis mortis, & induxerit in Bethaniam, ubi erat Lazarus, hoc eſt in domum obeditionis, & adhibuerit hic conuiuio ſuo: & illic cũ eodem recumbemus, & illic cum eo ſemper epulabimur, & illic nobis redolebit unguentum quod ſolus proditor dolebat effuſum. Ergo impij non reſurgũt in iudicio: hoc eſt in portionem eorum qui iudicium ſubituri ſunt: nec peccatores reſurgunt in cõſilio iuſtorum. Vides quia ſurgunt impij, & non ſurgunt in iudicio iuſtorum: quia peccatores etſi non reſurgunt in conſilio iuſtorũ, reſurgunt tamen in iudicio. Vnde uidentur qui bene credidерunt, & fidem ſuã etiam operibus executi ſunt, ipſi non iudicari, ſed ſurgere in cõſilio iuſtorum. Peccatores autem qui non poſſunt inter iuſtos ſurgere, ſurgent in iudicio. Habes duos ordines. Tertius ſupereſt impiorum, qui quoniam non crediderunt, iam iudicati

cati sunt: & ideo non resurgunt in iudiciũ, sed ad pœnam. Dilexerunt enim magis tene- Ioann. 3
bras quàm lucem. Et ideo iudicium eorum pœna est, & forte pœna tenebrarum. Et po-
terat quidem intelligi quòd ij qui mala opera habent, credentes tamen in Christum, uo
lentes quidẽ recte uiuere, sed uicti illecebris peccatorũ, dilexerunt plus tenebras quàm
lucem: Id est, utrunq; dilexerunt, sed magis tenebras. Sed quia de illis præmisit qui non
crediderunt: sic accipiendum puto, quòd dilexerunt tenebras, & non lucem. Lux enim
Christus. Qui ergo non crediderunt luci, absurdum est ut lucem uel dilexisse credantur, Psalm. 81
quam nescierunt. Nescierunt enim, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant: sicut scri-
ptum est. Sequitur: Quoniam nouit dominus uiam iustorũ, & iter impiorum peribit.]
Aduerte sensum. Non resurgunt impij in iudicio: quoniam nouit dominus uiam iusto-
rum. Vias eorum utiq; nouit, quorum dirigit gressus. Sunt enim gressus hominum, qui à
domino diriguntur. Diriguntur à domino & uiæ uiri. Has nouit dominus uias, quę sunt
rectæ, quæ ad illam uiam tendunt dicentis: Ego sum uia, & ueritas, & uita. Hæc bona est Ioan. 14
uia. Tortuosa autem est uia seculi. Nõ dignatur illam uiam nosse. Illos agnoscit, qui sunt
ipsius, qui operantur opera eius. Qui autem operantur iniquitatem, his dicit dominus: 2. Tim. 2
Discedite à me omnes operarij iniquitatis: non noui uos. Non per ignorantiam, sed per Luc. 13
id quod indigni sint scientia Dei, nescitũtur. Pulchre autem ait: Et iter impiorũ peribit.]
Separauit Latinus, ut iter diceret, & tanquam discreuit iter à uia. Græcus autẽ in utroq;
uiam dixit. Non ociose tamen Latinus: quia & dominus: Ego sum uia, dixit. Non dixit,
Ego sum iter. Perire autem iter impiorum dixit, non impios. Seruat eorum substãtiam:
qui si conuertantur, solum iter impietatis amittent: quod nec ab initio fuerit, nec erit:
Quod accidens igitur est, perit: quod substantiuum, manet. Pereunt autem ita impij,
quomodo dicitur: Anima quæ peccat, ipsa morietur: ut peccati aculeo, non omni sub- Ezech. 18
stantiæ suæ dissolutione moriantur.

In Psalmi trigesimiquinti enarrationem præfatio.

D Icturus Propheta in Psalmo sequenti quæ esset forma iusti, antè formam
expressit iniusti. Neq; enim possumus cognoscere quæ sit forma iustitiæ,
nisi cognoscamus quæ sit iniquitatis effigies. Sunt enim sibi aduersæ atq;
contrariæ. Namq; in altera simplex habitudo naturæ, in altera fallax uersutia nequitiæ.
Alia uirtutum imagines præfert, alia uitiorum cõmercia prætendit. Conuenire autem
hunc ordinem & ipsa ratio docet: & si de contrarijs sumenda sunt testimonia, ipsi do-
ctores Philosophiæ confessi sunt, dum sequuntur. Quis autem dubitet longe anterio-
rem Dauid Platonis fuisse temporibus? quem non solum magister eius, sed nec aui qui-
dem atauorum eius uidere potuerunt: cum ille in principio regni fuerit Iudęorũ (quod
per innumera annorum curricula propagatum est) iste post tempora captiuitatis, qui-
bus regnum Gentis eius iam fuerat dissolutum. Ergo ipse qui tenet in omnes seculares
sapientiæ principatum, cum diceret non posse formam iustitiæ comprehendi, nisi ante
discutiendam iniustitiæ seriem putauisset, exemplum attulit quòd ij qui uelint aurum
quærere, prius se luto oblinant. Aurum itaq; iustitia, iniquitas lutum est. Quod à nostris
quoq; prius dictum esse non dubium est, cum scriptum sit: Vt lutum platearum delebo Psalm. 17
eos. Et uere lutum: quia eos inquinat qui sibi appropinquauerint. Fugiamus ergo iniu-
stitiam, ne luteis sordibus inquinemur, atq; in eius uoraginem non pes noster exterior,
sed (quod est grauius) mens nostra mergatur. Et Philosophia quidem aurum se quæ-
rere dicit, sed lutum uersat, quæ diuinitatem quærit in statuis: sed uasa figuli uirga cõfrin
get. Nos aurum quærimus quo corpora nostra mundemus, mortificationem Iesu Chri-
sti in corpore nostro circunferentes: ut & uita Iesu Christi in corpore nostro manifeste-
tur. Bonum aurum, sanguis est Christi, dives ad precium, profluus ad lauandum omne
peccatum. Ordinem diximus, titulum consideremus. In finem, inquit, seruo domini
Psalmus Dauid.] In toto Psalterij corpore solus hic titulus est quo Psalmũ seruo domi-
ni se scripsisse testatur. Quis iste est seruus domini, uideamus: quid Psalmi series signifi-
cet: cui dictus hic Psalmus sit: audiamus ad quem loquatur. Domine, inquit, in cœlo mi Psalm. 35
sericordia tua, & ueritas tua usq; ad nubes. Iustitia tua sicut mõtes Dei, iudicia tua abys-
sus multa. Cui hoc, nisi filio Dei dicitur? Hæc enim nõ humanę, sed diuinę sunt potesta-
tis. Sed quid sibi uult quòd seruo domini dici Psalmũ hunc titulus declarauit, cũ oratio-

nem Moysi hominis Dei maluerit quàm seruí domini in posteriore titulo nuncupare? Quod ergo consilium Prophetæ fuerit, non intelligo, uel potius ipsius domini saluatoris, qui locutus est in Propheta. Vere iudicia eius sicut abyssus multa, ut seruo honorificentiam reseruaret, sibi conditionem seruitutis adscriberet. Videor mihi intelligere, uideor hausisse aliquid de gratia spiritali. Aduersus iniustitiã (ut diximus) Psalmus hic scriptus est: & ideo plus grauatur iniustitia perfidorum, qui Christum Iesum dominum recipere noluerunt: cum ille propter ipsos susceperit seruitutem. Quid enim tam iniquum, quàm ingratos fuisse tãtis beneficijs: ut quibus ille salutem daret, hi sanguinem eius effunderent? Denique alibi cum de sua passione loqueretur, ad aceruãdam Iudaicę impietatis inuidiam sic ait: Ne auertas faciem tuã à puero tuo: quoniã tribulor, uelociter exaudi me. Pauper & dolens ego sum. Veni Paule, interpretare nobis qua ratione dominus cœli atq; terrarum se pauperem dixerit, quæ sit ista paupertas. Tu certe illũ diuitem dixisti. Quomodo idem diues & pauper est? Audiamus testimonium Pauli. Scitis, inquit, gratiam domini nostri Iesu Christi: quia propter uos pauper factus est, cum diues esset: ut uos eius inopia ditaremini. Veni & tu Esaia, interpretare nobis quomodo se dolentem dixerit Christus, qui dolores uulnerũ sanare consueuit. Medicus uenit, ut curaret ægrotos. Quid ipse habuit quod doleret? Audiamus etiã Esaię testimonium. Pro nobis, inquit, dolet: & nos existimauimus eum esse in doloribus. Expressit medici affectũ: qui etiã si ipse nullum uulnus habuit quod doleret, tamen cõpassus est uulneratis. Hoc igitur in Psalmo dominus exprobrat Iudæis: Ego propter uos pauper, ego pro uobis dolens, & uos mihi manus impias intulistis, dicentes: Tollamus iustum quia inutilis est nobis. Iniiciamus lignum in panem eius. Bene panem dixit pro carne eius. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi uitæ æternæ alimoniam denegarunt. Pulchre etiam duo ista iunxerunt: Iniiciamus lignum in panem eius. Nesciebant quid loquerentur Iudæi, & mysterium loquebantur. Paradisum nobis crux reddidit Christi. Hoc est lignum quod Adæ dominus demonstrauit dicens de ligno uitæ quod esset in medio paradisi, edendum: de ligno autem scientię boni & mali non edendum. Errauit Adam, mandata non tenuit, interdictum gustauit. Per lignum cœpimus esurire, quia suum caro accepit alimentũ. Ideo dominus in Christo carnem iunxit & lignum, ut fames antiqua cessaret, uitę gratia redderetur. Beatum lignum domini, quod omnium beata crucifixit: Beata caro domini, quæ uictum omnibus minis trauit. De paupertate igitur & dolore domini idonea (ut arbitror) sanctorum protulimus testimonia, quorum alter uidit & dixit, alter est electus ut diceret. Ipsorũ igitur qui probati sunt, de seruitute domini testimonia iterum proferamus, imò sua quæ de seipse locutus est in utroq;. Audiamus ergo quid dicat. Sic dicit dominus: Qui finxit me seruum ex utero sibi ad congregandum Iacob & Israel ad eum. Aduertimus ergo quòd propter congregationem populi formam susceperit seruitutis. Audis Iudæe, & pro gratia contumeliam refers: & hoc ad perfidiam deriuas, propter quod magis credere debuisti? Ad te uocandum uenit, & conuitiaris? Ex utero seruum se dixit. Audi Arriane. Ex quo utero? Paululum supra recurre. Ex utero, inquit, matris meæ uocauit dominus nomen meum. Quod nomen eius sit audiamus, quo eum pater uocauit. Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel: quod interpretatur nobiscum Deus. Quod enim aliud nisi filius Dei nomen est Christi? Accipe aliud. Dixerat quidem & Gabriel ad Ioseph de Maria: Pariet filiũ. Accipe Dei uocem. Et tu Bethleem Iudęę nõ es minima inter principes Iuda: ex te enim exiet princeps qui regat populum meum. Aduerte mysterium. Ex utero Virginis idem & seruus exiuit & dominus. Seruus ad operandum, dominus ad imperandum: ut regnũ Deo in hominum mentibus radicaret. Vtrinq; unus: non alter ex patre, alter ex Virgine, sed idem qui ante secula ex patre, ipse postea carnem suscepit ex Virgine. Ideo ergo & seruus uocatur, & dominus. Propter nos seruus, sed in unitate diuinæ substantiæ Deus ex Deo, princeps ex principe, æqualis ex æquali. Neq; enim degenerem genuit, in quo se ipse complacere memorauit. Magnum, inquit, tibi est uocari puerum meum, ut statuas tribus Iacob. Seruat ubique suæ uocabula dignitatis. Magnus Deus, & magnus puer: nec in carne magnitudinis suę nomen amittit, cuius magnitudinis nullus est finis. Meritoq; securus, cum

Psalm. 68

2. Corinth. 8

Esaiæ 53

Sapien. 2

Hier. 11

Esa. 49

Ibidem

Esaiæ 7

Matth. 1

Mich. 5

Esaiæ 49

Psal. 144

cum in forma Dei esset (ut Apostolus dicit) nō rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Hic est ergo æqualis quasi Dei filius. Hic serui formā in carne suscepit, hic mortem gustauit. cuius magnitudo non habet finem: quia finis legis est Christus ad iustitiā omni credenti: ut in ipsum omnes credamus, hūc intimo adoremus affectu. Bona seruitus, quæ omnes liberos fecit. Bona seruitus, quæ nomen super omne nomen adquisiuit. Bona humilitas, quæ fecit ut in nomine eius omnes genu figant, cœlestium, terrestrium, & infernorū: & omnis lingua confiteatur quoniam dominus Iesus in gloria est Dei patris. In hūc ergo finem dirigitur hic Psalmus, ut & nos serui simus ad iustitiam, non superbi ad arrogantiam. Seruitutis enim stipendium, libertas est: stipendium autem mortis, arrogantia est. Sed iam ipsam Psalmi seriem adoriamur. *Philip. 2* *Roman. 10*

Psalmi trigesimiquinti enarratio.

D Ixit iniustus ut delinquat sibi.] Quid dixerit, non expressit: & ideo sic intelligendū arbitror, quia quicquid dicit iniustus, peccatū est. Omnis enim iniustitia, peccatū: quoniā ubi organum uitiosum, quomodo potest cātus non esse uitiosus? Degeneris materiæ decolor partus est. Quicquid ergo loquitur iniustus, iniquitas est, quæ in suū refertur authorem: sicut uiperæ partus, qui primo suā scindit parentem, ut frequens sermo est. Sibi ergo delinquit. Nihil hac sententia sublimius dictum arbitror. In illis qui sibi sapientiam seculi uindicarunt, nihil tale legi, nihil tale cognoui. Nec mirum: quandoquidem illi humano ingenio locuti sunt, hoc infudit spiritus Dei, spiritus ueritatis, quia iniustus sibi delinquat, sibi generet uulnera, se ipse cōfodiat. Nam sicut spinæ nascuntur in manu ebrioſi, ut scriptura asserit: ita & in iniusti sermone nascuntur quę cōpungant loquentem. Loquitur iniustus, & interior eius cōscientia uulneratur: quia in omni sermone quem loquitur, non est fraudis immunis. Cuius enim grauior est pœna, quàm propria, cum pro omni sermone det pœnas? Serpens aliis infundit uenenum, iniustus sibi. In eū enim refunditur quicquid effuderit. Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius: Iusti autem uita fructuosa aliis, sibi dulcis. Dicit enim Salomon: Fili, si sapiēs eris, tibi sapiens eris, & proximis: si autem malus euaseris, solus hauries mala. Aduertimus ergo quia iustitia aliis est potius nata, quàm sibi. Commune cōmodum, non suum expectat, & alienum bonū pro suo ducit emolumento. Beata & præclara iustitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex uno plerunq; proficiscitur, atq; ad omnes peruenit. Iustus Dauid, qui parcebat inimico, & malebat innocentiam suam, quàm uitam tueri, ne malo publico uindicaretur, atq; appetendi principis in malis quoq; causis aliis exemplum ederet, cum ipse uindictam de insidiatore sumpsisset. Iustus Abel, qui de oribus suis quas ei dominus dederat, primitias domino putauerit offerēdas: & ideo placuit Deo, quia moram non fecit, deuotionem probauit. Sed hoc impius ferre nō potuit, iustitię preuaricator, radix iniquitatis: & ideo fratrem occidit, quia hostia eius Deo magis quàm oblatio sua fuerat cōprobata. Sed ille occisus Deo loquebatur in uoce sanguinis sui, hic uiuus à facie domini repellebatur: & cum adhuc à domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum. Latebat miser tremens & timens: & cum adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti uita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non ut uitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnā, ut percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem ut percussor inhiberetur: sed sine ulla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor. Quę pœna maior, quàm timere quod uitare non possis, nec quod timueris euadere? Vnde præclare Dauid exprimens conuentionem grauissimam conscientiæ peccatricis ait: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum coram me est semper. Offunditur enim nobis ultrix nostri imago peccati: nec quietum reum esse permittit, inferens misseram seruitutem: atq; in sua uincula trahit, ut enodare se non queat, quoniam uolens ipse se uendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reseruare. Itaq; dum oramus, peccatum offunditur: ubi somnus sensum corporis relaxauerit, peccatum recurrit. Semper nobis error noster tāquam malus exactor occurrit, uel tanquam improbus fœnerator conueniens debitorem. Vnde dominus ait: Qui facit peccatum, *Genes. 4* *1. Reg. 24* *Ibidem 9* *Prouerb. 26* *Psalm. 50* *Ioann. 8*

catum, seruus est peccati. Sed iustus nouit quemadmodum peccatorum suorum uincu-
la dissoluat, nec expectat accusatorem, sed præuenit, ut confitendo suum alleuet omne
Prouerb. 18 delictum: ne habeat quod aduersarius crimínetur. Ideoq; scriptura tibi dicit: Iustus in
principio sermonis accusator est sui. Vocem enim eripit aduersario, & quasi dentes
quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ, peccatorum suorum confessione
Matth. 26 constringit. Dixit Iudas Iscariotes ut delinqueret sibi. Quid dixit? Quem osculatus fue-
ro, ipse est: tenete eum. Hoc dixit, & se ipse proprio ore egit in mortem. Quantos puta-
mus in ipso fuisse tortores, ut sibi ipse tam grauis pœnæ exactor incũberet, & semetipse
1. Par. 21 laqueo strangularet? Dixit iniustus ut delinquat sibi. Locutus est iustus: Ecce ego pec-
cator, & grex iste quid fecit? Et remissum est omne peccatum. Dixit ergo iustus, & sibi
Genes. 4 profuit. Dixit Cain: Nunquid ego custos sum fratris mei? Et sibi ipse mentitus est. Dixit
Act. 5 Ananias omne se uenditi sui ruris precium pertulisse, & mentitus est sibi, qui potuit mi-
Psalm. 26 nus offerre sine fraude. Ideoq; præclare ait: Et mentita est iniquitas sibi. Sibi enim antè
mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi innocentiæ eripit suaui-
tatem. Quis enim puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suauior,
quàm is quem animus bene sibi conscij, & mens innocentis epulatur? At uerò iniqui-
Zach. 5 tas uelut quodam plumbeo talento (ut scriptura testificatur) conscientiam grauat. Me
Psalm. 37 ritoq; Dauid ait: Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et Salomon: Sicut uua acer-
Prouerb. 10 ba dentibus, & fumus oculis: ita iniquitas omnibus utentibus ea. Grauis pœna quæ ci-
bum impedit, aspectum obducit, & (quod est amplius) oculis mentis internæ tene-
brosam offundit caliginem, ut quod uerum est, uidere non possit iniustus: ideoq; delin-
quit sibi, qui sibi quæ preciosa sunt eripit. Dicit ergo iniustus, ut delinquat sibi. Iustus
autem loquitur ut & alijs & sibi prosit. Ille loquitur ad perniciem, hic loquitur ad salu-
Roman. 10 tem. De iustis enim & fidelibus dictum est: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit
ad salutem. Illius lingua uulnerat, lingua autem prudentum sanat. Vnde cum expostu-
1. Reg. 24 laret Dauid cum rege Saul quòd oblitus beneficij, salutis ingratus eum persequeretur
ad mortem, à quo totiens iam uideret se esse seruatum, & uitam eius appeteret qui ui-
tam suam pro regis salute periculis obtulisset: ait sibi fructum non perire iustitiæ, qui in-
sidiatorem suum in manus suas à domino sibi traditum non peremisset. Ab iniustis ini-
quitas prodiuit, uenenum à serpentibus effusum est, uenenum & iniquitatis arma perie
Esaiæ 14 runt. Ideo scriptum est: Dixit iniustus, ut delinquat sibi.] Quid dixit? Ponam thronum
meum super nubes, & ero similis altissimo. Effectum non habent uerba, sed peccatũ ha
bent. Inanis quidem pompa iactantiæ, sed superbiæ spiritu criminosus, non timet conui
tio maiestatem uiolare diuinã. Etenim si ullus Dei timor eius ineesset affectui, nõ in con-
spectu Dei plena doli gerenda sibi ausu temerario credidisset, quasi Deus non possit oc
culta cognoscere, qui scrutator est internorum. Spectat omnia Deus: nihil est quod eũ
prætereat: nemo qui fallat: cui omnia præsentia quę futura sunt, & manifesta quę latent.
Etenim si sol iste mundanus clausis plerunq; domiciliorum habitaculis suum lumen in-
terserit: quanto magis Deus summus, æternus, etiã secreta penetralia mentis humanæ,
atq; omniũ angelorum consilium scientia sua scrutatur & præuenit? Quid ergo aliud a-
Psalm. 13 git iniustus, nisi ut iniquitatem sibi quęrat & odiũ? Sic enim scriptum est: Non est timor
Dei ante oculos eius: quoniã dolose egit in cõspectu eius, ut inueniret iniquitatem suã
Matth. 6 & odium.] Quid est inueniret? Omnis enim qui quærit, inuenit. Ergo & malum quęri-
tur, ut inueniatur. Sed quemadmodũ laudabilis est ille qui bonum quod quæsiuit inue-
nit: ita inueniabilis qui laborauit ut malũ quod quæsierat inueniret. Bonis enim rebus,
non flagitijs atq; criminibus laborem nostrum nos oportet impendere. Quid igitur nisi
summæ stultitiæ atq; dementiæ est, odium quęrere, iniquitatem malis artibus inuenire,
quã bonus nemo quæsiuit? Quomodo igitur improbi iniquitatem suam & odiũ quæ-
rant, cõsideremus. Nempe Herodias erat Tetrarchæ Philippi legitimo nexa coniugio,
regię abũdans opibus potestatis: quę Herodem Romã aduscq; tendentem quasi germa-
num mariti, hospitij & affinitatis iure suscepit: cum quo depecta suam copulã, non mul
to post relicto uiro cõsortij sui iura mutauit. Nónne ea quæsiuit iniquitatem & odium,
quæ coniugium deseruit, ut inueniret adulteriũ? Et quia sanctus Baptista nuptias illici-
Marc. 6 tas constanter increpauit, dicens Herodi: Non licet tibi eam uxorem habere, quæ ma-
ritum

ritum contra legem reliquit,& fratri mariti quasi ex lege cõuenit: cõmota est adultera, ut eum uellet occidere. Sed cognito quòd Herodem ad necem iusti nõ facile posset inflectere, excogitauit qua uia istud efficeret. Natalis erat Herodis, quem luxu nimio (ut plerisq; regibus mos est) celebrare cõsueuerat. Adornauit filiam, ut in cõuiuio regis primogenus regale saltaret. Et cum placuisset Herodi, quod displicere debuit patruo: obtulit ei, ut quod uellet præmium pro saltationis opprobrio postulatet. Matrem illa cõsuluit: cuius impulsu caput Baptistæ poposcit. Victus Herodes, quia sacramento se constrinxerat daturum quicquid neptis propria petisset, iussit occidi Ioannem, & caput eius afferri. Quod allatũ puellæ dedit, & illa matri suę pertulit. Verum est ergo quòd iniquitas & odium requirantur: quando quidem ea mulier quod facili petitione impetrare nõ poterat, prauis artibus excogitatę fraudis elicuit. Quid de Iuda proditore loquar, qui quę- *Matth. 26*
siuit auaritiam, & inuenit sacrilegium, dicens: Quid mihi dabitis, & ego eum uobis tradam? Nec expletus pauperũ spoliis, ad plenitudinem criminum grauissimorum crimina serendo peruenit, pia miscens charitatis sacramenta flagitijs cũ diceret: Quem oscu- *Ibidem*
latus fuero, ipse est: tenete eum. ut uere de eo dictum dubitari nõ queat: Verba oris eius iniquitas & dolus.] Oscula labijs ferebat, offundebat uenena pectoribus. Meditabatur acerba supplicia, gratiæ pignus afferebat. Bene de eo Propheta addi fecit: Noluit intelligere ut bene ageret.] Non ergo per naturã deliquit, sed per uoluntatem. Deniq; Apostolus erat, audiebat quotidie diuina mandata, discebat cœleste mysterium: Potuit intelligere ut bene ageret, si uoluisset. Videbat sanari paralyticos, cæcis refundi lumen, mortuos resuscitari: nõ debuit intelligere quòd Deus esset, qui talia posset operari? Sed intelligere noluit, quia auarus homo & pecuniæ intentus à cognitione diuinitatis uigorem suæ mentis auertit. Vnusquisq; enim qui se flagitijs ingurgitauerit, non uult intelligere quæ cœlestiũ mãdatorum sunt, ne reuocetur à uitijs. Vide illum fugientem intelligere, qui ait: Tenebræ operiunt me, & circundant parietes, quis scit an uideat dominus? Non *Eccl. 23*
uult enim quærere & inuenire quòd Deus omnia uideat atq; cognoscat: ne metu retrahatur à crimine. Vide regem Achab petentem à Nabutha uineã eius: cognosce respon- *3. Reg. 21*
dentem illũ: Absit ut cedã hæreditatem patrũ meorũ. Non debuit intelligere quòd iusta referebat? Sed noluit intelligere ut bene ageret, & aliena nõ quereret. Nõ debuit intelligere quòd uero Helias Deo seruiebat, cũ uideret in uerbo Helię clausum cœlum tribus annis & tribus mẽsibus, & ad preces eius pluuias esse demissas, ut arida omnia rigarent? Sed noluit intelligere, ne perfidiam condemnaret, sequeretur fidem. Quinetiã iniquita tem meditatus est in cubili suo.] ubi uerum quærere debuisset. In cubilibus enim compungere nos debent nostra peccata, non ipsis delinquenda cõmitti, dicente Propheta: *Psalm. 4*
Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini. Adstitit, inquit, omni uiæ non bonæ: malitiam autem odio non habuit.] Non immeritò iniusta meditatur, qui in uia erroris assistit, & malitiam diligit, quam odisse deberet. Plus dixit, adstitit, quasi iamdudum in uia nequitiæ diuturna statione permaneat. Ille enim beatus, qui in uia peccatorum non stetit, non is qui in ea stare non desinat. Et ideo prima præcepta sunt sancti Prophetę Dauid, impietatem fugere, in peccato nõ stare, in lege meditari: ut intelligas quæ bona sunt, & iusta atq; iniusta secernas. In omnibus igitur radix est speculanda gignendis, ne eam inutilis ab exordio succus inficiat: grauioraq; multo sunt animorum uitia, quàm uirgultorũ. Cauendum ergo præ cæteris ne humano ingenio malitię usus inolescat, atq; omnis ætas secutura degeneret. Arbor enim mala fructus malos *Matth. 7*
facit. Nam si plerunq; quod nolumus hoc agimus, & uitare nõ possumus: & quod odio habemus, hoc facimus uicti quadã aut delectatione flagitij, aut obreptiõe peccati: quomodo possumus uitare quod amamus? Adstringimur & inuiti, quomodo possumus uoluntarij non teneri? Vix se exsoluit Paulus erroribus quotidiana decertatione luctãdo, ut uinculis captiuitatis exutus, per Christi gratiã seruaretur: & tu putas quòd adsistendo delictis possis ad cœlestiũ repromissionum merita peruenire? Luctãdo corona quęritur, non reluctando: studio non refragio cõparatur. Certantibus quoq; diuinæ misericordiæ suffragia postulãda sunt, ut corona iustitiæ pro laborum meritis deferat. Deniq; quid sequat consideremus. Domine, inquit, in cœlo misericordia tua, & ueritas tua usq; ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua sicut abyssus multa.] Nonne hũc locũ

secutus

Roman. 7 secutus est Paulus, ut diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hu
ius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Vbi enim mens humana turba
tur, & certaminum dura atq; aspera nos fatigāt, domini auxilium postulandū est. Ideoq;
conuersus ad dominum, ipsum inuocat & implorat, ut laborantibus adiutor assistat. Mi
sericordia ergo petenda de cœlo est, & ueritas Dei ex Prophetarū oraculis colligenda,
Psalm. 17 qui quasi nubes mysteria diuinæ cognitionis obtexūt. Posuit enim tenebras Deus lati
bulum suum: ut primo pluuiam mysticæ fertilitatis accipias, & tunc infusus rore cœlesti
Ioann. 1 fulgorem referatę lucis agnoscas, ut possis dicere: Ex plenitudine eius accepimus. Quis
enim potest secreta Dei facile cōprehendere, cuius iustitia sicut mōtes Dei? Vel (sicut
Aquila posuit) ut montes ualidi? eò quòd ualidæ uirtutis plena præcepta sint. Vnde &
Roman. 11 Apostolus uidēs esse sublimia quę audiuit, dicit: O altitudo diuitiarū sapiētię & scientię
Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis enim cogno
uit sensum domini? aut quis cōsiliarius eius fuit? Altitudinē itaq; diuitiarū sapiētiæ retu
lit ad altitudinem montiū. Audi quorum montiū. Ipse enim Dei filius mōs magnus est:
Esaiæ 40 & ideo ascende in hūc montē qui euāgelizas Sion, ut stes radicatus & plantatus in Chri
sto. Est & mōs quasi sapiētia Dei, est mons quasi iustitia, est mōs quasi scientia Dei, est
mōs quasi sanctificatio, est mōs quasi redēptio est mōs quasi resurrectio. Demōstrauit,
1. Corint. 2 nobis hos montes scriptura, quæ dixit: In ipso aūt uos estis in Christo Iesu, qui factus est
sapiētia nobis à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redēptio. Vel quia angelis angelus fa
Psalm. 41 ctus est Dei filius, prophetis propheta: cuius iudicia sicut abyssus multa. Audi: Abyssus
abyssum inuocat in uoce cataractarū tuarū. Id est, scriptura Veteris testamēti, Noui ad
uocati seriem testamenti, ad cōsummationem sanctificationis, & plenitudinē gratiæ, so
nitu quodā atq; profluuio redūdantiæ spiritalis. Homines, inquit, & iumenta saluos fa
cies domine: sicut multiplicasti misericordiā tuam Deus. Filij autem hominū in prote
ctione alarum tuarū sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrentem uo
luptatis tuę potabis eos.] Quid est, homines & iumenta? Rationabiles utiq;, & irratio
nabiles. Rationabilibus iudicia, irrationabilibus misericordia. Alij regūtur, alij nutriun
tur. Ideoq; addidit: Filij autem hominum in protectione alarum tuarum sperabūt. Id est,
non generatio uiperarum, sed filij hominum, qui ad imaginem & similitudinem Dei ui
uunt, non in pascuis sed in conuiuijs collocantur. Alij enim in loco pascuorū, alij in pri
uilegio sacramentorum. Imperfectis succus lactis, perfectis mensa refectionis, de qua di
Psalm. 22 xit: Parasti in conspectu meo mensam. In qua panis uiuus, id est, uerbum Dei: in qua o
leum sanctificationis, quo impinguatur caput iusti, & sensus firmat interior, ut abolea
tur oleum peccatoris: in qua etiam poculum illud inebrians quàm pręclarum, uel quàm
ualidum. ὑπράτιστον enim dixit Græcus, uel potens, uel forte, uel ualidum. Validum enim,
quo abluuntur flagitia uel delentur. Bona ergo ebrietas poculi salutaris. Sed est alia e
brietas de redundantia scripturarum, est & alia ebrietas per infusionem spiritus sancti.
Act. 2 Deniq; illi qui diuersis linguis in Apostolorum Actibus loquebantur, musto pleni au
dientibus uidebantur. Domus ergo, Ecclesia est: ubertas domus, redundātia gratiarum:
torrens uoluptatis, spiritus sanctus. Nec te nomen aut mos torrentis offendat, quòd ali
quando aridior aut exilior sit, ut cuius soleant fluenta cessare. Cessauit & hic noster, ces
sauit aliquando torrens profluuij spiritalis in populo Iudæorum. Quid dicam torrens
Esa. 50 cessauit? cum mare cessauerit sicut lectio hodierna nos docuit, dicente Deo: Ecce ego
increpatione mea desolabo mare, & arefient pisces eorum, utiq; Iudæorum, suæ aridita
te perfidiæ, ut enatare non possint? Cessauit ergo torrens propter Synagogę sacrilegia:
quia erat illa plebs fide arida, sterilis operibus, captiua peccatis. Quid enim flueret, non
bibentibus, uel contaminantibus sacros meatus, cum ipsum fontem necarint? Bonus
torrens, qui illis cessauit, ut nobis abūdaret, & sitim humanæ cupiditatis auerteret, sicut
Cantic. 4 torrens in Austro. Vnde & scriptura dicit: Surge Aquilo, & ueni Auster, qui arbusculas
Paradisi perflare consueuit. Diximus sensum: etiam elocutionem consideremus, cur tor
rentem uoluptatis dixerit potabis eos, & non torrente, quasi de torrente, nisi quia auidi
Psalm. 35 tatem bibentium uoluit exprimere, quasi torrentem ipsum uellent ebibere si possent?
Genes. 2 Hic est forsitan torrens uoluptatis quem in Genesi legimus, fontem qui abluit Paradi
sum, & diuiditur in quatuor flumina, quæ circumeunt totam terram. Ex hoc enim fonte

uirtutes

uirtutes profluunt spiritales:prudentia,temperantia,fortitudo,iustitia.Bonus fons,gratiæ & splendoris eiusdem atq; naturæ cuius & illud flumen de quo in posterioribus dici tur:Fluminis impetus lætificant ciuitatem dei.Aptissime itaq; substituit: Quoniã apud te est fons uitæ:& in lumine tuo uidebimus lumen.Prætende misericordiam tuam scientibus te,& iustitiam tuam ijs qui recto sunt corde.]Etenim post cõmemorationem cœlestium beneficiorũ,iure gratię referuntur auctori domino nostro Iesu Christo,qui fons uitæ irriguus æternæ descendit in terras,ut ariditatem nostri pectoris irrigaret,idẽ splendor gloriæ dei patris,& imago substantiæ eius:& ideo in lumine eius uero, quod illumi nat omnem hominem uenientẽ in hũc mundũ,uidebimus,inquit,patrem:quia deus lux est.Rectè etiam dicitur,In lumine tuo uidebimus lumen:secundũ illud: Qui me uidit,uidit & patrem.Apud te ergo fons uitæ,præsentẽ uidebimus patrem. Sicut enim tu apud patrem eras in principio deus uerbũ: ita apud te semper est pater,qui in te est. Est enim apud ipsum,in quo est.Prophetatur autem aduentus domini saluatoris, qui uenturus in terram diceret:Ego & pater unum sumus.Id est, unum sumus lumen, sicut unũ nomen. Per luminis & nominis unitatem ambo unum sumus,imò trinitas unum in unitate substantiæ sed distinctione uniuscuiusq; personæ.Trinitas distinctionem significat personarum,unitas potestatem.Potest & ad patrẽ dici:Quoniam apud te est fons uitæ, id est,ex quo uita processit,quod erat uerbum,& semper erat,ideo,quia apud te erat.Omnia per ipsum & in ipso facta sunt:& ipse est uita uniuersorũ:& ipse te nobis manifestauit,ut cordа hominum ad cognitionem tuæ maiestatis illuminentur.Prætende ergo misericordiã tuam scientibus te.Prærogatiua prætenditur, ut mereantur misericordiã quibus cognitionis tuæ meritum suffragatur. Deniq; in posterioribus etiã uilioribus personis studiũ scientię agnoscimus suffragatũ,dicente domino:Memor ero Rhaab & Babylonis scientibus me.Id est meretricis illius Rhaab,& confusionis illius memor ero apud sciẽtes me, uel inter ipsos:quia meretrix illa me agnouit,quẽ populus non agnouit. Inter illos ergo qui me scierũt,commemorabitur Rhaab,ut dignũ fidei præmium adipiscatur. Vnde & in Euangelio dictum aduertimus:Meretrices & publicani præcedent uos in regno cœlorum.Sed quia inualidi sumus ad exequendum, licet deuoti ad credendũ: tu prætende misericordiã tuã in te credentibus,quo deuotioni & fidei facta quoq; nostra conueniãt: nec studiũ mentis nostræ destituat corporis huius infirmitas, sed in ipsis tẽtationibus & infirmitatibus gloriemur:in quibus gloriabatur Apostolus dicens:Libentissime itaque magis gloriabor in infirmitatibus: ut prætendat in me uirtus Christi. Pulcherrime itaq; addidit:Non ueniat mihi pes superbiæ,& manus peccatorum non moueat me.Ibi ceciderunt qui operãtur iniquitatẽ:expulsi sunt,nec potuerũt stare.]Superius quidam acciperunt,torrentẽ uoluptatis tuæ,in tẽtationibus fortitudinẽ,sicut est martyrum:in quibus placuit deo exhibere sibi suauis & grati certaminis uoluptatẽ.Etenim si hyemes pro tentationibus accipiũtur,unde & orandũ dominus admonet ne fiat fuga nostra hyeme aut sabbato,hoc est,uel in tentatione,uel ocio:hyeme autẽ crescit torrens,& adimpletur atque intumescit:torrens utiq; pro grauiore tentatione potest accipi, quæ est in persecutionis,superabundauit & gratia confessionis.Vide uirtutẽ propheticæ distinctionis. Primo iniustũ exposuit, qui uel in corde suo uel in sermone dicit ut sibi delinquat,uel in se delinquat.Habet enim Græcus codex ἐν ἑαυτῷ:id est,in seipso:sed non omnes.Et fortè ideo,quia insipiẽs in corde suo dixit:Quia nõ est deus.Ne fortè & iniustus intra se dicat, & intra se delinquat: licet deũ palam negare dementis sit:iniustitiam autem plerique pro laude profitentur.Rapere enim,nocere etiam ijs qui nõ læserint, circunuenire,plerique si hi existimant gloriosum.Ergo primo iniusti uitam exposuit, postea sacramentum diuinæ cognitionis adiunxit,ut timentes deum,iniquitatem & iniustitiam declinemus. Precem addidit,ut ab iniustorum consortio iustos suos liberare dignetur:ut in ijs quoq; qui mundo sunt corde,iniustitia diuina prætendat quasi speculatrix pia,ne nobis peccatorũ uelut ostium incursus obrepat,& capiat dormiẽtes. Ideo uigilandũ est,semper castra dominí muniẽda sunt:quia nocte aduenit inimicus & aduersarius, quãdo somno sensus tenetur,cibo corpus distẽditur. Orandũ ut iustitia dei prætendat in nobis, quæ in infirmitate positos faciat fortiores,ut possit unusquisq; nostrũ dicere:Cum infirmor,tũc potens

Psalm.45

Ioann.1

Ioann.14

Ioann.10

Psalm.86

Matth.21

2.Cor.12

Matth.24

Psalm.13

2.Cor.12

sum. Deinde etiam specialiter pro se orat: ut nos doceat quemadmodũ orare debeamus ad dominum. Non ueniat, inquit, mihi pes superbiæ,] Id est, non in superbiam incidam. Psalm. 130 Denicꝙ & alibi meminit sui dicens: Si non ambulaui in magnis. Hic orauit, ibi impleuit. Non implesset, nisi orasset. Cauenda superbia, quæ etiã in prosperis supplantat. Denicꝙ grauius Adam in Paradiso cecidit, quàm si cecidisset in terra. De altissimis cadere, præcipitiũ est: in planis, lapsus uocatur. Ideo pes errat superbi, quia caput non tenet. Oculi enim sapientis in capite eius. Non mirũ ergo si errat uestigiũ, ubi oculus nõ habetur. Prægedat oculus, ut pes sequatur. Quomodo enim in tenebris uiator incedat? Cito pes offendit in nocte, si quasi quidã mundi oculus uiam Luna nõ monstret. Et tu in nocte es seculi, monstret tibi Ecclesia uiam: ex alto te iustitiꝙ sol illuminet, ut lapsum timere nõ possis. Et quia pedem dixerat superbiæ, addidit: Et manus peccatorũ non moueat me.] Etenim sicut sancti membra sunt Christi, ita impij membra sunt diaboli. Manus peccatorũ non moueat me. Id est, actus eorum qui peccant, non me de iustitiæ statione dimoueãt. Plerumꝙ enim dum uidemus peccatores prosperis abundare successibus, nutamus affectu, & quasi quadam peccatorũ manu de radice uirtutis auellimur. Cauendum ergo ne quos in domo dei manus diuina plantauit, manus aduersa supplantet. Pulchre tamẽ hoc dicit qui à persecutoribus uerberatur. Qui autẽ mouẽtur de radice sua, qua iam Christo inhæserant, cadunt. Vnde addidit: Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatẽ. Quid est ibi? Vtrum ubi est superbia, ubi est manus peccatorum? An ubi stabant, ubi erant ante plantati, ibi ceciderunt? An in uicino, an in continenti, quasi in ipso tempore, in ipso loco? Et Psalm. 47 uidetur ambiguũ. Sed alibi docemur quid sit Ibi, ubi dicitur: Ibi dolores sicut parturientis. Bonus dolor ei cui partus est fidei, quo Christus in Ecclesia formatur & nascitur. Et Psalm. 86 alibi dicit: Memor ero Rhaab & Babylonis scientibus me. Etenim alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopũ hi fuerunt ibi. Id est, ubi scientes me, ubi fundamenta in mõtibus sanctis, ibi & alienigenæ: quia & ipsi in me putauerũt esse credendũ. Ibi ergo ceciderũt, Luc. 2 ubi magis stare debuerunt: quia & in paradiso cecidit Adã, & Christus in ruinã uenit & in resurrectionem: ut ruina sit perfidorũ, iustorũ autẽ & fideliũ resurrectio. Denicꝙ expul 1. Cor. 10 si sunt, quia iniusti uiri in loco sancto stare non poterant. Vnde & Apostolus dixit: Et tu qui stas, uide ne cadas. Et uticꝙ ei dixit qui non corpore, sed fide stabat. Possumus & in fu Matth. 13 turum intelligere Ibi, ut est, Ibi erit fletus, & stridor dentiũ, &, Nudus ibi pergã. Quã bre uis in exitu & quãta cõclusio. Non sim, inquit, superbus, ut peccẽ: nõ peccẽ, ne mouear: nõ mouear, ne cadã: nõ cadam, ne expellar, sicut Adam de Paradiso expulsus est, quia in ipso pes superbiæ stare non potuit. Nescit stare superbia: & si ceciderit, nõ nouit resurge Psalm. 19 re. Et ideo pulchre iste & in superioribus locutus est de superbis: Hi in curribus, & hi in equis: nos autẽ in nomine dei nostri magnificabimur. Hoc enim stabile, illud infidũ. Et subiecit: Ipsi obligati sunt, & ceciderũt: nos uero surreximus, & erecti sumus. Et in libro Mich. 7 Micheæ prophetæ scriptũ est: Noli super me gaudere inimica mea, quia cecidi: sed resurgam. Cecidimus enim in hoc mundo: sed in Christo resurreximus. Cui est honor, gloria, uirtus, perpetuitas & à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

In Psalmi XXXVI. enarrationem præfatio.

Omnis scriptura diuina, uel naturalis, uel moralis est, uel mystica, uel moralis est. Naturalis in Genesi, in qua exprimitur quomodo facta sunt cœlum, mare, terra, & quem admodum mundus iste sit constitutus. Mystica in Leuitico, in quo comprehenditur sacerdotale mysterium. Moralis in Deuteronomio, in quo secundũ legis præceptum uita humana formatur. Vnde & Salomonis tres libri ex plurimis uidẽtur electi: Ecclesiastes de naturalibus, Cantica canticorũ de mysticis, Prouerbia de moralibus. Sed quia omnium Psalmorum corpus unũ est, idcirco nihil in his diuisum est atꝙ distinctũ, sed prout se obtulit ratio, nulla intermissa doctrinæ istiusmodi disciplina est. Nanque & naturalem euidentissime comprehendit dicendo de angelis atꝙ uirtutibus, sole & luna Psalm. 32 & stellis, & lumine cœli cœlorum, & aqua quæ super cœlos est: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in seculum seculi, præceptum posuit, & non præteribit. Et de mysticis locutus est cum de occultis, & sacræ unctionis unguento, & Hebr. 1 de consummatione scripserit tabernaculi. Quorum multiplex gratia: quoniam multifariam & multis modis locutus est dominus in prophetis. Nã & uenturũ profatus est deiſſ

lium

lium principem sacerdotum, & passurum esse pro nobis, & sanguine suo mundaturũ no
stra peccata, tituli pro torcularibus declararunt: & resurrecturũ Psalmus resurrectionis
expressit, & alius postea titulus indicauit, in quo terra eius est restituta, commutationẽ
quoq; uniuersorum futurã fidei sacramentis. Et de moralibus plura contexuit, diuersaq;
uirtutum genera demonstrauit: & dedit præcepta uiuendi, quibus ulcera nostrorum sa-
nauit errorum: moresq; renouauit humanos, atq; intimos mutauit affectus: sicut docet
Psalmus tricesimustertius, quem etiam Petrus sanctus in Epistola sua tanquam medica-
mentum nostris pectoribus affixit: atq; iste qui nobis hodierna lectione propositus est.
Nam isti præ cęteris ethici reperiũtur: sed iste diffusior, qui tricesimus sextus inscribitur.
Nam etsi ille prædulcis & lucidus est, iste tamẽ dulcior: quoniã ille me docuit cohibere
linguam à malo: iste desinere ab ira, indignationem relinquere. Ille præcepit sine dolo lo
qui: iste instituit esse mansuetũ, qui præmia mansuetudinis demõstrauit. Quæ maiora fo
menta sunt cordis humani, quàm mãsuetudo atq; simplicitas: quibus & dolor omnis ac-
ceptę leuatur iniuriæ, & labes criminis omnis excluditur? Ad hęc igitur manum medica
menta mittamus, ut uulnera nostra curemus: ne si uelimus dicere quòd alios curare possi
mus, dicatur nobis, Medice cura teipsum. Ergo quod etiã non medicis, sed uulgo quoq; *Luc. 4*
solet esse commune, ut medicinam pauci profiteantur, plurimi tamen remedia eius ali-
qua scire se dicant, uel quod medicorum pueri faciũt, nos quoq; alieno medicamento re
medium indigentibus deferamus. Diues magistrum adhibeat, pauper ministrum. Qui
perfecti altitudinem capit, sumat ex ipso: qui planiora desiderat, in ualle pascatur, ut par
uulus. Qui fluuium metuit, de riuulo bibat: & qui profundum pauet, ad littus enatet. Pul
chre autem sanctus Dauid in superiore Psalmo iniusti uitã describit, hic iusti. Ibi iniustus
exponitur, hic iustus instituitur. Ille sibi delinquit, hic tollit etiam aliena peccata. Et ideo
quod primum medicamentum sit iustitiæ, consideremus.

Psalmi XXXVI. enarratio.

NOli, inquit, malignari inter malignantes: neq; æmulatus fueris facientes iniquitatem.] Primum discamus quid sit æmulari: licet minor uis sermonis huius sit in Latino quàm in Græco. Nam & in bono æmulationem legimus, & in malo. Denicq; Apostolus dicit: Bonum est ęmulari in bono semper. Et supra ipse dixit: *Galat. 4*
Aemulantur uos non bene: sed excludere uos uolunt, ut illos æmulemini. Et iterum ipse *Ibidem.*
ait: Aemulamini meliora charismata. Et ad Romanos habes: Dico ergo, nunquid sic of- *1. Cor. 12*
fenderunt ut caderent? Absit: Sed illorum delictum salus est Gentibus: ut illos æmulen- *Rom. 11*
tur. Et infra: Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu ego sum Gentiũ Apostolus, minis-
terium meũ illustrabo, si quo modo æmuler carnem meã, & saluos faciam aliquos ex ip
sis. Hoc est, afficiam carnẽ meam. Denicq; παραζηλώσω Græcus habet. Nam & hic μὴ παρα-
ζήλου ἐν πονηρευομένοις, habet, μὴ δὲ ζήλου τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. Hoc est, noli malignos in ę-
mulationem excitare: quoniam illi non de bono, sed de malo certant. Quid est in æmu-
lationem excitare? Exemplo si possumus aperiamus. Intemperantes mulieres quædam
sunt, quæ aliorum coniugum corda solicitant: quos cum consuetudini suæ probroq; sub
diderint: non contentæ erroris sui habere secretum, studeni corã iugalibus eorum suum
iactare flagitium, ut eas in zelum sui excitent & inflamment, triumphum quendã de do
lore probarũ mentium & commotione captantes. Quæ ęmulatione fœminea thori pro
priĩ contumeliã non ferentes, soluũt complaciti uincula coniugij, aut cotidiana rixa de-
certant. Fitq; ex ęmulatione discordia, ex dissensione dissidiũ, quo domus tota turbetur.
Exemplo igitur poteruæ mulieris cognosce qui legis, partes esse nequissimæ detestabi-
lisq; uersutiæ, improba æmulatione alterius animũ commouere: aliudq; esse zelũ, aliud
parazelum. Hæc est enim praua æmulatio, quæ bonorum subintrat affectum: qua etiam
Iudæus errauit, qui à uero bono Euangelicę disciplinæ, deuia legis æmulatione deflexit
sicut de se Apostolus ait, quòd secundũ æmulationẽ legis persequebatur Ecclesiã Chri- *Philip. 3*
sti. Ergo quamuis deus noster ingratis Iudæorum offenderetur frequenter affectibus &
querelis, tamen assumptum semel & electũ sibi populũ minimè relinquebat: sed synago
gã ut meretrix procax irritare eum cœpit in æmulationis amaritudinem, præuaricatio-
nis se miscendo sacrilegijs. Denicq; dixit ad sacerdotem Aaron: Fac nobis deos quos ado *Exod. 32*
remus, & uituli caput adorare cœperunt. Vnde per canticum magnũ Moysi dominus *Deut. 32*

in ore ipſius reſultauit dicens: Ipſe excitauerunt me in æmulationẽ in non deo: irritauerunt me in ſimulacris ſuis. Ego autẽ excitabo eos in æmulationẽ in nõ gente: in natione inſipiente irritabo eos. Quomodo dominus condemnauit ſynagogã propter meretricios mores, quo ipſorũ in eos uerſutiã retorqueret, ut ſuo afficerentur ingenio, qui dominum deum ſuũ à quo aſſumpti fuerant, grauibus ſacrilegijs refutarunt, deos ſibi quos colerent eligentes: aſſumens contrario ſibi Eccleſiã de prophanis: quos prælatos ſibi ſine lege, ſine gratia, Iudæorum populus ingemiſceret: atq; eo amplius in æmulationẽ illorũ excitaretur affectus, quo uiliorũ facta eſſet electio. Nam antè quo afficeretur ille populus non habebat, cum ſolũ ſe à domino conſideraret electũ. Vbi uero aduertit adſcitam ex nationibus conuenam plebẽ, quæ ſibi legẽ domini, prophetarũ oracula, teſtamentũ nouum, deum uindicaret: tunc demum excruciari nimio cœpit affectu, poſteaquàm ſe repudiatum eſſe cognouit. Deniq; ſi uideat Gentiliũ ceremonias, nõ mouetur: ſi audiat profectũ Eccleſiæ, miſera torquetur inuidia. Completur ergo in Iudæa: Ego in æmulationem eos excitabo in non gente. Accedit ad cruciatus grauioris ærumnam, quòd ex Gentibus peccatores ſibi uidentẽ eſſe prælati, qui ne Gentis quidẽ alicuius uenerationis nomẽ attollant. Nam omnis congregatio cuiuſcq; regionis nomẽ ſibi uindicare conſueuit, ut Aegyptij, Aethiopes, Syri, Iudæi, Arabes, prouinciæ ſuę terrarumq; ſuarũ uocabulum præferunt. Nos de uerſis populis congregati, uocabulũ nobis unius gentis nõ poſſumus uſurpare: & ideo quia nomẽ nõ habebamus in terris, de cœlo accepimus, ut Chriſtí populus diceremur. Sed hoc Gentilis ſtultitiã putat, Iudæus opprobrium. Verum eſt ergo quod ſcriptum eſt, quia ultus eſt deus propriam contumeliam, Eccleſiam ſibi non ex gente quærendo, & eam ex gente inſipiente uetuſto illí atq; regali populo præferendo. Quæ ſit gens inſipiens quæ prælata ſit, audi dicentem: Quoniam ſtulta mundi elegit

1.Cor.1 deus, ut confundat ſapientes. Et iterum: Si quis uidetur inter uos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Reddidit ergo nõ intulit dominus æmulationis communionem: ut eſſet nõ in forma imitationis, ſed in pœna iniquitatis. Deniq; Latinus interpres

1.Cor.10 uolẽs diſtinctionẽ facere inter æmulationẽ uirtutis, & æmulationẽ offenſionis, ait: Numquid æmulamur domino? Hoc eſt, Nunquid domino offenſionẽ ęmulationis inferimus ut de ijs edamus quæ immolata ſimulacris ſunt: ſicut Iudæi eum ſacrificando ſimulacris exaſperauerunt? Quod ſi inter homines excitandæ æmulationis offendit intentio, & frequenter ſi perſona exaſperati ſuperior inuenitur, incentoria æmulationis fraudi eſſe cõſueuit: cuius ſtultitiæ eſt maieſtatẽ irritare diuinam, & offendiculo æmulationis inceſſere, ubi nulla ultionis eſt difficultas? Non debemus igitur malignis ęmulandi aduerſum nos aculeos miniſtrare qui etiam non laceſſiti inuidię ſtimulis excitantur ut noceant. Sicut Cain fratrẽ occidit, quia magis illius ſacrificium acceptum eſſet, quàm quod ipſe putauerat offerendum. In quo non ęmulatus Abel, ſed inuidus Cain prælationis gratiã ſce-

Geneſ.4 leſto parricidio perſecutus eſt. Non enim ille fratris uoluit obumbrare ſacrificiũ, ſed ſeruare ſacrificij diſciplinã: ut primitias nulla deſidia moraretur, nec aliqua in uſus proprios deriuata uſurpatione uiolaret. Saul quoq; triumphatorem Palęſtinorum Dauid prophetam, & proprię conſeruatorẽ ſalutis, iuuencularũ ſibi ſermone prælatum tẽtauit inſidijs,

1.Reg.18 telí iaculo parauit occidere. Ac penè ſanguinẽ generi fuderat innocentis, niſi uulnus ille ſinuati corporis inflexione luſiſſet. Quę ibi malitia, ſi iuuenculæ dixerunt, Saul in milibus, Dauid in decẽ míl ibus? Quã atrox autem inuidia regis Saul, qui ſermonis errorẽ in innocentis exitiũ deriuauit? Neq; ęmulatus, inquit, fueris facientes iniquitatẽ.] Non repetiuit quod dixerat, ſed mutauit. Aliud eſt enim ſubęmulari: aliud ęmulari. Subęmulatio aſtutiã habet, ęmulatio ſimplicitatẽ. Sed tamen etiã ipſa cauta debet eſſe ſimplicitas

Matth.10 & prouida, ut nouerit quid cauendum ſit. Neq; enim ocioſe dictũ eſt: Eſtote aſtuti ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbę. Spiritalis ergo debet eſſe aſtutia, quę ſeruet ſalutẽ, dolum neſciat. Spiritalis debet eſſe ſimplicitas. Videtur autem etiã alio loco diſtinctionem ſubęmulationis ſcriptura feciſſe, cum dicit: Et auferetur zelus Ephrem, & inimici

Eſa.11 Iudę peribunt. Non erit ęmulus Ephrem Iudę, & Iuda non uexabit Ephrem. Alibi autem habes: Sic & uos quoniam ęmulatores eſtis ſpiritaliũ ad ędificationẽ Eccleſię, quę-

1.Cor.14 rite ut abundetis. Aemulatores pro bonis & bonę rei imitatoribus poſuit, ęmulum pro obliquo & inuido. Primum eſt ergo, ne malignos ad ęmulationis malignitatẽ laceſſas: ſecundum,

secundum,ut non æmuleris iniquitatem facientes.Plerumq; enim uidentes pñ fraude aliquos & astutia quæsisse diuitias,& peruenisse ad honores,æmulatione deformi uias eorum sequi gestiunt,ut ad diuitias & honores simili arte perueniant,& in cõtrahendo cõiugio circunscribant adolescentulas.Quid enim prodest,cum ipsæ diuitiæ & omnis gloria secularis tanquam fœnũ cito arescat,&tanquam olera herbarũ in ipsa specie sui floris intercidant?Omnis caro fœnũ,& omnis gloria hominis ut flos fœni. Noli ergo magnopere affectare quod perpetuum esse non possit.Noli esse æmulus & obliquus: Noli esse contentiosus & decertator in zelo. Vnde & Aquila dixit:Noli cõcertare in malignantibus.Symmachus,Noli contendere. Noli etiã esse imitator iniquitatis & fraudis,sed esto apostolicæ doctrinæ,propheticæ gratiæ,sanctorumq; uirtutis imitator, ut fructũ feras, & messem bonitatis recondas,sicut Ioseph,qui multitudine frumenti famẽ diuturnæ sterilitatis exclusit.Vt Abacuch,qui prandium messoribus deferendo, eleuatus ab angelo aerij tramitis iter carpsit,& redditus terris inter sæuos leonũ strepitus pio prophetæ dulce conuiuium ministrauit.Rectè ergo dicit propheta:Spera in domino, & fac bonitatẽ: & inhabita terram,& pasceris in diuitijs eius.] Quæ est terra quã suadet inhabitandã,nisi anima tua,quam bene debes excolere, frequenter spiritalibus inarare uomeribus, ne longo inhorrescat situ? Bonus enim agricola quotidiana operatione & peruigili solicitudine exercet agrũ suũ,& propria rura custodit,ne deuastet ea aper de sylua, & fructus maturos raptor eripiat.Ara ergo terram tuam,ut cum uenerit qui seminat uerbũ,animã tuam inueniat præparatã:ne supra inculta cordis tui decidat semen,& ueniant aues cœli,& diripiant quod fuerit seminatũ.Quæ sit ergo terra,audi dicentẽ: Ecce exijt qui seminat seminare agrum suũ:& dum seminat, aliud cecidit secus uiã, aliud supra petrã, aliud supra terram bonam. Quod autẽ supra terram bonã,ij sunt qui in corde bono audientes uerbum retinent,& fructum afferunt per patientiam.Mundũ sit ergo cor tuũ, munda sit anima tua,ut fructum bonitatis possis afferre,hoc est,gratiæ spiritalis.Bonitas enim fructus est spiritus sancti,sicut scriptum est:Fructus autem spiritus est charitas,gaudiũ, pax patientia,benignitas,bonitas,fides,modestia, continentia. Hi sunt fructus quorũ diuitijs pascimur,& ubertate satiamur.In hac terra uitem illam fructiferam iustus Noe plantauit,de fructu eius bibit,atq; intimo corde solutus est,quando eum laudabili pietatis amictu induit uirtutum suarũ geminata posteritas.Alio quoq; loco nobis istas propheta sanctus diuitias demonstrauit,quibus erat dives in Christo, & omnibus quæ ad uitã æternam conducerent,abũdabat. Et reuera quis ditior, quàm qui dives in domino est,ut possit dicere,In uia testimoniorũ tuorũ delectatus sum quasi in omnibus diuitijs? Quid enim poterat deesse uiro qui cœlestibus ditabatur oraculis? Et ideo suadet hoc Psalmo ut thesaurum illum nobis quæramus æternum,& delectationẽ eius acquisitione capiamus:Ideoq; ait:Delectare in domino,& dabit tibi petitiones cordis tui.] Quare nõ dixit tuas,sed cordis tui? Petitiones exterioris hominis interioriscq; cõmunes sunt:nec omnes probantur à Christo:quia lex carnis legi mentis frequenter repugnat.Quę autẽ interioris sunt hominis,qui renouatus est spiritu,illas petitiones dominus petito donat effectu.Vnde & alibi ait: Tribuat tibi dominus secundũ cor tuum,& omnes petitiones tuas confirmet.Secundum cor ait,non secundũ appetentiã carnis:& illas petitiones, inquit, quæ prodeunt ex intimo corde,confirmet,nõ quæ ex carnis huius illecebra & uoluptatibus diriguntur.Reuela ad dominũ uiam tuã,& spera in eum,& ipse faciet:& educet sicut lumen iustitiam tuã,& iudicium tuũ sicut meridiem.]Hoc solo uersiculo qualis esse debeas declarauit.Quis enim reuelat uiam suam,nisi qui deo occultorũ suorũ arbitro interna suti pectoris confitetur? Bene ait,reuela:hoc est,aperi conscientiã tuam:ne eam seculi istius grauet umbra uel carnis.Prorumpentia semina si fuerint obumbrata, tenuantur:soli obiecta pinguescũt.Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quo minus se in altum subijciant,umbra syluestris internecat, & prohibet brachia ramosa diffundere. Pulchre autem dixit,Reuela ad dominum uiam tuã: quia natura hominũ prona peccato,uelut quoddam menti nostræ uelamẽ obducit, ne nostra domino peccata fateamur, qui potest uulnera nostra sanare:ut erubescat quis ore proprio postulare medicinam,ne coram hominibus sua prodantur opprobria. Premit igitur se intra hominem conscientia,cũ latere non possit:& tamdiu differt,quo ad uulnus efferueat:ut iam nõ fidei salubri

Esa.40

Genes.41
Daniel.14

Matth.13

Galat.5

Genes.9

Psalm.118

Psalm.19

tate,ſed immedicabili atrocitate ulceris detegatur.Reuela, inquit,ad dominũ uiam tuã:
Geneſ.4 hoc eſt,aperi uiam tuam, noli abſcondere, ſicut abſcondebat Cain, qui latere cupiebat.
Ioann.3 Omnis enim qui male agit,odit lucem.Reuelabat Dauid uitã ſuam,qui ait:Dico ego o-
Pſalm.44 pera mea regi.Aperi ſenſum tuũ,ut nihil ſit quod timeas reprehendi. Reuelauit & Pau-
1.Cor.4 lus,qui præſumpſit dicere:Nihil mihi conſcius ſum.Is actus,ea uita ſit, ut uia tua corã pa-
tre tuo luceat,qui in cœlis eſt.Sed quia obnoxia fragilitati omnis humana conditio eſt,
& non noſtræ eſt poteſtatis iter noſtrũ ex uoluntate dirigere:ideo tibi dicit, Spera in do
mino,& ipſe faciet.Hoc eſt,ut aperiat uiam tuã,nec talem te eſſe permittat, ut fugias lu-
Eccle.23 cem dum times prodi:& diligas tenebras ut poſſis tua occultare flagitia,dicẽs: Tenebræ
operiunt me:quis ſcit ſi uidet altiſſimus? Quomodo enim poteſt qui adulteriũ molitur,
non noctẽ ſuis accommodã quærere tentamentis? Qui falſum cogitat teſtem ſuæ fraudi
adhibere,qui corruptelã iudicis captat,ut opprimat innocentẽ, iniquitatis nõ explora-
re ſecretũ? Latro ſolitudines obſidet, noctis tenebras operitur, ut ſceleri cedat effectus.
Iniquitas ergo tenebræ ſunt:Deus lux eſt.Et ſi tu uelis tuã occultare iuſtitiã,deus eam e-
ducit in lucẽ:nec patitur latere iudiciũ quo ea quæ bona ſunt elegiſti:quæ improba,refu
taſti.Nec ſolum facit tuum lucere iudicium,ſed lucere ſicut meridiem, quando ſe ſol iſte
Geneſ.45 in ſplendorem totus effundit. Meridies erat quando Ioſeph cum fratribus epulabatur,
non ultus iniuriã,ſed oblitus.Subditus eſto domino,& obſecra eum.] Nõ ſolũ ut ſubie-
ctus ſis deo moneris, ſed etiã ut obſecres dominum, quo poſſis tuę ſtudiũ ſubiectionis
implere:ſicut & ſupra non ſolum reuelare uiam tuã te conuenit,ſed etiam ſperare in do-
mino.Bona autẽ ſubiectio,non abiecta,nõ uilis,ſed glorioſa atq; ſublimis.Ille enim deo
eſt ſubditus,qui facit domini uoluntatem. Deniq; quis ignorat quod ſapientia mentis
præſtantior quàm carnis ſapientia ſit? Sapientia autẽ mentis ſubiecta eſt dei legi:ſapien
Rom.8 tia carnis non eſt ſubdita.Et addit Apoſtolus:Nec enim poteſt.Eſto ergo ſubditus, hoc
eſt,proximus Chriſto:ut legem impleas. Deniq; Chriſtus faciendo uoluntatem patris,
legem impleuit.Et ideo finis eſt legis,& plenitudo eſt charitatis: quia diligens patrem,
1.Cor.15 effectum omnẽ eius adhibuit uoluntati. Vnde pro gloria Apoſtolus dixit: Cum autem
ſubiecta illi fuerint omnia,tũc & ipſe ſubiectus erit illi qui ſibi ſubiecit omnia:ut ſit deus
Pſalm.61 omnia in omnibus.Et ipſe de ſe ait:Nonne deo ſubdita eſt anima mea? Ab ipſo enim ſa-
Luc.2 lutare meum. Deniq; pro pietate erat non pro infirmitate Ioſeph & Mariæ parentibus
ſubditus.Gloria autẽ Chriſti maxima, ut ſe uniuerſorũ hominũ pectoribus infundat,&
omnes reuocet ab impietate perfidiæ,& gentilitatis affectu, ut ſibi faciat eſſe ſubiectos.
Cum autem ſibi ſubiecerit omnia,cũ intrauerit plenitudo Gentiũ,cum ſaluus factus fue
rit omnis Iſrael,& toto orbe unum fuerit corpus in Chriſto:tũc erit & ipſe ſubiectus,mu
nus ſuum deo patri offerens,& quaſi princeps omniũ ſacerdotum, & cœleſtibus cõpos
altaribus,ut ſit ſacrificium fides omnium.Pietatis ergo eſt iſta ſubiectio,quòd erit ſubie-
ctus in corpore dominus Ieſus,cuius nos ſumus corpus & membra.Eſto ergo homo ſub
iectus Chriſto,hoc eſt,ſubditus ſapientiæ dei,ſubditus uerbo,ſubditus iuſtitiæ, ſubditus
uirtuti:quia hæc omnia Chriſtus eſt.Omnis homo deo ſe ſubijciat.Non enim unum,ſed
omnes docet ut ſubijciant cor ſuum, ſubijciant animam ſuam, ſubijciant carnem ſuam,
quod ſit deus omnia, & in omnibus. Subiectus ergo eſt qui plenus eſt gratiæ,& ſuſci-
pit iugũ Chriſti,& mandata domini ſtrenue & incunctanter exequitur. Sine ſubiectio-
ne autẽ,qui ſe fruſtra extollit,ſenſu propriæ carnis inflatus,inſolẽs deuotionis,& pię de
clinans obſeruantiã ſeruitutis,quã ipſo iure naturæ auctori debemus æterno, poſtremo
qui ſine peccato eſt,ſubiectus eſt Chriſto quoniã redemptus à domino eſt. Qui autẽ in
peccato eſt,nõ poteſt dici liber,ſed ſeruus,quẽ grauia tenent uincula peccati. Sequitur,
Ne æmulatus fueris eum qui proſpere dirigitur in uia ſua,faciens iniquitatẽ.] Euidenter
hic quid ſuperius ſenſerit,intimauit:nõ excitãdos malignos æmulatione ad malignita-
tem,neq; imitandos facientes iniquitatẽ.Non enim iniquitas,ſed proſperæ res quæ pro
ueniunt iniqua gerentibus,nos ſæpe ſolicitãt ut eos putemus imitãdos,quo ad eorũ poſ
Pſalm.72 ſimus peruenire ſucceſſus,dicentes:Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo,obti-
nuerunt diuitias:& dixi,Ergo ſine cauſſa iuſtificaui cor meũ, & laui inter innocẽtes ma
nus meas,& fui flagellatus tota die. Si igitur flagellatus eſt Dauid, cauere debemus ne
& nos flagellemur:& dicatur nobis quia diuitiæ,honores,potentię,generationi huic ut
deantur

deantur esse dispositæ quasi uagæ, & incertæ pecuniæ opera, iniquitatisq; cõpendia, non quasi præmia ullæ uirtutis, ideoq; uelut somniũ ueniant, & cum somno te surgente desiciant. Ipsos athletas, cum uicerint, certũ est coronari, nõ anteq; uincant. Nobis lucta cũ seculo est. Vince ante seculũ, ut coronam petas. Nemo antè coronat, nisi certamen impleuerit. Qui stadiũ currunt, nunquid antè brauium accipiunt & stadium percurrerint? Quanti priores in exitu cadunt, & cursus sui celeritate fraudantur? Nunquid tu deo & Paulus acceptior? Ille uas electionis, ille Gentiũ doctor nunq; sibi in hoc seculo coronã ausus est postulare. Deniq; audi dicentem: Certamen bonũ certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod reliquũ est, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illo die. Paulus ille raptus in tertiũ cœlum, qui audiuit ea quæ non licet homini loqui: utrũ corpore esset raptus, an sine corpore, nescit: sicut ipse testatus est. Paulus ergo dicit in illa die coronam sibi esse reddẽdam, tu hic tibi ut reddat insistis? Implè ergo certaminis tui tẽpus. Non semel athleta luctat, nec semel præliatur miles ut stipendia sua possit implere: & tibi nõ cum una passione luctamen est. Superiores si euaseris passiones, ira succedit: & ideo tibi dicit scriptura: Desine ab ira, & relinque indignationem.] Sunt multa uitia quæ obrepunt insipientibus. Ira grauis passio est: plerũq; accendit inuitũ: & uolentẽ mitius uindicare, in furorem rapit, ut perimat quem putauerit cõmotus, gladio sæpe transuerberat innocentẽ. Amicos & fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideo Sapiens dicit: Ira perdit etiam sapiẽtes. Salomonis dictũ est, quia nõ solum quoscũq; de medio homines, sed etiã ipsos perdat ira sapientes. Et Dauid sapientẽ monet dicẽs: Desine ab ira, ne cum accenderis eam, illa non desinat priusquã te eius flamma cõsumat. Relinque, inquit, indignationẽ. Hoc est, natura te rapit, mouet affectus, culpa te alicuius excitat uel offensa ut indigneris: sed non usquequaq; ut modũ nescias. Relinque eã, finẽ impone, ne te in peccatũ trahat. Hoc est quod supra dixit: Irascimini, & nolite peccare. Nõ enim hortatur ut irascaris, sed ad tẽpus cedit affectui. Dat tamẽ medicamentum, ne diutius uis ulceris serpat. Irascimini quod ait, turæ est passionis. Medicus enim nõ statim adhibet medicamẽta languori. Si dolor feruet, fomẽta adhibet, ut mitescat dolor. Si febris exæstuat, remedij tempus expectat. ipsum potum sitientibus negare consueuit. Nõ dicit: Nolite febrire, cũ uapor feruet ægroti: sed dicit, Expecta, desinat febris, digerat cõmotio. Sic & Propheta nõ potuit dicere homini, cuius caro ut uarijs morborũ, ita cõmotionum passionibus excitat, Nõ irascere: sed dicit, Desine ab ira, & indignationẽ relinque, ne pecces. Ira enim grauis est magistra peccati. Alius quoq; medicus dicit: Sol nõ occidat super iracundiã uestram. ne dum diu differs, ueniat ille qui calefactũ corporis somno excitare cõsueuit, & stimulet te, inferat tibi cogitationes, & in secreta tui pectoris immergat, dicẽs: Vindica iniuriam tuã, uirũ te esse cognosce. Fœmineæ infirmitatis est, non capere uindictam. Ergo cõtemne tumeliam? Proscribas necesse est: gladio oportet insurgas, & dolorem tuum aduersarij re te debuit seruus? frater decipere? amicus illudere? & tu adhuc tuam nõ ulciscẽris contumeliam? Proscribas necesse est: gladio oportet insurgas, & dolorem tuum aduersarij morte soleris. Vir fuit ille qui suum occidit inimicũ, meritò prædicatur: quia ita se uindicauit, ut alius irrogare ei nõ auderet iniuriam. His stimulis plus accendit, plus mouetur, ut compleatur quod scriptũ est: Ira perdit etiam sapiẽtes. Ergo tu ne audias eũ, ne æmuleris ut nequiter facias: quoniam qui nequiter agunt, exterminabũtur.] Exterminantur qui radices nõ habent, sicut olera uel fœnũ. Olera infirmus manducet. Tu aũt uitè insere in agro tuo, uineam institue. Et si uenerit Achab qui tibi dicat: Da mihi uineam tuã, ut olera mihi seram: noli ei adquiescere, ne ex cõsensu tuo caduca serat, abscindat æterna. Ideo Nabuthe inter sanctos habetur, quia maiorũ suorum hæreditatẽ ne regi quidẽ putauit esse cedendam: & lapidari maluit, ut uineam suam nõ daret in direptionẽ. Hæreditas maiorũ, fides uera est. Extiterunt Arriani regali subnixi potẽtia, qui tẽplum domini putarẽt sibi esse tradendum, supplicia acerba minitantes. Sed absit ut apud mentẽ domino seruientẽ præponderarit magis pœnæ formido & forma pietatis. Non præualuit perfidia, quia fides restitit. Est etiam quædam uinea in pectoribus fidelium, de qua dicit Esaias: Vinea facta est dilecto in cornu uberi. Hanc uineam dominus plantauit in cordibus nostris: & ideo legimus dicentẽ deum: Ego te plantaui uineam fructiferã, totam ueram. Nemo ergo de agro animæ nostræ hanc auferat uineam: quia benedicta est

1. Tim. 4

Psal. 36

Prou. 15. iuxtà 70

Psal. 4

Ephes. 4

3. Reg. 21

Esa. 5.

Hier. 2

Psal. 4 ea uinea. Ideoq; dictum est de sanctis: A fructu frumenti, uini, & olei, multiplicati sunt. Bonum est ergo habere intra te torcularia uino redundantia, ut fluat tibi uinum in uas tuum de uinea Soreth, poculum illud inebrians q̃ præclarum. Soreth enim uinea, noui principij noua est æquitas. Vnde & dicitur nobis: Cantate deo uestro canticum nouũ, magnificate nomen eius ab extremo terræ. Hæc ergo uinea uuas faciat, non iniquitatẽ. Ideo relicta est uinea ludæorum, quia iniquitatem fecit, ut scriptum est, & non iudiciũ. Nos ergo fructum feramus in Christo, ut perpetui esse mereamur. Sustinentes enim do-

Ibid. 26 minum, possidebunt terram.] Illam utiq; uiuentium terram. Est quædam terra cœlestis, quæ fructum cœlestibus ferat, de qua ait: Credo uidere bona domini in terra uiuẽtium. Hæc terra multo hominum sudore uentri ministrat alimenta: illa terra bona domini sine ullo labore fructificat, in qua iustorũ diuturna possessio, & piæ mentis hæreditas est. Et bene ait: Sustinentes autem dominum hæreditate possidebunt terram. Hęc est enim

Matt. 24 terra quæ non præterit. Nam cœlum & terra præteribunt, uerba autem domini non præteribunt. Et ideo nec illa intelligibilis terra poterit præterire paradisi, in qua sunt qui domini uerba conseruant. In hac terra collocatus est Adam, ut fructum æternæ ca-

Psal. 39 peret uitæ: sed quia uerba domini seruare non uoluit, ideo in possessione quam accepe rat, manere non meruit. Qui aũt uerba domini custodit, dicit: Expectans expectaui dominum, & respexit me. Adam aũt quoniam nõ expectauit dominum (quomodo enim expectauit qui refugit?) & offerre se timuit: ideo nec dominus eum uidere dignatus est.

Ibid. 33 Oculi enim domini super iustos. Hunc aũt eousq; uidere nolebat, ut quæreret, dicens:

Gen. 3 Adam, ubi es? Qui quæritur, pro absente habetur. Fides est quæ nos repræsentat deo: perfidia quæ facit impios exulare. Nullus itaq; absens est deo, nisi qui se absentẽ fecerit.

Matt. 9 Et ideo dicit, Fiat tibi secundum fidem tuam. Qui enim ignorat, ignorabitur. Ergo Adã quasi peccator locum suum seruare non potuit. De paradiso eiectus, in castellum est relegatus, ut ageret pœnitentiã. Accepit dilationem, ne continuò penitus interiret, ut salua fieret Eua per regenerationem filiorum, fidem sancti Abel, prophetarum gratiã, Ecclesiæ posteritatẽ. Sed qui per hæc redimi noluerit, & in peccato perseuerandum duxit:

Psal. 36 de eo dicit Propheta: Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & nõ inuenies.] Quomodo enim esse poterit in futurũ, cum peccati locus diuturnus esse nõ possit? Hæc est enim terra quæ aperuit os suũ, ut sanguinẽ susciperet innocentis. Et ideo in hac terra locus est peccatorũ. Præterit terra, quomodo peccatoris locus poterit

Gen. 1 inueniri? Ego arbitror quòd ideo firmamentũ inter aquã & aquã deus esse præceperit, ut à uirtutibus peccata discerneret, & superior aqua quæ laudat dominũ, uacua esset erroris, inferior peccato esset obnoxia. Deniq; illa deum uidet, hæc non uidet. Quæ super

Psal. 76 cœlos, uidet: quæ in abysso, non uidet. Vnde etiam dictũ est: Viderunt te aquæ deus, uiderunt te aquæ, & timuerunt: turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarũ. Meritò turbantur abyssi, super quas tenebræ sunt deformes, & ideo pacẽ habere non possunt. Vn-

Marc. 8 de rogauit legio dæmoniorũ ut in abyssum mitteretur: & se cum magno tumultu præcipitauit in fluctus, ut porcorũ gregem quẽ repererat strangularet. Peccatores itaq; abyssum petunt, ubi caligo tenebrarũ: Mansueti aũt possidebunt terram, & delectabuntur

Esa. 66 in multitudine pacis. Meritò terram possident, in quibus deus ipse requiescit: sicut diuino per Esaiam resultauit oraculo, dicens: Supra quem requiescã, nisi supra humilem & quietũ, & trementẽ uerba mea? Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, nõ sæuitia exasperat, nõ rabies crudelitatis inflammat? Et ideo quia non uina, non epulas, non diuitias, sed pacẽ domini dilexerunt in corpore constituti, pro illa delectatione corporaliũ uoluptatũ qua se putarunt esse fraudandos, ut gratiã adipiscerent æternam, delectabunt in multitudine pacis, quam dominus noster Iesus in diebus suis generi donauit humano: sicut prophetia quę nõ mẽtita est, com-

Psal. 71 prehendit asserens: Orietur in diebus eius iustitia, & multitudo pacis, donec extollatur luna. Quæ igitur est pax qua cunctæ Ecclesię multiplicatus est populus, nisi illa de qua

Ioan. 14 dñs dixit: Pacem relinquo uobis, pacẽ meam do uobis? Dedit pacem, qui animorũ bella sedauit. Sequit. Obseruabit peccator iustum, & fremet super eum dentibus suis. Dominus aũt irridebit eum, quoniã prospicit quòd ueniet dies eius.] Indignantis quidẽ & efferuescentis in iracundiã consuetudo est, dentibus fremere. Sed habent etiã maligni

dentes

dentes suos: quibus non resonare, sed lacerare consueuerunt. Insidiæ, commenta, nequi
tiæ, dētes sunt peccatoris. Insidiatur ergo peccator iusto, quia inuidet. Iusti enim uita re-
darguit peccatorē, quem tacita maiore authoritate cōdemnat, & si clara uoce loquereť.
Sed iustus timere nō debet fremitum peccatoris: quia improbitas nō potest esse perpe-
tua. Insidię tēporales sunt: munimenta autem uirtutis æterna. Mors peccatoris omnem
eius potentiā fraudemq; dissoluit. Plus adijcit: Ecce, inquit, gladiū euaginauerunt pec-
catores, extenderunt arcū suum, ut deijciant pauperē & inopem.] Quis est gladius pec
catoris, nisi cōtrarius gladio spiritus sancti? Docuit hunc scriptura me gladium, docuit
Apostolus, dicēs: Quia habemus loricam iustitiæ, & scutū fidei, & galeam salutis, & gla Ephes. 6
dius spiritus, quod est uerbū dei. Ergo uerbum dei, gladius spiritus sancti est. Ecōtrario
utiq; gladius spiritus nequissimi, uerbū est malū. Hoc Petrus apostolus Ananiā et Sap- Act. 5
phiram sermonis sui quodā ense percussit. Hoc gladio Paulus Elymæ aduersanti dispu- Ibid. 13
tationibus suis, oculorū lumen eripuit, & noctem cæcitatis infudit. Considera nūc mihi
iurgantes peccatores, atq; acerba iactantes, & insolentia criminationū opprobria pro-
ferentes: nónne si eos audias, dices: Gladiū euaginauerunt peccatores? quando sermo Psal. 26
turpis tanq; de uagina petulanti ex ore profertur, quem cohiberi par fuit & recondi. Si-
militer ut gladius uerbum dei dicitur: & idem sermo est peccatoris: ita & arcus quē ex-
tendunt peccatores, mens eorum est: & sagitta quam iaciūt, sermo est uenenatus. Sicut
enim sagitta est Christus, qui est uerbū dei, cui dicitur: Posui te sicut sagittam electā, quę Esa. 49
profertur ex pharetra dei: ita sagittæ sunt perfidorum, quæ arcu quodam iniquitatis e-
missæ, incautū uulnerant innocentē, nisi ignita eorū iacula scuto fidei repellanť. Et ideo
solicitus esse debes miles in prælio, quia pugna tibi non solum aduersus carnē & sangui
nem est, sed aduersus ipsas quoq; nequitias spirituales quæ non uidentur. Abundent tibi
arma fortia deo, ut facilè possis quę uolueris tela depromere: ne pauperem te & inermē
hostis possit opprimere. Ēsto deo fortis, deo diues, ut dicatur de te: Redemptio animæ Prou. 13
uiri, diuitiæ eius. Abundato thesauro sapientiæ, esto diues in uerbo & operibus bonis,
ut possis esse munitus. Fuge diuitias peccatoris, ne inueniat unde uulnerare te possit.
Esto misericors, ut inuulnerabilis maneas: uel curare te possis si fueris uulneratus. Est &
pauper quem uolunt aduersarij uulnerare, ex illo numero de quo Saluator dixit: Beati Matth. 5
pauperes spiritu: quoniam ipsorū est regnū cœlorum. Et ideo framea peccatorū intret,
inquit, in cor ipsorum, & arcus eorum confringatur.] Vt quemadmodum reuertiť pax
in dei seruulos ab eis qui non receperint benedicentiū pacem: ita etiam malicia pecca-
torum, qua iusto nocere conanť, in eorum perniciem reuertatur, quo suis telis & uulne
ribus trucidentur. Sæpe enim iacula in ipsos qui ea iecerint refunduntur. Quod etiam
proximo accidit bello, cū infideles & sacrilegi lacesserent aliquem in dño confidentē,
& regnū eius eripere cōtenderent, Ecclesiis dñi persecutionū sæua minitātes, ut subitò
uentus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac tela omniū atq; missilia in
peccatoris exercitum retorqueret. Adhuc hostis deerat, & iam illi uentorum prælia
ferre non poterant, suis' que spiculis sternebantur. Et quod peius est, non erant corpo-
rum grauiora uulnera illa, q; mentium. Deficiebāt enim corde, cum deum aduersum se
pugnare cognoscerēt. Exierāt itaq; prouocantes, & de pharetra cordis sui aduersus po
pulum Christianū uenenata perfidiæ iacula proferebant: sed in caput eorum sua reuer
tebatur impietas. Denicq; ipsi inter se sua perfidia sunt soluti, paratasq; fidelibus insidias
dissipauit dominus: ut non solum pijs nocere nō possent, sed propriis auxilijs nudaren-
tur, atq; ad hostē arma sua transirent. Quanto melius non protulissent gladium de uagi
na? hoc est, impia nequaquā uerba prompsissent? Nam si pro ocioso sermone reddītu- Ibid. 12
rus est unusquisq; rationē, quanto magis uerba sacrilegij grauibus supplicijs expiabit?
Igne nos examinasti, dicit Dauid. Ergo omnes igne examinabimur. Et Ezechiel dicit: Psal. 65
Ecce uenit dominus omnipotēs: & quis sustinebit diem introitus eius, aut quis sustine-
bit cum apparuerit nobis? Quoniā ipse introibit sicut ignis cōflatorij, & sicut alueus la-
uantium: & sedebit conflans & purgans sicut aurum & argentum: & purgabit filios Le Mal. 3
ui, & effundet eos sicut aurū, & sicut argentum: & erunt domino offerētes sacrificiū in
æquitate. Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel. Sed hi etsi per
ignē examinabunť, dicēt tamē: Transiuimus per ignē & aquā. Alij in igne remanebūt: Psal. 65

Illis

Illis rorabit ignis ut Hebræis pueris qui incendio fornacis ardentis obiecti sunt: mini-
1.Cor.3 stros aũt impietatis ultor ignis exuret. Væ mihi si opus meũ arserit, & laboris huius pa-
tiar detrimentũ. Et si saluos faciet dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamẽ
salui quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen uremur. Quomodo tamen alij remane
ant in igne, alij pertranseant, alio loco nos doceat scriptura diuina. Nempe in mare Ru
brum demersus populus est Aegyptiorum, transiuit aũt populus Hebræorum. Moyses
pertransiuit, præcipitatus est Pharao, quoniam grauia eum peccata merserunt. Eo mo-
do præcipitabunt sacrilegi in lacum ignis ardentis, qui superba in deum iactauere con
uitia. Sequamur ergo hic positi columnã ignis, quæ nos in hoc corpore positos illumi-
net, & uiam monstret, ut in futurũ nobis nebula refrigeret noctis, quo sæua incendia re-
Gen.9 leuare possimus. Vide aũt scriptura quid dicat: Arcus, inquit, peccatorũ, dominus con-
fringat. Arcũ aũt suum posuit in nube, quo diluuia cessarent, tranquillitas refunderetur.
Vnde credendũ quia aduersarius & malignus arcũ extẽdit suum, ut quietis animis mo-
ueat tempestates, excitet flatus. Oremus ergo ut arcum malignitatis dissoluat dns deus
noster: assit pauperi suo & inopi, qui propter dei timorẽ duxit nõ affectandas esse diui-
tias, non occupanda minorũ prædia, non uiduas relictis maiorũ hæreditatibus exuen-
Psal.36 das. Melius est parũ iusto, super diuitias peccatorũ multas.] Non ergo diuitiæ accusan-
Luc. 4 tur, sed diuitiæ peccatorũ, nisi fortè quia peccator dixit: Omnia hæc mihi tradita sunt,
& cui uolo, do illa. Deinde quoniam diuitiæ magis facem cupiditatis inflammant: & u-
nusquisq; dum maiora desiderat, non declinat diuerticula peccatorũ. Vnde & Saluator
Ibid.16 dixit: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Iniquitatis enim census est, qui in
Psal.36 diaboli potestate est, ut cui ille uoluerit conferat. Potest et illud intelligi, quia melius est
parum iusto super diuitias peccatorũ multas: quia est quidẽ diues in uerbis, ut sunt phi-
losophi istius mũdi de sacrilegijs disputantes, de motu siderũ, de stella Iouis, ac Saturni,
de generationibus hominũ, de simulacrorũ cultu, de geometria, de dialectica. Philoso-
phi ergo in sermone diuites sunt, fidei inopes, ueritatis exortes. Et sunt plerisq; simpli-
ces domini sacerdotes, in sermone pauperes, abstinentia & uirtute sublimes. Illi multis
loquuntur perfidiam: isti paucis fidem asserunt. Illi suos amittunt quotidie sacerdotes:
hic pauper populos acquirit Ecclesiæ, numerosq; credentium. Qui ergo hos audierit, &
Prou.15 uiderit operum qualitatẽ, dicit: Melius est modicũ iusto, super diuitias peccatorũ mul-
Ibid.10 tas. Hinc Salomon deriuauit illud, quod quasi suum ipse posuit: Ex multiloquio nõ effu
gies peccatũ. Dialectica ergo diuitijs uerborũ fluit, pietas timorem dei seruat. Ideo hic
parcus in uerbis, diues in spiritu, magis uult timere, q̃ uana ueri uerba iactare. Timore-
nim disciplina sapientiæ est, loquacitas innocentiæ uirtutisq; naufragiũ, atq; incentiuũ
Psal. 124 prolapsionis & culpæ. Quoniã brachia, inquit, peccatorũ conterẽtur.] ut actus eorum
Rom. 16 iusto impedimentũ afferre non possint, ne derelinquatur uirga peccatorũ super sortem
iustorum. Et Paulus ait: Conterat deus sathanam sub pedibus uestris. Si enim brachium
eius contritũ fuerit, totus ipse conteretur, ut conculcentur eius cõmenta sicut uenena
Psal.37 serpentis. Confirmat aũt iustos dominus.] brachio aduersarij dissoluto. Et ideo iustus
Iob 19 dicit: Et cõfirmasti super me manũ tuam. Et Iob ait: Manus domini tetigit me. Misit er-
go dominus manũ suam in seruũ suum: & manũ peccatoris quam in eum accepta mise-
rat potestate, brachium q̃ cõtriuit. Ita diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit: Mit
Ibid.2 te manum tuam in eum, & uideamus si in faciem te nõ benedicat. Non enim ausus est di
cere, maledicet, sed hoc intelligendũ reliquit. Misit deus manũ suam, & confirmatus est
Iob. Cœpit benedicere, qui maledicere credebat. Sanat enim iustos, cum tangit manus
diuina, nõ uulnerat. Misit manũ suam, & leprosi macula omnis abscessit. Tetigit cæco-
rum oculos, & cæcitate depulsa lumen refulsit oculorũ. Pete ergo semper ut confirme-
1.Cor.10 ris, quoniã & tu qui stas, uide ne cadas. Nos stare debemus, ut cõfirmemur à dño. Lubri
cum est seculũ, citò labimur. Ideo rogemus ut nos dns stabilire & confirmare dignetur.
Noli putare quia uiam tuã nesciat dominus. Si iustus es, nouit. Crede dicenti propheţ:
Nouit dominus uias immaculatorũ: & hæreditas eorũ in æternũ erit. Nõ confundẽtur
in tẽpore malo.] Qui nouit dominũ, scitur à domino. Nouit iustos, nescit iniustos. Ideo
Matth.7 iniustis dicit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ: nescio uos, hoc est, quia
estis indigni cognitione diuina. Nescio uos, quia me ipsi nescire uoluistis. Opera uestra

me

me nesciunt: facta uestra me nesciunt. Et si dicatis quia me scitis, redarguunt uos pecca-
ta uestra. Omne peccatum à malo est: qui autem non peccat, in me manet. Hoc scripsit 1.Ioan.3
Ioannes. Quid de domino dicam quia dedignatur impium scire? Paulus dedignat, qui
dixit: Si quis in uobis propheta est, aut spiritalis, cognoscet quæ scribo uobis. Qui autē 1.Cor.14
ignorat, ignorabit. Et alibi scriptum est: Cognouit dominus qui sunt eius. Simus ergo 1.Tim.2
domini, ut cognoscat nos dominus, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomē
domini. Græcus habet: Nouit dominus dies immaculatorū. Sunt enim dies Heliæ, sunt
dies Nabuchodonosor. Ideo Euangelium habet: In diebus Heliæ, quando clausum est Luc.4
cœlum. Nox erat perfidis, sed Heliæ lumē erat. Clausum erat perfidis cœlum, sed Heliæ
patebat. Fames erat perfidis, sed Heliæ ubertas. Neq; enim esurire poterat, cui cibū cœ-
lestia ministrabāt. Nec esuriebat qui alios ipse pascebat. Ergo sibi dies est iustus in tene Ioan.1
bris: quia & lux in tenebris lucet. Et Ioseph in Aegypto erat, & lucebat ei meridies, sicut Psal.49
infrà dixit: Peccatori autem dixit deus, Quare tu enarras iustitias meas? Iustitia lumē est, Ibid. 138
quia suprà habes: Et educet sicut lumen iustitiā tuā. Habes ergo q̄d in te luceat, si iustitiā
sequaris. Splendet tibi dies, lucet tibi nox, quia fideli & nox sicut dies illuminabitur.
Dies igitur iusti nouit dominus, quia ipse illuminat omnem hominē uenientē in hunc Ioan.1
mundum, hoc est, illum qui ad imaginem & similitudinem dei uiuit. Illum qui se homi-
nem esse cognoscit, ut refugiat equorū libidinē adhinnientem, ferarū rabiem, lepuscu-
lorum formidinē, uulpiū fraudem, rapinam luporum. Illum hominē qui sic agit, quasi in
hunc mundū superuenerit. qui non ex sanguine, neq; ex uoluntate carnis, sed ex deo na
tus sit. Venisti ergo: noli remanere, noli hærere terrenis. Vt scias autem quia dies boni
sunt, audi dicentem: Abraham diem meum uidit, & gauisus est. Bonum habet diem, qui Ibid. 8
dei filium bonum deum nouit, & dominū confitetur. Et rursus ipse nos admonet cauere Ephes.5
debere, quia dies mali sunt. Qui mali sunt dies? In quibus utiq; malū cognoscitur, quod 1.Ioan.5
est à malo. Aut fortè dies seculi mali sunt, quia seculum in maligno positum est. Sed legi
mus etiam post seculū diem malum. In die mala liberabit eum dominus. Hoc est, in die
iudicij, propter multorum supplicia. Necesse est enim torqueantur iniusti, compatiant Psal. 40
iusti: quia & angeli gaudent cum peccator à morte seruatur unus: compatiuntur igitur
cum punitur, etsi alibi legerimus: Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam impiorum: Luc. 15
quod suo loco reseruo: etsi frequenter audieris cur lætetur. sed occupationes occupatio Psal. 57
nibus non inseramus. Nouit dominus dies immaculatorū: quia immaculatæ innocētiæ
gratia eius & plenitudo miseretur, non miseret errantibus. Isti non habent diem: quia lu
cem fugiunt. de quibus pulchrè dictum est: Dies eorū sicut umbra prætereūt. Cognitio Ibid. 143
ergo dei, dignationis est, nō uisionis. Oculi eius lux sunt. Quos aspicit, illuminat: & ideo
oculi eius, dies iustorum sunt. Vnde & hæreditas eorū in æternū erit: quia æterna bona,
non temporalis hæreditatis compendia quęsierunt: & non habebunt de quo erubescāt
in tempore malo: id est, iudicij cœlestis. Et in diebus famis saturabuntur.] quia non
in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Sed quis homo? Scio hominem in Chri Matt. 4
sto ante annos quatuordecim, siue in corpore, nescio: siue extra corpus, nescio, deus 2. Cor. 12
scit, raptū eiusmodi usq; ad tertiū cœlum. Ille ergo homo qui in Christo est, qui se in car-
ne esse nō nouit, qui non in carne ambulat, sed in spiritu: ille qui rapitur nō solum ad cœ
lum, sed etiā ad tertium cœlum, rapitur ad paradisum, & audit uerba quę nō licet homi-
ni loqui, qui nō in uirtutib. suis, sed in infirmitatibus gloriatur: ipse nō in solo pane, sed
in omni uerbo dei uiuit. Verbū enim dei uita est: quia uerbū caro factū est. Vnde prę cla Ioan.1
rè dixit Euangelista: Quod factum est in ipso, uita est. Alexandrini quidem & Aegyptij
legunt: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factū est nihil quod factū est. & interpo
sita distinctione subnectunt: In ipso uita est. Salua sit fidelibus illa distinctio: ego non ue-
nō illius uenena cōsidero, sed lectionis sacræ consuetudinē recognosco. Non em̄ dixit:
Factū est uerbū ante omne principiū. Non dixit: Factū est uerbū. Sed si quod dixerit au
dire desideras: Verbū, inquit, erat apud deum. Erat apud deū, quod cum ipso operabat,
cum ipso dominabat. Non dixit, Factū est uerbum: sed dixit, Deus erat uerbum. Deus
autem nō factura, sed factor est & creator. Aperi aures, & audi: Omnia per ipsum facta
sunt, & sine ipso factum est nihil. Discis esse filium, in quo diuinitatis est plenitudo.

Aperi

Aperi aures adhuc paululum,& audi dicentem:Quod factum est in ipso,uita est. In ipso,inquit,factum est: non dei uerbum factum est. Aut si hoc mouet te ad calumniã,quia dixit:In ipso factum est.nunquid & deo patri calumniaris,quia dei filius dixit:Qui autẽ
Ioan. 3 facit ueritatem,uenit ad lucem,ut manifestentur opera eius,quia in deo sunt facta? Aut
Psal. 117 quia Dauid dixit:Confitebor tibi domine,quoniã exaudisti me, & factus es mihi in salutem.hoc est,conuersus es mihi in salutem,operatus es ad salutem? Possem aliꝭ uti,sed nolo mihi credas,ne putes argumenta esse ingenij,non testimonia ueritatis. Ipse toni-
Mar. 3 trui filius,ipse qui in Christi pectore recumbebat,ipse cui secreta sua dominus non tace-
Ioan. 13 bat,cui Petrus innuit ut dominum interrogaret,& ille interrogauit,& dominus reuela-uit:ipse exponat quid senserit de eo quod ait:Quod factum est in ipso,uita est.Audi er-
1. Ioan. 1 go interpretantem, quia tuas Arriane calumnias iam cauebat. Quod erat ab initio, & quod audiuimus,& uidimus oculis nostris,quod perspeximus,& manus nostrę scrutatæ sunt de uerbo uitæ,& uita apparuit.Caro ergo est quæ in Christo apparuit, uel Christus in carne:ipse nostra in omnibus uita est.Ipsius diuinitas,uita est:ipsius æternitas uita est,ipsius caro uita est,ipsius passio,uita est. Vnde & Hieremias ait: In umbra eius uita
Thren. 4 uemus. Vmbra alarũ,umbra crucis,umbra est passionis.Ipsius mors,uita est: ipsius uulnus,uita est:ipsius sanguis,uita est: ipsius sepultura,uita est: ipsius resurrectio,uita est uniuersorum. Vis scire quoniam mors ipsius uita est? In morte ipsius baptizati sumus, ut
Rom. 6 cum ipso in nouitate uitæ ambulemus.Et ipse ait:Amen amen dico uobis, nisi granum
Ioan. 12 frumenti cadens in terram moriatur,ipsum solum manet.Si autem mortuum fuerit,multum fructũ affert. Ipse granũ pro nobis corpore solutus & mortuus est, ut fructũ multũ afferret in nobis.Mors itaq; eius fructus est uitę.Quod factũ est ergo in ipso,uita est.Caro facta est in ipso,uita est. Infantia facta est in ipso,uita est. Iudiciũ factũ est in ipso,uita est.Mors facta est in ipso,uita est. Remissio peccatorũ facta est in ipso,uita est. Vulnus factũ est in ipso,uita est. Illusio facta est in ipso, uita est. Diuisio facta est in ipso,uita est.Ca Sepultura facta est in ipso,uita est. Resurrectio facta est in ipso,uita est. Vide quanta in ipso facta sunt,quib.uitæ nostræ facta cõuersio est,ut quæ perierat,redderet. Ad postremũ uẽditio facta est in ipso,uita est.Redẽptio facta est in ipso,uita est. Ad mortẽ uẽndi-tus est à Iuda,emptus à Iudæis ad mortẽ,ut precioso eius sanguine nos redimeremur ad uitã.Hæc est uita quæ facta est,hæc est uita quæ apparuit,hęc est uita quam audiuimus, hæc est uita quæ erat apud patrem: quia ipse qui erat in principio, ipse postea est natus ex Virgine,ut esset uita moriturꝭ.Ipsum hunc propositum nobis locum interrogemus. Quid est,hominem in Christo? hoc est,factum in Christo,in quo facta sunt omnia,siue
Col. 1 sedes,siue dominatiões,siue principatus,siue potestates,omnia per ipsum & in ipso creata sunt,& ipse est ante omnes,& omnia in ipso constant:hoc est, in uirtute eius. Homo ergo in Christo,qui factus est ad imaginem eius,& similitudinem. Homo in Christo, qui totus in Christo sit.Sicut enim per unitatem & plenitudinem diuinitatis pater deus totus in filio est,& filius in patre:ita per intentionem & pietatis affectũ (ut exempli uice,non comparationis utamur)homo totus in Christo est. Qui enim adhæret domino,
1. Cor. 6 unus spiritus est. Homo ergo in Christo , non ille terrenus, non ille peccati , sed homo Christi.Quid ergo mouet,Quod factum est in ipso,uita est: si & homo, præcipuè interior,in ipso factus est,in ipso crucifixus, in ipso renouatus, in ipso sepultus, & cum ipso consepultus,in ipso resuscitatus? Quid mouet(ut dixi)quia scriptum est:Quod factum
Psal. 107 est in ipso,uita est: cum homo dixerit, In deo faciemus uirtutem ? Si quæris quæ uita sit quod factum sit in ipso,accipe.Nempe uita,Ecclesia est.In ipso facta est,in eius costa,in ipso resuscitata Eua.Eua autem uita,hoc est quod factum est: quia Eua quæ perierat,salua facta est per Ecclesiam:hoc est,per filiorum suorum generationem , sicut scriptũ est:
1. Tim. 2 Quia delictum superioris sobria emendauit hæreditas. Vnde & ipse Paulus raptus est ad uitam,qui antè erat persecutor ad mortem. Prolixius euagati sumus,ut de eo homine qui non in solo pane,sed in omni uerbo dei uiueret,diceremus. Reuertamur ad Psalmum.Et ideo immaculati non cõfundentur in die iudicij , & in diebus famis saturabuntur. Deficientes sicut fumus deficient.] Græcus ἐξέλιπον habet,hoc est, defecerunt. Videsne subitò aliquem ad potestatem uenisse,& honoris insignia:sublimem iudicas. Videsne illi esse successum:nónne dicis de eo: Vbi honoratus & exaltatus est iste? Defecit:Ideo

plus

plus dixit Græcus: quia ubi honorari & exaltari quis creditur, ibi defectu proprio præ-
uenitur, ut meatus fluminum præteriſſe citius q̃ ueniſſe comprehendas: & dum uentu-
ra operiris fluenta, te adhuc expectante fluxerunt. Contrà humiles atq; manſueti dum
ſubijciũtur à diuitibus & opprimunt̃, exaltati ſunt à ſua humilitate, & ſubitò refulſerũt.
Ideo Paulus in infirmitatibus ſibi placuit, non in uirtutibus. Sed conſideremus ne quis
putet eum in reuelationibus gloriatum, & repetamus ea, ut ſe ipſe defendat humilitatis
magiſtrũ. Scio, inquit, hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, 2.Cor.12
ſiue extra corpus, neſcio, deus ſcit, raptũ eiuſmodi uſq; ad tertiũ cœlũ. Ante annos qua-
tuordecim reuelatũ ſibi dicit, et tamen reuelationẽ tam diu tenuit & repreſſit: nec dixiſ-
ſet, niſi utile nobis iudicaſſet ut diceret: ne nos reuelationibus extolleremur. Si enim in
tanta gratia nõ eſt gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet. Iuuenis ipſe nõ gloriatus
eſt, ſenex gloriaretur? Deinde raptum ſe uſq; ad tertiũ cœlum negare nõ potuit: & tamẽ
utrũ in corpore, an extra corpus raptus eſſet, ſe ignorare teſtatus eſt. Non ergo de ſcien-
tia, ſed de ignorantia gloriat̃, & dei circa ſe gratiam prædicat. Quod ſcientiæ eſt, negat:
quod charitatis eſt, confiteꝛ. Scientia enim inflat, charitas uerò ædificat. Et iterũ, raptũ 1.Cor.8
eiuſmodi hominem dixit: quemadmodũ raptus eſſet, utrũ in corpore, an extra corpus,
incertum ſibi eſſe memorauit. Vide ſtateram ſapientiæ. Conſtituit unũ in Chriſto, & ſe
alterum, qui ait: Neſcio. Quod alienum eſt, attollit: quod ſuum, humiliat. Et audiuit, in-
quit, uerba ineffabilia. Non dixit, Audiui: ſed quòd alter audierit, nõ negauit. Verecun
dè itaq; teſtem ſe maluit ſignificare q̃ uatem, & refugit uideri cœleſtiũ arbiter ſecreto-
rum. Teſtimoniũ enim dicere, ueritatis eſt: meritum elationis non refugere, gloriantis.
Ideo q̃ ait: Pro huiuſmodi gloriabor, pro me aũt non gloriabor. Quid eſt autẽ quod ait,
audiſſe hominem illum in Chriſto, quæ non licet homini loqui? Quomodo hoc conue
nit, ut nõ licuerit homini loqui, quæ licuerit homini audire? Si ipſi homini qui audiuit,
nõ licet loqui, quomodo ei creditũ eſt audire quod non permiſſum eſt loqui? Quæ iſta
diſtantia eſt? Si alteri homini qui eſſet exterior, quomodo potuit homo cognoſcere q̃d
homini nõ licebat audire? Vnde uidetur nõ gratia loquẽdi illi homini defuiſſe qui eſſet
in Chriſto, cui nõ defuit: ſed eis qui audirent, locum, tempus, meritum defuiſſe. Ille enim
in cœlo audiuit: & ideo non competere iudicatũ eſt ut id loqueretur in terris quod au-
diſſet in cœlo, cum in ipſa terra ſit iſta diſcretio, ut quod in altera regione canitur, in alte
ra non canatur, ſecundum quod ſcriptum eſt: Quomodo cantabimus canticum domi- Pſal. 136
ni in terra aliena? Deniq; Hebræi non canebant in terra captiuitatis, quod in ſua patria
canere conſueuerant. Hæc terra, captiuitatis eſt: alia terra, libertatis eſt. Iſta peccati, illa
quietis æternæ: uallestris iſta, illa cœleſtis. Ergo in cœlo illa nunc prędicat Paulus, quæ
in terris antè prædicare nõ poterat. Inter perfectos enim ſecreta ſapientiæ ſunt loquen-
da. Attamen quid cõmemoratio iſtius reuelationis operatur, niſi ut doceat quòd in re-
uelationibus minimè gloriandũ ſit, ſed in infirmitatibus? quia infirmitas, & remediũ re-
uelationis, & uirtutis exercitiũ eſt. Contrà aũt reuelatio, elationis lubricũ eſt. Namq; ne
reuelationis ſublimitate extolleretur ipſe Paulus qui raptus in tertiũ cœlum eſt, ſtimu-
lum carnis accepit. Subuenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum uerteretur. Vtilior
ergo infirmitas q̃ gratia. Eadem quoq; infirmitas, officina uirtutis eſt: ſicut teſtificatus
eſt dominus, quia uirtus in infirmitatibus conſummatur. Deniq; iſte ipſe poſt reuelatio 1.Cor.2
nem rogauit remedium ſanitatis, & non impetrauit. In infirmitate autẽ remedium non
quæſiuit, ſed curſum conſummauit, & coronam inuenit. Mutuatur, inquit, peccator, &
nõ ſoluit: Iuſtus aũt miſere, & tribuit.] Hoc quoq; perſonæ conuenit Pauli: quia iuſtus
miſeretur & tribuit. Vide illum domini eloquia diuidentem, uide argentum dñi fœne-
rantem. Vnam minam accepit, duas reddidit. Duas accepit, quatuor reddidit. Quinq;
accepit, decem reddidit. Non ligauit in ſudario quod acceperat, ſed numulariis eroga-
uit: & quod erogauerat, cum uſuris recepit. Ita & accipientem à peccato maximo libe-
rauit, ne apud eum pecunia domini deperiret: & ipſe ut decem ciuitatibus præficeretur
emeruit. Quæ ſunt decem ciuitates, in Epiſtolis recognoſce quas ſcripſit: etſi Apoſtoli
præſcripto numero nõ teneant̃, quibus dictũ eſt: Ite per orbẽ uniuerſum, & prædicate Marc.16
Euangeliũ uniuerſæ creaturæ. Hic ergo ab Hieruſalẽ per Orientẽ & Illyricũ & Italiam
domini pecuniã diſpenſauit. Et ne quis putaret quòd ſuam fœneraret, domini eſſe pecu

1.Cor.7 niam testabatur dicens: His aũt qui matrimonio iuncti sunt, denũcio nõ ego, sed dom-
Ibid. 13 nus, uxorem à uiro non discedere. Et alibi: Quid experimentum quæritis eius qui in me
Matt. 25 loquitur Christus? Denique ipse rex ita dixit, in quo figura est domini: Oportuit te pecu-
niam meam cõmittere nummularijs. Meam, inquit, non tuam. Iustus ergo miseretur, &
1. Cor. 14 tribuit. Quomodo tribuat, audi dicentem: Per omnes ecclesias doceo. Peccator aũt mu
tuatur, & non soluit. Vide diuitem mutuantẽ, & non reddentem: pauperem accipientẽ,
& continuò remunerantẽ, ne diutius in ære alieno sit. Hæc moralia. Vide nũc paupere
mysticum, id est simplicem & timentẽ dei nomen, audientẽ uerbum de castitate, & sol-
uentem: audientẽ de misericordia, & soluentem: audientẽ de placiditate, & non iracun
tem. Diuitẽ uerò illum arrogantẽ & superbum, audientẽ quidẽ, sed post se reijcientẽ ser
mones dei: audientẽ de condemnatione luxuriæ, & magis luxuriantem. Denique, Eccle
Ioan. 17 sia soluit quod accepit, Synagoga non soluit. Cognosce Ecclesiam soluere. Tui, inquit,
Ibid. 16 erant, & mihi eos dedisti, & uerbum tuum seruauerunt. Et alibi: Ipse enim pater diligit
uos, quia uos me diligitis. Reddidit ergo Ecclesia quam accepit à domino pecuniã cha
Ibid. 15 ritatis: sed Synagoga non reddidit. Ideoque de Iudæis dicitur: Si non uenissem, & locutus
fuissem his, peccatum non haberent. Nunc autẽ excusationẽ non habẽt de peccato suo:
quia audierunt utique, & non crediderunt. Probatum est ergo quia mutuati sunt peccato
res, & non soluerunt. Peccator igitur eget semper: iustus aũt abundat & tribuit, cuius di
Psal. 33 ues est conscientia. Ideoque Iudæi in suis diuitijs eguerunt. Diuites eguerunt & esurierũt.
Christiani autem in diuitijs simplicitatis suę non defecerunt. Bonus ergo iustus. Et ideo
addidit scriptura: Quoniam benedicẽtes eum possidebũt terram: maledicẽtes aũt eum,
disperibunt.] Quomodo iustus possidet terram, aut quam terram, cum scriptura dicat:
Esa. 5 Nũquid soli habitabitis super terrã? & alibi: Væ habitantibus super terrã. quod increpa
Apoc. 8 tionis est atque maledicti. Cuius ergo terræ benedicta possessio est? Non istius, quę tene-
bris absconditur, & amaritudinibus impletur, sed illius quæ fluit mel & lac, id est, habẽs
gratiam suauitatis, & fulgorem lucis æternæ. Accipe mellis boni suauitatem, imò supra
Ibid. 21 mel. Fugiet dolor, & gemitus, & tristitia, quia suauitas gratiæ amaritudinẽ humanæ fra-
Ibid. 2 gilitatis excludit. Et alibi: Et delebit omnem lachrymam de oculis eorum: & mors non
Ibid. 22 erit amplius, neque luctus. Accipe etiam lactis nitorem. Et non indigebunt lucerna, & lu
mine solis. Ipse enim dominus illuminabit super illos, & regnabunt in secula seculorũ,
amen. Est etiam mysticus iustus, qui miseretur & tribuit, qui omnia uerba quæ accepit à
patre, dedit nobis, & peccatorũ nostrorũ nobis æra dimisit, & sanguinẽ suũ pro nostris
debitis soluit: ut non in fœnore essemus alieno, sed in suo ære bonus creditor nos habe
ret. Est & peccator ille qui congregauit quæ nõ peperit: & mutuatus est, quod nõ tene
Matt. 4 bat: nec uult restituere, quod accepit. Audi quia mutuatus est diabolus: Tibi, inquit, da
bo potestatem hanc uniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui uolo,
do illa, si procidens adoraueris me. Nequissime, accepisti ad tentationem, non ad mor-
tem, hoc est, Accepisti ut probarent dei seruuli, non ut extinguerent. Accepisti ut deus
adoraretur, non ut negaretur. Accepisti secularia, cur eripis quæ terrena sunt? Accepisti
quæ mundi sunt, cur uis auferre quæ Christi sunt? Da illa cui uis: non inuidemus. Cur
nobis à te quę nos uolumus inuidentur? Tu adorari uis, qui omnibus nequior, ipsa quo
que indignus es seruitute? A domino, inquit, gressus uiri corrigẽtur.] Græcus ἑτοιμάσματα
Esa. 43 dixit, hoc est transitus. Et ideo dicitur tibi: Si transeas per aquam, flumina te nõ conclu-
dent. Transi ergo, noli cessare: sicut bonus uiator cum uenerit ad aliquod uiæ signũ, nõ
stat, sed pertransit. & tu in uia es quàm diu in hoc cursu est constitutus. Paulus si stetisset,
1. Cor. 10 cursum suũ non cõsummasset. Vide ne ideo dicat, Et tu qui stas, uide ne cadas. Nõ enim
qui transiuit, potest timere ne cadat. Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatum
super cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.] Videns ergo impium superexaltatũ,
qui non stetit, non offendit. Si stetisset, & miratus illum fuisset, & secutus esset, offende-
Exod. 3 rat, & ceciderat sicut impius. Ideo Moyses uidens rubũ relucere & non ardere, ait: Tran
siens uidebo hoc uisum magnum. Qui transit de hoc seculo, magnum uisum uidet. Qui
soluit uincula istius nexus, quo ligamur huic corpori, uisum magnum uidet. Moyses in
Exodo legitur, multa uidet miracula in Exodo. Nõ tanta alius uidet qui non est in Exo
do. Idem Moyses transiuit: transiuit & populus patrũ: quia de terra captiuitatis exibat.

Dirigeba-

Dirigebantur itaq; à domino gressus eorum, quibus per noctẽ ignis columna lucebat, per diem nubis: ut nec diei ardor afficeret commeantes, nec impedimentũ uiantib. tenebręq; noctis afferrent. Et tu merere factis, uotisq; deposce ut gressus tui à domino dirigantur, ne moueãtur pedes tui: quia scriptũ est: Mei aũt penè moti sunt pedes, paulò minus effusi sunt gressus mei. Cauendum est quoq; ne rectam semitam derelinquas, & diuerticula te uiarum tortuosarum decipiant. Ideo dicit: Parate uiam domino, rectas facite semitas eius. Paremus ergo uiam domino deo nostro in mẽtib. nostris. Rectas faciamus animorũ semitas, ne labamur. Non effundant̃ gressus nostri sicut uxoris Loth, quę post se respexit, & gressus tenere nõ potuit, sed effusi sunt, cum in salem esset repente cõuersa. Non effundant̃ sicut Aegyptiorum, quorum gressum maris fluctus effudit. Ipsis Hebræis qui cum Moyse erant, quia peccauerunt in deserto, ceciderũt uestigia pedum, ne in terram repromissionis intrarẽt. Nónne etiã de his pulchrè dicitur quia effusi sunt pro cessus eorum, quorum spes lapsæ, in uanum effusus labor, uota sunt destituta? Cõsidera enim aliquẽ per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, uitę at tentioris affectũ, piæ propositum seruitutis, sedulæ obseruationis officium, subitoq; eũ esse mutatũ, discessisse de monasterio, ualedixisse ieiunijs, cõtinentiæ renunciasse, indulgere delicijs, studere luxuriæ. Dudum de monasterijs exierunt, & nũc luxuriæ sunt magistri, dissẽminatores incõtinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Nón ne de his pulchrè dixeris: Effusi sunt gressus eorum? quos bene uixisse pœnituit. Egerũt itaq; noui generis pœnitẽtiam pro uirtutibus, & nõ agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierũt, dicit Ioannes: sed nõ erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscũ perseuerassent. Hi ergo uiam suam cõdemnauerunt, quibus cõuenit dici: O qui dereliquistis semitas rectas, abeundo in uias tenebrarũ, & qui lætamini in malis, & gaudetis in euersione malã, quorũ semitæ prauæ, & flexuosi cursus eorũ, sicut lubricus & flexuosus auctor ipsorum: cur odisse cœpistis uiam rectam, & iustũ consilium deseruistis? Non uos direxit dominus. Quem aũt dirigit dominus, uiam eius cupiet, sicut scriptũ est: Et ipsius semitis delectabitur. Vtrumq; tamẽ intelligi potest. Ita est medium, quod & ipse qui à domino dirigitur, uiam domini cupiet: quia duce ipso omnis leuatur labor, omnia impedimenta remouẽtur, incẽtiua subministrant̃, & ipse dominus nõ aspernatur, sed libẽter accipit uiam uiri quem ad uirtutẽ ipse direxerit. Pulchrè aũt uiri gressus dirigi dicunt̃ à domino, quia non uolentis neq; currẽtis, sed miserẽtis est dei, sine offensione seruare uestigium. Qui enim plantat & rigat, nihil sunt: sed qui dat incremẽtum deus. Ipsi soli gloria uirtutum iure defertur. Denicq; etiã iustus cadit interdum: sed si iustus est, cum ceciderit, nõ conturbabitur.] Quod conditionis est, cadit: quod iustitiæ, resurgit: quoniam iustũ deus nõ derelinquit, sed confirmat manum eius.] Qua ratione nõ pedẽ, sed manum dixit? Nisi fortè ea, quoniam qui cadit, non magis pede labitur, sed infirmus lubrico sæpe decipit̃, uel offendit in petra. Hic aũt iusti casum intellige, id est fortioris. Denicq; de pulo qui luctatur si genu fixerit, uel pede lapsus fuerit, pro uicto habetur. Athleta qui lu ctandi peritiã habet, & ad coronã luctatur etiam uolẽs genu figit, ut uincat. Et si lapsus fuerit, nõ excluditur: etsi ab eo qui superior sit, premat̃, manibus tamẽ se sustinẽs, iure decertat: nec aufertur brauium, nisi fuerit fusus in uentrẽ, aut distẽtus uinculo lacertorũ. Inde oriunt̃ crebra certamina, quia multa & incognita pleriscq; sunt genera ruinarum. Nam casus eos propriè appellant Latini. Græcè enim πτώματα nuncupant̃. Ergo quum stringitur & urgetur, sæpe se uoluit, & fit supra qui inferior habebatur, superiorẽq; dum surgit elidit: quod uidet̃ scriptura significare cum dicit: Vniuersum stratum uersasti in infirmitate eius. Itaq; de eo dicitur: Cum ceciderit bonus athleta, nõ turbabitur. Pleriq; enim uolunt teneri, quo maturius uincant, qui de arte præsumunt. Sed etiã si assignatus ut ipso uerbo utar, & primo & secundo fuerit, nõ excluditur: licet ei interdum reparare luctamen: & uincere sæpe cõtingit, & cedere eum qui secunda contẽtione superauerit. Ita ergo etiã iustus etsi offendiculũ incurrerit & ceciderit, nõ relinquat tñ studiũ deuotiõis & fidei, sobrietatẽ teneat, pœnitentiã gerat, sępe se reparet. Ideo interrogat Petrus: Si peccauerit in me frater meus, quotiẽs remittã ei? usq; septies? Et respondit dominus: Non solum septies, sed etiam septuagies septies. Vt scias autẽ quia athletæ sumus, & impellimur, & alij ruunt, & pleriq; eliduntur, audi dicentẽ: Suffulcit dominus omnes qui

Pſal. 72 Eſa. 40 Gen. 19 1. Ioan. 2 Rom. 9 1. Cor. 3 Pſal. 40 Matth. 18

ruunt,& corrigit omnes elisos. Vnde & ipse de se dicit Dauid, uel ille qui locutus est in
Psal. 117 Propheta:Impulsus subuersus sum ut caderẽ,& dominus suscepit me.Iesus enim nõ ce-
cidit,sed impulsus est. Etenim cũ ipse conuertat elisos,quomodo ipse potuit elidi:Iusti
Ibid.40 aũt, cum ceciderit,posse resurgere testatur scriptura,quæ dicit:Nunquid qui cadit,non
adijciet ut resurgat? aut qui auersus fuerit,non reuertetur? Væ ijs qui auertunt auersiõe
impudenti,dicit dominus. Vtinã quidẽ ineluctabilis & insuperabilis sit Christi athleta,
Rom.6 & in omni ætate,in omni uirtutũ genere glorioſus,sicut ille ait:Sed in omnibus supera-
mus propter eum qui nos dilexit. Quid est in omnibus? Sunt athletæ qui uocent pueri,
ephebi,uiri: hoc est, παῖδες, ἔφηβοι, ἄνδρες. Et scriptura has in luctatoribus nouit ætates, di
Psal. 68 cente Dauid:Ne auertas faciem tuam à puero tuo.&:Iuuenis fui,& senui. Vnde & Ioan
1.Ioan.2 nes ait:Scribo uobis pueri,quia cognouistis patrem.Scribo uobis iuuenes,quia uicistis
malum.Scribo uobis patres,quia cognouistis eũ qui est ab initio. Maturior itaq; ad pa-
tres scribens,maturos designat fidei deuotionisq; processu. Virtutũ ergo istæ,nõ infir-
mitatis ætates sunt.Neq; enim sine uirtute puer est, qui cognouit patrẽ deum uirtutum.
Esa. 8 Ex illo puero isti sunt pueri, qui prius q̃ sciret uocare patrẽ aut matrẽ, accepit uirtutem
Ibid. 9 Damasci,& spolia Samariæ.Ipse est puer qui natus est nobis,filius datus est nobis:cuius
Luc. 18 principatus super humeros eius.Ipse nos docuit pueritiam esse uirtutẽ,dicẽs:Sinite eos
Matth. 18 & nolite prohibere pueros ad me uenire.Et alibi:Amen amen dico uobis, nisi conuersi
fueritis,& efficiamini sicut puer iste,nõ intrabitis in regnũ cœlorũ. Ipsa quoq; corporis
fortitudine pueri plerunq; uiros uincunt.Et utiq; si ætatẽ pueritiæ consideremus,nõ po-
test puer aut usum omnẽ scire,aut uim subire luctandi. Nouimus tamẽ q̃ frequẽter pue
ri quos nõ poterãt portare,uicerũt. Adeò uigor animi infirmitatẽ excludit ætatis.Qua-
Act.7 les aũt pueri,tales & ephebi,hoc est spiritales.Nouit scriptura adolescentem Paulũ,iam
Ibid. 20 proximũ conuersioni.Nouit & Eutychũ adolescentem, qui cum sermonibus Pauli in-
tẽtus hęreret,somno uictus de tritecto cecidit,& resurrexit.Nouit & Ioannẽ adolescen
tem in Christi pectore recumbentẽ,qui tam fortis fuit,ut persecutionẽ non timeret,ma
lum uinceret.Hic est puer qui patrẽ genitalẽ reliquit, sequutus eum patrẽ quem cogno
Marc.14 uit æternũ. Adolescẽs amictus sindone dominũ sequebat tempore passiõis, qui sua om
Act.21 nia dereliquerat.Maturior,deum uerbũ in principio ipso semper fuisse atq; esse cogno
uit,& manere in se probauit. Viros quoque scriptura nos docuit spiritales,Agabo pro-
pheta dicẽte: Virũ hunc cuius est zona hæc,sic alligabunt Iudæi in Hierusalẽ. Et Festus
ait: Vir quidã est relictus à Felice in custodia. Ante passionẽ suam Paulus adolescẽs di-
citur,in passione uir significatur:qui cursu consummato esset iam proximus ad coronã.
Cognouimus ætates pro fide & deuotione certantiũ,cognoscamus etiã certamina sin-
gulorũ. Hæc quoq; scripturæ nos doceat tenor. In hoc itaq; seculari agone alij sunt qui
simplici quodã & legitimo genere luctantur,& ligaturis tantũ corporis certant,uerbe-
rare nõ norunt:qui Palestę uocantur. Alij qui cædem,& pulueris iactũ membrorũ nexi
bus miscẽt,omni sibi uerberandi iure permisso:quos παμμάχους uocant, eò q̃ omnis litis
& pugnæ aduersum se habeant potestatẽ. Alij qui cestibus aduersum se decernunt,& di
laceratis capitibus cruentantur. Hi πύξας ferunt. Hæc omnia certamina subijt Paulus
Ephes.6 apostolus: sicut ipse demõstrat.Itaq; alibi dicit: Quoniã non est nobis pale aduersus car
nem & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, & (ut cõpendio utar) aduersus
nequitias spiritales.In Latinis plerisq; colluctatio reperitur, in Græcis omnib. πάλαι scri
bitur. πάλαι enim Græcorũ,lucta est Latinorũ.Et uerè pale, quia caro & sanguis, & ne-
quitiæ spiritales patiẽtia,& cõtinentia corporis,& animi moderatione superantur. Ira,
furor,cædes,arma sunt diaboli. Alibi quoq; plagis supra modũ cæsum se esse significat,
1.Cor.11 dicẽs:In plagis supra modũ,in mortibus frequẽter.Hierosolymis aũt pugnis se esse per-
cussum:ubi cũ interuenientibus militib.aliquando cessassent Iudæi percutere Paulũ,ip
se pontifex Ananias circumstantibus iussit percutere os eius. cui respondit Apostolus:
Act. 23 Percutere te incipiet deus,paries dealbate.Et tu sedens iudicas me secundũ legẽ, & ex-
tra legẽ iubes me percuti? Sciuit profecto referire, qui grauiore pugno pontificẽ reper
cussit. Ipse enim corporaliter cæsus est: illi retulit quòd in animã percuteret à Christo.
1.Cor.9 In prima quoq; Epistola ad Corinthios scribẽs ait:Ego igit sic curro,nõ ut in incertum:
sic enitor,nõ ut aera cædens. Quod Latinè dixit,enitor:Græcè ait, πυκτεύω. Et uerè quasi
bonus

bonus pycta, non aerẽ, sed aerias potestates & Iudæorũ capita uerberabat: quia caput omniũ Iesum dominũ non habebant. In omni itaq; certamine Apostolus est probatus, qui etiam coronã cursu cõsummato accepit. Vnde & ipse ait: Omnia possum in eo qui me cõfortat. Habet & Christus, qui in puerítia sua æui maturos uicerint: ut Daniel puer spíritu ualído seniores illos redarguit Iudæorũ, & de uictoriæ iure deiecit in mortẽ. Habet & alios, qui priusquã nascerentur, in matris uentre luctati sunt. Denicq; Iacob fratrẽ supplantauit Esau, & malũ uicit, atq; ita de utero matris exiuit, ut uictoriæ insigne monstraret, & pedẽ senioris degeneris uictor inuerteret. Hieremias in uulua matris sanctificatus est & probatus. Ioannes Baptista príncipẽ agonis humani, præmiatorẽq; luctantium necdũ natus uenisse cognouit, atq; in utero matris exíliens piæ brauiũ confessionis emeruit. Rectè iam tunc designatus est ad coronã, qui ante omnes ad Christi agonẽ fidei testis & præco uirtutis suũ nomen obtulerat. Bonus præco, qui ad certamen alios excitabat. Et uerè bonus præco, qui tam magna uoce clamauit, ut ad eius sonum secreta cœlestía resultarẽt. Quid multa? Terrã mouit, cœlũ impleuit. Ideoq; uocis nomẽ accepit, quía uerbũ dei uox sacrata præcessit: quemadmodũ ipse nos docuit, dicẽs: Ego uox clamantis in deserto. Dixit hoc Esaías propheta: de se dictum íste firmauit. Audiuímus quid dixit præco: Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Hęc est uox singularis, & sola, tam sonora, ut ab omnibus audiretur: tam dulcis, ut uniuersorũ corda mulceret. Istos ergo athletas suos dominus confirmauit, ut uincerent. Nunq; enim suos deserit & relinquit. Et ideo addidit Propheta: Iuuenis fui, & senui.] sic Latini. Aliqui autem iuxta Græcos habent: Iuuenis fui, etenim senui: & nõ uidi iustũ derelictũ, nec semẽ eius quærens panẽ.] Simpliciter qui uult intellígere, patet sensus, quòd uitæ suæ tẽpore Dauid non uíderit iustum derelictũ. Sed hoc & breuis tẽporis est, & incredíbile. Siquidẽ multos uidemus in seculo iustos ab homínibus derelinqui, quando eos aliqui potentiũ per sequunt: & nullus ad eos audet accedere, cũ in timore aut in iniuría uíderit constitutos. Vnde Iob dicit: Fratres mei discesserunt, agnouerũt extraneos magis q; me. Amici mei immisericordes facti sunt: & qui me nouerant, obliti sunt nomen meũ. Dauid quoq; nõ solum destitutũ, sed etiã impugnatũ se ab amicis & proximis clamat. Amici, inquit, mei & proxími mei aduersum me appropinquauerunt. Ergo si in hoc seculo reperiunt iusti derelicti, quomodo sibi contraría dixit Dauid? nisi intelligas quòd iustus etsi in seculo derelinquit, à domino tamẽ non derelinquitur? Neq; enim Iob cũ esset in stercore, à domino derelictus est, quem in angelorũ concílio dominus ipse sua uoce laudabat: quem tentari passus est, ut coronaret. Tentationẽ aũt in corpus dedit, in animam denegauit. Nec derelictus Dauid, cui regnũ dedit, ut populo imperaret electo: quem parricídalib. prælíjs appetitũ, regni sui depulsum finíbus, uictoriæ iure restituit. Ipsi quoq;, Iacob, Helías, & Helisæus, & Ioannes Baptista, & cæteri qui in caprinis pellíbus circumeuntes errabant in solitudinibus & montibus & speluncis & foueis terræ, licet ludíbria multa & acerba supplicia tolerasse uideant, tamẽ non derelicti sunt. Siquidẽ cum fratrẽ fugeret Iacob, & per deserta incomitatus erraret, obdormiuit, & surgẽs uidit ibi multitudinẽ cœlestis militiæ, & ait: Hic locus, uocat castra angelorũ. Non satis fuit castrũ uocare, sed castra eũ cœlestis exercitus sequebantur? Sicut & patres nostros Moysi tẽpore, ne in deserto sitirẽt, petra (ut scríptũ est) sequebatur. Nam cũ in Exodo legerimus quòd sitiente populo percussit Moyses de uirga petrã, & aqua fluxit, & bibit populus dei: iterũ in Leuítico legerimus uel in Numeris quòd rursus Moyses tetigerit petrã uirga, & scaturiuerit aqua patribus ad bibendũ: præclarè Apostolus hoc interpretatus est dicẽs: Bibebant aũt de consequenti eos petra: petra aũt erat Christus. Illos igit querulos, illos murmurantes, illos præuaricantes, tamen nõ deserebat dominus, sed sequebat. Quid de Helía & Helisæo dicam, quibus per deserta gradientibus equi de cœlo, & igneus currus occurrit? Quomodo derelictus Helías, qui est inuitatus à Christo? quomodo derelictus in terris, qui raptus ad cœlũ? quomodo egens & nudus & inanis, qui geminati spíritus hereditatem discípulo dereliquit, ut una melotide hæres donatus, fluuios sisteret, Iordanẽ reuocaret in fontem, regũ exercitus pasceret in deserto, & potũ sitientib. ministraret? Ad eius arbitríũ de cœlo profluebant pocula, in terris mortui resurgebant. Quomodo derelictus

Philip. 4
Dan. 13
Gen. 25
Hier. 1
Luc. 1
Esa. 40
Ibidem
Iob 19
Psal. 34
Hebr. 11
Genes. 32
Exod. 17
1. Cor. 10
4. Reg. 2

Heliſeus, qui cũ Syrorũ uallatus eſſet exercitu, ut captiuus raperet ad regẽ, dicẽte Giezi
4.Reg.6 ſeruo: Domine, quid faciemus? ait: Noli timere: quoniã plures nobiſcũ ſunt ꝙ cum illis.
Et dixit: Domine aperi oculos eius, ut uideat. Et aperti ſunt oculi illius, & uidit mõtem
& omnia in circuitu equis innumeris & cœleſtib. repleta legionibus. Paulus quoq; qui
dixit periculis in mari, periculis in deſerto ſe eſſe iactatũ, tamẽ ipſe teſtificatus eſt, dicẽs:
Rom. 6 Si deus pro nobis, quis contra nos? Ergo ſic ille derelictus & deſtitutus ab hominibus,
3.Reg.19 apud deũ abundat & ꝓfluit. Nam & Helias deſtitutus erat, ita ut diceret: Domine acci-
pe animã meam, & tñ uigebat apud deũ, ut ipſis eſſet regibus uirtute terribilis. Quomo-
do iuuenis hoc Dauid potuit cõprehendere? Iuuenis em̃ magis tẽporalia ꝙ æterna con-
ſiderat: quia ætas ea propendet ad uitia. Sed ſunt quidã in iuuẽtute ſenes, & alij iuuenes
in ſenectute. Sunt, inquã, uiri quorũ animi ſenili grauitate cenſent, in quibus ætas ſene-
ctutis ſit uita immaculata, in quib. uigeat incana prudẽtia: qualis erat Hieremias, qui cũ
ſe iuuenẽ contuitu memoraret ætatis, & per iuuentutẽ excuſaret ꝙ prædicandi impar
Hier.1 officio uideret, ait illi dñs: Noli dicere, Quia iuuenis ego ſum: quia ad omnes ad quos-
cunq; miſero te, abibis. Ita iuuenẽ non putauit, quẽ aptũ propheticæ gratiæ iudicabat.
Pſal.102 Talis ergo iuuenis fuit Dauid, qui renouatus eſſet, & refloruiſſet (ut ipſe dixit) uelut a-
quilæ iuuẽtus ſua. Sic ergo intelligi oportet: Iuuenis fui, ſed ſanctificatus, ſed propheta
in Gentibus poſitus, qui iam poſſem regni cœleſtis ſacramẽta cognoſcere, & uera præ-
mia cõſiderare iuſtitię: ſed nõ uidi iuſtũ derelictũ. Poſtea quoq; alibi & uſu roboratus et
munere: Adquiſiui incremẽta ſapiẽtiæ. Eadẽ circa iuſtũ uiſa eſt mihi gratia permanere.
Explanauimus (ut potuimus) quomodo dixerit, Iuuenis fui: ſed quomodo addiderit,
Matth.20 Etenim ſenui, cõſideremus. Bona iuuẽtus, ſed melior ſenectus. Qui em̃ uſq; in finẽ per-
Gen.25 ſeuerauerit, hic ſaluus erit. Vnde nõ perfunctorie de patriarcha Abrahã dictũ eſt ꝙ nu-
2.Ioan.1 tritus eſſet in ſenectute bona. Et Ioannes ſenex cœpit ſcribere Euangeliũ, uel Epiſtolas:
qui cum refugeret Apoſtolũ ſe ſcribere, ſeniorẽ ſcripſit. Nec minor eſt æſtimatus, cui cy-
gnea quædã ſuppeteret gratia ſenectutis. Ipſe uas electiõis dominicæ ſcribẽs ad Phile-
monẽ ait: Cũ ſis talis, ut Paulus ſenex, nũc aũt & uinctus Chriſti Ieſu: obſecro te ꝓ meo fi-
lio quẽ genui in uinculis, Oneſimo. Volẽs itaq; illi plurimũ deferre, ſeniori Paulo eũ nõ
iuueni cõparauit: et ibi ſe ſenẽ eſt gloriatus, ubi iam in uinculis tenebat. Et uidete diſtan-
Act.7 tiam. Adoleſcẽs ſignificatus eſt in alterius paſſione, ſenex in ſua. Ibi ut adoleſcẽs, quia lu-
Ioan.2 dæorũ ueſtimẽta ſeruabat: hic ſenex, ubi ſui corporis exuuias exuebat. Deniq; & Petrus
ibi ſenex dicit, ubi certamẽ eſt paſſionis. Cũ iunior, inquit, eſſes, cingebas te, & ambula
bas ubi uolebas: cũ aũt ſenueris, extẽdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu
nõ uis. Hoc aũt dixit ſignificãs qua morte clarificaturus eſſet deũ. Ante certamẽ iunior
dicit, in certamine ſenex, qui omne certamẽ impleuerit. Hoc ergo dicit Dauid ille in iu-
uẽtute bellator, in ſenectute pacificus: Iuuenis, inquit, fui: ſed nolo me adhuc iuuenẽ pu-
tes. Etenim ſenui, & nõ uidi iuſtũ derelictũ, nec ſemẽ eius quęrẽs panẽ.] Quod eſt ſemẽ
Gal.3 iuſti? Abrahæ dictæ ſunt ꝓmiſſiones, & ſemini eius. nõ dicit, Et ſeminibus, tanq; in mul-
Ibid.4 tis, ſed ſicut in uno. Et ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Audi iuſti ſemen: Filioli mei, quos
ego parturio donec formet Chriſtus in uobis. Et nũc ſi quis ex Gentib. ueniẽs, ſermonẽ
audiat noſtrũ, & dñs iuuare digneť ut formet Chriſtus in animo eius, quo partus fidei fe-
rat: ſemen ei Chriſtus erit. Illic in utroq;. Abrahã itaq; & generationis pater erit ſecundũ
carnẽ, & is qui uerbũ domini in pectoribus iuſtorũ primus infuderit. Et ideo hoc ſemen
Abrahæ panes iſtos quibus præbeat corporalis alimonia, nõ requirit: quia habet panẽ
Ioan.8 iuſtitiæ, qui deſcendit de cœlo. Sicut em̃ negant filij Abrahæ qui opera Abrahę nõ fece-
rint: ita ſemen Abrahę ſunt, & inter filios recipiunt, qui opus eius effecerint. Verũ Abra
3.Reg.19 hæ ſemen Helias, cui angelus alimẽta prębebat, & in uirtute eſcę illius xl dierũ curricu
lis ambulabat. Nõ requirebat iſtã corporis huius alimoniã, uerũ ſemen Abrahę cui pa-
Ibid.17 nes deferebant de cœlo: deniq; corui ei quotidianũ conuiuiũ miniſtrabant. Ita indigus
erat omniũ, ut nihil haberet ſuum, & mittebatur ut uictũ alijs largiretur. Verum ſemen
Dan.14 Daniel, cui inter leones poſito aeria fercula per Abacuc prophetam referta meſſorum
epulis uehebantur. Eſt ergo panis angelorũ, quem manducauit homo. Sic enim ſcriptũ
Pſal.77 eſt: Panem angelorum manducauit homo. Hic eſt panis de quo dixit Dauid: Dominus
Ibid.22 paſcit me, et nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectiõis
educauit

educauit me. Bonus Dauid docuit me panem angelorum, & ipse me docuit aquam refectionis. Hæc refectio spiritualis est, hæc refectio requies est mentis internæ. Bona aqua, quæ peccatum lauat, mundat interna. Quæ sit aqua hæc, audiamus. Si quis, inquit, sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluēt aquæ uiuæ. Hoc autem dicebat de spiritu quē incipiebant accipere qui crediturī erāt in eum. Ergo nec hoc pane nec aqua refectionis indiget iustus, cui spiritus sanctus est requies & refectio. Quomodo autē poterit indigere, qui tota die miseretur & fœnerat? Quid est quod fœnerat iustus? Non æs, nō ferrū, non plumbū: sed argentū igni examinatum. Hoc defert ad mensam domini, & diuidit requirētibus: cui unā, cui duas, cui quinq; minas quotidie diuidit, & nunquam deficit. Sed fœnerationem audiuimus in lege reprehensam, dicente Moyse: Non fœnerabis. Duplex est fœneratio: una pecuniæ, altera gratię. Diuide utramq; quia scriptū est: Si rectè offeras, non rectè diuidas: peccasti: quiesce. Et tu rectè diuide, ne pecces. Ipse Moyses doceat te diuidere, qui admonuit rectè diuidē dum: ut sequaris quod Abel egit, qui rectè diuisit: fugias, quod Cain parricida fecit, qui rectè diuidere nesciebat. Diuidit ergo spiritus sanctus diuisiones, qui operatur omnia diuidens singulis prout uult. Ille prout uult, tu prout potes, prout ingenio uales, diuide quando lex de pecunia dicat, quādo de gratia. Dixit enim tibi: Fœnerabis Gentibus, cuius dominus usuras exigit: tu autē non mutuaberis. Est & pecunia fœnoris, est & gratia, ius dominus usuras exigit. Pecunia fœnoris, ęs habet: gratia fidē confert. Fœnerato ergo fidē Gentibus, ut tibi abundet gratia. Tu autē noli mutuari quasi indigus: sed quasi diues & locuples fœnerato. Fœnerauit Petrus, fœnerauit Paulus, fœnerauit Ioānes Euangelista, uel uterq;, & nō indiguit: hoc est, fœnerarunt pecuniā Christi, non fœnerarūt pecunias ad usurā. Fœnera ergo, & noli desistere fœnerare. Audis quid dicat scriptura: Tota die miseretur, & fœnerat. Iustus per diē fœnerat, auarus in nocte. Gratia enim lucis est auaritia autē usura tenebrarū est. Et ideo semen fœnerantis fidē, in benedictione erit, habens utiq; præmium benedictionis. Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in secula seculorum: Quoniam dominus amat iudicium, & nō derelinquet sanctos suos: in ęternum conseruabuntur. Iniusti autem punientur, & semen impiorum peribit. Iusti hæreditate possidebunt terram, & inhabitabūt in seculum seculi super eam.] His uersiculis demonstrat propheta quòd pertineamus ad dominū, & ipse arbiter cogitationum operationumq; nostrarū sit, spectans merita singulorum, qui nihil sine iudicio agit, sed malos & bonos actus iudicio discernit. Declinandum ergo est à malo, & faciendum bonū. Ne bona malaq; confundas, prius est ut crimine careas: postea ut innocentiæ fructum deferas, quo possis esse perpetuus. Noli putare quòd deum tua peccata prætereant. Sic enim pleriq; labuntur. Ipse uniuersa cernit & damnat, & impiorum semen exterminat. Semen utiq; non corporalis generationis, sed mentis internæ & impietatis successionem. Nam utiq; Iob de semine Esau genitus scripturę testificatione signatur. Quomodo ergo semē Esau periit in Iob, cum tantus iste uir fuerit, ut uenturū in terras dominū præuideret, qui cetum istius seculi diabolū subiugaret? Ergo hoc quæritur, ne malitia transfundatur in posteros. Hoc per baptismatis sacramentū Christus operatur, ut exuat unusquisq; quod natus est: induat, quod renatus: fiat non famulæ hæres, sed gratiæ, ut perpetuū domicilium habitationis æternæ sibi possit adquirere. Qui autē habitare meruerit in seculum seculi, & ipse honorificabit deum in secula seculorum. Vbi moralibus iustū instituit disciplinis ut qualis deberet esse, te doceret, quæue esset perfecte forma iustitiæ, ad sapientiam & theoremata mentē uult eius assurgere: & excitat eius intentionē, ut spectet intento corde cœlestia, & diuina intra se uoluat oracula, atq; ad ea quæ complaceant deo, suum informet affectum: sit meditatus in lege, nec ulla eum domini mādata prætereant. Modos diuini sacramenti cognosce. Deniq; ab hinc uide in præceptis sanctum prophetam assurgere: Os iusti meditabitur sapientiā, & lingua eius loquetur iudicium: lex dei eius in corde ipsius, nec damnabit, inquit, eum dominus, cum iudicabitur illi. Expecta dominū, & custodi uiam eius, & exaltabit te ut hæreditate possideas terram, cū perierint peccatores, uidebis. Vidi impiū superexaltatum & eleuatum ultra cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eū, & non est inuentus locus eius.] Superiora moralia, hæc intelligibilia. Quod est iusti os quod meditabitur sapientiā, nisi interior homo? Duo sunt enim

Ioann. 7

Deut. 23

Genes. 3

1. Cor. 12

Deut. 15

homines in singulis:unus interior,alter exterior. Interior cogitat quæ mentis sunt,quæ mentis sunt loquitur,exterior quæ sunt corporis. Tamẽ aduenies dominus utrũq; conIunxit,& duos in uno homine cõdidit,ne diuersis sese impugnẽt motibus, sed inuicẽ sibi uoluntatũ suarũ unitate sociẽtur.Ideo os iusti meditabit sapientiã.Iam enim & ipse exterior homo iusti in interioris hominis transfusus est disciplinã:& in eius cõformatus natura,ipsius exercet officia,ut caro meditetur quod mẽtis internæ est. Sed ne hoc incredibile tibi uideatur, audi dicentẽ quia dominus Iesus trãsfigurabit corpus humilitatis nostræ,ut cõforme fieret corpori gloriæ suæ. Quis audeat dicere carnẽ sine peccato, carnẽ assumptam ex uirgine,carnẽ spiritu dei in Mariam superueniente generatã, quæ in nullo discrepauit à sapientiæ disciplinis,interioris hominis exortẽ fuisse uirtutũ,nec in usus eius transire potuisse,cum supra hominẽ fuerit quòd tactu eius sanabantur ægroti,ęcis refundebatur aspectus,mortui resurgebant? Competenter ergo scriptũ est:Os iusti meditabitur sapientiã:eò quòd totus homo sit spiritualis,nõ utiq; terrenus. Qualis enim terrenus,tales & terreni:& qualis cœlestis,tales & cœlestes. Abijt ergo terrenus, remansit cœlestis.Ideoq; in tempora redemptoris referẽs propheta,meditabitur, dixit:licet unus è pluribus meditatur,scripserit.Nec abhorret à sensu,quia prophetarũ spiritui futura pro præsentibus sunt.Alij putant os pro mente dictũ.Pulchre autẽ istud exposuit nobis Salomon dicens:Narratio iusti semper sapientia:stultus autẽ sicut Luna immutatur,id est, quòd sæpe uarietur,nec in sua perseueret sentẽtia,& tanquã in tenebris lumen uideatur offundere,nec tenere.Sit ergo nobis semper in corde & ore meditatio sapientię, & lingua tua loquatur iudiciũ,lex dei tui in corde tuo sit.Ideo tibi dicit scriptura:Loqueris in illis sedens in domo,ambulans in uia, dormitans,resurgẽs. Loquamur ergo dominũ lesum, quia ipse est sapiẽtia,ipse est uerbũ,& uerbũ dei.Nam & hoc scriptum est: Aperi os tuũ uerbo dei.Ipsum spirat,qui sermones eius resonat,& uerba meditatur.Ipsum semper loquamur.Cum de sapiẽtia loquimur,ipse est.Cum de uirtute loquimur,ipse est. Cũ de iustitia loquimur,ipse est.Cũ de pace loquimur,ipse est.Cum de ueritate & uita & redemptione loquimur,ipse est.Aperi os tuũ dei uerbo.Scriptũ est: Tu aperi,ille loquetur.Ideo dixit Dauid:Audiam quid loquatur in me dominus.Et ipse dei filius dicit:Aperi os tuũ, & adimplebo illud.Sed non omnes ut Salomon possunt percipere sapientiæ perfectionem:non omnes ut Daniel.Omnibus tamẽ pro possibilitate infunditur spiritus sapientiæ,sed omnibus qui fideles sunt.Si credas,habes spiritum sapientiæ.Ideo Sapiens dicit: Credidi:propter quod locutus sum.Cum crediderís,accipies loquendi gratiã.Et qui credidit,redimitur:& qui orat,redimitur,si pie intendat orationibus, & in oratione assiduus sit.Diẽ præueniat,noctẽ frequentet,soli matutinus occurrat, ut ante ipse illuminetur à Christo,quã terra solis exortu.Et qui psallit,redimitur:& qui cõpungitur,redimit. Ideo semper meditare,semper loquere quæ dei sunt,sedẽs in domo. Domũ possumus accipere Ecclesiã,possumus accipere domũ interiorẽ in nobis: ut intra nos loquamur.Sedent iudices in Hierusalẽ:sederũt sedes in iudicio.Sedit etiã iudicũ cõsiliũ,& libri aperti sunt, propheta dicit,& tu cũ consilio omnia fac.Cũ consilio de factis tuis iudica:cũ cõsilio utum bibe:cũ consilio loquere,ut effugias peccatũ,ne incidas per multiloquiũ. Sedẽs loquere tecũ,quasi qui iudices.In uia loquere,ne unquã uaces.In uia loqueris,si in Christo loquaris,quia uia Christus est. In uia loquere tibi, loquere Christo. Audi quomodo illi loquaris. Volo,inquit,uiros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.Loquere ô homo dormitãs, ne tibi somnus mortis obrepat. Audi quomodo dormitãs loquaris.Si dedero somnũ oculis meis,& palpebris meis dormitationẽ,donec inueniã locũ domino,tabernaculũ deo Iacob. Vince naturã diligẽtia, exclude corporis somnũ.Naturã nobis formare nõ possumus,possumus diligentiã.Homo erat Dauid:indulgebat aliquid somno per noctẽ,sed excludebat somnũ lauans per singulas noctes lectum suum,& lachrymis irrigans stratũ suũ.Ideo memor erat in stratu suo semper domini sui,& in ipso meditabatur ut diluculum prẽueniret, & in tenebris ei illucescret Christus dicens:Surge qui dormis. Nam in omnibus hæc gratia est:sed potest esse & in pluribus diligentia.Ne igitur expectes ut excitet te Christus, sed potius Christũ excita. Excitat eum qui de ipso dormitans cogitat.Si tu illum excitaueris,& ipse te excitabit à somno,resuscitabit à morte,dicẽs tibi:Exurge à mortuis.Cũ surges ergo uel resurges,ipsum loquere,

Philip.3

1.Cor.15

Eccle:27

Deut.6

Psalm.84

Psalm.115

1.Tim.2

Psalm.131

Psalm.6

Ephes.5

loquere,ut impleas quod iuberis. Audi quomodo te Christus excitet. Anima tua dicit: Vox fratris mei pulsat ad ianuã. Et Christus ait: Aperi mihi soror mea sponsa. Audi quomodo tu exsuscites Christũ. Anima dicit: Adiurauí uos filiæ Hierusalem, si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem. Charitas Christus est. Audi etiam quomodo dormiẽs lo- quaris. Ego dormio, & cor meum uigilat. Hæc communiter. Attolle nunc paulo altius mentem tuam. Loquere sedens in domo, in hac terrestri domo huius habitationis, quæ dissoluitur, in qua peregrinamur à domino. In corpore enim isto positi, dum superuesti- ri magis quàm expoliari uolumus, exulamus à Christo, & grauiter ingemiscimus. In hac sedens ergo confitere peccata tua: quia sedisti, & nõ stetisti, & nõ dixisti: Stantes erãt pe des nostri in atriis tuis Hierusalẽ. Loquere magis, & noli occultare delicta. Loquere se- dens, ut audias dicentẽ: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Lo- quere in uia ambulãs, id est, carpens uitæ istius cursum. Hic loquere, ne illic obmutescas: sicut ille obmutuit qui Angelo Christi antè non credidit: postea tamen cum credidisset, uocem recepit. Loquere dormiens & quiescens, consepultus in Christo, ut cũ ipso in no uitate uitæ resurgas. Loquere etiam sepultus in tumulo: sicut loquebantur animę sancto rum petentes de mortis authore uindictam: Vsquequo domine sanctus & uerus non iudicas & uindicas sanguinem nostrum? Loquere postremo cum surgis, sicut docuit il- le qui dixit: Ego dormiui, & quieui, & resurrexit: quoniam dominus suscipiet me. Et illic ergo os iusti meditabitur sapientiam, donec ad sublimiora tabernaculi secreta cœlestis, ac sacræ plena iucunditatis atq; lætitiæ ipse perueniat: quemadmodum scriptura nos do cuit, dicente Dauid: Hęc recordatus sum, & effudi super me animam meam: quoniam in grediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum dei. In uoce exultationis & confessionis, sonus epulantis. Ergo & sedentes in hac corporea domo, & egressi hinc, atq; ambulantes in uia, cum rapiemur, si meremur, obuiã Christo: & dormientes loque- mur. Accipe tertiam ἀναγωγὴν qua se anima eleuat iusti. Est enim quidam spiritalis som- nus intelligendus, de quo Salomon ait: Si enim sedeas, sine timore sedebis, si dormias, suauiter requiescas, & non timebis pauorem qui superueniet tibi, neq; impetus impio- rum superuenientes tibi. Cum suauitate requiesces, & pauorem & superueniẽtes impio rum impetus nõ timebis, si lingua tua loquatur iudiciũ dei, & semper illud ante oculos habeas, ut peccato locum nullũ relinquas: & noueris quod delicti preciũ supplicij retri- butione soluetur. Ipse enim hoc in nonagesimo interpretatus est Psalmo, dicens: Non ti mebis à timore nocturno, & à sagitta uolante per diem: à negocio perambulante in tene bris: ab occursu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem milia à de- xtris tuis: ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis considerabis, & re- tributionem peccatorũ uidebis. Iustus enim cum loquitur iudiciũ dei, uel cum loquitur quæ iusta sunt, & ueri plena iudicij, non cum iracundia loquitur, non ex animi mœren- tis afflictione, non ex dolore, non ex aliqua passione, sed loquitur ex ueritate, loquitur ex æquitate: ut non propendeat affectu, sed quæ loquitur, uero pendat examine. Iudicat enim quæ dicenda sint, uel non promenda. Cui simile est illud, Labia sapientiũ alligata sunt sensu, eò quòd omnia quæ loquuntur, uero sensui conuenire uideantur, & sensus sui ſtro quodam nexuq; labiorũ in ijs autem quæ oporteat dici, labiorum uincula resoluan- tur. Merito ergo præmisit: Os iusti meditabitur sapientiã. Meditatio enim diuturna ple num poterit habere iudicium: quod loquetur iustus in tempore cum ea quæ perfecta sunt, facie ad faciem uiderit. Nunc enim de ijs quę nõ comprehendimus, loqui uera non possumus. Denicq; nec Paulus præsumpsit dicere, qui raptus in paradisum audiuit secre- ta cœlestia: sed uolens non in ijs errare quæ dicere ait: Quàm inscrutabilia sunt iudicia dei, & inuestigabiles uiæ eius? Nunc autẽ absolutus corpore, forsitan inuestigabiliũ uiarum genera, & iudicia eius, quæ sicut abyssus multa sunt, comprehendit. Adhuc iusti tiæ forma describitur & augetur, dicente scriptura: Lex dei eius in corde ipsius, & non supplantabũtur gressus eius.] In corde iusti lex dei est. Quę lex? Non scripta, sed natura- lis. Iusto enim non est lex posita, sed iniusto. In corde eius lex est, non perfunctorię, sicut in labijs ludæorũ. Corde enim creditur ad iustitiã. Qui credit, & loquitur: qui autẽ loqui tur, non cõtinuo credit. Denicq; nõ credidit populus, de quo dictũ est: Populus hic labijs me hono-

Cantic. 5
Cantic. 2
ibidem.
2. Cor. 5
Psalm. 121
Psalm. 126
Luc. 1
Apoc. 6
Psalm. 3
Psalm. 41
Prouer. 3
Prouer. 15
Rom. 11
1. Tim. 1
Rom. 10
Esa. 29
Rom. 2

me honorat: cor autem eorum longe est à me. Si igitur gentes cum ea quæ legis sunt fa-
ciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscentes quæ sequi debeant uel cauere: quanto magis fide-
lis & iustus, qui ad imaginem & similitudinẽ dei uiuit, decora nouit & honesta decerne
re, & uti legitimo quodã naturalis sapientiæ gubernaculo, ne eius supplantentur uesti-
Genes. 25 gia, sicut Esau, quẽ propter gulæ auiditatem frater supplantauit ut caderet, atq; in mortẽ
uestigia eius effudit? Quo magis iustus est quisq;, eo magis illi insidiat inimicus: & ideo
ait scriptura: Considerat peccator iustum, & quærit perdere eum. Dominus autẽ non de-
relinquet eũ in manibus eius, nec damnabit eum cũ iudicabitur illi. Videns ergo pecca-
tor quia iustus in ore suo loquitur, in corde meditatur sapientiã, quia in lingua sua iudi-
cium loquitur, quia in corde suo legẽ domini custodit: mortẽ peccati ei conatur inferre:
sed dominus tuetur eum. Et ideo nõ timeamus insidias peccatoris: quoniã deus pro no-
Rom. 8 bis est. Si ergo deus pro nobis: quis contra nos? Propterea non derelinquet iustũ suum
deus, nec damnabit eum cũ habuerit de ipso iudiciũ. Verus enim iudex est: & ideo iusti-
tia non potest periclitari. Vnde & Aquila dixit: Nec damnabit eũ in iudicando eo. Sym
machus: Nec damnabit cũ iudicatur iustus. Sed quia Septuaginta uiri sic posuerũt: Cum
iudicabitur illi: putamus quòd ad illud respexerit, quia scriptũ est: Quoniã ipse dominus
Psalm. 50 ueniet in iudiciũ. Sed in quod iudiciũ? Audi dicentẽ: Tibi soli peccaui, & malũ coram te fe
ci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cũ iudicaris. Ideo ergo præbet se dominus
Mich. 6 audiendum, ut de se iudicetur: quo magis uincat. Quomodo se præbeat, audi: Populus
meus, quid feci tibi? aut in quo cõtristaui te? aut quid molestus tibi fui? Responde mihi.
Esa. 43 Quia ex Aegypto eduxi te? & de domo seruitutis liberaui te? Et alibi: Ego sum, ego sum
qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autẽ memor esto, & iudicemur. Graue
hoc iudiciũ, cũ dominus de se postulat cõtra hominẽ iudicari. Quid enim respondeas ei
qui uniuersa tibi cõtulit, omnibus te præfecit? Subiecit tibi Aegyptios, ad quos hospes
adueneras, infectantes postea mari mersit. Ille tuos deleuit hostes, atq; subuertit. Ille te
creauit & condidit, ille suo sanguine te redemit: & tu tradis te ut seruias eius inimico? Il-
le tibi omnia peccata dimisit, & tu grauiora cõmittis? Vocabit te, in iudiciũ uenies: quid
responsurus es ei, qui nisi iterũ tibi donet, periisti? Ideoq; uidens sanctus Dauid hac qua-
Psalm. 142 dam moralitate dei amplius se grauari, iudiciũ refugit, misericordiã poscit, dicens: Et ne
intres in iudiciũ cum seruo tuo: quoniã non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs.
Confitetur se in tenebris sicut mortuum seculi collocatum. Caute sicut mortuũ seculi di-
xit, non mortuum. Non enim mortui seculi, sunt qui moriuntur in Christo. Illi autẽ sunt
mortui seculi, qui omnem uitam suam qua uixerunt in seculo, in interitu & morte con-
Ibidem. stituunt. Et ideo quasi desperatus ad remedium confugit, dicens: Cito exaudi me domi-
ne, quia defecit spiritus meus. Talis enim iudicij proposita sibi oblatione defecit, in quo
examinanda ueritas foret potius quàm misericordia conferenda. Tamẽ tam pius est do-
minus, ut etsi nemo iustificetur in conspectu eius uiuens (quis enim quamuis iustus non
obnoxius est peccato? aut cuius talis est uita, ut digna iudicetur dei similitudine? utiq;
ad imaginem & similitudinem dei factus, debet sicut deus sine peccato esse. Quia ergo dignus est pœna qui gratiam tantam
dominicæ operationis, & similitudinem diuini decoris amisit? Sed quia misericors est:
etiam si ipse se iudicio subijciat, iustũ tamen non iudicat, sed iniustum. Iusto parcit, quasi
conditionis fragilitate peccanti: iniustũ punit, quasi qui detestetur ingratũ. Deinde etiã
si multa habeas opera iustitiæ, noli esse impatiens, atq; arrogans, quo præmia tibi iusti-
tię in hoc seculo existimes flagitanda, aut indigne tibi aduersa accidisse aliqua conque-
raris. Quamdiu enim uiuis, certamẽ tibi debetur, non prẽmium. Expecta ergo uel auxi-
liatorẽ dominũ uel remuneratorem: Et custodi uias eius.] Hoc est expectare, eius quem
expectandũ putas, mandata conseruare. Etsi conteraris, etsi affligaris, etsi ægritudine de
ficias, tamen expecta dominũ non te confundet spes. Veniet dominus, & exaltabit te, ut
hæreditate possideas terrã.] Liquet superiorẽ esse terrã, non istam in ualle terrenã: sed il
lam quæ est repromissionis æternæ: in qua quicunq; cõstituitur, exaltatur à domino. Vi
debis autẽ cũ pereunt peccatores.] Tunc enim iustorũ remuneratio erit, cum iudicium
fuerit de meritis impiorum. Sed nõ uno genere pereunt peccatores. Antè tibi pereunt,
si eorũ potentiã, diuitias non mireris: si nõ te moueat cum eos honoribus, liberis, amicis
abundare

abundare cognoueris. Hæc enim seculi sunt, & seculum seculari subiacet malignitati: & princeps mundi ijs qui sibi seruiunt, fauet, secundum illud: Omnia tibi dabo si procidēs adoraueris me. Quid quæris ut ea tibi dentur, cum ipse impius qui dat, in eis diutius esse non possit? Transit etiam ipse: quomodo possunt non transire quæ contulit? Tu modo constantem animum gere, iustitiam tene, nemo te moueat, & uidebis nihil esse impium. Denicq; audi dicentem: Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.] Vidi eum in seculo hoc, uidi oculis corporis. Vidi etiam eleuantem se & superexaltantē sermonibus suis, æstimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quomodo se superexaltat? Ponam, inquit, thronum meum super nubes: & ero similis altissimo. Exaltat se, ut uideas eum sicut cedros Libani superexaltatas, & ipse altæ sunt, & in monte sunt altissimo. Merito ergo superexaltatæ sunt: & superexaltatus uidetur impius, qui se in illo monte constituit, de quo scriptum est: Si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis huic mōti: Tollere, & iactare in mare. Huic. Cui? Dæmonio, inquit, à quo iste inuasus fuerat & oppressus, quē miramini esse sanatum. Ideo charitatem magis habet in Christo, quàm potestatem in diabolo. Vides cedrum in monte altissimo superexaltatam: sed uento frangitur, sed igni exuritur, sed uetustate dissoluitur. Ita est diues in seculo. Fulget quidē splendore quodam gratiæ secularis ut Libanus, nixus est mundi potentia, opibus & diuitijs exultat. Videtur tibi aliquid esse ante quàm dicas: Transiens uidebo. Sicut enim Moyses animo & mente transiuit materialia, & deum uidit: ita & tu si transeas hinc, ad dei gratiā uestigiū tuæ mentis attollēs: uidebis eum nihil esse qui in hac terra sibi potentissimus uidebatur. Ideo animæ tuæ dicit, menti tuæ dicit deus uerbū: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano: transibis & pertransibis. Si transeas seculum tuum, pertransies ad paradisum. Audi transeuntē: Memento mei domine cū ueneris in regnum tuum. Audi iterū pertransuentē. Amen amē dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Quid est, Ecce non erat? In principio utiq; uerbum erat. Et qui uerbum uidet, qui particeps uerbi est, utiq; & ipse est: quia uerbum dei semper est. Et sermo qui de ipso est, non est, est & non, sed est: & manet in eo qui sequitur deum. Qui autem nescit uerbum, non est: quia non adhæret ei qui dixit: Ego sum, qui sum. Qui autem adhæret ei, unus spiritus est. Vbi autem spiritus, ibi & uita. Ideo tibi dicit scriptura de deo: Qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, hoc est, uocat Gentes quæ non erant, tanquam populum suum qui erat. Erant enim patres nostri, qui erant electi dei. Et alibi dicitur: Cognouit dominus qui sunt ipsius: non cognoscit eos qui non sunt. Et Hester ait: Non des uirgam regni tui ijs qui nō sunt. Rectè ergo iustus dicit: Et trāsiui, & ecce non erat, hoc est, uidi eū superexaltatum in seculo antequam considerarē quia nihil est seculum. Vbi autem transiui mente supra mundum, uidi quia iam nō erat qui antè erat superexaltatus in hoc mundo. Et tu si iustus es, transi à præsentibus ad ea quæ futura sunt: & transibūt tibi præsentia. Cœlū & terra transibunt: uerba autem mea non præteribunt. Iusto ergo omnia transeūt. Transit impius, similis uanitati, & dies eius sicut umbra prætereunt. Nec solū prætereūt iusto præsentia, sed etiā cum ad ea quæ sunt futura ſnterierit, iam ista prætereūt. Vide quomodo iusto præsentia prætereunt. Vtiq; temporibus Dauid prophetæ Synagoga erat, Ecclesia ex Gentibus nō erat: & idē futuris quasi præsentibus dicit: Benedicite Gentes deū nostrū. Deinde supra ait: Ascendit deus in iubilatione. Transiuit perfidię uentura tempora, non ætate, sed mente: & resurrectionem domini multo post seculo futurā pia fidei deuotione celebrauit, dicens, Psallite deo nostro psallite, psallite regi nostro, psallite. Quasi interesset ipsis Christi & Ecclesię nuptialis copulę sacramentis, ita tripudiat & gaudet. Caussam quoq; celebritatis expressit dicēs: Regnabit dominus super omnem terram. Ergo si nos prætereamus, & illa præteriisse quę futura sunt, nobis uidentur: ut si in nauigando terram prętereas, illam quoq; uideas prętecum eam fugiunt nauigantes, ipsa potius fugere uidet à nauigātibus. Et tu si fugias mundum hunc, & ipse te effugiet: si prętereas terram hāc, & ipsa te pręterit. Et tu in mari hoc nauigas, & in hoc seculo fluctuas. Fuge terram, saxa habet, lapides habet, sicut scriptum est: Lapides de uia proijcite. Si festines per aeriū hoc profundum ad portum diuinę uoluntatis, uidebis tibi hęc omnia pręteriisse. Quid enim interest utrum prętererint, an tibi ea

Matth. 4
Galat. 6
Esa. 14
Matth. 17
Luc. 23
Exod. 3
Exod. 3
1. Cor. 6
Rom. 4
2. Tim. 2
Matth. 24
Psalm. 143
Psalm. 46
Ibidem.

tibi ea iudices præteriſſe? Eſt & alius impius qui uidetur exaltatus & eleuatus ſuper cedros Libani: & ſi tranſeas, nõ erit, nec locũ eius inuenies. Vide mihi ſcribam Iudaicũ reddentem ſeriem ueterum ſcripturarum, ſed non ſequentem. Audis quia labijs reddit, miraris ut doctũ. Interrogas quid ſentiat. Reſpondet ſecundum literam, percurrit hiſtoriã. Superexaltatus uidetur tibi & eleuatus ſi literã cogites. Tranſi ad intelligentiam ſpiritalem, quia lex ſpiritalis eſt, uides illum nihil eſſe, tum dicis: Vidi impium ſuperexaltatum, & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Quæſiui eſt ubi eſſe debuerat: ubi uita eſt, non illum inueni. Non erat ibi ubi uita erat, quia mortuus erat, & ideo nec locus eius inuentus eſt. Qui enim mortui locus, qui non erat, nec fuit unquam? Non enim fuit, qui in litera erat. Litera enim occidit, ſpiritus autẽ uiuificat. Quæſiui ergo eum, ut inuenirem: ille ſe non præbuit, ut inueniretur, hoc eſt, ego eum uolui conuertere: ille ſe mihi præbere noluit ut cõuerteretur. Feci quæ erant quærentis: illere fugit ea quæ eſſe debuerant reuertentis. Deniq; anima quæ cõuerti uult, uerbũ requirit & cum inuenerit, dicit: Tenui eum, & nõ dimittam eum, hoc eſt dei filiũ, dei uerbum. Inſtum autem, qui ſanari noluit, quæſiui eum, & non inueni eum, & ideo non illũ imiteris. Cuſtodi innocentiam, & uide æquitatem.] Qui cuſtodit innocentiã, æquitatẽ uidet: quoniam qui mundus eſt, deum uidet, cuius uirga recta eſt, directa iuſtitia, ut auerſetur eos qui declinauerint ad ſtudia prauitatis. Bona innocentia, quę deum uidet. Deniq; alij poſuerũt: Cuſtodi perfectionem. Perfectus eſt enim qui malitiã neſcit, nec dolũ nouit. Iudeo, inquit, cuſtodi perfectionem, quia ſunt reliquię homini pacifico.] Reliquiæ dicuntur hominis de corpore mortui, de eius exuuijs. Ideo reliquiæ, quia poſt mortẽ hominis uident ſupereſſe. Superſunt enim quę ſeruant ad reſurrectionẽ. Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionẽ, & hoc mortale induere immortalitatem. Ergo magis reliquiæ ſunt hominis ſpes reſurrectionis, & fides cõuerſionis, & gratia dilectionis: quoniam impij non reſurgunt in iudicium. Vita autem iuſtorum nota eſt deo, & iudicio domini comprobatur. Huic loco pulchre illud conuenit: Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Iniuſti autem diſperibunt: reliquiæ impiorum interibunt.] Iuſtorum reliquiæ uirtutes ſunt: impiorum reliquiæ, improbitas, atq; perfidię peccatũ. Ea delebuntur ut non ſint. Salus autẽ iuſtorum à domino.] nõ à ſeculo, non ab elemento. Cœlum & terra prẽteribunt. Non cõmitto ſalutem meam cœlo, quia & ipſum prẽterit, quia de pluribus cœlis dictum eſt: Ipſi peribunt, tu autem permanes. Deo ſoli committo, qui permanet, qui poteſt peccata donare, ut protector meus ſit in tempore tribulationis, & adiuuet me, & liberet me, & eripiat me à peccatoribus iudicij ſui tempore: & ſaluum me faciat, quoniam ſperaui in eum. In ipſum ſolum ſperaui. Non uult enim nos & ſibi & alij ſeruire. Qui ipſi ſoli ſeruit, liberatur: quoniam ipſi eſt laus, gloria perpetuitas à ſeculis, & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pſalm. 36

2. Cor. 3

Cantic. 3

1. Cor. 15

Pſalm. 1

Rom. 11

Matth. 24

Pſalm. 101

In Pſalmi XXXVII. enarrationem præfatio.

D Epœnitentia duos iamdudum ſcripſi libellos: & iterũ ſcribendum arbitror. Primum, quia utile eſt uel quotidie ueniam delictorum precari, deinde quoniam in illis duobus libellis, adhortatio pœnitentiæ uel profectus eſt, ſi geratur: nunc quemadmodum agi pœnitentia debeat, exprimẽdum eſt. Nihil enim prodeſt agere, niſi ita agatur ut oportet. In quo ſanctus Dauid ſequendum nobis propoſuit magiſterium, qui ideo mihi uidetur guſtaſſe peccatum, ut doceret quemadmodum peccatum poſſet aboleri. Vnde enim medicina niſi de uulnere ſumpſit exordium? Dum prima ætas generis humani docet alios quod ſibi profuit, & quemadmodum uulnus ſuum ſanauerit, alijs oſtendit, uſus artem fecit, & ęgritudo magiſterium. Ipſa eſt enim prima & ualida ſecta medicinæ quam experientia non coniectura formauit. Ideoq; ab experientia, ἐμπειρικοὶ primo medici ſunt uocati, & ex ea ſecta cęterę deriuatę ſunt, atq; ab ea uſum quendam ſuæ ſumpſere uirtutis. Quid autẽ eſt ad cohortationem pœnitentiæ ualidius, quã quod ſanctus propheta Dauid peccatorũ noſtrorũ nos docuit pœnitere? Quis eñ dedignetur humiliare ſe deo, cũ rex ſe humiliauerit? Aut quis dubitet affligere animam ſuã, cum Propheta tãtus afflixerit, ſoluẽs preciũ lachrymarũ pro redẽptione peccati? Et quanuis toto ſcriptorum ſuorũ corpore gerendæ pœnitentiæ præcepta diffuderit (quis enim eius Pſalmus non medicamentum eſt conſcientiæ peccatricis? cum alibi quemad-

modum

modum impulsus sit, alibi quemadmodum conturbatus, ostenderit, ut non solũ quemadmodum sint sananda, sed etiam quemadmodũ cauenda uulnera, demõstraret, & suo nos doceret exemplo: quis autem stare se credat, ubi lapsus est etiam fortior? tamen in tricesimo septimo Psalmo maiorem uim doloris interni, & lamentabilis deplorationis expressit. Denique in exordio ipse nos titulus admonet huiusmodi præcepta formari. Sic enim legimus: In cõmemorationem, inquit, diei sabbati Psalmus Dauid.] Plena enim est definitio pœnitentiæ, cõmemoratio delictorũ, ut unusquisque peccata sua uelut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, & cõmissa sibi flagitia condemnet. Sic enim docemur dicente domino: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Et Apostolus ait: Ore cõfessio fit ad salutem. Sed forte moueat quia non dixit peccatorum cõmemorationem, sed diei sabbati, aut (sicut alius habet) sabbatorum. Quid est ergo sabbatũ, nisi requies futurorum, leuamen præsentium, quo lex iubet hominum opera feriari, onera deponi? Quæ sunt grauiora onera, nisi nostra peccata? Hæc deponuntur in sabbatorum diebus: hoc est, in hoc uitæ istius tempore. Septem enim diebus hebdomas omnis concluditur, sex diebus mũdus iste formatus est, septimo die requieuit dominus ab opere suo: qui in nostra mansuetudine requiescit: sicut ipse dixit: Super quem requiescam, nisi supra humilem & mansuetum? Absolue ergo omni sabbato & alleua põdus errorum, ut securus ad illius futuri sabbati requiem peruenire merearis. Nam si hinc peccata grauia portaue ris, illic requiem non habebis. Exonera igitur tuam mentem, reijce omnia quibus conscientia grauatur & premitur, ne fiat fuga tua hyeme uel sabbato. Vita hęc in labore est, illa in requie. Leuiorem te seculi huius reperiat consummatio, ne oneratus peccatis fugere non possis. Antè fuge, ut præuenias. Fugit seculum, qui seculi illecebris non tenetur, qui se omni cura eius absoluit. Fuge etiam futuram, hoc est iudicij diem. Fugit eam qui egerit pœnitentiam. Sic enim definiuit Baptista Ioannes, dicens: Generatio uiperarum, quis uobis demonstrauit fugere ab ira uentura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Audistis hodie legi quia Ioannes baptizabat in Aenon iuxta Salim. Aenon dicitur oculus supplicium. Salim ipse ascendens. Hoc habet interpretatio. Qui ergo baptizari eligit, supplicia præuidet. Et ideo confugit ad baptismatis sacramentum, ut peccatum omne deponat, ne obnoxius incipiat esse supplicijs. Et forte supplicia præuidet qui baptizatur baptismo pœnitentiæ: at uero ille gratiã spectat, qui baptizatur in Christo. Baptismus ergo Ioannis, oculus supplicium est: baptismus Christi, oculus gratiarum. Tametsi in Aenon baptizabat Ioannes, iuxta ascendentem baptizabat. Hoc enim & ista habet interpretatio, ut Salim dicatur ipse ascendẽs. Proximus ergo erat Christo, qui eius nunciabat aduentum. Etenim filius hominis qui descendit de cœlo, ipse est & qui ascendit in cœlum, ut impleret omnia. Sed quia qualis cœlestis, tales & cœlestes: ille ascendit in cœlum, qui terrena deponens consepelitur in Christo, ut cũ Christo resurgat à morte peccati ad nouitatem uitæ, hæreditatisque consortium, ut fiat sicut scriptũ est: Dei hæres, Christi cohæres. Vera ergo medicina est gerere pœnitentiam: quæ tũc legitime prædicata est, quando medicus uenit è cœlo, qui non exasperaret uulnera, sed sanaret. Bonus medicus, qui docuit quemadmodum in hac terra corporis nostri remedia quæreremus, cum flos nobis herbæ salutaris oriretur, qui de peccato dãnauit peccatum in carne. Antidotum ergo facta est caro, quę erat uenenum antè peccati, quia erat illecebra peccatorum. Audi quemadmodũ antidotum caro. Dei uerbum factũ est caro, misit manum in cauernam aspidum: uenenum euacuauit, peccatum abstulit: id est, de peccato damnauit peccatum in carne. Et ut hoc possit plenius considerari, ipsum Apostoli capitulum recenseamus. Nanque ita scriptum est: Deus mittens filium suũ in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, ut non secundum carnem ambulemus, sed secũdum spiritum. Venit ergo Dei filius in similitudine carnis peccati. Non utique in similitudine carnis uenit, qui uerã carnem suscepit: sed in similitudine carnis peccati, id est carnis peccatricis. Facta enim erat fraude & ueneno infusa serpentis caro nostra caro peccati. Postquam est obnoxia facta peccato, facta erat caro mortis: quia erat morti debita. Huius carnis iam reæ, iam præiudicatę similitudinem Christus in sua carne suscepit: quia etsi naturalem substantiam carnis huius susceperat, non tamen cõtagia ulla susceperat, nec in iniquitatibus cõceptus,

Esa. 43 Roman. 10
Esa. 66
Matth. 24
Luc. 3
Ioann. 3
Ephes. 4
1. Corint. 15
Roman. 8
Ibidem
Esaiæ 11
Roman. 8

Ioann. 1 & natus est in delictis, qui nõ ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed de spiritu natus ex uirgine est. Quid ergo est: De peccato damnauit peccatum in carne? Vtrũ de similitudine carnis peccati? an quia peccata nostra Christus non usu sed qualitate suscepit: non crimine, sed suę misericordię sacramento, & peccatũ pro nobis factus est, qui peccatũ ipse non fecit? An uero quia de ista carne peccati, hoc est nostra hac obnoxia & præiudicata dãnauit peccatũ in carne, docendo quemadmodum in carne positi non secundũ carnem ambulemus, sed secundum spiritum? Peccatũ quippe est secundũ carnem ambulare: quia luxui & uoluptatibus & lasciuijs & carnis cupiditatibus uiuit, qui secundũ carnis sapientiam cõuersatur. Sapientia enim carnis inimica est Deo. Vnde qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ideoq; peccatũ damnat de peccato, qui se à carnis uitijs abluendo, secundũ spiritum uiuit, totus Deo deditus, & cœlestibus intentus oraculis, propter quod Christus aduenit, ut non suã, id est carnis, sed Dei faceret uoluntatem. Si quis ergo illum sequatur, ut faciat quę placent Deo, & carnis suę cõprimat appetentiã: imitator est Christi. Quid sentiemus, expressimus. Qui legis, elige quid sequaris. Nullus error, ubi simplex pietatis affectus, atq; omnis fidelis est sensus. Damnauit peccatũ Christus suscipiendo similitudinem carnis peccati, ut delicta nostrę carnis aboleret. Dãnauit peccatũ, ut peccata nostra in sua carne crucifigeret, factus pro nobis ipse peccatũ, ut nos in ipso essemus iustitia Dei, qui eramus captiuitas mortis, & præda serpentis. Ergo pietatis est, susceptio peccatorũ ista, non criminis. Per hoc peccatum nos Deus æternus absoluit, qui filio suo proprio non pepercit, & peccatũ eum fecit esse pro nobis. Deinde dãnauit peccatum Christus in carne de ipsa carne peccati, quæ iudicabili quodã uigore & auctoritate censoria odit uitia quę amare cõsueuerat, & horret impudicitiam, quam uoluptatem putabat. Segregat se à lasciuijs, abdicat à cupiditatibus, renunciat criminibus atq; flagitijs, propulsat auaritiam, quę uirilitatem quandam carnis effœminat. En tibi illum Christi imitatorem, & ipsum de peccato peccatũ in carne damnantem. Sic curro, inquit, non ut in incertũ: sic luctor, non ut aera cædens, sed castigo corpus meum, & seruituti redigo: ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Non superfluo (ut arbitror) euagati sumus: quia & hoc ad medicinã hominis pertinebat: cui medicinæ prospiciens Deus: sicut terram istam salubres herbarũ atq; arborum succos ferre præcepit, quibus carnis uulnera curarentur: ita etiã præceptis salutaribus repleuit diuinarũ seriem scripturarũ, quibus infirmitas animæ sanaretur. Itaq; quàm graue est ut muta animalia medicari sibi nouerint, & uulneribus suis herbas salubres requirant, deligere non refutent: & hominum industria non requirat, quibus etiam medicus est missus, qui medicinæ salutaris in ueteribus scripturis semina demonstraret, & noua ipse deferret? Quàm multa itaq; salubria sunt quæ noxia perfunctorie iudicãtur? De ipsa terra sumamus exempla. Serpens alit uenenum, morsus noxios habet, uulnerat carnem: sed in ipso quoq; eius ueneno antidotũ reperies, si requiras. Deniq; caro exuritur, cuius puluere theriaca conficitur: qua ueneni uis consueuit hebetari, ut nocere non possit. Non terra ergo in uitio, quæ serpentem generat: sed ille qui nescit cauere serpentem. Ipse serpens potest tibi prodesse, si intelligas: immo si medici præcepta nõ spernas, imitandum disce quem putas esse fugiendũ. Estote, inquit, astuti sicut serpentes, & simplices sicut colũbæ. Serua caput tuum sicut serpens: & si laceratus toto corpore fueris, reuiuisces. Caput tuũ Christus est, quia caput ipse est uiri. Si seruaueris fidem, & si mortuus fueris sicut serpens, & tu resurges. Imitare serpentem, qui exteriorem suũ exuit, ut renouetur interior. Imitare serpentem, qui uenenum suũ euomit. Beatus & tu si cogitationes tuas malas euomas, & malitiæ tuæ uenena deponas. Celebris sermo est, & scriptorum auctoritate robustus, serpentem aquis appropinquantem sibilo sibi fœminæ anguis sponsare cõcubitus: illam propriæ consulentem saluti, ea spondere lege petitos coitos sui usus, si serpens uenenũ euomat, captumq; obedire iussis, arma deponere, ac proprij more conuentus caput ori eius inserere: atq; ubi calescere cœperit consuetudo, seu naturæ quadam uiolentia, seu libidinis ardore fœminam stringere ora, morsuscq; libidinis osculis premere, atq; ita caput serpentis abscindi. Nonne in natura serpẽtis mysterium fidei recognoscis? Serpens ille paradisi prior fœminam ad culpę adulteriũ provocauit: sed ubi uenenum eius effusum est in hunc mundum, soboles illius fœminę circuentionem

Matth. 10

1. Corint. 11

Roman. 8

2. Corint. 5

2. Corint. 9

1. Corin. 9

cunuentionem parentis,& fraudem ulta ſerpentis,armis eum ſuis exuit,& caput illius amputauit.Quòd ſi uenena præualuerint,& peccatum in quo eſt aculeus mortis,irrepſerit:utere medicorũ exemplo,ut tibi ſerpens uel ſero moriatur. Conteras eius uenenum,corpuſq; cõminuas,& admixtum ſalutaribus ſuccis noueris temperandũ,ut non ſolum uim ſuam & uirus amittat,ſed etiam fiat remedium de ueneno. Moritur autem tibi ſerpens ille intelligibilis,ſi tu moriaris peccato,& tibi tua peccata moriantur.Sic conteritur eius uenenũ,ſi de tua facta cõpungant:ſic omne uirus eius aboletur,ſi bonis operibus tegas,& fideli cõfeſſione temperes crimen admiſſum. Audi quemadmodũ uirtus draconis ipſius cõteratur.Conterat,inquit,Deus Sathanam ſub pedibus ueſtris.Cõtere *Roman.16*
primo cor tuum in quo erat draconis cubile,ut nõ inueniat ubi poſſit habitare.Conte-
re draconis carnes.Carnes eius peccata noſtra ſunt.Ideo tibi dicit Deus: Epulãtur in eo
gentes.Et infra:Præcurrit mori.Carnes autem corporis eius ſunt adhærentes ei.Sicut e-
nim ſancti,corpus & membra ſunt Chriſti:ita peccatores qui peccatũ non deſerunt,ſed
peccato inhærent,corpus draconis & membra ſunt.Ideo nos Chriſti corpus epulamur,
illi autem corpus epulantur draconis. Nos epulamur qui Chriſto adhærere contendi-
mus,remiſſionem quotidianam & ueniam peccatorũ: Illi autem qui peccatis quotidie
peccata connectunt,continuationem flagitiorum epulantur & criminum. Contere igi
tur has carnes,& ſuper eas contritionem tui cordis aſperge. Deinde mitte ſuper omnia
ea Iordanis aquam.Iordanis enim deſcenſio & aſcenſio eſt: quoniam qui in fontem ſa-
crum deſcenderit,& aſcendit,ut quæ ſuperiora ſunt quærat.Deſcendit enim in mortem
Chriſti,qui baptizatur in Chriſto,& in reſurrectionem eius aſcẽdit.Si autem iam bapti-
zatus erraſti,mitte aquam lachrymarum,nõ mendacem,ſed ueram,ut de profundo cla-
mes ad dominum deum tuum,ut dicatur de te: Vox audita eſt in Rama, fletus & ululatus multus,Rachel plorans filios ſuos:& noluit conſolari,quia non ſunt.Rachel Eccle- *Matth.2*
ſia eſt,in qua benedicitur plebs Dei.Ipſa pro te fleat, ipſa tua peccata deploret & fleat
plurimum,ut conſolationem facilè non admittat,quemadmodum qui plurimũ dolent.
Ideo conſolari ſe noluit,quoniam qui eras, eſſe deſiſti.Sed hac perſeuerantia doloris &
fletus emereatur ut dicat:Filius meus mortuus erat,& reuixit: perierat, & inuentus eſt. *Luc.15*
Aut forte conſolari ſe noluit Rachel in filijs Iudæorum,quia nõ ſunt:quos utiq; ideo ge
nuerat,ut eſſent:& ideo non admiſit cõſolationem occiſis paruulis ab Herode,quia nec
in aduentum Ieſu crediderunt,menſuram ſceleris adimplentes,ut & paruulos interfice-
rent,ut inter eos filius Virginis necaretur.Ergo Eccleſia domini in Iudæis cõſolari no-
luit,quia non ſunt:In Chriſtianis autem qui ex nationibus congregati ſunt, epulatur &
gaudet, quoniam cœperunt eſſe,qui non erant.Miſiſti ergo aquã Iordanis, aquam gra-
tiæ,hoc primum bibe. Miſiſti aquam lachrymarum,aquam pœnitentiæ. Hoc ſecũdum
eſt poculum, ut primum repares.Bibe aquam de tuis uaſis,bibe aquam de tuis fletibus,
ut dicas:Et potum meum fletu temperabam. Fletus ergo tuus potus eſt tuus,& lachry- *Pſalm.101*
mæ tuæ cibus eſt tuus:Fuerunt,inquit,mihi lachrymæ meæ panis.Si lachrymę panis,ha- *ibidem 41*
bes ex peccato iniquitatis cibum conuerſionis, ſecundum illud quod legis in Euange-
lio:Quoniam cui plus dimittitur,plus diligit. Vnde ſæpe uidemus aliquos qui antè ne- *Luc.7*
gligentes fuerunt Chriſtiani, peccato aliquo cõmiſſo fieri diligentiores, & ex illo per
pœnitentiam euadere ſolere perfectos.Sicut igitur ex peccato cõuerſio, ita remedium
de ueneno. Audi hoc remedium. Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Vene- *Prou. 18*
num,peccatum eſt:remedium,accuſatio ſui criminis. Venenum,iniquitas eſt: cõfeſſio,
remedium prolapſionis.Et ideo uere remedium de ueneno eſt, ſi dicas iniquitates tuas, *Eſa.43*
ut iuſtificeris.Sed iam Pſalmum adoriamur, ut ipſe nos doceat quemadmodum agen-
da pœnitentia ſit.Itaq; ſic incipit.

Pſalmi XXXVII. enarratio.

D Omine ne in ira tua arguas me,neq; in furore tuo corripias me.] Qui pœnitentiam agit,paratus eſſe debet ad opprobria perferenda,iniuriaſq; ſubeundas,nec cõmoueri,ſi quis ei peccati ſui crimẽ obijciat. Cùm enim ipſe accuſare ſe debeat,quemadmodũ alium nõ ſuſtinet arguentem? Quod ſi ab homine argui timere non debet,quanto magis à domino deo ſuo,cui omnes etiam in ijs quæ ſunt occulta peccamus? cũ præſertim condemnatio præſentium,abſolutio futurorũ ſit.Qui

Psal. 72 Qui autem non condemnantur in seculo, cũ homínibus non flagellabuntur. Væ mihi si
Matth. 6 de me dicatur: Habet mercedem suã. Sí bonum factũ hac cõdemnatur sententia: quan-
to magis crimen grauat? Nam si misericordia facili iactata sermone, fructu fraudat æter-
no: quanto magis iniquitatis pœna acerbi fœnoris accessione differtur? Ergo qui pœni
tentiam agit, offerre se debet ad pœnã, ut hic puniatur à domino, non ad supplicia æter-
na seruetur: nec expectare tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Vide facta Da-
2. Paral. 21 uid eius precibus conuenire. Offenderat dominũ, quia numerari iusserat populũ. Con-
fessione præuenit Dei nunciũ, peccasse se ualde, & nimis stulte fecisse cõmemorans: nõ
quasi admoneret oblitũ, sed quasi urgeret morantem, ne diutius cõmotionem differret
offensæ. Peccaui, inquit, ualde, quoniã uerbum hoc feci. Et nunc domine dele iniquita-
Esaiæ 40 tem serui tui. Quomodo deleantur peccata, audi dicentem: Solutum est peccatũ eius,
quia recepit de manu domini duplicia peccata sua. Nõ ergo penitus sibi peccatũ remit-
ti postulat, sed moderata solutione deleri, hoc est, ut in futurum eius memoria deleatur.
Denique quasi interpellantis uoce conuentus dominus ne uindicta cõmissi protelare-
1. Paral. 21 turerroris, misit ad eum Gad prophetam: & ille uenit ad regem, & dixit ei: Quid fie-
ri uelis, elige: triennij famem super terrã, aut tribus mensibus fugere te à facie inimico-
rum tuorum, & illos persequentes: aut triduo fieri mortem in terra. Et nunc scito & uide
quid respondeã illi qui misit me. Vide docentem deum qua moderatione eius indigna-
tio leniatur, si non penitus uerbera recusemus, sed qualitatem leuandi non euitãdi iup-
plicij postulemus. Tria proposuit, ut quod moderatius putaret eligeret. Vide etiã quẽ-
admodum ad pœnitentiam prouocat, ut nos offeramus iniuriæ: eligere pœnam man-
dans, ut in ipsa pœna electionis quædã prærogatiua seruetur, & reo suo blandiatur hoc
uerbo. Et dixit Dauid ad Nathan: Angustiæ mihi sunt in his tribus: sed magis incidã in
manus domini, quoniã magna est misericordia illius: quàm in hominum manus. Num-
quid donari sibi pœnam popposcit erroris? Quòd si fecisset, impudentiæ notaretur, qui
moderationi diuinę fuisset ingratus. Sed plurimũ suffragatur reo uerecunda confessio:
& pœnam quam defensione euitare nõ possumus, pudore subleuamus. Elegit, nõ quod
à flagello esset immune, sed quod moderatius iudicauit: ut dei lenitati magis, qui nosset
ignoscere, quàm hominum se cõmitteret potestati, qui mensuram ultionis frequenter
excederẽt. Miseretur itaq; , qui nescit errare: nõ miseretur, qui erroris est particeps. Nec
fefellit sanctum Dauid fides sua, sed in ipsa, quoq; offensione gratiam diuinæ miseratio-
nis emeruit. Nam qui proposuerat mortem triduo exercere in terra: ne unum quidem
diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulsit, & (ut uerbo scripturæ
utar) habuit pœnitentiam super malitiam. Vide quomodo te scriptura hortatur ut &
tu pœnitentiã non refugias, si sequaris deum, quem sequi debes. Bene addidit, super ma
litiã: quia uidetur omnis dura esse uindicta. Ideo & dies iudicij dies dicitur mala, de qua
beatus est qui per deum liberatur: ut scriptum est: In die mala liberabit eum dominus. Et
Psalm. 40 dixit, inquit, angelo domínus ut parceret. Vide autem quia quãdo uult dominus igno-
scere, dat gratiam & fiduciam deprecandi. Et uidit Dauid ferientem angelum, & dixit:
1. Paral. 21 Ecce ego sum, ego peccaui, & ego pastor male feci, & isti in hoc grege quid fecerunt?
Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Sí mandauerat dominus angelo, ut par-
ceret, quomodo feriebat adhuc angelus: Nisi quia dominus etsi uult ignoscere, uult ro-
gari, & ut rogetur hortatur? Nec uidisset homo angelũ feriẽtem, nisi dominus eius ocu-
4. Reg. 6 lis angelum reuelasset. Vnde & Helisæus dicit: Domine aperi nunc oculos pueri huius,
ut uideat: & aperti sunt oculi pueri eius, & uidit montem equis repletum & curribus in
circuitu prophetæ. Nec te moueat quod persona uilior seruuli quàm prophetæ uel re-
gis, quia uilior & equorum & curruum species quàm sanctitas angelorũ. Et fortasse alli-
quibus perfunctorie legentibus durũ uideatur quòd Dauid ille humilis corde atq; man
suetus, qui parcebat inimicis, mortem magis populi elegit, quàm suam fugã, aut famem
super terrã. Famem populi uitauit, quia grauior morte & omnibus supplicijs habetur,
quam sequitur etiam pestilentia quæ cœlum cõtaminat, mortem aceruat. Suam fugam
non popposcit, propter illud, quia propheta pro populo deprecari poterat, sicut factum
1. Reg. 2 est, populus pro propheta interuenire non poterat. Scriptum est enim: Si populus erra-
uerit, sacerdos orabit pro eo: si sacerdos errauerit, quis rogabit pro eo? Et tamen ubi ui-
dit occidi

dit occidí populum, ípſe ſe angelo feriendum obtulit, ut ípſe potius pro populo ferire-
tur. Plus eſt quod nec ípſa perterritus ſpecie mortuorũ gladío ſe obtulit, quàm ſi ſermo-
nem propoſitæ conditionis optaſſet. In electione itaq; rationem ſecutus eſt, in dolore
pietatem. Vidit aũt domini gratiã, quod & ípſe à propoſita conditione deflexit. Nun-
quid aliquod miſerationis eſt crimen, quía plus minatur, & minus exigít, qui in remune
ratione prẽmíorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum prẽſcriptum remor-
det? Cum iraſcítur ín reum, differt: cum miſeretur, properat ut abſoluat: terret, ut corri-
gat: admonet, ut emẽdet: præuenit, ut ignoſcat. Vnde & alíbí aít Propheta de domíno:
Calix in manu domini uini meri plenus eſt mixto, ueruntamen fæx eius non eſt exina- Pſalm. 74
nita. Ad terrendum plenus eſt calix, ad feriendum non eſt exinanitus. Plenus erat calix
cum mors per triduum mandaretur: ſed occurrit miſericordía Dei, tenuit manum ange
li, priuſquam calícem iſtum exinaniret. Vt ſcías autem quía calix pœna uel gladius eſt,
audí dicentem: Accipe calicẽ uini meri huius de manu mea, & potionabís omnes Gen- Hier. 25
tes ad quas ego mittam te, & uoment & inſanient à facie gladíj. Et ad Hieruſalem díci- Eſaiæ 51
tur: Bibiſti calícem iræ de manu domíni: calícem enim ruinæ bibiſti, & exinaniſti, nec e-
rat qui te conſolaretur. Hieruſalem menſuram bíbit, quæ ſupra menſuram peccauit. Ec-
cleſía Chriſtianorum calícem iræ exinanire non nouit, ſed exinanitum unguentũ: pro-
pter quã ſe Chriſtus exinaniuit, ut ubíq; fragraret. De manu domíni hoc munus acce-
pit: poculum autem mortis ignorat. Duos calíces lego, unũ mortis, alterum uitæ. Mor-
tis calicem ſuo Chriſtus exinaniuit ín ſanguine: & nouum calícem miníſtrauit, ut díca-
mus: Calícem ſalutarís accípiam. Nouí calix eſt teſtamenti, qui in remiſſionem effundi- Pſalm. 115
tur peccatorũ. Effunditur hic calix, & fæx eius non ínuenitur, quía mundat omne deli- Matth. 26
ctum. Dixímus quemadmodum ín ulciſcendo inflectat dominus cõmotionem ſuam.
Dícamus quemadmodũ in remunerando præueniat noſtrã precationem, & doceamus
exemplo. Audí illum ex duobus latronem dicentem domino: Memento mei domine Luc. 23
cum ueneris in regnum tuum. Reſpondít dominus: Amen amen díco tibí, hodíe mecũ
eris ín paradíſo. Ille adhuc rogabat ut meminiſſet ſui cum ueníſſet ín regnũ, & dominus
cum nondũ ueniſſet, ei iam regnum cœleſte tribuebat. Quàm uelox miſericordía? Tar-
dius uotum precantís, quàm remunerantis eſt prẽmium. Ideo ergo Dauid moderatio-
nem tenuit, non remiſſionem orauit, dícens: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in fu Pſalm. 73
rore tuo corrípias me. Furor Græcè θυμὸς dícitur, & iræ ímpetus. Hoc ergo Latínus uo-
luit exprimere. Neq; in ira, neq; in ipſo ímpetu iræ arguas me, aut corrípias. Correptio
aũt eruditio eſt. Ipſa Græcè dícitur παίδευσις, de qua dícitur: Beatus homo quem tu eru- Pſal. 93
dieris domine. Non enim deus paſſioní patet, ut iraſcatur, cum ſit ímpaſſibilis: ſed quía
uindicat, uidetur iraſci. Nobis hoc uídetur, quía ípſi cum cõmotione uíndicare cõſueuí-
mus. Plerunq; tamen & homines ínueniuntur cum uindicant nõ moueri, ſed ſumma pa
tientía celebrare uíndictam, exercere tormenta. Cur ergo mireris ín Deo, ſi hoc inter-
dum in homine recognoſcas? Vindictã autem iram eſſe díximus. Deniq; uſus habet ut
dícamus de quoquã puníto, quía iram incídit legum. Non quía legum iram, ſed quía le-
gum ſeueritatem. Sic & alíbí de decem plagís Aegyptiorũ aít: Miſit in eos iram per an- Pſalm. 77
gelos malos, id eſt uindictam. Lex enim neſcit iraſci, ſed ſcit legũ miníſter. Neſcit ergo
iraſci qui auctor eſt legum: cui terrendi eſt uoluntas, non puniendi. Imitamini ergo Im-
peratores exemplũ diuinum, ut ſitis in ſtatuendis legibus ſeueriores, in exigendis ſup-
plicijs miſericordes. Seueritas legum inſolentem reſtringat audaciã, miſericordía prin-
cipum reos ſubtrahat pœnę. Recognoſcit igitur Propheta culpam ſuam, uidet uulnera,
curarí poſtulat. Qui ſanarí uult, argui nõ reformídat: ſed non uult argui in furore, ſed in
uerbo Dei. Verbũ Dei, ſanitas eſt. Sic enim legímus: Miſit uerbũ ſuũ, & ſanauit eos. Nõ Pſalm. 106
uult erudíri in ira, ſed in doctrína: ut ſi medicũ roges ne ſecet uulnus tuum, ſed medica-
mentum apponat, urget medicamento, ſed nõ ſecat. Deniq; eſt dolor, ſed nõ ſupra men
ſuram doloris. Mordet, ſed non cruentat. Et addidit: Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt
mihi.] Eadem uídetur dícere, quæ ſanctus Iob: ſed díuerſa ſunt. Nam & ille aít: Sagittæ Iob 6
enim domini in corpore meo ſunt, quarũ furor bíbit ſanguinem meum, cum incípio lo-
qui, compungunt me. Ille de uulnere ſui corporis queritur: hic deplorat animæ ſuę uul-
nera. Et forte hic agit pœnitentiam de peccato, ille cauſam agit infirmitatis humanæ: &

quasi nostræ imbecillitatis assertor, ad remedium operis auxiliũ creatoris exposcit. Hic igitur precatur, ille patrocinatur. Ideoq; uehementior huius est dolor quia animę uulnera grauiora quàm carnis sunt. Ille dicit sagittas domini in suo esse corpore, iste deplorat infixas. Illius sanguis bibitur, huius effunditur. Ille cõpungitur, hic uulneratur. Illũ manus Dei tetigit, super hunc graui pondere cõfirmata est. Hic animam suã deflet illusionibus esse cõpletam, ille suum corpus ulceribus. Manũ autem Dei, uirtutem intelligimus puniendi. Hæc manus regem Aegyptiorũ propter Abrahæ iniuriam ob tentatã Sarrę pudicitiam flagellauit. Hęc manus Aegyptiorũ currus, equos & populos Rubri maris demersit profundo. Hæc manus mentem grauauit regis Saul, ut gratiam sui conseruatoris odisset: & pro præuaricatione cœlestis imperij desertus à socijs, interemptis quoq; filijs destitutus, uictus ab hostibus, quo spectaculo nihil est deformius regi, gladiũ in se suum ipse conuerteret, ne captiuus senex uiueret filijs & regno superstes. Hanc manũ Dauid in seipso expertus & liberis, alterius incestũ, alterius parricidium deplorauit, & (quod pio patri grauius est salutis suæ exitijs) simul sibi opprobria sobolis, & pietatis defleuit excidia: quorum alter ad incestũ accensus de germanitatis affectu, alter ad parricidiũ armatus est studio castitatis. Quemadmodũ illos in grauissimis criminibus cõfinia lusere uirtutum? Vtinã aut ille sororem non amasset, aut hic non uindicasset. Ad postremũ & ipse patriæ finibus pulsus à filio, fugiebat hostem, quẽ optabat hæredem: metuebat uincere, ne pietatis dispendio uinceretur. Sed fortè aliquis dicat: Quomodo in parricidio uel in incestu manus fuerit Dei, cũ opus illud inimici sit? Cognoscamus igitur quoniam & ubi diabolus uulnerat, sagittæ domini uulnerare dicantur. Nempe sic legimus, quòd cum in concilio angelorũ sanctum Iob seruulum suũ dominus conuersus ad diabolum prædicaret, ut ureretur inuidus, & humani generis aduersarius (laus enim inferioris substantię uiri, cõdemnatio eius est qui de statu superiore deiectus est) responderit diabolus quia nõ gratis Iob dominũ ueneraretur, qui nutu Dei omnibus abũdaret. Sed mitte, inquit, manũ tuam, & tange omnia quę habet: uideamus si nõ in faciem te benedicat. Et Deus potestatem dedit diabolo ut mitteret manũ suam in omnia quę haberet Iob. Quibus gestis cum sanctus Iob immobilis in sua fortitudine permaneret, quia nõ est motus Iob aut interitu filiorũ, aut dispendio facultatum: iterum dominus ad diabolũ dixit, illudens ei, quòd dissipasset omnia quę habuerat Iob, filios eius interemisset, ipsum tamen nequaquã mouere de uirtutis statione potuisset. Et ille respondit: Quæcunq; habet homo, pro anima sua dabit. Sed mitte, inquit, manũ tuam, & tange carnem & ossa eius. Et accepit iterum potestatem ut mitteret manũ suam in corpus eius: tamen ut animã ipsius custodiret. Et perfudit ulceribus sanctũ Iob, ubi est egressus à domino. Aduertimus ergo quod manus domini dicatur, ubi est hominis diabolo infestante tentatio. Siquidem & Iob manũ domini dixit esse quę se tetigit, & sagittas domini esse memorauit sagittas piratarũ: Et tradidit, inquit, me in manus iniusti. Ipse itaq; absoluit: quia cũ diabolus uulnerat, domini sunt sagittę, qui uulnerandi permisit diabolo potestatem. Deniq; si mandes ut tuus seruulus uerberetur, nónne etiam si ab astante alio cædatur, à te dicitur uerberatus? Est & illa ratio, quia dominus ideo dat tentatori potestatem, ut hominũ in tentationibus probetur affectus. Ideo fit persecutio, ut fides luceat, uirtus excellat, mens interna omnibus manifestetur. Ergo tentatio quasi sagitta penetrat interiora hominis, & quasi gladius Dei, qui scrutatur interna. Gladius autem uerbum est Dei, ualidũ, & acutius omni gladio acutissimo: de quo gladio audi dicentem Mariæ: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordiũ cogitationes. Verbo enim Dei omnia reuelantur, in cuius conspectu nuda & aperta sunt omnia. Anima ipsa uidetur, medullę interiores cogitationesq; manifestę sunt: nec ulla postremo est creatura (ut scriptura dicit) quę se à cognitione eius abscondat. Ergo uendamus omnia, ut uerbum emamus: ipsumq; in nostris uisceribus recõdamus. Ipse postremo diabolus testificatur: Quia omnia dat homo quę habet, pro anima sua, nec dignum illud preciũ totius patrimonij pro redemptione unius animæ confitetur. Quid parcimus patrimonio, quod & ipse diabolus uile iudicat pro salute? Parum dixi pro salute: parum esse & pro errore testatur. Deniq; hæc omnia inquit, tibi dabo, si procidens adoraueris me. Nec solum diuitias mundi, sed etiã honores & regna monstrauit. Si tanto constat ut diabolus adoretur, quantum

Genes. 20
1. Reg. 31
Iob 2
Ibidem
Hebr. 2
Luc. 2
Hebr. 4
Matth. 4

quantum Christianus debet offerre, ut cum Christo resuscitetur? Sed diabolum dimitta
mus quasi hircum emissionis in desertum. Neq; enim fidelis assertor est ueritatis, etsi ali- Leuit. 16
quando transfiguret se in angelum lucis. Abundant nobis diuinarũ testimonia scriptu- 2. Cor. 11
rarum, quibus instruimur nihil esse in homine precios̃ius fide, nullum tãtum esse patri-
monium quod salutis nostræ atq; animæ precio conferatur. Fide Abraham patriã suam Hebr. 11
reliquit & terram, & proximos etiam quos uidebat: & eum quem non uidebat, tãquam Ibidem
aspiciens sequebatur. Moyses quoq; animę suæ precium maius omnibus Aegypti diui- Iosuæ 2
tijs æstimauit. Quid de uiris sublimibus loquar? Rhaab meretrix alienigena illa de secu-
lo, tamen animam suam non solum contemptu omnium quę habebat, sed etiam uitę pe-
riculo putauit esse redimendam: quæ exploratores Iesu Naue ciuibus suis quærentibus
denegauit, & hostes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quàm prodere. Non
eam minæ ciuium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non suorum discrimina
terruerunt. Disce uir, disce Christiane quomodo uerum Iesum sequi debeas, quãdo fœ-
mina contempsit omnia sua, & Iesum in figura propter similitudinem nominis est secu- Prouerb. 13
ta. Vnde præclare Salomon dixit: Diuitiæ uiri, redemptio animę eius. Redime ergo ani-
mam tuam. Vilis est pecunia, sed fit preciosa per fidem. Vilis est cum conditur, preciosa
cum dispergitur. Sic enim scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet Psalm. 111
in seculum seculi. Si igitur talis fueris, ut possis contemnere non solum omnia tua, sed
etiam ipsam carnem tuam pro iustitia, qua nulla potest locupletior esse possessio: (pos-
sessio enim preciosa, homo mundus) etsi flumina te superiora concluserint, transibis.
Nam etsi dederit tentandi tui dominus potestatem, mandat tamen diabolo ut animam
tuam ipse custodiat: secundũ quod scriptũ est: Vt destruas inimicũ & defensorem. Ten- Psalm. 8
tat enim ut aduersarius, defendit ut seruus. Scriptum est enim: Et uolet tibi unicornuus Iob 39
seruire. Seruit enim, qui non ex uoluntate sua quod optat exequitur, sed ex necessitate
mandatis imperialibus inuitus obtemperat. Vide altitudinem Christi, quemadmodum
retorsit in diabolũ malitiæ suę precium. Ille nos cogit, quod odio habemus, hoc facere. Roman. 7
Non enim quod uolo hoc ago, ut Apostolus dixit: sed quod odi, illud facio. Retorsit in
illum dominus, ut & ipse plerunq; nõ faciat quod uult: sed quod odit, hoc faciat. Deniq;
animam quam uult expugnare, custodit. Nos corruptelam carnis condemnamus, & se-
quimur: ut illa uidua quæ promissam marito fidem irritam facit, & postea nubere uult:
quod ante fugiebat. Ille inimicus est sanctis, & defensor adhibetur: quo amplius punia
tur: ut nocere non audeat, qui nocere desiderat. Et quanto tolerabilius est amare uirtu-
tes, etsi implere non possis: quàm odisse uirtutes, quibus nocere nõ possis? Non est, in-
quit, sanitas in carne mea, à uultu iræ tuæ.] Exposuit nobis hũc locum Esaias: Peccaui- Esaiæ 64
mus, & tu iratus es nobis. Qui est tamẽ iræ domini uultus? Ne forte ille, quia oculi do-
mini super facientes mala. Si enim oculi domini super iustos, quomodo à uultu iræ Dei
infirmatur Propheta? Vnde & illud considera, quod ipse Dauid in posterioribus dixit:
Quoniã ex omnibus tribulationibus eripuisti me, & super inimicos meos respexit ocu- Psal. 53
lus meus. Sicut enim bona iustorum respicit, ita & peccatorũ occulta deprehendit. Nisi
forte ad Christũ hoc referas, qui ab omnibus à quibus cõterebatur, ereptus est, quando
se exuit à populo ludæorũ, qui eũ frequentibus sacrilegijs & quotidianis impietatibus
conterebant: & inimicos suos uocauit ad gratiã, quos oculus Dei uidit & amauit. Ergo
quia pius est Deus, nequaquã est desperandum. Et si irascitur, ignoscit: & si percutit, sa-
nat: & si tradit in interitũ carnem, spiritum saluat. Noli ergo timere carnis infirmitatem:
quia sanctus cũ infirmat, potentior est. Quid aũt est quod ait: Non est pax ossibus meis
à facie peccatorum meorum?] Quę sunt ista ossa? Vtrũ animæ, an corporis? Sed non
tãta esset doloris cura corporei, ubi & anima laborat: cũ sancti sit uelle carnem propter
animã flagellari: sicut se flagellabat & Paulus, ne eius reprobaret assertio. Sunt quędam
interioris ossa hominis, sicut & membra sunt cætera, oculi mentis, & nares: sicut Iob di- Iob 27
xit: Spiritus diuinus qui est in naribus meis. Sunt ergo & ossa: quibus charitatis quædã Genes. 2
cõpago formatur. Vnde & Adam dixit de cõsorte charitatis, & cohærede gratiæ uitæ: Ephes. 5
Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quod Apostolus interpretatus ait:
Sacramentũ hoc magnũ est: Ego aũt dico in Christo & in Ecclesia. Christi aũt & Eccle-
siæ sacramentũ non carnale sed spiritale esse quis dubitet? cũ bonus quisq; in ipso con-

iugio non carnis, sed uirtutis decore teneatur, & mores diligat in uxore, non usus. De-
Psalm. 136 niq; audi quia non secundum carnem loquitur, sed secundũ uirtutem interiorem: Non
est absconditum os meum, quod fecisti in abscondito. Virtus itaq; nõ caro est, quæ Dei
patris nouit abscondita. Ergo non est pax animæ uirtutibus, quando ante oculos nobis
nostra peccata concurrunt, & offundunt se mentibus nostris. Et hoc bene interpretatus
2. Corint. 7 est Gentium doctor electus, in Epistola secũda ad Corinthios dicens: Nam & cum ue-
nissemus in Macedoniã, nullam requiem habuit caro nostra: sed in omnibus sumus af-
flicti: Foris pugnæ, intus timores. Illum Macedonum peccata uexabant: quanto magis
propria unumquemq; nostrũ peccata perturbant, ut requies nobis esse non possit? Gra
uior aduersarius nobis culpa est nostra, quæ solicitat ociosos, affligit sanos, contristat læ
tos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, si-
ne tortore cruciamur, sine uinculis adstringimur, sine uenditore uẽdimur. Vnde & scri-
Esaiæ 50 ptura dicit: Peccatis uestris uenditi estis. Hæc igitur peccata sunt quæ cõtra nos semper
sunt, ut dixit Propheta: Vendiderunt nos, & dominantur nobis. Seruus qui uenditur, su
periore seruitio exit, ut ad dominũ alterum migret. Nos nec superiorum iugũ deponi-
mus, & ad noua peccata curuamur. Vnde & ingemuit sanctus dicens: Quoniã iniquita
tes meę superposuerunt caput meũ: sicut onus graue grauatæ sunt super me.] Hoc est,
iniquitates meæ supertransierunt caput meũ, & supereminent mihi, ut sensus meos de-
Eccl. 2 primãt. Oculi enim sapientis in capite eius. Et ideo Nabal malus erat & durus, quia sen-
1. Reg. 25 sus eius malitia & iniquitas obstruebãt. Vnde & Abigææ uerbum ferre non potuit, sed
obduruit cor eius, & quasi infirmus occubuit. Aut uide ne hoc sit caput de quo ait Apo
Coloss. 2 stolus: Quia nõ tenet caput, mente carnis inflatus. Hoc aũt caput Christus est, quia om-
nis uiri caput Christus. Hoc est caput quod per cõpaginationes & colligationes totius
plebis crescit in incremẽtũ Dei: quia in omnibus nobis per singula mẽbra sua Christus
assurgit. Ergo quando nos ingrauant nostra peccata, & talento quodã iniquitatis plum
Psalm. 2 beo ad terrena deprimimur, dirumpamus uincula eorũ, & proijciamus à nobis iugum
Matth. 11 ipsorum: ut possimus oculos nostræ mentis attollere, & audire dicentem: Venite ad me
omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiã. Deniq; Aegyptũ auaritia one-
Esaiæ 45 rabat, pecunia uexabat, mercatus Aethiopes, sicut scriptum est: Labor Aegypti, & mer
Ibidem 1 catus Aethiopum, & Sabaim uiri excelsi ad te transibunt. Laborauit Aegyptus ante-
quam cognosceret ueritatem: sed iam non laborat, postquã trãsiuit ad Christũ. Sequun-
tur uolentes Sabæi uiri, qui ante fugiebant: quia tenent eos uincula charitatis, quæ ada-
mante fortiora sunt. Pulchre & illud Esaiæ huic loco aptatur: Omne caput in dolore, &
omne cor in mœstitia: à pedibus usq; ad caput non est uulnus, neq; cicatrix, neq; plaga,
cum feruore. Feruet enim iniquitas cum dominatur, super caput nostrũ sese extollens,
& locum occupans, ne eum Christus magister teneat pœnitentiæ. Nõ mediocrem uim
habent istę iniquitates, si consideres hominem illum iniquitatis qui uenturus est secun-
dum opera Satanæ in omni uirtute & signis & prodigijs mẽdacibus, & omni seductio-
ne iniquitatis: quem cauendum nobis Apostolus demonstrauit, quia operationem er-
roris accipiet, ut probentur fideles, iudicentur infideles. Merito ergo sub iniquitatibus
positus, & (quod peius est) suis, corruptas esse & cõputruisse dicit cicatrices suas à fa-
cie insipientiæ suæ: quia leuantem opera iniquitatum tardius remediũ sequebatur. Ta-
Iob 2 men & Iob sancto qui saniem radebat suorum ulcerũ, perfusus ulceribus à pedibus usq;
Luc. 16 ad caput, sanitas est refusa: & Lazarus pauper qui iacebat ad ianuam diuitis, lambenti-
bus ulcera eius canibus, de cicatricum suarum fœtore sublatus ab angelis, in Abrahæ si-
nu est collocatus. Est ergo & sancto Dauid spes & remediũ sanitatis, quia non unguen-
tum redolent, sed fœtorem suorum uulnera peccatorum: & quia affligitur his atq; cur-
uatur, & non delectatur. Specta nunc epheborum aliquem lasciuum, & egregie libidi-
nosum, qui in stupris uitam suam exigat, more illius diuitis in bysso & ostro iacentem,
atq; epulantem quotidie splendide, cui natent pauimenta uino, tegatur humus flori-
bus & spinis cooperta piscium, incensis diuersorum thymiamatum odoribus triclinia
cõpleãtur, quemadmodum se beatum putet, & bene se olere iudicet: cumq; grauia atq;
diuturna animæ suæ uulnera gerat, & corruptum sanguinem fluat, nullum tamen fœto-
rẽ suæ cicatricis accipiat: obstructas enim cœno nares habet, nec potest dicere: Spiritus
diuinus,

diuinus, qui est in naribus meis. Ideo diues ille remediũ salutis inuenire nõ potuit, pauper inuenit. Deniq; alter apud inferos in supplicio, alter in requie. Inuenit ergo perpetuæ salutis remedium etiam sanctus Propheta Dauid, qui fœtere sibi animæ suæ uulnera fatebatur, & à facie insipientiæ suæ cõputruisse sibi cicatrices proprias loquebatur. Sed est & insipientia, quę per stultitiam prædicationis credentibus salutem afferat. Refugit ergo Propheta Euangelico iam spiritu sapientiam istius mundi, qua nõ cognoscitur Deus: quę tegit sua uulnera, non reuelat ad dominum. Melior igitur insipientia, quę oculos habet ut uideat ulcera sua, quàm sapientia quę non habet. Et ideo insipientię suę obtutu admonitus spiritali tantus rex, afflictum se miseriis protestatur, ut remediũ possit pœnitentiæ reperire, quod Iudas qui agrũ de iniquitatis mercede possedit, reperire nõ potuit. Miseriis, inquit, afflictus & curuatus sum usq; in finem, tota die cõtristatus ingrediebar. Vsq; in quem finem? Pœnitentiæ. Vt amplius & mystice intelligas, usq; ad Christum, qui finis est legis, qui se passus est lapidari, passus est corpus suum mortuũ uulnerari: Sed nullũ fœtorem pœnitentiæ, sed odorem gratiæ uulnera illa redolebant. Deniq; non tabes mortis de uulnere eius, sicut hominum cæterorum, sed fons uitæ scaturiuit æternæ, ut scriptura nos edocet, dicens: Et saliet aqua cum delectatione de fontibus saluatoris. Exiliuit ergo de uulnere aqua, ut nos biberemus salutem. Bibent omnes peccatores terræ, ut peccata deponant. Vide singula. Miseriis afflictus est Christus, ut beatos faceret homines qui erant in miseriis constituti. Nemo miserum eũ qui sit iustus appellet, quia ipse dixit: Vos nemo faciet miseros. Curuatus est ille, ut nos erigeremur: eõtristatus est ille, ut nos lætificaret, secundum quod scriptũ est: Si enim ego cõtristo uos, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Qui contristatur ergo ex dominolesu Christo, ipse lætificat Christum, & ipse lætificatur à Christo. Ideo ergo & nos nõ perfunctorie satisfaciendum à nobis esse cognoscimus. Curuemur usq; in finem, id est non solum Christo fidem, sed etiã passionum nostrarum perseuerantiam deferentes, & gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in passionibus suis: quas ille suscipiebat pro seruulis, nos subeamus pro domino. Hic ergo finis. Vt adimpleã, inquit, quæ desunt tribulationum Christi in carne mea pro corpore eius, quæ est Ecclesia, cuius sum factus minister. Videmus quid nobis suscipiendũ sit, qui ministerium sacerdotale suscepimus: ut nõ solum pro nobis, sed etiam pro Ecclesia domini sustinere fortiter passiones corporis debeamus. Dauid aũt addidit & animæ passiones. Deniq; ipse ait: Quoniam anima mea cõpleta est illusionibus: & non est sanitas in carne mea. Incuruatus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Et ante te omne desiderium meum, & gemitus meus nõ est absconditus à te. Cor meum conturbatũ est, & deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.] Aduertimus igit̃ laborem animę maiorem esse quàm carnis. Deniq; quibus anima illusionibus compleatur intellige, eò quòd in tentationibus diabolus ei uideat illudere & insultare quasi grauiter laboranti. Symmachus tamen ait lumbos, in quibus seminaria sunt generationis humanæ. Vnde præcinctos lumbos habere te præcipit sapientia Dei, ne tua castimonia resoluatur. Deniq; ut scias quia in lumbis sint libidinis cõmotiones, quæ plerũq; excitantur à diabolo, quando cõtendit dissipare membra Christi, & facere membra meretricis: Ecce, inquit, fortitudo eius in lumbis, & uirtus eius in utero. In lumbis uiri seminaria sunt: in utero autem fœminæ. Illudit ergo diabolus in his ut faciat adulterium, incestum, fornicationem. Et ideo qui fornicatur, in corpus suum peccat, non extra corpus. Primũ, quia infirmatur caro quæ libidinibus diffluit, & non seruat moderamina castitatis: Deinde, quoniam seminaria quæ debent soboli proficere procreandæ, inquinamentum corporis, non fructum posteritatis operantur. Inde itaq; dicuntur illusiones fortasse, quòd in his corporis æstus sine coitus celebritate frequẽter illudat. Vnde bene LXX. uiri animæ illusiones dixerunt, eò quòd diabolus affectus alicuius illudens, in uanum studeat uires eius effundere, uirtutem uacuare, resoluere fortitudinem. Ideoq; alibi ait: Et renes mei resoluti sunt. In quo nos etiam beatus confirmat Apostolus quòd non illusiones animæ, non carnis infirmitatem metuere debeamus: quia & animæ & corporis nostri Christus est uirtus: qui curat ægrotos, quasi medicus: confirmat ualidos, quasi omnium fortitudo. Deniq; etsi foris homo noster corrumpitur, sed renouatur interior

Matth. 27
Romã. 10
Esa. 12
2. Corint. 2
Coloss. 1
Luc. 12
Iob 38
1. Cor. 6
Psal. 72

de die

2.Cor.4 de die in diem. His itaq; animæ illusionibus fatigatus incuruauerat & humiliauerat se ni
mis sanctus Dauid, nõ quo iniquitatibus superponentibus se supra caput eius (ut dixi-
mus) locum daret, aut inimico cederet, qui in posterioribus docet ei non esse cedendũ,
Psalm.72 dicens: Quanta maligne operatus est inimicus in sanctis tuis, & gloriati sunt qui oderãt
te, in medio festi tui? Posuerunt signa sua signa, & non cognouí sicut in uia supra sum-
mum. Quasi in sylua lignorum securibus cõsciderunt ianuas eius. Inimicis meis, inquit,
signa iniquitatis suæ supra summum ponentibus. Quid est summum? nisi caput tuũ, ubi
sensus sunt, ubi Christus est sapientia? Ego non cognouí: id est, acquieui, non his con-
Psalm.100 sensi, & meę sententiã cogitationis adiũxi. Vnde & alibi habes: Non cognoui uerbum
nequã, &, Declinantes à me malignos non cognoscebã. Deniq; cũ omnia nouerit Chri
stus, peccatũ non cognouit. Cognoscit enim quæ sua sunt, id est, quæ uirtutum sunt, non
2.Tim.2 quæ flagitiorũ. Ideoq; scriptura dicit: Cognouit dominus qui sunt ipsius. Iniquis autem
Luc.13 dicit: Discedite à me, quia nõ noui uos. Et per Hieremiã locutus est dicens: Sicut agnus
Hier.11 ductus sum ad immolandum, & nesciui. Quomodo nesciebat quod futurum antè præ-
dixerat? Sed nesciui, inquit, cogitationes eorum, malitiam eorum. Nolo scire quæ san-
Psalm.15 guinis sunt. Deniq; non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. Deleo ini-
quitates, & memor non sum. Nolo scire quæ remissurus aduenì. Nõ cognouí ligna quæ
ardeant, nec quę in aceruo lignorum sunt posita uel stipulam uel fœnum, ut citius ea nu
trimentis suis flamma consumat. Illa uolo scire quæ maneant, ut fructum suæ mercedis
accipiant. Illa uolo scire quæ supra fundamentum ædificata sunt, ut meliorentur: nõ quę
in uia ubi ea diripiunt transeuntes. Illa uolo scire quæ uitis sunt, illa certe ligna quæ ferãt
fructum: non ea quæ in fasces collecta ad incendium præparantur. Id est, non sum illis
arbiter & socius, quæ caduca sunt. Non ergo societas alicuius rei, sed societas criminola
in culpa est. Qua ratione autem non cognouit in infructuosis & fragilibus gloriantes?
Quia malis operibus & iniquitatis suæ securibus euertũt animæ fidelis ingressus, & cru
delibus factis scindunt piæ mentis uestibula, ne per ea possit Christus intrare. Debet au
tem unusquisq; portas suas & ianuas custodire, ut cum uenerit Christus & pulsauerit,
Psal.23 dicant ministræ potestates quæ præeunt & præcurrũt. Tollite portas principes uestras,
& eleuamini portæ æternales. Vere principes, qui se bene rexerint, ut in animas eorum
Eccl.10 Christus ingressus sit. Simile quoq; illud est Salomonis: Si spiritus habentis potestatem
ascenderit aduersum te, locum tuum non relinquas: quia cura mitigabit delicta magna.
Diligentia enim & fides superiorem locum tenent, inferiorem perfidia. Ideo ascendat
ad te bona diligentia, quę insidias excludit inimici, & aufert peccatum, ne malitia pote-
statem habentis nocere possit. In Canticis hãc uidet Ecclesiastes malitiam sub sole, hoc
est in hoc mundo: unde & subsolanum locum hunc scriptura memorauit. Sub sole ergo
uidit, non supra solem, ubi pax angelorum est, uel sanctitas cœlestium potestatum. Aut
forte sub Sole iniquitatis dixit: Malitiæ enim diabolus præsidet, uirtutibus Christus.
Itaq; ut uinceret spiritum potestatem habentis quam ad tempus accepit, incuruabat se
Eccl.35 oratione Dauid, ceruicem sicut circulum flectens, & humiliabat in precibus. Oratio e-
nim se humiliantis, nubes penetrat, & elementorum alta transcendit, ut Christo appro-
pinquet. Et rugiebat à gemitu cordis sui. Rugit, qui gemitum solum non uerba expri-
mit. Hæc est ergo illa præclara oratio, quando interpellat pro nobis spiritus gemitibus
inenarrabilibus, ut uas electionis asseruit. Hic est gemitus quem non despicit Deus: qui
Roman.8 non despicit seruum iuniorem orbatum patre, nec uiduam si effundat loquelam. Gemi
tum ergo ante omnia signum spiritus sancti Apostolus ponit, ut legimus. Deniq; custo
diamus animæ nostræ ianuas, ne multiloquijs quasi securibus scindatur nostræ confes-
sionis ingressus. Nihil insolens & superbũ nostro ex ore procedat, ne securim leuemus
aut malleum, quæ non intrant in Ecclesiam domini. Claude ianuam cum oras, ne se in-
gerat spiritus nequam: ut ibi peccatum extorqueat, ubi lucrum uolumus pietatis acqui
Matth.26 rere. Qui sic orat, non est à domino gemitus eius absconditus. Deniq; sic Petri gemitus
& cognitus & exauditus est, quando fleuit amarissime. Vtiq; non lachrymæ amaræ, sed
amarus qui eas fundebat affectus. In ipso perfido Achab gemitus inuenisset gratiã, nisi
manens inuidia cumulasset offensam. Non enim perfunctorius gemitus prędicatur, sed
qui habet conuersionem. Scriptum est enim: Si conuersus ingemueris, saluus eris. Con-
stituamus

ſtituamus etiam ante dominum omne deſiderium noſtrum. Quid eſt deſiderium? Bonæ enim rei legi deſiderium: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum. Et certus deſiderat ad fontes aquarum. Puto autem quòd is qui pœnitentiam gerit, qui ſe affligit, non bona ſua debeat, ſed cõmiſſa ſibi enumerare peccata. Denicq; uerſiculis illis (ut arbitror) hoc docemur, quibus ait: Deus uitam meã nunciabo tibi: poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. Non enim quaſi innocentem uitam annunciat ubi lachrymæ funduntur, quę ſolent legationem ſuſcipere pro delictis. Niſi forte ſic intelligamus, quod etſi innocens quiſq; ſit, ſecurus eſſe nõ poſſit, cui ſint aduerſus grauiſſimos hoſtes quotidiana certamina. Et ideo hæc licet læta ſit conſcientia, tamen pugna lachrymabilis. Iuxta hos ergo uerſiculos concupiſcentiam poſſumus accipere magis quàm deſiderium. ἐπιθυμίαν enim Græcus poſuit. Concupiſcentia autem & deſiderium ἐπιθυμία dicitur. Sed concupiſcentia & de bono & de malo dicitur. Cõcupiuit & defecit anima mea in atria domini, pro bono. In lege autem aliter: Nam concupiſcentiam neſciebã, niſi lex diceret: Non concupiſces, utiq; pro malo. Deniq; ſubiecta nos doceant: Quia occaſione accepta peccatum per mandatum operatur omnem cõcupiſcentiam in hominis affectu. Poſſumus tamen ſic accipere: Ante te omne deſiderium pono: hoc eſt, tibi manifeſto quæ impetrare deſidero: ut ad ſeriem petitionum, non ad iactantiam referendum uideatur eſſe uirtutum. Iactantia enim inſolens etiam in integro, deprecatio etiã in peccatore laudabilis. Addidit etiam Propheta, quia cor ſuum conturbatum ſit, deſeruerit ſe fortitudo ſua. Magnum periculum ſi cor exagitetur, quo credimus ad iuſtitiam. Sed tamen ut in magnis periculis ægritudinum ſi dolor ſentitur, & ſenſus eius exprimitur, remedium ſalutis oſtenditur: (dolere enim tolerabilius eſt, quàm non dolere: aliud enim uiuificationis adhuc manentis inſigne, ſi doleas: aliud ſupremæ mortis indicium, ſi nullus ſenſus doloris ſit) ita & cor ſalutis ſigna demonſtrat, quando cauſas ſuæ perturbationis agnoſcit. Deniq; turbatum eſt cor Dauid aduerſus Nabal hominem peſtilentem, & gratiam reperit dum occurrit Abigæa, quæ mitigaret cõmotionem indignationis, & ſanctificationem benedictionis acciperet. At uero Nabal duro & rigido corde uerbum uxoris ferre non potuit, & obſtupefactus obriguit, & mortem incidit. Quæ autem Prophetam deſeruit fortitudo? utrum carnis? an mentis? Si carnis, non utiq; deſperanda ſanitas. Nam uirtus in infirmitate perficitur. De quo nõ mediocriter diſputauit arbiter & breuiator: qui luctã mentis & corporis ſciens, temperabat utriuſq; certamen, ut reſtringeret carnem, ſi cerneret fortiorem, ne in legem peccati captiuã duceret mentem. Reuocabat itaq; carnem, uirtutem autem mentis iungebat: ſic ad coronam meruit peruenire. Ergo hoc dicit Propheta: Si carnis fortitudo deſeruit, mentis fortitudo præualuit. Quòd ſi fortitudinem mentis accipimus deſeruiſſe, non mirum ſi in grauiſſimis tentationibus corde turbato putat ſe homo mentis ſuæ fortitudine deſeri. Ipſe te doceat dicens: Fortitudo mea & laus mea dominus. Dominum ergo quærebat: & ideo ne deſeri mereretur, ſæpius putabat eſſe quærendum: & ſicubi fluctuabat, putabat ſe eſſe deſertum. Sic Apoſtoli excitabant dormientem, ne obdormiret ſibi: non quia eũ obdormiſſe credebant. Sic Heliſæus (ut ſuperiorum utamur exemplis.) Vbi eſt, inquit, Deus Heliæ? non quòd putaret abſentem, ſed quia præſentiam eius in beneficijs requirebat. Sic Hieremias ſequebatur ut medicũ, dicens: Sana me domine, & ſanabor, ſalua me, & ſaluabor. Non laboraui ſequens poſt te. Sic Eccleſia requirebat eum in Canticis canticorum, & rogabat filias Hieruſalem, ut ſuſcitarent dilectionẽ. Quęrebat ut inueniret, quẽ ſua dilectione retinebat: nec unquã ſentiebat abſentem. Sic ergo & Dauid non quærebatur à Chriſto ſe eſſe deſertum, ſed iudicabat illo præſente ſe non poſſe turbari. Deniq; ut ſcias de Chriſto magis intelligendum, addidit: Et lumen oculorum meorum non eſt mecum.] Quod eſt uerum lumen omniũ, niſi Chriſtus Ieſus? de quo Ioannes dicit: Erat uerum lumen, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ: quia ipſe eſt qui illuminat & corporis oculos, & mentis obtutũ. Rogemus ergo ut ſemper nobis ſuum lumen infundat, & ſemper nobiſcũ ſit, ſicut erat cũ Dauid, & ideo audebat dicere: Quoniam apud te eſt fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Ille certe quaſi Propheta magnũ uiderat lumen: Nobis lucerna eius luceat, ne poſſimus errare. Et lucerna uerbũ eſt, ſicut uerum lumen eſt uerbum, quod totũ illuminat mundũ. Deniq; lucerna

Luc. 22
Pſalm. 41
Pſalm. 55
Pſalm. 83
Roman. 7
Roman. 10
1. Reg. 25
2. Corinth. 12
Pſalm. 117
Matth. 8
4. Reg. 2
Hier. 17
Ioann. 1
Pſalm. 35

pedibus

pedibus meis, uerbum tuum domine. Et lucernam illam etiam Propheta quærebat, non laternam. Lucernam autem illam Ioannes inuenit, & demonstrauit. Cum laterna persecutor aduenit. Laterna enim clausum habet, non liberum lumen. Lumen Iudæorum
2. Corinth. 3 quasi lucerna sub modio, uel fax sub uelamine, potest uideri, sed non uidet. Nos autem reuelata facie gloriam domini speculamur æternã, ut ad eius imaginem à gloria in gloriam per spiritum sanctum reformemur. Venit ergo persecutorũ turba cum laternis: & ideo inclusam in eis lucem uidere eorum oculi nequiuerunt. Venit cũ facibus, quæ plus habent in fumo caliginis, quàm splendoris in lumine. Denicq; facibus mortuorum cadauera ardere consuerunt. Sibi ergo Iudæi iam ferebant incendia, qui persequebantur salutis auctorem. Venere cum armis, significãtes armis se perituros esse Romanis usq; ad excidium totius ciuitatis & templi, qui pacem domini recusarunt. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Et proximi mei à longe steterunt, & uim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt uanitatem, & dolum tota die meditabantur. Ego autem uelut surdus non audiebam, & sicut mutus qui non aperit os suum. Et factus sum sicut homo nõ audiens, & non habens in ore suo increpationes.] Videro qui sint qui argute ista discutiant. Mihi in primo præcipue isto uersiculo domini uidetur tenenda sententia: quia in tentationi-
Matth. 7 bus inimici fiunt hominis etiam domestici eius. Hoc ergo sanctus Dauid pure atq; syncere & dolenter fatetur. Verus enim dolor est & interioris cordis confessio, quãdo enumerãtur omnia quibus secreta mentis uiscera amarissimo cõpunguntur affectu, & domestico felle exacerbantur. Deplorat igitur Propheta ab amicis se & proximis impu-
Iob 2 gnatum, à quibus utiq; non impugnari debuit, sed iuuari. Quod utiq; cũ sancti Iob quærimonia concurrit: quia & ipse arguebat tres illos reges consolatores malorum, qui maiora ei inferebant certamina, cum ad consolandum eum amicitiæ gratia conuenissent: quod utiq; cauendum est nobis. Consolatio enim mitis esse debet, non aspera, quæ magis dolorem leniat, feruorem mitiget, quàm cõmotionem excitet. Certe ipsius corporis medicina nos doceat, quæ feruentibus uulneribus molliora medicamenta cõsueuit adhibere, quibus dolorem alleuet. Ideoq; fouentur primo uulnera, pòst secãtur, ne offendat ipsa durities, & incisio uulnus exasperet. Quanto igitur magis cauere nos conuenit, ut cum uenerimus ad consolandũ, non facile, non perfunctorie loquamur? Septem diebus tacuit Iob, tacuerunt amici, nec locuti essent, nisi Iob dolore prorupisset in uocem. Quærendum est enim unde incipias: ne in ipso sermone offendat consolatio tua. Et iam taciturnitas ipsa medicina est: & uelox in sermonibus magis uulnerat. Quid miraris si al-
Prouerb. 10 terum uulnerat, cum frequenter ipse sese uulneret? quia ex multiloquio peccatum non effugit. Etenim si medicus medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus medicinæ subsidia deferãtur, ne acerba adhuc & immatura (ut asserunt) ægritudo, curationis remedijs reluctetur, & beneficium sentire non possit: quanto magis explorare nos conuenit ut opportune à nobis medicinalis sermo procedat, qui non accendere luctũ, sed lenire uideatur? Vis urget doloris: premit cor mulieris afflictæ, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filios. Quid properas, cum te illa non audiat nisi deferuescat dolor? Sæpe lites de consolationibus uidimus excitatas. Venisti ut doleas: non ut litiges. Ordo sermonis ipse quærendus est: ne peccatũ apud Deum incurras, dum desideras homines consolari. Ne dicenti tibi: Audi hæc, & alia multa, quę nihil prosint, respondeat:
Iob 16 & 70 Audite consolatores malorum. Ne in luctu alterius certamen garrulæ disputationis inducas: ne nõ accedas cum oporteat: ne accedas, & durior sit tuus sermo. Denicq; quid di-
Ibidem 19 catur de talibus, doceat te sanctus Iob. Simul mihi uenerunt, tentationes grauissimæ circundederunt me: Considerantes fratres mei discesserunt à me, cognouerunt extraneos magis quàm me. Amici mei immisericordes facti sunt. Hic ergo naturalis est sensus etiã sancti Prophetæ Dauid, ut quæratur se ab amicis impugnatum, à proximis destitutum. Sed ne mysticus quidem abhorreat pietatis affectus, ut pro angelis dixerit, qui prætendunt timentibus dominum, ut eripiãt eos de tentationibus quas ferre nõ possunt. Quomodo ergo longe stant, qui ad adiumentum sunt attributi? Sed nõ illi se separãt, sed qui urgetur tentationibus, putat eos longe abesse, quos propius sibi adesse desiderat: & arbitratur dissimulare, cum illi iuuãdi tempus nutu sui imperatoris expectent, qui athletam

suum

suum quo glorioſius uinceret, diutius certare præcepit. Et uidetur hoc magis ſequentibus conuenire, quia angelis protectionis excubias relaxantibus, inſidiatur inimici, quæ rentes in anima eius inuenire quod noceat. Tũc enim poteſtas illis grauioris tẽtationis permittitur, cũ culpa animę grauior reperitur. Vnde habes illud in libro Regnorũ regis Achab ad Heliam dictũ, quando eum propheta uehementer increpauit, & mortẽ ei denunciauit: Inueniſti quid in me? Et reſpondit Helias, Inueni: quia feciſti malignũ in conſpectu domini. Vides ergo quia regibus non temere uel à prophetis dei, uel à ſacerdotibus facienda iniuria ſit, ſi nulla ſint grauiora peccata, in quibus debeãt argui. Vbi autem peccata grauiora ſunt, ibi non uidetur à ſacerdote parcendum, ut iuſtis increpationibus corrigantur. Tamen Dauid in hoc loco dicit, quod nihil inueniſſe uideantur: & ideo inimici eius uanitatem locuti ſunt: quoniam nihil quod pro ueritate loquerentur, inuenerint. Aut certe quia etſi peccaui, tamen peccata mea pœnitendi dolore purgabã. In quo illi cum dolo mecũ loquebantur, ut me obiurgatione confunderent, & à conuerſione reuocarent. Et uide ne hoc magis ſenſerit, quæſiſſe illos mala eius: ſed cũ uellent accuſare, preuentos: quoniam uulnera ſua ipſe patefecerat, ſui accuſator exiſtens: & ideo uim accuſationis eorum eſſe annullatam: locutos autem fuiſſe uana, quæ confeſſo culpam nocere iam nõ poſſent. Excluſi igitur à criminationis inuidia, dolum adhibebant, ut inſurgerent, inquit, mihi & inſultarent, quo me ſtimularent ad aliquam cõmotionem. Quorum ego dolum uidens, uelut ſurdus non audiebam. Conſidera uim ſermonis. Nõ dixit, quia ſimulabam non me audire quæ dicerent, ſed non audiebam, dixit: quòd intentione mentis uocem loquentis excluderet, nec aperiret os ſuũ, ſicut mutus. Beatus qui poteſt tantã habere uirtutẽ, ut laceſſitus nõ iraſcatur, cõmotus ſe nolit ulciſci, inimici hoc agũt ut prouocent ad iracundiam. Maledicunt ut maledicamus: criminantur, ut crimen retorqueamus: cõuitiantur ut excitent nos ad uiciſſitudinem cõtumeliæ. Vnde præclare Petrus de domino Ieſu in Epiſtola ſua poſuit: Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Ad eius ergo ſimilitudinem atq; imaginẽ iuſtus ſuę uitę cupiens inſtituta formare, accuſatus tacet, læſus remittit, diſſimulat laceſſitus, & nõ aperit os ſuum: ut illum imitetur qui ſicut agnus ad uictimã ductus, ſic nõ aperuit os ſuũ. Et cum poſſit habere quod referat, magis uult ſilere, quàm dicere. Ipſe enim dominus Ieſus cum accuſaretur, tacebat: & dum percuteretur, non repercutiebat. Deniq; percuſſus reſpondit: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi bene, quid me cædis? Vide quemadmodum quaſi uir infirmus, & quaſi is qui ſe uindicare nõ poſſet, puerili quodam loquebatur affectu. Ita ergo & tu ſi habeas quo redarguas arguentẽ, melius tacebis: ne redarguendi uiciſſitudine cõmotionem tuam prodas. Melius eſt enim diſſimulare iniuriam, quàm cum redarguis uindicare. Bonus motus, qui loqui male neſcit: cuius ex ore crimen exire non nouit. Hic eſt motus uere beatus, qui cum tacet, intra ſe loquitur. Dominus dat mihi linguã eruditionis, ut ſciã quando oporteat me dicere ſermonẽ. Talia loquebatur intra ſe Zacharias cum obmutuiſſet. Et uere, quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur obmutuit: & ut loqueret, exauditus à Chriſto eſt. Deniq; ſcripſit quod Chriſtus exaudiret: & uocẽ recepit, quã Chriſtus indulſit, & gratiã adiunxit, quam antè non habuit, ut prophetaret eum, cuius mãdatis ante non credidit. Quid de domino omnium uirtutum loquor? cũ mulier Suſanna nec ſexus infirmitate turbata cum ſe ad periculum mortis cognouit addictam, uocem emiſerit? Accuſabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & ſilentio ſe tegebat, ne nudaret pudorem. Intra ſe tamen loquebatur deo: qui eam magis audiuit tacentem. Quę ſi uoluiſſet loqui, forſitan nõ eſſet audita. Et tu ergo qui propoſuiſti ſatisfacere pro delictis domino deo tuo, illi ſoli interiore corde purga, illum contuere qui poteſt peccata diluere. Adiuuat te, qui putauerit arguendum. Deniq; cum maledíceretur Dauid, & eius dux Abeſſa iniuriam regis uellet ulciſci, dixit ad eum Dauid: Dimitte illum, ut maledicat: quoniam dixit illi dominus, ut uideat humilitatem meã, & retribuat mihi dominus bona pro maledicto hoc. Vides igitur quòd à contuentibus adiuueris ut dominus audiat te, & peccatum tuum remittat? Nam cum ipſe accuſator tuus eſſe debeas, & coaceruare flagitia, teq; ipſum offerre ſuplicio: quomodo negare obiecta deſideras? Pœnitentia patientiam quærit, patientia mitigat delicta magna. Quomodo iraſceris alijs, tuæ ipſe reus conſcientiæ? Quomodo commoueris, cum

Isa. 50
Luc. 1
Daniel. 13
2. Reg. 16

debeas esse miserabilis? Qui arguitur, & (quod est amplius) à semetipso, curare debet
Luc. 4 sua uulnera, non alterum uulnerare. Nemo alium uulnerando se sanat. Medice cura teip
sum. Si medicus, quanto magis reus prius curare se debet? Confiteris peccatum tuum, et
medicum te profiteris in alienum? si ueritatis est quod retorques, temporis non est. Pec-
Psalm. 49 catori enim dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? Vsurpas tibi ut de lege arguas,
qui contra legem ipse feceris? Quid lachrymarum tempus amittis? Quid cõcertando ua-
nos sermones aut audis, aut loqueris? cum tibi scriptum sit: Non accipias auditũ uanum.
Matt. 12 cum legeris in Euangelio, pro omni sermone ocioso iudicium esse subeundũ? Et si alius
loquitur, tace: & si alius conuitiatur, aurem tuam obstrue. Dauid tacendo uicit aduersa-
rios suos: & quia sicut mutus factus est, uocem recepit: quia conuersus ad dominum lo-
quebatur dicẽs: Quoniã in te domine speraui, tu exaudies me domine deus meus. Quia
dixi, nequando exultent in me inimici mei.] Vide singula. Tacebat Dauid, loquebãtur
inimici, prouocabant, ut aliquid & ipse loqueretur. Dicebant: Audiamus uocẽ tuam. In
tra se ille tacitus loquebatur. Quid opus est ut ista audiant quibus prodesse nõ possimus?
In te domine speraui: tibi soli loquor: tu audi, qui exaudire potes. A te semper poposci
ne aliquando exultent in me inimici mei: quia etsi peccaui, tu peccatũ dimittis. Etsi ego
cecidi, tu resuscitas: ne habeant unde exultare possint qui peccatis lætantur alienis. Plus
enim acquisiuimus qui plus peccauimus: quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra in-
Mich. 7 nocentia. Habemus hunc sensum & in libro Micheæ prophetę: Noli gaudere super me
inimica mea quia cecidi, sed resurgam. Non est grauis infirmitatis ruina, si non sit etiã uo
luntatis studium ab ea non surgẽdi. Præsens est qui faciat ut resurgas. Dixit ergo Dauid
in corde suo petens ut exaudiretur à domino, & ut non exultarent in eum eius inimici,
petens etiam ut in conuersionis suę proposito permaneret, ne dum propositi sui gressus
quasi quidam pedes suæ animæ commouentur, in eum aduersarij superba & magnilo-
quentiæ plena loquerentur, ut faciunt qui insultare desiderant. Tametsi moueatur ut ho
mo, paratum ad flagella se dicit, ut uel supplicio soluat errorem. Etsi cessent flagella do-
mini, se tamen dolore proprio memorat flagellari, ut non inueniat culpa quod damnet,
quam pœna præuenerit. Hoc est ergo quod ait: Et dum commouentur pedes mei, in me
magna locuti sunt.] Eò quòd tam prompti sunt ad insultationis ludibria, ut in commo-
tione pedum meorum paratam habuerint magniloquentiam, uel certe sic: Dum cõmo-
uentur pedes mei, putantes quod caderem, superba iam & magniloqua sunt locuti. Sed
quia ipse in posterioribus penè motos pedes suos dixit: ne quid oriatur hinc scrupuli,
considera hic doceri nos affectum pœnitẽtiæ, ibi opinionem eius erroris excludi, quòd
diuitiæ & successus prosperior flagitiosorum nos mouere non debeant. Consuetudo au-
Psalm. 125 tem elocutionis in scripturis diuinis huiusmodi reperitur. Sic enim & alibi, Dum cõuer-
teret dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Quanquam sanctus nõ in
ostensione uerborum, sed in uirtute spiritus probari se uelit. Sensus ergo nobis spectan-
dus est semper: quem etiã ipsum frequens translatio ex Hebræo in Græcum, ex Græco
in Latinum attenuare consueuit. Ad omnia itaq; superiora pulchrum remedium, quòd
1. Para. 21 in flagella paratus est, & offert se domino, ut quæ placuerint deo, flagella sustineat. Ele-
gisse quidem lego sanctũ Dauid flagelli genus, quod æquanimiter sustineret. Sed elegit
quia de tribus ei conditionibus eligendæ unius necessitas mandabatur. Vbi autem non
mandatur, ad omnia paratus est dei seruulus, seu corporalem ægritudinẽ subeat, seu fu-
gam à facie inimici, siue obitum filiorum, quos non timet prę̃mittere, quia recipere po-
test imperterritus. Nam & sciens quòd si hic fuerit punitus supplicio temporali, leuare-
tur in futurũ perpetuæ possit pœnam erumnæ: rogat ergo recipiatur petitio sua, & castige-
Hebr. 12 tur ipse, ut recipiatur. Castigat enim dominus omnem filium quem recipit. Si seruulum
tuum uideas peccata propria confitentem, ultro offerre se pœnę, inflecteris, ignoscis, &
de domini miseratione diffidis? Iudex ipse cui non licet in plurimis causis à gladio tem-
perare, quia legibus seruit, potest tamẽ lucrũ donare pœnarũ, & tu adhuc trepidas quid
à legum domino & misericordiæ auctore deposcas, cui lex uoluntas est, & donãdi ius?
Si tamen tu petas tibi tua peccata donari, nec consideres honores tuos, aut erubescas a-
micos tuos, ne dignitatẽ tuam deflexisse uideare is. Amicus dei, propheta dei, rex ab ipso
electus deo, & unctus in regnũ, flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescebat: & tu
erubescis?

erubescis? Non multũ ista uerecundia tibi opitulabitur cum ad iudicium dei ueneris, sed pudoris te istius pœnitebit cum in conspectu non solũ hominum, sed etiam angelorum & omnium potestatum cœlestiũ constitutus cœperis peccata propria nõ negare. Quomodo excusabis, cum tanta commiseris? Prætendes conditionis infirmitatem, quia nemo sine peccato? Respondebitur tibi: Debuisti ergo agere pœnitentiam, dederã remedium: cur refutasti? Subtexes pudorem, quòd honores tuos erubueris? Dicet, Si tu erubuisti me corã amicis tuis, & ego te erubescam corã patre meo qui est in cœlis. Disce uerum esse quod scriptum est, quia est uerecundia adducens peccatum. Dauid in cõspectu suo dolorem suum ponebat, ne unquam obliuisceretur: Dauid iniquitatẽ suam ipse pronunciabat: Dauid de peccato suo, non de opibus cogitabat: Dauid non erubescebat sua recensere peccata, ne de ijs erubesceret in meo iudicio constitutus: & tu erubescebas? Nõ esset hodie in requie seruulus meus Iob, si erubuisset tres illos reges amicos suos: nec ipse Dauid, si erubuisset delicta propria confiteri. Ergo quia non erubuit mihi sua aperire peccata: nec ego erubescam ei mea secreta reserare. Et quia uterq; eorum nõ erubuit factorum suorum precium in mea ponere potestate, meo se iudicio uoluntatiq; committere: nec ego de talibus seruulis erubescam ut appellẽ amicos, qui meam studuerint facere uoluntatem. Ideoq;, quoniam illi ante in mœrore, nunc in cõsolatione: tu quia in delicijs, nunc in supplicijs. Chaos inter uos magnum est: ut neq; illorum ad te gratia, nec tua ad illos possit pœna transire. Audis ergo quid dicat Dauid? Audi, dum tibi corrigere & emendare permittitur. Si hic emendaueris, illic requiesces. Non te dulcia mundi & seculi huius, sed amara delectent. Graue enim fel mouere consuerunt. Non ille iucunda quærebat positus in regno, qui eligebat mortem sanctorũ quàm uitã flagitiosorum. Inimici, inquit, mei uiuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderũt me iniquè. Qui retribuũt mala pro bonis, detrahebãt mihi, quoniã subsecutus sum iustitiã.] Sed quanto ille illustrior, qui quotidie moriebatur, ut populum suum uiuificaret, & corpus suum mortis uulneribus offerebat? sicut ipse ait: In mortibus frequenter. Mors enim honesta, redemptio uitæ est etiam decoloris, aut innoxiæ firmamentum. Exitus autem mortis in manu uitæ. Et ideo malebat Apostolus quotidie mori, ut uitæ suæ meritũ comprobaret. Scriptum est enim: Non laudes hominem in uita sua. Qui enim uiuũt, morientur: qui moriuntur, resurgent. Propior ergo saluti est qui moritur, ut resurgat: quàm ille qui uiuit, ut moriatur. Quis est autem qui quotidie moritur, nisi qui mortem domini Iesu sua carne circunfert, ut omnia ei peccata moriantur? Confirmati autem & multiplicati sunt inimici Dauid in hoc seculo: sed non idoneum firmamentum, nisi eius qui confirmatur à Christo. Deniq; illi confirmantur in seculo, qui oderunt iustum iniquè. Non ergo iustum odium, sed iniustum, cum odissent iniquè. Sed uide distantiã. In posterioribus ait: Qui oderũt me gratis, hic habet: Qui oderũt me inique. Sed ibi ex persona Christi, hic ex persona sua. Vbi ex persona Christi loquitur, gratis odio habetur: ubi ex sua, iniquè. Homo enim potest uni alicui uulneri non patere, utpote iniustitię, intemperantiæ, impudicitiæ: alijs autem uulneribus patet. In Christo autem nulla causa esse potuit qua peccati alicuius potuerit uulnus accipere, immunis à culpa, & integer à delicto, atq; immaculatus à uitio. Sunt autem qui putant utrumq; Psalmũ ex persona Christi esse decursum, qui pro nostris peccatis satisfaciebat patri. Hic ergo dicebat se appetitum contra iustitiam, illic contra gratiam. Et bene addidit, ut probaret se iniuste appetitũ. Quoniam subsecutus sum iustitiã. Quanta uis uerbi in unius syllabæ adiectione, ut subsecutũ se diceret iustitiam, non secutum? Propior est enim qui subsequitur, quàm ille qui sequitur: & suppar, quàm impar: & successio hæredis magis quàm accessio nuncupatur. Et tamen quanuis subsequatur iustitiam, non suæ uirtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si nõ deseratur à Christo eoq; orat impensius, dicens: Ne derelinquas me domine deus meus: ne discesseris à me.] Hoc est, homines me dereliquerunt, amici mei impugnauerunt dilectum sibi proximum: non appropinquarunt. Fugiebant me quasi mortuum, & abominati sunt, quia peccata mea tibi aperire desideraui, tibi cõfiteri, quia flagellis tuis me obtuli uulnerandum, quia elegi cicatrices uulnerum super epulas regum, & iactantiam potestatum. Tu solus me nõ derelinquas, tu hæreas seruulo tuo, qui de terra suscitas inopẽ, & de stercore erigis pauperem. Tuo comitatu fretus, frequentiorẽ me ambientibus po-

Luc. 9
Eccle. 4
Luc. 16
2. Cor. 11
1. Cor. 15
Eccle. 11
Psalm. 68
Psalm. 112

æstímabo. Computruerunt quidem cicatrices meę: sed adhuc tuorum uerberum desíde
ro cicatrices, quę sanitatis uulneribus obducuntur, ut postea nullũ ulcus appareat. Bo
næ triumphalium uulnerum cicatrices, quibus uictores huius terreni prælij gloriantur.
Quanto illustriora uulnera, quę pro fide & nominis tui gloria uidentur excepta: ista est
Apoca. 11 cicatrix quæ cœlum aperit, regnum acquirit, immortalitatem inuenit. Hęc ergo est cica
Rom. 7 trix beata, quoniam beati qui lauerũt stolas suas in sanguine suo. Sic cœpit stola esse glo
riæ, caro mortis: in qua & Paulus antè periclitabat electus dei, nisi petisset se liberari de
corpore mortis huius, ut legimus. Et ideo qui sumus in hoc corpore mortis, oremus ne
bonus ille dilectus dei medicus nos derelinquat, quem patriarcha Dauid ne à se discede
ret precabatur. Ipsi nos cõmittamus, parati quo uelit curari medicamento. Nemo dicit
medico corporis sui, quemadmodum sit curandus. Nouit medicus, quæ singulis uulne
ribus medicamenta conueniant, cuius ulceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius
corporis serpat exitium. Si dixerit medicus medicinæ genus quo curari æger debeat, &
ille fastidiat: discedit medicus, & ęgrum relinquit. Vide eum qui curari uelit, omni gene
re medico acquiescentẽ. Attende ordinẽ. Aperit primo uulnera sua medico, & dicit: Cu
ra me: sed rogo ne in ira tua: quia non sustinent ueram medicinam infirmitates meæ. Me
dicina Christi, correptio est. Corripit enim deus quem uult conuertere. Ideo & Paulus
2. Tim. 4 ad medicum dicit: Argue, obsecra, increpa. Non ergo recusat curari, qui petit argui, sed
leuari uult pœnam, ne in ira arguatur, & impetu iræ corripiatur. Et uide processum. Pri
mo petit argui: postea (quod maius est) corripi. Deinde non solũ confitetur peccata sua
sed etiam numerat & accusat. Non uult enim latere sua delicta. Nam ut febres in alto sitę
non queunt mitigari: cum foras eruperint, spem afferunt desinendi: ita peccatorũ mor-
Prouer. 16 bus dum tegitur, inardescit: si confessionibus prodit, euaporat. Et ideo iustus accusator
est sui in principio sermonis, priusquã contagio ulceris serpat intrinsecus. Grauat enim
conscientia memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Et si differt medicus, æger of-
ferre se debet, ut citius secetur: sicut offerebat se Dauid in flagella domini, dicens: Redde
mihi duplicia peccata, dummodo hic uindices. Noli me deserere, noli auertere faciem
tuam à me: noli dedignari atq; horrescere fœtorem uulnerum meorũ. Et Iob seruus tuus
percussus erat ulcere à pedibus usq; ad caput, & remedium suæ sanitatis inuenit: licet il-
lud uulnus uirtutis fuerit, istud erroris. Fœtebant uulnera, quæ medici curare non pos-
sent. Locutus es domine mysteria sacramentorum tuorum, manifestasti uenena serpen-
tis, & solius sermonis tui medicamento serui tui curata sunt uulnera, quia tu eum non de
seruisti: & me non derelinquas domine, ne discesseris à me.] Homines me dereliquerũt
quia sordent illis uulnera mea, quæ pietati tuæ putaui esse reseranda. Illi dicunt, Exi à no
bis, quia peccator es tu: discede, ne nos polluas. Tu autem domine curas, & non pollue-
ris: adiuuas, & non contaminaris: quia deus salutis es domine, & manus tua non perde-
re, sed sanare consueuit. Compleuimus Psalmum etiam cum eius interpretatione uersi-
culi quem Græci nonnulli codices, sed non omnes habent Latini. Nam ante responso-
rium proximum uersiculus est, Et proiecerunt me sicut mortuum abominatum, hoc est,
illi qui reddebant mihi mala pro bonis. Sed tu ne derelinquas me domine, ne discesseris
à me. Hoc enim sequitur: id est, tu ne derelinquas, qui mortuum fœtentem curare cõsue
sti. Denicq; habemus hoc in Euangelio. Nam cum uenisset ad monumentum Lazari, &
Ioann. 11 dixisset, Tollite lapidem: ait Martha: Iam fœtet, quatriduanus est enim: respondit ei: Nõ
dixi tibi, quia si credideris, uidebis gloriam dei? Et clamauit Lazarũ, & sanus exiuit. Cre
damus ergo & nos, ut de uulneribus nostris acquiramus medicinam salutis, & futuram
gloriam. In orationibus igitur & obsecrationibus, cum dolore & lachrymis exigenda
pœnitentia est, ut illam gloriam dei uidere mereamur. Neq; te moueat quod luctus, do-
Rom. 8 lor, commaceratio corporis, grauissimæ passiones sunt. Etsi grauissimæ uidentur, tamẽ
indignæ sunt huiusmodi passiones ad superuenturam gloriam: sicut testis tibi est Apo-
stolus Paulus. Non pigeat ergo nos hic leuiora ferre, ut ibi plena laudis & gloriæ possi-
mus adipisci, pro temporalibus laboribus perpetua præmia reportantes, per do-
minum Iesum: cui laus, honor, gloria, perpetuitas à seculis, & nunc,
& semper, & in omnia secula seculo-
rum. Amen.

Psalmi

Psalmi trigesimi octaui enarratio.

Titulus, In finem pro Idithum canticum ipsi Dauid.

1 NSuperiore Psalmo expressa forma pœnitentiæ est, in hoc sequenti patientiæ forma signatur. Quem psalmum Dauid scripsit, & Idithum uiro disciplinis leuiticis & sacerdotalibus erudito canendum dedit: qui ante arcam domini Psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithum scripsit hunc Psalmum, sed propheta Dauid & Idithũ uito canendi perito psallendũ dedit: Ideo sic inscriptus est titulus. Denicq etiam in secularibus scriptis alij erant qui scribebant, alij qui in scena uel cantica, uel comœdias uel tragœdias canere consueuerant. Et illi quidem coronã Olympicam postulabant: unde & ἐπινίκιον hymnum eorũ scripta in finem testantur, Dauid autem qui non hæc serta coronarum marcentiũ requirebat, sed illã incorruptibilem & incontaminatam remunerationũ cœlestium hæreditatem pio desiderabat affectu, hymnum non uictoriæ ἐπινίκιον, sed ei scripsit, qui uictoriam in se credentibus impertiebat, qui finis est omnium quæ pia mente deposcimus. Siue enim sapientiam quæras, siue uirtuti studeas, siue ueritati, siue uiæ atq; iustitiæ, siue resurrectioni, in omnibus tibi sequendus est Christus, qui est uirtus dei atq; sapientia, ueritas, uia, iustitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi ad perfectionem omnium, summamq; uirtutum? Et ideo tibi dicit, Veni, sequere me: Hoc est, ut ad consummationem uirtutum per uenire merearis. Ergo qui sequitur Christum: ipsum pro possibilitate sua debet imitari, ut præcepta eius secum ipse meditetur, & diuinorum exemplarum factorum. Et ideo Dauid secum ipse meditabatur, quòd Christum in se locutũ esse retinebat: ut cum aliqui ei essent molesti, & eum ad contentionem lacessere conarentur, patientiam indueret, certandi studia declinaret, ex quibus inanis strepitus & iurgia frequenter oriuntur. Ideoq; cum sancto Dauid plerisq; eius uirtutibus inuidentes, qui eum de proposito mansuetudinis, & humilitatis affectu crederent diducendum frequenter ingruerent, ipsæ quoq; præcipue nequitiæ spiritales in cœlestibus, aduersus quas graue luctamen est iustis, ad commouendum eum ministros suę improbitatis impellerent: ne inter obstrepentiũ crebra certamina, & disceptationũ tumultus sermo aliquis sibi offensionis excideret, tacere sanctus Propheta proposuit. O ualidum scutum, circunspectę munitionis silentiũ. O fidissimum stabilitatis fundamentum: in quo si quis potuerit stare, lubricum uerbi timere non possit. Multi enim etiam stabili corde firmati, incauti tamen, sermonis fluctuantis erre sæpe ceciderunt. Videns igitur huiusmodi insidijs & uano concertantium strepitu se Propheta tentari, intra se ipse tacitus conferebat, legem sibi taciturnitatis imponens: & cum taceret, insultantibus sibi, & ut loqueretur aliquid prouocantibus, qualia solent insolentium esse certamina atq; sermones: Responde nobis, si de æqualitate præsumis. Vides & tu esse te uictũ, & nihil habere quod referas? cum se prope ad uocem conuitijs uideret impelli, se ipse reuocabat, ut loqueretur in corde: Dixi custodiam uias meas, ut nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiã, dũ consistit peccator aduersum me.] Hoc est, proposui, confirmaui, imperaui mihi, locutus sum cordi meo: Vias meas custodiam. Si alijs dixissem, sermo meus stare deberet: quãto magis stabile debet esse quod mihi ipse constituo? Si quis alienũ fallat, indecorũ est: si quis proximũ, graue: quãto igit grauius, si quis se ipsum eo quòd sibi promiserit, putet esse fraudandum, ut ipse sibi infidelis suo iudicio & despicabilis æstimetur? Cur igitur idoneus uideri potest, qui sibi uilis est? Teneamus igitur animæ constantiam nostræ, ne in offensionem labia loquendi festina prorumpant. Et Iob plagam suam silentio uicit, & tolerantiam suã taciturnitate superauit. Non bene creditur carni. Vicissemus, si Eua tacuisset. Ergo primũ illud processit ex uoce peccatũ, & serpens ille nequissimus atq; uersutus per uocẽ nos ante tentauit. Atq; utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eua obmutuisset. Ille, ne uocem suæ uxoris audiret: ista, ne loqueretur marito, & lubricæ uocis ministerio serpentis in uirum uenena transfunderet. Cain quoq; etsi parricidio naturam uiolauit humanã, & obliterauit impius iura pietatis, tamen per uocẽ sacrilegium sceleri suo addidit, ut negaret deo necati fratris interitum. Quid de singulis dicam? Populus ipse electus à domino, cui tacitus Moyses aperuit mare, ingratus cœlestibus beneficijs obmurmurabat: quo diuinam contraxit offensam. Deinde ipsum ducem inuij illius atq; inusitati itineris Moysen respuit, & à fratre

Marc. 10

Ephes. 16

Genes. 3

Genes. 4

eius Aaron deos sibi fieri quos coleret, postulauit. Vnde etiam ipse cõsiderans tanta uo
cis pericula, dixit: Custodiam uias meas.] Quæ sint igitur istæ uiæ hominis, quæ & ma
gnopere præcauendę, ne quid grauioris offensionis incurrant, admonet nos tantus Pro
pheta diligentius considerare. Admonet etiam Salomon eius filius paternæ meritis in-
Prouer. 30 terpres prespicacius examinare, qui scripsit: Tria mihi sunt impossibilia intelligere; &
quartum quod non agnosco. Vestigium aquilæ uolantis, & uiam serpẽtis in petra, & se-
mitas nauis in pelago nauigantis, & uias uiri in iuuentute, & mulieris adulterę, quę post
quam egit, abluta, nihil egisse se dicit iniquum. Tria ergo impossibilia sibi esse dixit ad in
telligendũ, & quartum, quod ille habens inter homines sapientiæ signaculum, nõ agno
sceret: uiarum uidelicet uiri in iuuentute processum. Quarum igitur est uel inexplicabi-
lis uel difficilis agnitio, potest facilis earũ esse custodia? Vnde non immerito ipse Dauid
Psalm. 24 delictorum iuuentutis suæ non defensionẽ obtulit, sed obliuionẽ rogauit. Delicta, in-
quit, iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. Non immerito igitur Salomon
dixit se nõ agnoscere quod pater eius (in quo maior dei gratia fuit) se ignorasse testatus
est: Et fortasse delicta iuuentutis ad feruorem retulit carnis, ignorantiæ autem ad uerbo
rum prolapsionem: quæ non ex sententia nostra, sed impetu quodam & cursu loquendi
Psalm. 115 plerunq; funduntur: quod periculosum esse Propheta cognoscens, ait: Credidi, propter
quod locutus sum. Supra fundamentũ ergo uirtutis uox tuta est, sine fundamento lubri-
Rom. 10 ca. Ideo quasi quodã tubæ sono scripturæ diuinæ electus interpres increpuit: Corde cre
ditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Fides credentium principalis est, cõfessio
executionis. Quomodo igitur proposuerit sanctus Propheta Dauid, aut propter quid
custodire uias suas, audiamus. Vt non, inquit, delinquã in lingua mea.] Si hoc cauet Pro
pheta, tu non caues? Si hoc metuit, in quo dei gratia loquebatur: tu non metuis, qui erro
Matth. 21 ris uerba non refugis, & theatralibus sermonibus delectaris? Tu nõ reformidas, cui scri-
ptum est in Euangelio, quia pro omni ocioso uerbo rationẽ es redditurus? Si pro ocioso
uerbo periculũ est, quãto magis pro criminoso? Non omne quod ociosum, & crimino-
Ibidem. 2 sum: sed omne quod non fructuosum, periculosum, atq; eradicabile. Omnis enim arbor
non faciẽs fructũ, excidetur, & in ignẽ mittetur. Cùm mouetur animus & exagitatur sti-
mulantibus aduersarijs, obstrepentibus, illudentibus, criminantibus, excidit uerbũ com
motionis. Ideo silentium & tutum est, & decorum, quod seruat cum grauitate cautelam.
Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra uincula sunt? Deniq; uinculis labiorũ suo-
rum unusquisq; constringitur. Ideo sapiens in tempore tacet, & secũ ipse considerat quo
Prouer. 5 tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon: labia sapientis alligata sunt intel
lectu. Quando ergo uides illudentibus proteruis sapientem tacere, dic: Ligauit iste intel
lectu labia sua: hoc est, prudenter tacet, ne labiorum suorũ uinculis alligetur. Posuit ori
suo custodiã: sepsit aures suas spinis: uectem adhibuit foribus oris sui: seruat thesaurum
cordis sui, & argentum eloquij sui, ut examinatum & purgatum quando oportet profe-
rat: ne quisquam prius fur in cor eius aut perturbator irrumpat, & ad eos captiuũ trahat,
quibus flagitia sua uendat. Meditabatur Iudas Christum uendere: sed reuocabat eũ tan-
ta domini gratia, & quædam paternæ delinimenta pietatis, quibus furor eius mollieba-
tur: nec erupisset in scelus, nisi se in cor eius, quia Christum fallere se putabat, aduersarius
demersisset. Non ergo dubites quando aliqui tibi molesti sunt uolenti seruare iustitiam,
ministros esse illius nequissimi peccatoris, qui omniũ auctor est flagitiorũ. Videbat Da
uid propheticis oculis, agnoscebat eius figuram. ideo tacebat, ne illius faceret uolunta-
tem, qui turbare gestit affectum. Premebat uocẽ, claudebat portas suas silentio, præten-
debat in eo patientia, & taciturnitatis uigilabat custodia, ne inimicus obreperet, ut de
claustris oris uagus aliquis sermo & incautus exiret. Ideo fortior est patiens, qui seipsum
continet, quàm qui urbes capit. Iustus ipse sibi castrum est, ipse sibi peruigil custos. Cum
sibi ergo ipse prætenderet, loquebatur in suo corde: Posui ori meo custodiam. Etsi il-
consistit peccator aduersum me.] Adest semper inimicus, qui semper insidiatur. Etsi il-
lum non uides, adest: etsi illũ nõ sentis, incursat. Si non uides, uidenti crede. Consistit, in-
quit, aduersum me. Qui uidet peccatũ suum, uidet etiã peccatorem sibi in ijs quę gesserit
illudentem. Qui autem peccatorem præuiderit, potest uitare peccatũ. Videbat Dauid
consistere aduersum se peccatorẽ, quando Semei maledicebat & lapidabat regem suũ,

& clama-

& clamabat: Exi uir sanguinum. Neq; enim tam præruptus foret, ut nec tanti regis reue 2. Reg. 16
rentia moueretur, nec armatũ eius timeret exercitum, cum unus de exercitu eius conui
tiantem potuisset occidere: sed amentem diabolus fecerat, qui eum impellebat ad mor
tem. Ideo Dauid aduersus autorẽ magis prę liabatur, & ministrum persequebatur. Quid
enim magnũ, de homine inualido uindicari, quem ad furorẽ alter urgebat, in cuius ne
ce peccator habuisset uoluntatis effectum? Nõ gladio diabolus, sed uerbo dei uincitur.
Ideo taceat lingua hominis, dei uerbum loquat. Deniq; & Christus tacebat ante Pilati Matth. 27
iudiciũ constitutus, ut nobis daret formam tacendi: quia lingua corporis facilis est ad er
rorẽ, procliuis ad lapsum. Sunt aũt & qui tacentes loquant, sicut Moyses, qui stabat at
tonitus, & tacebat: cui dixit tacenti deus: Quid clamas ad me? Vt Susanna, quę tacuit in Exod. 14
periculis suis, & dominus exaudiuit eam. Ergo etiã si in te uerbum dei sit: & tacebis in Dan. 13
dei uerbo, & tacitus clamabis, ut audiaris à Christo. Meditare ergo quę Christi sunt, quę
secũ meditabatur propheta Dauid, in quo ea quæ secũ in hoc Psalmo meditatũ esse se di
cit, antè in eo locutus est Christus. Sic enim scriptũ est: Ego aũt cum in aliquo mihi mo- Psal. 34
lesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animã meam, & oratio mea
in sinu meo conuertetur. Quid est, In aliquo? Quia tũc maximè aut sermo importunus
elabitur, aut affectus mouetur, quando uel in dolore aliquo & tristitia sumus, uel indi
gnatione animus ægrescit, uel aliquibus solicitudinib. impediẽ, aut disceptationibus oc
cupatur. Qui igitur molesti? Primũ de ipso autore peccati & angelis suis intellige: de
inde de ijs qui malunt sequaces eius esse & Christi. Impellit uxor, ut sancti Iob: amicus,
quod in illo ipso libro manifestat: filius, ut Abessalon: seruus, libertus, domesticus, quia
inimici homines etiã domestici eius, ut exagitent eum singuli. Quod igitur remediũ ad
uersus huiusmodi animorũ ęgritudines, nisi patientia, nisi silentiũ? Et, quod est grauius,
ille te magis lacessit qui beneficijs tuis usus sit: & inter ipsos amplius ille exasperat, qui
plus tibi debeat: quo magis ingrati hominis acerbitate, aut uilis alicuius personæ indi
gnitate mouearis. Ergo iustus, etsi amicus ei est insolens, dolet pro amico, quia idcirco
amicus suus labitur, quia à tentatore impellit. Si pro amico debet, multo magis pro uxo
re, pro filio, si eos quoq; sibi insolentes experiatur. Et si frater exagitat, ut Esau sanctum
Iacob: dolet, & quærit sibi fratrẽ reconciliare, uel fugere à facie eius, ut Rebecca suade
bat, ne iracundia fratris occasionẽ nocendi aliquam reperiret. Et si proximus aut dome
sticus, dolet: & si minister aut libertus aut seruus, fert patienter, & in his omnibus tacet,
ne ei respondeat à quo eum cernit impelli. Conuitiatur ergo ex domesticis aliquis? do
let & tacet. Conuitiatur libertus? tacet. Cõuitiatur seruus? tacet. Sic uincitur qui laqueũ
eius animæ per escam uocis extendit. Tace ergo & tu cum tibi indignus conuitiat. Ta
ce cum tibi seruus & maximè tuus contumeliam facit, & dic in corde tuo: Ego taceo, tu
aũt ne taceas domine. & adde, Ne discedas à me: ut Dauid propheta dicebat, hoc est, ne Psal. 82
solum me impugnantibus derelinquas. Non est enim solus, cui deus præsens est. Acci
pe testimonium: Ecce, inquit, uenit hora ut dispergamini unusquisq; in sua, & me solum Ioan. 12
relinquatis: sed non sum solus, quoniam pater mecum est. Iustus ergo aduersus insultan
tes sibi tacet, iustus orat. Audi iustum orantem: Pro eo ut me diligerent, detrahebant mi Psal. 108
hi: ego autem orabam. Iustus maledicentibus sibi benedicit: ut faciebant Apostoli, sicut
Paulus asserit dicens: Maledicimur, & benedicimus. Iustus diligit inimicos suos. Vide 1. Cor. 4
quemadmodum paulatim per gradus singulos ascendere docetur ad incrementa uirtu
tum, dicente domino: Diligite inimicos uestros. Iustus orat pro calumniantibus: quia et Luc. 8
hoc præcipit dominus, adiungens: Benefacite ijs qui oderũt uos: orate pro calumnian
tibus & persequentibus uos. Ipse est per omnia iustus, qui hęc custodit & seruat. Primũ,
quia tacet, et non respondet inimicis. Deinde, quia orat: hoc est, non est ociosus affectu.
Et qui orat, bona orat, non ea quæ cuiq; possint suo inimico nocere. Plus est ergo ora
re, quàm tacere. Iustus maledicentibus sibi benedicit. Plus est & hoc, quàm orare pro
se. Securus enim sui benedicit ei quem non timet, aut etiam ei quem ante metuebat. Iu
stus diligit inimicum. Plus est diligere, quàm benedicere: quia maior est mentis dile
ctio, quàm sermonis gratia. Iustus benefacit ei cuius odijs appetitus est. Iustus orat
pro calumniantibus. Bona charitas, & pietas bona, utrumq; dei, & utrumque est deus:
quia charitas est deus; ut dixit Ioannes in Epistola. Ideo utrumque coniunctum est: 1. Ioan. 4

Rom. 13 Dilígite ínimícos uestros,& orate pro calumníantíbus & perſequentíbus uos.Plenitu-
do legis eſt charitas: ſed etiam hæc Euangelíj plenitudo, pro calumníantíbus & perſe-
quentíbus nos iubet orare,ut peccatis eorum ueníam poſtulemus: ſicut díuinō iudício
Iob 42 Iob ſanctus electus eſt, cuius oratío regum íllorū calumníantíum iuſto aboleret offen-
ſam.Ergo etſi infirmus es,ora:etſi fortis es,ora. Infirmus pro te oras, fortis pro ínímico
tuo oras. Bonum ſcutum infirmitatis,oratio. Tu oras,& dominus te protegit.Bonū ſcu
tum etiam triumphantis,ut ínímícum tuū quem poſſis ferire defendas, ne ab alíquo tru
Rom. 12 cídetur,&(quod eſt maius)à Chriſto,qui dixit: Mihi uíndícta, ego retríbuam. Hæc eſt
Hebr.10 oratío quæ ín ſinum conuertítur deprecantis,fructum referens eorum quę uoluntímpe
trare,ut dona eius ad animam ac mentem recurrant,quæ popoſcit à domíno:ſicut ín po
Pſal. 62 ſterioríbus hic ídem propheta te docuit dicens: Sic benedícam te ín uita mea, & in no-
míne tuo leuabo manus meas.Tanquam adípe & pínguedíne repleatur anima mea.Ip
ſe eſt ſinus animæ,ſecretum oratíonis eius,penetralía uoluntatis, & quædam recurren-
Luc. 16 tíum uotorū íntima receptacula. Vnde & iuſti ín Abrahæ ſinu requieſcere leguntur:ꝙ
ín eius gratía,ín eius requie,ín eius placiditate requieſcant,qui conformem ei índuerint
fidem,& eandem ín bonís operíbus fecerint uoluntatem.Sed fortè míretur alíquis,quū
Pſal.34 dominus díxerit per os Dauíd quòd humíliabat ín ieiunio animam ſuam: quomodo ip
Ibid.130 ſe Dauíd ait ín poſterioríbus: Si non humíliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.
Verū ex his conſidera aliud eſſe quod ad ſapientiam mentis refertur, aliud quod ad hu-
mílitatē cordis.Sapientía mentis ſublímis eſt, ſapientia autem carnis non debet inflari.
Humíliabat ergo dominus ín ieiunio animam ſuam,ut caſtígandū noſtræ carnis tumo-
rem doceret. Exaltabat animam propheta, per ſublímem dei gratiam: quoníam & qui
Luc.14 ſe exaltat,humíliabitur:& qui ſe humíliat,exaltabitur. Nec ſolum ſuperbus retunditur,
& humílis attollitur dígna remuneratione meritorum,ſicut prímum eſt intellígendum:
Hebr. 4 ſed (quía uerbum dei ex omní parte acutum eſt, uelut gladius qui ex duabus acutus eſt
partíbus)ego arbítror poſſe íntelligi,quía & qui ſe exaltat, nouit ſe humíliare: & qui ſe
Philip. 4 humíliare nouit,etíam exaltare ſe nouit.Deníq; Paulus oſtendit,dícens: Ego autem dí-
díci ín quíb.ſum,ſufficiens eſſe.Scio & humíliare,ſcio & abundare.Ergo & Dauíd non
humíliter ſentiendo de Chriſto,exaltabat animam ſuam: ſenſusq; uígore, fideíq; gratía
uirtutē humílitatis pío repræſentabat affectu.Ideo ergo dicebat:Obmutui, & humília-
tus ſum,& ſiluí à bonís.] Quía nouerat quando ſe humíliare deberet,& nouerat quādo
ſilere deberet. Obmutuit,ne ipſa lítígioſa cum obiurgantíbus cōtentíone perſtreperet:
humíliatus eſt,ut tumorem deíiceret ſuperborū, uel ut ipſos quomodo humíliare ſe de-
berent,ſuo doceret exemplo.Síluit à bonis,quía bona conſcientía non eget defenſione
uerborū, quę ſuo níxa eſt teſtimonio,ipſa ſuí iudex.Ideoq; iuſtus dícit: Quis cōtradicat,
1. Corinth. 4 aut quis reſiſtat mihi? Et Paulus dicit: Mihi em̄ pro mínimo eſt ut à uobis díjudícer, aut
ab humano díe.Aduerſum calumníantes & peccatores iuſtus ſuo iudício contētus eſt:
meritorum autem ſuorum iudícium Chriſto reſeruat.Ideoq; addídit: Qui díjudicat me,
dominus eſt.Pulcherrimè eum iudícem elegit,qui nulla fraude fallatur, ut eum nec oc-
culta prætereant,nec ínfirmæ conditionis lapſus offendat: qui fragílítatí norit ígnoſce-
re.Ad omnía igítur utíle ſílentium.Si peccatum agnoſcis,tace: ne negando exaggeres,
ſi non agnoſcis,tace,ſecurus de ínnocentía. Non poſſunt aliena uerba crímen affígere,
quod propría non recepit conſcientía. Sequitur: Et dolor meus renouatus eſt.] Ad-
huc ín inferíore uirtutis gradu poſitus hæc uerba depromit: quòd dolor ſibí peccato-
rum ueterum obiectiōe renouatus ſit,quæ deleta iam obduxiſſe uídebatur oblíuio, uel
bonorum operum texerat compenſatio.Deníq; ín poſterioríbus quaſi fortior dícit: Vi
Pſal. 108 derunt me,& mouerunt capita ſua:eò quòd mínarentur, & nocere non poſſent. Et ad-
Ibidem dídit:Maledícent íllí,& tu benedíces.Et hoc quaſi ualídíor loquitur, negligens ínjuriæ
uel pudoris: cui benedíctío domíní pro omnibus abundaret.Ergo ín iſto pſalmo trice-
ſímooctauo quaſi ín quadam meditatione, nondum tamen ín omní locatus perfectiōe
uirtutis,dícit ſibí dolorem eſſe renouatum. Validíſſimus enim cicatrícis offenſionē ſen
tire non nouit, nec plagam poteſt timere qui fortior eſt. In ipſo pugílum certamine ſo-
let plerunque qui fortior eſt expectare ut ínferioris ictu alíquo laceſſatur, quo acrior
offenſus ínſurgat: ita exercitatione nimía atq; patientía roboratus, ut tanquam inſen-
ſibilis

sibilis ad dolorem, plagam sentire non possit. percussus ridet, lacessitus minatur. At ue-
rò inferior si fortè ictum ferientis supra obductam cicatricem ueteris uulneris excepe-
rit, renouatum sentit dolorem. Sic est cui obijciuntur peccata superiora quæ competen
ter doluit atq; defleuit, ut satisfactione congrua uulneri peccatorum suorum obduce-
ret cicatricem. Si perfectus est, tacet cõuitiantibus, nullo sibi dolore renouato: quia etsi
peccauit, securus est: quia sine pœnitentia sunt dei dona: & ideo quæ semel donauit, re- Esa. 43
soluere ac renouare nõ solet, cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates,
& memor non ero. Si autem imperfectus, & immemor cœlestium præceptorum, dolor
ei tanquam rescissa cicatrice reparatur. Concaluit, inquit, cor meum intra me: & in me-
ditatiõe mea exardescet ignis.] Grauiora uulnera, sicut nouimus, causticõ medicamen
to uel admoto igne curant. Ergo uir sapiens ipse medicus est sibi: et si medicus est, uul-
nus suum curat. Ideoq; si nõ plenè consummatus est ad offensæ habitudinem sanitatis,
uaporatur eius cor, habet febrem, ignescit ad obiecta conuitia. Et si tacet, uel intra se te-
ritur. Lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit. Ita etiam bona conscientia pudore suc-
cenditur, si renouetur ei suorũ recordatio delictorum. Et in ipsa meditatione ignis exar
descit.] Non malus ignis, qui adurat, sed non exurat. Talis ignis, quem Moyses in rubo Exod. 3
uidit, quando rubus urebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis qui peccatum minuit,
& suo culpam ardore depascit. Est & ignis qui cœlestium scripturarũ meditationib. ex-
citatur, uelut ille de quo dicit Hieremias: Et erat ignis flãmigerans in ossibus meis. Aut Hier. 20
ille de quo Cleophas, & qui simul iter agebat, quando post resurrectionem eis se Chri-
stus adiunxit, sermone mutuo conferebant dicentes: Nonne cor nostrũ ardẽs erat in no Luc. 24
bis cum aperiret nobis scripturas? Ideo & dominus uenit, ut ignem hunc in terrã mitte
ret, quo illuminaret animas uniuersorũ, studium accenderet, crimen exureret. Locutus
sum, inquit, in lingua mea: notũ fac mihi domine finẽ meum, & numerũ dierum meorũ
qui est, ut sciam quid desit mihi.] Bonus ignis, qui fecit ut propheta loqueretur. Et uide
ne ipse sit ignis qui uisus est, quando in die Pentecostes in unũ locũ discipulis cõgrega-
tis decidit cum ui magna super eos spiritus sanctus, & linguis uarijs loquebantur. Sic e- Act. 2
nim scriptũ est: Quia uisæ sunt linguæ eorum dispersæ tanq; ignis. Hic est ergo qui dixit Hier. 1
ad Hieremiam: Ecce do tibi in os uerba mea in ignẽ. Hanc ergo & Dauid linguã ignis
accepit, ut diuinæ cognitionis succensus ardore loqueretur: Notum fac mihi domine fi
nem meũ. Non de morte sua quærit, neq; enim hic finis resurrecturo: sed de eo fine quę-
rit, de quo Apostolus dixit: Quia ille finis, quando dominus Iesus tradet regnũ deo pa- 1. Cor. 15
tri, & euacuabit omnes principatus & potestates, & quando mors nouissima omniũ de
struetur, ut mala deficiant, & bona æterna succedant. Et ideo dictũ est: Fugit dolor, tri-
stitia, & gemitus. Hunc finẽ in hominibus operabatur & Paulus dicẽs: Aut quis est qui 2. Cor. 2
lætificat me, nisi qui contristatur ex me? Obiurgando enim, dolorẽ, tristitiam, gemitus
excitabat, ut agerent pœnitentiam, qua irreuocabilem ueniam & salutem, cuius deum
non pœniteret, mererentur. Ille igitur qui uerus est finis, non unius erit finis, sed omniũ. 4. Reg. 2
Quomodo ergo finem meum dixit? Sed considera quis loquat. Vtiq; homo, uel unus
ex hominibus usus cõmunitate substantiæ, uel qui ad formã uniuersorũ describit, & ad
perfectionẽ consummati hominis erudit. Vnde & addidit notũ sibi fieri numerũ dierũ
qui est, ut sciat quid desit sibi. Ad perfectionẽ utiq; quid desit, non ad istius corporis ui-
tam, de qua propheta Dauid cupiebat absolui, dicẽs: Heu me quia incolatus meus pro- Psal. 119
longatus est, & habitaui cũ habitantibus Cedar. Deniq; dierũ numerũ cognoscere uo-
lebat, non etiam noctium. Hic enim dies & noctes sunt. Ibi ergo dies soli, ibi lumen per
petuum atq; diuturnũ. Et ideo addidit: Qui est. Qui est, nõ qui transeat. Cœlum enim & Matt. 24
terra præteribunt, fides aũt permanet, & dies Christi: quia heri & hodie ipse est, & in se- Hebr. 13
cula. Quem autem numerũ quærat, accipe. In domo, inquit, patris mei mansiones mul- Ioan. 24
tæ sunt. Dat ergo unicuiq; locum dominus Iesus, hoc est, aptam pro uniuscuiusq; meri-
tis mansionem. Vnusquisq; enim in suo ordine. Præcessit ergo, ut pararet in se creden- Ibidem
tibus locum. Vnde & ait: Si abiero & parauero uobis locum: iterum uenio ad uos, &
accersiam uos ad meipsum: ut ubi ego sum, & uos sitis: & quò uado, scitis: & uiam sci-
tis. Est ergo uia per quam resurgens Christus ascendit. Et ille quidem ascendit super om
nes cœlos ad dei sedem: homines aũt à primo cœlo ad secundũ, & deinceps à secundo
ad ter-

ad tertium, & ab illo per distinctiones ferè ad septimũ cœlum, atq; in ipsam summitatẽ cœlorum qui merentur ascendunt. Si ergo numerus uiarum est, & numerus mansionũ, & utiq; numerus dierũ est per quos ad cœli altitudinem peruenitur. Ecce, inquit, uetera posuisti dies meos.] Alius habet: Palæstas posuisti dies meos. Si secundũ septuaginta uiros ueteres accipimus dies, hoc est, secundum ueterem hominem, intelligimus exactos. Sed uetus homo noster affixus est crucí. Rom. 6

Ergo & uetus dies præteriit, nouus uenit. Alius eñ dies hominis, alius dies Christi, quẽ Abraham uidit, & gauisus est. Ioan. 8

de quo & Dauid ait: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus & lætemur in eo. Psal. 117

Sanctus ergo in die domini exultat, in die nouo, in quo deus dominus illuxit nobis, & dedit nouã lucem in innoxiam uitã & integrã reformatis. Ideo uir iustus securus nouæ lucis & gratiæ dei. Et erit, inquit, cœlum nouum, & terra noua, & nouum lumen. Nõ enim lucerna & lumen solis illic lucebit, aut lunæ: sed dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desideraui, illa exoptaui: & ideo diem hominis nõ requisiui. Quod si palæstas accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis & laboris: quoniã palæstę luctatores in agone dicunt, qui luctantur ad coronam. Ergo quia & nobis lucta non solũ aduersus carnem & sanguinẽ est, sed etiam aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus: dies nostri, hoc est uitæ istius, in labore sunt & dolore. Vnde & in posterioribus ait: Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorũ nostrorũ, in ipsis septuaginta anni. Si aũt in potentatibus, octoginta anni: & plurimũ eorũ labor & dolor. Vnde & apostolus Paulus abundantius cæteris Apostolis laborauit, ut legitimè certando ad coronã quam cuperet, peruenire. Sed tamen quia & architectorũ mensuræ palæstæ dici ferunt, quibus ad structuræ numerum uel modum spacij colligendum, ædificia metiuntur, locumq; eũ in quo ædificia sunt locanda, & per Esaiã locutus est deus: Quis mensus est manu aquã, & cœlum palmo, & uniuersam terram clausa manu? quis statuit mõtes in statera? uidemus ne forte hic sensus hoc sermone sit colligendus, quòd cognitos dies omniũ habeat deus: cui nihil immensum sit, qui omnia mẽsura quadam suæ scientiæ comprehendat, nihilq; ei sit inæstimabile, nihil inexaminatũ atq; innumerabile, qui ait: Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Hoc ergo dicit Propheta: Ecce nouisti dies meos: non te prætereũt quotidiani actus mei: peccata mea ante oculos tuos posuisti: & ideo substantia mea tanq; nihilũ ante te.] Quid enim est homo, nisi quia memor eius es? Homo uanitati similis factus est. Homo, licet in peccato, si aliquid habeat probitatis atq; uirtutis, rectè cæteris terrenis animantibus antefertur, & in conspectu animaliũ quibus est præpositus, antecellit: in conspectu aũt dei tanq; nihil est eius substantia. Vnde & alibi ait: Quoniam non iustificabitur in cõspectu tuo omnis homo uiuens. Quod Symmachus manifestius expressit, dicẽs: Et uita mea tanquam nihilũ ante te. Sunt aũt qui breues putant dies dictos, quia Symmachus ὠιθαμὰς posuit. ὠιθαμὴ aũt palmus est, & quia palmo mensus dicitur deus cœlũ: palma aũt uel palmus portio manus est metientis, & aliquid comprehendentis: ideo tanquam breues dies æstimant nuncupatos, cum cognitio dei per mensuram (ut suprà diximus) possit intelligi. Cœlestis aũt ista cognitio, ut ad mensurã facta sint omnia. Nõ ergo breues, sed magni dies Prophetæ possunt intelligi, quos deus mensus est palmo, quo mensus est cœlum. Nec; enim breues suæ uitæ dies diceret, qui postea ait: Heu me quia incolatus meus prolongatus est: nisi forte quia propter peccata hominũ breuiores uitæ istius dies fecit deus: quę antè & nongentis & septingentis annis extendebatur: ut nunc intra centum annorum curricula claudatur. Sic ergo intelligendum est: Ecce peccato obnoxios dies meos nosti. Dies enim uitæ huius (quæ peccato est obnoxia) breues sunt: dies aũt uitæ æternæ, sine fine. Aut certè sic: (nostrum est enim argumentis quærere ueritatem, tuum est eligere quid sequaris.) Ne peccatum, inquit crescere t, abbreuiasti dies uitæ humanæ qua uiuimus in his terris: & tamen cũ maturior in hoc breui cursu istius uitæ finis sit peccatorũ, mortis celeritate substantia mea tanquam nihil ante te: quia etsi ad imaginem & similitudinẽ dei facti sumus, grauat tamen nos in hoc corpore constitutos quædam terrena contagio, quæ non grauaret, si nos exuere magis ueterem hominem cum induimus gratiam, quàm superuestire malle mus. Minorẽ etiam laborẽ nobis expoliatus homo uetus quàm superuestitus afferret. Nam quod expoliamus, abijcimus: quod superuestimus, induimus. Et ideo ingemiscimus &

Rom. 6
Ioan. 8
Psal. 117
Apoc. 22
Ephes. 6
Psal. 89
1. Cor. 15
Esa. 40
Luc. 12
Psal. 6
Ibid. 143
Ibid. 142
Ibid. 119

mus & laboramus, donec mortale hoc ueteris hominis indumentũ, & errori effectum obnoxiũ, nouitate suæ uitæ spiritalis absorbeat: ut si supra uenenum plurima mella fundantur, ægrè ac nimis serò ueneni uirus aboletur. Aqua etiam multa diu cũ ueneni melle luctatur, si non illud expuat, sed absorbeat. Ideo laboriosa pœnitentia, suauis gratia, quia peccatum expoliatur, ubi gratia est: absorbetur, ubi pœnitentia: ibi remittitur, hic abscondítur. Et ideo scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Psal. 31*

Et requieuit paulisper, ingemiscens humanæ cõditionis ærumnã, quia dixerat: Veruntamen uniuersa uanitas, omnis homo uiuens. Et post diapsalma resumpto spiritu ait: Quanq; in imagine dei ambulet homo: tamen uanè conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregat ea.] Vide quomodo ante asperitatẽ suæ sententiæ temperauit, postea rationẽ suæ uocis absoluit. Temperauit dicẽdo: Quia in imagine dei ambulat homo. *Gen. 1*

Beatus homo, qui ad similitudinem dei per fidem ambulas. Beatus, qui in te fidem habes: beatior si auaritiam non haberes. Aliud bonum mentis est æternũ, aliud uanum, carnalis cupiditatis incendiũ. Fides enim deo militat, auaritia tentatori. Ista conferit quod sibi prosit: illa quod proficiat alienis. Quid igitur tam uanũ, q; nescire cui laboret hæredi? Quis enim scit si sibi filius aut nepos proprius superuiuat? Sæpe conditis tabulis, testamenti scriptis, hæres funereo ambitu testatorem præcedit ad tumulum, aut hæreditatem superstes absorbet, aut luxuriosus dissipat, aut stultissimus non tuetur, aut proscriptus amittit. Si quem ergo uideris studiose diuitias congregantem, dic & tu: Va nè conturbatur: thesaurizat, & ignorat cui congregat ea. Neq; enim secum potest aufere quę possidet: & cum morietur, relinquet alienis diuitias suas. Succedit frequenter inimicus & ingratus, & decessori successor insultat. Quos ille dilexit, iste persequitur: quos ille nutriuit, hic uẽdit. Græcus tñ nõ habet, In imagine dei: sed tantũmodo, In imagine. In qua ergo imagine ambulat homo? In ea utiq; ambulat, ad cuius similitudinẽ factus est: id est, ad imaginem dei. Imago autem dei Christus: qui est splendor gloriæ, & imago substantiæ eius. Christus ergo imago sancti. Ad imaginem hæc imago uenit ad terras, ut iam non in umbra ambularemus, sed in imagine. In Christo enim ambulat, qui sequitur Euangelium. Ideo discipulo suo dicit: Vade retro me, ut me sequaris. Ideo errauit populus Iudæorum, quia in umbra ambulauit. Ideo non errat populus Christianus, quia in imagine ambulat, habens solem sibi iustitiæ refulgentem. Bona imago, non ceris picturæ fucata radiantis, sed plenitudine diuinitatis expressa. In qua imagine & pater simul uidet & filius: quia per utrũq; eorum unitas operationis effulget. Et si iam resurrexerit Christus, tamen in Euangelio nobis adhuc eius imago monstratur. Lego quòd Lazarũ suscitauerit, & patris opus & filij credo. Filius uocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eum dæmones fatebantur: fatebantur & patrem, qui dei filium precabantur. Fatebantur & ipsum, quia per ipsum eiiciebantur. Scriptum est: Quòd si in Beelzebub eij cio dæmonia, filij uestri in quo eiiciunt? Primum igitur umbra præcessit, secuta est imago, erit ueritas. Vmbra in lege, imago in Euãgelio, ueritas in cœlestibus. Vmbra Euangelij, & Ecclesiæ congregationis, in lege: imago futuræ ueritatis, in Euangelio: ueritas in iudicio dei. *Ioan. 12* *Marc. 1* *Matth. 12*

Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum: umbra, in diluuio: umbra in Rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari: umbra in petra quę aquam fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in umbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nónne umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quę fugientes se populos sequebatur ut biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit umbra noctis & caliginis ludęorum, dies appropinquauit Ecclesię. Videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem sacerdotum ad nos uenientem, uidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi meritò, tamen honorabiles sacrificio: quia & si nũc Christus nõ uidetur offerre, tamẽ ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur. Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus adsistit: sed nũc eum non uidemus. tunc uidebimus cum imago transierit, ueritas uenerit. tunc iam non per speculum, sed facie ad faciẽ ea quæ sunt perfecta uidebuntur. Ascende ergo homo *1. Cor. 10* *Ibid. 13*

in cœlum

in cœlum. & uidebis illa quorum umbra hic erat uel imago. Videbis non ex parte,nõ in ænigmate,sed in consummatione:non in uelamine,sed in luce. Videbis uerum illum & æternum atq; perpetuum sacerdotem,cuius hic imagines uidebas,Petrum, Paulũ, Ioan nem,Iacobum,Matthæum,Thomam. Videbis perfectum hominem iam non in imagi-
1. Corinth. 15 ne,sed in ueritate.Qualis enim cœlestis, tales & cœlestes. Vtiq; & ipsi iam in gloria uel decore,iam in resurrectionis gratia,non in corpore mortis, & corruptionis deformita- te. Vide ne eo deferas imaginem terrestris,ubi lux cœlestium est.Hic si quis tyrãni ima- gines habeat,qui iam uictus interijt,iure dãnetur.Quomodo tu hostis & aduersarij ima gines in ciuitatem ueri Imperatoris inducis,nisi ut ipse te damnes? Et si uolueris imagi nem terrestris inferre, contradicet tibi princeps istius mundi, & dicet: Mea est imago hæc:& quę offers,mea sunt.Quid facies deprehensus,cum tibi dixerit:Mea est auaritia, mea est ambitio,meæ diuitiæ,quarum imaginem in te recognosco? Ipse est enim aduer- sarius & defensor.Quod si fueris qualis Iacob, dices Labe, qui se transfigurat in angelũ
2. Cor. 11 lucis: Recognosce si quid tuorum in me inuenis. Tunc ille requiret, & non inueniens
Genes. 31 confutatus abscedet:quia abscondisti atq; obliterasti omnia simulachra uitiorum. Bea-
Ioann. 14 tus qui potest dicere: Veniet huius mundi princeps,& in me suum inueniet nihil. Quæ
Philip. 2 sua sunt enim,quærit ille:nõ illa quæ Christi.Si ergo quæ sunt Christi sequeris,noli quas non habebas affectare diuitias,augere quas habebas: & diuitem te sibi sentiat pauper.
Esa. 58 Induc in domum tuam inopem,frange panem esurienti,& nudum operi, ut tibi thesau-
2. Cor. 8 rus condatur in cœlo qui tecum transeat. Pauper Christus est factus cum diues esset, ut nos sua inopia diuites faceret. Noli ergo propter diuitias uane conturbari, excitari de somno,cogitare quemadmodum pecuniam tuã serues,opes tuas augeas, de nocte pro- cedere,excubare ad iudicis domum ut aliena diripias, litem moueas pauperi, uereris exactorem tributi. Vana est ista conturbatio:& ideo iustus dixit:Et nunc quæ est expe- ctatio mea? Nónne dominus? & substantia mea ante est.] Spes & patientia nostra Chri stus est,ipse factus est redemptio nostra, ipse est nostra expectatio: ut dicamus singuli:
Psalm. 31 Expectans expectaui dominum,& respexit me.Respice ergo nos in iudicio tuo. Respi- ciat super nos misericordia tua:ut qui de merito diffidimus nostro,per tuam misericor- diam liberemur, in cuius potestate est animæ nostræ uitæq; substantia. Et ideo non ti- meamus corporis mortem, sed eum qui potest animam nostram uel seruare uel perde- re,cuius substantiæ uirtus est quam Deus ad similitudinem sui pectoribus infudit huma nis.Quisquis igitur habet istam substãtiam animæ suæ,dicit:Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me.] Non unius criminis lapsum fatetur,qui ab omnibus se iniquitatibus so lui precatur.Scit enim quòd,nisi dominus ignoscat, nemo saluus esse possit quicunq; na tus est sub peccato,quem ipsa noxiæ conditionis hæreditas adstrinxit ad culpam. Op- probrium,inquit,insipienti dedisti me.] Quis est insipiens, nisi qui peccatum facit, & eligit mala pro bonis? Ergo qui auctor est peccatorum, ipse insipiens magis quàm eius minister.Cum peccamus igitur,in opprobrium tradimur aduersario,ut ille nos quasi ini micus in die iudicij accuset & prodat.Suscipiamus ergo opprobriũ crucis Christi,quod
Hebr. 11 suscepit Moyses,& Aegypti thesauris regalibus prætulit: & ideo non est insipienti in opprobrium traditus.Alij habent codices.Opprobriũ insipienti ne tradas me.Sed ma- gis Dauid eam consuetudinem habet,ut sua magis opprobria & peccata fateatur,ne de peccatis suis erubescat & opprobrijs,qui scit in cõfessione esse ueniam, & in peccati sui condemnatione iustitiam. Deniq; ex his quæ sequuntur, manifestatur hic sensus, quia subiecit:Obmutui,& non aperui os meum:quoniam tu fecisti me.] Hoc est, dedisti me in opprobrium insipienti:ideo obmutui,& non aperui os meũ,ne peccata maiora con- traherem.Agnoui uolũtatem tuam,ut ad tempus erubescerem, & postea saluus fierem ueniam postulando.Prodest ergo interdum & opprobrium. Siquidem etiam ipse pro-
1. Cor. 5 dest carnis interitus,ut testificatur Apostolus dicens: Tradi eum in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. Opprobrium quoq; prodesse Dauid
2. Reg. 16 ipse testatus est dicens ad Abessam. Sine maledicat mihi Iemínæus, quoniam dixit illi dominus,ut uideat humilitatem meam:& retribuet mihi dominus bona pro maledicto hoc.Et reuera uidit opprobrium eius dominus, quòd flens ibat & excalciatus, operto capite,& amouit eius opprobrium. Liquet igitur quia cum datus in opprobriũ Dauid

fugerit,

fugerit,& humiliatus sit,& nudis pedibus domino satisfecerit, & lapides iacientem nõ repercusserit,& in maledicentem non permiserit uindicari,& post hæc regno suo integro restitutus sit: quia & opprobriũ à domino sit, & prosit magis sustinere opprobriũ, quàm refellere. Deniq; uictoria pòst secuta est. Ergo opprobrium prodest. Sed quid est quod addidit: Quoniã tu fecisti me? Nónne ideo obmutuisse se dicit, & nõ aperuisse os suũ, quia agnouit domini uoluntatẽ,& propterea patiẽter se pertulisse, ut satisfieret domino per opprobriũ pro peccato? Vnde & adiunxit: Amoue à me plagas tuas.] Quomodo hoc sibi cõgruit, quòd in superiore psalmo flagellis se obtulit, hic flagella à se postulat amoueri? nisi quia soluit iã de manu domini duplicia peccata sua, erubescẽdo, opprobria sustinendo. Cõpunctiones cordis sunt, sunt & cogitationũ, sunt & increpationum flagella. Videamus tamẽ ne ideo dixerit ante deũ esse substantiã animæ suæ, quia nõ impugnaret aduersarius eam, nisi potestatẽ accepisset à dño. Quod enim fecit dñs, et tuetur. Deniq; angelus in circuitu est hominis, qui prætẽdit ne quis noceat ei. Nõ discedit angelus, nisi iussus à domino, ut suus athleta decertet. Ergo quasi substantia domini præsumit ueniã sibi iniquitatũ suarũ à cõditore suo posse cõcedi. Et ideo rogat, quia non uit autorẽ suum misericordẽ. Deinde quia datus sit in opprobriũ, nõ resistit, sed patitur aduersum se assistere peccatorẽ,& silet substãtiæ suæ cõscientia, quæ bona est, & potest corporis ferociã refrenare, ut uirtus succedat, culpa ponatur. Postremò quia factus à domino est, citius sibi posse donari peccatũ confidenter existimat, qui fortitudinẽ manus domini potuerit sustinere. Et hoc utiq; bonæ substantiæ est, etsi fortitudine manus domini defecisse se dicat. Fortis manus sicut male percutit, sic citò sanat. Quæ fortis ad uulnus, fortis & ad remedium est. Vnde & ipse ait: Percutiam,& sanabo. ut non meminerit *Deut. 32*
uulneris, qui sanatus euasit. Deniq; hæc manus domini sancto Iob omnia abstulit, & omnia repræsentauit, imò omnia cumulo auxit, ut amissa geminaret. Ne te moueat q; de- *Iob 42*
feciſſe ſe dicit. Eſt qui deficit,& fortior surgit. Suffulcit eñ dñs omnes qui ruunt,& cor- *Pſal. 144*
rigit omnes elisos. Cum uirtute enim surgit quicunq; corrigitur. Defecit Paulus à fortitudine manus huius. Cecidit persecutor,& surrexit Euãgelij prædicator. Hoc est quod *Act. 9*
ait: A fortitudine manus tuæ ego defeci.] Et addidit: In increpationib. super iniquitatẽ erudisti hominẽ, & tabescere fecisti sicut araneam animã eius.] Græcus ὑπὲρ ἀνομίας dixit, hoc est, pro iniquitate: & integrum uersum, ἐν ἐλεγμοῖς ὑπὲρ ἀνομίας ἐπαίδευσας ἄνθρωπον posuit: quod est, In increpationibus pro iniquitate erudisti hominẽ. Ideo Sapiens dixit:
Quis mihi dabit cogitationũ mearũ flagella, & labiorũ meorũ signaculum? Vt cor suũ *Eccli. 22 et 13*
ipse suis cogitationib. flagellaret,& signaret labia sua: quo & uetera peccata minueret, nec alia loquendo renouaret, quo propriis increpationibus eruditus, exercitia uirtutis indueret. Tabescit autem anima, quando peccatum minuitur. uel, cum anima tabescit, culpa deponitur: incrassatur, cũ peccata cumulant. Vnde ait dominus de peccatoribus:
Non permanebit in his spiritus meus in æternum, quoniam carnes sunt. Et alibi scriptu- *Gen. 6*
ra dicit: Incrassatum est cor populi huius. Ideo & Hieremias primũ baculũ uidit nuceũ, *Matt. 13*
deinde ollam feruentem, ut tabesceret anima prophetæ incipientis, quo culpa discede- *Hier. 1*
ret gratia. Sed cur prius baculũ, postea ollam? Quoniã qui baculo nõ corrigit, in ollam mittitur, ut ardeat & tabescat. Et ideo ad prophetam Ezechiel dicitur: Accipe tibi sarta *Ezech. 4*
ginem, & accipies iniquitates domus Israel,& cõsummabis,& tabescent (inquit) in suis iniquitatibus: Et alibi in eodem libro dicit dominus: Sed ego magnum faciam titionẽ, & multiplicabo ligna,& succendam ignem, ut liquefiat caro,& minuatur ius. Quibus testimonijs significatur, quòd animæ perfidorum admoto igne tabescant, ut deponant crassitudinis quendam carnalis humorem. Mittuntur ergo in sartaginem & animæ peccatorum, ut defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animæ ac mentis uigorem, & uelut iure quodam, ita quibusdam infuderat animam illecebris cupiditatũ. Expectãt igitur nos quædam sartagines, ideo hic conteramus cor nostrum, ut subtile fiat,& deponat omnem duritiem & pinguedinem quendam carnalis aruinæ, quod patiẽtur qui luxuriati sunt in hac uita,& magis ludibria dedecorũ quàm opera ulla uirtutum exercenda sibi more Iudaico crediderunt. Incrassatus est enim Iacob,& pinguis factus est,& surrexit ludere. Quem à fidei ueritate lusus ille in perfidiæ traduxit errorem. Meritò ergo Paulus castigabat corpus suum, ne nutriret corpus peccati. Luxuriando enim facimus *1. Cor. 9*

membra peccati, ſobrietate autem membra iuſtitiæ. Non natura ergo, ſed culpa delinquit. Ne iterum uana & inania ſequamur, ne telam araneæ texere iudicemur, eò q; peccata nulla perpetuitatis poſſunt habere ſubſtantiam. Vnde cum uideris aliquos ſtudere facultatibus ampliandis, cumulandis poteſtatibus, affectando decori, dices illud Eſaiæ:

Eſa. 59 Telam araneæ texunt. quæ diuturna eſſe non poteſt, ſed cito ſcinditur, atq; opus eius omne diſſoluitur. Non enim ſupra ſolidum aliquòd firmamentũ locatur, ſed in uacuo ſu-

Matt. 11 ſpenditur. Nihil laxum, nihil molle uerum Chriſti militem decet. Ecce enim qui mollib. ueſtiuntur, in domibus regum ſunt. Arguti ſibi & induſtrij omnes auari uidentur. Quid argutius, quid ſolicitius araneæ? quæ operi ſuo diebus ac noctibus ſemper intendit, nec ullo ſumptu ullaq; impenſa conficit ueſtimentum, ſed uanum eſt omne quod fecerit. Sic homo omnis eſt qui opus ſuum ſupra Chriſti non conſtituit fundamentum. uanè noctibus & diebus & ipſe turbatur: cum eum plerunq; araneæ modo etiam in ipſo ſuę impro bitatis molimine operis ſui ruina conuoluat. Et ideo ſapiens qui cognoſcit huius ſeculi uanitatem, non diuturnam uitæ huius precatur uſuram, ſed ad illa æterna feſtinat, & labore huius corporis & dolore geſtit abſolui: ſicut Propheta deſideraſſe cognoſcitur, dicens: Exaudi domine orationem & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas à me, quoniam ego aduena ſum apud te in terra, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.] Alius eſt incola, alius aduena, alius accola. Incola, qui de loco eſt, & genitalem locum incolit. Aduena, qui aliunde uenit. Accola, qui ad tempus colit, & mutatur annorum uicibus. Hoc eſt ergo quod dicit Dauid: Apud te alienus ſum, dum in terra ſum, non ſum paradiſi tui incola. Vnde expoſuit hoc ipſe ſubijciens: Et peregrinus,

2. Cor. 5 ſicut omnes patres mei. Quod aperuit & apoſtolus Paulus, aſſerens quoniã cum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à domino: quia etſi fides in nobis eſt, per fidem tamẽ ambulamus, non per ſpeciem, id eſt, nõ facie ad faciem quaſi præſentes. Ambulamus enim

ibid. in ænigmate adhuc, non in ueritate. Denique addidit: Audemus ergo & cõfidimus magis peregrinari à corpore, & adeſſe ad dominum. Audemus, præſumptionis & fidei, nõ temeritatis eſt uerbum. Et conſentimus, id eſt, uolentes adquieſcimus, & optantes, non pleniores ſcientiæ authoritatem uelut principaliter noſtro iudicio defendentes, uolumus uerum eſſe quod cupimus, ut appropinquemus ad dominũ, à quo nos uidetur futurorum & præſentium diſtantia ſeparare. Audemus ergo adeſſe: & ideo (inquit) conitimur. Cognoſcis uerbum uolentis adhuc peruenire, non eius qui peruenerit. Aſſectus igitur in hoc ſermone, non effectus oſtenditur. Denique ipſum teſtem ſui ſermonis interroga, immò uide dicentem, uel potius audi dubitantem, quum dicit: Ideo conitimur ſiue abſentes ſiue præſentes, placere illi. abſentes adhuc per fidem, præſentes per ſpeciem. Vnde & hoc poteſt intelligi, quòd & hic poſiti, & illic, placere noſtro iudici, redemptori quoque noſtrarum deſideramus animarum. Neceſſe eſt enim nos ei aſſiſtere per ſpeciem, ut unuſquiſque operum ſuorum merita dignæ adipiſcatur ſortis examine: uel iuſtus in requie, uel impius in ærumna. Fundit igitur lachrymas, quoniam quum aduena in terram uenerit, demoretur et ſeparetur à patria longo detentus exilio. Conſidera nunc mihi illum Adam de paradiſo eiectum, in caſtellum relegatum, ſpectantem unde deiectus ſit, flentem ubertim, quia reminiſcitur quid admiſerit, quo ue deciderit. Et ideo gratias agamus deo, qui nos perpetuo exilio liberauit, aperiens ia-

Epheſ. 2 nuam qua reuertamur ad patriam. Vnde Apoſtolus præſumpſit dicere: Ergo iam non eſtis aduenæ atque peregrini, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici dei. Hoc uolens recipere Dauid antequã Chriſtus ueniret in terras, dixit: Remitte mihi, ut refrigerer priuſquam eam, & amplius iam non ero.] Hoc eſt: Hic mihi remitte, ubi peccaui. Nili hic remiſeris mihi, ibi remiſſionis requiem inuenire non potero. Quod enim in terra ligatum manſerit, ligatum manebit in cœlo: quod ſolutum in terra fuerit, ſolutum erit in cœlo. Propheta enim, & prædicator Eccleſiæ congregandæ, Euangelico ſpiritu indulgentias domini præuidebat: & præcipienda Apoſtolis, ei dominus reuelabat. Immò hæc erat uetus ſententia, ut qui ſe ligaſſet in terris, uinctus migraret à corpore. Ideo Dominus, quod antè erat iudicij ſui, dedit Apoſtolis, peccata remittendi æquitatem: ne cito ſoluenda, diu ligata manerent. Denique audi dicentem: Tibi

Matt. 16 dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœ-

in cœlo: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorũ, ut & soluas & liges. Hoc Nouatianus nõ audiuit, sed Ecclesia dei audiuit. Ideo ille in lapsu, nos in remissione. Ille in pœnitẽtia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed seruimus imperio: ne postea cum uenerit dominus, & ligatos inuenerit quos oportuit solui, cõmoueatur aduersus dispensatorẽ qui ligatos seruauerit seruos quos dominus iusserat solui, dicens quoniam qui cognouit uoluntatem domini sui, & nõ fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multum. Qui aũt non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit minus. Meritò ergo Dauid remitti sibi postulat quod sciebat non esse ijs qui secundum Aaron erant sacerdotibus attributũ, sed Euangelio seruatum. Cui ergo non remittitur, in exilio est, in peregrinationis iniuria perseuerat. Hic ergo petenda est uenia. Hic enim dictum est: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Hic locus est uenię postulandæ. Deploremus igitur in terris, ut mereamur indulgentiam. Nisi remissum peccatum hic fuerit, nõ habebimus requiẽ. Si requies non fuerit, non erit uita æterna: si uita æterna non fuerit, non erimus. Ideo petit remitti sibi anteq̃ eat, ut sit. Si enim remissum non fuerit, non ero (inquit) cum ijs qui sunt, cum ijs qui in paradisum merent̃ ascendere. Qui aũt non est, consumetur cum descendentibus in lacum, qui in catenis & carcere fuerit derelictus. Nõ ergo definitiuè dicit, Non ero, qui alibi dicit: Psallam tibi in cithara deus sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti. De redemptione ergo præsumit. Et alibi audi dicentem: Placebo domino in regione uiuorum. Erit ergo qui placere præsumit. Potest & sic intelligi quia dixit: Aduena ego sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei: & ideo remitte mihi ut peregrinus esse desinã. remitte mihi exilium quo religatus sum. Si remiseris anteq̃ discedam hinc, non ero amplius exul atq; peregrinus. Cum enim tu remiseris, non ero peregrinus, sed ciuis ero sanctorũ tuorum. Ero cum patribus meis: qui & ipsi fuerũt antè peregrini, nunc uerò iam ciues sunt. Ero domesticus dei, ut pœnã non timeã, gratiã merear: per dominũ nostrũ Iesum Christum, cum quo tibi est laus, honor, gloria, perpetuitas, cũ spiritu sancto à seculis, & nũc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Luc. 12

Ibid. 6

Psal. 70

Ibid. 114

Psalmi trigesiminoni enarratio.

IN superioribus psalmis pœnitentiam prædicauit: deinde de patientia sua, & perturbatiõe hominis est locutus. In tricesimo autem nono psalmo nouum annunciat testamentum. Qui enim malorum pœnitentiam agit, expectat: sed non est perfecti expectare, sed expectasse. Nemo enim nisi qui perseuerauerit usq; in finem, saluus erit. Ideo addidit: Expectãs expectaui dominum.] Vbi ergo rectè hoc dicitur, nisi in Euangelio? in quo iam nobis, à quibus expectabatur, aduenit. in quo iam nobis non legis caligat umbra, sed ueritas fulget: quia Christus illuxit, qui exaudiuit uoces deprecationum suorum, & eduxit nos de lacu miseriæ, & de luto fæcis, ubi iam demersi tenebamur nostrorum uoragine peccatorũ, & totus homo noster inhærebat, nec poterat se animus noster eruere, obrutus multiplicis labe flagitij. Gratias igit̃ domino Iesu, unigenito dei filio, redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit è cœlo, ut nos de lacu ac limo istius mundi, & cœnulenta quadam palude terrarum, de corpore quoq; mortis huius eriperet, atq; in carne sua statueret animi nostri interiora uestigia, ut confirmati in dei uerbo, & per crucem domini corporis passionibus absoluti, ambulemus iam non in opprobrio dedecoris, sed in remissione peccati. Confirmatus igitur & radicatus in Christo, supra petram sibi memorat pedum suorum statuta uestigia. Vnde dicit Apostolus: Bibebant autem de consequenti petra: petra autem erat Christus. Petra, eò quòd sitientes sequatur, confirmet labentes, ne sitiẽtibus aqua desit, labentibus firmamentum. Expectanti ergo mihi domine Iesu aliquando uenisti, direxisti gressus meos in Euangelio, immisisti in os meum canticum nouum, quod est nouum Testamentum. Gaudentes iam canimus hymnum deo nostro: quia nouarum uirtutum pręcepta cognouimus, ut nostra omnia relinquamus, Christum sequẽtes, & nostros diligamus inimicos. Nouos etiam hausimus mores, ut pro persequentibus nos precẽ domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Nescimus opera nostra iactare, aut celare peccata. Angelorũ etiã more nuptias refutamus. Quid multa? De illo ærumnoso

Matt. 10. 24

1. Cor. 10

Ibid. 4

peccatore beatus homo factus est, iam non respiciens in istius mundi uarias uanitates.

Eccles.1 Vanitas enim uanitatum, & omnia uanitas, totus hic mundus est, sicut dixit sapiens Salomon. Quid enim nisi uanum est ea sequi quæ perseuerare non possunt, & omnia tanquam umbra prætereunt? Insaniæ autē falsæ aut certamina ista bellorum, in quibus pro temporali possessione sanguis tantus effunditur, aut contentionum theatralium dissensiones, aut Circensiū plena furoris studia declarant, aut hæreticorū doctrina feralis, aut

21 pseudoprophetarum in modum oraculorum cœlestiū simulati gestus, uerba composita. Sic enim dicit Propheta: Beatus uir cuius est nomen domini spes eius, & nō respexit in uanitates, & insanias falsas.] Sunt ergo & ueræ insaniæ, & forsitan prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, repleti dei spiritu, ut quibusdam insani uiderentur, cum propriæ salutis immemores, nudi plerūq; & excalceati, sicut Esaias sanctus, per

Esa.20 populos currerent: uociferantes non quæ ipsi uellent, sed quæ à domino iuberentur. Ex his igitur intelligitur affulsisse remediū salutis: quoniam qui expectabatur, adest. Expectauit eum Adam de paradiso eiectus, ut longo liberaret exilio. Expectauit eum in Noe iusto, qui ad semen futurorum est reseruatus, ut ex eo iustitiæ semina in hominibus pullularent. Ipsum putabat publicę salutis autorem, qui diluuio superstes esse meruisset. Ipsum sapientiæ principem, qui excoluisset uitem, & ex eius fructu inebriatus foret. Quid est enim uitis nisi sapientia? sicut aperuit nobis Dauid cœlestis interpres oraculi, dicēs:

Psalm.127 Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Eò quòd in ipso esset sapientiæ plenitudo, quæ expectabatur in Christo, qui nouo repletus sapientiæ sacramento, quod oculus nō uidit, nec auris audiuit, inusitatum nobis deferre mysterium properauit, ut nu-

1.Cor.2 dus iaceret, & exuberantis sapientiæ pocula inaudita proflueret: ut obliti superiorū, in nouos mores & nouam sobrietatem uitæ resurgeremus æternæ, quo per stultitiam prædicationis deus agnosceretur, quem per sapientiam non cognouit hic mundus. Deniq;

Gen.9 in figura illa dormientis & nudati patris, qui stultitiam risit, maledictus est: qui uenerati sunt, benedictionis gratiā sunt adepti. Ideoq; qui mortē unigeniti filij dei patris & creatoris omnium ad offendiculum aut opprobrium nostræ fidei obijciendam esse credide-

rint, peccatorum suorum nexibus ad perpetuæ maledictionis ærumnam tenent adstricti: qui uerò eam pro totius humani generis absolutione suscipiunt, uirtutis æternę præsidio fulciuntur. Crux enim Christi Iudæis offendiculum, Græcis stultitia, ut Apostolus

1.Cor.1 dixit: nobis autem qui credimus in dominum Iesum, uirtus dei atq; sapientia est. Expectatus est in Moyse, cum scinderet undas maris, & impossibile uiribus humanis, pedestris uiæ aperiret in fluctibus iter: sequeretur petra, & uomeret aquas, ut sitientium pa-

Num.21 trum in medio deserti uiscera interna satiaret. Expectatus est & in Aaron principe sacerdotum, qui inter uiuos ac mortuos medius stetit, & per serpentem statuit luem mortis, ne à cadaueribus defunctorum ad uiuentium transiret interitū. Quid enim tam proprium Christi, & aduocatum apud deum patrem adstare populorū, mortem suam offerre pro cunctis, repellere necem, uitam reformare perituris? Expectatus est & in Iesu Naue, & certè uenit: qui & potestatem suam & nomen accepit, ut & populum in terram repromissionis induceret, & uerè Iesu nomine uocaretur. Siccauit fluenta, conuertit amnem in suum fontem, solem statuit donec consummaret in uirtute uictoriam. Sed adhuc figura erat illa, non ueritas. Deniq; uerus ei dux militiæ cœlestis effulsit, & adorauit eum Iesus Naue, quamuis nondū in corpore uerus astiterat, sed adhuc uenerat in figura. Quando igitur uerus aduenit? Audi dicentem: Annunciaui, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus aūt perfeciſti mihi: tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam, deus meus

21 uolui.] Quid euidentius, & quòd cum Euangelij sui munere nobis Iesus uerus aduenit? Ipse locutus est, & innumeri credentium populi cōgregati sunt, qui uix singuli antè credebant. Ipse uenit in carne, & cessauit sacrificium Iudæorum. Cessauit oblatio pro peccato, quia peccatorū remissor aduenerat. Non erat remedium necessarium legis, ubi legis autor adstabat. Tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri scriptum est de me. Scriptum profectò de Christo est in principio ueteris Testamenti, quòd uēturus esset, ut in redemptione hominum, dei patris faceret uoluntatem, quando scriptum est quia Euam in specie Ecclesię ad hominis adiumenta formauit. Quid enim nobis in hac corporis infirmitate, & seculi

& seculi istius perturbatione præsidio potest esse, nisi sola Ecclesiæ gratia: qua redimimur: & fides nostra, qua uiuimus? In capite libri scriptum est: Os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quis iste sit qui locutus est, aut de quo istud sit sacramentum, audi dicentem: Sacramentũ hoc magnũ est: ego aũt dico in Christo & in Ecclesia. Vnde & admonet ut sic diligat homo uxorem suam, quemadmodũ Ecclesiam Christus: quoniam membra sumus corporis eius, de carne ipsius, & de ossibus eius. Quę igitur maior salus, & esse cum Christo, & ei unitate quadam corporis adhærerere, in quo nec macula sit ulla, nec formido peccati? Scriptum est in capite libri, & Abel iusti placuit hostia deo, displicuit oblatio parricidæ. Nónne aperte significauit dominus Iesus offerendũ se esse pro nobis, ut in sua passione noui sacrificij gratiam consecraret, ritum populi parricidalis aboleret? Quid aũt expressius, quàm quod à sancto patriarcha oblatus est filius, & arietes immolatus est? Nónne aperte ostendit hominis carnem, quæ omnibus terrenis est communis animantibus, non diuinitatẽ unigeniti filij dei obnoxiam futuram sacræ uulneri passionis? Scriptum est in capite libri, uenturum hominem qui potestatibus cœlestibus imperaret. Impletum est quando dominus Iesus uenit in terras, & angeli ministra bant ei: sicut ipse dignatus est dicere: Ex hoc uidebitis cœlos apertos, & angelos dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Scriptum est in capite libri: Agnus sine macula, mũdus, maturus, masculus, anniculus erit uobis, & occidet eum omnis synagoga. Quis iste sit agnus, audistis dicentem: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatũ mundi. Hic est qui occisus est ab omni populo Iudæorum: quem adhuc hostili odio persequuntur. Et illum quidem oportebat pro omnibus mori, ut in eius cruce fieret remissio peccatorum, & sanguis ipsius mundi inquinamenta lauaret. Sed uę illis qui autorem salutis propriæ negauerunt. Feciſtis, inquit, consilium, sed non per me. Quomodo poterat pro quidem à consilio: sed si conuerterentur, remedium nõ negabat. Scriptum est etiam, nõ solum in capite, sed in omni legis complexione, uenturum hominem ad conseruandũ hominum genus, qui omnia uellet quæ deus uellet. Vnde intelligis quoniam diuinitatis eiusdem est, qui eiusdem est uoluntatis. Vnde etiam ad sacrificium passionis uoluntarius accessit, meritoq; prædixit: Voluntariè sacrificabo tibi. Sed forte dicas, quomodo in Euangelio dixit: Pater, si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed nõ sicut ego uolo, sed sicut tu uis? Et uidetur quidem esse distantia uolũtatis: uerũ intelligimus aliud esse quod secundum unitatem diuinitatis exprimitur, ubi dicit: Ego & pater unum sumus: aliud quod secundum hominis est locutus affectum, quem innuit cautum esse debere, nec præsumere quod facilè implere non possit: ne dum præmiũ quærit, incidat sacrilegium. Vnde ait: Cum persequẽtur uos in hac ciuitate, fugite in aliam. Meritò ergo & hic subiturus corporis passionem, cœpit contristari, & mœstus esse: & assumptis Petro & duobus filijs Zebedæi, Tristis est anima mea, antè præmisit: & subiecit postea, Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro aũt infirma. Vides ubiq; eum secundum hominem loqui, secundum hominem orare, secundum hominem tristem esse, secundum hominem dixisse: Pater meus, si possibile est. Quod utiq; non impossibile deo: sed hominis est dubitare, dei confirmare. Ideo prõptiores assumpsit, quasi electos ultimi iudicij sui testes, qui uerborum eius agnoscerent sacramentum. Denique alij dormiebant: isti soli fida mente uigilabant. Vnde & per Hieremiam nondum susceptio corpore ipse ait: Ego sicut agnus ductus sum, & nesciui. Quid est quod nesciat sapientia dei? quæ in arcano patris semper est, & ideo enarrauit omnia filius dei, quia dei patris ipse sapientia est. Quomodo præsciuit se sicut agnum esse ducendum, & quò duceretur nescisse se dicit? Aut quomodo in superioribus per os ipsius Dauid ait: Deus deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? Quomodo derelinquit à patre filius, qui ait: Et non sum solus, quia pater mecum est? Et alibi: Traditus sum, & non egrediebar. Et alibi: Et surrexi, & adhuc tecum sum? Nisi ut aduertas quòd hominum sensum exprimit, qui putant se à domino, quãdo sunt in periculis, derelictos. Deniq; audi quod sequitur: Longè, inquit, à salute mea uerba delictorum meorum. hoc est, alia uerba sunt delictorum, alia sacramẽta salutis æternæ. Nõ præiudicant uerba uirtuti: suis uiribus substantia

Gen. 2 — Ephes. 5 — Gen. 22 — Ioan. 1 — Exod. 12 — Ioan. 1 — Esa. 30 — Psal. 53 — Matt. 14 — Ioan. 10 — Matth. 10 — Ibid. 26 — Hier. 11 — Psalm. 21 — Ioan. 8 — Psal. 87 — Ibid. 138 — Ibid. 21

diuina fulcitur. Homo uidetur, homo auditur, deus in operibus agnoscitur. Et tamẽ de hoc homine dictum est: Et homo est, & quis cognoscet eum? Quid est quis? Non quo
Psalm. 23 nemo, sed quo rarus, quo sapiens, sicut illud: Quis ascendet in montem dominí? Quis sa-
Ibid. 91 piens, & intelliget ea? Denique alibi: Vir insipiens non cognoscit ea, & stultus non intelligit hæc. Et tu ergo cum legis Euangelium, quasi sapiens & nõ stultus cognosce quæ le-
gis: illuminet te sapientiæ fulgor æternæ. Verba quidem sunt, sed & ipsa mundant, & ip-
Ioan. 6 sa illuminant, & ipsa confirmant, & ipsa uiuificant. Vnde ait Petrus: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nõ relinquemus te. Denique ut aduerteremus quòd
Matth. 26 secundum hominẽ locutus esset, paulò pòst dixit: Ecce, appropinquat hora ut filius ho-
Luc. 22 minis tradatur in manus peccatorum. Et Iudæ osculanti ait: Iuda, osculo filium hominis tradis? hoc est, uenenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo, quod
sacræ pacis insigne est? osculo, quo amicitia fida firmatur? osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi cõmercium uenerari debe-
res? Et tradis filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cœlo. Filiũ
Ioan. 3 Sic enim scriptum est: Filius hominis qui est in cœlo, ipse est qui descendit è cœlo. Filiũ hominis tradis, qui te ex peccatore apostolum fecit? Filium hominis tradis, qui uenit ut
in sanguine suo omniũ peccata dilueret? Ego osculum non nego: ipse uideris, qui uiola-
Prou. 27 ueris osculi sanctitatem. An non legisti quòd utiliora sunt uulnera amici, & uoluntaria oscula inimici? Nec immeritò grauiore telo tantæ dignationis percussus est Iudas, & si
eum fulmine perculisset. Denique patientiam domini ferre non potuit, qui maiestatẽ pro-
didit, adeò ut sibi ipsi tanti sceleris reatus non posset abluí. Itaque abijt, pecuniam refudit,
hoc est, cõdemnauit auaritiã suam tantæ impietatis autorem, precium perfidiæ synago-
gæ reddidit. Non excusatur proditor, qui pœnitentiæ locum inuenire non potuit: sed
aceruatur sacrilegiũ Iudæorũ, qui etiam proditoris uocibus arguuntur. Ille suum crimen
agnouit, dicens quòd tradiderit sanguinem iustum: isti & preciũ sceleris receperunt, &
acrioribus studijs iustitiæ principem persecuti sunt. Ideo ad istorũ omniũ perpetuã con-
demnationẽ latro crucifixus absoluitur, quia ille Christũ in supplicijs agnouit, quem isti
in beneficijs non agnouerunt, & peccatum suũ confessus est Christo, qui sciret ignosce-
re: quia in cruce sua regnũ domini mente conspexit, quod in conuiuio Christi Iudas uí-
Luc. 23 dere non potuit. Ideo precationem latronis uox secuta est cœlestis huiusmodi: Amẽ dí-
co tibi, hodie mecum eris in paradiso. Tripudiabas draco, quòd Apostolũ subtraxeras
Christo: Plus amisisti & sustuliſti, qui latronẽ uides in paradisum esse translatum. Nemo
est qui possit excludi, quãdo receptus est latro. Minister tuus eò peruenit, unde ipse de-
iectus es. Subtexuimus ista propter illum uersiculum, quia dixit: Vt faciam uoluntatem
tuam, deus meus uolui: hoc est, diuinitatis mihi tecum pater una uolũtas est, una substan-
tia est: quia inseparabilis maiestas & potentia trinitatis. Sed alia uox carnis, & tamen ad
Marc. 14 uoluntatem dei & ipsa consensit, dicens: Non quod ego uolo, sed quod tu uis. Et alibi:
Si non potest hoc transire, nisi illud bibam, fiat uoluntas tua. Cõmunis affectus est mor-
tem timere, quam suscepit Christus, ut crucifigeret, sicut crucifixit & carnẽ. Mihi enim
est luctatus, ut mihi uinceret. Si caro Christi fortis, nec peccato obnoxia, tamen peccata
suscepit: infirmitates suscepit, etsi nihil habuit quod doleret. Denique audi dicentẽ, quia
pro nobis dolet, donec eiiciat in ueritate iudicium. Non enim alteram carnem, sed hanc
1. Cor. 15 suscepit, ut Apostolus docet, dicens: Oportet enim corruptibile hoc induere incorru-
ptionem, & mortale hoc immortalitatem. Etsi de Virgine natus est & spiritu sancto, ta-
Ioan. 3 men hominis est filius, quia homo uirgo. Et ideo quod natũ est ex carne, caro est; & qui
1. Tim. 2 natus est de homine, homo dicitur, mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Pro
pterea incorruptibilis suscepit hanc carnem, ut faceret incorruptibilem: & immortalis,
ut faceret immortalem. Si quis ergo eum sequitur, induet immortalitatẽ. Si quis uolun-
Luc. 23 tatem eius facit, non morietur in æternum, sed dicit ei Christus: Hodie mecum eris in pa-
radiso. Quid est hodie? hoc est de nocte transisti: mecum eris in lumine. Noli tenebras
formidare, quem æterna lux suscepit. Pulchrè etiam subiunxit, Mecum eris in paradiso,
hoc est, noli dubitare de carne: & me in carne uidisti. Noli timere ne & tu cadas de para-
diso, sicut cecidit Adam: sed audi quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Ce-
ciderat caro in paradiso antequam susciperetur à Christo. Ibi eris susceptus, ubi & ille

qui

qui suscepit, quia non mentitus est dicens: Volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Non recedet pastor à gregibus suis: licet iam lupum in paradiso timere non possis: cui dictum est: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ideo ante consummationem aduersarius deijcitur in incendium, catenis quoq; perpetuis alligatur: ut tu iam nullas insidias pertimescas. Et Adam ut caderet, à serpente deceptus est, & flexus est ab uxore. Ideo iam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarũ, sicut angeli in cœlo. Non dixerat Adę Mecum eris: quia sciebat illum casurum, ut redimeretur à Christo. Felix ruina, quæ reparatur in melius, ideo iam pius pastor, bonus negociator gregem suum & mercem propriã non reliquit. Erit quidem & adhuc in paradiso cum angelis pugna serpenti, donec deijciatur. Sed qui cum Christo est, timere non potest. Adam cum Christo non fuit quando deceptus est. Nam si cum Christo fuisset, in eius præceptione mansisset, deceptus non esset. Non mansit in Christo, quia non in eius sermone permansit. Denicq; audi qui manet in Christo. Si manseritis, inquit, in me, & uerba mea in uobis manserint: quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis. Et infra: Si præcepta mea in uobis manserint, manebitis in mea dilectione. Vis scire quia cum Christo Adam non erat? Dixit ei dominus: Adam ubi es? Qui utiq; quasi absentem requirit, non dicret, Vbi es? si eum in se manere cognosceret. Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. Absconderunt se, inquit, ambo à facie domini. Omnes uidet Christus: sed qui se abscondit, absconditur: quoniã qui ignorat, ignoratur. Cognoscit enim eos dominus qui sunt ipsius. Ille omnes suos uult esse, quos condidit & creauit. Vtinam tu homo non fugias, & te ipse à Christo abscondas. Ille etiam fugientes requirit, & absconditos non uult perire, sed clamat dicens: Adam, ubi es? hoc est, homo, ubi es? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti. Denicq; in paradiso, ubi semper matutinus erat dies, uesper est factus: quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Ideoq; audierunt uocem domini dei deambulantis ad uesperam in paradiso. Simul cognosce mysterium. Mane erraste? ad uesperam liberaberis. Quomodo enim uespera, ubi Christus est? Nam licet sedes eius supra cœlum cœlorum, tamen in sanctis suis Christus est. Quomodo ergo uespera ubi deus est, cum deus lux sit? Denicq; Saul in itinere lux refulsit, quando ei Christus occurrit. Vnde etiam lumine dei refulgente cæcatus est persequutor. Cur ergo cęcatus, nisi quia non agnouerat Christum? Nam si cognouisset lucis arbitrum, non amisisset lumen oculorum. Denicq; & ubi agnouit recepit. Indicio est, quòd non agnouerit Christum, qui audita uoce, Saule, Saule, quid me persequeris? Respondit, Quis es domine? Non quæsisset quis esset, si cognouisset. Vnde & dominus quasi ignoranti dicit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Et ille dixit: Domine quid me oportet facere? Vide congruentia utrinq; magisteria. Medicus minatur, ut corrigat: terret, ut curet: æger primo medici personam requirit, si sit idoneus à quo sanari se posse præsumat. Vbi medicinæ audiuit auctorem, remedium poposcit, salutem inuenit. Denicq; acceden tem non solum expulit cæcitatem, sed etiam lucem quam non habuerat accepit, ut Christum uideret, quem antea non uiderat. Sed uideamus sequentia, repetito tamen uersiculo de quo uidetur esse tractatus. Ecce uenio ut faciam uoluntatem tuam, deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei. Bene nunciaui iustitiam tuã in Ecclesia magna: ecce labia mea nõ prohibebo, domine tu cognouisti: iustitiã tuã abscõdi in corde meo. De superiore itaq; uersiculo intelligimus: Ecce uenio, non solum ut uoluntatem tuam sciam, sed etiam legem tuam in medio cordis mei. Alij habent, In medio uentris mei. Est enim uenter & mentis qui semina concipit sensum, de quo Esaias dixit: In utero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis. Hoc utero parturiuit & Paulus, qui ait: Filioli mei quos ego parturio donec formetur Christus in uobis. Christus ergo non uentre corporeo, sed in animæ quodam uentre formatur. Hoc uentre Apostolus genuit, sicut scriptũ est: Ego uos per Euangelium genui. Ideo alij bene habent, In medio cordis, alij, in medio uentris: ut interioris hominis uentrem intelligas, qui in medio esse cordis accipitur, in quo naturalis legis præscripta seruamus: quæ non solum custoditur, sed etiam sit in cordibus nostris. Vnde & scriptum est, quia non solum auditores legis iusti sunt apud deum, sed etiam factores legis iustificabuntur. Sunt enim qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, sicut gentes quæ legem non audiunt, & sibi lex sunt, qui cognita sibi legis

Ioann. 17
Luc. 10
Apoc. 20
Gen. 3
Matth. 22
Ioann. 8
Gene. 3
1. Cor. 14
2. Tim. 2
Act. 9
Esa. 26
1. Cor. 4
Ibidem.
Rom. 2
Ibidem.

præcepta conseruant. Ergo quasi gentilis populi congregator, personam nostram susce-
pit hoc loco Christus, ut diceret facere se legem in medio cordis sui. Si quidem populus
nationum legem quam non audiuit impleuit, ut agnosceret Christum, quem populus
Iudeorum qui legem acceperat, non recepit, nec cognoscendum putauit, quia scriptum
Esa. 1 est: Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non
cognouit. Hic ergo credentiũ uenter est, in quo spiritus sanctus operatus est, & eũ semi-
Ioann. 7 ne spirituali implere cõsueuit: sicut testificat in Euangelio dominus Iesus, qui ait: Qui cre-
dit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Ex illo flumine i-
sta sunt flumina, de quo legimus: Fluminis impetus lætificant ciuitatem dei. De quibus
Psalm. 45 ergo fluunt huiusmodi flumina spiritalia, de his bene dicitur: Eleuauerunt flumina do-
Psalm. 91 mine, eleuauerunt flumina uocem suam, à uoce aquarum, spiritualiũ, quæ supra cœlos
deum laudant. Qui eleuauerit uocẽ suam, hic potest dicere: Bene nunciaui iustitiam tuã
in Ecclesia magna.] Quid est quod addidit magna, nisi quia fuit antè non magna? Quæ
est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus cõgregata? quando ab Oriente & Oc-
cidente, Septentrione & Meridie populi gentiũ sunt uocati: ubi tamẽ legimus alibi ma-
Psalm. 34 gnam Ecclesiam: Cõfitebor tibi domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.
Exod. 32 Ibi ergo Ecclesia magna, ubi populus grauis: hoc est, nõ inquietus, & mobilis, qui sedit
manducare & bibere, & surrexit ludere. Grauis populus est qui fidem deo suo seruat, &
qui non aliqua leuitate mutetur, neq; nutet & fluctuet, sed charitate sit fundatus in Chri
Rom. 8 sto, ut possit dicere: Confido enim quia neq; mors, neq; gladius, neq; tribulatio separare
me possit à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Qui autẽ prædicat in Ecclesia magna,
non abscondit iustitiam dei in corde suo, sed exaltat uiribus uocem suam, annuncians
Christum. Non timet eum coram populo prædicare, non erubescit crucem eius, sed glo
riatur in illa domini passione. Non sequitur literam legis, sed eruit profunda mysteria,
quibus reuelet domini Iesu gloriam, quẽ lex significauit esse uenturum ad Ecclesiã, quæ
Ibidem. 4 magna est congreganda. Iustitia igitur fides est. Deniq; credidit Abraham deo, & repu-
tatum est ei ad iustitiam. Ecce labia mea nõ prohibebo domine, tu cognouisti.] Sic &
Psalm. 118 alibi: Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionẽ meam. Ad patrẽ dicit: Iustitiam
meam non abscondi in corde meo: ueritatẽ tuam & salutare tuum dilexi.] Totus ex per
sona Christi Psalmus iste est: ideo iustitiam meã dicit: licet nõ arroganter & homo possit
dicere iustitiam suam, qui deo credit, & fidem suam sibi reputari ad iustitiam confitetur.
Veritatem & misericordiam diligit, qui fidem prædicat ueram, & peccata dimittit. Ideo
enim Christus aduenit, ut fidem statueret, remissionem tribueret peccatorum. Et quia
ex persona saluatoris totum hunc esse diximus Psalmum: ne forte dicant Apollinaristæ:
Ecce corpus, dixit, præparasti mihi, non etiam animam: audiant in inferioribus Psalmi
huius dicentem: Confundantur, & reuereantur simul qui quærunt animam meã, ut au-
ferant eam.] Hęc sunt quæ in hoc Psalmo difficiliora arbitrati sumus: reliqua plana & fa
cilia, nec digna interpretationis existimauimus: cum si in tractatũ incidant, alio Psalmo
in quo uidentur esse repetita, rectius prosequemur, fauẽte domino Iesu, cui est laus, honor
gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Psalmi quadragesimi enarratio.

Matth. 4 B Ono ordine qui in superiore Psalmo dixit: Ecce uenio: in hoc iam uenit, &
patitur: & ideo quadragesimus Psalmus inscribitur, quia quadraginta die-
bus ieiunauit dominus Iesus, ut eo numero consummaret hominis qui perie
rat perfectionẽ. Sicut enim per appetentiã interdicti fructus amiserat gratiam, ita per ie
iuniũ reparari eius uirtutẽ oportuit: ut qui perierat in Adã, reparatur in Christo. Ideo er-
go in finẽ, quia ipse finis est spei nostræ, ad ipsum studia nostra dirigimus, ad ipsum uota
nostra conferimus, quia ipse est plenitudo, ipse est consummatio uniuersorũ, ipse omniũ
summa uirtutum. Ideo ipsi Dauid, quasi ei qui solus ex omnibus in sua carne nostra pec-
cata susceperit, qui solus dei agnus peccatum totius mundi abstulit, qui solus chirogra-
phum decreti sanguinis sui effusione deleuit, & tulit de medio, atq; suffixit cruci: quasi
sapientia, sciens quomodo uetus peccatũ mundi solueret: quasi redemptio, quomodo
hominem renouaret à culpa: quasi sanctificatio, quomodo eum sanctificaret ad gratiã.
Hic ergo titulus, hoc principium: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.]

Aperi

Aperi aures tuas, qui incipis sacramenta dominicæ cognoscere passionis. Ideo tibi dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat. Ideo surdo illi & muto aures & labia tetigit dominus in Euangelio, ut sciret quid audiret in mysterio, quid etiam loqueretur, & quando loqueretur. Neq; enim ociose scriptū est: Dominus mihi dedit linguā eruditionis, ut scirem quando oporteat sermonem dicere. Scire ergo debes quid audias, scire quid loqui debeas, scire etiam quando loqui debeas. Audi ergo dicentem: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Beatus quidem qui compatitur pauperi, qui haurit eius necessitates: scit quid mali inopia afferat indigenti. Sed quid sibi uult istud exordium in domini passione? Verū est quidem quòd propter pauperes passus est: sed tamen ipse corripuit Iudam dicentem de illo unguento quod effuderat Maria super pedes Christi, Potuit hoc uenundari trecentis denarijs, & dari pauperibus. Idē & cæteri Apostoli sentiebant, discipuli pauperum alimoniæ consulebant. Quibus in commune respondit: Sinite illam, ut in die sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habetis uobiscū, me autem non semper. Ergo alius intelligendus est hic beatus qui intelligit super paupertē. Hic de fide dicit, alibi de misericordia. Prior ergo fides, secunda misericordia. Cum fide, preciosa misericordia: sine fide, nuda: sine fide, instabilis. Fides enim uirtutum omniū sta bile fundamentum est. Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam & paupertatē: qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Dives in regno, pauper in carne: quia suscepit hanc pauperum carnē. Pauperes enim facti sumus nimis, qui uirtutum exuuias preciosas fraude serpentis amisimus, excluſi de paradiso, eiecti de patria, in exilium relegati, ipso quoq; nudati corporis integimento: quod antea uirtutum septa munibant, postea delicta nudarunt. Si ergo egenus & pauper in carne, utiq; egenus & pauper in carnis istius passione. Non ergo in diuitijs suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoq; nō plenitudo diuinitatis, quæ in illo corporaliter habitat, ut scriptura testatur, sed caro passa est. Hoc intellige, hoc persequere, id tene, ne dicatur tibi: Noluit intelligere super mendicum & pauperem. Nam si hic dubitas, certe in illo Psalmo qui aduersus proditionem Iudæ ex persona dicitur saluatoris, de illo uersiculo dubitare non poteris in quo ait: Et persecutus est hominem pauperem & mendicum. Intellige ergo paupertatem Christi, ut dives sis: Intellige infirmitatem eius, ut accipias sanitatem: Intellige crucem eius, ut non erubescas: Intellige uulnus eius, ut uulnera tua cures: Intellige mortem eius, ut adquiras uitam æternam: Intellige sepulturam eius, ut inuenias resurrectionē. Sed forte dicas, Quomodo dives in paupertate Christus? Etsi mihi ingenium deficiat, tamen nō deficiunt diuinarum subsidia lectionum, cum dixerit Apostolus: Quoniam dominus Iesus pauper factus est, cum dives esset, ut uos eius inopia ditaremini. Quæ ergo ista paupertas quæ diuites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum uenerabile sacramentū. Quid purius potest eo esse atq; simplicius? Nō taurino quisquā perfundit sanguine, ut sacra dicuntur habere Gentilium: non hircorum atq; arietum cruore peccator lauatur. Neque enim quisquam ita purificatur. Caro enim lauatur, non culpa diluitur. Sed exiet, inquit, aqua cū delectatione de fontibus saluatoris: & paratur in conspectu tuo mensa cœlestis, & poculum inebrians quàm præclarum. Hæ sunt diuitiæ simplicitatis, in quibus est Christi preciosa paupertas. Est & in moribus paupertas bona: unde & dominus dixit: Beati pauperes spiritu. Et in Psalmis inuenimus quia dominus humiles spiritu saluabit. Est & in collatione tenui paupertas abundās, si abundet fides. Vnde Apostolus ait: Et profunda paupertas eorum abūdauit in diuitijs simplicitatis eorum. Vt autem & ex alijs uocibus eius intelligamus quia ipse se pauperem dixerit, habemus alibi scriptum: Pauper & dolens ego sum: hoc est, quia pro nobis doleret, ut legimus. Neq; enim in se habuit quod doleret. Si ergo pro nobis dolet, ut Esaias interpretatus est, qui eū uidit in spiritu: pro nobis utiq; tristis erat: iuxta quod animam suam tristem appellauit usq; ad mortem, tamen non propter mortem: & carnem dixit infirmam, quæ mortis subiacuit infirmitati, ut aculeum mortis infringeret, quo nos in die iudicij liberaret, quā non perfunctorie malam dixit, sic enim subtexuit: In die mala liberabit eum dominus.] Quoniā amara uidetur, quæ plures adiudicat pœnæ. Via enim uirtutis angusta est, lata delicti. Ideo rariores in uirtute ambulant, plures in flagitio uersantur. Quo fit ut inferior eorum

Luc. 8
Marc. 7
Esa. 50
Matt. 26
Ibidem
1. Cor. 8
Colos. 2
Psal. 108
2. Cor. 8
Esa. 12
Matth. 5
Psalm. 33
2. Cor. 8
Psal. 68
Esa. 52
Matth. 26
Ibidem.

sit nume-

sit numerus, qui præmia remunerationis accipient, quàm qui ob precium grauium pec-
catorum sortem aduersam iudicij reportabunt. Quasi dolens igitur dixit malam iudicij
Luc. 15 diem. Nam si angeli in unius peccatoris absolutione lætantur, quãto magis homines in
tantorũ condemnatione hominum macerabuntur? Et bene dolet pro ea oue quã hostis
ris suis ipse reportauit, & ad ouile suũ reuocauit errantẽ. Affectũ nostro loquit dei filius:
quia nobis dies iudicij acerba est, quã timemus. Omnibus mala uidet, quia plena terro-
ris est, qua deus non solũ forensia hominis, sed etiã occulta dijudicat, qua cogitur unus-
quisq; aperire quod fecit, aut quod sensit. Ideoq; multi damnantur, pauci coronãtur. Sed
etiã ipsi qui coronantur, dolebunt. Iusti enim coronabuntur. Iustus autẽ quasi suã putat
fratris ærumnã. Et quis ego sum qui de illa iudicẽ, qua homo angelorum conciliis inseré
Ioann. 5 tur? Ipsius domini audiamus sententiã. Veniet, inquit, hora in qua omnes qui in monu-
mentis sunt, audient uocẽ filij hominis: & procedent qui bona fecerũt, in resurrectionẽ
uitæ: qui mala fecerunt in resurrectionẽ iudicij. Iudicabuntur ergo qui mala egerunt &
ideo mala dies & aspera ab ipso iudice nuncupatur, ut scias quia ipse nobis cõpatitur in
Euangelio, qui cõpassus est in prophetis. Sed & sic possumus accipere, in die mala, hoc
1. Ioann. 5 est, in tẽpore malo. Mundus enim in malo positus est: & ideo mali dies istius mũdi: & ab
Matth. 6 undat diei malitia sua. Non mediocre est ut hic liberemur ab insidijs peccatoris. Qui fue
rit hic liber à crimine, ibi erit liber à pœna, & seueritatẽ iudicij subire nõ poterit. Et ideo
uotis opus est & precibus quotidianis, & aduocatione principis sacerdotũ, de quo dicit
1. Ioann. 2 Ioannes Euangelista: Aduocatũ habemus apud patrẽ dominũ Iesum, & ipse est depreca
tio pro peccatis nostris. Hic ergo aduocatus noster, & deprecatio pro populo totius se-
culi orat: pro eo qui intelligit & credit in Christũ, & dicit: Dominus conseruet eũ, & uiui
ficet eum, & beatũ faciat eũ.] Conseruet à periculis, uiuificet tanquã in mortis tenebris
constitutũ, beatũ facere bonorũ operũ accessione dignetur. Et emundet, inquit, in terra
uitã eius.] Bene addidit, in terra: quia nisi hic mundatus fuerit, ibi mundus esse nõ pote-
rit. Vel certe hoc modo, Emundet in terra. Quomodo enim quis mũdus in luto, cũ terra
eum oblinat? Ergo domini manus est necessaria, quæ fecit de terra corpus, ut ipsa mun-
1. Petr. 5 dare dignetur. Et nõ tradat eũ in manus inimici eius.] Quis est inimicus, nisi leo ille qui
circuit rugiens, quærẽs quẽ deuoret? Alij habent Græci: Et nõ tradat eũ in animas inimi
corũ eius. Animas pro manibus posuit, eò quòd inimicorũ animæ bonis insidientur, et
Genes. 46 cogitationibus suis iustũ conentur euertere. Dicũtur & animæ pro hominibus Omnes
1. Para. 21 animæ septuaginta quæ descenderunt in Aegyptũ. Ideo & Dauid maluit dei se cõmitte
re potestati, quàm insidijs inimicorũ qui parcere sua uoluntate nescirent. Sequitur: Do-
minus opẽ ferat illi supra lectũ doloris eius: uniuersum stratũ eius uersasti in infirmitate
eius.] Quis est lectus doloris, nisi caro infirmitatis? Et bene lectus doloris: quia corpus
Rom. 7 est mortis, de quo se liberari deprecatur Apostolus, ut tanquã de tumulo quodã possit
assurgere, in quo ægra iacet anima, & quasi quodã decumbit in lectulo. Symmachus le-
ctum miseriæ dixit: Aquila grabatũ miserię: expressius septuaginta uiri lectũ doloris pu
tauerũt esse dicendũ. His ergo uersiculis utendũ est apud eos qui diutius infirmitate cor
poris detinentur, ut habeant medicinã dei, quo sani esse mereantur. Lectus ergo animæ,
caro infirma est: cuius ægritudini anima nostra cõpatitur: quæ si habeat adiutorẽ domi-
Ioann. 9 num, dicit ei: Surge, tolle lectũ tuũ, & uade in domũ tuã. Quo confortatus dei uerbo qui
æger erat, surgit & tollit lectũ suũ in quo iacebat, & redit in statũ pristinũ sanitatis. Hoc
est in domũ suã regredi, ut habitet in domicilio robustissimæ ualetudinis. Qui habitat,
regit: qui regit, uirtutis habet sibi gratiã suffragantẽ. Sed etiã stratum omniũ uersat domi
nus in infirmitate languentis, cui adesse dignatur. Quod uersatur, statũ mutat: aut ex sani
tate in ægritudinẽ, aut ex ęgritudine ad sanitatem. Hic ergo qui ęgrotauerat, mutat se ad
remediũ sanitatis. Sic ergo dominus Iesus & si uulneratus est propter peccata nostra, tã-
men non in illa infirmitate permansit, sed se ipse uersauit in melius ad uniuersorum salu-
tem. Itaq; passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Sicut ergo se ipse uersauit ad
populorũ redemptionẽ, nec sensit aculeum mortis, aut uulneris infirmitatẽ: sic eũ qui in
se credit, & si grauiter ægrotantẽ, ut à morte liberet, uersat ad uitã. Omnẽ ergo stratum,
hoc est uniuersorum hominũ infirmitatẽ, in sua infirmitate uersauit. Suscepit enim infir-
mitates omniũ in sua carne, erexit se in crucem, & uersauit omniũ infirmitates in sui cor-
poris

poris infirmitate. Vnde dicit Esaias: Liuore eius nos sanati sumus. Habent hoc luctatores, ut se subijciant ijs quibus congrediuntur atq; luctantur, ut opprimi posse uideantur, & subito cũ existimantur elidi, quadam arte se uersant, ut effundant superiorẽ. Cadit qui portabatur: & is qui portabat, superior inuenitur, ut sternat urgentẽ. Spiritali itaq; palæstra dominus Iesus onera nostra suscipiens, in illa se passionis suæ congressione subiecit & infirmitatis specie, ut eum aduersarius hominẽ parem cęteris iudicaret, quem facile posset opprimere: diuinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoriæ propius tentator accessit. In costa eum telo militis uoluit uulnerare, reputans & hunc sicut Adam per costã posse prosterni. Sed uulneratus latere dominus Iesus uitam produxit è uulnere, euacuauit omne peccatũ, deiecit aduersariũ, cui mortem latronis eripuit: & in illa morte, in illa sui corporis sepultura cũ existimaretur oppressus, elisus sua se uirtute uersauit: cecidit aduersarius, dominus resurrexit. Sequitur: Ego dixi, domine miserere mei, sana animã meã, quia peccaui tibi.] Potest ex persona regis Dauid hoc dici: qui uidens in spiritu tantã uictoriam & gratiã Christi, petit ut in illa remissione peccatorum omnium & sui misereatur: quoniã & ipse etsi legibus, quasi rex, non teneretur humanis, deo tamen obnoxiũ se pro peccatis suis esse cognoscit. Confitetur ergo peccatũ suum, ut accipiat remissionẽ, & generalis indulgentiæ munus inueniat. Potest & ex persona Saluatoris hoc exprimi, qui nobis misericordiam dei postulat, & peccasse se dixit, quia pro nobis peccatum factus est. Simul nos docet, cum in aliquo sumus aduersus inimicos dei certamine constituti, ut dei imploremus auxiliũ: ipsi peccata nostra fateamur: & tunc maxime cum urgemur & terimur: cùm dolore & amaritudine prosternimur, ne tacuisse uideamur: quo medicina citius nostris uulneribus deferatur, ut sanati aduersario resistamus. Quomodo enim potest cõgredi uulneratus? Vnde discimus quia peccatorum nostrorũ aculeis uulneramur. Vulnus medicũ quærit, medicus confessionẽ exigit. Hinc quoq; magis ac magis aperire Saluator sacramentũ suæ incipit passionis: quod cum Euangelio concordare non dubium est. Nam maledicebant ei Iudæi, mortẽ eius ex petebant: insidiabantur, urgebant, crescentẽ quotidie gloriam operis eius non ferentes. Hoc ergo prophetia annunciat, quod in Euangelio completũ est. Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomẽ eius?] Amentes, qui uitæ auctorem mori posse credebant: sed uota eorũ Ecclesia destruebat, credens quòd etiã mortuus secundũ corporis conditionẽ, suum nomen augeret: & ideo psallebat ei dicens: Memor ero nominis tui, in omni generatione & generationẽ. Repetebat, Vnguentũ exinanitũ est nomen tuũ. Morientur illi qui te mori posse præsumunt, non moriar ego quæ te noui uitæ arbitrũ, salutis auctorẽ. Nouimus enim quòd tempore passionis & resurrectionis orabant discipuli cõgregati quando eius Maria Magdalena resurrexisse dominũ nunciauit & quando ei clausa ianua dominus se in corpore resurrectionis ostẽdit, quãdo Thomas uulnera eius uidit, & credidit. Insultabãt ergo Iudæi quasi mortuo: sed dominus uiuentẽ se Apostolis reuelabat. Cum ergo dicerent Iudæi: Ecce mundus totus post eũ abijt: cum dicerent quia mirabilibus operibus seducit populũ: quid aliud dicebãt, nisi, Quãdo morietur, & peribit nomen eius? Et ideo in eius passione clamabant: Tolle, tolle à terra hũc crucifigatur, crucifigatur. Factũ est quod petebant, sublatus à terra est: resurrexit, ad cœlum ascendit, & regnum suum de nobis paradisi sedibus reformauit. De Iuda quoq; proditore euidẽs prophetia subtexitur in his uersiculis qui sequuntur: Et egrediebatur ut uideret, uana locutus: cor eius congregauit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur.] Sic distinctũ Græcis in codicibus inuenimus. Ingrediebatur ergo Iudas, quærẽs prodere saluatorẽ, ut uideret quid ageret, quid ue loqueretẽ, ut eum caperet in sermone & Iudæis annũciaret. Sed nihil inueniebat, qui nihil intelligebat. Bene ait scriptura quia intus cũ Iesu nõ erat, qui de doctrina eius recesserat, & institutiones eius reliquerat. Volebat intrare, sed penetrare non poterat: quia eum sua excludebat perfidia. Omnis enim impudicus, aut auarus, aut immundus (quod est idolorũ seruitus) non habet hæreditatẽ in regno Christi & dei. Nõ solum ergo ingredi moliebatur, & non ingrediebatur: sed etiam uolebat uidere, & nõ uidebat. Deniq; loquebatur Iesus in parabolis: sed nõ audiebat Iudas. Deniq; diuina nõ uidebat mysteria. Non enim omnes audiunt uerbũ dei, qui sibi uidentur audire. Nam si omnes audirent, non diceret Iesus: Qui habet aures audiẽdi audiat.

Esa. 35

2. Cor. 5

Psalm. 44

Ioann. 20

Ioann. 12

Ioann. 19

Ephes. 5

Luc. 8

audiat. Et ideo quia non audiebat, neq; uidere poterat, loquebatur uana pro ueris, & pu-
Matth. 26 tabat quòd Iesum falleret, dicens: Potuit hoc uenundari, & dari pauperibus, cùm furtis
suis, non pauperibus prouideret: appellans rabbi atq; doctorem, à cuius magisterio de-
uiabat: cuius cor (in quod se immerserat diabolus) congregabat sibi & augebat iniquita-
tes. Sibi enim erat iniquus, sibi iniustus: sibi delinquebat, qui intra se dolũ meditabatur,
Luc. 22 qui latere non potetat. Non enim circunueniebatur Iesus, qui prodebatur uolens, & te-
stificabatur: Vnus ex uobis me tradet. Deniq; confessus est Iudas, dicens: Nunquid ego
sum Rabbi? Et dominus ait: Tu dixisti. Nec sic intellexit Iudas quòd cognosceretur. Nã
Psalm. 40 si intellexisset, non prodidisset. Sed nihilominus egrediebat foras, & loquebatur. Aptus
uersiculus aduersum eos qui secretũ alicuius produnt. Pulchre ait: Egrediebatur foras.
Foris enim lupi, foris prædones: intus Moyses in nube cum Iesu. Foris Iudæi, intus Za-
charias sacerdos in tẽplo. Foris multitudo, intus spiritus sanctus in cordibus nostris cla-
mat ad patrem. Foris aduersarius noster sicut leo peruigilat ad rapinã. Foris infideles, in
tus fideles. Et ideo eos qui foris sunt, iudicabit deus: eos autẽ qui intus sunt, Christus ab-
soluit. Egrediebatur igitur Iudas, & loquebatur. Egrediebatur de fide, egrediebatur de
concilio & numero Apostolorum. Egrediebatur de conuiuio Christi ad latrociniũ dia-
boli. Egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis: qui uana ad perfidos lo-
quebatur. Egrediebatur foras, qui uitæ internæ mysteria relinquebat. Egrediebatur, qui
scripturæ interiora nõ nouerat. Si enim sciisset, intellexisset dicentem: Nunquid qui dor-
Psalm. 54 mit, non adijciet ut resurgat? Intellexisset etiã illud: Tu uero homo unanimis, dux meus,
& notus meus, qui semper mecũ dulces capiebas cibos: in domo domini ambulauimus
cum consensu. Non intellexit ergo hunc Psalmum, non centesimum atq; octauum, non
alios, non alia testimonia scripturarum. De quo bene Euangelista dicit Ioannes, & cæte-
1. Ioann. 2 ris infidelibus: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobi-
scum mansissent. Non manebat ergo cum Apostolis proditor, qui foras exibat, & cum
perfidis susurrabat. Quo uerbo usa est scriptura diuina demonstrans sine auctoritate es-
Psalm. 58 se perfidiam, quæ timet quod loquitur deprehendi. Fideli autem dicitur: Exalta uiribus
uocem tuam. En quod deciderat apostolus Iudas, qui missus erat fidem gentibus pleno
auctoritatis præconio prædicare, ut in aurẽ insusurraret insidiatoribus magistri sui quod
timeret audiri. Nonne iudicio suo se ipse damnauit? Sed erubescebat audiri, quod facere
nõ timebat. Erubescebat, quia aduersus uitæ suę sanctificationis & honoris auctorẽ co-
gitabat mala, nec gratiam beneficijs rependebat, sed mala pro nobis bono referebat ma-
gistro, quod etiam seculi homines damnare consuerunt. Erubescebat ingratus depre-
hendi: erubescebat auarus uideri: cum pro pecunia auctoris sui salutem proderet. Erube-
scebat uideri perfidus: similiter & Iudæi, qui aduersus fidei magistrum falsos testes perfi-
di subornabant, ut dicerent quòd prædicasset templum dei quod Salomon condidit, de-
Ioann. 2 struendum: cum ille de templo sui corporis significasset: Soluite hoc templum, & in tri-
duo suscitabo illud. Vere foris erant, qui à cognitione uerbi cœlestis erant excluſi. Ver-
bum, inquit, iniquum proposuerunt aduersum me.] Id est, illicitum, & contra ius & ne-
fas sermonem proposuerunt, mihi facientes de humano sanguine pactiones, quem sce-
leratissime uendidit Iudas, Iudæi quoq; emendũ nõ minore scelere crediderũt, uanissimi
homines, quasi qui dormit, inquit, non adijciat ut resurgat. Quid sit adiectio, consideremus: Naturale est omnibus terrenis animantibus, & uolatilibus cœli, & piscibus maris
nasci & mori. Homini, quem preciosiorem cæteris terræ animantibus deus fecerat, hãc
præcipue contulit gratiam, ut mortuus reuiuiscat. Hæc dicitur ad renouationẽ uitæ su-
perioris adiectio. Deniq; & Ezechię regi cũ prescripsisset dominus quòd uitæ suæ tem-
pus implesset, & per Esaiam mandasset ut ordinaret domum suam, quia moriturus esset,
atq; ille orasset ad dominum, & fleuisset fletu magno, misertus dominus mandauit ei: Ec-
Esa. 38 ce adijcio ad tempus tuum annos quindecim. Et alibi sanctus Dauid ait: Dies super dies
Psalm. 60 regis adijcies annos eius. Inuentum ergo homini quod addatur: deo autẽ addi nihil po-
Eccle. 18 test: quia scriptum est: Non est adijcere, neq; minuere, in quo perfecta & plena sunt om-
nia. Et si Christus resurrexit, utiq; in eo quod assumpserat resurrexit: in quo plenitudini
diuinitatis eius nihil uel decedere potuit uel accedere. Deus enim incorporeus & im-
mo talis est, cuius summa natura & plenitudo uirtutũ, sine ulla carnis accessione signa-
tur. Caro

tũ. Caro autem dispensationis in Christo est: quam miserationis titulo, & pietatis iure suscepit, ut captiuã redimeret, ablueret contaminatã, mortuam resuscitaret. Et pulchre ait: Numquid qui dormit, non adijciet, ut resurgat?] Non dixit, non adijcitur: sed, nõ adiciet ut resurgat, eò quòd ipse se Dei filius resuscitauit, sicut supra diximus dixisse eũ lu-
dæis: Soluite hoc templum, & in triduo suscitabo illud. Adiectionem accepit caro quasi Ioann. 2
sumpta de homine, suscepta de Virgine. Sed quasi Deus adiectionem ipsam operatus est, qui uirtute propria resurrexit, ut esset suæ resurrectionis operator. Cum igitur legas quòd & pater filium, & filius ipse se resuscitauerit: agnosce operationem illam diuinæ fuisse uirtutis: quia patri & filio una uirtus, cõmunis operatio: quandoquidem una atq; eadem substantia trinitatis est. Sed quid ego cæteros arguo? dicit dominus Iesus: Quid mirum si populus me non cognouit, & crucí adiudicauit, cum Apostolus meus mercedem proditionis exegerit, cum conuiua meus mortem meã uendiderit? Etenim homo pacis meę, in quo sperauí, qui edebat panes meos: ampliauit super me supplantationẽ.] Aliqui ludam excusandũ putant, quia refudit pecuniã quam pro mercede proditionis acceperat. Sed ecce quia ultra Iudæorum cõdemnatur infidelitatem. Cui enim plus datum est, plus exigitur ab eo. Quid, inquit, de alijs quærar? Homo pacis meæ, cui pacem meam dederã, pacem meam relinquere uoluerã: persecutoribus deductis me tradidit, & fefellit me in quem sperauí. Nũquid ignorauit proditorem sui futurum, de quo ante Luc. 22
prædixit: Vnus ex uobis me tradet? Hoc autem dicebat de Iuda, sicut scriptum est in Euangelio. Non utiq; sed quo amplius condemnaret eum, de fide eius speraſse se dixit. Aquila, confisus eram, dixit: Symmachus posuit, cõfidebam. Plus enim grauamus eum in quo plurimũ spei uel fiduciæ habuisse nos dicimus, si postea spem nostram opinionem q; destituit. Simul ostendit quanta uis diuinæ sanctificationis sit, quæ excludat malitiam, & deprauatum emendet ingenium, si forma propositi melioris accedat. Quãtos scimus esse conuersos? Mutatus est Zacchæus ille publicanus, & ad quęstum auaro in- Ibidem 19
tentus affectu, qui postea quadrupla redhibitione soluit errorem, cõdemnauit in se auaritiam, temporis superioris abiurauit lucra, compensauit in pauperes, si deesset exactor. Latro ipse nequitiam suam proposito meliore mutauit, agnouit in cruce Christum, confessus est Dei filium, regem uoce propria nuncupauit. Quo tempore iusti plerique nutabant: ipsi certe latebant Apostoli: carnifex ipse Centurio non negauit. Quid de tempo- Iosuæ 2 & 6
re Euangelij loquor? Rhaab meretrix erat, quæ perfidiæ atq; intemperantię se alebat stipendijs. Tamen ubi exploratores uidit quos miserat Iesus Naue, fidem induit, & periculo imminente iustitiam reseruauit: nec susceptos prodidit, sed fideli humanitate protexit. Ideo ergo speraſse se dicit, quasi iure præsumpserit ut Apostolus superiora deponeret, meliora sequeretur: & qui sanctificandi alios munus acceperat, ipse in se sanctitatis gratiã custodiret, & syncerítatis inhæreret officijs. Bene ait, Sperauí: quia homini dedit eligendi arbitrium quid sequatur. Posui, inquit, ante te bonum & malum. Si malum elegeris, non natura delinquit, sed eligentis affectus. Si unusquisq; hominum condemnatur qui malum elegerit: quid de Iuda dicimus, qui prodidit eum cui copulabatur suauitate conuiuij? Qui edebat, inquit, panes meos: ampliauit super me supplãtationem. Quid Psal. 40
est quod addidit, panes meos? Potuit dicere: Qui edebat panes mecum: nisi illam intelligas quæ specialis est Christi, hoc est, uerbi cœlestis alimoniam. Non enim in solo pane Matth. 4
uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. Denicp alibi dicit: Qui semper mecum dulces capie bas cibos. Quibus uersiculis bene utimur aduersus eos qui necandos esse crediderint Psal. 54
cum quibus uidentur epulati. Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerunq;, latrones etiam, ut parcant ijs cum quibus recordentur se iniſse conuiuium. feræ ipsę pabulorum societate mitescunt. Vnde propter huiusmodi affectum gratiæ conuiualis, si uerba considéremus, non ociosè dulces cibos dixit. Quomodo enim dulces, qui cito corrumpuntur? Sed uide ne dulces cibos dixerit uerba uitæ. Hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit, nulla mortis corruptela contaminat. Vnde & semper dixit. Non enim semper edere quis poterat. Semper autem uerbo Dei possumus inhærere, & noctibus & diebus, si in lege Dei die & nocte meditemur. Quid est etiam ampliauit? Græcus ἐμε-
γάλυνεν dixit, hoc est magnificauit. Vtrunq; nobis exposuit dominus quod mouere nos Ioann. 13
posset, dicens in Euangelio: Qui mãducat mecum panem, leuauit super me calcaneum.

ad Titum 3 Vnde assumptus hic sermo sit, consideremus. Fuimus, inquit, increduli errantes, seruien-
tes desiderijs & uoluptatibus. Fateamur errorẽ, ut diluamur. Et ego uidi aliquem puer
athletam, cum elisisset aduersarium, frontem ei percussisse calcaneo: quod signum fuit
quod insultauerit uicto. Hoc est quod ait: Magnificauit super me supplãtationem. Quo
uerbo insultãtis iactantiã declarauit. Leuauit ergo & Iudas super Christum calcaneum
suum, cum proderet eum: sed nõ leuauit impune. Adhuc Adam calcaneum leuat: quod
Ioann. 13 à serpente est uulneratũ. Et utiq; ei pedes lauerat Christus. Audierat dicentem: Qui lo-
tus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mũdus totus. Sed quod lauit gratia, inqui-
nauerat perfidia. Iudas ergo calcaneum leuauit ad uulnus. Vere nõ tenuit caput, qui cal-
caneum super Christum leuauit. Adam super se leuauit, hic super Christũ: & ideo eum
serpens grauius quàm cæteros uulnerauit. Leuauit calcaneum suum, qui fraudulẽtum
Psalm. 40 osculum porrigebat, quo supplantaret auctorem. Ideoq; scriptum est in Propheta: Am-
Genes. 27 pliauit super me supplantationem. Esau quoq; ait de fratre suo: Bis me iam supplãtauit.
Qui supplantat dolum facit quo aduersariũ elidit aut uulnerat. Ideo & Iudas supplãtaf-
se dicitur, quia osculo suo uulnus infixit, quo inuadendi saluatoris signum persecutori-
bus demõstrauit. Supplantauit ergo quasi serpens, quia serpens ore uenenum infundit,
& uulnerat dente calcaneum. Et hic enim nõ diuinitatem Christi, sed corporis extremũ
calcaneum uulnerauit. Leuauit etiã Iudas calcaneum quasi luctator insolens & super-
bus, quo caput percuteret saluatoris: sed caput Christi ferire nõ potuit, quia caput Chri-
sti Deus. Suum sanè caput informis laquei nodo ligauit, ut remediũ sibi salutis auferret.
Genes. 49 Vide si pie potes illud aptare quod in Genesi dixit sanctus patriarcha Iacob cum de fi-
lijs prophetaret, Dan iudicabit populum suum tanquam unam tribum in Israel. &, Fiat
Dan sicut serpens sedens in uia & in semita, mordens calcaneũ equi: & cadet eques re-
Iudic. 13 trorsum, salutem expectans à domino. Legimus quidem quòd Sampson de tribu Dan
iudex fuerit in Israel. Sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus popu-
lum supplicijs sacrilegæ impietatis affliget, Antichristus ille, qui sedebit in templo tan-
quam sit Deus, uere iudiciũ, quod habet interpretatio. Dan enim iudicium significatur.
Et pulchre dixit quia populum suum iudicabit: qui perpetuæ pœnæ fiet obnoxius. Qui
Ioann. 13 enim non credit, iam iudicatus est. Qui autem credit non iudicabitur: quia credit in Dei
1. Cor. 4 filium animæ suæ redemptorem: & ideo tanquam iudicij liber dicit: Qui dijudicat me,
dominus est. Iudicaturus est ergo populum impietatis, non plebem. Illi enim iudicãtur
qui cadunt ruina perfidiæ, non qui resurgunt fidei libertate. Sedebit igitur in uia, & insi-
diabitur in semita sicut serpens, ut uulneret transeuntes, & mordeat equi nostri calca-
neum. Animam enim fideliũ non poterat uulnerare. In qua autem uia sedebit, & in qua
semita, nisi ex quibus Christus dominus (ut legimus) nationũ populũ uocauit ad cœ-
Luc. 14 nam suam, dicens: Exi in uias, & circa sepes, & compelle ut intrent, ut impleatur domus
mea? Et quia similiter Iudas amplificasse super Christum legitur supplãtationem, uide-
tur hoc loco ipse signari quòd mordere haberet calcaneũ equi quo Christus dominus
Abacuc 3 uehebatur. Vnde dictũ est: Equitatus tuus salus: quòd caro eius, mundi totius erat susce-
ptura peccatum, ut salus pro exitio, & uita æterna pro morte succederet. Vulneratus est
ergo equus non mendax solus ad salutem. Vulneratus est equus qui mundi totius pec-
cata suscepit, & onera nostra portauit: & nõ fuit fatigatus. Vulneratus est equus qui ad
Apoc. 6 furorem concubitus adhinnire nesciuit. Et ideo fortassis Ioanni Euangelistæ cœlũ aper
tum, & albus equus est demonstratus, super quem sedebat habens in capite diadema-
Ibidem 19 & in femore suo nomen scriptum: Rex regum, & dominus dominantium. Albus erat,
qui erat immaculatus, quia nulla peccati inquinamenta cognouerat. Nã si libido tene-
brosa est, recte sanctimonia relucet & splendet. Hic ergo equus est uulneratus, sed non
retardatus. Denicq; cum ipso uulnere de tumulo resurrexit, cucurrit ad cœlũ supra om-
nes angelos & archangelos, uelocior omni equitatu militiæ cœlestis inuentus: supra e-
4. Reg. 2 quos etiam illos igneos quibus Helias raptus est. Et merito uelocior, qui super omnes
cœlos & supra cœlũ cœlorum ad sedem Dei omnipotentis ascendit, & sedet, ut scriptu-
Marc. 14 ra nos docuit dicens: Videbitis abhinc filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis.
Hic itaq; equus in figura & antè est demõstratus tempore Macchabæorum: quem sede-
bat dux ille militiæ cœlestis aureis armis refulgens, qui Heliodorum depeculatorem il-
lum depostil

lum depositi uidualis cæterorumq; quæ sacræ fuerãt cõmendata custodiæ, & strauit & perculit, & prostratu Oniæ sacerdotis precibus uitali usui reformauit. Vnde uere in eo arma aurea refulserunt, quia solus equum hunc sedit, & uicit, in quo nullus culpæ immunis euasit. Non Enoch, qui raptus est ne malitia mutaret cor eius. Non Abraham, non Isaac, non Iacob, non Moyses. Omnes enim sub peccato, omnes sub morte. Deniq; regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen. Solus iste est qui peccatũ nõ fecit: solus est Christus qui peccatum abstulit mundi: qui dixit morti: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Quomodo ergo amplificauit super hunc supplantationem suam Iudas, & cecidit eques retrorsum? Quod in Iuda est, dolum fecit: quod in Christo, uolens passus est. Sæpe uidemus fortiorẽ uelle percuti, ut acrior lacessitus insurgat, uehementius excitetur. Momordit ergo serpens calcaneum equi, uirus suæ fraudis euomuit: uolens eques se ipse deiecit. Volens cecidit, ut nos leuaret. Quid est tamẽ, quod ait scriptura: Et cadet eques retrorsum? Cur retrorsum, nisi ut regeret se sequẽtes? Retrorsum erat Petrus, cui dixit: Vade retro post me. Retro erant Apostoli & cæteri discipuli. Ideo retrorsum cecidit, quia super quos cadit, saluat. Omnis enim qui super hunc lapidem, inquit, ceciderit, conquassabitur, supra quem ceciderit autem, emundabit eum. Alij habent. Ventilabit eum. Alij, Cõminuet. Qui enim uentilat frugem, mundat à paleis: qui cõminuit aliquid, in puluerẽ redigit, ut mollitia puluerís uel poculo salubri uel reliquo medicinæ usui sine ulla perturbatione proficiat. Vnde colligimus cauẽdum ne quis sacrũ per baptismũ susceptus à Christo, ex eius decidat corpore, hoc est excutiatur ab Ecclesia. Ipsa est enim mortis ruina perpetuæ. Illum autem qui uenit crediturus in Christũ: ut eum mors eius inueniat, crux eius assumat, clauus infigat, sanguis infundat, sepultura quoq; eius inuoluat, gratia resurrectionis attollat, de somno suscitet, à morte uiuificet: ilium inquam à seculo liberat, à peccato mundat, sanat à uulnere, à duritia impietatis inflectit, ad mansuetudinem pietatis emollit, ut circunciso corde suauem illum & incomprehensibilem hauriat spíritum, bibat poculum salutis æternæ. Cecidit ergo eques retrorsum. Accipe & aliud cur retrorsum: quia post ipsum omnes, nemo ante ipsum. Cecidit ergo non sibi, sed omnibus: ut duritiam cordis nostri superbos cadendo molliret. Cecidit super Adam, quem quærebat, ut inueniret. Retro eum quæsiuit, ut supra humeros suos bonus pastor imponeret, secumq; Paradíso in illius redemptione latronis inueheret. Sed forte dicas: Et persecutores ceciderunt retrorsum. Sic enim scriptum est: Quia principes Sacerdotum quos adduxerat proditor Iudas, & cæteri qui ad cõprehendendum aduenerant dominum Iesum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Hoc est quod & ego dico, quia super peccatores uoluit cadere, nõ super iustos. Iustus enim medico non indiget, sed peccatores. Si Apostolorum umbra sanabat, quanto magis caro Christi quos tangit, à morte defendit? Deniq; leprosum tetigit, & sine dilatione mũdauit: Vt scias autem qui legis, quia & persecutores suos uoluit liberare, testem Christi interroga. Nam cum inueheretur Petrus in Iudæos quod principem uitæ interfecissent, remedium demonstrauit, ut agerent pœnitentiam, & remitti sibi peccatum quod admiserant, merentur. Quid autem dubitas quòd ideo cecidit ut resuscitaret, cum ipse dixerit: Percutiam, & sanabo? Verborum tamen uide distantiam. In Genesi habetur: Cadet eques retrorsum, salutem expectans à domino. Hoc est ut oculos nõ auertat, actio mentem propriam non reflectat, resurrectionis suæ prærogatiuam uindicet, & diuina se resuscitet potestate. Hic autem habetur: Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terrã. Qui terrenus est, in terram cadit: qui cœlestis, cœlo inhæret. Etsi corpore cadit, uirtute nõ cadit: nec ijs quæ sua sunt, sed operi intendit. Semper enim ad patrem respicit, ut eius circa nos impleat uoluntatem. Vtinam & isti non abissent retrorsum, sed Christum excepissent, sicut excepit Ioseph, & sepeliuit eum in monumento nouo. Qui fidelis est, in terrã non cadit. Qui infidelis, cadit, & descendit in inferiora terrarũ: sicut scriptũ est: Descendant in infernum uiuentes. Ergo persecutor super terrã, & in infernum cadit: Christus super resurrecturos: Christus super petram: Christus super Ecclesiam. Audi quomodo super Ecclesiam cadat. Retro erat Petrus, & sequebatur eum cum à Iudæis ad Caiphæ domum Synagogæ principis duceretur. Ipse est Petrus cui dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vbi Petrus, ibi Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi nulla

2. Mach. 3
Sapien. 4
Roman. 5
1. Cor. 13
Genes. 49
Marci 8
Luc. 20
Luc. 5
Act. 5
Matth. 8
Act. 2
Deuter. 32
Genes. 49
Ioann. 18
Matth. 27
Psalm. 54
Marc. 14
Matth. 16

mors,ſed uita æterna.Et ideo addidit:Et portæ inferi non præualebunt ei: & tibi dabo claues regni cœlorum.Beatus Petrus,cui non inferorũ porta præualuit, non cœli portaſe clauſit:ſed ecõtrario deſtruxit inferni ueſtibula,patefecit cœleſtia.In terris itaq; poſitus cœlum aperuit,inferos clauſit.Poteſt & illud conuenire huic loco quod Samaritanus deſcendentem de Hierico hominem uulneratum illum à latronibus nõ præteriuit, ſed ſuſcepit eum,& uulnera eius curauit,infundens oleum & uinum, & impoſuit ſuprà iumentum ſuum,& duxit ad ſtabulum.Quid dubitas de equo bono, cum bonum & iumentum legeris? Cũ legeris in Hieruſalem illam & equites multos & plurimos cũ quadrigis & curribus introire? Ne te moueat quod legiſti:Hi in curribus, & hi in equis:nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt.Sed Helias nõ cecidit,qui in curru introiuit.Vbi enim Dei nomen eſt,ibi nullus obligatur, ſed abſoluuntur uniuerſi.In nomine autem Dei noſtri & pauper eſt tutus & diues, & nobilis & ignobilis,& infirmus & potens. Fidei non præiudicant opes, ſi tamen uti opibus nouerimus.Et ideo nomẽ Dei in ſe habens dicit:Tu autem domine miſerere mei,& reſuſcita me,& retribuã illis.] Quod utiq; non quaſi de reſurrectione dubitans dicit, quidat homini,ut miſericordiam à Deo,& reſurrectionem de Deo ſperet.Deinde non reſuſcitari ſe petit,ſed reſuſcitari ſibi poſtulat Mathiam in locum Iudæ, ut apoſtolicus numerus impleatur.Etenim quia neceſſe habebat perire filius perditionis,ut ſcriptura impleretur,oportebat in locum ipſius ſubrogare filium ſalutis.Tertium accipe:Reſuſcitari ſe,hoc eſt corpus ſuum,poſcit.Corpus autem Chriſti,Eccleſia eſt.Et quia Iudas figurabat infidelis populi Iudæorum,qui pecunia uel emit uel uendidit Chriſtum (quod faciunt qui pluris ducunt pecuniam quàm religionem) pro interitu plebis infidelis ſignificat Eccleſiæ ſibi gratiam reſurrecturam. Vnde & ipſa dicit in Cãticis: Si ſuſcitaueritis & reſuſcitaueritis charitatem:cum quæreret de iuuenculis Chriſtum, quia Chriſtus charitas eſt.Quod autem ait:Retribuam illis:hoc intelligimus,quia florentis Eccleſię proceſſibus cruciabuntur,& tunc cognoſcent quæ pœna perfidiæ ſit, cum aduerterint qui fidei ſit ſplẽdor & gratiæ.Vel quia bonus dominus eſt,qui poterat dicere: Retribuebãt mihi mala pro bonis:& medium uerbum eſt retributionis,uel in bono,uel in malo:retributurum in bono eſſe ſe dicit;quia etſi cæcitas in Iſrael ex parte contínget,tamen cũ plenitudo Gentium intrauerit,tũc omnis Iſrael Chriſti miſeratione ſaluabitur. Et ſubiecit: In hoc cognoui quoniam uoluiſti me:quoniam nõ gaudebit inimicus meus ſuper me.] Superius de paſſione ſua loquutus eſt quaſi homo:hinc iam aperit maieſtatẽ ſuã, quòd ſolus ſine peccato,ſolus cui peccator inſultare non potuit, ſolus quem pater ut unicum filium dilexerit.Qua ratione ergo inimicus non eſt lætatus ſuper eũ? Quia etſi mortem ſuſcepit pro nobis,reſurrexit tamen:& ipſe inſultauit inimico, cuius uictoriã deſtruxit, & aculeum mortis infregit.Et nos licet in ſeculo mœſti ſimus,atq; in mœrore noſtro & contritione cordis,animiq; noſtri lætetur inimicus, tamen reſurgentes eius gaudiũ deſtruimus.Vnde & Micheas dicit:Noli ſuper me gaudere inimica mea,quia cecidi: quia reſurgam.Reſurrectio eſt ergo qua inimici omnia uincula ſoluuntur,triumphus omnis aboletur.Sequitur,Propter innocentiam autem meam ſuſcepiſti me, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. Benedictus dominus deus Iſrael in æternum, à ſeculo, & in ſeculum:fiat,fiat.] Innocens nulli nocet,in neminem peccat.Ideo ſine peccato, ſine dolo Chriſtus,ſcripturæ diuinę auctoritate ſignatur.Hoc igitur & hic declaratur,ubi dicit:Propter innocẽtiam autem meam ſuſcepiſti me.Quæ autem ſuſceptio ſignificatur? Nã & alibi legimus:Suſcepiſti me ex utero matris meę.Ergo quia ab omni corruptione generationis humanæ mundus eſt natus,qui de ſpiritu eſt natus & Virgine:ideo eũ pater ſuſcepit,quia ortum illius nulla corporeæ generationis cõcretio uſitata fuſcauit. Suſcepit eum reſurgentem,quia nulla eum offenſio prolapſionis aſperſit. Immaculatus ad patrem rediit, à quo immaculatus exiuit quando deſcendit in terras. Vnde dicit ei pater,Filius meus es tu,ego hodie genui te: hoc eſt, generationis meæ in te priuilegiũ recognoſco,quem nulla macula potuit inquinare peccati.Ita inter peccatores uerſatus es peccata omnium ſuſcepiſti, peccatum pro omnibus factus es,maledictum pro omnibus factus es:ſed nullus uſus potuit ad te trãſire peccati.Ita inter peccatores uerſatus es, quaſi

Luc.10

Pſalm.19

Ioann.2

Act.1

Pſalm.34

Roman.12

Mich.7

Pſalm.138

Ibidem 2

quasi inter angelos uersareris. Feciſti terram eſſe quod cœlũ eſt: ut & ibi peccatum tolleres. Hodie te genui, in quo cõplacui. Probaſti te filium, qui impleſti in omnibus patris uoluntatem. Hodie te genui, in quo lucem immaculatę prolis agnoſco. Heri mihi & hodie ipſe es, & in ſeculum. Nox in te nulla eſt, quia totus es dies. Bene confirmatus in conſpectu patris dicitur in æternum, qui apud patrem ſemper eſt: & uere in conſpectu eius, cuius ſplendor eſt gloriæ, & imago ſubſtantiæ. Sed quemadmodum complacet in filio pater: ita & filius benedicit patrem. Pater enim honorificat filium, & filius honorificat patrem. Benedictus, inquit, dominus deus Iſrael, hoc eſt populi deum uidentis, qui & dominum ſuum & Deum credit. A ſeculo, & in ſeculum: fiat, fiat. In Hebræo habet: Amen, amen: ut aſſeruerunt qui librum legerũt in Hebraicis literis ſcriptum. Græcus hoc loco, γένοιτο γένοιτο dixit: quod eſt, fiat, fiat. Quod uerbum diuerſas ſignificationes habet, ut ſit interdum imperantis, interdum precantis, interdum confirmantis aliquid. Imperantis eſt cum ſuperior inferiori ſtatuit quid faciendum ſit uel ſequendum. Precantis eſt ſicut illud: Fiat uoluntas tua. Non enim deo quis imperat: ſed precem fundit. Confirmantis eſt cum benedicit Propheta, uel ſacerdos, uel ſanctus aliquis, & populus reſpondet, Fiat, fiat. Hic ergo magis confirmatio mihi uidetur benedictionis, quàm oratio uel deprecatio, maxime quia repetitio ipſius facta ſermonis eſt. Et uidetur Hebræus quidem ſermo mutatus: ſed idem ſenſus expreſſus. Sicut enim cum ſacerdos benedicit, populus reſpondet, Amen, confirmans benedictionem ſibi, quam plebi ſacerdos à domino deprecatur: ita in Pſalmo reſponſum eſt, Fiat, fiat, quaſi, Amen amen. Amen autem confirmationis uerbum euidenter oſtenditur in Euangelio, ubi dominus confirmans ſermonem ſuum dicit: Amen dico uobis. Maior autem uis eſt ubi repetitus eſt ſermo: quod in libro Euangelij ſecundum Ioannem frequentius inuenimus: quia ipſe maximè de cœleſtibus & profundis myſterijs eſt locutus: ſicut ſcriptum eſt: Amen amen dico tibi: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et alibi: Amen amen dico uobis: Si quid petieritis à patre in nomine meo, dabit uobis. Abundant duo exempla, reliqua uero ſi quis quæſierit inueniet. Indicium quoq; eſt libri finiti, fiat fiat. Nam in quinq; libros diuiſum uidetur eſſe Pſalteriũ. Primus liber hoc Pſalmo finitur, hoc eſt quadrageſimo. Et pulchre uſq; ad paſſionem ſaluatoris quadrageſimus Pſalmus eſt comprehenſus, qui finem libro daret: quoniam paſſio domini finis eſt quadrageſimæ: ut ſecundus liber à myſterijs renouationis inciperet: qui liber, utpote Quadrageſimæ, perfectiora ſacramenta cõplectitur. Nam & baptiſmatis prænunciat ſacramenta cum dicit: Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, & requiem ſanctorũ, qui ad tabernaculum cœleſte peruenerint: & ſpiritus ſancti deſcenſionem, quando effuſa eſt gratia ſpiritalis in quadam uoce cœleſtiũ cataractarum: quia uirtute magna ſpiritus ferebatur: ut legimus in Actibus Apoſtolorũ: & ingreſſum renouati hominis ad altare, & ſaluatoris aſcenſum, & ſanctificationem propoſiti uirginalis. Qui liber finitur in Pſalmo ſeptuageſimo primo, quo regnũ Chriſti pacificum toto orbe diffuſum prophetico ſermone annunciatur, remiſſioq; peccatorũ: ubi cum benedictionem domini præmiſiſſet, ſubtexuit: Et replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat. Tertius quoq; liber finitur octogeſimo octauo Pſalmo: & ibi habet: Benedictus dominus in æternum: fiat, fiat. Quartus liber finitur Pſalmo centeſimo quinto: & ibi habet: Benedictus dominus deus Iſrael à ſeculo & uſq; in ſeculum: & dicet omnis populus: fiat, fiat. Quintus liber uſq; ad finem eſt, ubi pro hoc uerbo Propheta dicit: Omnis ſpiritus laudet dominũ. Sed iterum forſitan te moueat quomodo quinq; libros afferam, cum unum Pſalteriũ ſit. Sed etiam Euangelium unum eſt, & quatuor libros eſſe negare nõ poſſumus. Vnum autem Euangelium eſſe, & alibi (ni fallor) intimauimus: & ſi iterum exigitur, facilè poſſumus edocere, cum ſaluator dixerit: Amen dico uobis: Vbicunq; prædicatũ fuerit hoc Euangelium. Et Apoſtolus: Miror quòd ſic tam cito transferamini in aliud Euangeliũ: quod nõn eſt aliud, niſi ſi qui ſunt qui uos peruertũt. Et alibi: Notum enim facio uobis fratres Euangelium. Nec uſquam habes aliter de corpore iſto quatuor librorum niſi Euangelium ſignificatum. Denique quia unum corpus eſt etiam Pſalmorum, ſcriptura dixit. Sed iterum quia quinq; libri ſunt, dixit alibi: In uaſis Pſalmorum. Pulchre autem quinq; libri & unum Pſalteriũ: quoniã quinq; ſenſibus homo exterior uiuificatur, & rurſus quinq;

Hebr. 13

Matth. 6

Ioann. 3 & 14

Primus liber pſalterij.

Secundus liber pſalterij. Pſalm. 43

Act. 2

Tertius pſalterij liber. *Quartus pſalterij liber.* *Quintus pſalterij liber.*

Matt. 26 Galat. 1 1. Cor. 15

Act. 1 Pſalm. 70

spiritalibus sensibus ille abscondítus cordis homo noster consummatur interior: quiso
1.Pet.2 lus ante Deũ locuples Petri Apostoli testímonio reperitur. Qui habet, inquit, aures au-
Lucæ 8 diendi: audíat. Habes unum sensum. Et sicut sunt qui oculos habent, & non uident: ita
Psalm.113 sunt qui oculis non uidentibus plus uidere creduntur. Vnde & Prophetæ dicebantur,
Videntes, etiam qui oculis non uiderent. Bonus etiã ille odor, de quo Apostolus dixit:
2.Cor.2 Bonus odor Christi sumus Deo. unde & Iob dicebat: Et spíritus diuinus, qui est in na-
Iob 27 ribus meis. Idem ergo odor Christi & spíritus sancti Deo: quia unus odor est trinitatis.
Ioan.4 Est & interior cibus. Meus cibus est ut faciam uolũtatem patris mei: qui in cœlo est. Est
Lucæ 8 & interior tactus, quo Christum tetigit illa in Euangelio quæ per duodecim annos san-
guinem profluebat, nec à medícis acceperat sanitatem, sed accepit à Christo. Fidei ta-
ctus est quo tangitur Christus. Deniq; eum homines non uidebant, sed uidit Iesus, & se
Matth.9 uidisse testatus est dícens: Tetigit me aliquis. Nã & ego cognoui uirtutem de me exisse.
Cognítio Christi, collatio sanitatis est. Ergo quoniam decem sensus homini inesse ma-
nifestum est: ideo Dauid, qui & foris & intus canebat, foris corpore, intus corde: dicit in
Psalm. 32 psalmo: In decachordo psalterio psallam tibi. Psalterium ergo est homo cõsummatus in
Christo: in quo sicut arte concinentium fila chordarum, ita conuenientium resonãt ope
ibidem 70 ra canora uirtutum, ut possit dicere: Psallam tibi Deus in cithara sanctus Israel: gaude-
bunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemísti. Paulus ait de se: Fo-
2.Corint.7 ris pugnæ, intus timores. Hic & intus & foris gaudet: sed ille adhuc in certamine, iste in
redemptione: quia redemptionem animę suæ se meruisse cognouerat. Qui psallit, in le-
titia est: qui luctatur, in solicitudine. Verum & Paulus sciebat psallere, sed adhuc se pro-
cessibus reseruabat, cũ foret plenius comprobatus, ut psalleret, & ideo dixit: Orabo spi-
1.Corint.14 ritu, orabo & mente: psallam spíritu, psallam & mente. Et quia geminum psallendi offi-
cium demonstrauit, geminam quoq; uocem esse scríptura edocuit, Propheta dicente:
Psalm.76 Voce mea ad dominum clamaui, & uox mea ad Deũ, & intendit mihi. Quid est mea?
Potuit enim dicere: Clamaui ad dominum: Sed quæ nostra est uox, nisi ista quæ melior
Prouerb.10 est, quæ nescit errare? Nam ex multíloquio peccatum incurrimus, & uitare non possũ-
Exod.14 mus. Illa uox Prophetæ est quæ ad Deum peruenit, quę tacente Moyse clamauit ad do-
1.Reg.1 minum: qua etiam in oratiónibus suis Anna clamabat cùm oris sui labia non moueret:
& impetrauit filium, quem antè diu non impetrauerat cũ corporis uoce clamasset. De
Matth.6 hac uoce dixit dominus: Tu autem cum oras, intra in cubiculũ tuum: & clauso ostio ora
patrem tuum, qui est in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.
Quid est reddet? Hoc est, quod deprecatus es, quod orasti. Sicut enim peccatores de
manu domini recipiunt peccata sua duplícia, ita econtrario iusti recípiunt cum effectu
Act.10 propria postulata. Audi quomodo recípiant: ascendit oratio tua ad Deum, & descendit
Tob.12 ad te. Vnde & in Psalmo legimus: Et oratio mea in sinum meum cõuertetur, ut fructum
Psal.34 scílicet referat postulanti. Benedictus dominus deus Israel qui tanta nobis aperuit my-
steria, à seculo & in seculum: id est ex infinito in infinitum: fiat, fiat.

Psalmi quadragesimitertij enarratio.

Salmi titulus est, In finem filijs Chore intellectus.] Vbi passionis domini-
P cæ, & baptismatis, & ingressionis ad altare sacrosanctum, decursa myste-
ria sunt: docet sanctus Propheta Dauid quemadmodũ athletam suum, cu-
ius nomen teneatur in agmine sanctorum, Christus exerceat. Sicut enim sine labore no
stro, non ex operibus, sed ex fide per gratiam suam nobis peccata donauit, & ad coronę
petitionem indulgentissimus nos & benignus admisit, nec superiora nobis fecit obesse
flagitia, quibus tanto certamine iudicaremur indigni: (quæritur enim etiam in ijs qui lu
strale certamen hoc subeunt, etiam disciplina uiuendi) ita rursus ne tanta peccatorum
donatione resoluti, in superiora flagitia uel desidiam reuertamur: Psalmus iste nos ad-
monet multa nobis & grauia certamina esse proposita, ut nemo nisi qui legitime certa-
uerit, coronetur. Luctandũ est igitur aduersus carnis huius illecebras, & feruorẽ sangui
2.Tim.2 nis. Luctãdum est aduersus nequitias spíritales. Nemo grauior domestico aduersario,
nemo nocentior hoste eo qui cœlestis substantię potentia suffragat. Cũ dico nemo, di-
Matth.11 uini memento sermonis, quẽ dixit dominus: Quia maior ex natis mulierís Ioannes Ba-
ptista nemo. Nam qui natus est ex Virgine, ipse super omnes est: & ideo neminem ue-
reamur,

reamur, qui Christum habemus: quoniã si Christus pro nobis, quis cõtrà nos? Certemus ergo usq; ad finem, ut euacuatis omnibus quæ aduersum Iesu domini uoluntatem in nostro ante corpore militabant, ueræ exercitijs uirtutis intenti, soli Deo nostro & domino seruiamus. Hic enim finis, ut scriptum est: primitiæ Christus: deinde finis, cũ tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuarit omnem principatũ & potestatem & uirtutem, ut mors nouissima destruatur, & incipiamus Deo esse subiecti, regnum in nobis cœlestes seruantes, ubi erat ante colluuio peccatorum. Merito ergo in finem filijs Chore Psalmus intellectus inscribitur, ut in eo cognoscendo non uulgaris auditus, sed intellectus spiritalis operetur. Deniq; Aquila Psalmũ disciplinæ posuit. Et ideo tibi dicit scriptura: Da in disciplinam cor tuum, aures tuas præpara sermonibus intellectus. Et alibi: Dilige sapientiam & disciplinam. Sapientia est quæ sensus scaturit: Disciplina, in habitudinem quandam naturæ coalita forma uirtutum, & mentis confirmata sententia scientiæ disciplinis. Intelligere quoq; obscurum sermonem, atq; dictionum prudentiam, & ænigmata Prouerbiorum scriptura nos docuit, cuius auctoritate colligimus has prudentię principales esse uirtutes: eo quòd sapientia semper quasi mater fœcunda parturiat, disciplina quasi seuerior magistra distringat, intellectus quasi diligens quęsitor inueniat, & uerain iustitiam iudiciumq; rimetur. Doceamus hæc sacrę testimonijs lectionis. Sapientia dicit: Ego quasi fons à paradiso dixi: Rigabo meum hortum, & adhuc doctrinam quasi propheticam effundam. Nam generationes suas menti hominis, & bonos sensus quasi pia mater infundit. Accipe etiam testimonia disciplinæ: Fili ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris ab eo correptus. Quem enim diligit Deus corripit. Seuera quidem in corripiendo, sed dulcis in corrigendo est disciplina: ne fluitemus & uagemur errantes, sed recipiamur à Christo. Disciplina enim non examinata uagatur, ut scriptum est. Sed pro cõseruatione hic posuit disciplinam. Tamen sicut sapientia, ita & disciplina & perfecta & imperfecta eodem nomine nuncupatur. Sed ubi sine adiectione uel disciplina uel sapientia nuncupantur, definitionem perfectionis accipiunt. Inexaminata ergo flui rat disciplina, sed examinata non fluitat. De intellectu quoq; eadem scriptura definit, Quia intellectus bonus est omnibus qui eum faciunt: intellectus autem cum in se & sapientiæ gratiam habeat, & ordinem disciplinæ, utiq; docemur quòd & sapientia & disciplina bonæ sint eis qui earum instituta suis ministerijs exequuntur. Diximus de titulo: Psalmũ adoriamur. Deus auribus nostris audiuimus.] Sic Symmachus. Theodotion, In auribus nostris, dixit: sicut & septuaginta uiri. Quid est, quod ait, Auribus nostris? Quod si non satis esset audiuimus, certe si hoc placuerat: Auribus audiuimus, plenum erat. Cur ergo additũ est, nostris? Quid sibi hoc uult? Nisi ut intelligas illa esse nostra, quæ mentis sunt, & ea esse meliora, quàm quæ istius corporis? Et ideo quasi de alio dicit hic ipse Propheta: Non timebo quid faciat mihi caro. Et alibi: Voce mea ad dominum clamaui, & uox mea ad Deum, & respexit me. Illa uox mea, quæ auditur à Christo, non quæ resultat in publico. Nõ uult igitur suum esse, quod corruptibile atq; terrenum est, qui ad imaginem Dei, & similitudinem meminit se creatum. Deniq; scriptura nos edocet prius ad imaginem Dei hominem esse formatum, postea de luto factũ. Quasi superior ergo (superior enim qui antiquior) & gubernator, & rector huius corporis animæ uigor dicit: Auribus nostris audiuimus. Quis iste est, nisi cui dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat? Sunt enim qui aures habent, & audire mysteria nõ possunt: de quibus dicit Iesus in reuelatione Ioannis: Foris canes & uenefícos & impudicos: quibus flagitiorum cupiditas, & ærugo pecuniæ aurem obstruit audiendi. Consideremus igitur quę audisse se dicant, uel à quibus audisse cõmemorent. Patres, inquit, nostri annunciauerunt nobis.] Qui isti sunt patres? Titulus habet quia Psalmus filijs Chore scriptus sit, ut ab ipsis canatur, qui psallendi munus receperũt, & in huiusmodi officium fuerãt deputati. Chore autem & Dathan & Abiron cum alijs qui aduersum Moysen, & Aaron insurrexerant studio contumaci, terræ hiatu in deserto uorati sunt & necati. Quibus mortuis, qui alij patres eorum filijs mirabilia opera domini annunciare potuerunt? In malcuolam enim animam non ingreditur sapientia. Si sui ergo patres non annunciauerunt filijs, alieni multo minus, qui declinarunt sobolem perfidorum. Qui sunt itaq; isti patres? Videne illi de quibus dictum est: Interroga patrem tuum, ipse tibi dicet. In-

Roman. 8

1. Corinth. 15

Prouerb. 1 apud 70

Eccl. 24

Prouerb. 3 Hebr. 12

Prouerb. 10 apud 70

Psalm. 118

Psalm. 55 & 76

Luc. 8

Apoc. 22

Num. 16

Sapien. 1

Deuter. 32

terroga quando legis Paulum: uel si non legis, & mouet te aliquid, in ipso require. Ipse
est enim bonus pater, qui potest docere & formare in nobis dominum Iesum: sicut ipse
Galat. 4 testatus est dicens: Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur Christus in uobis. O-
1. Ioann. 2 stendit tibi hos patres Euangelista Ioannes, qui ait: Dico uobis patres, qui cognouistis
quod est ab initio. Isti sunt patres quorum senectus uita immaculata est. Ideo in conuen
tu seniorum appone digitū ori tuo, ut audias quod tibi prosit, & uitæ æternæ sacramen-
ta cognoscas: ne interstrepas insolens tyro doctoribus: & qui adhuc discere debeas, di-
cere præsumas. Quid igitur isti patres annunciauerint Chore filijs, audiamus. Opus, in-
Act. 2 quit, quod operatus es in diebus antiquis.] Qui sint isti dies in quibus Deus magna &
mirabilia operatus sit, requiramus. Et docet nos scriptura esse aliquos præclaros dies in
quibus refulserint facta diuina, cum lectum sit, quia sol in tenebras conuertetur, & luna
in sanguinem, priusquam ueniat dies domini magnus & illustris. Et erit, quicunq; inuo-
cauerit nomen domini, saluus erit. In ipso enim die Christus hominibus resurrexit, &
Psalm. 117 ideo specialiter de ipso dictum est: Hic est dies quem fecit dominus: exultemus & læte-
mur in eo. Cùm igitur omnes dies deus fecerit, huic tamen diei præ cæteris diuini ope-
ris prærogatiua delata est, quo peccatum omne sublatum est. Dies autem alij peccato-
rum sunt. Hic ergo est dies quem illuminauit Sol ille iustitiæ. Nã & ipse ortus suos & oc
Ibidem 71 casus habere consueuit. Vnde & scriptum est: Orietur in diebus eius iustitia. Sunt ergo
dies Christi quibus orta iustitia est, & pacis abundantia: sunt dies Christi quibus orta sa-
1. Cor. 3 pientia est. Audi quomodo exoriatur sapientia. Si quis uidetur sapiens esse inter uos in
Ibid. 1 hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Ideo dicit sapientia quæ stulta huius mundi elegit:
Dominus creauit me principium uiarū suarum in opera sua. Sicut enim in diebus Ozię
regis, in diebus Nabuchodonosor exorta perfidia est, dominata captiuitas: sic in diebus
domini Iesu exorta est fides, quæ splẽdorem suæ claritatis & luminis toto orbe diffudit.
Qui enim meliores dies, quam quibus refulsit nobis uisio Dei, sicut dixit Iacob. Sic e-
Genes. 32 nim scriptum est: Vidi Deum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. Et continuo
exortus est ei sol. Quis iste sol, nisi qui dies fecit fulgere iustitię, quibus in terra natus est
Christus ex Virgine. In specie uidit Iacob, & Deũ uidisse se dixit. In ueritate uiderũt lu-
dæi, & non crediderunt. Ideo illis breuiati sunt dies, nobis illuminati: quoniam illis defi
ciebat dies, nobis appropinquabat. Vnde Iudaicã sanctus Dauid refugiens cæcitatem
Psalm. 101 ait: Ne deducas me in dimidiũ dierũ meorum. Sic enim dies domini magnus & illustris
est, utiq; non prolixitate tẽporis, sed iustitiæ uel gratiæ claritate. Ergo sunt dimidij dies,
quibus breuiantur dies impietatis caligine, & squalore perfidiæ: quibus occidit Sol iu-
Mich. 3 per Prophetas: sicut scriptum est: Nanq; ut iustis oritur Sol iustitiæ, sic occidit infideli-
Matth. 24 bus. Sed occurrit illud quod dicit dominus: Propter electos breuiabuntur dies. Et uide-
tur contrarium, nisi diligenter aduertas, & superiora repetas. Dicit enim dominus: Tũc
Ibidem si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus: aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseu-
dochristi, & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna & prodigia, ita ut in errorem indu
cantur, si fieri potest, etiam electi. Et ideo ne decipiantur electi, admonet dominus quid
sequendum sit, ut non falsorum Prophetarum sermone capiamur: neq; nos eorum ali-
qua prodigiosa facta decipiant. Sed tunc credamus Christum esse uenturum, cum dies
pleni iustitiæ cœperint refulgere. Christus enim pleno maiestatis suæ lumine reuelabi-
tur: & sicut fulgur exit ab Oriente, & toto lumen suum usq; in Occidentem orbe diffun
dit: sic & filius hominis cum suis angelis ueniens illuminabit hunc mundum, ut credat
omnis homo, & salua fiat omnis caro. Non ergo credamus Antichristo, de quo dicent
falsi prophetæ: hic est Christus. Dies enim perfidiæ erunt Antichristi dies. Non creda-
mus ijs qui dicent, Christus in deserto: Christus in penetralibus. Iam enim omnia plena
sunt Christi, ubi appropinquare cœperit Christus. Sed cum uiderimus facta quæ Chri-
stus in Euangelio suo ante prædixit, tunc credamus eius aduentum: ne dum uerum
quærimus lumen, in infidelitatis tenebras incidamus. Cauenda ergo signa perfidiæ,
quibus breuiantur dies atque minuuntur. Sol enim obscurabitur, stellæ cadent. Hoc
est, iusti Dei. Sunt enim qui fulgeant sicut stellę in cœlo. Cum hæc uideris, crede adhuc
tardare Christum. Vbi enim Christus, ibi fides clarior. Vbi Antichristus, ibi dies dimi-
dij: de quibus utique non quereretur Dauid propheta, si ad temporis breuitatem ui-
deretur

deretur esse referendum: cum ipse alibi dixerit: Heu me quod incolatus meus prolongatus est. Quomodo enim aut illum dilatum incolatum cœlestem, aut hunc terrenũ comperendinatum doleret, qui ante popoſcerat, ne in dimidium dierum ſuorum deduceretur, cum dierum breuitas celerãdi curſus iſtius cõpendium uideretur afferre? Vnde colligitur & illud quod ait: Honora patrem & matrem, ut longæuus ſis ſuper terram: quomodo intelligere debeamus, Multi enim qui honorant, cito ſæpe rapiuntur, ut immatura ætate moriantur. Multi etiam qui minus deferunt parentibus ſuis, longæuæ fruuntur ſtipendijs ſenectutis: Et niſi longæuitatem illam uitæ accipiamus æternæ, inuenitur ſcriptura deſtitui ſubſidio ueritatis. Vnde Græcus expreſſius dixit: Vt ſis multorum dierũ: hoc eſt, πολυήμερος. Quicunq; enim cultus pios ſedulo ſeruat officio, à tenebris noctis alienus, in dierũ luce uerſatur. Et ideo qui legit Deuteronomiũ: Leget, inquit, illud omnibus diebus uitæ ſuæ. Non utiq; noctibus, ſed diebus: quia dies fulget legenti myſteria ueritatis, & diuinę pietatis oracula. Conſideremus ſequentia: Manus tua Gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.] Scimus quidem quòd multas Gentes eradicauerit dominus & euerterit, ut poſſeſſionem ſibi Iudæorum populus ueniret: quarum Gentium terras Abrahæ ſemini daturum ſe dominus declarauit. Sed cum Pſalmus iſte Euangelium domini, & tempora aduentus eius annunciet, non mihi uidetur quæ ſuperius à Iudæis geſta ſunt recenſere, ſed futura ſignare, quemadmodum creditурus eſſet populus nationum. Confirmat igitur fidem Eccleſiæ antequam nũciet, & uictorias pietatis eius enumerat: quæ non in brachio, neq; in gladio ſuo feras expulit Gentes, & non certamine bellico turmas fugauit hoſtiles, ſed manſuetudine ac fide terras inimicorũ ſine ullo cruore poſſedit. Fides enim ſola pugnauit: & ideo triũphos meruit, quos non reuocaret perfidia, ſed augeret: quia perſecutionibus ſuis nõ uincitur Eccleſia domini, ſed probatur. Quæ ſunt igitur iſtę Gentes quas uicerit Eccleſia, cognoſcamus. Vetera dico uocabula: ſed myſteria noua. Chananæi ſunt, Ethæi, & Amorræi, Pherezæi, uel Cerethæi, quorum infra uocabula digeremus. Hæc autem populorũ ſunt nomina: ſed paſſionum infirmitates, & humanorum incentiua & opprobria peccatorum. Quod primum eſt igitur, homo in Chriſto ipſe ſe domuit, & ipſe ſe uicit, ut ſibi uiueret. Sibi enim uiuit, qui deo uiuit, ut uitam Chriſti uiuat æternam. Non ergo pugnauit militaribus armis, & ferreis telis populus Eccleſiæ, ſicut pugnauit populus Iudæorũ. Ille in figura pugnauit, nos pugnamus in ſpiritu. Ille aduerſum alienigenas pugnauit: nos ipſi bellum habemus in nobis: & ideo prius nobis uincendæ ſunt propriį corporis paſſiones. Audi pugnantem Apoſtolũ Paulum aduerſus Gentem Chananæorum. Video, inquit, legem carnis meę repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Nunc ſe erigit caro noſtra, nũc deijcit. Erigit mẽti, deijcit poteſtati, & ubi ſe urgeri uiderit, conſtantiã deſerit, & ad ſubiectionẽ parata ducit in legem peccati, ut fidẽ deſerat, perfidiæ ſuccũbat, & Ethææ, infirmitatis indicio, deſtituta uero cedat mendacio, ſeruiat crimini, adquieſcat errori, & tanquã Amorræus loquat amara pro dulcibus. Fides enim dulcis, amara perfidia eſt. Vnde præclare Petrus quid fides eſſet expreſſit dicẽs: Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus. Quomodo igit iubes ut diſcedamus à te? Captus enim cœleſtiũ ſuauitate uerbotũ, diſcedere nolebat à Chriſto. Qui autem negat Chriſtũ, ipſe ſe ſeparat à Chriſto. Sed neq; ueſuta Amorræorum diſputatio, eiuſmodi, quę per philoſophiã nonnullos à ueritate trãſducit: neq; Iebuſeorum turpis abiectio, quę ſe ſubijcit atq; ſubſternit curſum currentibus ſecularem, qui nõ poteſt eſſe perpetuus, ſed in portis deficit mortis, de quibus exaltatum Dauid prophetaſe gaudet: neq; Cinæus, qui per ſuã pecuniam poſſidetur, ſicut inſatiabili auarus affectu: neq; Cenezæus, qui putat in diuitijs poſſeſſionem eſſe perpetuam; & uanam ſpem conſtituit in caducis, atq; inani opinione ſe iactat: neq; Raphaim: qui profitetur alijs ſe ferre medicinã, cũ uulnera ſua curare non poſſit: & ideo ſi quis ad huiuſmodi medicum cõfugerit, neceſſe eſt prius patrimoniũ ſuum omne conſumat, quàm profectũ ſanitatis accipiat: ſicut illa mulier in Euangelio quæ per duodecim annos fluentem ſanguinem corporaliũ uoluptatũ ſiſtere non potuit, niſi poſteaquã cõfugit ad Chriſtum. Intellexit enim quod nemo perfectus medicus, niſi qui deſcendiſſet è cœlo: de quo cognouerat dictum: Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. & aduertit de ipſo dictum: Ecce dedi uerba mea

Pſal. 119

Matth. 15

Deuter. 17

Roman. 7

Ioann. 6

Pſalm. 9

Matth. 9

Pſal. 106

mea in os tuum, & constitui te hodie super Gentes & regna, eradicare, & destruere &
Hebr. 1 perdere, & ædificare, & plantare. Nam licet frequenter Deus locutus sit in prophetis, in
quo tamen expressius quàm in suo locutus est filio? qui uirtutem omnem exprimẽs pa-
Ioan. 7 tris ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Non ergo Hieremias, qui tem-
pore captiuitatis susceptt exilium, sed dominus Iesus suis uerbis eradicauit ex intimis
pectoribus uitia Gentilium, perfidiam nationum, & uersutarum cogitationum praua
cõmenta destruxit, atq; omnia uestigia iniquitatis aboleuit. Deinde infudit postea fi-
dem, & continentiæ disciplinam, ne tanquam, in uase corrupto confusione uitiorũ coa-
Roman. 5 cescerent sacramenta uirtutum. Vnde pulchre Apostolus dicit: Sed regnauit mors ab
Ibidem 10 Adam usq; ad Moysen. Quid est Moyses nisi lex? Quoniam ipse interpres est legis: Fi-
nis autem legis Christus Iesus. Regnauit ergo peccatum in hoc mundo: & in peccato
mors, sæua atq; intolerabilis quædam pœna peccati. Docuit quidem nos Moyses leua-
re ad dominum manus, pij cultus instituens disciplinam. Docuit quemadmodum Ama-
lech uersutia uinceretur, ut si mores nostros & opera leuaremus ad Christum: sic destrui
posse perfidiam. Sin uero deijceremus animam, inclinaremus affectum, & à continen-
tiæ studio auerteremus ingenium, ut persuasio nos uana superaret: nullum remediũ fu-
Exod. 17 turum, nisi Iesus depressa iam brachia Moysi tanquam infirmitatem legis attolleret, &
sua misericordia sustineret. Sed infirmum adhuc fuisset legis auxilium, nisi ipse Iesus ue-
nisset in terras, qui in se nostras susciperet infirmitates, quem solum nostra peccata gra-
Philip. 2 uare nõ possent, nec inclinare manus eius, qui se inclinauit usq; ad mortem, mortem au-
tem crucis: in qua expandens manus suas, totum orbem qui erat periturus, erexit: leua-
Lucæ 23 uit iacentes, atq; ad se omnium Gentium fidem traxit, dicens homini: Hodie mecũ eris
in paradiso. Hoc est ergo disperdere atq; plantare, ut uitiosa eradicentur, meliora plan-
tentur in pectoribus singulorum. De quo præclare Moyses in Exodi cantico ait: Indu-
Exod. 15 cens plantato eos in montem hæreditatis tuæ, in præparatum habitaculum tuũ: petens
ut induceret dominus populum suũ in illa præcelsæ uirtutis sapientiæq; plantaria, ibiq;
plantaret in opera sua, & institueret præceptorum cœlestium disciplinis, atq; in eo pre-
pararet sibi suæ sanctificationis habitaculum: quod utiq; non hæreditario iure, nec no-
strorum contemplatione meritorũ, sed pro sua gratia dominus cõferre dignatur. Quo-
modo enim, ubi manere non potuimus, eò redire possemus, nisi priuilegio fulti redem-
ptionis æternæ? Et ideo pulchre dixit Propheta: Quoniam non in gladio suo possede-
runt terram, & brachium suum non liberauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, &
illuminatio uultus tui, quoniã cõplacuit tibi in illis.] Quæ est igitur terra quæ non bra-
chio capiatur, nõ gladio possideatur, nisi terra repromissionis, de qua hic ipse dixit Pro-
Psalm. 26 pheta: Credo uidere bona domini in terra uiuentiũ? Non immerito igitur eius tam præ-
clara possessio est, in qua non seculi aduersa dominantur, sed domini bona æterna fru-
ctificant. Ideoq; non gladio acquiritur, sed mansuetudine possidetur, sicut dominus le-
Matth. 5 sus testificatus est dicens: Beati mites, ipsi enim possidebunt terram. Nemo ergo impaci
ficus, nemo arrogans aut superbus, sed mansuetus & humilis corde, qui nihil sibi arro-
get, sed totum ad gratiam referat, non in sua fortitudine glorietur, sed dextera Dei cre-
Psalm. 117 dat se esse protectum, dicens: Dextera domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit
me. Gladio quoq; Dei memoret se esse seruatum, illuminatum quoq; Dei uultu omni-
potẽtis: in quibus omnibus Christus est protector, ut dextera defensor, ut gladius. Vn-
de & Symeon dixit ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Gladius e-
nim Dei uerbũ est, quod acutius omni gladio usq; ad diuisiones animæ cogitationesq;
pertransit, ut nulla cognitionem eius occulta prætereant. Vultus quoq; paterni splẽdor
Ioann. 14 est Christus: & ideo dicit: Qui me uidit, uidit & patrem. Quasi splendor gloriæ eius, &
Hebr. 1 imago substantiæ. Ad ipsum ergo omnia iure referenda sunt. Ipsi Moyses, ipsi Aaron,
ipsi etiam patres sacrabant uniuersa quæ gesserant, ut de hostibus triumpharent. Neq;
Iosuæ 10 enim in sua confidentia dixit Iesus Naue, Stet Sol contra Gabaon: sed quia præsumebat
in Christo, quem ducem militiæ cœlestis agnouit, & supplicíter adorauit: & ideo Gen-
tes feras eradicare promeruit, & populum patrum in terram repromissionis inducere,
quia nihil suis operibus deputabat, credens indigna esse opera hominũ tanta gloriæ re-
muneratione cœlestis, quam dominus ex sua magis misericordia, quàm pro nostrorum
contemplatione

contemplatione factorum statuit in se credentibus conferendam. Vnde & Abrahã impigre Deo credidit, ut apud eum iustificationis gratiam reperiret, quam mercedem sui operis collocaret. Vberiora enim dona sunt largientis, quàm merces operantis. Propterea & illi qui æqualitatem mercedis inuiderat, respõdit dominus: Si ego bonus: oculus tuus quare nequam? Patres ergo nostri, utpote proximi & hæredes patriarcharum, plantati in terra repromissionis, nõ suis hoc meritis uindicabant. Ideo nec Moyses eos induxit, ne legis hoc existimetur esse, sed gratiæ: lex enim merita examinat, gratia fidem spectat. Vnde præclare Apostolus fidem patrum secutus ait: Sed neq; qui plantat, est quicquã, neq; qui rigat: sed qui incrementũ dat Deus. Non enim Iesus Naue qui induxit, neq; qui plantauit eos, sed Deus qui incrementũ populo dedit, habet gloriæ principatũ. Nec te moueat quia superius dixit: Manus tua Gentes disperdidit, & plãtasti eos. Hinc enim colligis quia non omnis qui plantat, aut qui rigat, incrementum dat: sed qui incrementũ potest dare, potest ipse plantare: sicut Gentes plantasse dicit dominus. Ipse enim qui plantauit, plantationis donauit effectũ. In ijs tamen qui per fidem Christi domino placere, meruerunt: cui soli à patre dicitur Deo: Filius meus tu es, in te complacui. Qui ergo participes Christi sunt, ab eo placendi gratiam consequuntur. Et pulchre ait: Cõplacuit tibi in illis: ut distantia uideatur iure seruata. Recte enim Deus in filio complacet, quia æqualis est patri: nec in ullo minor inuenitur: quia cõplacet diuinæ iure naturæ, & unitate substantiæ. Et recte complacet in filio pater: quia pater honorificatur in filio, sicut in patre filius. In nobis autẽ Deo cõplacuit: quia nobis ipse donauit ut ei placere possimus. Pie autem & hoc homini specialiter donatũ, nõ arrogantius usurpatum scriptura nos docuit. Decet enim ut in ijs cõplaceat Deo, quos ad similitudinem suã fecit, & quos per imaginem suam uoluit prærogatiuam gratiæ habere cœlestis. In imagine ergo sua Deus cõplacet: in ijs autem qui secundum imaginem ipsius sunt, complacet Deo: In his autem suum munus, & suum donum: quod tũc reuelabitur, cum perfectum illud aduenerit: quia cũ apparuerit quid simus, similes ei erimus, ut scriptũ est: Ergo qui non in brachio suo, hoc est in sua operatione præsumit, sed in Dei gratia, credens quòd non facta sua unumquemq; iustificant, sed fides prompta dicit domino: Tu es ipse rex meus, & deus meus, qui mãdas salutes Iacob. Non perfunctorius sermo est ut dicas: Tu es ipse rex meus. Non quicunq; hoc dicit, sed in quo Dei regnum est. In quo autẽ regnat Deus, utiq; in eo peccata non regnant. Non enim Deo regnum est cõmune cum crimine. Quis autem dicit Deum suũ, nisi qui ipsi exhibet plenum reuerentiæ & pietatis affectum? Iusto enim dicitur: Ego sum Deus tuus. Denicq; & Thomas ubi tetigit manu propria latus Christi, & euidentia indicia indubitatę resurrectionis inuenit, respondit: Dominus meus, & deus meus. Dominus, quia redemit seruulos suos: deus, quia non solum resurrexit, sed etiam ipse se suscitauit. Mãdauit autem salutes Iacob: quia in singulis oraculis salus est. In singulis quoq; salus est mansionibus: salus in ministerijs angelorũ, qui ad protectionem hominum deputantur. Ex mandato ergo Dei salus homini, nõ ex sua operatione confert. Deus enim maluit ut salus homini fide potius quàm operibus quereretur, ne quis gloriaretur in suis factis, & peccatũ incurreret. Qui autem gloriatur in domino, fructum pietatis acquirit, & iactantiæ crimen euadit. Hic igitur est qui potest dicere: In te inimicos nostros uentilabimus.] Quid est uentilare? Dedit dominus cornua pluribus animantibus, ut possint se à ferarum incursione defendere. Ideoq; & bos leoni frequenter resistit, ursum proterit. Ceruus quoq; quãuis sit pauidus, tamen & ipse cornibus se tuetur. Aries quoq; arietat lupum. Ergo ea quæ cornua habent animalia, uentilare dicuntur. Sed homo cornua non habet. Quomodo ergo uentilat? Vnde? Vide scriptura quid dicat. In te, inquit, inimicos nostros uentilabimus. Cornu nostrum es tu domine Iesu. Et ideo sicut non in brachio nostro præsumimus, ita nec in cornibus nostris uentilandi habemus præsidium, sed in Christo. Habet enim fides cornua sua, quæ mutuatur à Christo. Siquidem non ociose in benedictionibus Moysi legimus: Qui ut-sus est in rubo, ueniat super caput Ioseph, & super uerticem eius, glorificatus inter fratres suos primogenitus: tauri decus species ipsius, cornua unicornui cornua ipsius: In ipsis Gentes uentilabit simul usque ad extremum terræ. Hæc decem milia Effrem, & hæc milia Manasse. Quis est in rubo uisus Moysi, nisi primogenitus Dei filius, qui ait:

Gen. 15

Matth. 20

1. Cor. 3

Psal. 43

Marc. 1

1. Ioann. 3

Exod. 22

Ioann. 20

Deuter. 33

Ego

Exod.3 Ego sum Deus patrum tuorũ, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Ideo se demonstrauit humanis aspectibus, quia uenturus erat ut ab omnibus uideretur. Ideo rubus urebatur, & non exurebatur: quia terram istam quæ nobis spinas germinabat & sentes, dilu

decem milibus: quia durus in paucis, manſuetus in pluribus. Neq; tamen abnuo ſi quis quaſi ad Ioſeph dictū putat, Primogenitus tauri decus eius: & ſic diſtinguendum putat, quia dedit & ſanctis ſuis cornua. Exaltauit enim cornu populi ſui. Et Anna mater prophetæ Samuel dicit: Exultauit cor meū in domino: & exaltatum eſt cornu meum in deo meo. Habuit uticq; & Ioſeph in domino cornua ſpiritalia. Accipiatur itaq; Ioſeph, dum modo in ipſo figura ſit Chriſti, cui dicitur: Ioſeph filius meus amplificatus, filius meus iuuenior, ad me reuertere. Neq; enim Ioſeph ad Iacob reuertit, ſed Chriſtus à mortuis reſuſcitatus ad patrem deum reuertit, ut ſcriptum eſt: A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius uſq; ad ſummum eius. Eſt tamen ut de Ioſeph accipiatur, reuertere ad me: quia populus reuertit in terram Chananæorum, in qua antè habitauerant patriarchæ. Vnde dicit Iſaac ad Iacob: Non accipies uxorem à filiabus Chananæorum, & miſit eum in Meſopotamiam, ut ibi ſibi coniugem reperiret. Nunquid ei inſidiati ſunt domini ſagittarum? Nunquid ipſe propter benedictionem uteri materni in toto orbe benedictus eſt, & non dominus Ieſus, quem uirgo generauit? Et ideo non ſolum ſupra homines, ſed etiam ſupra angelos & archangelos & ſupra omnem ſublimitatem cœleſtiū benedictus eſt poteſtatum, ſicut ſcriptura teſtatur dicens: Benedictus qui uenit in nomine domini: deus dominus, & illuxit nobis. Dominus enim deus ipſe eſt rex regū, & dominus dominantium, dominus eorum quæ habentur in cœlis. Propter hæc cornua domini Ieſu, & David in uoce tubæ corneæ canēs auditus à Chriſto eſt: & Moyſes docuit ſacrificiū ritus tubæ ſonitu eſſe celebrandos, ſicut ſcriptū eſt: Canite initio mēſis tuba. Cui hoc niſi nobis Eccleſia eſt: quæ ſpiritalibus & Euangelicis prædicationibus in abūdantia pacis (ut propheta dixit) extollitur. In Chriſto ergo uētilabimus inimicos noſtros, & in nomine eius ſpernemus inſurgentes in nos.] Quid eſt nomen, niſi quo proprie unuſquiſq; ſignificatur, quod ei non ſit commune cum cæteris? Homo enim cōmune uocabulum eſt. Niſi addas qui uocetur, non poteſt declarari. Nomen ergo proprietas uniuſcuiuſq; eſt, quo poſſit intelligi. Vnde arbitror quòd & Moyſes uolens propriū dei & aliquid de deo ſpeciale cognoſcere, quod non eſſet commune cum cœleſtibus poteſtatibus, interrogauit, Quod eſt nomen tuum? Denicq; cognoſcens mentem eius deus, non reſpondit nomen, ſed negocium hoc eſt, rem expreſſit, non appellationē, dicens: Ego ſum, qui ſum: quia nihil tam propriū dei, quàm ſemper eſſe. Qui ergo negāt Chriſtū coæternū patri, uideant quia deum negant, cuius eſt ſemper eſſe, nec aliquando non fuiſſe. Hac ergo cognitione proprietatis diuiuæ Moyſes inſurgētes in ſe uolebat ſpernere: uel, ut Aquila aut Symmachus dixerunt, calcare reſiſtentes ſibi tanquam ſerpentes & ſcorpiones: quos etiam dominus dicit in Euangelio eſſe ſpiritalibus ueſtigijs proterendos, ut uiam noſtram impedire non poſſint, quæ ducit ad ſecreta paradiſi. Habemus ergo in nobis ſtudium diuinæ cognitionis. Habemus dei uerbum, quod eſt nomen patris. Hęc uere proprietas dei, quia pater Chriſti eſt: & ideo in nomine patris uenit, qui uenit ut patris faceret uoluntatem. Et ideo ait: In nomine patris ueni, & non me ſuſcepiſtis. Si alius uenerit in nomine ſuo, illum ſuſcipietis, ſignificans Iudæos in Antichriſtum credituros, qui in Chriſtū credere noluerunt. Ergo qui in Chriſtū credit: non in arcu ſuo, nec in gladio ſuo ſperat, ſed in nomine eius ſpem uictoriæ locat. Et ideo ait: Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.] Sed ſi in arcu ſperandum eſt, in dei certe arcu ſperandū eſt, quem poſuit in nube, ut à diluuio genus humanum timere deſineret. Iſto enim arcu nos protegit: quo & iaculatur ſagittas, quibus percutiat inimicos & aduerſarios noſtros. Vnde & ait: Liberaſti enim nos ex affligentibus nos: & eos qui oderunt nos, confudiſti. In deo laudabimur tota die: & in nomine tuo cōfitebimur in ſecula.] Audi quomodo nos liberet: quia ſagittis quæ iaculantur è cœlo, terræ noſtræ interiora penetrātur, ut motus omnis terrenus intereat & quieſcat: ſicut in poſterioribus ait: De cœlo iaculatus es iudicium: terra tremuit, & quieuit. Sic igitur liberamur, dum cōfunduntur inimicæ & aduerſariæ poteſtates, uel ſapiētia carnis iſtius retuſa cœleſtibus imperatis, in ſuis criminibus erubeſcit, & flagitiorum ſuorum pudore confunditur: adulter in libidinis ſuæ flammis, & ueſani amoris incendio: auarus in immodicæ cupiditatis ardore: (qui aliena rapiēdo quo plura inuaſerit, eo maiora deſiderat) ebrioſus in temulentia: facinoroſus in ſcelere:

Pſalm. 145 *1. Reg. 2* *Geneſ. 49* *Pſalm. 18* *Geneſ. 24* *Pſalm. 117* *Apoc. 19* *Pſalm. 97* *Pſalm. 71* *Exod. 3* *Ioann. 5* *Geneſ. 9* *Pſalm. 75*

qui & hic confunduntur grauissime: sed multo amplius confundentur cum uiderint sanctos domini resurgentes, & Euangelicum illud impleri quod ait dominus: Multi dormientium in terræ monumentis resurgent: isti in uitã æternã, & hi in opprobriũ & perpetuam confusionem. Cum cœperint ergo illi resuscitari in confusionem perpetuã, sanctus domini dicit: In deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in seculum. Opulentus in diuitijs laudatur, luxuriosus in conuiuijs, scortator in nocte, potens in hac uita quæ habet noctes: sanctus autem non in hac uita, sed in deo laudabitur, qui domino per omnia placere gestiuit, qui potest dicere: Fortitudo & laudatio mea dominus. Laudabitur tota die: quia honeste egit, & opera sua non abscondit & crimina, sed regi patefecit æterno, in die ambulans, non in tenebris & occultis. Vnde Apostolus: Sic ut in die honeste ambulemus, hoc est, non in ganeis atq; gurgustijs, non in cubilibus & impudicitijs, in quibus stultus se putat parietibus esse tectum, ut possit dei scientiam præterire, cum inuelata apud deum uniuersorum flagitia sint, & occulta diuinæ cognitioni peccata hominum esse non possint. Ergo sanctus laudabitur in futurũ, quia non quæsiuit præsentium laudem, sed gratiam futurorum. Vide tamen distantiam. Hic dum est, in domino gloriatur: illic in domino laudabitur, & pro breui tempore mercedẽ æternitatis accipiet. Aquila tamen posuit, In domino gloriabimur tota. Symmachus ait, Deo hymnum dicemus per omnem diem. Concordat omnium sensus, ut non desinamus circa dei laudes siue hymnum dicendo, siue diuinam per omnia momenta gloriam cõcinendo. Qui enim hymnũ dicit, puro corde & spiritaliter dicit, & omne genus passionis excludit humanæ, ut nullo mœrore, nullius doloris acerbitate impediatur eius officium, exasperetur eius affectus, sed in hymno dei dicendo immobilis atq; irreuocabilis perseueret: sicut ipse Dauid, qui ait: Benedicam dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Sicut Iob, qui amissis filijs, interemptis omnibus suis, direptis facultatibus, ait: Dominus dedit, dominus abstulit: sit nomen domini benedictũ. Nunc autẽ repulisti & confudisti nos, & nõ progredieris deus in uirtutibus nostris.] Cum ipse sanctus Dauid alio loco dixerit, Quia nõ repellet dominus plebẽ suã, quomodo hoc loco ait: Repulisti nos præsertim cum hæc de plebe dicat, quæ non mediocria insignia propriæ uirtutis enumeret: Neq; enim mediocre est dicere quòd tẽpestates & uariæ tentationes super se uenerint, & obliti nõ sint dominũ deum suum, & inique non egerint in testamento eius, & cætera quæ sequũtur. Vnde etiã Apostolus sanctus interpretatur, & dicit quòd eo usq; non repulerit plebẽ suã dominus, ut posuerit loquentẽ eũ, Tota die expandi manus meas ad plebẽ nõ credentẽ, & contradicentẽ. Cuius sermonis auctoritate subnixus ait: Dico igitur: Nũquid repulit deus hæreditatẽ suã? Absit. Nã & ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin: Nõ repulit deus plebẽ suã, quã præsciuit. Sed potest hoc loco dici quoniã ideo nõ repulit plebẽ, quia reliquiæ secundũ electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et uidetur in paucis nõ repulisse quidẽ populũ: tametsi non totũ populũ, sed ex eo plurimos repulisse. Vnde addidit ponendo respõsum dei, quòd nõ solũ in paucis seruauerit plebẽ, sed etiam septẽ milia uirorum sibi reliquerit qui non curuauerũt genua ante Baal. Verũ fuerit hoc dictũ ab Apostolo secundũ Euangeliũ: quoniã dominus trãsierat ad gentes, responsi autẽ diuini tempus referatur ad zelũ adhuc fidei feruentẽ, quando etiam prophetarũ gratia redundabat populo Iudæorũ. Vnde si Heliæ tempore negauit dominus à se plebẽ repulsam, multo magis tẽpore Dauid, uel filiorũ Chore, quo adhuc fides electi populi prænitebat. Tamen ut & ipsum sanctũ Dauid interrogemus, quomodo dominus plebẽ suã non repulerit, colligamus. Nam cũ sit deus appropians, nõ elonginquas, sicut habet scriptura Veteris testamenti: utiq; qui appropiat, nõ repellit. Est enim misericordię diuinę, ut nulli caussa sit mortis, & omnes putet esse redimẽdos. Sed uide ne ille repellat̃ qui se elõgat à domino, sicut dicit Dauid: Quoniã ecce qui se elongãt à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicãtur abs te. Quid est, abs te fornicantur? Quia turpitudinis suæ ludibrijs te relinquunt, & à te recedũt, & à præceptis tuis deuij sunt. Deniq; alibi habes scriptũ Adulteros autẽ iudicat deus, disperdẽs eos à se, hoc est, alienãdo abs te perdidisti eos. Ergo qui se à domino separat, ipse à domino separat̃. Et qui nõ cognoscit dominũ, à domino nõ cognoscitur: & qui ignorat, ignorat̃: sicut ipse dominus dixit: Discedite à me omnes operarij iniquitatis, nescio uos. Nõ enim scire dignatur iustitiæ

Ioann. 5
Daniel. 12
Psalm. 117
Rom. 13
Psalm. 33
Iob. 1
Psalm. 93
Rom. 11
3. Reg. 19
& Rom. 12
Hier. 13
Psalm. 72
Hebr. 13
Matth. 7

iustitiæ ministros,& iniquitatis auctores.Peccator ergo nō repellitur,quia ipse se repellit.Hoc igitur genere dicit:Nunc autē repulisti & cōfudisti nos.] Quomodo tamē repellat deus,qui sequit uersiculus exponit:Quia nō progredieris, iuquit, deus in uirtutibus nostris.] Deus quando nō adiuuat, repellere uidetur. Vnusquisq; enim qui adiumenta non sentit diuinitatis sibi opitulatione conferri,repulsum se putat atq; desertū. Quid est autē quod ait,Non progredieris deus? Et quid sibi uult quod deus interdū aut progredi dicitur,aut egredi,aut exurgere,aut descendere? Nō enim corporaliter deus mouet,aut de aliquo loco exit,aut ad alterū transit,qui supra omnia est:aut uere exurgit,quasi in aliquo iaceat cubili,uel in aliqua sede corporaliter sedeat:sed hæc dicuntur ut tu intelligas quando & ad quē egredi dicatur,& ad quem exurgere.Legimus enim in hoc ipso Psalmo:Exurge,quare obdormis domine? Et considerandū nequando nostris improbabili bus actibus obdormire uideatur,ut in Euangelio legimus,cum adhuc imperfecti essent Apostoli,quod his Iesus Christus dormiebat. Verū ubi metu naufragij & timore perculsi sunt,Christum excitauerunt dormientē.Perfidis ergo dormit dominus Iesus,fidelibus uigilat.Deniq; & qui fidelis est,intrat ad deū, & à negligente deus uidetur exire,atq; discedere.Certè imperfectos & adhuc infirmos attrahit ad se dominus: sicut legisti dicentes iuuenculas:Attrahe nos:post odorem unguentorū tuorum curramus. At uero Moyses qui iam fortior erat, & electus à domino, & ascendere legitur & intrare ad dominū deum suū,sicut scriptum est quia ascendit Moyses in montem, & circundedit lux montem,& descendit maiestas domini in montem Sina,& cooperuit eum nubes sex diebus & uocauit dominus Moysen die septimo de media nube. Aspectus autē maiestatis domini tanquam ignis ardens super uerticē montis coram filijs Israel. Et intrauit Moyses in mediam nubē. Sicut ergo hic Moyses intrabat in nubē ubi primū ad montē uocatus à domino est:ita in posterioribus perfectior, cū ipse intraret in tabernaculū suū, descendebat ad eum columna nubis,& stabat in ostio tabernaculi: & stans totus populus adorauerunt unusquisq; ad ostium tabernaculi sui:in nube autē dominus.Posuit enim tenebras latibulū suū. Vt scias autē quia de domino dicit, Et locutus est, inquit, dominus ad Moysem.Quod autē extra castra tabernaculū Moysi positū esse cōmemoratur,ut occurreret deo,non uidetur esse contrarium.Qui enim deū quærit,quasi ad deū intrat, & tota mente ad cognitionē eius ingreditur.Iustus ergo intrat ad dominū, sicut Moyses intrabat in nubem: in nube autē deus. Deniq;, Ecce dominus uenit in nube leui.Et in Euangelio habes scriptum:Cum autē oras,intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrē tuū in abscondito:& pater tuus qui uidet in abscondito,reddet tibi. Ergo intus quasi in cubiculo tuo deus est.Audi etiā alibi quia intus est deus. Ecce, inquit, dominus procedet de loco suo,& descendet & ascendet super excelsa terræ, & mouebuntur mōtes sub eo,& ualles liquescent.Scriptura hoc dicit: & iam tunc significabat quòd desereret populum Iudæorū,& transiret ad gentes. Deniq; & in Psalmo hoc inuenimus expressum, cum dicit Dauid:Et ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo,Exultauit tanquam gigas ad currendā uiā.His igitur generibus reperimus egressum dei, aut eius ingressum: sicut & dns dicit Iesus quia ad uirū timentem ueniat. Ecce, inquit, sto ad ianuam,& pulso:& si quis audierit uocem meam,& aperuerit ianuam,intrabo ad eum,& cœnabo cum illo,& ipse mecum.Hæc igitur diximus propterea quod ait propheta, Repulisti nos,& non progredieris deus in uirtutibus nostris. Simpliciter autem & illud accipimus,quia deus progressus est in uirtutibus Iudæorū,quando Iesus Naue ducē militiæ cœlestis adorauit:& ideo sine ferro uicit,& sine ulla obsidione destruxit urbem Hiericò, quæ habebat ualidissimos muros.Quādo enim progressus est in uirtutibus seruorū suorum deus, uictoria consecuta est.Nam progressus est angelus ad Ezechię preces,& strauit innumeras copias Assyriorum.Sed interdum & quos uult in certamine coronari dominus,ueluti derelinquit ad tempus ut fide uincant, nec rebus secundis & prosperis deuotio remittatur.Deniq; sæpe qui prosperorum cursu, & secundorum usurpatione ceciderunt, corriguntur aduersis.Ideo frequenter inuenimus Iudæos post uictoriam lapsos, post seruitium correctos:quia precibus & deplorationibus deum ad se redire fecerunt. Vnde & illud quod secundum hominem dictum est,& hominis affectu,huic sententiæ non repugnat, quia dixit dominus: Deus deus meus respice me, quare me dereliquisti? Non

Matth.8

Cantic.1

Exod.14

Exod.33

Psal.17
Exod.33

Esa.19
Matth.6

Mich.1

Psal.18

Apoca.3

Iosu.6

2.Para.32

Psalm.21

Ioann. 8 quod derelictus sit dominus, qui ait alibi: Quoniam solus non sum, quia pater mecũ est:
sed quia secundũ carnem hominis & affectum, qui in certamine graui est cõstitutus, de-
Luc. 4 relictus uidetur à domino. Deniq; nõ ocioſe ait scriptura quia post tentationẽ primam
discessit ab eo diabolus usq; ad tempus, hoc est usq; ad certamen. Vbi enim magnũ cer-
tamen sacræ passionis aduenit, iterũ aduersarius ad tentamenta successit. Homo autem
quando uelut in ambiguo cõstitutus est, putat se à deo suo esse desertũ. Sed quemadmo-
dũ hoc secũdum carnis affectũ accipimus, quia sibi homo uisus est derelictus cuius pro-
cessum operatus est Christus in corpore suo: ita etiã diuinitate sciebat se nunquã derelin
Ioann. 14 qui à patre, quia ipse dixit, Ego in patre, & pater in me: & solũ se nõ esse significauit. Sub
stituit etiã uersiculũ istũ, Auertisti nos retrorsum præ inimicis nostris.] Non bene quire-
Luc. 9 trorsum auertit: quia nemo mittens manũ in aratrum, respiciens retro, habilis est regno
Genes. 9 dei. Deniq; uxor Lot quia retro respexit, ad uerticẽ montis, hoc est, ad superiora perue-
nire non potuit: sed in salẽ conuersa est, quæ species cito soluitur, nec potest usum habe-
re diuturnũ. Sic sunt qui temporalia sequuntur, & nõ sequuntur æterna: & hic infatuan-
tur à stultitia sua, & futurorum gratiam habere non possunt. Sunt tamen qui retro positi
Philip. 3 obliuiscuntur superiorum, & ad priora se extendunt, ut ad brauium ualeant peruenire.
Marc. 8 Et Petro dicitur, Vade retro me Satana: ut in melius prouocetur. Et in numeris prior est
qui post Christũ est. Ideo ergo præ inimicis, quia illi nos affligunt, & illi infectantur, re-
trorsum nos esse uoluisti, ut extendamus nos ad superiora, ut semper ante nos attenda-
mus, persequentes inimicos nostros, & eorũ locũ transire cupientes. Deniq; sic Theodo-
tion habet quomodo septuaginta uiri, hoc est, quomodo iste uersus expositus est. Aqui
la habet, Auertisti nos retro ab affligẽte. Symmachus, Ordinasti nos nouissimos ab om
ni aduersario. Contraria nobis quæ sunt, nisi uoluptaria istius seculi, & plena deliciarum
atq; lasciuiæ, quæ sunt incẽtiua luxuriæ? Vxor Lot decepta est, quia post se habebat lu-
xuriã Sodomitanorum, & regionis eius illecebras. Vnde decepta est? quia post se respe
xit. Et tu ergo ne ad inimicos tuos respicias. Posuit te deus nouissimũ in seculo. Vel: Qui
humilitate se ultimũ facit nõ cõuertitur retro, sed semper antè respicit: Vt scias autẽ qui
Baruch. 3 sint inimici tui, audi dicẽtẽ: Audi Israel: Quid est quod in terra es inimicorũ, pollutus es
in mortuis? Quis tamen tam inimicus & hostis tuus, quàm princeps istius mũdi, & eius
1. Cor. 2 socij, qui persecuti sunt usq; ad crucẽ dominũ Iesum, eius potentiã nesciẽtes? Si enim co-
gnouissent, nunquã dominũ maiestatis crucifixissent. Ergo tu si nouissimus es, noli in-
micos tuos sequi, sed sequere dominũ Iesum, & crucẽ eius cum lętitia, & insiste uestigijs
eius. Qui enim Christũ sequitur, post se nõ respicit, id est, ad luxurias atq; illecebras pec
catorum: & ideo potest dicere cum sanctis: Non recessit retro cor nostrum. Vnde intel-
ligitur quod & is qui ante inimicos suos est, corde fit nouissimus atq; postremus, si ad il-
los respiciat, & carnalibus potius quàm spiritalibus affectu mentis intendat. Potest etiã
qui nouissimus est, corde prior esse, si ea quæ in cœlo sunt consideret, & non quæ in ter-
1. Cor. 4 ris. Audi qui nouissimus in seculo, inter primos sit apud Christũ: Puto quia deus nos A-
postolos nouissimos ostendit sicut morti destinatos, ut spectaculũ simus huic mundo,
Philip. 3 & angelis & hominibus. Nouissimũ se dixit, & idem tamen quod primus esset ostendit
cum dicit: Nostra autẽ conuersatio in cœlis est. Sequitur, Et qui oderant nos, diripiebãt
sibi. Dedisti nos tanquã oues escarũ, & in nationes dispersisti nos.] Miraris forsitã quod
cum in posterioribus (ut diximus) summã habeant fidei constantiã qui loquuntur: hic
dicant quod ab ijs qui oderant eos, diripiebant. Sed nõ te ista perterreant. Multi emi hic
diripiuntur, & tamen merita eorum à Christo non queunt separari. Rapiebantur Apo-
stoli, cædebantur uirgis, in carcerẽ trudebantur separabantur à se, & tamen cum Chri-
sto manebant: immo hoc ipso quod rapiebantur à perfidis, eorum merita crescebant, &
gratia in cœlestibus augebatur. Non enim statim qui ab hominibus diripitur, etiã uinci
tur. Vide Apostolum Paulum gratulantem in periculis suis, uide gloriantem quòd per
fenestram in sporta demissus sit. Vide quemadmodum sanctus Hieremias, sanctus Eze
chiel, sanctus Daniel in captiuitatẽ deducti, & ab Assyrijs direpti: nullã tamen captiui
tem propriæ fidei pertulerunt, nec in testamentum domini deliquêre, qui seruauerũt in
captiuitate etiam legis præcepta diuinæ, nec de interdictis cibis putauerunt contra in-
stitutionem maiorum aliquid usurpandũ. Vnde bene Theodotion dixit: Et qui oderãt
nos, exul-

nos,exultabant super nos. Insultatio enim inimicorum non affert præiudicium bonis mentibus,sed nec direptio inimicorũ. Ideoq; sanctus dicit, qui certus est quod direptio sibi obesse non possit:Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? & cætera.Sed in his omnibus superamus & superuincimus per eũ qui dilexit nos:scientes quod neq; mors, neq; uita, neq; angelus, neq; potestates, neq; præsentia, neq; futura separare nos possint à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Ergo qui talis est,non separatur à Christo. Vnde etiam si corporaliter diripiatur,spiritaliter tamen liber est:& non solum direptioni obnoxius non est, sed etiam rapinam sibi laudabilem quærit:sicut illi de quibus scriptum est:A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur,& cogentes diripiunt illud. Victor est itaq; qui in terrenis positus, captiuus perfidiæ esse non nouit:nec solum ei non diripitur quod præclarum est,sed magis ipse diripit quod æternum est.Sunt etiam qui fiant oues escarum.Bonus dominus noster Iesus Christus,quia factus est ouis epulationis nostræ. Quæris quomodo factus sit? Audi dicentem:Pascha nostrum immolatus est Christus.Et considera quemadmodum parentes nostri in figura diripientes agnum manducabant,significantes domini Iesu passionem,cuius quotidie uescimur sacramento. Per ipsam igitur ouem facti sunt greges escarũ, sicut Aquila dixit:uel greges in escas,sicut Theodotion locutus est: uel pascua edentiũ, sicut Symmachus dixit.Sed bona est epulatio,nõ solum nõ metuenda sanctis,sed etiam concupiscenda.Aliter enim ad regnum cœlorũ non potest peruenirí:cum ipse dominus dixerit:Nisi manducaueritis meã carnem,& biberitis meum sanguinem,non habebitis uitam æternam.Probatum est igitur quia dominus noster sit cibus epulationis,uel alimentum edentium:sicut ipse ait:Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi.Et ut scias quia hæc omnia propter nos facta sunt, ex quo ille descendit, ex illo sanctus ait:Nos omnes unus panis sumus.Non ergo timeamus quia facti sumus oues escarũ.Sicut enim domini caro & sanguis ipsius nos redemit,ita etiã Petrus pro Ecclesia multa tolerauit.Multa etiam sanctus Apostolus Paulus,& cæteri Apostoli pertulerunt,cum cæderentur uirgis, cum lapidarentur,cum in carceres truderentur.Illa enim tolerantia iniuriarũ,& usu periculorum,domini fundatus est populus & Ecclesia incrementum est consecuta,cum cæteri ad martyrium festinarent uidentes per illas passiones nihil Apostolorum decessisse uirtutibus,sed etiam propter hanc breuem uitã immortalitatẽ illis esse quęsitã.Quod ostendit etiã qui sequitur uersiculus, quia dixerunt: Inter gentes dispersisti nos.Similiter Theodotion dixit.Aquila autem & Symmachus,In gentibus aut inter gentes uentilasti nos.Missi sunt eñ sancti Apostoli ad gentes,& dispersi sunt inter gẽtes, sicut & propheticæ sancti de quibus supra diximus, ut illa dispersione fructus plurimi nascerentur. Vt enim dominus noster Iesus Christus sicut granũ cecidit in terram,& mortuus est, ut multum fructũ afferret:ita etiã dispersi sunt Apostoli sancti, ut bonũ inter gentes semẽ afferrent,quo ad eorũ similitudinẽ fructus gentiũ pullularet. Deniq; scriptura hoc dicit dixisse dominũ, Quia propterea uos misi, ut uos eatis, & fructũ plurimũ afferatis,& fructus uester maneat.Factus est ergo dominus sicut semen,secundũ quod dictũ est ad Abrahã, Et semini tuo,quod est Christus.Semen ergo omnium Christus.Et ideo se cadere passus est & spargi,ut conforme corpori suo transfiguraret corpus humilitatis nostræ.Hoc ergo semen salutare omnibus hominibus pullulauit, & ex illo ad eius imaginem figurati, quasi semina Apostoli sancti missi sunt per diuersa atq; dispersi,ut agrum Ecclesiæ gentes congregatæ diuersis fructus refulgerent toto orbe terrarũ.Istæ ergo dispersiones dicuntur,sicut etiã in posterioribus idem Dauid dicit: Aedificãs Hierusalẽ dominus,& dispersiones Israel congregãs.Dispersi sunt enim ut nouos fructus facerent,& postea uelut triticum nouũ Ecclesiæ horreis inueherentur. Hęc autẽ dispersio nõ in inferioribus fit, hoc est,non in terra,sed in cœlo.Deniq; legis hoc præcepta confirmãt,per quã dicit dominus.Si fuerit dispersio tua à summo cœlo usq; ad summũ cœli, inde cõgregabo te:dicit dominus.Quæ est dispersio à summo cœlo usq; ad summũ cœlũ? Quis iste tantus qui sic potuerit disseminari? Si homo in terra natus est:ab imo, nõ à summo cœpit.Si ista te mouẽt atq; perturbant,redi ad superiora istius sancti prophetæ, & audi quis ille sit tãtus qui huiusmodi in terris segetes fœcũdauit,ut fructus earũ ad cœlestia receptacula perueniret.Est autẽ ille sponsus qui quasi gigas percurrit hanc uiã totã, inuiã alijs,sibi peruiã:

Rom.8

Matth.11

1.Cor.5

Ioann.6

Ibidem.

1.Cor.10

Ioann.12

Ioann.15

Galat.3

Philip.3

Psalm.146

& ex illo cœpit peruia iam esse mortalibus: ita tamen, ut isti ascenderẽt: solus tamen ille ipse ante descenderet, ut postea sancti eius mererentur ascendere. Audi ergo quomodo
Psalm. 18 dissẽminatio fuerit de cœli summo ad cœli summũ. A summo, inquit, cœlo egressio eius & occursus eius usq; ad summũ eius. Cui homini hoc possit attribui? Moyses in uerticẽ Sinæ montis uix ascendit, & hoc quia uocatus à domino est, & hortatus est uoce cœlesti. A summo cœlo quis descẽderet nisi Christus? qui & cũ descendit in terras, manebat in cœlo. Nemo enim ascẽdit in cœlũ, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in
Hier. 23 cœlis. Vides ergo quia & cũ descenderet & ascẽderet, ipse erat & manebat in cœlo. Ipse eñ dixit, Cœlũ & terrã ego cõpleo, dicit dominus. Ipse est, qui est in cœlo. Hęc de dispensione satis dicta sunt. Cęterùm quod ait, Ventilasti nos: etsi uerbo dictat, sensu congruit.
Psal. 43 Sicut enim illi qui dispersi sunt, probati: ita etiam qui uentilati sunt, ad probationẽ peruenire meruerunt. Sicut enim triticũ si uentilatur, & à paleis separatur, mundũ est: si autem uentilatum non fuerit, mundũ esse non poterit, sed est paleis cõcretum atq; permixtum: ita etiam homo nisi tentationibus fuerit uentilatus, fragilia quæq; ueluti paleas à
Matth. 26 se non potest separare. Vnde etiam ad Petrum dictũ est, Simon, ecce Satanas expostulauit ut uentilet uos sicut triticũ: ego autẽ rogaui patrem meũ, ut non deficiat fides tua. Vi-
Luc. 22 de quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, ut Christũ negare cogatur. Incidit tentationes, quædam locutus est quasi plena palearum: sed locutus est uerbo, ut fundatior esset affectu. Denicq; fleuit, & paleas suas lauit, & illis tẽtationibus meruit ut pro se Christus interueniret. Quanto maius est patrociniũ, quàm perturbationis illius tentamentũ? Et ideo plus quàm passus est acquisiuit. Acquisiuit enim Christũ sibi patrocinantẽ. Cogis autem & aduersarius sanctos domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit, ut qui tentatur, possit alios instituere, qui sibi ipse inualidus uidebatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur postquam tentatus à diabolo est. Ideoq; ante significat do-
Luc. 22 minus quid sit illud quod postea eum pastorẽ elegit dominici gregis. Nã huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Cõuersus est ergo sanctus Apostolus Petrus ad bonam frugẽ, & uentilatus est sicut triticũ, ut esset ipse cum sanctis domini unus panis, qui nobis esset alimentũ. Dum enim Petri actus legimus, Petri præcepta cognoscimus, fit nobis uitæ æternæ & salutis alimentũ. Vendidisti, inquit, populũ tuũ sine precio. In-mendi & uendendi uidetur æqualis quidẽ esse contractus: Sed tamen si ementis & uendentis affectum consideres, unusquisq; sibi uiliorẽ uendit, & cõplacitum emit. Vt enim præter id genus hominũ loquamur qui negociationem uendendis mancipijs exercẽt: non facilè quisquã uendit nisi eum qui sibi displiceat, & quẽ usui suo inhabilẽ putet: & iterum, unusquisq; emere desiderat eũ quem utilitati uel ministerio accommodũ iudicauerit. Sed & ipsi qui uendendis mancipijs sumptum exercẽt suũ, & sectantur lucra, utiq; ita uiles habent eos quos uendũt, ut eis uiliores sint quàm pecunia: & sæpe etiã ipsi quos negociationi suæ magis habiles existimauerint, malũt tenere quàm uendere. Ita ergo & deus uiliorem uendidit, potiorẽ emit. Vendidit populũ Iudæorũ, non inclementia dei,
Esa. 50 sed sua culpa: quibus rectè dicitur: Ecce peccatis uestris uenditi estis, & propter iniquitates uestras dimisi matrem uestrã. Hoc itaq; genere uẽditus populus Iudæorũ, emptus
1 Petr. 1 est populus Christianus. Ille peccatis uenditus, hic emptus sanguine. Vnde Petrus ait, Non corruptibilibus argento uel auro empti estis, sed precioso sanguine. Quis est sanguis precios us, nisi agni illius immaculati, hoc est domini nostri Iesu Christi? Ergo sine precio populus Iudæorum, precios us autẽ populus Christianus. Ille precium nõ habet, quia peccatũ habet: Iste in precio est, cui peccatũ remissum est. Vnde rectè Ecclesiæ fi-
1. Cor. 7 lijs dicitur, Precio empti estis: nolite fieri serui hominũ. Si tibi dicit, Ne seruus fias homi num, & perdas propriam libertatẽ: multo magis dicitur tibi, Ne seruus fias peccati, & iterum, Ne seruus fias serpẽtis, inimici, & aduersarij: sed seruias soli domino, qui propria te redemit charitate, quia ipse est suorũ redemptio seruulorũ. Non uẽdit ergo dominus nisi seruum malum: non uendit utiq; bonum. Nam etsi Ioseph uenditus est, non dixit tamen propheta, A domino uenditus est Ioseph: sed, In seruum uenditus est Ioseph, quem
Psal. 104 fratres proprij uendiderũt, quem dominus tamen in figura propriæ passionis redemit à seruitute, renouauit ad gratiam. Vendiderunt itaq; eum fratres, & acceperunt pecuniã: sed dominus eum non solum libertati reddidit, sed etiam dignitate cumulauit. Figuram autem

autẽ in eo fuiſſe domini Ieſu oſtendit ſcriptura, quæ dicit: Filius meus zelo appetitus, ad me reuertere. Et alibi: Primogenitus tauri decus eius. eò q; exaltauerit deus pater cornu Christi ſui. Qui ergo uenditur, uilis & ſine precio eſt, quaſi qui magis non ſit, quàm qui Deut. 32
ſit. Vnde & Aquila dixit: Tradidiſti populum tuum, ut non eſſet. Et Symmachus: Tradidiſti populum tuum ſine ſubſtantia. Non ſunt enim qui repudiantur à Chriſto. Sunt aũt
qui eliguntur à domino: quoniam dominus uocat quæ non ſunt, tanquam quæ ſint. Et Rom. 4
electæ ſunt Gentium nationes, ut deſtrueretur perfidia Iudæorum. In nihilum ergo tra-
ditus eſt ille populus, quia peccato ſuo uenditus erat. Nullam enim habet culpa ſubſtan
tiam. Vnde dictum puto: Et non fuit multitudo in cõmutationibus eorũ.] Hoc eſt, gra-
tis nos diſperſit per nationes. Neq; enim tu quicquam per cõmutationem accipis, ut ani
mam tradas hominis. Nihil enim tibi gratius eſt animæ conuerſione. Sed ſi conuerti de-
trectat, ipſa ſe tradit in nihilum, ut peccato & flagitio mancipetur. Ideo tu ſine precio &
ſine cõmutatione degenerem populum uendidiſti. Vnde in poſterioribus ait: Non eſt Pſal. 54
eſt illis cõmutatio. Quare non eſt illis commutatio? quia non timuerunt, inquit, deum.
Duplex autem intellectus quare cõmutationem non habuerit populus erroris: quia nõ
poteſt homo argento uel auro uel poſſeſſionibus redimere animam ſuam. Quam enim
dabit commutationem animæ ſuæ? quum illa temporalia uel caduca ſint, anima autem Matt. 16
permaneat uel ad præmium uel ad pœnam. Non fit autem etiam illa commutatio in im
pijs, quæ eſt in reſurrectione, de qua dicit Apoſtolus: Omnes reſurgemus, non omnes 1. Cor. 15
immutabimur. Poteſt quoq; & ſic intelligi, quia etſi pauci redempti immutari meruerunt, ut Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, non tamen ad omnes commutatio ipſa peruenit. Eſt etiam illud, ut non ſit multitudo in cõmutationibus grauium peccatorũ, ſecun-
dum quod ſcriptum eſt, quia quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præceden- 1. Tim. 5
tia in iudicium: quoſdam autem & ſubſequuntur. Quæ grauia ſunt atq; manifeſta, præ-
cedunt, & ſine ulla dubitatione merguntur: quæ aũt leuiora ſunt, bonis operib. ſæpe re-
leuantur. Beati enim quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta peccata ſunt. Pſal. 31
Vbi autem iniquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione reuocatur. Er
go & ſi quis redemptus eſt de populo Iudæorum, non ideo redemptus, quia multam ha
buit æſtimationem ſui, nec quia multitudinem habuit in cõmutatione ſua: ſed redẽptus
eſt gratis, quod te docet Apoſtolus dicens: Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſal- Rom. 11
uæ factæ ſunt. Vbi autem gratia, nõ utiq; merito operum, nec iuſtificatiõe uirtutum, ſed
liberalitate donantis, electione redimentis: quod æquè ſcriptura te docuit, dicente apo
ſtolo Paulo: Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. Ibid.
Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus. Quare non ſit conſecutus,
agnoſce: quia ſe iuſtificare cupiebat, quia operũ ſuorum iactantiam requirebat, quia fi-
dem non detulit, nec gratiam recognouit: & ideo electio conſecuta eſt, quæ uocantem
audiuit, audientẽ ſuſcepit. Meritò ergo in perſona populi illius dicitur: Poſuiſti nos op-
probrium uicinis noſtris, illuſionem & deriſum ijs qui ſunt in circuitu noſtro.] Qui ſunt
iſti finitimi, & quemadmodum ad uiciniam Iſraelitæ populi pertinuiſſe uideantur, non
eſt facilè diſcernere, ſi ſpiritalis uicinia requiratur, habens quoddam lumen cognitionis
ad inueſtigandum myſteriũ Chriſti, præſertim cum in ipſo libro Salomonis qui inſcribi
tur Eccleſiaſtes, didicerimus quia quo magis quæritur ſapientia, eò profundior iudice- Eccles. 7
tur. Sic enim ſcriptum eſt: Dixi, ſapientiam requiram, & ipſa longè facta eſt à me, longè
magis q; erat. &, In profundo altitudinem quis inueniet eius? Vnde diffidentia oborit
mihi ſcrutari diuinitus ſpirantis ſcripturæ myſteria, & eius examinare ſermones: quod
ille dignè potuit, qui inter perfectos ſapientiã loquebat. Ego perfectos uideo. nec im-
meritò perfectos dixerim, cum uideam uos ſenſus exercitatos habere ad diſcretionem
boni & mali. ſed & ipſe tamen qui ſciebat ſolidiores capere cibos, adiumenta quærebat,
ut in eo uerbum domini curreret. Nec iſte quoq; ſine precatione hoc potuit uſurpare, ut
laudatio eius iucunda fieret deo. Non enim uſurpantis, ſed precantis aſſertio eſt. Tamẽ
ne penitus refugiſſe uideamur, conſideremus qui uicini tribubus fuerint Iudæorum.
Nam ut uetera recenſeamus, Philiſtijm tribui Iudæ finitimi habebantur: ex alio latere
ijdem tribui Ruben appropinquabant. Ammonitæ quoque in deſerto erant: & qui
erant in finibus Tyri & Sidonis, Galilææ copulabantur, hoc eſt, tribui Zabulon,

Esa.9 & tribui Neptalim, quæ erant in Galilæa: sicut Esaias dixit: Terra Zabulon, & terra Neptalim, uia maris trans Iordanem. Vnde potest quis colligere quæ proprietas uniuscuiusq; singularum fuerit tribuum, ut certis quibusq; finitimis iungerent, quo paulatim etiam Gentibus infunderetur cognitio cœlestiũ sacramentorũ. quod utiq; potest intelligi de illa muliere Chananæa quæ exiuit de finibus suis ut domino Iesu occurreret transeunti, & posthabitis simulachris suis adoraret uerum salutis autorem, cui testimonium Matth.15 dedit dominus noster Iesus Christus quòd magna esset fides eius. Resplẽdebat quidem iam gratia Euangelij, & præsentiæ lumen augustæ: sed tamen quia sponte exiuit, & misericordiam postulauit, & dominum pia uoce confessa est, & quasi fastidio habita, in clamore petitionis propriæ perseuerauit: non mediocrem prærogatiuam accepit istiusmodi mulier, quæ prima exiuit de gentiũ nationibus, & perseueranti obsecratione tantum domini testimoniũ meruit reportare. In quo quidẽ loco uelut dubitasse quosdã cognoibidem ui quid sit quod ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel: quasi nobilitatem generis electi ad saluandas animas dominus quæsisse uideatur, qui uenit ut omnes redimerentur. Sed ostendere dignatus est propositum, quòd eos quos primò elegerat, nequaquã refutare cupiebat, & sæpe deuios & errantes paterno quodam reuocare quærebat affectu. Sed ubi ipsi autorem proprium reliquerunt, sciens se deum montium esse, non uallium, & regnum cœlorũ non à fastidientibus, sed à cogentibus diripi; paulatim cõuersus ad gentes est, ut & nationũ plus probaretur affectus, & illorũ merito perti-
ibidem nacia condemnaretur. Quid deinde sibi uult quod ait: Non licet accipere panem filiorum, & mittere catulis? Vtiq; filios dixit Israelitas, hoc est, populum Iudæorum: catulos autem populũ nationum. Quid ergo? Diuitum aut nobiliorum est accipere sacramenta cœlestia: et non eorum qui magis ad cognitionem mysterij cœlestis pio mentis seruore contendant? Et si Israelita fuerit aliquis remissus & negligens uel contumax, qui reiiciat post se sermones dei: Chananæus autem qui impigrè uelit adquirendis mentem intendere sacramentis: ille potius qui dissimulat, quàm iste qui defert studium, præferendus est? Non utiq;. Et ideo diligenter oportet intendi quid expresserit, qui quum dixisset: Non licet accipere panem filiorũ, & mittere catulis: respondente Chananæa, Quia & catuli canum edũt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum: studium eius humilitatem' que laudauit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio uindicauit, quamuis de finibus Tyri & Sidonis iam esset egressa: sed micas quasdam uerbi salutaris quæ de mensa dominorum suorum caderent, crederet colligendas. Qui enim diligenter & subtiliter scripturæ uerba rimatur, is ad altitudinem mysteriorum peruenire consueuit. Vnde & huic dicitur: Magna est fides tua: fiat tibi sicut uis, hoc est, ut aperiatur tibi ostium uerbi, & refulgeat uitæ æternę salubre mysterium. Ergo qui uicinus est, exeat, & Christum uidere desideret, & in oratione clamet, sicut ista Chananæa exiuit de finibus suis, & Christum uidit, & iugi uoce clamauit, ut eius misericordiam reportaret. Credentibus itaq; Chananæis Iudæus in opprobrio sit, quia ipse non credidit: & illudi sibi doleat, & derideri se ab ijs qui in circuitu sunt, ingemiscat. Et uidetur prophetia hęc esse de nationibus credituris: maximè cum sequentia istud ostendant, quia ait: Posuisti nos in similitudinem Gentibus, cõmotionem capitis in populis.] Quia Iudęorum delicto salus in Gentibus: & quæ illis in figura gesta sunt, ad cognitionem nostram profecisse Apostolo authore cognouimus. Et uerè in opprobrium positi sunt Gentibus, quia Gentes opprobrium crucis dominicæ omnibus diuitijs secularibus prætulerunt. Qui autẽ crucem illam putauit opprobrium, & quasi opprobrium refugit, is uerè in diuturno mansit opprobrio. Tamen quia non secundum carnem Israelitæ uidentur, qui potuerunt dicere: Quia iniquè non egimus in testamento domini: nec recessit retrò cor eorum à domino: uide ne ijs se in circuitu positis illusioni & derisui fuisse commemorent, de quib. dicit dominus: Circumdederunt me uituli multi. Circundederũt enim eum persecutores, Psal.21 quando secundum consilium uoluntatis suæ subijt passionem. Vnde & alibi ait, Circun- Ibid.117 dantes circundederunt me, & in nomine domini ultus sum in eos. Ideo melius est uiam rectam tenere, in qua facinorosi ambulare non possunt. Cito cadunt, qui non in directione ambulant. Vnde & illi quando uoluerunt Iesum dominum comprehendere, ubire Ioan.18 spexit eos, ceciderunt. Propter hos igitur qui in circuitu ambulare consuerũt, angelum dominus

dominus appoſuit, qui à tergo inſidiantes repellat inimicos. Prætendit igitur angelus domini in circuitu timẽtium eum, & eos tuetur atq; cuſtodit. In circuitu enim impij ambulant, ſicut ſcriptum eſt. Vide itaq; diſtantiam. Impíj in circuitu ambulant: angelus aũt prætendit in circuitu eorum qui non ambulant in circuitu: & ideo prætendit ut eruat iuſtos ab inſidijs perſequentium. Iuſti ergo ſpiritales Iſraelitæ uidenẽ eſſe qui hæc loquuntur: eò quòd tentationibus ſeculi ſubiacuerint, & opprobrium fuerint uicinorũ: hoc eſt, eorum qui Hieruſalem patriam non incolebant. Illuſioni etiam fuerint ſpiritalib. nequitijs & poteſtatibus, cõtra quas iuſtis lucta eſſe cõſueuit. Deniq; hiſtoria te doceat quòd abducti Iudæi in Babyloniam, etſi propter peccata ſua uidebantur eſſe ſubiecti, tamen multò meliores Gentibus habebanẽ. Peiores enim erant in circuitu eorum, qui inſultabant eis, cum ipſi peccatorum grauium eſſent mole curuati. Primus ergo intellectus de captiuis patribus uſurpandus eſt, quibus inſultauerunt Aſſyrij, illudentes eis in Babylonia: quibus etiam rex ille nequiſſimus dominabatur Nabuchodonoſor. Secundus intellectus ad altiora referendus, quòd ſæuiſſimus rex diabolus eſt, ipſe eſt Aſſyrius Nabuchodonoſor, qui bonis inſidiari ſolet, ut eos in peccatũ trahat per carnis illecebram. Attende igitur hunc regem eo loco ubi dicit Apoſtolus: Video legẽ carnis meę repugnan tem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Hoc eſt, in illa lege carnalis illecebrę. Aduerſarius eſt, qui urget obnoxios, iuſtos fatigat. Vnde pulchrè poſuit Aquila: Spretionem & pompam poſuiſti nos ijs qui in circuitu noſtro ſunt. Ita eñ deſpicabiles æſtimabantur, qui theatrũ facti ſunt huic mundo, & angelis & hominibus: quia etſi in teſtamento non peccent dei, nec carnis illecebris reflectantur à domino, tamen quaſi in pompa quadam circumferri uidẽtur & deſpici: quandoquidem peccatores humilitati iuſtorum inſultare conſueuerint, ut opprobrium ducant crucem domini ſaluatoris, humilitatem q; iuſtorum. Deniq; quaſi in quadam pompa theatri conſtitutus Apoſtolus dicit: Placeo mihi in iniurijs, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anguſtijs. In iſtis placet ſibi, qui omnia quæ mundi ſunt, detrimentum putat ut Chriſtum lucrifaciat ſolum, per uitam & mortem requirens: cui uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrũ: ut inueniatur in Chriſto. Adijciunt adhuc iſti Iſraelitæ dicentes: Poſuiſti nos in parabolam Gentibus, commotionem capitis in populis. Quibus Gentibus poſiti, niſi crediturís? Ea enim quæ acciderunt Iudæis, in ſimilitudinem figuræ facta ſunt, ut fieret nobis typus & figura excidium Iudæorum, atq; ex illa ſimilitudine per parabolam ſolutionem præſentibus requiramus, quo exempla eorum cauere poſſimus. Deinde quia Iudaicæ res omnes quaſi parabolę ſunt, hoc eſt, quaſi figuræ, egentes ſolutione. Denique dominus Iudæis in parabola loquebatur, ut imperiti non intelligerent, intelligerent ſapientes: ut intelligebant Apoſtoli: & in quo mouebantur, interrogabant dominum: Iudæi autem nec intelligebant, nec iterum diſcere non intellecta cupiebant. Quid ſit parabola, accipe. Abraham igitur duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Non intelligebat hoc Iudæus niſi ſecundum literam. Neſciebat quis de filijs duobus acciperet hæreditatẽ patris, quia ad carnalia propendebant. Egebat parabola ſolutione. Venit Gentium doctor, & fides nationum: & intellexit quòd duæ illæ mulieres duo ſint Teſtamenta: unum à monte Sina, quod in ſeruitutẽ generauit populum Iudæorũ, quod eſt Agar. Et ideo Sina, quod per interpretationem menſuram eius ſignificat. Menſura autẽ, legis eſt: ſuperabundans autem gratia eſt. Sina quoq; merces dicitur, & conuenit populo Iudæorũ, qui iuſtificari ſe mercede operũ q̃ fidei gratia maluerũt. Ergo quæ ſub lege erat Hieruſalem, cũ filijs ſuis ſeruiebat. Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt. Et ideo Sarra, quæ principalis dicitur, libertatem habet, quòd princeps ſui ſit qui iuſtus atq; integer eſt. Ex duobus igitur Teſtamentis duo populi: unus Iudæorum, alius nationum, qui in Chriſto credidit. Ille Iudæorum qui non credidit, ſeruit. Ipſe eſt ſecundum carnem natus: quia ſecundum carnem interpretatus eſt ſcripturam diuinam, & ſecundum literam, non ſecundum ſpíritum. Qui autem de libera natus eſt, per repromiſſionem: hoc eſt, cui repromiſſio ex fide, ipſe eſt Eccleſiæ filius, tenens gratiæ libertatem: propter quem Eccleſia dicit: Expelle ancillam, & filium eius. non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Et Apoſtolus ait: Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ. Hæc eſt ergo ſolutio, quia quod ignorabat Iudæus, fides Gentium ſoluit, infuſa

Pſalm. 11

Rom. 7

1. Cor. 4

2. Cor. 6

Philip. 1

Gal. 4

ibidem

infusa à Paulo doctore mentibus nationum. Ideo ergo illorum gesta nobis in parabola
Psal. 68 sunt. Sed & dominus dixit: Factus sum illis in parabolam: aduersum me exercebant qui
Luc. 4 sedebant in porta. In parabolam autem factus, quia dicitis inquit: Medice cura teipsum.
In parabolam factus est, quia sedentes in porta increpabat. In exitu enim nō ocioli, sed
Matt. 24 exerciti esse debemus. Ideoq; scriptum est: Videte ne fiat fuga uestra hyeme uel sabba-
to. Hoc est, non in ocio, sed in negocio, Ergo pigri sedebant Iudæi, quia stare non pote-
rant: qui ueræ Hierusalem atria nesciebant. Si enim scirent illam Hierusalem, requisissent. Isti ergo fatigati in porta sedebant. Nec solum dixit sedebant, sed etiam oderant do-
minum in portis redarguentem. In porta enim erat, qui subiturus erat sui corporis pas-
Ioan. 12 sionem, per quam migraret è terris, rediret ad cœlum. In porta erat cum diceret: Ambu-
Rom. 10 late dum lucem habetis. Quid est ergo: Factus sum illis in parabolam, nisi quia finis le-
gis est Christus, & mors eius soluit ænigmata prophetarum: eaq; quæ antè Iudæis erant
incognita cum prophetarent, postea manifestata sunt dominicæ passionis effectu? Fa-
ctus est illis in parabolam, quia quasi uilem se præbuit, ingerens se illis, nec refugiēs eo-
rum seditiones, & perducēs eos ad tempus beneplaciti sibi, ut moreretur pro omnibus
hominibus, quo illius sanguine genus hominū mundaretur. Similiter in parabola scri-
Deut. 25 ptum est: Non alligabis os boui trituranti. Soluit hanc parabolā Apostolus dicens: Nun-
1. Cor. 9 quid de bubus cura est deo? An propter nos utiq; dicit? Nam propter nos scripta sunt.
Quis est qui arat, nisi qui in spe arat, ut in iudicio domini metat? Et ideo quasi boni agri
colæ, ubi propter spem inarata fuerit terra nostra continentia corporali, nō carnalia, sed
spiritalia seminemus: quoniam de carnalibus corruptela colligitur, de spiritalibus uita
æterna adquiritur. Typus igitur & figura nobis sint gesta maiorū. Typus lex scripta in
cordibus nostris, ut nobis in ea quædam futurorū figura, non ueritas sit. Lex ergo quasi
figura sit nobis: Euangelium quasi lumen & signaculum ueritatis. In parabola ergo do-
minus ostendit se Iudæis, sed non intellexerunt parabolam, quia medicū non receperūt
qui curaret animas laborantiū, & omni ægritudine & inæqualitate incōmoditatis absol
ueret. Factus est etiam in parabolam, quia carnem suscepit, quam crucifixerūt Iudæi, nō
intelligentes parabolam spiritalem. Eousq; enim non intellexerunt, ut cum autorē uitæ
crucifigerent, & suspensam in cruce cernerent carnem domini salutarem, mouerent ca-
put. Nam si intellexissent, utiq; non insultassent, sed ingemuissent. Et tamen ipsa cōmo-
tio capitis illis in similitudinē cessit, ut nō hoc significaret quod illi sentiebant, sed quod
mysteria declarabant. Illi enim secundum uulgi usum insultantes domino mouebāt ca-
put suum, sicut qui iustis insultare desiderant, si fortè eos uiderint in hoc seculo fatigari,
mouent caput. Quæ cōmotio capitis geminū intellectū habet. Reprehēsibiles enim ui-
Matt. 27 dentur secundū scripturæ autoritatē qui mouēt caput, cū dicat & Matthæus: Qui transi-
Marc. 15 ibant, blasphemabant dominum Iesum, mouentes capita sua. Et Marcus: Qui præter-
ibant. Transeuntes aūt quòd reprehensibiles æstimentur, docet hic ipse propheta, qui di-
Psal. 79 cit de uinea Sabaoth: Et uindemiant eam omnes transeuntes uiam. Denicq; & qui sequi-
tur uersus, hoc signat: Deuastauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eā.
Ibid. 128 Et in posterioribus ait: Et non dixerūt transeuntes uiam: Benedictio domini super uos.
eò quòd qui transit, & non stat in atrijs domini, nō dat benedictionē. Ita ergo Iudæi mo
uebant caput super dominū Iesum, ut præterirent, qui firmum solidumq; fidei uestigium
habere nō poterant. Mouebant aūt caput suum, quorum caput Christus esse debuerat,
quem non debuit dimouere & deturbare perfidia Iudæorum. Sed quia non passi sunt
membra se esse Christi, ideo caput eorū non fuit Christus. Non erat etiam lex caput eo-
rum, quia expoliabant & lege à populo nationum. Non fuit his caput uerbum dei: quia
amiserant prophetas, & apostolos non habebant. Hoc de reprehensibili cōmotione ca
pitis dictū sit. Est tamen & laudabilis capitis cōmotio: reprehensibilis Iudæis, laudabilis
Eccles. 2 populo nationū. Quid est enim caput, nisi in quo sensus sunt? Oculi enim sapiētis in ca-
pite eius, quos moueri oportet oculos, id est, mentis tuæ sensus, ne aliquo torpore pigre
scant. Moue ergo prudentiam tuam, moue sapientiā, moue cogitationes tuas cœlestiū
collatione sermonū, & propheticorū disputatione uerborum, ita ut non pecces in testa-
mento dei, sed fides firma sit. Sunt enim hæretici qui mouēt sensus suos, ut perfidiam ta-
men, nō fidē excitent. Sed iam expressius de ipsa capitis cōmotione quę in similitudinē

populi

populi est posita, dicendum est. Quis est caput populorum nisi Christus? Caput enim mu
lieris uir, caput uiri Christus. Sed & lex caput intelligibilis mulieris. Denique sub lege tan 1.Cor.11
quam sub uiro est populus Iudæorum, quia lex νόμος & dicitur Græcè: & ideo Synagoga
νόμῳ quasi masculo copulata est: sed legi corporali, non spirituali: hoc est, rituí legis Iudai-
co, cuius uinculis alligata est, legitimi nesciens sacramenta coniugij. Si aũt mortua fue-
rit lex, hoc est legis interpretatio corporalis, tunc plebs quasi mortuo cõiuge priore le-
gitimè nubet secundo uiro, qui ex mortuis resurrexit. Est etiam caput mulieris huius E-
uangelium. Vnde quidam mystícè interpretati, mortificato ritu Iudaico, tanq; fratri de
functi Euangelio mulierem eam nubere ex lege uoluerunt, quia lex annũciauerit Euan
gelium. Ideo prior lex uir, postea secundi uiri nuptiæ, hoc est, Euangelij sacramẽta sunt.
Duo enim quasi coniugia, duo sunt Testamenta. Vnum coniugiũ uetus est Testamen-
tum, quod morte uiri prioris solutũ est. Et ideo mulier illa cui lex mortua est, rectè in se-
cundum coniugium conuenit, hoc est, Testamentũ nouum. Sic duobus fratrib. una con
iungitur, cui superiora peccata moriunt, meliora postea sacramenta renouant. Hoc no
bis Apostolus euidenter exposuit dicens: Quoniã quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro Rom. 8
ligata est legi: hoc est, uiri sui legi, ut ei debeat castitatem. Si aũt mortuus fuerit uir, solu-
ta est à lege uiri: id est ut cui uelit nubat. dummodo nubat: quia uiuo uiro, inquit, adulte-
ra uocabitur, si iuncta fuerit alteri uiro. Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à le-
ge uiri, ita ut non sit adultera si fuerit cum alio uiro. Hoc sacramentum etiam ad Christũ
& Ecclesiam pertinere, etiam alibi demõstrauit, quia magnũ est sacramentũ. Hic quoq;
non prætermisit dicens: Itaq; fratres mei & uos mortificati estis legi per corpus Christi,
ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit. Quomodo mortificatus es legi, nisi ut tibi le-
gis umbra moriatur cum accedis ad sacramenta cœlestia? Nec enim aliter debes accede
re ad Euangeliũ, nisi solutus interpretationis corporalis impedimentis. Alioquin adul-
terium est, ueris falsa miscere. Pudicitia aũt spiritalis, si anima tua exuta omnibus impe-
dimentis deuię cognitionis, sine ruga accedat ad dei uerbum. Ergo sicut Ecclesię caput
Christus, ita & Synagogæ caput lex: hoc est, ijs qui sub lege sunt: propter quos Aposto
lus fecit se esse sub lege, cum sub lege non esset, ut eos qui sub lege sunt lucrifaceret. Et 1.Cor.9
iterũ doctor gentiũ factus est quasi esset ipse sine lege, ut eos qui erant sine lege, acquire
ret Christo. Pulchrè aũt ait quòd sine lege dei non esset, & in lege Christi maneret. Lex
aũt synagogæ caput non à principio, quia Christus erat caput ueteris synagogæ, quam
Moyses fundauit & condidit. Denique audi dicentẽ, Quia uerbo domini fundata est. Fi-
de, inquit, Moyses grandis factus negauit se esse Pharaonis regis nepotẽ. Maluit enim Hebr. 11
afflictis compati, q̃ temporalibus delectari, maioresq; diuitias ęstimauit, & prętulit the
sauris Aegypti, improperiũ Christi. Aspiciebat enim mercedẽ repromissionũ dei, quæ
est resurrectionis gratia. Sed ubi propter perfidiam Iudæorũ mortuũ est infidelibus dei
uerbũ, & excidit pectoribus Iudęorum, legis spiritalis intellectus occubuit, & nupsit sy
nagogæ ritui corporali, obseruationiq; perfidiæ. Sed non fuit illa sobrietas spiritaliũ nu-
ptiarum, sed adulteriũ castitatis. Ideo synagoga libera esse non potuit, quæ malè nupse-
rat, & non crediderat resurrectionẽ Christi futurã. Vnde bene ei nupsit Ecclesia, cui se-
cundum sacram dispensationẽ secundum carnem mortuus est Christus, ut illa Iudæa a-
nima quæ antè fuerat ligata peccato, per mortẽ Christi absolueretur uinculo delictorũ.
Non nubit ergo mulier alteri uiro, nisi mortuus fuerit uir suus: hoc est, nisi à uinculo le-
gitimi amoris fuerit absoluta. Si aũt mortuus uir eius fuerit, liberata est. Sanè tenebatur
ex lege ut fratri proprij cõiugis copularetur, si semen nullũ maritus ei reliquisset. Quod
uinculum magis nectebat interpretatio literæ, q̃ gratia spiritalis. Denique habebat in uo
luntate frater defuncti, ut si nollet, non acciperet fratris uxorem ad semen defuncti resu
scitandum. Vnde calciamentum suũ soluere iubebatur, ut esset à nexu copulæ eius exu
tus, quam à sui gratia offendisset alienam. Sic enim scriptum est: Quia soluebat uir cal- Deut. 25
ceamentum suum, & dabat proximo suo, dicens: Hoc erit in testimonium in Israel. Et di
cebat propinquus: Accipe, & acquire tibi tu. & soluebat calceamentũ suum. Dicebant
etiam adstantes: Det tibi dñs uxorẽ quæ intret in domũ tuam sicut Rachel & sicut Lia,
quæ ædificauerunt utraq; domũ Israel, & fecerunt uirtutem in Effrata. Sed hoc ex literę
interpretatione Iudæũ ligabat. Cęterũ figura erat q̃ Christus uenturus esset in terras qui

semen

Psal. 21 semen defuncti populi resuscitaret merito fratris, quia dictū est: Narrabo nomen tuum
Rom. 9 fratribus meis: & quorū patres, & ex quibus Christus secundū carnem. Vel quia Euan-
gelium defunctæ legis reparationem operaretur in posteris, ut semen quod lex non re-
liquerat, Euangelij tenor resuscitaret. Nō mirum ergo si caput suū praua interpretatio-
ne mouerunt, ut ipsi à se deturbarent sapientiam, suæ salutis auctorem, aut certe mouen
do caput suū causſa fieret cōmotionis capitis non paucis, sed populis. Cōmotio hæc ca-
Psal. 18 pitis facta est, quando quidem in omnem terram exiuit sonus eorū, ut fieret omnis terra
domini, & regnū domini esset in nationibus. Vnde & in posterioribus dicit: Dominus
Ibidem 98 regnauit, iraſcantur populi: qui sedes super Cherubin moueatur terra. Quod pulchre
Aquila interpretatus est, ut ἀλάλαγμα diceret, hoc est transmutationem, quæ de loco ad
locum, de Iudæa ad populos nationū. Quod ex ea lectione quæ in Euangelio est, liqui-
Matth. 23 do poterit manifestari, quemadmodum lex mota sit, dicente scriptura: Super cathedrā
Moysi sederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæ dicunt uobis, seruate & facite: se-
cundum opera eorum nolite facere. Quæ enim dicunt, non faciunt. Alligāt autem one-
ra grauia, & imponunt super humeros hominum, ipsi autem digito suo nolunt ea mo-
uere. Omnia autem faciunt, ut uideantur ab hominibus. Quid est, Sederunt Scribæ, nisi
quia litera scribitur? unde & γραμματεῖς Græcè dicunt Scribæ, literæ sequentes interpre
2. Cor. 3 tationem, non spiritus intellectū: litera autem occidit. Literā ergo occidentem sequen
tes, & ipsa appellatione resonantes Scribę & Phariſæi sunt, hoc est, qui à ueritatis unitā-
te diuisi sunt. Phares enim diuisio dicitur. Diuidunt autem Phariſæi hoc genere, ut uer-
ba legis resonent, & in ipsa meditent, spiritalis autem mysteria legis & sacramenta non
uideant. Nam si lex spiritalis est, utiq; præcepta legis sunt spiritalia, & opera eius spirita-
lia sunt. Docentes ergo quę Moyses scripsit, onera grauia ligāt corporalibus legis. Gra
uia sunt enim quę contraria iugo Christi sunt: & per doctrinā suā deuiā grauia onera im
ponunt auribus audientium, quæ ipsi ne tantum quidem uolunt mouere ut à corpora-
libus legis ad spiritalia scripturæ uerba cōmoueant. Sic enim intelligendum, quia digi-
to suo nolunt mouere illa, hoc est, nec exiguo puncto atq; momento transferunt se ad
Luc. 11 intelligentiam spiritalem. Hinc est & illud quod scriptum est: Quòd si in digito dei ego
ejcio dæmonia. Quid sit digitus, interpretat ipsa scriptura quæ dicit in alio libro Euan-
Matth. 12 gelij: Quod si in spiritu Dei ego ejcio dæmonia. Digitus ergo dei, spiritus dei est. Deus
enim spiritus est, & nihil habet in sua substantia corporale, sed totus est spiritus. In spiri-
Psal. 8 tu dei ejcit dæmonium, qui in digito dei ejcit. Vnde & sanctus Dauid ait: Quoniam ui
debo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Hoc est, spiritus tui opera sunt cœli: sicut &
Ibidem 32 scriptum est: Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Vt
ergo concludamus disputationem, Scribæ & Phariſei nihil ad interiorem hominem re-
ferunt, qui ut ipse ad imaginem dei & similitudinem factus est: ita in ijs quæ cogitat, &
quæ meditatur, debet magis quæ spiritalia sunt quàm quæ carnalia cogitare. Totum er-
go ad illum exteriorem, ad illum terrenum hominem referre cōtendunt: & ideo omnia
Matth. 6 eorum talia sunt, ut uideantur ab hominibus, non ut placeant patri qui in abscondito ui
det. Timent enim sua opera reuelare. Hæc est ergo cōmotio capitis quæ facta est in po-
pulis: uel, sicut Aquila & Symmachus dixerūt, in Gentibus. Omnes enim Gentes mo-
uerunt caput suum ut legem spiritaliter interpretarentur. Nemo secūdum literam legis
se putet esse saluandum: quia litera legis maledictum habet, spiritus benedictionem af-
fert. Nemo ex operibus legis iustificari potest: quia sub maledicto sunt omnes, qui sub li
tera sunt. Fugiant ergo omnes maledictum legis, & confugiant ad benedictionis gra-
tiam: ut benedictionem habeant in cœlestibus in Christo Iesu, qui mortuus est pro nō-
bis ut fides trāsiret ad Gentes: qui etsi uir fuit antè Synagogæ, nec ipsam deseruit, & nos
redemit. Illam enim non deseruit, ut reliquiæ saluę fierent: nos redemit, eligendo popu-
Rom. 11 los nationum. Hæc ergo electio Gentium, salus Iudæis. Reliquiæ enim non per opera
sua, sed per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Gratia est ergo Christi, quæ & nos rede-
mit, & reliquias uiuificauit. Cōmotio autem capitis facta est in Gentibus: sed ex hac cō-
motione non mediocris mutationis gratiam Iudæi pertulerunt, quorum reliquiæ saluæ
factæ sunt. Sequitur: Tota die uerecundia mea contra me est, & cōfusio uultus mei ope-
ruit me.] Quid est quod interdum ex persona unius, interdum ex persona plurimorum

psalmus hic dicitur? Nam à principio à pluribus cœpit: ut est: Deus auribus nostris audiuimus, & cætera quæ sequuntur. Deinde ait: Tu es ipse rex meus, & deus meus. Ite-
rum, In te inimicos nostros uentilabimus. Et postea: Non enim in arcu meo sperabo. &,
In deo laudabimur tota die. &, Tota die uerecundia mea cõtra me est. Quid sibi uult ista
mutatio? quæ frequenter in psalmis repetitur, sicut & in centesimooctauo psalmo ait:
Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est?
Hoc de uno: sequitur de pluribus: Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & odium
pro dilectione mea. Deinde de uno: Cõstitue super eum peccatorem. Quod uidetur in
centesimooctauo psalmo aliud ad populum Iudæorum referri, aliud ad Iudam prodito
rem. Quando pluraliter dicta, ad populum: quando singulariter, ad Iudam. Hic quoque
possumus dicere, quando pluraliter dicta, ad sanctos: quando singulariter, ad dominum
nostrum Iesum Christum referri: quia æstimari potest & pro pluribus in propheta locu-
tus, & ipse pro se, & ideo dixerit: Verecundia mea contra me est. quæ dicitur ἐντροπή. ἐν-
τροπὴ autẽ est quando uerecundiam uult quis incutere alicui ut inflectat propositũ suum,
sicut est: Descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in deo: liberet nunc eum. Marc. 15
Pulchrè autem ait, Tota die: quia incarnatio domini nostri Iesu Christi lucẽ attulit mun-
do. Dies itaq; incarnationis est. Ambulate dum lucem habetis. &, Abraham diem meũ Ioan. 12
uidit. Ergo hæc uerecundia habet in se confusionem. Vnde & Symmachus: Tota die, in Ibid. 8
quit, confusio mea contra me est. Quę autem confusio Christi, nisi crux, quòd nudus pe-
pendit in ea? Et bene tota die: quia ex quo affixus est cruci, usq; in horam nonam tene- Matt. 15
bræ factæ sunt: & post horam nonam lux refulsit usq; in uesperum. Hic dies ex tribus pri-
mus. Potest tamen & chorus sanctorum pluraliter de se & singulariter loqui. Chorus e- Esa. 29
nim quasi singularem personam habet, sed numerus plurimorũ est: sicut illud est: Popu-
lus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quæ autem est confusio quę
operuit dominum Iesum, cum confusionem peccata faciant? Ipsa sunt enim quæ ope-
riunt peccatorem. Hic autem peccatum non fecit. Sed quemadmodum est confusio ad-
ducens peccatum, ita est confusio quæ peccatum abolet: ut confusio crucis domini no-
stri Iesu Christi, per quã peccata mundant. Est etiã omnis confusio bona quam pro Chri
sti nomine subeas, & admodum gloriosa, si uerbi gratia in persecutione lex sit ut uerbe-
retur Christianus, ut dignitatem amittat, ut careat priuilegio, ut in uincula ducatur. Hęc
utiq; confusio etsi priuilegium non habet, habet gloriam piæ confessionis. Est autem & Luc. 9
Christi confusio, sicut ipse ait: Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam &
ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Bona ergo confusio. Plerisq; tamẽ huiusmo
di confusio Christi amara est, hoc est non credentibus, iucunda credentibus. Siue ergo
uelis, confusionem Christi intellige crucem eius, quæ Iudæis uidebatur esse cõfusio, qui
insultabant ei quasi erubesceret in eo opere in quo publicam operabatur salutem: siue
etiam hanc confusionẽ, quæ ingeri uidebatur à uoce exprobrantis & obloquentis, à fa-
cie inimici & persequentis. Erubescebat enim sic lapsum esse electũ populũ suũ, & con-
fundebat eos apud patrẽ, quorum finis aduenerat. Præsens enim erat filio pater, à quo
nunquam potest filius separari. Et ideo audiebat dicentẽ Iudæis pater: Ecce relinquetur Ibid. 13
uobis domus uestra deserta. Sunt autem qui etiam in cõfusione sua gloriantur, sicut illi
de quibus dicit Apostolus, quia gloria eorum in confusione ipsorum: quibus contraria Rom. 1
est gloria Christi, qui crucem suscepit, nec cõfusionẽ refugit. Quam nos quoq; minimè
timere debemus, nec formidine aut fastidio declinare, ne peccatũ supra nos adducat,
quæ potest adducere gratiã uitæ. Est enim & confusionis gloria: ut si in multos gentiles
incidas uel philosophos, & illi tibi obijciant crucem Christi, & uerbo respondere non
possis, nec salutaria quisquam audiat uerba referentẽ, est cõfusio, sed à uoce exprobran-
tis, & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Et ideo noli respondere insipienti ad Prouer. 26
insipientiam eius. Esto sicut homo mutus & tacens, & quasi non audiens uerba insultan-
tium & obloquentium: non quo respondere nequeas, sed quo respondere non debeas.
Omni enim rei tempus. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tacendum est, quando Eccles 3
paratum non inuenis auditorem: loquendum est, quando dominus linguam eruditio-
nis indulget, ut sermo tuus operetur in affectibus audientiũ. Quomodo autẽ te audiat,
qui ideo tibi obloquitur, eò quòd salubrem tuum nolit audire sermonẽ? Aut quomodo

tibi acquiescat, qui persecutor est, & uelit te sibi uindicare? Aut, ut Aquila dixit uel Symmachus, ut ulciscatur & puniat in te q̃ Christi hæreditas ad Gentes uideatur esse transfusa? Longè itaq; ista confusio à confusione & opprobrio peccatoris. Istius enim conscientia illuminatur, qui oblitus non est dei sui: illorum confunditur, quorum ingenium caligat atq; perturbat recordatio delictorum. Et ideo bene sibi conscij dicunt: Hæc omnia uenerunt super nos, & obliti non sumus te, & iniquè non egimus in testamẽto tuo, & non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras de uia tua. Videtur uersiculus ultimus non concordare superioribus. Nam quomodo declinarunt ij quibus diuinitatis nulla obrepsit obliuio, nec alicuius iniquitatis cõscientia, nec ulla desidiæ? Sed

1. Pet. 4 si consideres quia iustus uix saluus fit, intelligis profectò & ipsius nonnunquam titubare uestigia, & autorem declinationis eorum deum uideri: quia ipse quoque patitur iustos sæpe tentari, quo magis probentur tentationibus eruditi. Quis est autem tam fortis, ut nequaq; in tentatione moueatur, nisi dominus adiutor ei adsistat? Denicq;

Psal. 29 batus est & ipse propheta Dauid, quia dixit in sua abundantia, Non mouebor in æternum. Aut quis est ille quem locus afflictationis, & terræ corruptela non moueat, quum diuina sententia neminem exceperit qui sit ab exercitio & à fatigatione terræ huius immunis, cui dictum est: Maledicta terra in omnibus operibus tuis: Spinas, inquit, & tri-

Gen. 3 bulos germinabit. Denicq; ipse Paulus dominicæ uas electionis, à maledictione ueteris

Rom. 7 sententiæ absolutus domini Iesu passione, tamen captiuum se duci in legem peccati uehementissimè deplorauit, nec quenquam nisi Christum à quo liberaretur inuenit, cum eũ lex sui corporis & umbra mortis urgeret. Diximus sensum: sed expressius qui locus sit afflictationis, considerare nos conuenit. Vtrum hic mundus, qui in maligno positus

1. Ioan. 5 est, an uerò caro nostra, in qua anima nostra humiliatur, dum in istius carnis desecẽdit societatem: an aduersa quibus exercemur in hoc corpore constituti, in quo ingemiscimus grauati, quod nolumus spoliari, sed superuestiri. Grauis em̃ labor est dum expectamus ut absorbeat̃ mortale hoc à uita, quo nos expoliare debemus. Minore enim labore expoliatur, quàm absorbet̃. Et uide ne ea diuersitas sit expoliantis se & expectantis ut absorbeatur à uita. Expoliat gratia, absorbet pœnitentia. Expoliat sublimitas mẽtis, absorbet diligentia. Quomodo autẽ dubites q̃ afflictationis hic locus sit, quando corpus est mortis, in quo operit nos etiam umbra mortis? Et ideo ad lucernam illam semper debemus intendere, quæ est uerbum dei, ut sciamus quemadmodũ nostri animi semitas dirigamus, & uestigia mentis internæ, ut lux animorũ soluat tenebras corporales. Pulchrè aũt Aquilę interpretatio quemadmodũ intelligere debeamus locum afflictationis, expressit, dicendo: Quoniã humiliasti nos in loco Sirenum, ut non caro in uitio sit sui natura, sed ea quæ carnẽ corruptibilem esse fecerunt. Denicq; Sirenas, quarum secundo & tertio mentionem fecit scriptura diuina, quasdam fuisse puellas Gentilis tradit historia, quæ uocis suauitate, canendi illecebris, audiendiq; studio illectos nauigantes ad littus admouere nauigia prouocabant: eosq; (cum gratiam uocis sequerent̃) scopuloso in loco naufragiũ facere solitos uetustas posteris tradidit. Earũ aũt interpretatio hæc est, uoluptas uocis, & quædam adulatio. Ita ergo seculi uoluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat. Vt ergo illic non littus in uitio erat, sed canora dulcedo, quę faciebat asperitatẽ littoris nõ caueri: ita non caro in uitio, sed ea quibus caro ista solicitat̃ & fluctuat. Denicq; mare, si tempestas desit, quietũ est: si procella sæuit, periculosum. Et septuaginta uirorũ uidet̃ cum his sententia conuenire, cũ dicunt quia scriptũ est: Quoniã humiliasti nos. Cuius interpretationis testimonia de scripturis nobis arcessenda di-

Deut. 21 uinis. Ait enim Deuteronomium: Si exieris, inquit, in pugnam aduersus inimicos tuos, & tradiderit tibi eos dñs deus tuus in manus tuas, & deprædatus fueris spolia eorũ, & uideris in ea deprædatione mulierẽ bona specie, & cohabitaueris cũ ea. & infrà: Si noueris eam postea, dimittes eam liberã, quia humiliasti eam. Vides ergo quoniã non naturæ sui eam, sed is qui ei integritatẽ pudoris eripuit, humiliasse perhibet̃. Humilitas ergo operis est, per quod caro ista, peccati corpus effecta est, & locus afflictationis. Iterũ alibi:

Ibidem 22 Si desponsata fuerit uirgo uiro, & inueniens eam homo in ciuitate, dormierit cũ ea, educẽtur ambo ad portã ciuitatis suæ, & lapidabunt̃, & moriet̃ iuuencula, quia nõ exclamauit in ciuitate, nec inuocauit hominẽ qui subueniret: & uir, inquit, qui humiliauit mulierem

rem proximi sui. Et hic eadem est huius causa sermonis, ut à corruptore humiliata dicatur. Tertium quoq; habes de hac re testimonium, & plura, si quæras. tamen de eodem libro audi: Si quis inuenerit uirginem quæ non fuerit desponsata, & uim faciēs ei, dormiet cum ea, & inuentus fuerit, dabit qui dormierit cum ea, patri iuuenculæ quinquaginta denarios, & erit uxor eius, quia humiliauit eam: nec poterit dimittere eam per omne tēpus, propter quod humiliauit eam. Ipse sermo repetitus est, ut intelligas quia nō contis humilietur & caro, loco ipso, illecebris ipsis, fragilitate quoq; qua patuit errori. Licet enim non à mediocri aduersario serpente decepta sit, habebat tamen sui non mediocrē gratiam, antequam peccatum irreperet: in conspectu erat dei Adam, in paradiso uigebat, cœlesti gratia refulgebat, loquebatur cum deo. Nunquid eum humiliatum ante legisti, nisi posteaq; præuaricatio eum humiliauit suas? Cuius uitij hæreditatem ad nos usque transmisit, ut in hoc corpore constituti nolimus peregrinari de corpore, & adesse deo. Et ideo humiliamus animam nostram quæ se ad deum gestit attollere, sed corrupti bile hoc corpus grauat animā, terrenaq; habitacula præponderant, ut mens deuota deo frequenter inclinetur ad seculum, nec se subijcere deo possit: quoniam subiectionē sui sapiētia carnis ignorat, quę nostrū inuoluit affectū. Dicētes hęc de nobis, quid de carne domini nostri Iesu Christi dicemus? Qui utiq; susceperit carnis istius ueritatem: & ideo semetipsum humiliauit usq; ad mortem, mortem autem crucis. Diligenter attende, & considera singula. Vide quia uolens susceperit hanc formam corporis nostri, & tuæ obsequia seruitutis, in similitudinem hominum factus, non in similitudinem carnis, sed in similitudinem hominum peccatorum. Omnis enim homo sub peccato. Ideo & specie inuentus ut homo, ut scriptum est de eo: Et homo est, & quis cognoscet eum? Homo secundum carnem, sed ultra hominem secundum operationem. Vt homo, inquit, humiliauit semetipsum: quia ad eos deus uenit qui humiliati fuerant, liberandos. Ipse se ergo humiliauit propter nos. Non ergo corpus illius corpus mortis: siquidem corpus est uitæ. Nec caro illius, umbra mortis: siquidem fulgor est gloriæ. Nec in eo locus afflictationis: siquidem in illo corpore omnibus gratia consolationis. Humiliauit se, ut disceres quid sit humilitas. Denique audi dicentem: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ille se humiliauit, ut tu exaltareris. Qui enim se humiliat, exaltabitur. Sed non omnes qui humiliantur, exaltabuntur. Multos enim crimen humiliat ad ruinam. Humiliatus est autem dominus usque ad mortem, ut de portis mortis exaltaremur. Ecce, uide gratiam Christi, uide beneficia eius. Posteaquam Christus aduenit, hæc caro quæ erat umbra mortis, cœpit per gratiam domini refulgere, & habere lumen proprium. unde & dictum est: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Sed uide de quo oculo dicat: non de exteriore, sed de interiore. Si oculus, inquit, tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Interior utiq; est oculus, qui totum hominis corpus illuminat. Interior est etiam oculus, qui affert toti corpori cæcitatem: quia scriptū est, Si aūt nequam fuerit oculus tuus, totū corpus tuum tenebrosum erit. Videns in uno homine unde tenebræ nascant, unde lumen oriatur. Ipse ergo tibi es caligo, uel lumen. Caligo, iniquitatis est: tenebræ, peccatorum, lumen, innocentiæ. Ipse tibi ergo es uel iniuriæ autor, uel gratiæ. Operatio diuina nihil errat. Lumen in teipso est, quia innocēs infantia tua est. Pura mens hominis ante adolescentiæ lubricū, & iuuentutis errorem. Tu tibi ergo tenebras fecisti esse quod lumen est. Deniq; idem oculus, hoc est, sensus hominis, tenebrosus est in peccatore, splendidus in innocente. Nec illud prætereamus quod Symmachus ait: Afflixisti nos in loco deserto. Ideo affligimur, quia interdum destituimur protectiōe cœlesti: & regio ista sub maledicto est, uel in lubrico seculari. Necdum quoq; benedixerat terrā suam dominus noster Iesus Christus: & ideo laborabant, nec ad lumē pietatis eius oculorum spiritaliū intendebatur obtutus. Deinde quia uoluptas & delectatio mundi frequēter irrepit. Vn de non uinculis hominis illius ligare nos atq; uincire debemus, nec cera aures claudere, sed auertere aurem quotiescunq; aliena à fide, & contraria uel aduersa utilitati nostræ aliquis existimat obloquenda, ne in eo sermone operiat nos umbra mortis. & si quid tale profertur, nos tamen dei uerbum debemus inserere, quod mentis nostræ oculos fulgore disputationis illuminet. Sequitur: Si obliti sumus nomen dei nostri, & si expandimus

Deut. 22

Sap. 9

Philip. 2

Ibidem.

Matt. 11
Luc. 14

Ibid. 11

Ibidem.

manus nostras ad deos alienos: nónne deus requiret ista?] Aquila: Inuestigabit ista, dixit. Symmachus, Inueniet ista. Ipse enim nouit occulta cordis. quia propter te morte afficimur tota die: æstimati sumus ut oues occisiõis.] Quid est q̃d ait, Requiret deus? Quasi non requirat, ignoret? Et sic requiret deus obliuionẽ tuam quæ irrepsit, ut auferat eius omne uestigium. Vnde & Aquila dixit, Inuestigabit. Nam utiq; qui nouit cordis occulta, quomodo quærit: cui etiam ea quæ sunt interiora, manifesta sunt? Siquidẽ apud deũ conscientia uniuscuiusq; se prodit, & cogitatio hominis apud eum se aut cõdemnat, aut purgat. Denique Aquila uisiones cordis dixit, eò quòd uideat cor nostrum, & omnis nostri cogitatio cordis in promptu sit apud deum, atq; ei cogitationum nostrarum imago resplendeat. Bene illud ait Aquila, In te morte afficimur: quoniã in Christo mori, arduũ & glorioſum. & in ipso moritur, qui pro eius nomine sacra passione est coronatus. Sed quid miraris quòd requirentem deum occulta cordis uersiculus iste declaret, cum alibi

Sap. 1 deum scrutatorem legeris cordis? Quid etiam miraris si uerbis nostris maiestas diuinæ

1. Cor. 4 substantiæ explicari non possit, cum ait Apostolus: Nolite ante tempus quid iudicare, donec ueniat dñs, qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium; & tunc laus erit unicuiq; à deo? Tenebras cordis sępe loco criminis legimus, imò propè ubiq;. Vide ergo ne ista sint occulta tenebrarum, quæ sunt cordis occulta: ideoq; tenebrarum nomen acceperint, quòd ea ab alijs non deprehendãtur, sed lateant. Et ideo dominus in die iudicij illuminaturus asseritur occulta tenebrarum: quia cor uniuscuiusque manifestabitur, quod antè occultum erat, soli quidem Christo cognitum, qui sciens iudi-

Matth. 10 cij sui gratiam ait: Nihil est occultum quod non manifestabitur. Sunt aũt multa quę propter uerecundiam premimus, & ut impleamus cœleste mandatum, tacito apud nos tenemus affectu, ne uideamur in ijs quæ nostra sunt gloriari, & eorum fructum uulgando incipiamus amittere. Sunt aũt occulta sapientiæ, quæ raptus in paradiso apostolus Pau-

2. Cor. 12 lus audiuit: & quia non licebat ea homini loqui, apud se tegebat: non quia usum eorum aut gratiam alijs inuideret, sed quia non licebat homini loqui, fortè etiam homini audire non proderat: quæ tunc illuminabit dominus, cum illuminandorũ secretorũ tempus aduenerit. Vide ne etiam in Euangelio distantiam aliquam reperias, ubi dixit: Nihil occultum, quod non manifestabitur: neq; opertum, quod non reuelabitur. Illud tamen ad-

2. Tim. 2 stipulatur ad superiorẽ interpretationem, ut utrumq; de bonis esse credamus, quia scriptũ est: Cognoscit dominus quæ sunt ipsius. Suos ergo cognoscit, & eos cognoscit qui cognoscunt deum. Ignorat aũt eos qui ignorant deum. Qui enim ignorat, ignorabitur. Dominus ergo quæ bona sunt recognoscit: ea quę sunt plena cognitiõis diuinæ, ea quę sunt occulta sapientiæ, nouit dominus. Auersatur autẽ ea quę sunt plena iniquitatis atq; peccati. Denique si istorũ personam consideres, quos nulla diuini cultus obliuio separauit, ut alieno deo expanderent suas manus, atq; aperire suas animas noluerũt, intelligis quòd in occultis suis nõflagitia aliqua erant, sed ea quæ essent innocẽtiæ continebant: quandoquidem morte afficiebanť pro dei cultu, totaq; die uersabanť in morte, sicut uer-

1. Cor. 15 sabaťr & Paulus, qui ait: Quotidie morior per uestrã gloriã. Et uerè quotidie Paulus moriebatur secundum carnem, in ieiunijs, in naufragijs, in diuersis periculis, in miserijs constitutus: sed non totus moriebatur. Moriebatur homo eius exterior, sed renouabatťr interior: & ideo nõ deficiebat cum tot periculis urgeretur: quia etsi exterior homo eius corrumpebatur, interior renouabatť de die in diem: quia diem sibi uniuscuiusq; fides & gra-

2. Cor. 4 tia operationis illuminat. Vnde nec Paulus apostolus nocte m sciebat: quia qui renouatur, semper in luce est. An tibi non uidetur in luce, qui Christi in se continet charitatem?

Rom. 8 Et ideo immolationis securus dura non refugit: nec eum persecutio ulla, aut fames, aut gladius potest à Christo domino separare, quem uincula diuinæ charitatis adstringunt. Interim tamen etiam in bonis operibus mens humana turbatur, & tentationibus quatitur. Tamen & hoc iustorum est, ut cum se tentari uiderint, adiumentum deposcant, sicut

Matt. 8 Apostoli in Euangelio cum Christus dormiret in naui, tempestatẽ fluctuũ formidantes excitauerũt dominũ Iesum, ut ab his formidinẽ propulsaret. Nónne tibi uidenť tunc sancti Apostoli istos dixisse uersiculos: Exurge, quare obdormis dñe? exurge & ne repellas usq; in finem. Certè & si litera distare uideatur, concordat sentẽtia. Neq; uerò uel in corpore constitutus ita dormiebat dominus noster Iesus Christus, ut ignoraret tẽpestatem maris,

maris,& exorta procella uentorum cognitionem eius per altitudinem ſoporis excederet.Dormiebat corpore, ſed uirtute uigilabat. Et diſpoſitio illa fuit ut aſcenderet in nauem dei filius,dei uerbum:aſcenderent etiam ſimul diſcipuli ſui:quos remiſſos & negligentes eſſe nõ paſſus, quaſi de domini præſentia & fauore ſecuros, ſomno corporis ſeſe compoſuit.Ergo illa ſpecie ſomni,dormire ſe mundo huic,apoſtolis uerbũ dei demonſtrabat.Vigilabat tamen eius poteſtas & prouidentia,quæ excitauit tempeſtatẽ in marí,ut nauis propemodũ inſurgentibus fluctibus operiretur: qua diſcipuli tẽpeſtate turbati,utrũ ſalubris conſilij ſe prouiſione fulcirent,an uerò remedium excederent,cognoſceretur.Sed illis quibus Ieſus non dormiebat,uigilabat fides: & ideo ſurgentes excitauerunt dominũ Ieſum,dicentes:Domine,ſalua nos,perimus. Vide etiam ſi illud diſcrepat ab Euangelio quod de Iona legimus,qui dormiebat in uentre nauis,& ſtertebat: in quo ſacræ paſſionis figura præceſſit.Sicut enim Ionas dormiebat in naui, & ſtertebat ſecurus,quaſi non metuens deprehendí:ita dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui figuram illam ſacramento ſuæ mortis impleuit,tempore Euangelij in naui dormiuit. Et ſicut ille tribus diebus & tribus noctibus fuit in uentre ceti: ita filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ, in ſui corporis paſſione. Qui ubi ſe excitauit à morte, & ſomnũ ſui corporis relaxauit,ut pro ſalute reſurgeret uniuerſorũ,diſcipulos uiſitauit. Hic eſt ergo uerus Ionas,qui obtulit animam ſuam redemptionẽ pro nobis. Propterea ergo ſublatus eſt & miſſus in mare,ut exciperetur & deuoraretur à ceto, quo intra aluũ ceti poſitus eius interiora uacuaret.De quo ceto hoc dictum ſit,audi Iob dicẽtem: Qui habet,inquit,magnum cetum captiuum reddere.Quis iſte eſt? Vtíq; cognoſcis cũ legis quòd dominus noſter Ieſus Chriſtus captiuam duxerit captiuitatem.Deuicto enim aduerſario & inimico,nos qui captiui eramus,cœpimus libertatẽ poſſidere per Chriſtum. Deníq; ipſa oratio ſancti Ionæ docet dominicæ paſſionis eſſe myſteria, cum dixit: Clamaui,inquit,ad dominũ meum in tribulatione mea,& audiuit me de uentre inferni. Videſ quia inferni uentrem dixit, non ceti? Dominus autem non in cetum, ſed in infernũ deſcendit:ut & illí qui in infernis erant,à perpetuis uinculis ſoluerentur. Deníq; pleríq; etiam reſurrexerunt. Quæ autem flumina circundederunt Ionam,aut de qua abyſſo dixit Ionas: Abyſſus circundedit me nouiſſima, merſit caput meum in fiſſuras montium, deſcendí in terram,cuius ſeræ ſunt continentes æternales? Vtíq; hoc ad perſonam Ionæ non quadrat & conuenit,Filius autem dei deſcendit in fiſſuras montiũ, quando deſcendit in tumulum. Ipſum enim Ioſeph (ſicut Euangelium docet)poſuit in monumẽto ſuo nouo,quod excidit in petra,& aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumẽti. Deníq; & in alio libro:Poſuit,inquit,eum in monumento exciſo,in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.Quis aũt eſt qui cũ uoce laudis & confeſſionis domino ſacrificauit,niſi princeps omnium ſacerdotum,qui & uota pro omnibus uouit,& reddidit? Solus enim affectus ſui habuit poteſtatem.Sicut enim Ionas miſſus eſt in mare, & quieuit mare à cõmotione ſua:ita dominus noſter Ieſus Chriſtus uenit in hunc mundum,ut mundum lucrifaceret,& ſanguine ſuo omnia pacificaret,ſiue terrena,ſiue cœleſtia. Aduentu igitur ſuo redemit uniuerſos homines,& prouocauit ad dei cultũ operibus ſuis, cum mortuos reſuſcitaret,ſanaret infirmos,timorem dei humanis infundens affectibus.Ipſe eſt qui ſacrificauit domino ſacrificiũ ſalutare pro uobis, & dignas conuerſionis noſtræ hoſtias deo obtulit.Ipſe eſt qui dormiuit,& euigilauit.Cauendum eſt ergo, ne obdormiat peccatoribus.Obdormire enim uidetur íjs quibus nõ reſurrexerit,& quos in finẽ repellit. Quis aũt eſt qui repellitur,niſi qui peregrinatur à domino,quia non peregrinatur à corpore? Quomodo enim poſſunt deo placere qui in carne ſunt? Et ideo non in carne ſimus, ſed ſpiritu adhæreamus domino Ieſu, qui ſe in octogeſimo & octauo pſalmo repulſum dicit pro nobis. Tu uerò repuliſti pro nihilo,diſtuliſti Chriſtum tuum, euertiſti teſtamentum ſerui tui.Itaque repulſus pro nobis factus eſt in opprobriũ uicinis ſuis. Ille enim ſuſcepit opprobrium crucis, ut nos gloriã ſuæ reſurrectionis indueret. Repulſus uidetur quaſi mortuus,& perfuſus confuſione quaſi crucifixus:ſed benedictus eſt in ęternũ,qui maledictionem ſuſtulit,& benedictionis gratiam comparauit.Sequitur: Quare faciem tuam auertis?] Auertere à nobis deum faciem ſuam putamus, quãdo ſumus in aliquib. afflictionibus conſtituti,ut tenebræ noſtro offundant affectui,quibus impediti fulgorẽ

Matth.8
Ionæ 1
Matt.12
1.Tim.2
Iob 3
Apoc.70
Pſal.67
Ionæ 2
Matt.27
Ioan.19

uerítatís oculís noſtrís haurire nequeamus. Etenim ſi in noſtrum deus íntẽdat ingeniũ, & noſtram mentem uíſitare dignetur, certi ſumus quòd nulla res nobís caliginẽ poſſit obducere. Etenim ſi uultus hominís cęteris membrorũ partibus plus refulget: & quemcunque íntuemur, uel íncognitum agnoſcimus, uel cognitum recognoſcimus, quem a-
ſpectus noſter latere non patitur: quanto magís dei uultus quem ſpectat illuminat? De
quo ut cætera eíus ſunt, ita & hoc præclarũ ſancti Apoſtoli, qui uerè interpres eſt Chri-
2. Cor. 4 ſti, ut aptiore eum ſenſu & ſermone noſtrís ínfunderet mẽtibus. Vnde aít: Quoniã deus
qui díxit de tenebrís lumen ſplendeſcere, illuxit ín cordibus noſtrís ad illuminationem
ſcięntiæ clarítatis dñí ín facíe Chriſti Ieſu. Vbi igíť ín nobís reluceat Chriſtus, audiuimus.
Eſt enim fulgor æternus animorum: quem ídeo pater miſit in terras, ut ín eíus illumina-
ti uultu, æterna & cœleſtía ſpectare poſſimus, qui antè terrena calígine tenebamur.
Quíd de Chriſto loquar? cum etiam Petrus apoſtolus díxerít ad illum claudum exute-
Act. 3 ro matrís ſuæ: Reſpíce ín nos. qui reſpexit ín Petrũ, & fidei illumínatus eſt gratia. Neq;
enim accepiſſet remedium ſanitatís, niſi fideliter credidiſſet. Vnde cũ tanta gloria eſſet
Luc. 19 in Apoſtolís, audiens tranſire dominũ Ieſum Zachæus, aſcendit ín arborem, quía exi-
guus & puſillus ín turba eum uídere non poterat. Vidit Chriſtum, & lumen ínuenit. Vi-
dit eum: & qui antè aliena rapiebat, ſua contulit. Meritò ergo dícunt iſti: Quare faciem
tuam auertís? Aut fortaſſe propterea dícitur, quía deſiderantib. Chriſti moram faciebat
aduentus. Ipſe enim eſt uultus patrís, qui eſt ímago & gloría dei. Certè ſi non ad íncarna-
tionís eíus hoc accípimus ſacramentũ, rectè etiam íllud uſurpant ſancti, dicẽtes: Quare
Pſal. 4 faciem tuam auertís? hoc eſt: Etſi auertís domine faciem tuam à nobís, tamen ſignatum
eſt ín nobís lumen uultus tui dñe. Tenemus íllud ín cordibus noſtrís, & ín íntímo ſplen-
ibid. 103 det affectu. Neq; enim quiſquam poteſt ſubſiſtere, ſi tu auertas faciem tuam. Omnia eñ
à te expectant, ut tu des íllís cíbum ín tempore. Dante te hís, colligent: aperiente te ma-
num tuam, uniuerſa ímplebuntur bonítate: auertente autem te faciem, turbabunť. Aufe-
res ſpíritum eorum, & deficient, & ín puluerem ſuum cõuertenť. Emíttes ſpíritum tuũ,
& creabuntur: & renouabis faciem terræ. Agnoſcis quæ ſit eſca quam deus hominibus
ſubminiſtrat? Ipſe eſt cíbus quem ſecundum uoluntatẽ patrís unígenitus filíus eíus do-
Ioan. 4 minus noſter epulatur, ſicut ípſe aít: Meus cíbus eſt ut faciam uolũtatem patrís mei qui
ín cœlís eſt. Hic cíbus nobis eſt ſalutarís, & omnía dei ſunt ſalutaría. Audís quædam dei
membra: cognoſce uírtutes. Manus quíppe eíus, plenitudo bonítatís eſt: facies eíus, illu-
mínatio mentis eſt. Et ídeo ſemper ab eo ſperemus, in ípſum uota noſtra & omnía ſtu-
dia dirigamus: nec deſperemus, etſi corporaliter eum uídere non poſſumus. Neq; enim
Exod. 33 deſperauit Moyſes, cui dictum eſt: Non potes uídere faciem meam. nõ enim uidebit ſa-
ciem meam homo, & uíuet. Et addidit: Ecce locus apud me. ſtabís in petra: et cum tranſ-
ierit gloría mea, ponam te in cauernam petrę, et operíam te manu mea donec tranſeam:
& tollam manum meam, & uídebís poſteriora mea: faciem aũt meam uídere non pote-
rís. Non ergo uídetur ab homine facies dei. Eſt tamen locus in quo fide ſe monſtret ho-
mini deus. Eſt hic locus apud deũ: & ídeo ſi ſteterimus in petra, id eſt, in carnis iſtius con-
ſcientia, & fidei firmítate, etſi plenitudínem eíus uídere non poſſumus, tamen quantum
poſſumus quaſi reliquías eíus luminís hauríemus. Neq; enim Moyſes totam díuinitatis
eíus plenitudinẽ uídit, quæ habitat ín Chriſto corporaliter, ſed uídit poſteriora Chriſti:
uídit ſplendorẽ eíus ut homo, uídit eíus gloríam paſſionís, per quam regnũ nobis cœle-
ſte reſerauit. Aquíla aũt: Quare faciẽ tuam abſcondís? poſuit, ſed etiam cæteri. quod ui-
detur conuenire cum Moyſi dictís, qui aít: Demonſtra te mihi. quaſi díceret: Noli uultũ
tuũ mihi abſcondere, ſed magis demonſtra uídere cupienti. Et addidit: Obliuíſceris, in-
quít, inopiam noſtram, et tribulationem noſtram.] De qua inopía dicit ſanctus ꝓpheta
quòd in oblíuionem uenerit dei? Aut quæ eſt iſta inopía, quam excidiſſe dño cõqueríť?
Non ocioſa iſta eſt inopía, niſi fortè ea quæ protectorem deum & remuneratorẽ habe-
re conſueuerit. Si enim eſt inopia, cui patet regnum cœlorũ, rectè iſtí inopíam ſuam dí-
uínis excidiſſe ſenſibus arbitrantur, qui animam ſuam humíliatam ín puluere deplora-
bant, & uentrẽ ſuum ín terra hærere dicebant. Qui aũt in terra hærent, uídentur díuina
Matt. 5 protectiõe priuarí. Quæ ſit ergo iſta inopía, audí: Beatí enim pauperes ſpíritu: ipſorum
enim eſt regnum cœlorum. Si ergo beata paupertas eſt, cui patet cœlum, terrenas iſtas

díuítias

diuitias negligamus, corporalem redundantiam declinemus. Sequamur uestigia Apostolorum, ante quorum pedes unusquisq; quod habebat pecuniæ ex suorũ agrorum precio, conferebat, ut pauperibus dispensaretur. Istam igitur inopiã Euangelicã hi sancti uiri multo antè exercere cœperant, & ideo dicebant: Obliuisceris inopiã nostrã. Tale est hoc, quale illud Apostolicũ: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Bona ergo paupertas, quæ à pietate procedit, & uirtutũ exercitatione suscipitur. Nec solũ inopiam sed etiam tribulationẽ suam in obliuionem deo uenisse deplorant. Bonæ sunt & tribulationes, quæ sunt propriæ iustorũ: qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinẽt: in quibus iustus nõ atteritur, sed dilatatur: sicut sanctus Propheta declarat dicens: In tribulatione dilatasti mihi. Et ipse dominus Iesus ait: In tribulatione inuocaui dominũ, & exaudiuit me in latitudinem. Dilatauit sancto Apostolo Paulo, quando ei oculorum lumẽ eripuit. Ita enim confessus est Christum, quẽ negabat antea. Ideo uas electionis esse promeruit. Denicq; ut scias quia dilatauit Paulo dominus Iesus, audi ipsum Apostolum dicentem: Os nostrum patet ad uos ô Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Aperi ergo os confitere Christum: quia plenitudo est, ubi plenitudo, ibi etiam latitudo. Et quasi bonus magister, qui discipulos habere optaret æquales, nos quoq; hortatus est ut dilataremur, dicens: Dilatamini & uos. Cum autem deus alicui in tribulatione dilatat, tunc fiet latitudo cordis sicut arena maris innumerabilis. Quæ sit ista latitudo, audi dicentem sanctũ Salomonem: Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & uenit in me spiritus sapientiæ. Vt enim acciperet sapientiam à deo, non diuitias, non nobilitatem, non potestatem sed sapientiam postulauit: & in illa omnia quæ etiam non postulauit inuenit. Vnde scriptura dicit, quia talis erat latitudo cordis eius sicut arena maris innumerabilis. Vnde hanc percipias latitudinem, ait de se ipse cognoscens: In latitudine cordis tui describe eam. Et ideo qui habet sapientiam, non in occulto teneat eam, nõ ad momentũ, sed canat eam in exitu: ubiq; quod sentit, cum auctoritate prædicet. Symmachus autẽ pro tribulatione afflictationem posuit. Siue tamen afflictatio sit, siue tribulatio, opus est ut nos maneamus in domino, nec ab eodẽ recedamus: quoniã præsule domino & assistente nobis omne certamen fortiter possumus sustinere. Si autem dominum negligamus, & longe nos faciamus à domino, facimus nobis aduersarium fortiorem.

Ibidem. 19

Psalm. 4

Psalm. 117

Act. 10

2. Cor. 6

Ibidem.

Sapien. 7

3. Reg. 4

Prouer. 3

In Psalmi quadragesimiquinti enarrationem præfatio.

TItulus Psalmi huius ita inscribitur: In finem pro filijs Chore pro occultis Psalmus ipsi Dauid.] Quid est pro occultis? Occultorum habuisse se cognitionem per reuelationẽ domini Iesu, in quinquagesimo quoq; Psalmo sanctus propheta commemorat dicens: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quæ autem illa sint occulta, in Euangelio sancto docemur, dicente dei filio, quòd mysteria sapientiæ abscondita sint sapientibus, & paruulis reuelata. Hæc sunt illa, ni fallor, quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit dominus diligentibus eum. Ergo in occultis cordis nostri occulta sapientiæ recondamus, nõ temere aliquibus diuulgemus, nisi sacramentorum consortibus, quos dominus uocauit ad gratiam suam, qui se in abscondito uult rogari, quoniã solus est qui abscondita & occulta cognoscat. Denicq; ipse dominus Iesus ad percipiendam legem solum Moysen, nõ absq; Iesu tamen, in montem uoluit ascendere. In Euangelio quoq; Petro, Ioanni, & Iacobo solis ex omni numero discipulorum resurrectionis suæ gloriam reuelauit. Ita occultum suũ uoluit esse mysterium: & admonebat frequenter, ne cui facile quæ uiderant annunciarent, ne offendiculum quisquam subiret infirmior, qui uim sacramentorum fluctuanti ingenio haurire non posset. Denicq; ipse Petrus nesciebat quid diceret, qui tria tabernacula domino & seruulis crederet esse facienda. Deinde fulgorem gloriæ domini transfigurantis se sustinere non potuit: sed in terram cecidit, ceciderũt & filij tonitrui Iacobus & Ioannes, & nubes operuit eos: nec potuerunt surgere, nisi postquam Iesus uenit, & tetigit eos, & iussit ut surgerent, & formidinẽ sequestrarent. Introierũt ergo in nubem, ut abdita & occulta cognoscerẽt: atq; ibi audierunt uocem dei dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo cõplacui: ipsum audite. Quid est, Hic est filius meus dilectus? Hoc est, noli errare Simon, ut seruulis filium dei cõferendum putes: Hic est filius meus. Non Moyses filius, non Helias filius: quamuis alter aperuerit mare, alter clauserit cœ-

Matth. 11

1. Cor. 2

Matth. 17

Ibidem.

lum. In uerbo enim domini uterq; naturam uicit elementi: sed illi ministerium præbuerunt, hic est qui solidauit aquas, cœlũ siccitate clausit, & quando uoluit, in imbres resoluit. Vbi testimonium resurrectionis adscisitur, adstipulantur ministeria seruulorũ. Vbi gloria domini regentis ostenditur, seruulis splendor absconditur. Nanq; ipsos stellarum globos sol exortus obducit, & omnia earum lumina mundano sub sole uanescunt. Quomodo ergo sub æterno sole iustitiæ atq; illo fulgore diuino uideri poterant stellæ carnales? Vbi ergo sunt illa lumina quæ nostris antè oculis quodam miraculo refulgebant? Tenebræ sunt uniuersa, comparatione lucis æternę. Alij ministerijs suis deo placere festinent: hic solus est uerum lumen & æternũ, in quo pater complacet, uel in quo beneplacitũ est mihi, ut meum sit quicquid hic fecit: & quicquid ego feci, filij opus esse iu-
Ioan. 10 re credatur. Ipsum audite, dicentem: Ego & pater unum sumus. Non dixit, Ego & Moyses unum sumus. Non dixit sibi & Heliæ ullum diuinę glorię esse consortium. Quid tria tabernacula præparatis? Non in terris habet iste tabernaculum, sed in cœlo. Audierunt Apostoli, & ceciderunt pauore turbati. Venit dominus, & leuauit eos, & iussit ne cui dicerent quod uidissent. Huic ergo tua occulta seruato, cui Dauid sua occulta mandabat,
Psal. 18 dicens: Ab occultis meis munda me domine. Munda enim debent esse receptacula, in
Prouer. 5 quibus sunt pietatis occulta mysteria. Et ideo tibi dicitur: Bibe aquã de uasis tuis, & de
Ibidem. 3 puteorũ tuorũ fontibus: & in plateis superfluant aquæ tuę, ut irriguo fonte munderis. I-
Psal. 17 deo tibi dicitur: Vino torcularia tua redundẽt. Ideo dicitur: In tribulatione inuocasti me & liberaui te, & exaudiui te in absconditο tẽpestatis: probaui te in aqua contradictionis. Est enim quædã in tribulationibus interna peccatorũ sæua tempestas, quando sunt foris pugnæ, intus timores. Est aqua contradictionis, quando uelut quodã maritimi fluctus æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ulla in profundo mentiũ definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in absconditο, tunc aqua cõtradictionis, quæ solo posteſt Christi sermone sedari, quo peccata nobis nostra dimittit, secundũ quod ipse dignatus est dicere: Iam uos mundi estis propter sermonem quẽ locutus sum uobis. Loquere
Ioan. 15 domine Iesu: uerbum tuũ medicina est, uerbum tuum lumen est, uerbum tuũ nostræ collutionis ablutio est, uerbũ tuũ fons est. Tu loqueris, & culpa lauatur. Et quia de absconditο tempestatis & de aqua contradictionis ductus est sermo, omnia nobis factum est
Prouer. 18 dei uerbũ. Caro factum est, ut carnem seruaret. Aqua factũ est, ut aquam contradictionis suа gratia temperaret, & amaritudinem impietatis auferret. Ideoq; scriptum est: Aqua altа uerbum in corde uiri. Alibi uerbum, alibi iterum consilium. Ibi enim bonũ consiliũ ubi bonum est dei uerbum. Et ideo tibi lex dicit: Attende tibi ne fiat tibi uerbum malũ
Matth. 9 in corde tuo: & dicat Iesus: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Misit enim deus uerbum suum ut sanaret hominem, non ut perderet. Hoc uerbum medicina est, non pœna. Hoc uerbum in corde tuo & in ore sit tuo. Hoc uerbum sit in occultis, ubi diabolus insidiatur: intret uerbum, exeat diabolus. Nam si irrepserit diabolus, Christus recedit: quomodo recessit à Iuda postquam se diabolus in cor eius immersit. Et tu ergo dic: Ab occultis meis munda me domine: ne diabolus insidietur in occultis, sicut leo in cubili suo.
Psalm. 9 Quòd si Christi occulta pie fideliterq; seruaueris, insidiandi diabolo locus esse non poterit. Ideoq; in Psalmo nono Dauid de occultis scribens domini sacramentis, quod est conuersio peccatorum, uocatio gentium, dei regnum, præparatio cordis, iudicium paperum, refectio inopum, antè de occultis pectoris tui atq; secretis exterminandũ aduer-
Matth. 6 sarium dicit: ne sedeat in occultis interficere cupiens innocentẽ. Ideoq; tibi dicitur: Intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in absconditο. Illò tua descendat oratio, ubi eam audiat qui scrutatur absconditа: ibi tuam patientiã deprehendat, uel tegendæ iniuriæ, uel iactantiæ declinandæ. Occultat enim sapiẽs iniuriam suã. Ibi est latibulũ
Psalm. 17 sapientiæ. Posuit enim tenebras latibulum suum. Quærent me mali, & non inuenient. Ideo Abraham puteum fodit, ut aquã qui quæreret, inueniret. Ideo puteum fodit Isaac.
Ioann. 4 Ideo dominus Iesus sedebat ad puteum, erat autem ibi fons Iacob. Sedebat ad puteum, ut quæreres. Fons ibi est, ubi Christus est. Fons est, ut aquæ superfluant, requirentibus: quo & uniuersa carnis uel flagitia diluantur, uel restinguantur incendia. Hęc ergo est altitudo sapientiæ & scientiæ dei, ut mali eam non inueniant, boni quærant, atque in eius adquirendæ studio & meditatione uersentur. Vis scire quàm uerum sit? Audi sapientiæ ipsius

ipſius uerba: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur uobis. Luc. 11
Pulſa ergo ianuã, quia Chriſtus eſt ianua. Pulſa oſtiũ uerbi, ut aperiatur tibi ad eloquendum myſterium Chriſti, & abſconditos in Chriſto ſapientiæ poſſis inuenire theſauros. In ipſo nobis ſapientia, in ipſo uita noſtra abſcondita eſt: ſicut Paulus aſſeruit, qui uſque Coloſ. 3
ad tertium raptus eſt cœlum, ut audiret ea quæ homini non licet loqui. Quanta occulto 2. Cor. 12
rum eſt diſciplina? Licet ſcire homini, & nõ licet loqui. Scire uita eſt, loqui mors eſt. Cognoſcentes ergo quia finis occultorum, qui Græce ὀπτός dicitur, hic eſt, atq; ea ſumma, ut & indigni non apprehendant ſapientiæ diſciplinam: & qui deſiderium habent, uitæ tamen & fidei meritis ſuffragantibus, cognitionem diuinorum capere ſacramentorum laborant, & quotidianis exercitationibus deſudant, ut intentionis ſuæ fructum merean tur adipiſci: nonum Pſalmum & quadrageſimumquintum diligentius legamus, ut abſconditam in myſterio ſapientiam fideli poſſimus mente comprehendere. Soli enim iſti de occultis titulum prætulerunt. Sed iam Pſalmum adoriamur.

Pſalmi quadrageſimiquinti enarratio.

D Eus noſter refugium & uirtus.] Quid eſt noſter? Hoc eſt eorum qui in te credimus. Sic & alibi: Domine refugium factus es nobis. Nobis, inquit, credentibus, non incredulis: nobis quærentibus, non refugientibus ueritatem. Ille enim hoc poteſt dicere qui in ſolius dei præſidio ſuæ conſtituit ſpem ſalutis. Nobis ergo refugium factus es, & noſtrum refugium & uirtus, qui ſumus ex populis nationum. Pſalm. 89
Iudæi te negauerunt, Iudæi non te receperunt: & ideo es conuerſus ad Gentes, uocaſti nos, & refugiũ factus es noſtrũ, & uirtus es nobis. Vis ſcire quia de nobis qui ſumus ex Gentibus, dictũ ſit? Crux domini Iudæis offendiculũ, Græcis ſtultitia: nobis autẽ uirtus 1. Cor. 1
dei atq; ſapientia eſt. Et infra: Ex ipſo autẽ uos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt ſapientia nobis à deo. Vtiq; Paulus non de Iudæis, nec de Gentibus dixit, ſed de ijs qui conuerſi ad dominum Ieſum, prædicarent ſuæ ſalutis authorem. Confugiſti ergo ad Chriſtum? Ibidem.
Non deſeras fundamentũ, confirmatorẽ tuum non derelinquas: ut te qui ſuſcepit, ipſe tueatur, & mercem ſuam pius animarũ noſtrarum negotiator agnoſcat. Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.] Bene nimis ad utrumq; reſpondit, & ut in tribulationibus quæ nos nimis inuenerunt, & adiutor nimis poſſit intelligi. Quanto enim maiores tribulationes fuerint, tanto maiora nobis & uehementiora adiumenta ſunt neceſſaria. Et ideo plerumq; fit ut grauioribus & aſperioribus certaminibus coronemur: quia lachrymis, & gemitibus, & orationibus frequentioribus æternæ opẽ nobis diuinitatis adſciſcimus: quo fit ut nõ timeamus cũ terra noſtra turbatur, & transferuntur mon Rom. 8
tes: quia ſi tu pro nobis, quis contra nos? Timere nõ poſſumus fragilitates iſtius carnis, quæ timore ac metu frãgitur, inflammatur cupiditatibus, luxuria mollitur, delicijs eneruatur, uaporatur febribus, dolore uexatur, exanimatur anguſtijs. Vel cũ transferuntur iſti montes in cor maris, de quibus dixit Saluator: Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, Luc. 17
non ſolũ de ficulnea facietis, ſed etiã ſi monti huic dixeritis, Tollere, & iactare in mare: nihil impoſſibile erit uobis. Miſit ſe hic mons in cor Iudæ, & mentẽ eius graui tempeſta te turbauit, diuerſarum exagitãs fluctibus paſſionũ. Sicut enim terrarũ fertilitati fœcunda bonis operibus & deuotionis ac fidei fructibus anima comparatur, ut odor Iacob, ſi- Geneſ. 27
cut odor agri pleni: ita etiã procelloſi maris inquietudini figuratur animus eius qui quietus eſſe nõ nouit, & amaris cogitationibus excitat graues fluctus. Deniq; nec oſculo ſuo dominus Ieſus Iudæ proditoris amaritudinẽ temperauit. Suſcepit oſculũ proditor, infudit uenenum, mortem irrogauit: cuius aculeum quidẽ Chriſtus obtudit, ſed ſolus prodi tor non euaſit. Et ut euidenter montem huiuſmodi nobis manifeſtaret, alibi quoq; cum dæmonium ab homine iuſſiſſet exire, Apoſtolis interrogantibus qua cauſa illud ipſi eĳ Matth. 17
cere nequiuiſſent, ait: Nõ eĳcitur hoc genus niſi in oratione & ieiunio. Et addidit: Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, dicetis huic mõti, Trãſi hinc illò, manu ſignificãs quis ille mons eſſet quem poſſet perfecta transferre fides. Perfecta enim fides grano ſinapis comparata eſt, dicente Apoſtolo: Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, 1. Cor. 13
charitatem nõ habeam, nihil mihi prodeſt. Sunt etiã qui ita diſtinguunt: Et trãsferentur montes, ut ſequatur: in cordibus maris ſonuerunt & turbatę ſunt aquæ eius: conturbati ſunt montes in fortudine eius.] Non bonæ aquæ quæ ſonant, atq; turbantur, & potum

præbere

Psalm. 103 præbere non possunt. Meliores sunt quæ pertranseunt, sicut scriptum est: Inter medios montes pertransibunt aquæ, & potabunt omnes bestiæ agri: susci-
Luc. 8 suã. Denicp ubi legio dæmoniorum petijt & accepit potestatẽ ut introiret in porcos ma-
gno impetu se præcipitauit in mare, & aquæ illæ gregis sui præcipitatione turbatæ sunt.
Psalm. 76 Alibi quocp idem Dauid propheta sic posuit: Viderunt te aquę deus, uiderũt te aquę, & timuerunt. Hoc est, bonæ uirtutes, quæ uerbi cœlestis cognitione sunt placidæ, non so-
nitu & fragore terribiles. De malis autẽ uirtutibus quid dicit? Et conturbatæ sunt abys-
si, multitudo sonitus aquarũ. Abyssi deum nõ uident, & ideo turbationibus semper ob-
noxiæ sunt. Et exposuit quid essent abyssi. Multitudo, inquit, sonitus aquarum. Nam &
bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut aduersus Heliam atcp Enoch, qui propter
Apoc. 13 testimoniũ domini Iesu terris sunt redditi, præliaretur, ut legimus in Ioãnis Apocalypsi:
cui datũ est os loquẽdi magna, ut aduersus deũ plena furoris cõuitia & sacrilegij persona
ret. Sonuerũt ergo aquæ, id est immundi spiritus cũ turbarentur uidentes opera dei, in
domini salutaris aduentu appropinquare sibi iudicium pertimescentes. Sonuerũt & tur-
Psalm. 2 batæ sunt aquæ in domini passione. Vnde & dictũ est: Quare fremuerunt gentes, & po-
Psalm. 9 puli meditati sunt inania? Et alibi scriptura dicit: Perijt memoria eorũ cum strepitu. Dia-
Esa. 53 bolus sonum quærit, Christus silentiũ. Denicp sicut agnus coram tondente, sic non ape-
ruit os suum. Et alibi: Non clamabit, neq; contendet, nec quisquam audiet in platea uo-
cem eius, donec eijciat in uictoria iudicium. Quę est ista nisi de serpente uictoria? In hac
fortitudine filij dei conturbati sunt montes, cũ diabolus & ministri eius uiderent mor-
tuos resurgentes. Isti sunt montes qui turbãtur. Illi montes qui transferuntur in paradi-
Luc. 23 sum, quibus dicitur: Hodie mecũ eris in paradiso. Et alius cui dicitur: Si eum uolo ma-
Ioann. 21 nere donec ueniam: quid ad te? Tu me sequere. Et Enoch qui raptus est ne malitia secu-
Sapien. 4 li mutaretur. Post passionem domini quid aliud sequi debuit: nisi quia de corpore domi
ni flumen exiuit, quando de latere eius aqua fluxit & sanguis, quo lætificauit animas u-
niuersorum, quia illo flumine lauit peccatũ totius mundi. Est & fluuius qui de Eden e-
xit, & circuit uniuersam, terrã uerbũ dei, quo paradisus intelligibilis irrigat, & omnis a-
Ioann. 7 nima uocatur ad gratiã Christi, dicẽte ipso dei uerbo: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat.
Cui ego dedero aquam, flumina de uentre eius fluent aquę uiuę. Ex illo enim unico dei
uerbo quatuor fluuiorum prudentiæ & fortitudinis, temperantiæ quocp & iustitiæ flu-
1. Cor. 12 enta manarunt. Alij enim per spiritum datur sermo sapientię, alij fides in eodem spiritu,
alij gratia curationũ in uno spiritu, alij operatio uirtutum. Hęc enim operatur omnia u-
nus atcp idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Hi sunt impetus fluminis, cum se in
gratiam ministeriorum operationis atcp uirtutis spontanea diuisione transfundit. Hisi-
gitur fluminis superni meatibus ciuitas illa in qua deus inhabitat, irrigatur, & sanctifica
tur altissimi tabernaculũ, omnis anima quę inhabitatur à Christo, uel corpus illud quod
Luc. 1 Virgo generauit, de quo Gabriel angelus dixit: Et quod nascetur ex te sanctũ, uocabi-
tur filius dei. Bonum tabernaculũ, quod nulla potuerũt obumbrare peccata. Admirabi-
le templum dei, & aula cœlestis, quod solutum corrumpi non potuit, sed intra triduum
resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus uidebatur. Nec mirum, quando deus in me
dio ciuitatis eius erat, nec cõmotus est: siue quia nullius peccati prolapsione commotus
est dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebræ nutauit
impulsu: siue quia non reliquit animã eius dei gratia: sed inseparabilis in ea mansit, quod
Psalm. 15 ab omni colluuione delicti immaculata durauerit. Vnde & ad patrem dei filius dixit.
Ioann. 14 Nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia fuberat ei nec in carne peccare,
Psalm. 87 diuine ait: Ego in patre, & pater in me. Et alibi: Traditus sum, & non egrediebar. Ab
Psalm. 138 eo utiq; non egrediebatur, cui dixit postea: Exurrexi, & adhuc tecum sum. Vbi autem
Genes. 3 aliquis grauius peccat, cõmouetur in eo deus, ut ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti
Act. 7 deambulare uisus est, & Stephano stare: quia ille in præuaricatione lapsus est, hic in mar
Zach. 9. iux- tyrio coronatus. Et in Zachariæ libro ita scriptum est: Ambulauit in commotione indi
ta. 70 gnationis iræ suæ dominus. Simile & in Euãgelio dictum est Iudæis: Ecce, derelinque-
Matth. 23 tur uobis domus uestra deserta. Derelinquit enim dominus Iudæos, & statim secuta est
ruina synagogã. Quòd si eam Christus non deseruisset, nunquã eam supremum sequu-
tum esset excidium. Aperuimus ergo quod dictũ est, Deus in medio eius, non commo-
uebitur.

uebitur. Sequitur: Adiuuabit eam deus diluculo.] Quo significatur quia resurrectio matutina adiumentorum nobis cœlestium subsidia confert, quæ noctem repulit, diem refudit, dicẽte scriptura: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Ephes. 5
Vide autem mysteriũ. Vespere passus est Christus: ideo & secundũ legem ad uesperam agnus occiditur. Mane surrexit. Sic enim scriptũ est: Vna autẽ sabbati uenit Maria Magdalene prima luce ad monumentũ, cum adhuc esset obscurũ, & uidit lapidem amotum ab ostio. Ad uesperã mundi occiditur, deficiente iam luce: quia in tenebris erat hic totus mundus: & maioribus fuisset tenebrarum squaloribus inuolutus, nisi Christus nobis è cœlo lux æterna uenisset, innocẽtiæ tempora generi refusurus humano. Passus est ergo dominus Iesus, & sanguine suo nostra peccata donauit, lux refulsit cõscientiæ purioris, & dies resplenduit gratiæ spiritalis. Vnde & Apostolus ait: Nox præcessit, dies appropinquauit. Euigilauimus igitur, iã non dormiamus. Vestẽ lucis induimus, nõ in amictũ tenebrosæ conuersationis atq; exuuias reuertamur. Comessationibus atq; delicijs, quæ nocturni sunt tẽporis, ualedíximus: sobrietatem elegimus, cuius gratia Iacob primatus quos non habebat inuenit. In alijs quoq; codicibus inuenitur: Adiuuabit eã deus uultu. Quid hoc quoq; significet, ipse propheta nos doceat. Namq; ipse in posterioribus dixit: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Aspectus ergo dei, salus nostra est: atq; in eius uultu nostrum est adiumentum. In quo quanta uis sit, diuina scriptura declarat, quæ non ociose adtexuit quòd respexit deus super munera Abel, super Cain autem nõ respexit: & ideo cõtristatus est Cain, quòd sacrificium suum deo displicuisse cognouit, placuisse germani. Vnde & illud quod hodie in Psalmi responso decantatum est, plurimũ nostræ cõducit assertioni: Expectans expectaui dominum, & respexit me. Quem dominus respexit, saluat. Denicq; in domini passione cum titubaret Petrus sermone, non mente, (licet ipse Petri sermo titubantis fidelior sit, quàm doctrina multorum) respexit eum Christus & Petrus fleuit: quo proprium lauit errorem. Ita quem uisus est uoce denegare, lachrymis fatebatur. Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna: dedit uocem suã altissimus & mota est terra.] Aduentu domini saluatoris aduersariæ potestates cũ sua legione turbatæ sunt iussæ ab humanis exire corporibus, & precatæ ut mitterentur in porcos. Turbatis nequissimis potestatibus, necesse fuit turbari cultores simulacrorũ, inclinari quoq; regna peccati. Erat enim graue regnum, quod sibi in graue seruitium subiugauerat omnium animos peccatorum. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Regnum autem peccati, mortis est regnũ: quod diu toto orbe præualuit. Vnde & Apostolus ait: Sed regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen, etiam in eos qui nõ peccauerunt, in similitudinẽ præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Venit ueritas, figura cessauit. Venit uita, regnum mortis euanuit. Venit remissio peccatorum, & peccati uincula resoluta sunt. Ante etiam leuiora delicta mortis nexibus stringebantur, post aduentum autem domini salutaris etiam grauiora flagitia sunt remissa. Inclinata sunt ergo regna spiritualium nequitiarum quæ sunt in cœlestibus, quia cultus simulacrorũ & illecebra peccati cœpit immi nui Euangelicæ prædicatione doctrinæ. Inclinata est perfidia posteaquã cœpit fides in nationũ regnare pectorib. Inclinant regna peccati, cũ legitur: Nõ regnet peccatũ in uestro mortali corpore. Inclinauit omnia regna perfidiæ uoce sua dominus, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam uos. Hanc uocẽ dedit altissimus, & omnes eum secuti sunt populi nationũ, dura peccati regna fugientes, & perpetuæ mortis atrocitatem, atq; intolerabilẽ flagitiorum omnium seruitutẽ, cum pollice retur fessis requiem, captiuis remissionem, seruientibus libertatem, & decurso iugo ferreo Babylonij regis, iugum suum suauẽ ceruicibus fidelium subrogaret, ne uacua colla gentilium rursus inimicus catenis suæ iniquitatis adstringeret. Christus enim quos alligat, liberat: & quos adstringit, absoluit. Denicq; qui seruus uocatus à domino est, libertus est domini: & qui liber uocatus, seruus Christi est. Ideoq; in suis uinculis Paulus gloriatur dicens: Paulus uinctus Iesu. Quod sub alijs cõtumelia est, sub Christo gloria est. Dedit uocem suã in passione dominus, & uniuersa elementa tremuerunt, omnis terra commota est, ut ritus ille Gentium solueretur, fieret terra domini, & plenitudo eius, ut scriptum est, cessarent auguria perfidorum: & sacrificium impietatis, cognitio fidei & studium deuotionis aboleret. Dat uocem suam dominus quotidie, & resultat in cordibus

Ioan. 20
Rom. 13
Psalm. 79
Genes. 4
Psalm. 39
Ioann. 8
Rom. 5
Ibidem. 6
Matth. 11
1. Cor. 7
Ephes. 3
Psalm. 23

singulorum

singulorum,ut terrenum omne decidat eius qui bene credit affectu, atq; omnes interio
rum sensus animorum ab errore,à corruptione luxurię & dissolutione ad cognitionem
cœlestium sacramentorum, & studium castitatis, à nequitia ad uirtutem pia confessio-
ne moueantur.Motos ergo eos dicit qui in terra sunt, uel quia terra erant omnes homi-
nes,in quibus erat terrena corruptio, quia oculos mentium ad sublime gratiæ cœlestis
eleuare atq; attollere nesciebant,nec poterãt dicere:Deus uirtutũ nobiscum, cũ quibus
non erat nisi prolapsionis incẽtor,& auctor erroris.Sed posteaquã uox domini in Euan
gelio resultauit,audet Propheta dicere.Deus uirtutũ nobiscum.Bene dicit,Deus uirtu-
tum nobiscũ,qui credidit quòd Virgo in utero concepit,& peperit.Audemus & nos di
cere,Deus uirtutũ nobiscum,posteaquã Emmanuel,hoc est,deus cœpit esse nobiscum.
Vbi ergo Emmanuel,ibi deus uirtutũ nobiscum.Susceptor noster deus Iacob.] Imite-
Ioann. 8 mur ergo patriarcham Iacob,odorẽ eius,uirtutem eius,laborẽ eius.Sicut enim Abrahæ
opera facere debemus,ut filij eius appellari iure mereamur:ita etiam exercitia atq; certa
mina sancti Iacob subire debemus,ut deus Iacob deus noster esse credatur.Nam si ope-
ra Iacob,uel(quia illũ æquare non possumus)studia operis eius ac fidei non agnoscat in
nobis:quomodo quasi deus Iacob nos iuuare dignabitur? Cum hęc diceret,ecce per spi
ritum sanctum præsens imago ei infusa est futurorum:& uidens ex graui perturbatione
bellorum pacem toto orbe diffusam in aduẽtu domini salutaris,clamat ad uniuersos di-
cens: Venite,& uidete opera domini,quæ posuit prodigia super terrã.] Venite,ad con-
gregationem spectat:uidete,ad intentionẽ, & cognoscendæ studium ueritatis. Videte,
inquit,opera domini plena miraculis,in quibus magnarũ sunt signa uirtutũ.Deniq; τε-
ρατα Græcè,admiranda dicuntur Latinè. Non ergo quasi prodigialis horroris accipias
opera domini,sed quasi plena admirationis.Præclare posuit super terram,id est in terrã.
Auferens bella usq; ad fines terræ,arcum conteret,& confringet arma,& scuta combu-
ret igni.] Et uere antequam Romanum diffunderetur imperium, non solũ singularum
urbium reges aduersum se præliabantur,sed etiam ipsi Romani bellis frequenter ciuili-
bus atterebãtur.Pugnauit Marius aduersus Cinnam. In utraq; parte Romanus fusus est
sanguis.Sylla surrexit, & Mario uictori rursus ciuilia bella commouit. Lepidus Serto-
riusq; rebelles se Romano imperio præbuerunt.Cæsar Pompeiũ est persecutus,& Gal-
liarum furorem excitauit aduersus arma Romana. Deuicto seniore Pompeio, iuniorẽ
in Hispaniarum partibus debellauit. Quid Triumuiros loquar,ex hostibus amicos, ex
amicis rursus in hostiles tumultus esse progressos? maria quoq; Actiaco bello infecta
sanguine Romanorum? Vnde factum est, ut tædio bellorum ciuilium Iulio Augusto
Romanum deferretur imperium:& ita prælia intestina sedata sunt.Hoc autem eò profe
Matth. 28 cit,ut recte per totum orbem Apostoli mitterentur,dicente domino Iesu:Euntes,doce-
te omnes gentes.Illis quidem etiã intercluſa barbaricis motibus regna patuerũt,ut Tho
mæ India,Matthęo Persia.Sed tamen quo plura obirent spatia terrarũ,in exortu Eccle-
siæ potestatem Romani imperij toto orbe diffudit,& dissidentium mentes, terrarumq;
diuortia donata pace composuit. Didicerunt omnes homines sub uno terrarum impe-
rio uiuentes,unius dei omnipotentis imperium fideli eloquio confiteri. Abstulit ergo
bella usq; ad fines terræ, quod factum esse non dubiũ est. Sed uide ne bella infirmitatis
2. Cor. 7 abstulerit,quæ sunt in corde titubantium. Qui enim terrena transierit,iam non dicit,Fo
Philip. 3 ris pugnę,intus timores:sed dicit:Nostra autẽ conuersatio in cœlis est. Transi ergo mun
dum,ut incipias esse supra mundum, περάσαι enim transire est: uel, ut dicam expressius,
transfretare.Abstulit ergo dominus bella quæ mouebat nobis nequitia spiritalis:& de-
uicto diabolo pacem suam nobis reliquit.Arcum confregit,de quo ignita aduersarij ia-
cula spargebantur:Et scuta perfidiæ combussit igni, ut scutum fidei inuiolabile perma-
neret.Vacate,inquit,& uidete quia ego sum dominus.] Vox domini post bella sedata.
Vacate,ut nulla animarum sit occupatio, ne offusio secularium perturbationum,inter-
næ oculũ mentis obducat.Vacate,inquit,ab erroribus,uacate à perturbationibus,uaca
1. Ioan. 3 te à peccatis:quia omnis qui peccat,non uidit deũ,nec cognouit eũ:sicut in Epistola sua
dixit Ioannes Euangelista.Vacate ergo studio cognoscendæ diuinitatis:nolite terrenis
operibus occupari.Ideo rex Aegyptiorũ augeri iubebat numerũ laterũ,& cętera onera
Iudæorum, ne cognoscerent deum, & cultui sacro uacarent, offensus Moysi & Aaron
uoce

uoce Sanctorum, qui dicebant: Dimitte populum Dei, ut eamus & seruiamus domino Deo nostro. Exaltabor inter Gentes, & exaltabor in terra.] Erat sublimis dominus in excelsis, id est in angelis & archangelis, in patriarchis & prophetis qui de illo sublimia sentiebant, nec eum terrenis imaginibus & simulacris scrupeis cõferebant. Sed nõ erat sublimis in populis nationum, qui Deum suum in antris & spelæorũ habitaculis requirere uidebantur. Denicq; reprehenditur Magdalena, quæ Christum quasi mortuum flebat, & quasi sepultum quærebat in tumulo. Vnde dicit ad eam Christus: Maria, quid plo ras? Quem quæris? Nunquid eum qui posset auferri? Audiuit uocem, & recognouit eũ, & uolebat contingere, & ait dominus: Noli me tangere, quem putas mortuum. Ad patrem uado. Miraris quòd in tumulo non inueneris, quem cœlestia præstolantur? aut forte reprehenditur, quia Christum nisi fides perfecta non tangit: sicut hæmorrousa plena eũ tetigit fide. Vnde ait dominus: Tetigit me aliquis: sentio enim de me uirtutem exisse. Quo dicto agnouit in se illa quòd exeunte fuerat uirtute curata: & statim cõfessa est sibi conscia quòd dominum ipsa tetigisset. Vnde dominus ait: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Exaltatus autem in terra dominus est, secundum quod ipse ait: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Vel quòd facta est uoluntas eius sicut in cœlo & in terra. Et repetit, dicens: Dominus uirtutum nobiscũ, susceptor noster Deus Iacob.] Repetitio, confirmatio est. Vel quia non solum quando natus ex Virgine est, factus est nobiscum Deus: sed etiam post resurrectionem ipse dixit: Ecce, ego uobiscum sum usq; ad consummationem mundi: Cui est honor & gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Exod. 5

Ioann. 20

Matth. 9

Ioann. 12

Matth. 28

Psalmi quadragesimiseptimi enarratio.

HVius titulus hic est: Psalmus cantici filijs Chore secunda sabbati.] Boni filij Chore, & psalmis iam superioribus approbati, eo quòd congruis sensibus, & cogitationibus ad uirtutum studia cõuenientibus in semetipsis pangerent spiritale psalteriũ, & cognitioni diuinitatis peruigili specula mentis intenti, cœlestium mysteriorum digni forent haurire secreta. Et ideo cum Psalmorum ante arcam domini quotidie canendorum munus & officium recepissent, uidentur electi ut Psalmum cantici in secunda sabbati specialiter reciperent cõcinendum. Etenim quibus relinquebatur esse cõmissum ut ascensionem domini ab inferis resurgẽtis uoce sua psalterent, his uticq; deferendum fuit ut ipsum resurrectionis diem munere suo ministerioq; celebrarent. Quid est enim secunda sabbati, nisi dominica dies, quę sabbatum sequebatur? Dies autem sabbati erat dierũ ordine posterior, sanctificatione legis anterior. Sed ubi finis legis aduenit, qui est Christus Iesus (finis enim legis Christus, ad iustitiã omni credenti) & resurrectione sua octauã sanctificauit, cœpit eadem prima esse, quæ octaua est, & octaua quæ prima, habens ex numeri ordine prærogatiuam, & ex resurrectione domini sanctitatem. Vnde & in Euangelio legimus δευτεροπρωτον, sabbatũ, quòd Latinè dicitur secundo primum. Vbi enim dominica dies cœpit præcellere qua dominus resurrexit, sabbatum quod primum erat, secundum haberi cœpit à primo. Prima enim requies cessauit, secunda successit. Vnde & ad Hebræos scribens Apostolus ait: Posterа ergo die restat requies populo Dei. Festinemus igitur intrare in illam requiem. Requies ergo uera iam non in operis cessatione, sed in resurrectionis est tẽpore. Ideoq; qui sabbati secundum legem solennitatem custodiebant, unam sabbati nuncupabãt, quasi unum esset sabbatũ, & nõ aliud. Nos qui obseruantiam induimus spiritalem, & ad similitudinem & requiem Dei cupimus nostram formare militiã, atq; in illa ciuitate cœlesti nostrum exhibere ministerium, ubi est non exemplar, non umbra, sed ueritas: primã dicimus sabbati, sicut est scriptum: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primã sabbati. Nihil pulchrius, nihil expressius. Ante resurrectionem sabbatũ dixit, post resurrectionem primam sabbati nuncupauit. Ioannes quoq; Euangelista dicit: Prima sabbati uenit mane Maria Magdalene cum adhuc tenebræ essent. Tenebræ pro tempore, mane pro gratia. Sed isti expressius secundum Euãgelium, quasi recusso uelamine: Dauid autem sub lege positus & moderationem tenuit debitæ cantionis, & mysterium non repressit, ut secunda sabbati diem dominicã declararet: quo Iudæis ordinem numeri putaret esse seruatum, & spiritale sacramentum agnosceret reuelatum. Audiamus igitur quid dicat

Matth. 28

Ioann. 20

Hebr. 4

Luc. 6

Roman. 10

qui in secunda sabbati Deo psallit: Magnus, inquit, dominus & laudabilis nimis, in ciui
tate Dei nostri in loco sancto eius. Non ergo ubiq; Deus magnus & laudabilis est? Ille
quidem ubiq; magnus & potens est, sed angusta mens non capit magnitudinem diuinę
eius potestatis & gratiæ. Quanto autem magis appropinquat Deo nostra cognitio, tan
Ioann. 20 to præcellētior eius nobis uidetur esse maiestas. Deniq; Thomas qui antè dicebat: Nisi
uidero in manibus eius fixuras clauorū, & mittam manum meam in latus eius, non cre-
dam: ubi misit digitum suū, & euidentia resurrectionis cognouit indicia, admirās intra
se Dei gratiam: Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Tunc ergo plenissime diuinita-
tem eius dominationemq; confessus est, ubi eum resurrexisse non dubitauit ab inferis.
Deniq; in Sion hymnus Deū decet, & uotum ei soluitur in Hierusalem. Quid igitur mi-
rum si in ciuitate cœlesti, & in illo superno & æthereo loco potentia eius uehementius
prædicatur? Addidit: Dilatās exultationem uniuersæ terræ.] Et uere magnus, qui istius
terrę in qua ante intolerabilium peccatorū germina pullulabant, ubi erat mœror, tristi-
tiæ & gemitus, exultationem toto orbe diffudit. Itaq; hominū conscientia quæ ante fla-
gitiorum suorum gurgitibus demersa lugebat, nunc per indulgentiam Christi, & remis-
sionem peccatorum, metu absoluta lætatur. Conuenit igitur & si ita intelligamus ut di-
ximus: sed quia in uetustis exēplaribus aliquibus reperimus ἔυρεζον ἀγαλλίασιν οὖσιν & γῆς,
id est, bona radice exultationem uniuersæ terræ, sensum quidem eundem aduertimus:
quia diuina in nobis Dei patris dona laudantur: qui dedit nobis exultationem bona ra-
dice fundatam, Deum uidelicet Iesum, uerā & fœcundissimam uitem, de qua sacramen-
ta fluxere cœlestia, in quibus est perpetua & diuturna lætitia, quòd his abluatur omne
peccatum, & conscientia interna mundetur. Elocutionemq; conuenire cognoscimus:
quia bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Seculi enim lætitia
temporalis est, perpetua autem lætitia eius qui gaudet in domino. Mons Sion latera A-
quilonis, ciuitas regis magni. Deus in gradibus eius dinoscetur cum suscipiet eā.] Quæ
sit exultatio uniuersæ terræ, euidenter expressit, quoniam dominus Iesus Ecclesiam sibi
ex peccatoribus congregauit. Itaq; qui erant antè latera Aquilonis, id est, socij & inhæ-
Cantic. 4 rentes diabolo, cui dicitur: Exurge Aquilo, ut ueniat Auster: facti sunt Christo fideles.
Psalm. 124 Ipsi sunt enim de quibus dicitur: Qui confidunt in domino, sicut mons Sion. Facti sunt
itaq; mons Sion per gratiam Christi, & baptismatis sacramentum. Aquilonis intelligi-
bilis grauis flatus, qui prius tempestates asperrimas & procellas humanis mouebat affe-
ctibus, cœpit suos amittere, qui uexabat alienos. Gentem omnem euerterat Iudęorum,
nationes omnes suo reuinctas tenebat imperio, ipsius erat latera, hoc est, aspirabāt cum
eo. Sicut enim principis latera dicimus stipatores eius & comites, & sicut mulier latus
est uiri, eo quòd morigera ei societate iungatur: ita latera erāt diaboli qui faciebāt ipsius
uoluntatem. Ii ergo nunc sunt mons Sion, qui Deum speculātur æternum, & ipsi nocti-
bus & diebus intendunt. Vide Paulum cū persequeretur Ecclesiam domini, latus Aqui-
lonis fuisse: uide nunc cum legitur in Ecclesia, montem esse speculatoriū, per quē Chri-
sti gloriā cognoscimus, & uidemus. Et quia Græcus montes dixit, hoc est ὄρη, uide quo-
modo seruuli Christi montes sint. Montes in circuitu eius: in quibus est Ecclesia domi-
Venerarium intelligas locū ubi Venus sit culta. ni, quę est ciuitas regis magni. Simul quia dominus secundum cœli tractum in Venera-
rio passus est, qui erat locus in latere Aquilonis. Ibi autem & mōs Sion, ibi Hierusalem
quæ in terris. Vide ne id quoq; uideatur expressum, quia congregatio plebis Dei, quæ
erat Aquiloni coniuncta per culpā, Ecclesia Christi est facta per gratiam, ut iam non sy-
nagoga, sed Christi Ecclesia nuncupetur. Et quia reliquiæ Iudæorū per electionem grā
tiæ saluæ factæ sunt, in ipsis Deus cognoscit, in Petro, Paulo, Ioanne, Iacobo, qui graues
& excelsi uiri uelut fundamēta & culmina sunt Ecclesiæ, quasi fundamēta graues, quos
nulla grauis Aquilonis flabra concusserint, sed immobile fidei seruauerint fundamen-
tum, ne Ecclesia tota nutaret. Pręcelsi quasi culmina, qui uerticem eius turribus suæ uir-
tutis erexerint. Etenim sicut in operibus suis cōditor, & in ędificationibus suis ædifica-
tor agnoscitur, ut etiā si nomen non audias, tamen ex operum qualitate artificem depre-
hendas: (Et quid mirum de humanis, cū ipsius creatoris ęterni, qui non uidetur à nobis,
inuisibilia tamen per ea quæ facta sunt, intelligamus?) ita in excelsis & magnis domi-
bus, (quę domus nos sumus, si libertatis & glorię fundamentū usq; ad finem firmum te-
nuerimus)

nuerimus) Deus habitator agnoscit, ut deus Abrahã, deus Isaac, deus Iacob. Ipse enim enim uerus Deus, qui tales uiros præceptorũ suorum institutione fundauit. Ergo sicut in illis se Deum demonstrauit ęternum, ita, inquit, cum regis magni susciperet ciuitatem, gradibus eius receptionem suæ cognitionis infundet, ut fiant docibiles Dei, qui manda tum eius & audierint, & putauerint exequendum: ne ab illius domus ædificatæ in petra firmitate degenerent. Hoc, inquit, uidentes reges terræ congregati sunt, & transierũt in unum. Ipsi uidentes tunc admirati sunt.] Boni reges, qui sui corporis possunt se præbe- rectores, ab ipsa patriarchæ Abrahę origine & institutione manãtes, qui docuit pec- catum posse superari. Ideo uerus rex, qui flagitijs esse nesciuit obnoxius, in quo culpę & erroris illecebra regnare non potuit. Vnde & dictum est ad huiusmodi uirũ à filijs Seth: Genes. 23
Rex à Deo tu es nobis. Tales ergo reges terræ, qui carni imperitarent, congregati sunt, ut in uno essent corde, & in uno spiritu: sicut legimus: Quia multitudo credentiũ habe- Act. 4
bat unam animam, & cor unum, & non erat in his aliqua separatio. Ii sunt qui transierũt in unum, non tam locum, quàm in eundem affectum atq; propositum. Probato enim di citur: Transi, recumbe. Neq; enim mediocris uirtutis est, ab improbis ad honesta, à ter- renis ad æterna transire, & carnalis uitæ consuetudinem cõmutare, omnemq; eius abo- lere usum, nouos mores assumere, totumq; statum conuersationis ueteris detorquere. Esa. 43
Meritoq; dicitur ei: Si transeas per aquam tecũ sum. Cum transeunte est Deus, non cum desistente. Ii ergo qui intra semetipsos erant antè discordes, ubi in unum mente & stu- dio conuenerunt recepta pace quæ fecit utraq; unum, & inimicitias in carne sua mediĳ Ephes. 2
parietis destructione dissoluit, admirati sunt uel eum qui in gradibus suis dinoscitur, uel homines ita esse conuersos, ut qui antè diabolo seruiebant, nunc domino Iesu iusti pie- tate seruitij mãcipati sint. Et quia reges sui corporis in semetipsis uim non mediocris la- boris experti (neq; enim facile atq; mediocre est animum uincere, resecare cupiditates, edomãre carnis lasciuiã, euacuare luxuriam, quæ repugnabat & Paulo, ut captiuum si- bi peccati lege constringeret) sicut gratiam in ijs qui uirtute processerant, mirabantur: ita etiam ne quis relaberetur in uitia de superiore uirtutum delectus fastigio, cõmoue- bantur. Procliuis enim & mutabilis in utrunq; est humana conditio, ut quocunq; inten- derit, eò propendeat & uergat: uel ad studia uirtutum, uel ad illecebram delictorũ. Et ideo non mediocri quatiebantur affectu, ita ut ex formidine tremor apprehẽderet eos, Prouerb. 28
considerantes illud quod scriptum est: Quia in locis impiorũ ingemiscent iusti. Denicq; apud 70
uide mihi Petrum amarissime flentem quòd ei error obrepserit, & uirtutem suæ mentis prolapsione corporeæ fragilitatis inflexerit: meritoq; à Christo suppresse reprehensum quòd ausus sit usurpare constantiam, nec obnoxiam consideraret naturam. Et hic qui- dem per gratiam emendauit errorem, sed Iudas mansit in crimine, perseuerauit in gemi tu. Iustus erat cum Apostolorũ numero nec teretur, sed quia supplantatus à diabolo est, in locis nunc deplorat & ingemit impiorum quod de gratia sit relapsus ad pœnam. Er- go cadentibus huiusmodi uiris qualis fuit proditor Iudas, uel Saul à domino Deo suo accitus ad regnum, etiam fortes uiri trepidabant. Conferentes deinde quanto certami- ne peruenire tur ad finem, quantæ contritiones iustorum, quantæ solicitudines, qualis aduersarius, quanta diuturno labore contentio, quantæ amaritudines propositi terro- ris, quæ uincula continentiæ, quæ conscientiæ uerbera, non mediocriter conturba- bantur ne quis tãtis uel laboribus uitæ austerioris cederet, uel doloribus. Sunt enim ibi dolores acerbi & graues: id est, in Ecclesia, in illa ciuitate regis magni sunt dolores sicut parturientis, donec formetur Christus in nobis. Neq; enim sine dolore Paulus erat cum Galat. 4
uideret in Galatis insipientibus doctrinæ suæ tardiorem profectum. Ideoq; dicebat: Fi- lioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis. Testificatur & domi- Ioann. 16
nus in Euangelio graues esse parturientis dolores: cum dicit: Mulier cum parturit, tristi- tiam habet, quia uenit dies eius: cum autem peperit, iam non meminit tristitiæ propter gaudium: quia natus est puer in hoc mũdo. Magnus ergo labor ut aliquis sibi Christum adquirat, ne sine gubernatore quasi nauis in seculi istius salo fluctuet. Denicq; Apostoli tristes erant cum se Christus ad patrem rediturum esse memoraret, quòd absente recto- re destitui se putarent. Gaudium Christus est. Ipse est & puer quem parturit qui in utero suæ mentis accepit spiritum salutis. Qui pepererit, & enutrierit, exultat: qui parturit,

Exod. 15 quatitur atq; compungitur. Bonum est ut & parias, & enutrias eum. Ne coquas agnum
Deuter. 14 in lacte matris suæ, ne dicat̃ tibi: Væ in utero habentibus & nutrientibus. Sic enim Chri
Matth. 24 stus natus est ex Maria, ut agnoscas eum, sicut bos agnouit possessorem suum: & scias
quia ipse te creauit, & maiores tuos ipse possedit. Non eum quasi paruulum nutrias, sed
quasi uerum atq; perfectum deum ex uero & perfecto deo noueris adorãdum. Sic eum
Magus adorauit, ut non in lacte matris agnum coqueret, sed quasi Deum ueneraretur
æternum. Deniq; ut eum inueniret, cœlũ aspiciebat. Non ergo quærebat in terris, quem
Ibidem 2 de cœlo fulgens stella monstrabat. Ideo eum Maria non parturiuit, sed peperit: quia &
Luc. 1 dominum, & salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens: Magnifi-
cat anima mea dominum: & lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ergo do-
lores sicut parturientis. Dolor est ut parturias: dolor est ut enutrias, quem in principio
debes habere perfectum. Ideoq; pleriq; grauiter conteruntur, sicut uersiculus significat
qui secutus est. In spiritu uehementi conteres naues Tharsis.] Nam dum ad perfectio-
nem fidei desiderant dei famuli peruenire, cõmacerant corpus suum castigando seue-
rius, & redigendo in ministeriũ seruitutis, ne reprobentur qui fuerant iam probati. Hoc
autem faciunt in spiritu sancto ualido atq; uehementi. Est enim spiritus consilij atq; uir-
tutis, ut nimia abstinentia dissoluant corpus suum, quo omnes eius euacuent uolupta-
Hebr. 11 tes, ut dicatur illis: Conualescite manus remissæ, & genua dissoluta. Cum enim solutus
quis fuerit ab ista compage terrena, tunc fortior ad uitam resurgit æternã. Mentior, nisi
Philip. 1. adstipulatur scriptura, quæ dicit, dissolui & cum Christo esse, multo melius. Qui dissol-
2. Tim. 4 uitur, incipit esse cum Christo. Et alibi: Tempus meæ resolutionis instat. Qui ergo me-
ditatus fuerit seipsum dissoluere per abstinentiam, diem passionis suæ timere non pote-
rit. Et bene ait spiritum uehementem, naues dicturus. Naues autem de corporibus di-
xit, quæ uago diuersarum passionum fluctu mouentur, & cito merguntur, nisi habeant
Psal. 106 gubernatorem. Vnde & alibi ait: Qui descendunt in mare in nauibus. Bene autem naui
gant, qui in nauibus Christi crucem sicut arborem pręferunt, atq; inde explorant flabra
uentorum, ut corpora sua dirigant ad sancti spiritus gratiam, in ligno domini tuti atq;
securi: nec permittunt naues suas uago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis &
ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendunt, ut fida statione potian-
tur, quo dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, ubi naufragium timere
non possint. Et nos igitur circũspectemus hanc gratiam, speculatores eius simus, explo
remus eam, ut fiant corpora nostra naues Tharsis. Tunc enim caro ad seruitutem redi-
gitur, cum ad dei intendimus gratiam: ut id quod amarum ad tempus sit, sicut est ieiu-
nium, non quod dulce & uoluptarium, sequamur. Tharsis ergo est speculatorium gra-
Ionæ 1 tiæ, intelligibilis ciuitas, ut Sion superior. Ad eam festinabat Ionas. De ea dicit scriptu-
2. Paral. 20 ra quia sociatus est Iosaphat Ozię regi, & sic placuit ut facerent & irent ad eum naues in
Tharsis. Sed quia impio se coniunxit, ideo missus est ad eum Propheta, qui diceret ei:
Destruxit dominus opus tuum, & contritæ sunt naues tuæ, & nõ potuerunt ire in Thar
sis. Quo significatur quòd præuaricantium mandatum Dei corpora ad consummatio-
3. Reg. 10 nem gratiæ peruenire non possint. Ad Salomonem autem, utpote sapientem & pacifi-
cum uirum, naues de Tharsis cum auro & argento, & dentibus eburneis sine ulla offen
sione ueniebant, & eò ipse mittebat. Habebat enim cum rege Hiram sacræ negociatio-
nis spiritale cõmercium, & mutuæ gratiæ concertantis affectum. Has ergo naues ij qui
regali in se authoritate potiuntur ad coercendam ferociã corporalem, uidentes ex cor-
ruptibilibus incorruptas, ex maculosis summa gratiæ luce fulgentes, ex dissolutis atq;
detritis esse renouatas, uiuere ex mortuis, ex sepultis resurgere, celebri sermone cõme-
morant: Sicut audiuimus, ita & uidimus in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate dei no-
stri. Deus fundauit eam in æternum.] Audiuimus extra ciuitatem, uidimus in ciuitate,
cui deus est lumen æternũ. Fulget enim dies sine sole mundano, luna non quęritur: fun-
damentum eius non temporale, sed æternum est. Suscepimus, inquit, deus misericordiã
tuam in medio templi tui.] Si ad filium dei dicitur, templum ita intelligimus secundum
Ioann. 2 quod ipse de corpore suo dixit: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Ve-
re templum dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Vere
templum dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto
mundi

mundi totius fuit sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat: quoniã ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Quod quid est, nisi quod ait: Medius uestrum stat, quem uos nescitis? Hoc est, in medio uestri est, & non uidetur. Si aũt ad patrem refertur: quid est, in medio templi tui, nisi quia deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo suscepimus, inquit, misericordiam tuam: hoc est, uerbum quod caro factũ est, & habitauit in nobis. Sicut enim redẽptio Christus, ita & misericordia. Quæ autem maior misericordia quàm quod pro nostris flagitijs se præbuit immolandum, ut sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de sanctis uiris Apostolus dixit: Templum Dei uos estis, & spiritus sanctus habitat in uobis: quãto magis carnem domini lucens: Sentio de me uirtutem exisse, quæ uirtus omniũ uulnera acerba sanabat. Potest & illud intelligi quod dixit suscepisse se cum populo dei misericordiam in medio templi eius: quoniam ipse Ecclesiam suam fundauit, & propagauit in ęternũ: quoniam ipse uere cum filio suo unigenito hanc gratiam plebi suæ contulit, quem ædificatorem etiã demonstrauit dicens: Hic ædificabit mihi ciuitatem, quæ diffusa toto orbe terrarũ, fecit ut tota terra plena laudis eius esset & nominis. Sicut enim scriptũ est: Laudis eius plena est terra: ita scriptum est: Datum est ei nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne gẽnu curuet, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quòd dominus Iesus in gloria est dei patris. Vnde proprie dixit Propheta: Secundum nomen tuum deus, ita & laus tua in fines terræ. Iustitia plena est dextera tua.] Non mirum est si plenus est iustitię dei, qui est dextera Dei. Idem autem est uirtus Dei, & iustitia dei, ut & secundum id quod iustitiæ dei plenus est, eam iustitię plenitudinem in eo esse quem pater habet, noueris: & secundum id quod uirtus & iustitia dei patris & sapientia legitur, nihil in eo diuinę maiestatis intelligas esse diuersum, sed omnia accepisse à patre filium, & omnis gloriæ paternæ filiũ splendorem esse cognoscas, & eius characterem substantiæ: qui ita expressit patrem, ut in eo totus sit pater, sicut in patre totus est filius. Et quia uidit in spiritu Propheta laudes Christi terris in omnibus prædicandas: uelut epilogo quodam faciens suscepti sermonis excessum, ad lętitiam nos & cultũ nominis eius hortatur, dicens: Lætetur mons Sion.] Id est, qui confidunt in domino, sicut ipse postea interpretatus est, dicens: Qui confidunt in domino sicut mons Sion, &c. Ipse dominus Iesus, qui est mons & altitudo Ecclesiæ suæ, quæ Christum suum toto speculatur affectu, lætetur fide eius & deuotione, quæ cõplacuit Deo: quoniam repudiata est infidelis. Potest igitur & hoc pie intelligi, quoniam etiam superior omnibus ipse est mons, in quem is ascendere iubetur qui fidem prædicat, dicente scriptura: In montem excelsum ascende, qui euangelizas Sion. Exultent, inquit, animæ, confitentes tibi. Ipsæ sunt filiæ Iudęę illius in qua notus est deus. Nam ista Iudæa quæ in carne est uel litera, non agnouit dominum. Nam si agnouisset, etiam recepisset. Sed non agnouit quem non recepit, & iudęa eius refugit: quibus eos nõ ex patre Abraham, sed ex diaboli semine manare memorabat: quoniam omne peccatum semen inimici est. Confessionis autem filiæ peccatum non faciunt, sed obumbrant. Et ideo beati quorum tecta sunt peccata. Meritoq; exultabunt filię confessionis propter iudicia domini, cũ cognouerint iudicia eius, & uias eius, quæ in hoc sęculo inscrutabilia & inuestigabilia sunt hominibus. Et cũ facie ad faciem spectare cœperint ueritatem: tunc illa quæ nunc uidentur inscrutabilia, cõprehendent, & eorum cognitione gaudebunt. Circundate, inquit, Sion, & cõplectimini eam, narrate in turribus eius.] Qui intelligunt Sion, circundant eam, & complectuntur suis sensibus, ut teneant, & non dimittant eam: ne sibi speculatoriæ disciplina uirtutis possit auferri. Ideo illa in Canticis dicit: Tenui eum, & non dimittam eum quæ dei sapientiã requirebat, & cõplectebatur iustitiam dei brachijs charitatis, & quibusdam fidei & deuotionis lacertis. Ipse est enim pie mentis amplexus. Comprehendamus ergo & nos quantum possumus interna mysteria ueritatis, & scribamus ea atq; affigamus ea sensibus nostris, uirtutemq; cœlestis oraculi: quam ut assequeretur Moyses ille peritus in omni sapientia Aegyptiorum, in montem ascendit, atq; in nubem intrauit, ut operta & occulta

2.Corint.5 Ioann.1 1.Corint.6 Lucæ 8 Abacuc 3 Philip.2 Psal.124 Ioann.8 Psalm.31 Cantic.3

Psalm. 50 cognoscéret, adhærente sibi socio Iesu: quia nemo sine uero Iesu potest incerta sapientiæ & occulta cõprehendere. Et ideo in specie Iesu Naue, ueri saluatoris significabatur affiIoann. 6 tura præsentia, per quem fierent omnes docibiles Dei, qui legem aperiret, Euangelium reuelaret. Ergo qui Sion circundederint prudentia sua, & complexi fuerint intellectu ascendentes super turres eius narrãt desuper ei qui nõ potuerit ascendere in turres eius, quid agendum, uel quid cauendũ sit. Murata est enim ciuitas Dei: ideoq; alibi dicit dominus: Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos. Distincta est turribus, de quibus insidiator possit, si appropinquare cœperit, deprehendi. Habet ille exercitus suos quibus animas Dei obsidere consueuit, admouere machinas, ut possit turres expugnare munitas. Sed uos, inquit, prædicate de turribus. Est enim in turribus Hierusalem abundãtia. PræProuerb. 8 dicate iustitiam, monete custodiam. Sapientia enim in exitu canitur, & in murorum alapud 70 tissimis prædicatur. Et alibi iterum dicit: In muris tuis constituí custodes, diebus ac noEsaiæ 62 ctibus in finem non tacebunt. Narrate ergo sine intermissione, sine fine. Aduersarius uigilat, circũit, & rabie ferina quærit quos inuenerit deuorare. Ideo semper canendus est dominus, qui dentes leonum conterat, & ora confringat, ut nobis nocere non possint. Ponite, inquit, corda uestra in uirtute eius.] Id est, ut uirtutem eius intelligatis: & distribuite gradus eius, ut enarretis in progenie altera. Quoniam hic est deus noster in æternum, & in seculum seculi: ipse reget nos in secula.] βάϱδς dicit Græcus hodieq; excelsas & turritas domos. Vnde Propheta cum de ciuitate dei & inhabitantibus eam loqueretur, distribuite, inquit, gradus eius: hoc est, mãsiones eius altas atq; sublimes in cœlestibus. Quo docet ordinem seruandum esse meritorum. Vnusquisq; enim in suo ordine.Ioann. 14 Vnde & dominus ire & præparare se dicit discipulis mansiones, ut pro suorum ratione meritorum digna unusquisq; habitacula consequatur, in quibus requiem illam carpat æternam. Sunt etiam sublimia & alta præcepta, in quibus sunt occulta pietatis mysteria, & theoremata sermonum cœlestium. Hæc, inquit, distribuite, & pro captu uniuscuiusq; diuidite, quantum possit unusquisq; ingenio proprio comprehendere. Neq; enim omnibus Paulus eadem disputabat. Alijs nihil prædicabat nisi Christum Iesum, & hũc crucifixum, non in persuasione sapientiæ uerbi, sed in ostensione spiritus atq; uirtutis. Inter perfectos autem sapientiam loquebatur: quia non capiebat uniuersus populus percipere sapientiam in mysterio quæ abscondita est. Ideo enim eam Christus abscondit, ut1. Cor. 2 eam stulti non intelligant, prudentes studiosius quærant, & enarrent in progenie altera, quæ spiritus foret uirtute perfectior: quoniam generatio superior per infirmitatem fidei perfectæ sapientiæ cognoscere sacramenta non potuit. Et ideo signum quærebat, ueritatem repudiabat: cum utique non ueritas signi, sed signum ueritatis sit. VnMatth. 12 de respondit ei dominus: Generatio nequam & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei nisi Ionæ Prophetæ. Ad arguendã itaq; perfidiã Iudæorum, Ionæ exemplum accersitur, eo quòd Niniuitę signo crediderunt, & prædicationẽ Ionę qui fuerat in utero ceti, sequendam putarunt. Iudęi aũt nec post resurrectionem domini Iesu crediderũt, qui de corde terrę post triduum resurrexit, & uiuit ac regnat per omnia secula. Amen.

Psalmi quadragesimioctaui enarratio.

Huius titulus est, In finem filijs Chore Psalmus Dauid.

A Vdite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem terræ.] In principio ipso uocem domini salutaris agnoscimus Gentes uocantis ad Ecclesiam, ut errori renuncient, ueritatem sequantur, & pij cultus munus agnoscant. Sed quia serpentis uenenis infecta erant corda successionis humanæ, & peccatis obnoxia conscientia dum desperat ueniam, se reuocare non poterat remedium pollicetur, indulgentiam sponte pietatis suæ largitate promittit, ut reus non timeat, bene conscius gratuletur, quòd bono domino exhibeat ministerium seruitutis, qui nouerit peccata donare, honorare uirtutes. Deniq; eadem serie uocationis etiam in Euangelio nos dominus adhortatur dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitisMatth. 11 sum, & humilis corde. Deinde iugum suum suaue, & onus leue esse cõmemorat: quoniam qui desperauerit medicinã, sanus esse non poterit. Et ideo omnibus grata est manuetudo, quæ uulnera interiorum curat animorum. Venturus igitur ad ægrotos, ueturus

turus ut medicus, qui grauia ulcera noſtra curaret, medicamenta proponit, ut uideant homines, & ad remedium ſalutis fida ſedulitate cõcurrant. Sic illa in Euangelio meruit ſanitatem, quæ profluuio ſanguinis per duodecim annos laborauerat. Audiuit medi- cum uenisse, feſtinauit contingere, dicens: Si tetigero fimbriam eius, ſalua ero. Intra ſe hoc dixit, & Chriſtus audiuit, & tetigit fimbriam eius, & uirtus de ſaluatore proceſſit, quæ curauit ægram, firmauit inualidam, profluuium ſtatuit, pietatem probauit. Simili- ter ergo & hic omnes Gentes uocat ad ſapientiæ fontem atq; prudentiæ, redemptio- nem omnibus pollicetur, ut nemo trepidet, nemo deſperet, ubi nullus excipitur, ſed omnis anima inuitatur ad gratiam, ut ſine precio redimatur à crimine, & fructum uitæ adipiſcatur æternæ. Hic ſenſus eſt Pſalmi: quem ſuo ordine digeremus, cum explicaue- rimus ſuperiorum uim qualitatemq; uerborum. Præcipiuntur enim audire Gentes, & auribus percipere qui inhabitant orbem terræ. Illum utiq; orbem terrarum, de quo ſu- pra dixit: Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum. Quam Græci οἰκουμένην di- cunt, eo quod inhabitetur à Chriſto, ſicut ipſe dixit: Quoniam inhabitabo in illis. Inha- bitat enim, ut impleat quæ uacua uidebantur. Quæ eſt ergo οἰκουμένη, niſi ſancta Eccleſia templum Dei, & habitaculum Chriſti? Nec incongrue Latini diſſono quidem ſermo- ne, ſed pari ſenſu orbem terræ nuncupauerunt, eo quod uita ſanctorum qui inhabitan- tur ab ſpiritu, ſicut rota in orbem ſine ulla curſus ſui offenſione uoluatur. In tribulatio- nibus igitur fundatur Eccleſia, in tempeſtatibus & procellis, in ſollicitudinibus & mœ- rore, in rebus aduerſis & in fluminibus præparatur. In quibus fluminibus? Audi dicen- tem: Eleuauerunt flumina uocem ſuam. Audi & in Euangelio: Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dicebat de ſpiritu quem accipiebant credentes in eum. In his ergo fluminibus præparatur Eccleſia, in quibus profluit Dei gratia. Hi ſunt fluuij qui aure percipiunt uerbum Dei, & loquun- tur, ut uerbum infundant pectoribus ſingulorum. Ideoq; ſcriptura diſcretionem fecit dicendo: Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem terræ.] Poſſunt omnes audire, non omnes tamen auribus percipere, niſi electi Dei. Ideoq; Saluator dicit: Qui habet aures audiendi, audiat. Illas aures dicit interioris ho- minis ſpiritales, cuius & nares legimus, dicente Iob: Spiritus diuinus qui eſt in naribus meis. Non omnes homines has aures, & has nares habent. Alia eſt enim forma cor- poris, alia gratiæ ſpiritualis. Qui ſpiritalis eſt, audit omnia, dijudicat omnia: animalis autem homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. Hic enim terrigena eſt, ille cœleſtis. Ideoq; addidit: Quiq; terrigenæ, & filij hominum: ſimul in unum diues & pauper, ut uniuerſos uocaret. Quis eſt terrigena niſi filius hominis? Quis eſt ſpiritualis, niſi Dei filius? Ille ex ſanguine concretus & carne, & uiri uoluptate generatus, iſte ex Deo na- tus. Alius diues in omni uerbo & ſcientia, alius pauper, gratia tamen diues: quia & pau- per clamauit, & dominus exaudiuit eum. Econtrario eſt & diues in ſuperbia, & pau- per in humilitate. Omnes uocantur ad Eccleſiam, ut omnes redimantur à Chriſto. Qui æger eſt, medicum inuenit: qui ſanus, ſapientiam acquirit, captiuus redemptorem, liber remuneratorem. Omnes ædificat ſcriptura diuina. In ea inuenit unuſquiſq; quo aut uul- nera ſua curet, aut merita confirmet. Simul autem in unum diuitis & pauperis facta uo- catio, in quandam humilitatem æqualitatemq; nos prouocat: ut neq; diues faſtidiat in- opem, neq; diuiti pauper inuideat, ſed utrunq; ſibi gratia una connectat quia & domi- nus pauper factus eſt, cum diues eſſet, ut idem & pauperum ſaluator eſſet & diuitum. Et ſubtexuit: Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiã.] Me- rito omnes uocantur, quia omnibus ſapientiæ fons abundat, nec theſauro pecuniario comparatur, quæ præcioſior theſauris omnibus declaratur. Ideoq; nec diues auertitur, nec pauper excluditur: quia ſapientia non facultates diſcriminat, ſed uoluntates. Ille ap- tior, qui prior affectu, & proximus diſciplina. Quòd ſi meditatio cordis prudentiam lo- quitur, quanto magis perfecta doctrina? Deinde admonemur non tumultuarium pro- ferre ſermonem, ſed exercitio quodam meditationis, & ſtatera mentis internæ exami- nare dicenda: quia ſcriptum eſt alibi: Statera fallax, nõ bonum. Inclinabo ad parabolam aurem meam: aperiam in pſalterio propoſitionem meã.] Sapiens auditor intendit, atq;

Marc. 5

Pſalm. 23

Leuit. 26

2. Corinth. 6

Pſalm. 82

Ioann. 7

Luc. 8

Iob 27

1. Cor. 2

Prouerb. 20

inclinat aurem suam ut intelligat parabolarũ figuras. Ipsum aurem suam dicit saluator, qui aurem habet audiendi. Aperit etiam dominus clausam propositionem suam, cum aptum organum sibi & uas electionis inuenerit: quod Psalteriũ uocat cuius similis Paulus dulcis gratiæ cantilenam neruis omnibus sibi concinentibus resultauit, sancti spiritus plectro interiorem chordam exterioremq; pulsando, ut & lingua oraret & mente,

1.Cor.14 Ideoq; ait: Orabo spiritu, orabo & mente: Psallam spiritu, psallam & mente. Huiusmodi ergo uirum Christus multo antè promittit, per quem manifestaret abscondita, & inuoluta prophetici obscuritate sermonis aperiret. Bonum psalterium, cũ fidei uita consentit, & caro animæ, uirtuti aspirat uoluntas. Hoc est dulce psalterium, ubi canora est disci-

Esaiæ 35 plina uiuendi, ut impleatur illud quod scriptũ est: Clara erit lingua mutorum. Sequitur, Vt quid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circũdabit me.] Hoc est, cũ os meũ loquatur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiã, in die iudicij timere quid possum? Nisi forte calcanei mei iniquitas mihi sit abluẽda. Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est uulneratus, & obnoxiã hæreditatem suc-

Citatur ab Augustino lib. 1. cap. 2. contra Iulianum. cessionis humanę suo uulnere dereliquit ut omnes illo uulnere claudicemus. Vnde dominus discipulis pedes lauit, ut lauaret uenena serpentis: & Petrus reprehenditur quod

Ioann. 13 excusabat ne sibi dominus pedes lauaret. Ideoq; dictum est ei: Nisi lauero tibi pedes, nõ habebis mecum partem. Quo audito nõ solum pedes, sed etiam manus obtulit abluendas. Cui dominus respondit: Qui lotus est, non habet necesse ut iterum lauet, nisi ut pe-

Psalm. 37 des lauet, sed est mundus totus. Ergo Dauid dicit: Iniquitates meæ superposuerunt caput meum: qui se nouerat in iniquitate esse cõceptum, & in delictis à matre generatum: dominus autem qui sua peccata non habuit, nec cognouit proprias iniquitates, ait: Iniquitas calcanei mei circundabit me. Hoc est, iniquitas Adæ, non mea: sed ea non potest mihi esse terrori. In die enim iudicij nostra in nobis, non alienæ iniquitatis flagitia puniuntur. Vnde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoq; dominus qui pro nobis uniuersa suscepit: Lauemus, inquit, & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse uirtutum, nec paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito. Noti metuat lubricum hæreditatis, qui cupit uestigiũ tenere uirtutis. Iniquitas ergo calcanei nostri præuaricatio est Adæ, per quem prolapsus est in contemptum & dissimulationem cœlestium mandatorum. Est etiam iniquitas calcanei, Iudæ hæsitanda proditio. Calca-

Ioann. 13 nei ideo, quia scriptum est: Qui manducat mecum panem, leuabit super me calcaneum suum. Bene & ibi suum, & hic meum dixit. Suum, quia Christus sine iniquitate: hæc autem solius iniquitas proditoris: Meum autem calcaneum, quasi ultimum sui corporis Iudam Christus appellat, cuius nos sumus corpus & membra. Apostoli præstantiora & actuosa membra sunt Christi, Iudas calcaneum, quasi extrema pars corporis serpenti obnoxia, & patens uulneri. Primum ergo calcaneum Adam, secundum calcaneum Iudas Ille lapsus totius hæreditatis, hic solius proditoris, qui hæreditatem implicare non potuit, quia iam non carnales sumus, sed redemptoris hæreditas, scriptura dicente: Est hæreditas credentibus in domino. Est & illa iniquitas calcanei sui, quæ circundedit Chri-

Psalm. 117 stum. Circundantes, inquit, circundederunt me, & in nomine domini ultus sum in eos.

Ibidem 92 Calcaneũ eius Synagoga est, decor & gloria uultus eius Ecclesia: sicut scriptũ est: Dominus regnauit, decorem induit. Illi ergo sunt calcaneum, de quibus dicit: Qui confidunt in uirtute sua: quiq; in abundantia diuitiarum suarum gloriantur.] Diuites enim eguerunt & esurierunt. Quod de Iudæis dictũ est. Sed & omnes qui luxuriose uiuũt, & non tenent caput, calcaneum Christi sunt. Sed hæc generalia, quę late patent. Cæterum specialiter de Iuda locutus est proditore, qui sibi ualidus & diues apostolatus gloria uidebatur. Deniq; de passione domini sermo contexitur: Frater non redimit, redimet homo: nec dabit Deo propiciationem suam, & preciũ redemptionis animę suæ.] Hoc est, ut quid timebo in die mala? Quid enim potest mihi nocere, qui non solum non indigeo redemptore, sed ipse omnium sum redemptor? Alios liberos faciam, & pro me ipse tre-pidabo. Ecce faciam noua omnia, quę supra ipsum germanitatis affectũ sint atq; pietatem. Quem frater eodẽ matris utero effusus in lucem redimere non potest, quia parilis naturę infirmitate retinetur, redimet homo, sed ille homo de quo scriptũ est: quia mittet illis

illis dominus hominem qui saluabit eos, qui de seipso dixit: Quæritis me occidere, ho- Ioann. 8
minem qui ueritatem locutus sum uobis. Sed quãuis homo sit, quis cognoscit eũ? Qua-
re nemo cognoscit? Quia sicut unus Deus, ita & unus mediator dei & hominum homo
Christus Iesus. Ipse est solus qui redimet hominem, uincens pietate germanos: quia pro 1. Tim. 2
alienis sanguinem suũ fudit, quem nemo potest offerre pro fratre. Itaq; corpori proprio
non pepercit ut nos redimeret à peccato, & dedit semetipsum redemptionem pro om-
nibus, sicut uerus eius testis asseruit Apostolus Paulus, qui ait: Veritatem dico, nõ men Roman. 9
tior. Sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum æquare pietate, ut pro seruu-
lis suis animã suam ponat, nemo integritate. Omnes enim sub peccato. Omnes Adæ il-
lius subiacent prolapsioni. Solus redemptor eligitur, qui peccato ueteri obnoxius esse
non possit. Ergo per hominem dominũ Iesum intelligamus, qui suscepit hominis cõdi-
tionem, ut in carne sua peccatũ omnium crucifigeret, & chirographum uniuersorũ suo
cruore deleret. Sed forte dicas: Quomodo redempturus frater negatur, cũ ipse dixerit: Psalm. 21
Narrabo nomen tuum fratribus meis? Sed non quasi frater nobis, sed quasi homo Chri- 1. Corinth. 5
stus Iesus, in quo deus erat, peccata dimisit. Sic enim scriptum est: Deus erat in Christo Ioann. 1
mundũ reconcilias sibi. In illo Christo Iesũ de quo solo dictũ est: Quia uerbũ caro factũ
est, & habitauit in nobis. Non ergo quasi frater, sed quasi dominus habitauit in nobis,
cũ habitaret in carne. Cum igitur reconciliauerit Deo mundũ, utiq; ipse recõciliatione
nõ eguit. Pro quo enim peccato suo propitiaret deum qui nulla peccata cognouit? De-
nicq; didrachma poscentibus Iudæis, quod pro peccato dabatur ex lege, dixit ad Petrũ:
Simon, reges terræ à quibus accipiunt tributũ uel censum? à filijs suis, an ab alienis? Re- Matth. 17
spondit Petrus: Ab alienis: Cui dixit dominus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non facia-
mus illis offendiculũ, mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aper-
to ore eius inuenies staterem. Illum tollens, dabis pro me & pro te. Ostendit ergo quòd
non pro se propitiationem debeat peccatorũ, quia seruus peccati non erat, sed ab omni
erat liber errore. Filius enim liber, seruus est in reatu. Ergo liber iste ab omnibus nec
preciũ redemptionis animæ suæ dat, cuius sanguinis precium poterat abundare ad uni-
uersa mũdi totius redimenda peccata. Recte ergo alios liberat, qui pro se nihil debeat.
Plus adijcio: Non solum pro se Christus precium non debet suæ redemptionis, aut pro-
piciationem pro peccato, sed etiam si de fideli quocunq; homine accipias, possit intelli
gi: quia non debeãt singuli propiciationem suã, quia propiciatio omniũ Christus est, &
ipse est uniuersorũ redemptio. Cuius enim hominis sanguis iam idoneus est ad redem-
ptionem sui, cum pro redemptione omniũ suum sanguinem Christus effuderit? Est er-
go cuiusquã sanguis qui Christi possit sanguini cõparari? Aut quis tã potens homo qui
pro se propitiationem suã dare possit supra eam propitiationem quã in se obtulit Chri-
stus, qui solus deo mundum recõciliauit per suũ sanguinem? Quæ maior hostia? Quod 2. Cor. 5
præstantius sacrificiũ? Qui melior aduocatus, quàm qui pro peccatis omniũ factus est 1. Tim. 2
deprecatio, & animã suam dedit pro nobis redemptionem? Non quærit ergo propitia-
tio aut redemptio singulorũ, quia omniũ preciũ sanguis est Christi, quo nos redemit do-
minus Iesus, qui solus patrẽ reconciliauit, & laborauit usq; in finẽ, quia nostrũ laborem
ipse suscepit, dicẽs: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiã uos. Vide laborati Matth. 11
tem: Laboraui clamãs, raucę factę sunt fauces meę. Et alibi: Isachar quod bonũ est cõcu Psalm. 68
piuit, requiescẽs inter sortes. Et infra: Supposuit humerũ suũ ad laborandũ, & factus est Genes. 49
uir agricola. Ergo homo nõ dabit iam propitiationem suã nec redemptionem, quia se-
mel ablutus est à peccato, per sanguinẽ Christi. Laborabit tamen ut seruet præcepta ui-
uendi, & à mãdatis cœlestibus non recedat. Dum uiuit, in labore sit, & perseueret in eo,
ut uiuat in finẽ, ne & ipse morte moriatur, cũ sit iam redemptus à morte. Qui autem ser-
uauerit mandata uitę, nõ uidebit interirũ, cum uiderit mori eos qui sibi sapientissimi &
prudentissimi in hoc seculo uidebantur. Quod specialiter ad Scribas & Pharisæos spe-
ctat, qui sibi cathedras in Synagogis uindicant, quasi sapientiæ principatũ. Hi uere fru-
stra laborãt, cũ putant quia per didrachmũ liberentur, cum spiritale precium animę suę,
atq; illud singulare dominici corporis sacrificiũ, inani quadã legis interpretatione con-
tempserint, refugientes baptismatis sacramentũ. Neminem enim sanguis redimit hir-
corum atq; taurorum, sed omnes unus sanguis liberat Christi, cuius in Leuitico figura

non

nō ueritas est. Non enim didrachmo, sed illius solius sanguinis precio liberamur. Simus ergo docibiles Dei, ut nemo nostrū uideat interitum in illo die quando damnabuntur morte perpetua sapientes istius mundi, uel principes Iudæorum quādo simul insipiens & stultus peribunt. Non idem est utrunq;. Stultus est qui nihil sapit, & stulta intelligit:

Psal. 13 Insipiens, qui mala sapit. Dixit insipiens: quia non est Deus. Quomodo iniquus, nō qui æquitatem nesciat, sed qui improbitate cordis sui iniqua cōmittat: improbus quoq; dicitur, eò quod probitatem malitia sua destruere uelit, non quia probitatem ignoret. Ipsi ergo insipiens & stultus quando pereunt, alienis relinquunt diuitias suas. Suū enim & legitimum stultitiæ & improbitatis hæredem reperire non possunt. Legitimi enim dicunt: Quia filij Dei sumus. Si autem filij, & hęredes: hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen cōpatimur, ut & simul glorificemur. Insipientes ergo diuitias non habent, quia nec hæreditatem habent. Non habent diuitias infidi, non possessionem. Fideli enim totus mundus possessio est. Non habent hæreditatem, quia sola est hæreditas credentibus in domino. Suas autem diuitias habent. Ideoq; auarus dicit: Nō habeo quo cōgregem fructus meos. Non enim uerus fructus, sed auari fructus, pecunia est. Et dominus auaro dicit: Vade uende bona tua, & ueni sequere me. Non enim perfectum bonum est patrimonium, sed hæc sunt auari bona, quæ in emolumento aliquo constituta sunt. Vende, inquit, quæ putas tua esse, cum tua non sint, quia ad alios fluminis modo transeunt: & sequere me, ut bonū immortale cognoscas. Sapientes ergo in interitū deducuntur, quibus Deus abscondit quę paruulis reuelauit. Peribunt simul, & in uno eodemq; loco erunt insipiens & stultus, & alienis relinquent diuitias suas: quia nō inuenit nequitia legitimū successorem. Et sepulchra eorū domus eorum in seculum tabernacula eorū in progenie & generatione: inuocauerunt nomina eorū in terris ipsorū.] Vbiq; scriptura sepulchra pro uilibus ducit: quibus degeneres & uitæ huius cupidi cōparantur. Sepulchrum patens est guttur eorum. His ergo qui ad diem & de die uiuunt, sepulchra prō domibus sunt. Domus enim iustorum non in terra est, sed in cœlo: sicut Apostolus docuit, dicens: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Vnde ait scriptura: Et Moyses quidem fidelis in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorū quæ dicenda essent: Christus uero tāquam filius in domo sua. Pijs ergo domus est Ecclesia, pijs patria cœlum est. Ideoq; iustus ait: Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Luxuriosis domus sepulchrum est. Deniq; tanquā in sepulchro uiuunt, qui possunt dicere: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur: resurrectionem ante oculos non habentes, ideoq; tumulis suis affixi atq; attumulati adhęrent, quia resuscitari seposse non crediderunt. Habitaculum ergo illis in suo busto est, & tabernaculū eorum in progenie & generatione terrena est, qui uermes sui corporis hæredes relinquunt: ut hic tātum sit memoria eorū, & in ęternum transire non possit. Deniq; nomina eorū in terris ipsorū: quia opera eorum corruptibilia atq; terrena. Et ideo ibi scribuntur eorū nomina, ubi uiuere maluerūt. Qui autem eleuauerunt opera sua, ijs dicitur: Nolite gaudere, quia dæmonia uobis subiecta sunt, sed gaudete quia nomina uestra scripta sunt in cœlo. Hinc ergo intelligimus quia non ociose dominus eos arguit qui ędificabant sibi sepulchra uel tumulos Prophetarū, & exornabant ea. Condemnantur enim Iudæi qui Prophetis quos occiderant, terrena solatia, non ęterna præmia deferebant. Ideoq; prohibet ut discipulus suus sepeliat patrem, quia æterno patri sine cessatione esse debet intentus. Et in Esaiæ libro scriptū est: Quid, inquit, quia ædificasti & excidisti tibi sepulchrum? Et reprehenditur Maria quæ Christum in tumulo requirebat. Relinque sepulchra, quæ reliquerunt qui audita uoce domini in ipsius passione surrexere de tumulis. Noli inter mortuos habitare, qui uitis. Audi uocē resuscitantis Iesu: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, ut lumen tibi Christi infundatur æternum. Lumen eius spiritus sanctus est, qui Apostolis sanctis in dispersione linguarum tanquā ignis illuxit. Sequitur: Homo cū in honore esset, nō intellexit, cōparatus est iumentis quæ sine sensu sunt, & similis factus est illis. Hæc uia eorū in offendiculum ipsis, & postea in ore suo cōplacebunt.] Quia nō intellexit homo cū in honore esset. (Est aūt honor quia ad imaginem Dei factus est, factus est rationis capax.) Comparatus est iumentis quæ sensum nō habent. Qui aūt intellexit, angelis cōparatur. Et ideo

Matth. 8
Esaiæ 22
Luc. 24
Ephes. 5
Act. 2
Roman. 8
Prouerb. 17
apud 70
Matth. 19
Lucæ 18
Matth. 11
Psalm. 5
Philip. 3
Hebr. 3
Psalm. 38
Esaiæ 22
Luc. 9

Et ideo hic bonorum operum claritate magnificatus est, ille sicut equus adhinniens esti
matur collusione uiuendi, quæ uiæ offendiculum affert in turpitudine & obscœnitate
uiuentibus. Insipientia enim uiri contaminat uias eius. Huiusmodi autem uiri uiuũt se- *Prouerb. 18*
cundum appetentiã suam, quæ offendiculum creat, & post offendiculum cõplacebunt *apud 70*
in ore suo, sed nõ in corde. Non enim boni de quibus dicitur: Ore suo benedicebant, & *Psalm. 62*
corde suo maledicebant. Quo responsum est etiã ijs qui habent in codicibus suis ita scri
ptum: Et postea in ore suo benedicent. Verbum enim tuum prope, & in ore tuo sit, & in *Roman. 10*
corde. Sicut oues in infernum deducentur, mors depascet eos: & dominabuntur eorum
iusti in matutinum, & auxilium eorum ueterascet in inferno à gloria eorũ.] Qui nolue-
runt ut pasceret eos Christus, depascet eos mors. Quis ergo dimittat bonum pastorem,
qui pro ouibus suis animam suam ponit, quia pertinet ad eum gregis sui cura? Aut quis
eligat mercenariam mortem, quæ operum pessimorũ digna mercede referatur? Simul
cognosce ô homo quia Christus uerus est pastor, qui suos pascit ad uitam. Mors subin-
trauit, quæ ad interitum adducit alienos, & deuorat eos quibus potest propter eorũ fla-
gitia prævalere. Quibus licet in hac uita studium potentiæ fuerit & diuitiarum, ut alijs
dominarentur, sed in resurrectione erit seruitus, cum iustis matutinus splẽdor illuxerit:
quorum figura est quòd Iacob dominus præponitur fratri. Miserabilis itaq; seruitus, ut *Genes. 24*
eo tempore quo alij uocãtur in gloriam splendoris & luminis, horum gloria ueterascat,
& consumatur in tenebris inferorum. Meritoq; de his dicitur: De honore suo & gloria
sua expulsi sunt: quia temporalis hæc gloria. Veruntamen deus liberabit, inquit, animã
meam de manu inferni, cum acceperit eam.] Bene hoc dicit, qui sciebat animam suã in
inferno non derelinquendam. Descendit enim ut captiuos absolueret de faucibus infe-
rorum, non ut in his captiua remaneret. Ergo quoniam hæc, quæ in isto seculo sunt, no-
biscum transire nõ possunt, ideo tibi dicitur: Ne timueris cum dives factus fuerit homo,
& cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniã nõ cum morietur accipiet omnia,
neq; simul descendet cũ eo gloria domus eius.] Noli, inquit, expauescere diuitias & po
tentiam diuitis, & gloriã secularem, quoniã caduca illa sunt, & citius abeunt quàm uene
runt. Somnium est iste thesaurus: euigilas, & recessit: quoniã qui potuerit crapulã mun-
di istius edormire, & sobrietatem uirtutis assumere, ista cõtemnit, & pro nihilo pecuniã
ducit. Neq; timueris cum multiplicatã gloriam domus alicuius potentis audieris. Inspi-
ce diligenter, & uacua est, quæ nihil habet in se de fidei plenitudine. Et quid de domo di
cam? Vacuus erat totus hic mundus antequã numero credentium eum Christus imple
ret. Ideoq; scriptum est: Iudicabit inter Gentes, replebit ruinas. Quid enim aliud erat an- *Matt. 24*
te in hoc mundo, nisi ruina perfidiæ? Quid est ruina? Audi dicentem: Vbi ruina, ibi &
aquilę. Id est, ubi ruina, ibi & resurrectio. Ruina, uacua firmitatis est: resurrectio, plenitu
do uiuẽdi est. Ideoq; nos Adæ illius ruina uacuauit: sed Christi repleuit gratia. Ideo se il-
le exinaniuit, ut nos repleret, atq; in carne hominis plenitudo uirtutis habitaret. Quid
sit ruina, cognosce. Dũ uiuit homo, infusus est spiritu. Vbi mortuus fuerit, uacuus utiq;
huius uitalis est spiritus. Multo magis uacuũ facit amissio gratiæ spiritualis, quem gratia
replere consueuit, ut possimus dicere: Quoniã nos omnes de plenitudine eius accepi- *Ioann. 1*
mus, & gratiã pro gratia. De alio dicitur: In uacuum laborauit: iustus autem sicut odor
agri pleni. Quid autem nõ uacuum quod seculare atq; mundanũ, cum recte dixerit qui
mundum istum sobria uirtute contempsit: Nudus sum natus, nudus & moriar? Nũquid
secũ quis potest auferre quæ possidet? Hic omnia derelinquit, solus intrat in tumulũ, &
uacuũ illius diuitis est sepulchrum, quem nec ipsa terra capiebat. Vnde dictũ est: Nun- *Esaiæ 5*
quid soli habitabitis super terrã? Nunquid descendit in illud sepulchrum gloria domus
eius, aut copiæ? Vide uim scripturę. Gloria seculi non descendit cum peccatore, sed glo
ria uirtutis ascendit cũ innocente. Et ut cõpendiosius dicamus, gloria hominis cũ ascen
dente ascendet, cum descẽdente nõ descendet. Quod gratiæ est ac uirtutis, ascendet. In
paradisum ascenditur, in infernum descenditur. Descendant, inquit, in infernũ uiuen- *Psalm. 54*
tes. Ideoq; Lazarus pauper per angelos in Abrahæ sinum est eleuatus. Diues luxurio- *Lucæ 16*
sus eleuans in inferno oculos suos rogat Abraham ut mittat pauperem, & digito suo
cõtingat linguam eius, quo requiem aliquam in ardore maximo constitutus posset adi-
pisci. Vide illũ pauperem bonis omnibus abundantẽ, quem sancti Patriarchæ requies

beata

beata circundabat. Vide hunc uacuum, qui sibi in hoc seculo abundare omnibus uidebatur, cuius anima in uita ipsius benedicebatur: sed nunc iners morte cruciatur. Vnde pulchre sequitur: Quoniam anima eius in uita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cum benefeceris ipsi.] Benedicent, inquit, eum benedictione terrena. Stulti homines, qui præsentia, non futura considerant. Benedicent eum assectæ eius atq; parasiti. Ipse quoq; beatum se putat, si agrum aliquem quem desiderabat inuaserit. Confitetur tunc Deo, cum ei in hoc seculo secunda succedunt: quando autem aduersa contingunt, impio ore maledicit. Hoc ergo dicit, quia secularis non agit gratias in paupertate positus & aduersis. Iustus autem in angustijs magis dominum grato benedicit affectu. Deniq; diabolus ad Deum dicit: Quid mirum si te benedicit Iob? Abundant ei omnia. Sed mitte, inquit, manum tuam, & tange ea quæ possidet: uideamus si in faciem te benedicet. Et dedit ipsi dominus potestatem ut quæ seculi essent huius, auferret: carnē ipsius ulceris atrocitate perfunderet. Iob tamen benedicebat dicēs: Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum. Introibit usq; in progeniem patrum eius, usq; in seculum nō uidebit lumen. Homo cum in honore esset, non intellexit, cōparatus est iumentis quæ sensum non habent, & similis factus est illis.] Ideo, inquit, iste in progeniem patrū suorum introibit. Qui est pater impiorū, dominus declarauit dicens: Vos ex patre diabolo estis. Sunt & illi patres de quibus dicitur: Relinque mortuos sepelire mortuos suos. Ideo & Moabitæ usq; in tertiam & quartam generationem prohibiti sunt introire in Ecclesiam domini, ut filij eorum propter peccata patrum suorum introirent in eorum generationem, quorum facta imitabantur & mores. Vnde & scriptum est: Filij adulterorū in consummatione erunt. Ergo qui non illum patrem qui in cœlo est sequitur, sed illum terrena colluuione uiuentem, in progeniem terreni patris intrat. Qualis enim terrenus, tales & terreni: ut sit eius uita terrena, requies nulla post mortem. In ęternum non uidebit lumen: quoniam temporale quæsiuit. Ille autem qui Christi secutus est gloriam, qui desiderauit illud lumen, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, inuebit secum, quia cum in honore esset, non intellexit: & ideo erit similis iumentorum, similis debuit esse angelorum, per domini nostri Iesu Christi gratiam: cui est honor, gloria, perpetuitas à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

Iob 1
Ioann. 8
Matth. 8
Deuter. 23
Sap. 3
1. Cor. 15
Ioann. 1

In huius Psalmi tractatu beatus Ambrosius infidelitatem & impietatem Maximi tyranni grauiter redarguit, qui ausus est dominum suum Gratianum Imperatorem fraude & dolo perimere: quem Imperatorem in domini tabernaculo habitare, & in monte eius requiescere dicit.

In enarrationem Psalmi sexagesimi primi præfatio.

Titulus. In finem pro Idithum Psalmus Dauid.

OMnium nostrum indubia consuetudo est, ut festinemus ad finem, & eorum quę legimus uel uidimus & audiuimus, uelimus summam cognoscere. Vnde titulus ipse ociosos nos esse non patitur, nec feriatis prętereire auribus desiderij cōmunis indicium. Præ cæteris enim, licet etiam in cæteris clareat, diuinū tamen in huiusmodi Psalmo refulget oracultum. Vnde diligentius quid sit finis consideremus. Finis enim dicitur τέλος, & summa rei eius quam uolumus explicare. Finis dicitur Christus: quia ipse est finis legis, sicut scriptum est: Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Finis etiam dicitur, quia ipse est principium & finis. Ergo isti Psalmi qui tituIantur In finem, aut de Christo sunt, aut ipsius Christi. De Christo, cum ipse annūciatur: Ipsius Christi, cum ipse se nunciat, uenturumq; promittit in terras, & futurā nobis reuelare dignatur proprij corporis passionem. Ideoq; ipsi Dauid inscribuntur in titulo: quasi uero Dauid ipsi domino prophetici oris ministerio deputentur, per quem humanę uocis officio uis cœlestis increpuit, & diuina sententia resultauit. Meritoq; pro Idithū, qui fuit Propheta, & Psalmos cum sex filijs canebat suis, uelut quædā præfatio est, eò quod esset his uenia prophetanda, qui in psallendi ministerio constituti, diuina oracula humana uoce loquerentur. Et quia pro totius mundi abolendo errore suscipienda dominici corporis passio foret, huius licet nomine cuius sedulitas probaretur, cōmendatiorem eruditionem plebis expressit. Itaq; ipsum audiamus loquentem.

Romam. 10

Nonne

NOnne deo subdita erit anima mea?] Suscepturus carnem hominis dominus noster Iesus, ut in se eam ipse mundaret, quid prius quàm peccati ueteris primum debuit abolere contagium? Nam quia per inobedientiã culpa irrepse rat, dum mandata diuina temerantur, obedientiã utiq; præ cæteris debuit reformare, ut seminarium erroris excluderet. Fibra enim inde manauerat: & ideo sicut bonus medicus radices prius ulceris debuit amputare, ut medicamentorum salubre remedium uulneris ora sentirent. Frustra enim cicatricem curaueris, si serpant interiora contagia: imò acerbatur uulnus, si foris clauditur, cum interius uirus exæstuat. Nam quid proderat donasse peccatum, si peccandi maneret affectus? Hoc erat non sanare cicatricem, sed claudere. Voluit itaq; mundare uulnus, ut affectum sanaret, ne inobedientiæ sordes ulla remaneret. Suscepit ipse obedientiam, ut nobis eam transfunderet. Sic enim oportebat, ut quoniam per inobedientiam unius hominis peccatores constituti erant plurimi, per uniùs rursus obedientiam iusti constituerentur multi. Vnde ualde errare eos res indicat, qui carnem hominis à Christo aiunt esse susceptam, affectum negãt: & contra ipsius dominis esse non possit. Nam caro sine affectu, & præmij immunis & culpæ est. Illud ergo suscipere debuit & sanare, unde culpa manauerat, ut originem erroris & quasdam prorumpentis delicti fores clauderet. Vnde ego hodie hominem agnoscerem dominũ lesum, cuius carnẽ non uideo, affectũ lego? unde inquã hominẽ eũ agnoscerem nisi esuriset, nisi sitisset, nisi fleuisset, nisi dixisset, Tristis est anima mea usq; ad mortẽ? Deniq; scriptum est: Et homo est, & quis cognoscit eum? Sed homo per ista cognoscitur, qui per opera diuina supra homines estimatur. Itaq; ipse eousque se hominem credi uolebat, cum deus esset, ut se appellaret hominem, dicens: Quid me quæritis occidere, hominem, qui ueritatem locutus sum uobis? Nec solum hominem, sed etiam filium hominis dicere t, si cutait: Quid me dicunt esse homines filium hominis? Vnde ille summã tenere fidei pro nunciatus est, qui & dei filium cognouit, & hominem non negauit. Ipse igitur utrumq; unus, inseparabilis numero, & agnoscendus operis distinctione, non uarietate personę. Non enim alter ex patre, & alter ex Maria: sed qui erat ex patre, carnem sumpsit ex uirgine: affectum assumpsit ex matre, ut infirmitates nostras ipse susciperet. Vnde ait Propheta: Et pro nobis dolet. Quomodo dolebat meo dolore, si meum nõ gerebat affectũ? Homo, inquit, in plaga, & sciens ferre infirmitatem. Itaq; quasi homo infirmatus est, quasi homo doluit, & nos quasi hominem æstimauimus eum esse in doloribus: sed quasi uictor infirmitatum, non infirmitatibus uictus, pro nobis non pro se dolebat, & infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, ut nos suo liuore sanaret. Quid utiq; est homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plagæ habebat compassionem? Aut quomodo sciebat ferre infirmitatem, si sensum infirmitatis excluserat? Quod enim portamus, hoc pro onere sustinemus. Suscepit ergo peccata nostra, ut portaret: suscepit etiam, ut purgaret. Deniq; scriptum est: Et peccata eorum ipse purgauit. Ideo ipse hæreditate possidebit multos, & fortium partietur spolia. Ibi enim maior triumphus, ubi mẽs interna mundatur. Quod portat igitur, ad remissionem pertinet: quod purgat, ad correctionem. Suscepit itaq; compassionem nostram: suscepit & subiectionem. Quod enim subiecit sibi omnia, suum est: quod subiectus est, nostrum est. Ideoq; ait: Nónne deo subdita erit anima mea? Anima, inquit, subdita non diuinitas: anima subiecta, non dei uirtus. Virtus enim dei non potestati subdita est, sed unitati, & consortio eius utitur potestatis. Illa subiecta est, quæ humanæ conditionis fragilitate plerunq; mutatur, non quæ mutari non potest. Anima carni compatitur, & animæ caro, quæ sibi quodam contubernio copulantur, illa subijcitur, quæ tristis est, quia scriptum est: Tristis est anima mea usque ad mortem. Illa subijcitur, quæ suscepta, non ex deo patre nata: quanquam ipsa subiectio nõ in specie quidem infirmitatis sit, sed in operatione uirtutis: dispensationis magis temporarię arbitra, quàm perpetuo seruitio mancipata. Vnde & ait: Nónne deo subdita erit anima mea? Cur dixit erit, si sempiterna subiectio est? Sed quia filius dei qui loquebatur, æternus est, animam autem suscepit ex tempore, ideo futuram subiectionem animæ suæ dicit. Per ipsam ergo obedientia, per ipsam humilitas: quæ tamen non ad infirmitatem potentiæ suscepta sunt, sed ad magisterium disciplinæ. Ipse enim dominus

Rom. 5

Matth. 26

Ioann. 8

Marc. 8

Esa. 53

Ibidem.

Matth. 26

Iesus cum esset in dei forma, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetip
sum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, in specie inuen
tus ut homo: humiliauit semetipsum, factus obediēs usq; ad mortem, sicut Apostolus di
cit: non iugem & perpetuam, sed temporalē subiectionem cupiens declarare: qualis sit
Hebr. 5 suscepta cum carne, & deposita cum ipsius corporis seruitute. Sic etiam ad Hebræos scri
ptum est. Nam cum proposuisset exemplum dicens: Tu es sacerdos in æternum, secun
dum ordinē Melchisedech: subiecit idem Paulus: Qui in diebus carnis preces & suppli
cationes adhibuit ei qui posset liberare eū de morte cū magna uoce & lachrymis: & ex
auditus ab illo metu, quanquam esset filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiā: &
consummatus obtemperantibus sibi causa factus est salutis æternæ: uocatus à deo sacer
dos secundū ordinē Melchisedech. Nonne igitur euidenter clamauit Apostolus, dicēs,
obedientiam illam & humilitatē non diuinitatis fuisse, sed carnis? Quod enim discitur,
temporale est. Quasi homo ergo ex his quæ passus est didicit obedientiam, ut cōsumma
retur in carne, & per obedientiæ transfusam in nos successionem causa fieret nobis salu
tis æternæ, quibus ante per inobedientiæ hæreditatē primus ille Adam causa factus est
mortis. Subiectio ergo magisterium uirtutis humanæ, non diuinę imminutio potestatis
est. Nam si illum minorē filium & inæqualem patri dicunt, quia erat subditus matri? Lectū est enim de Ioseph & Ma
nunquid & matre ideo minor, quia erat subditus matri? Lectū est enim de Ioseph & Ma
Luc. 2 ria: Et erat subditus illis. Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed incremento est,
per quam omnibus nobis dominus Iesus fidē infundit & gratiā, ut nos spiritu fideli sub-
1. Cor. 15 ditos patri faciat deo: & ideo nouo & profundo consilio Apostolus ait quòd ipse patri
erit subiectus in nobis, cum fuerit in omnibus plenitudo fidei, & quędam deuotionis u
nitas. Nunc enim quandiu sententijs discrepamus, quodammodo regnū Christi minora
mus: quia nondum ei subiecta sunt omnia, cuius regnū unitas est. Cum autē subiecta illi
fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit illi qui sibi subiecit omnia: ut sit deus omnia in
omnibus sicut scriptū est: Nunc enim potestate supra omnes est: sed opus est ut sit in om
nibus uoluntate. Volet autem cum omnia in nobis cognouerit sui plena, & uacua deli
ctorū. Nondū igitur subiectus est patri, quia nondū omnia & in omnibus Christus. Cum
autē fuerit omnia & in omnibus Christus, erit omnia & in omnibus deus. Vnde colligi
tur unū esse regnū patris & filij & etiā spiritus sancti: quia qui filiū receperit, recipit & pa
trem, recipit & spiritū sanctum: quia una potestas, una gratia, una operatio trinitatis est.
Meritoq; addidit dominus: Ab ipso enim salutare meum.] quasi diceret: Nolite turbari
quia dixi animam meam fore deo subditam. Anima erit subdita, quæ uestri est portio: sa
lutare autē meū ab ipso, hoc est, quia à patre & in patre semper sum. A patre enim ueni
Ioan. 15 in hunc mundū: etsi uidetis hominē, dei filiū credite. Cum uenerit autē paracletus quem
ego mittā uobis à patre meo, spiritus ueritatis, qui à patre meo procedit, ille testimoniū
perhibebit de me. Et filius à patre procedit, & spiritus ab ipso procedit. De unitate ergo
diuinitatis ambiguum nihil. Ideoq; concupiuit Dauid hoc salutare dei nobis dari: quia
ipse est uita æterna, si & patrē uerum deū cognoscamus, & filiū, quem pro nostra certum
Philip. 2 est salute uenisse. Sed non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Assertionem suæ
diuinitatis sequestrat, & dispensationis humanæ repręsentat officium. Ideoq; adiunxit
statim: Etenim ipse est deus meus, adiutor meus, defensor meus: nō mouebor amplius.]
Hæc utiq; quasi homo loquitur, quia in deo spem nostram debemus reponere, ne facile
labamur: quamquam in eo quod locutus est, Non mouebor amplius, ostendat habere
Hebr. 12 se diuinæ insignia potestatis. Habes enim alibi dicentē: Adhuc ego semel terram moue
bo. Mouit diluuio, quando præter arcam Noe caro omnis interijt. Mouit cum Sodoma
& Gomorra sacro igne consumptæ sunt. Hæc supernæ indignationis indicia sunt. Sed
quia elegit genus hominū dominus magis seruare quā perdere, nō mouebitur amplius
ad indignationem, qui uenit ad misericordiam: uenit ut redimeret nos suo sanguine, nō
ut nostrū effunderet. Venit ut se offerret pro nobis, & quasi bonus negociator mercem
suam propriį corporis passione seruaret. Et cum hoc diceret, leuauit oculos suos, & ui
dit hinc persecutores, inde nequitias spirituales in unum conuenire, & ait: Quousq; in
ruitis in hominem interficientes uniuersos?] Hoc est: Quid delere genus festinatis hu
manū? Nescitis me pro omniū redemptione uenisse? Obtuli me pro cunctis, ut omnes
mea

mẽa oblatione protegerem. Homínem ergo aut pro humana omní accípimus multitudine: aut ſi de uno accípimus, de ipſo dictum intelligimus. Irruitis, ſed in hominem, quia ſupra deum irruere non poteſtis: ſicut habes alibi: Quid me quæritis occidere hominẽ? Matth. 26
Neq; enim diuinitas morti poterat eſſe ſubiecta, ſed humana ſuſceptio. Si ergo in me irruitis, & me uultis tenere: quid eos qui mecum ſunt, uultis occidere? Satis eſt uobis habere quem quæritis. Non quæro conſortem paſſionis, qui ad ſalutem omnium adiutore non egeo. Non requiro legatum, nuncium non præmitto: ſed ipſe me nuncius obtuli nõ quærentibus: me tradidi non comprehendentibus, ut liberarem eos qui mortis laqueis fuerant comprehenſi. Irruitis igitur tanquam parieti inclinato, & macerię impulſæ: ignari quia ueni non ut inclinarem parietem, & maceriam impellerem, ſed ut ſoluerem. Ve- Epheſ. 2
ni enim pax, ut faciam utraq; unum, medium parietem maceriæ ſoluens, qui carnem & animam diuidebat, ut unum ſentire non poſſent: & ideo caro animæ repugnabat, & ſub dita imperio eius eſſe non poterat, quia obiecti parietis obſtaculo gubernaculis eius parere non poterat. Lex igitur carnis legi mentis aduerſabatur. Hunc parietem ueterum inimicitiarum uelut murum ſuſtulit dominus Ieſus, & peruios fecit eſſe conuentus mentis & carnis, ut in unum coeuntes, id quod erat utriq; ſalutare ſequerentur. Paries ergo quædam eminentia delictorum eſt. Vnde ad pontificem Iudæorum dicit Paulus: Percu- Act. 23
tere te incipiet deus, paries dealbate. Paries enim luto cæmentisq; conſtruitur. Hinc ædificabant Aegyptij ciuitates, quando Iudæi lateres facere cogebantur. In Aegypto lutum conficiebatur, & populus dei peccatum illic operabatur. Ideo gemebat: ideo exaudítus & liberatus eſt à peccato. Ideo lex data, promiſſa gratia: ut lex peccatum ex parte reſecaret, gratia omne donaret. Et cum hæc nobis conferret, hæc pro nobis ſubiret, nos precium eius repellebamus. Vnde ait: Veruntamen precium meum cogitauerunt repellere.] quando precium referente Iuda proditore, Iudæi in loculum mittere noluerunt, dicentes: Nõ licet nobis mittere in loculum: quia precium ſanguinis eſt. Damnatur hic Matth. 27
iudicio ſuo proditor, qui refudit precium quod accepit: infirmus ad ſacri muneris teſtimonium, ſed ualidus ſceleris ſui teſtis. Vnuſquiſq; enim grauior accuſator eſt ſui, & inexcuſabilem in ſe fert ipſe ſententiam. Principes ſynagogæ ſuo condemnant ſe iudicio. Profitentur enim precium eſſe ſanguinis quod dederunt, dum arguunt refundentem. Nam ſi recipiendum non fuit, nec ſoluendum fuit. Atq; utinã aut nõ dediſſent, aut quia dederant, nec recepiſſent. Repudiarunt enim quod in loculum mittere noluerunt, & emerunt inde agrum in ſepulturã peregrinorum. Merito ergo gentiles quibus agri eius qui morte emptus eſt Chriſti, ſepultura profecit, iam non ſunt aduenę atq; peregrini, ſed Epheſ. 3
ciues ſanctorũ facti ſunt, & domeſtici dei: quia conſepeliuntur dei filio: Iudæi autem qui paſſionis eius precium repudiarunt, peregrinãtur à Chriſto. Tolerabilior illis uel in hoc proditor, quod confitetur errorem: illi autem crimen ſuũ excuſando acerbant. Verecundior eſt enim confeſſio poſt delictum. Impudenter igitur refellebant cõmune ſacrilegiũ confitentem, dicentes: Quid ad nos? Tu uideris: Quid enim dicebat proditor niſi hoc, Matth. 27
Peccaui quòd tradiderim ſanguinem iuſtum? Quod erat crimen tradentis, quomodo ſcipientis non poterat eſſe peccatum, cum ſcelus ſceleri ſit adiunctũ: ut quem ſceleratè emerunt, ſceleratius trucidarent? Cucurri, inquit, in ſiti.] Verũ eſt quidẽ quòd dominus noſter Ieſus ſitiuit. Beata domini ſitis: quia ſitiuit pro nobis, & maxime in paſſione. Denicq; dixit: Sitio. Tunc itaq; ſitiebat, quando de latere ſuo reſtinctura ſitim omnium uiuæ Ioan. 19
aquæ fluenta fundebat. Denicq; ſcriptũ eſt: Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuę. Sed Ibidem. 7
in Græco medie poſitũ eſt, quia ἔδρεμον & ſingularem & pluralem numerũ ſignificat. Ergo quia cucurrerunt, iuxta Græcum poſſumus intelligere, diximus autem quid exprimat cucurri, hoc eſt, feſtinaui ſitim omniũ ſuſcipere, ut uniuerſos perpetui fontis uberitate ſatiarem: cui enim dedero aquam non ſitiet, nec hic nec in futurum, ſicut dictum eſt Ibidem. 4
ad Samaritanam: nunc dicamus quid ſignificet, Cucurrerunt in ſiti: hoc eſt, feſtinauerũt ut perfidiæ ſuæ æſtu fontẽ uiuum negantes æterna fauces ſuas ariditate ſiccarent: ſicut ipſe dominus ait: Me dereliquerũt fontem aquæ uiuæ, & fecerunt ſibi cõtritos lacus. Nec Hier. 2
mirum ſi ſitierunt qui aquã fontis æterni tenere non poterant, lubrici perfidiæ ſuę rimis. Sitierunt ergo, quia ſe potu priuauerunt ſpiritali, quem hauſerant de conſequẽti petra. Vnde & Symmachus ait: τῷ δόλῳ αὐτῶν ἐνλόγουμ. Hoc eſt, placuit illis in mendacio, cum

obijcerent falſa pro ueris. Omne mendacium ſitim habet, ueritas ubertatem, quæ in per
petuum perſeuerat. Et quàm cito, probauit, quia cucurrerunt in mendacio. Ore ſuo, in-
quit, benedicebant, & corde ſuo maledicebãt.] Miſera perfidorũ ſitis, qui aliud tenebãt
corde, & ore aliud loquebantur. Vbi autem fidei exundat ubertas, corde creditur ad iu-
Rom. 10 ſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Quomodo autem benedixerint ore, & corde male-
Marc. 15 dixerint, ſeries paſſionis oſtendit, cum dicerent: Deſcendat de cruce. Stulti, de morte ſur
rexit, & non crediderũt. Quomodo ſi de cruce deſcenderet credidiſſent? Sperauit in do
mino, eripiat eum: liberet nunc eum, quoniam uult eum: quia illudentes potius quàm o-
ptantes iſta dicebant, & interrogabant utrum eſſet dei filius, uerbis pacifica loquentes,
corde accuſationẽ ſacrilegij cogitantes. Sed hæc myſtica: ueniamus ad moralia. Etenim
quoniam nõ ſemel appetitur Chriſtus: appetitus eſt ſemel in ſuo corpore quod ſuſcepit
in Virgine, appetitus eſt frequẽter in eo corpore quod eſt Eccleſia. Nos enim ſumus cor
pus Chriſti & membra. Appetitur & in ſingulis ſanctis ſuis & innocentibus, qui domi-
De Gratiano dicit impera tore. no ſe dicarunt. Recordamur aliquem proxime ab omnibus appetitum, à ſuis deſtitutum
ac proditum, qui dudum in ſuggeſtu locatus imperij, ſubito egens omniũ ab ipſis quo-
rum hæreditarium fuerat ſortitus obſequium, cœpit urgeri, ingruentibus in exitiũ, infe
rentibus mortem, nullo auxiliatore, nullo iam ſocio ſui, nullo comite. Quid aliud melius
dixerit, quã quod ex ipſo cui ſe deuouit acceperat: Nónne deo ſubdita erit anima mea?
Hoc eſt, Quid perſequimini? Quid furitis? Quid inſultatis? Carnem poteſtis interfice-
re, animam non poteſtis. Vitam iſtam corporis poteſtis eripere: meritum non poteſtis
Matth. 10 extinguere. Scriptum eſt enim: Nolite timere eos qui poſſunt occidere carnem, animã
autem non poſſunt: ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in ge-
hennam. Anima ergo quæ deo ſubdita eſt, non eſt humanæ ſubdita poteſtati. Ab ipſo e-
nim uitæ fructum ſperat æternæ, & perpetuę ſalutis auxilium. Ille ergo cui me tradidi, &
Sapien. 4 necatum tuebitur, & mortuum reſuſcitabit, & ulciſcetur occiſum. Raptus eſt iuſtus, ne
malitia mutaret cor eius. Mors ergo iſta magis peccati fuga, quàm morientis eſt detri-
mentum. Etenim ipſe eſt deus meus, adiutor meus, defenſor meus: non mouebor am-
plius.] Qui labitur, commouetur, eo quòd de integritatis & innocentiæ ſuæ quadã ſta-
tione defluat. Semel enim in petra Chriſti locatus, lubricũ nõ debet habere ueſtigiũ, ſed
tenere ſtatus proprij firmamentũ. Vnde immobilis dicitur qui ſeruat immobilẽ uolunta
tem, & propoſitum aliquod intentione animi fidelis exequitur. Nam & dei immobilem
Hebr. 6 uoluntatem legimus: ſicut habes ad Hebræos: In quo amplius deus oſtendere uolẽs hæ-
redibus repromiſſionis immobilitatem uoluntatis ſuæ, interpoſuit iuſiurandum. Recte
ergo immobilis uoluntas dei, quæ nullius peccati mouetur illecebris. Homines mobi-
Matth. 27 les, lubrici ad delinquendum, faciles ad errandum. Denicp de Iudæis dictum eſt: Tranſe-
Pſal. 21 untes autẽ blaſphemabãt eum, mouentes capita ſua. Et ipſe dominus in Pſalmo ait: Om
nes qui uidebant me, aſpernabantur me: & locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Caput
omnium Chriſtus eſt. Melius eſt igitur ut maneat Chriſtus in nobis, quàm aliqua noſtri
Luc. 8 commotione moueatur. Vnde Iudęi mouentes capita ſua dicebant: Tolle à terra talem.
Hunc Geraſeni rogabant ut de finibus eorũ recederet: Eccleſia autẽ tenuit eum, nec di-
miſit eum. Ideo illa quæ tenuit eum, poſſidet: Illi qui mouerunt, tenere non poſſunt. Pul
chre autẽ ait Euangeliſta quia tranſeuntes mouebãt capita ſua. Tranſeuntes, nõ ſtantes.
Ibid. 16 Stamus in atrijs ſanctis, præterimus in plateis. Sacerdos præterijt, leuita pertranſiuit, ſte
Pſalm. 128 tit ille qui uulnera inflicta curauit. Et ideo illi non dixerunt qui tranſibãt uiã: Benedictio
domini ſuper uos: benedicimus uos de domo domini. Stantes enim nõ tranſeuntes ſunt
pedes benedicentium. Denicp & uineã cuius ſoluta munitio eſt, tranſeuntes uindemiãt,
Thren. 2 non manentes. Tranſeuntes ſibilant, ſicut in Threnis Hieremiæ legimus: Tenuerunt ſu-
per te manus omnes tranſeuntes per uiã: ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuũ ſuper filiã
Hieruſalẽ. Ideo ſacerdos nõ potuit coronari, leuita nõ potuit, quia tranſierunt & tanquã
Act. 6 umbra prꝛterierunt. Stephanus autem martyrio coronatus eſt, quia ſtantem uidebat do
minum Ieſum, immobilẽ, nõ prætereuntem. Immobilis ergo fide Stephanus immobilẽ
Chriſtum uidebat: nullo erat mortis timore commotus. Nõ mouit ſe Stephanus, nõ mo
Pſal. 108 uit & Chriſtus. Commoti ſunt filij proditoris, de quibus dicitur: Commoti amoueantur
filij eius, & mendicẽt. Eget emꝫ medico qui mouet. Inops peccator, diues eſt iuſtus: quia
nullo

nullo bono deficit, qui dominum semper inquirit. Et quia inde tractus est sermo, quia dixit, Non mouebor amplius: quòd moueri ad culpam sit, ostendit ipse Dauid dicēs: Qui posuit animam meam ad uitam, & non dedit commoueri pedes meos. Vnde & sancto dicitur à domino deo nostro: Tu autē hic sta mecum, quoniam qui deo proximus est, ipsum nō potest esse uicinus. Omnis enim culpa uelut aduersario nisu de loco deijcere, & de proprio statu mentem mouere consueuit, quod uel ab hoste uel ab luctamine tractū uidetur. Perturbat ira, incendit libido, stimulat inuidia, excruciat auaritia, timor deijcit, mœror affligit. Et Petro dictū est à domino Iesu: Veni retro post me. Non dixit, Veni retro (hoc enim diabolo soli dixit) sed, Veni retro post me. Non est em̄ retro qui post Christum est. Sed quia errabat Petrus, sicut dominus ipse ait ad ipsum, quia non sapis, inquit, quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum, ideo post me ueni, ut incipias non humana, sed diuina sentire. Ideo & hic iustus rapiendus è terris ait: Non mouebor amplius. Dissoluí esto: quia mors iusto non naturæ finis, sed culpæ est. Inter has uoces subito uidet agmina persequentiū, & inter pericula positus non de se solicitus, sed de his quos liberare cupiebat, ait: Quousq; irruitis in hominem interficientes uniuersos? Si me quæritis, cur alios uultis occidere? Offero me ipse pro multis, quia pro omnibus solus se ille potuit offerre, qui auctor est omnium. Ipsius ergo quem sequebatur imitator, ait: Si me quæritis, sinite hos abire, ut impleretur sermo quem dixit Iesus: Quia non perdidi ex ipsis quenquā præter unum (hoc enim in alio libro sententia domini comprehendit) qui tamen sua magis peristuoluntate, quàm mea, inquit, seueritate punitus est. Et cum ego me sponte offerā, irruitis & incumbitis tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ. hoc est: Apex dudum nobilis sedis augustæ, & circunfusi toto orbe Romano ualidus quondā murus imperij, sicut paries inclinatus, aut maceries impulsa collabor. Sed esto, ad mortem me usq; appetierunt, quæsierunt ad necem, dicentes, Tollamus iustum, tollamus misericordem, quia grauis est nobis etiā ad uidendum, sed etiam existimationem meam, castimoniam meam sauciandam falsis calumnijs putauerunt, hoc est enim, Precium meū cogitauerūt repellere: quia precium nostrum pudicitia est, quæ nos separat à pecudibus, angelis iungit. Precium nostrum misericordia est, quę nos, dum cōfertur inopibus, redimit à morte. Precium nostrū fides est: quæ omnes homines gentili errore & seruitute depressos Christo acquisiuit. Preciū nostrum bona existimatio est, quia uniuscuiusq; nostrū meritorum series æstimatur. Precium nostrum munditia atq; simplicitas est, quia scriptū est: Possessio preciosa uir mundus. Nihil enim preciosius uiro simplici. Vnde Apostolus pulchre, Abundauit, inquit, in diuitijs simplicitatis suæ. Quid enim simplicitate ditius? quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, & sua puritate contenta, non quęrit alienum, nec fæpe cōmutat: sicut astutia, quæ ut sit cauta, timet omnia: nec se consilijs suis credit: uersat suas ipsa sententias. Simplicitas autem timere nil nouit. Hoc igitur genere preciū iustí repellere tentauerunt, etsi possit & illud intelligi, quia aurum eius manibus accipiebant, corde intimo repellebant, prædam tenentes, fidē negantes. Vnde & ait: Cucurri in siti, eo quòd fidem quæreret, & inuenire non posset: destitutus à socijs, à proprijs derelictus. Sic dominum Iesum legimus in Euangelio & esuriisse, & sitisse, cum esuriret fidem nostram, sitiret opera nostra, quærere uideretur aliena. Aut ut ad sitim corporis referamus, quanta indignitate dicit, Cucurri in siti? Hoc est: Ego sitiebam, cū alij mea uina ruerent: & ex illo suggestu sublimis imperij, opulentiaq; regali, ad extrema sitis plebeia quadā uilitate deductus sum. Et quia Græcus habet ἐδρόμων, quod significat & cucurri singulariter, & cucurrerunt pluraliter: potest & sic intelligi: Cucurrerunt in siti, quorū fauces æstu nimio fundendi mei sanguinis aruerunt. Sicut enim est sitis fidei, ita & perfidię: Sitim illam iustus sitit, qui ait: Sitiuit anima mea ad te deus. Istā perfidi, quorū lingua præsiti aruit. Quàm sitiuit ille qui inter conuiuij dapes & pocula constitutus, innocentis cōiuiæ necem moliebatur Augusti? Nonne tibi uidebatur impie, cum māducares, cędem parares, quòd humana sub dentibus tuis ossa crepitarent? cum uinum biberes, & parricidium cogitares, quòd illis poculis sanguinem tibi innocentis infunderes? Ita prorsus alienus non solum ab imitatione, sed etiā à lectione diuina, ut nō tibi ueniret in mentem

Psal. 65

Deut. 5

Marc. 8

Philip. 1

Ioan. 18

Gratianus imperator.

Psalm. 41

Maximus Tyrannus Gratiani imperatoris persecutor.

Psal. 54 uersiculus ille psalmorum, Tu uerò homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. atq; ille alius cuius meminit in Euangelio ipse dñs Iesus: Ioan. 13 Qui edit mecũ panem, leuabit super me calcaneum suum. Quid tibi faciam Ephraim? quid tibi faciam Iuda? Plures reliquisti nobis proditionis tuæ & fraudis hæredes. Hæc enim etiam ad proditorem Iudam potest per apostrophen deriuari. Prodidisti uitam, regnum domino. Sed Iesus dominus semel in se, frequẽter in seruulis suis proditur. Quod Matth. 25 enim uni horum minimorum fecistis, mihi (inquit) fecistis. Tu commissos tibi loculos & pecunias pauperum suscepisti, iste prouincias sibi creditas. Tu Apostoli honorẽ, ille militiæ dignitatẽ, administrationis insulas. Numero honores eius, ut crimen exaggerẽ. Conuiuij uiolastis uterq; consortium: tu tamen de conuiuio ad proditionem surrexisti, iste ad necem. hoc est, tu licet in scelere uerecundior, qui negasti quòd inferendam necẽ crederis domino quem prodebas, qui preciũ refudisti, ne residere apud te merces paricidij uideretur. Iste non solum tenuit acceptam, uerumetiam extorsit non oblatã mercedem proditionis. Iste non solum deceptus non est alieno mendacio, sed fefellit suo, & fefellit ut occideret. Et cum ille conuiuium recusaret, qui se uideret esse perimendũ: iste sacramentum obtulit, ne qua periret sibi cumulandi pars criminis. Postremò superioris proditoris pecunia profecit ad sepulturã peregrinorũ: iste sepulturã integram suo prin-
Ibid. 27 cipi denegauit. Nec defuit qui manus lauaret, dicens: Innocens sum à sanguine iusti huius, in quo se Pilatus non diluit, sed inquinauit: & implicauit, non exuit. Nam etsi nullũ pondus in perditorũ iudicijs, tamen uinculum maius in confessionibus. Iustos enim nõ absoluit sententia, sed sua uita. Iniusti seipsos uehemẽtius suis uocibus alligant, qui alios allígare non possunt. Tamen ne huic quoq; deesse cõfessio propria uideretur, iurauit ut peieraret. Lauit manus cum Euangeliũ tangeret, ne quid deesset exemplo. Lauit aqua manus, ut sceleratius inquinaret innocentis sanguine. Nec Herodes defuit, cui alter Pilatus se placiturũ credidit, si captum principem destinasset. Quid illud quoq; dicã, quòd is quoq; uestem dealbatam indutus est ad illudendũ: postea quoq; regia uestę donatus est ad moriẽdum: ne amisisse honorem debitum uideretur? Nam etsi scelere interijt, ius tamen collatæ sibi potestatis etiam mortuus reseruabat: eorum ipsorũ à quibus negabatur, uel ministerio, uel assensu. Addebatur huic tanto sceleri pompa feralis: nisi is qui impatiẽter ista deflebat, cognitis quæ parabantur, iusto cõmotus dolore increpasset uictorem superbum, tyrannis illa nõ regibus inferri solere. Sic horrere flagitijs, & sic citus deposuit teterrimi sceleris apparatum. Nec petitor igitur sepulturæ defuit, etsi Ioseph ille qui iustus dicebatur, defuit. Sed lõgè Maximus sæuior denegabat, quod ipse Pilatus auferre non potuit. In quo parricidę humanitas defuit, innocenti tamen non defuit gratia: & ad tempus assumpta patientia, uindicta paululũ comperendinata est. Ideoq; ait: Verumtamen deo subiecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea: quia ipse est deus meus, & salutaris meus, susceptor meus: non emigrabo.]hoc est: Nunquid sepultura negata corporis, perpetuæ quietis mansionẽ mihi abstulit? Habeo habitaculũ meum in domini tabernaculo, & in sancto monte eius requiescam: non emigrabo humano scelere, qui domini fauore susceptus sum: quia neq; mors, neq; gladius, neq; tribulatio à charitate Christi me separare poterũt. Nõ enim innocẽs de tabernaculis iustorũ, sed peccator emigrat. Migrant Iudæ proditoris hæredes: de quibus & similibus eorum meritò dicitur: Cõmoti amoueant filij eius, & mendicent, eijciant de habitaculis suis. Quod bene
Psalm. 108 & ad dominũ Iesum Christum refertur, qui cum descendisset in terras ut crucifigeretur, ut sepeliretur, non emigrauit à patre, sed in patre mansit. Traditus sum, & non egrediebar.]Nec deposuit quod erat, sed reseruauit: nec desiuit esse in dei forma, sed perseuerauit: non immunita per susceptionem corporis dei gloria, sed manente, triumphum
Mar. 14 acquisiuit, potentiam non amisit. Vnde ipse ait: Amodo uidebitis filiũ hominis sedentem ad dexteram uirtutis. Vnde cõuocatos Gentiũ populos, & acquisitos patri suo sanguine, hortat ad fidẽ dicens: Sperate in eum omnes cõuentus plebis meæ.]hoc est, Nõ solus Israel, sed omnes, inquit: nec solæ reliquiæ, sed etiã Gentiũ plenitudo: nec solę gen-
Rom. 11 tes, sed Israel. Cum enim intrauerit plenitudo Gentiũ, tunc omnis Israel saluus erit. Quis potest diuina mysteria comprehendere, quorũ tanta multitudo est, ut iure Paulus mire-
Ibid. tur, meritoq; dixerit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei. Repulsæ Gentes sunt,

sunt,ut eligeretur Israel.Cæcatus est postea Israel propter uocationem Gentium:& cæcati Israel reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt,postquã intrauit Gentium plenitudo. Ita culpa Israel profuit Gentibus, fides Gentium Israelitem populum liberauit.Effundite,inquit,coram illo corda uestra.] Qui induit fidem, prius perfidiam debet exuere,euacuare cor suum omni labe malitiæ, ut capax fiat cor eius gratiæ spiritalis.Ideoq; Apostolus ait: Renouamini spiritu mẽtis uestræ. Cum enim effunditur uetus malitia,nõ sumitur gratia,qua unusquisq; renouatur.Dicit ergo filius dei:Effundite coram illo corda uestra:quia sciebat patrem esse dicturum:Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Est etiam illa traditio, ut cor nostrũ uideamur effundere, quando omnes cogitationes alicui & uoluntates nostri cordis aperimus. Ergo iactemus in deũ cogitationes nostras, nec aliquid eum latere credamus. Effundimus cor nostrũ coram ipso,cum disceptationes exinanimus humanas. Veruntamen uani filij hominũ, mẽdaces filij hominũ in stateris, ut decipiant.] Si uani filij hominũ,& mẽdaces filij hominũ,possunt nõ uani esse filij dei:qui nõ ex sanguine, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uolũtate uiri,sed ex deo nati sunt.Nam filij hominũ uidẽt sibi põderare æquitatẽ,& grauitate superioris iudicij examinare iustitiam,duri alijs,remissi operibus iniquis,sermone censores.Vnde Salomon ait:Execrabile domino duplex pondus, & statera fallax non bona. In quo significat eos qui rapinam inexplebili corde meditantur,sobrietatem frõte prætendunt. Tales scribæ Iudæorum sunt,qui onera grauia alijs obseruantiæ durioris imponunt,non habentes rectum iugum animæ suæ,sed propensa iniquitate curuati:ipsi autẽ suorum refugi præceptorum sunt. Inuenitur itaq; in auaritia tanquam in radice uitiorũ omniũ,quæ sit caput iniquitatis & fomes:quam homo renuncians mundo, & consepultus Christo per baptismatis sacramentum,qui sit mortuus seculo,declinare debet atque defugere.Nolite,inquit,sperare in iniquitatẽ,& rapinam nolite concupiscere:diuitiæ si fluuant,nolite cor apponere.] Vides,quia fluunt,nõ uides quia præterfluunt? Nudus es natus,nudus moriturus es.Quid excipere quæris quod tecum auferre nõ possis? Fluenta sunt quæ miraris.quomodo ueniunt,sic transeunt & recedunt.Solus Iordanis retrorsum conuersus est, in quem conscendisti: qui te admonet ut in ipsum naturæ fontem & originem reuertaris, quæ te nudum, non uestem amictum edidit, ut discas superflua non requirere.Hoc quod erubescis,esse te nudum,culpa docuit,non natura. Nulla enim esset uerecundia genitalium, si culpa non esset. Neq; enim cætera animalia uestiuntur ut tegantur, neq; uestiuntur ut muniantur. Satis minuta sunt omnia naturæ suæ tegmine: nos dum superflua quærimus,tegmẽ naturæ amisimus,ius cõmune perdidimus. Ideoq; in hoc psalmo adscribitur doctrina medicabilis, quia uel Idithum uel seipsum illius nomine exercitio spiritali subeundis tentationib.erudiuit,ut in angustijs quis positus subij ciat se deo:etsi peccauit antè, peccare desistat,nec recidiuo errore moueatur. Semel locutus est deus,duo hæc audiui.] Semel locutus est deus,& plura audita sunt:quia non per literas & syllabas est locutus.locutus est per ænigmata, locutus est per uisiones, locutus est per diuisiones gratiarum,locutus est per spiritum singulorum. Nos autem plura loquimur,& uix audimur.Semel locutus in lege est,eadem iterũ locutus est in Euangelio.Aut fortè(ut ego puto)quia multifariam locutus est in prophetis, nouissimè autẽ locutus est in filio suo.Semel locutus est,quando locutus in filio est:et audita sunt etiam illa quę antè audita non erant ab ijs quibus locutus fuerat per prophetas.Semel ergo locutus est in nouo Testamento,& uetus auditum est Testamentum,quod non audiebatur,quia ipse dominus dixit de populo Iudæorum: Videbunt,& non uidebunt: audiẽt, & non audient.Audient aure corporea,sed non audient mẽtis auditu. Nobis ergo, hoc est Ecclesię,semel locutus est,& duo audita sunt:quia & illa audiuimus & intellexímus, quæ non intellexerant qui legerunt,non audierunt qui audierunt.Solus enim Christus aurem aperuit humanam ad cognoscenda mysteria,solus libri signaculum soluit, & resoluit ænigmata prophetarum.Ideoq; ipse reddet unicuiq; secundum opera sua: in quo & qualitatem operum comprehendit:ut aut complurium & meliorum restituat præmia meritis singulorum,aut contrà & numero grauemur & acerbitate meritorum.

Ephes.3

Ioel.2

Ioan.1

Prouerb.28

Heb.1

Marc.4

DIVI AMBROSII ME-
DIOLANENSIS EPISCOPI, COM-
MENTARII IN PSALMVM CXVIII.

PROLOGVS.

ICET mystico quoq; ueluti tubæ increpuerit sono Dauid prophe-
ta: tamen moralium magnus magister, quantum in eo excellat ethi-
ca, psalmi eius summa declarat gratia. Siquidē cum suauis omnis do
ctrina moralis sit, tum maximè suauitate carminis, & psallēdi dulce-
dine delectat aures, animumq; demulcet. Meritoq; pleriscq; locis mo
ralium psalmorū sententias tanquā stellarū diffundit lumina, quæ lu
cent atq; eminent: Centesimum uerò & octauum decimum psalmū,
uelut pleni luminis solem, meridiano feruentem calore, in processu
libri constituit ætate, ut neq; matutini ortus semiplena exordia, neq; uespertini occasus
quidam senilis defectus, claritati aliquid perfecti splendoris decerperent. Quem per sin
gulas Hebræorum digessit literas, ut quemadmodum paruulorum ingenia primis lite-
rarum elementis assuescunt discendi usum assumere: ita etiam nos huiusmodi elemen-
tis usum discamus uiuēdi. Literis autem singulis octonos uersiculos adscripsit, ut simul
& unitatem doceret, nō pluralitatem (unitas enim coercet omnia & regit, cui subiecta
sunt) & purgationem legitimæ sanctificationis. Octaua enim die solennis purgatio, uel
ex lege: quia octaua die circuncisionis solennitas impleri statuta est, uel quia totus mun
dus coinquinatus erat peccatis nostris, & septem illis pollutus diebus. Vbi autem uenit
dies resurrectionis, conuiuificati domino Iesu resurreximus, & erecti sumus, in nouitate
uitæ præferentes ablutionis gratiam. Meritoq; primogenita offerimus animantia in fi-
gura primogeniti filij dei, castitatis & simplicitatis spiritale sacrificium deo acceptum,
non quarto aut quinto die, ne immundum aut inconsummatum sacrificium sit: sed octa
ua die, qua omnes in Christi resurrectione non solum resuscitati, sed etiam cōfirmati su-
mus. Vnde licet in baptismate statim sit plena purgatio: tamen quia ablutionis ipsius sa
crificijq; rationem baptizatus debet cognoscere, non offert sacrificiū, nisi octauum in-
grediatur diem, ut informatus agnitione sacramentorum cœlestium, nō quasi rudis ho-
stia, sed quasi rationis capax, tunc demum suum munus altaribus sacris offerat, cum cœ
perit esse instructior, ne offerentis inscitia contaminet oblationis mysterium. Titulus
autem psalmi, Alleluia est.] hoc est, laus dei. In ijs enim uerè deus laudatur, in quibus est
peccatorum remissio. Deniq; in superiore psalmo passio domini prēmissa est, ut dignos
faceret populos qui deum immaculato ore laudarent. Ipsa quoq; literarum elementa, ut
omnia Hebræa nomina, non sunt rationabilis interpretationis uacua atque immunia,
quorum significationes locis suis aperiemus. Cētesimus & undecimus psalmus per has
literas in Hebræo in principijs uersiculorum digestus est, & est totus ethicus, & cente-
simus & decimus mihi ita scriptus uidetur. Deniq; uicenos & binos uersus habēt, & sin
gulis uersibus singulæ explicantur sententiæ. Vnde & per metra asserunt esse descripti.

SERMO I.

N Rima litera Aleph dicitur, cuius interpretatio doctrina est. Solicitus ergo
P auditor plenos doctrinæ esse uersus qui sequuntur, debes prēsumere. Bea-
ti (inquit) immaculati in uia, qui ambulant in lege dñi. Beati qui scrutantur
testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.] Quàm pulcher ordo, quàm plenus do-
ctrinæ & gratiæ: non prius, Qui scrutantur testimonia eius, dixit. potuit enim cōuenire
secundū literam: sed prius, Beati immaculati in uia. Antè enim uita quàm doctrina que-
renda est. Vita enim bona & sine doctrina habet gratiam, doctrina sine uita integrita-
tem non habet. In maleuolam etenim animam non cadit sapientia. Ideoq; ait: Quærent
Sap. 1 me mali, & nō inuenient: quia improbitate cæcat mentis oculus, & caligante sibi iniqui-
tate

tãte mysteria profunda inuenire non potest. Primũ ergo exercenda est uitæ militia, corrigendi mores. Cum instituerimus ad cursum debitũ, ut sit offensionis correctio, puritatis gratia: tunc ad studia percipiendæ cognitionis ueniamus suo ordine & uia. Prima igitur sunt moralia: secunda mystica. In illis uita, in his cognitio: ita ut si perfectionẽ requiras, nec uita sine cognitione, nec cognitio sine uita sit. Vtrũq; adstipuletur alteri. Ideoq; ait scriptura: Seminate uobis ad iustitiam, uindemiate ad fructum uitę, illuminate uobis lumen cognitionis. Non prius illuminate, sed seminate: nec solum seminate prius ad iustitiam, sed etiam uindemiate, inquit, ad fructũ uitę, & sic illuminate lumen cognitionis: ut perfectio nõ solũ consitis, sed etiã receptis fructib. approbet. In primo quoq; psalmo hunc ordinẽ tenuit, ut in uia ambulandũ doceret prius, & tunc in lege meditandũ. Qui enim non abijt in consilio impiorum, utiq; de pietatis uia & iustitiæ semita non recessit: meritoq; in uia ambulans beatus pronunciatur: & die ac nocte meditationẽ legis exercens, habet gratiam beatitudinis. Quam institutionẽ secutus Salomon, librũ de Prouerbijs scripsit, quo moralem locum uberius expressit, naturalem in Ecclesiaste, mysticum in Canticis canticorũ: quanquã si diligẽter discutias, & in Prouerbijs mystica pleraq; reperias, & in Canticis moraliũ suauitatẽ. Nam utiq; mysticũ est: Sapientia ædificauit sibi domum, & subdidit columnas septem: interfecit suas hostias, &c. Hoc quoq; in Cãticis, lucet mysticum, quod morale, in quo blanditiarum suauitas & affectus amantis exprimitur: Osculetur me ab osculo oris sui, quoniam optima ubera tua super uinũ, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Constitue ergo uirginem desponsatã multo tempore, & iusto feruentẽ amore, quæ multa præclara opera dilecti, probabilium testium assertione cognouerit, desiderijs suspensis dilatam frequenter, iam non ferentem moras, quæ omnia fecisset ut sponsum uideret, aliquando uotis potitam suis, ad improuisum sponsi aduentũ gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, nõ uerbo tũ uices: sed statim quod desiderasset exigere. Ita ergo & sancta Ecclesia quæ in primordijs mũdi despõsata in paradiso, præfigurata in diluuio, annunciata per legẽ, uocata per prophetas, diu redemptionẽ hominum, Euangelij decorem, dilecti expectasset aduentũ, impatiens moræ in oscula ruit, dicens: Osculetur me ab osculo oris sui. Et delectata osculis adiecit: Quoniã optima ubera tua super uinũ. Et, ut moralius dicamus intellige mihi carnem illã quæ madefacta fuerat in Adam serpentis ueneno, quæ criminũ marcebat fœtore, quæ procedebat in filiabus Sion alta ceruice, & nutibus oculorũ, & itinere pedum trahẽs tunicas, & pedibus suis ludens, crinium concinnis & cõpositis uultibus atq; redimiculis & omni affectato decore plus dedecens: eandẽ tamen plurimis edoctã oraculis quòd uenturus esset, qui serpentis illecebris exclusis, sancti spiritus infunderet gratiã, ut omnis caro uideret salutare dei, omnis caro ad deũ ueniret, inarsisse desiderio: sed metuentẽ ne ut impatiens, ut lasciua, ut luxuriosa, ut querula, sicut antè fuerat, displiceret, quamuis longiore quàm ferre iam poterat, morantis aduentus dominici expectatione quateretur: non immurmurantem tamen, nec transgredientem, sed leuante in omni loco puras manus sine ira & disceptatione, in habitu ornato, cum uerecũdia & sobrietate ornãtem se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut ueste preciosa: sed ijs quæ castitatis & bonæ conuersationis decerẽt gratiam, orare dicentẽ: Osculetur me ab osculo oris sui, quoniam optima ubera tua super uinũ. Iam uolebat adhærere Christo caro, iã festinabat innubere, ut esset unus spiritus, & fieret caro Christi, quæ erat antè meretricis. Osculetur, inquit, me. Osculatur nos dei uerbum, quãdo sensum nostrum spiritus cognitionis illuminat. Et tanquam despiciens omnes iucunditates & delectatiões suas, cœlestibus cupiens inhærere mandatis, ait: Quoniam optima præcepta testamẽtorum tuorũ super omnẽ appetentiã carnis, & seculi uoluptatẽ. Meminerat enim se in Eua antè sic lapsam: at dum uoluptatem corporis præfert mandatis cœlestibus, ait: Vnguentũ exinanitum nomen tuum. hoc est, totus immundis impuritatibus diuersorum facinorũ fœtebat hic mundus: nunc spirat ubiq; suauitas pudicitiæ, unguentum fidei, flos integritatis. Et à moralibus uenit ad mystica, dicens: Introduxit me rex in cubiculum suũ, exultemus & lætemur in te, diligamus ubera tua super uinum. Simplex est enim osculũ: negocios um autem cubiculi secretũ. In ipso quoq; Euangelio pulcherrimus de moralibus locus est, ut unusquisq; uas suum mundet, dicente domino: Pharisæe cæce, munda prius

Osc. 10

Psal. 1

Prouer. 9

Cant. 1

Luc. 3

1. Tim. 1

Cant. 1

Ibid.

Ibid.

Matt. 23

quod

quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id quod foris est, mundū. Nam nisi se unusquisq; intus mundauerit: etiam si foris speciosus uideatur & iustus, similis erat dealbatis sepulchris, ut foris quidem iustus uideatur, intus uerò sit fœtidus. Sic est doctrina sine ui tæ innocentia. Sed nec ipsa doctrina potest mercedem habere, ubi gratia non habet in-

Psal. 49 nocentiam. Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? Sed reuertamur ad propositum psalmum. Beati (inquit) immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.] Primus uersus moralis, secundus mysticus. Quis hoc dicit? Propheta utiq; qui fungebat carnis allocutio, & dicit hoc post eum psalmū quo descripta est domini nostri Iesu Christi passio. Vbi ergo & diuina sacramenta reuelata sunt, & induit dominicæ resurrectionis lætitiā, & passionis degustauit gratiam, uidit iustorū congregationes, populos redemptorum, perditorū salutē, mortuorū resurrectionē, sanctificationē sacramentorū, exclamauit dicens: Beati immaculati in uia, hoc est: Ecce maledicta terra in Adam cœpit habere beatitudinē, si tamen legem domini non derelinquat. Ecce immaculatus est homo, qui erat antè pollutus. Quàm pretiosum est custodire præceptum domini, quàm pretiosum etiam præcepti ipsius scire mysterium. Sed quis est immaculatus? Non utiq; qui in quacunque uia ambulat, sed qui in Christo ambulat. Ipse enim dixit:

Ioan. 14 Ego sum uia. In hac uia qui ambulat, errare non nouit, si tamen ab hac uia nunquam recedat. Est & uia lex: & ideo dum immaculatus est, in lege domini ambulet, nec ambulare in hac uia desinat, ne immaculatus esse desistat. Non declinet in dexteram aut læuam, non titubet, non re-

Philip. 5 sistat, non expectet, sed ambulet superiora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appe-

Rom. 10 tens, ad destinatū sequatur brauium. festinet, cōtendat usq; in finem. Finis enim legis est Christus. Multi uolunt ambulare in uia, sed non usq; ad finem. Non ambulant ludęi usq; ad finem, qui non usq; ad Christū ambulant. Non ambulat Manichæus in uia qui legem refutat: sed ambulat uera fides, quę & legē suscipit, & plenitudinē legis agnoscit. Si quis ergo in uia ambulat, scrutetē testimonia domini. Quod licet mysticū sit, tamen etiā moralia in se habet: quoniā melius potest ambulare in uia qui scrutatur domini testimonia. Nā ut quis intēperantissimus captus adulterinæ cupiditatis æstu, & uictus libidine, uel indulgens flagitijs, qui repugnare nolit appetentiæ suæ carnis, conuersus huc atq; illuc, si neminē forte uideat flagitij sui testem, in facinus ruat: idem tamē quamuis inueniat paratam occasionē potiendi, explorat diligenter omnia, in diuersum oculos suos, incuriosus iustitiæ, solicitus famæ, detorquet frequenter, erubescens testimoniū erroris, qui nō erubescit errorē: ac si quem forte spectatorē cognouerit facinoris sui, uerecundia sequestrat intemperantiam: & quamuis cum ancilla uel meretrice uulgari, ubi nullum sit deprehendendi periculum, tentamenta moliatur libidinis, pudore tamen inceptū deserit. Quanto magis si quis alleuet mentis oculos, & cōsideret plena esse angelorum omnia, aera, terras, mare, ecclesias, quib. angeli præsunt (mittit enim dominus angelos suos ad defensionem eorū qui hæredes futuri sunt promissorū cœlestiū) concepto potest renunciare peccato? Vnde ista turba innocentiū, nisi ex illis peccatoribus? Eadem natura est omniū, sed diuersa disciplina. Circumcisio nihil est, & gentilitas nihil est: sed obseruantia

Eccl. 23 mandatorū dei, naturæ ipsius auget gratiam: merita cōmutat ille qui dicit: Tenebræ in circuitu, & parietes me operiunt, peccatorū meorū non erit memor altissimus. Nō reuereris esses angelorum præsentiam, si præsentes esse crederes? Non metueres non dicam facere, sed loqui, aut etiam cogitare quod prauū est, si tibi diuina scriptura suasisset, quia

Esa. 43 deus cogitationū arbiter, secretorū testis est uerax, sicut ipse ait: Estote mihi testes, & ego testis, dicit dominus deus, & puer meus quem elegi? Hominē uereris præsentē, dei patris & filij non uereris præsentiam? Sed non uis credere, ne possis cauere: non uis audire cum legitur quia deus nouit occulta hominū, ne incipias scire quod timeas, & timere ne pecces. Audi ergo scripturam diuinam, ut cōuertaris à uia praua & maligna. Noli sicut cæcus oculis corporalibus, aut sicut surdus, qui eò quòd nō potest uidere nec audire præsentes, solum esse se credit, & in plurimorū cœtu, dum putat nullū esse præsentem, perpetrare adoritur quod arbitratur esse secretū. non potest enim uidētes uidere qui nō uidet. Similiter & tu mētis cæcatus oculis noli æstimare quòd sine teste delinquas, quia hominis præsentiam declinare potuisti. Plures sunt qui redarguunt, & quos cauere potuisti,

potuisti. Ipsum te fugere tui accusatorẽ non potes, quem conuenit propria conscientia. Et si negas alijs, tibi non negas. Et si homini inficiaris, deo fateris. Et si uolueris negare, tuę te cogitationes reuincunt. Helisæo assistebant angeli, quos uidebat: & ideo agmina hostium non timebat: sed timebat puer eius qui angelos non uidebat. Aperuit oculos eius ad uocem prophetæ gratia dei, uidit angelorũ exercitus, & credidit esse præsentes, quos antea, quia non uidebat, putabat absentes. Et tu lege prophetam ut uideas, lege ut aperiat oculos tuos, nec te hostilis legio perterreat, & obsessum esse te credas, qui liber es, qui munitus es spiritalib. turmis, si prophetã non derelinquas. Cum tibi propheta loquitur, quia deus dixit: Ego cœlũ & terrã compleo: cum tibi propheta dicit, quia plures nobiscũ sunt, quia in circuitu nostro angeli sunt: attolle oculos mentis, & uidebis nõ solũ angelos, sed etiã deũ, qui dicat tibi: Aperi mihi soror mea, proxima mea. Pulsat ad ianuam, & quando tu dormis: si tamen uel excitatus euigiles, uel uocatus ianuã tui pectoris aperias, introibit. Quòd si fugias lectionẽ propheticam, si domi nõ legas, in ecclesia audire nolis: nónne sicut ille qui auerso conniuet obtutu ne uideat quod possit uidere, claudit oculos ne aspiciat, cui potestas uidendi est: aut sicut in furore plerique iniecere manus oculis suis: ita & tu primò auerteris conniuenti magis, quę refragatione prærupta? Nam cũ ad ecclesiã uenis, & Christianũ te asseris, sanus uideris, aperis oculos quib. possis uidere: sed dum audire dissimulas quæ leguntur, claudis ne uideas tibi, etsi alijs uidere uideris: inijcis etiã quasdã perfidiæ & intemperantiæ manus oculis animæ tuæ, & cæcitatem infers cordi tuo, quod est grauius, uoluntariã, ut uidens nõ uideas, audiens nõ audias. Putas te solũ esse cũ fornicaris, & nõ recordaris quia oculi domini uident orbẽ terrarum? Nõ audis dicentem: Ecce uenit hora ut dispergamini unusquisque in sua, & me solum relinquatis: sed non sum solus, quia pater mecũ est? Adest ergo pater, adest & filius dei, assunt ministri, assunt Cherubin & Seraphin, qui dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus: plena est terra maiestatis tuæ. Plenus est enim mundus sanctarũ uirtutũ, quia plenus est nequitiarũ. Plenus est orbis terrarũ remedijs, quia plenus est laqueis. Putas quòd in lupanari Christus te nõ uideat, quem uidet lupanar ingredientem? Putas quòd in adulterio te non deprehendat, quẽ uidet adulteriũ cogitantẽ? Num parietes refugit, qui spectat errores? & secretũ criminis auersatur, qui scenam criminis intuetur? An putas tunc primũ te intrare meritoriũ, cum fornicẽ meretricis ingrederis? Intrasti iam, quando cogitationes tuas meretrix introiuit. Intrasti iam, quando ad potiendæ prostibuli cupiditatem gressus mentis intrasti. Pulsasti lupanaris fores, quando ad mulieris cõcupiscendæ decorẽ oculos mẽtis aperuisti. Et si uerũ audire uis: quomodo te in lupanari nõ uidit Christus, quando te uidit qui adulterando in corde tuo teipsum lupanar effecisti? Denique ipse dicit dominus Iesus: Qui uiderit mulierẽ ad concupiscendũ eam, iam adulterauit eam in corde suo. Vnde tũ tam religiosus in opinione, qui tam probrosus in crimine? Sed acquiesco tibi quòd Iesus te nolit uidere, nolit reuincere, qui nolit accusare: nolint uidere & angeli: sed uidet diabolus, qui tecũ introiuit, imò qui te introduxit. Vidẽt ministri eius qui te circũdederũt, ne uideres angelos dei. Vidit Belial, uidit legio, qui te impulerũt, ne quis reuocaret, ne quis te teneret. Noli putare quòd colludiũ tibi præster silẽtij, qui uolet tecum supplicij habere consortiũ. Studet plures similes sui uidere, & in eo habet gloriam quòd plures perditos fecerit. Ipse est incentor, ipse accusator, ipse in ludã introiuit, ipse eũ ad proditionẽ impulit, ipse misit ad laqueũ. Quãti dicturi sunt in illo die aduersus eũ: Tu nos circumuenisti, tu impulisti. Exemplum quæris? Accipe dicentem Euam. præuaricationis suæ autorẽ fuisse serpentẽ. Sed illum implicuit, nõ se absoluit. Cui respondit dñs: Non præceperã ne gustaretis de ligno solo quod est in medio paradisi? Respondit ergo ueritas & pluribus: Diabolũ audistis suadentẽ noxia, me nõ potuistis audire uitalia mandantem? Et ideo operemur iustitias. Non enim qui operantur iniquitatẽ, in uijs eius ambulauerunt. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Vtinam dirigantur uiæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar, cum perspiciam in omnia mandata tua.] Non solum mandasti, inquit, custodire mandata tua, sed etiam custodire nimis. Quando hoc mandauit? In paradiso quidem mandauit Adæ ut custodiret mandata. Sed fortasse non mandauerat nimis custodire: & ideo lapsus est, ideo inflexus uoce mulieris suæ, ideo deceptus erat à serpente, putans quòd si in parte aliqua recederet

4. Reg. 6

Hier. 32

Cant. 5

Ioan. 6

Esa. 6

Matt. 5

Gen. 3

cederet à mandato, nõ penitus erraret. ſed quia ſemel à ſemita mandatorum receſſit, totam deſeruit uiam, inuenit eum ſerpens extra uiam, & expoliauit, omnibuſq; nudũ reliquit. Ideo dominus, quia lapſus erat qui in paradiſo erat: poſtea te per legẽ, per prophetas, per Euangelium, per Apoſtolos monuit, ut nimium cuſtodias mandata domini dei

Matt. 12 tui. Omne, inquit, uerbum quod loquutus fueris, reddes pro eo rationem. Noli diſſimu-

Ibid. 5 lare, ab aliquo mandato iota unum aut unus apex non præterit. Noli recedere de uia. Si in uia ambulans uix tutus es à latrone: quid facies ſi te extra uiam uagantem inuenerit? Dirigantur greſſus tui: & ne infirmus ſis ad dirigendũ, precare ut dirigat dominus uias

Pſal. 39 tuas. Hic optat, Vtinã dirigant uiæ meæ: alibi dicit, Expectãs expectaui dñm, & exaudiuit me: & ſtatuit pedes meos in petra, & direxit greſſus meos. Roga ergo & tu ut dominus dirigat ueſtigia mentis tuæ, quo poſſis domini cuſtodire iuſtificationes. Non confunderis cũ reſpexeris in omnia mandata eius. Antè enim confuſus es in Adam & Eua. Denicq; nudus factus es, operuiſti te foliis, quia confundebaris: abſcondiſti te à cõſpectu

Gen. 3 dei, quia erubeſcebas, ita ut tibi diceret deus: Adam, ubi es? Cum illi dicit, tibi dicit. Adã enim interpretatione latina homo dicitur. hoc eſt, Homo, ubi es? Et Adam reſpondit: Timens, quia nudus eram, & tota mente confuſus, ante conſpectum tuum uenire nõ auſus ſum. Ergo ne confundamur, cuſtodiamus mandata domini, & cuſtodiamus omnia. Nam ſi quis unum mandatum cuſtodiat, & aliud præuaricetur, nihil ei prodeſt. Cuſtodiuit ſe aliquis à ſanguine, nõ cuſtodiuit ab adulterio, utiq; in uno conuictus, punitur etiã legibus ſecularibus: nec prodeſt ei alterius criminis abſtinentia, ſi in altero fuerit deprehenſus. Cõfitebor tibi domine in directione cordis.] Aduertis quas uias dirigas. In eo cum didicero iudicia iuſtitiæ tuæ. Iuſtificationes tuas cuſtodiã: non me derelinquas uſquequaq;.] Hoc loco myſtica plenius cognoſcere ſe uelle teſtatur, ut ingrediatur penetralia myſteriorum cœleſtium, & aperiantur ſibi theſauri ſapientiæ & ſcientię in Chri-

Cant. 1 ſto abſconditi. Vnde & Salomon ait: Attrahe nos poſt te: In odorem unguentorum tuorum nos curremus. Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Et fortaſſe illud quod ait ſuprà, Oſculetur me ab oſculo oris ſui: ſignificat ſpiritus ſancti ſuperuenientis gratiã, ſicut

Luc. 1 angelus ad Mariam dixit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Quando autem introduxerit eam rex in cubiculum ſuum, paſſionis tempus, lauteris compunctio declaratur, ſanguinis effuſio, ſepulturæ unguentũ, reſurrectionis myſterium, ut oſculum quaſi ſponſa acceperit: in cubiculũ autem Chriſti ſit introducta Eccleſia: non iam quaſi tantummodo deſponſata, ſed etiam quaſi nupta: nec ſolum thalamum ſit ingreſſa, ſed etiam legitimæ claues copulæ conſecuta ſit. Ideoq; quaſi in thala-

Cant. 1 mo ſita ait: Colligatio guttæ frater meus mihi, inter media ubera requieſcit. Quòd ſi cu-

Matt. 6 biculum quærimus, ipſe nos edocet qui ait: Tu autem cum orabis, intra in cubiculũ tuũ: & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito. Cubiculum Eccleſiæ, corpus eſt Chriſti. Introduxit eam rex in omnia interiora myſteria, dedit ei claues ut aperiret ſibi theſauros ſcientiæ ſacramentorum, clauſas antea fores panderet: cognoſceret quieſcentis gratiam, defuncti ſomnum, uirtutem reſurgẽtis. In illo cubiculo iuſtitias domini leſu nupra reperit. Quæ ſunt illæ iuſtitiæ? Vtiq; ſacramenta baptiſmatis, ſicut legimus: quia cum ue-

Ibid. 3 nienti ad baptiſmum diceret Ioannes, Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Reſpondit Ieſus: Sine modo. Sic enim decet nos adimplere omnem iuſtitiam. In illo cubi-

Luc. 7 culo iuſtificationes didicit, cognouit conſilium dei, ſicut ſcriptum eſt: Quia omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt deum, baptizati baptiſmo Ioannis: phariſæi autem & legiſperiti conſilium dei ſpreuerunt in ſe, non baptizati ab eo. Quod illi ſpreuerunt, nos eligamus, & ſequamur conſilium dei, quo nihil poteſt eſſe ſublimius. hoc enim diuinum, quo fit remiſſio peccatorum. Cum didicerit itaq; iuſtitias domini, deum

Philip. 1 timens non confundetur. Denique & Paulus ait: In nullo confundar. Et quia nullus poteſt perfectus eſſe ſine fauore dei, neq; tutus: ideo rogare debet ne penitus eum relinquat deus. Nam ſuprà rogauit Dauid ne derelinqueretur, dicẽs: Ne derelinquas me domine deus meus. hic ait: Ne derelinquas me uſquequaque: hoc eſt, multum. Supra forte quaſi adhuc imperfectus, & in magnis perturbationibus poſitus ſe derelinqui timebat. hic autem iam fortior non timet derelinqui ut tẽtetur, ſed rogat ne penitus derelinquatur. Plerunq; enim derelinquit deus quos uult probari: penitus autem derelinquit quos deſerit.

deserit. Dereliquit penitus Iudam: non dereliquit autem sanctum Iob, in cuius patrimonium ius tyrannidis aduersario tribuit, in cuius corpus potestatem diabolo dedit: in animam autem non dedit. Nam si dedisset in animam, penitus dereliquisset eum. Nunquid non ideo relictus est Iob, ut relictus probaretur, probatus coronaretur? Dereliquit igitur Iudam, cui ait: Quod facis, fac celerius. Dereliquit enim penitus quē sceleris sui permisit effectui. Alios autē non dereliquit Apostolos, quos cū uidisset esse turbatos, quia dixerat: Quo ego uado, uos non potestis uenire: addidit: Non turbetur cor uestrum. Et infra: Iterum uenio & accipio uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Denicq; turbatus Petrus qui derelinqui timebat, ait: Domine, quo uadis? Vidit dominus turbari eum, & respondit ei: Quò ego uado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Sic & in mari cum titubaret, clamauit ad Christum, & porrexit ei dexteram Christus, ne penitus derelictus periret. Nemo autem debet inflari quod nuncq; derelinquatur, uel dolere quod aliquando derelinquatur. Siquidē ipse filius se dicit derelictum, sicut habes: Deus deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et ille quidem nūquàm derelictus à patre est, cum quo pater semper est. Scriptum est enim: Ecce iam uenit hora ut dispergamini unusquisq; in sua, & me solum relinquatis. sed non sum solus, quoniam pater mecum est. Sed secundum corpus in quo est traditus passioni, uox ista processit, quoniam derelinqui nobis uidemur quando sumus in periculis constituti. Vnde & Paulus ait de patre deo: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Dereliquisse uidetur, quia nō pepercit qui tradidit morti: sed nō penitus dereliquit, cui dicitur: Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctū tuum uidere corruptionē.

Ioan. 13
Ibidem. 14
Ibidem. 13
Matth. 14
Psal. 21
Ioan. 16
Rom. 8
Psal. 15

SERMO SECVNDVS.

1 IN quo corrigit iuuenior uiam suam?] Superiorum octo uersuum nō absurda nobis cecidit disputatio: ideoq; & sequentia persequi studium fuit. Et primum literæ secundæ, hoc est, Beth interpretatio consideranda est, quę in Latinum conuersa, confusio dicitur. Sed qui uiam suam corrigit, non confundetur. Verum quia is qui corrigit, antè in errore fuit: (quomodo enim corrigitur, nisi quod antè deflexit à uero?) utiq; in lapsu positus, & adolescentiæ luxu, ac lasciuæ ætatis captus illecebris, ubi ad iuuentutis prouectus confinia sobria mente resipiscit: tanquam confusus animo, quomodo erubescenda deponat, & plena probitatis assumat, diu secū uoluit, & diuersis fluctuans cogitationibus librat atq; examinat, superiora obliuiscens, & ea quæ sunt priora appetens, quēadmodum uiam suam corrigat, offensionemq; adolescētioris ætatis seria iuuentutis fronte proterat. Vnde ne diu dubitet huiusmodi, & in incerto hæreat, dat Propheta consiliū, quasi cum eo ipse deliberans. Tunc enim salubriora consilia credimus, si propensiore meditatione examinata uideantur. Sed ipsa deliberationis susceptio docta definitione distinguitur, ut diuersarum cogitationum anfractus conuersus auferat, dicens: In quo corrigit iuuenior uiam suam?] Hic enim deliberantis est finis, quo uiam suam corrigat. Et respondet: In custodiendo uerba tua.] Et bene ad deum conuersus respondit deliberanti, quasi prece atq; oratione delata consilium hoc domini inspiratione reperiret, ut nō præsumptionis humanæ, sed dignationis diuinę remedium crederetur. Mens enim nostra uerborum cœlestium consperſa seminibus, quæ ante degenerabat in stirpibus, meliores cultus edere, fructusq; afferre incipit. Dirigamus igitur semitas nostras, nec tortuosi serpentis sequamur anfractus. Viæ enim domini rectæ: peruersæ autē uiæ errantium, de quibus dicitur: O qui dereliquerūt semitas rectas. In ordinem feges læta porrigitur, atq; in uersum quendam uineta ponuntur, ceruorum cursus directior, uulpeculæ flexuosus. Ideo de Herode dicit: Ite dicite uulpi illi. quia deflexerat à uia recta, nec iter suū in iuuentute correxerat. dignus Hieremiæ threno, quo deflentur peccatores, qui iugum uerbi in iuuentute suscipere recusarint. Ideo captiui dicti sunt, ideo deplorantur tanquam mortui, quia uitæ nescierunt semitas, & digna operæ cadauerum busto non declinauerunt. Flens ergo mortem perpetuam Iudæorum dicit Hieremias: Bonum est uiro cum tollit iugum in iuuentute: sedebit singulariter, & silebit, quia tulit in se. Non solum tollere iugū uerbi, sed in iuuentute debemus tollere. Si enim sero tollamus, incipimus pœnitentiā superiorū magis habere, quàm tenere gratiā. Præueniamus ergo iuuētutis annos correctiōe cōgrua, ut magis dicamus singuli: Deus

Luc. 13
Thren. 3

qui pascit me à iuuentute mea.quam recordationē habentes lapsuū defleamus dicētes:
Psal. 24 Delicta iuuētutis meæ,& ignorātiæ meæ ne memineris.Hoc debilitatis est remediū, illud robur salutis.Salutis medicina uulneri quæritur:gratia sanitati. ideoq; ait: Bonū est uiro cum tollit iugum in iuuentute.Ei autem qui post decursæ iuuentutis annos iugum tulerit,non est statim perfectum bonum.Stimulant enim eū peccata sua, exagitat conscientiā consuetudo peccandi,& usus erroris instabilē facit.Luctandū est diu huiusmodi uiro,ut abolere faciat inueterata atque diuturna. Huic in periculo res est,illi in bono. Deniq; sedebit ille singulariter,quasi is qui facile non inueniat æqualē, singularibus donatus præmijs:& silebit quietus & feriatus ab omni interpellatione mundanæ solicitudinis & uoluptatis,& diuinis uacabit oraculis,quæ solent singulariter sedentibus reue-
Ibid. 4 lari,sicut sancto Dauid,qui ait:Quoniam tu singulariter in spe cōstituisti me.Et hic quidem non in secreto solus sedebat,sed cum præesset populis:singulari tamen gratia præminebat.Helias solus sedebat cum ab Angelo,uel etiam coruis cibum deferentibus pasceretur.Solus,non solum secretus à turbis,uerumetiam, segregatus à meritis plurimorum.Deniq; reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant,cuius muneris fructū pro mercede adipiscebatur:quia à iuuentute sua iugum uerbi suscipiendum putauit, nec trahenda longo diutius sune peccata.Potest iuuenior iste qui fecit bonum, tollendo in iuuentute iugum uerbi,nondum perfectus,& adhuc iunior, segregans se à colloquijs æqualium,(quæ plerunq; corrumpūt bonos mores)& contagia uolens fugere peccantiū,ita intelligi singulariter sedere & silere,ne rudis ætatis facilitate labatur:sed intēdere seniorum dictis,prophetarum oraculis,Apostolorum magisterijs: laudandus eo, quia prius uult loquenda cognoscere,quàm proferre quæ sentiat,antequam loqui discat,timēs ne multiloquio peccatum contrahat. Vnde puto & Pythagoram illum philosophum imitatorem iuuenis huius prophetici instituisse sectam,ut discipuli sui quinquēnio non lo-
Ibid. 38 quentes tanto silentio loqui discerent:cum præsertim & Dauid superioris ætatis quàm Pythagoram fuisse non dubium sit,qui ait:Dixi,custodiam uias meas, ut non delinquā in lingua mea:Posui ori meo custodiam.Et quia forte aliquando aliquid locutus esset incautius:ideo postea à deo poni ori suo custodiam postulauit.Esaiam quoq; Pythagoricis anteriorem fuisse quis nesciat? qui cum audisset. Clama:non prius clamauerit q̄ audi-
Esa. 40 ret quid clamare deberet.Respondit enim,Quid clamabo? Vnde dictum est ei: Omnis enim caro fœnum:uerbum autem domini manet in æternū.Et prophetica uoce clamauit. Vterq; igitur iuuenis prædicandus:ille tamen serius,hic cautus:ille seipso cōtentus, & nunquam sibi solus:iste pulchram ætati lubricæ disciplinam asciscens silentij;nec ad-
Eccl. 25 huc sibi abundans,sed alijs se timens credere:quærēs tamē à iuuentute congregare quæ in senectute & sibi & proximis suis prosint,ne dicatur ei:Quæ in iuuentute non collegisti,quomodo inuenies in senectute? Ergo is si in cōsilio seniorum sederit,manū adhibebit ori suo:ut audiens sententias colligat quod sibi ad maturiorem seruet ætatem: quem
Luc. 2 admodum Maria cum uerba Christi audiret,conferebat ea omnia in corde suo. Quēad-
Ioan. 15 modum Ioannes cum caput suū supra pectus Iesu domini reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ.En tibi iuuenem qui uiam suam in iuuentute correxit.Piscator erat
Matt. 4 cū fratre suo,uidit dominum Iesum, cum plicaret retia sua,& audiuit dicentem: Venite, faciam uos piscatores hominū:& relictis retibus suis,& patre,secutus est eum. Viam seculi cœperat currere,sed auditis Christi imperijs deseruit uiam mundi,secutus est Christum:probauit quia in eo corrigit iuuenior uiam suam,si Christi, uerba custodiat, dicēs
Cant. 1 ad eum:Diligamus ubera tua super uinum.Sic tamen bibebat, ut non absorberetur uino:sed gratia eius lætitiam cordis hauriret,non corporis ebrietate titubaret. Deniq; bibens hoc uinum aperuit oculos suos,& uidit uiam rectam,reliquit tortuosas uias,dicēs: Aequitas dilexit te, hoc est,non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus ad te potest iustitiæ trames peruenire.Qui enim diligit iustitiā,non se auertit à Christo. Quomodo enim arbitrum iustitiæ, remuneratoremq; meritorum innocens metuat conscientia? In hoc ergo iuuene spectato, hoc est,in Ioanne,præuide magna mysteria,quæ in Canticis canticorum sanctus Salomon repletus domini spiritu resultauit. Cōstitue dominum lesum recumbentem in conuiuio,reclinantem se Ioannem supra pectus eius, mirantes amplios quod seruus supra dominum reclinaret,quod caro illa peccatrix supra templū uer-

bi

bi recumberet, quod anima illa carnis uinculis innexa, aulam diuinæ plenitudinis scrutaretur. Hæc ergo mirantibus alijs, respondit anima Ioannis: Fusca sum, & decora filia Hierusalem. Fusca per culpã: decora per gratiã. Dicit & caro: Fusca sum & decora. Fusca puluere seculari, quem certando collegi: decora oculo spirituali, quo mundi huius puluerem squalorem q; detersi. Fusca per uitium: sed decora iam per lauacrum, quo abluí omne delictũ. Fusca sum, quia peccaui: decora, quia iam me dilígit Christus. quam relegauerat in Eua, recepit ex uirgine, suscepit ex Maria. Dicit etiã synagoga, cuius mysteria hoc loco plerisq; uidentur exprimi: quæ cũ se reiici iam uideret propter totius plebis impietatẽ: sólabatur se tamen, quia ipsum Christum de populo suo, non tantũ, sed & Petrum, Ioannem, Iacobum, Christo adhærentes uidebat: quia habebat eloquia sibi credita. & ideo dicebat: Fusca sum & decora filia Hierusalem. Fusca per incredulitatem: decora per legẽ. fusca per lapsum: decora, quia dilexit me sol, & prior facta sum cõgregatio dei. Nolite refugere me quia fusca sum. ideo fusca sum, quia sol me reliquit iustitiæ, qui antè illuminare consueuerat. amisi colorem uultus mei, obtusa facta est acies oculorum meorũ quibus antè Solem uidebã. in tenebris ambulo, quæ diem Christi nescio. Nolite tamen despicere me, quoniam qui reliquit, potest rursum aspicere, misereri iterum. Solet cõgregare dispersos, desertos requirere, colligere destitutos. Omnes tribus Israel cõuenite, aspicite me decorã ante dilectam, Nolite aspicere me quoniã obfuscata sum. hoc est, non hoc solum aspiciatis, quia obfuscata sum. Nõ est intuitus me Sol, & ideo obfuscata sum. Sed lucet Sol super iustos & iniustos. Super iustos pro gratia, super iniustos pro misericordia: illis mercedẽ meritorũ tribuens, istis peccata dimittens. Et gentibus non lucebat ante, nunc lucet. Nunc illis oritur, qui oriebat mihi: qui illis remisit, remittet & mihi. Nolite arbitrari quoniam obfuscata sum quod penitus reliquerit me sol, & iam non intuetur, non requirat ægram. Dissimulauit à me, quia non seruaui mandata eius: reconciliabitur cũ uiderit meorũ pœnitentiã delictorum. Non uidit me Sol, quia non recepi aduenientẽ, non aperui fenestras ut lumẽ uitæ intraret. Cũ aperuero, illuminabit oculos meos, qui uenit ut totum mundũ illuminaret, & uideant etiã non uidentes. Filij matris meæ pugnauerunt aduersus me. Posuerunt me custodem in uineis: Vineam meam non custodiui. Putant alij hoc de illis dici, qui synagogam ad legis præcepta constringunt, ut legem custodiat, uineam suam tueatur, quam custodire nõ potuit. Denicq; custodiebat ut faceret uuas: fecit autem spinas. Quæ sit igitur uinea, uenit Dauid testificari nobis dicẽs: Vineam ex Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Possunt & Apostoli esse filij matris eius, qui uere impugnauerunt synagogam, dicentes: Ecce conuertimur ad gentes, & nationibus uerbum dei seminare cœperunt. Possunt & prophetæ intelligi, qui monendo denunciandoq; ut uineam suam custodiret synagoga, nihil profecerunt. Fecit enim spinas improbitatis, quæ uirtutis uberes fructus deferre debuerat. Et ideo confitetur, quia populum suum custodire non potuit. Meritoq; sero quærit tenere, quem cum teneret amisit, multo dissimilior eius quæ dicit: Inueni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Denicq; illa inuitat in hortum suum spõsum, hæc ubi pascat requirens, dicit ad ipsum: Annũcia mihi quem dilexit anima mea. Cur quem dilexit anima mea dicis, & non quem díligit? Cur dimisisti quem tenebas? Dilexisti patrum fide, amisisti incredulitate: tenebas charitatis uinculis, amisisti longo fune perfidiæ. Ideo nescis ubi pascat, ubi maneat. nam si scires, non quæreres. Dicis enim: Vbi pascis? ubi manes in meridie? Meridiem nosti esse Ecclesiam, quæ tenet Christum, & tu eum in noctibus quæris? Dic, inquit, mihi Christe, responde uel propter id quia antè charus fuisti atq; dilectus mihi, etsi ego tantæ prærogatiuam charitatis amisi: tu tamen quasi pius responde mihi, Vbi pascis? ubi manes? Reliquisti me, abijsti ad gentes, recessisti longe à me: & illis propior factus es à quibus longe eras, Sed factus es prope, quia credi derunt sanguini tuo. A me recessisti, quia ego crucem tuam non suscepi ut mundi redemptionem, sed ut noxij damnationem. Qui autem receperunt sicut salutis authorem, in meridie sunt. Illis luces, illis refulges, illis calet gratia tua sicut meridies. Mihi matutinus eras cum adhuc crederem, sed non credebam plene: quia non sum inuenta in meridie, sicut Ioseph qui cum fratribus suis cœnabat meridie. Illis meridies factus es, qui pascuntur in diuitijs tuis, & in te sperant. Ideo ut dixit Dauid, Deduces eorum iustitiam tan-

Cant. 1

Matt. 5

Cant. 1

Esai. 5
Psal. 70
Acto. 13

Cant. 3

Cant. 1

ibid.

Gen. 45

Psalm.39 quam lumen,& iudicium eorum tanquam meridiem. Queris ergo tanquam aliena, quæ proxima eras: tanquam pauper, quæ diues fuisti. Vis sequi quæ præcedebas: atque utinam uel sequaris quos præcedere debuisti. Mercenaria esse desideras, quæ antè mercenarios colligebas. Mercenariæ utique uox ista dicentis est: Ne forte fiam circumamicta super greges sodalium tuorum. Quæ proselytos ex gentibus antè suscipiebas: nunc ipsa in nationibus uis proselytis suscipi,& tanquam aduena congregari. Respōdit Iesus: Ni-

Cant. 1

Ibid. si noscas te decoram inter mulieres. Quid est se noscere, nisi ut sciat unusquisque hominem ad imaginem & similitudinem dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro quodam,& falce sapientiæ, ut uel dura fundantur, uel luxuriantia recidantur, qui inferiorem sui portionem animi imperio debeat gubernare? Vnde etiam in lege scriptum est: Attende tibi ne fiat uerbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende, uon utiq; dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non uiribus corporis, sed animo tuo ac menti tuæ unde omnia consilia, facta, cogitationesq; manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nosti. Nosce teipsum. quod Apollini Pythio assignant gentiles uiri, quasi ipse author fuerit huius sententiæ, cum de nostro usurpatum ad sua transferāt,& longe anterior Moyses fuerit, qui scripsit librum Deuteronomij, quàm philosophi qui ista finxerunt. Vnde & Salomon oraculum diuinum secutus scripsit in Canticis canticorum: Nisi scias te decoram inter mulieres, hoc

Cantic. 1 est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem,& cito tua peccata fatearis, cito dicas iniquitates tuas ut iustificeris, nisi conuertaris & prior accuses delicta tua: uenit dies mortis,&

Esai. 43 iam nullum conuersionis remedium est, præueneris dum non cogitas. Accende facem, tuam priusquam sponsi tibi claudatur ianua, qui expectare diu non solet negligentes. Nisi scias te, inquit, decoram inter mulieres,& dicas: Fusca sum; sed decora. Fusca sum, quia peccaui: sed decora, quia diligor; quia genus sum Abrahæ, electum genus, dilectū

Matth. 3 deo: nihil tibi proderit patrum gratia: potens est enim deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et alibi in Euangelio legisti: quia Abrahæ filiam ligauit diabolus nequi-

Luc. 13 tiæ suæ uinculis, quam soluit dominus die sabbati. Nisi ergo scias te, nihil tibi proderit. Et si dicas, Abrahæ sum filia, quæ non credis, quæ errorem non corrigis: Abraham quidem saluatur: sed te nobilitas generis non iuuabit, nisi fides seruauerit. Non te decipiat data patribus repromissio. Non suscipio personam hominis, non suscipio prærogatiuam generis, nisi uidero congruentem generi morum nobilitatem, ut fiat iusti generis electio. Quòd si scias te,& cognoscas quia peccato obnoxia es: Exeundum in calcaneis

Cant. 1 gregum est tibi. Exi ergo nuda pede,& pasce hœdos tuos in tabernaculis pastorū. Quæ sine peccato est, agnos pascit, oues pascit. Quæ autem peccato obnoxia est, pascit hœdos, qui à sinistris sunt. Non enim potest esse in dextera pastoris boni, sequatur magis di-

Mar. 8 centem Petro: Veni retro me Satana. Sequendo Petrus in dextera meruit collocari. Li-

Ioan. 21 deoq; ei dicitur: Pasce agniculos meos. Sed quo exeat, audi. Ad tabernacula, inquit, pa-

Zach. 13 storum. hoc est ad gentes, ad dispersionem. Ideoq; dixit: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. ut repleatur totus orbis terrarum grege Christi. significans tunc forre saluam synagogam, cum se huic dispersioni & ipsa sociauerit, quæ repleuit omnem mundum. Tabernacula enim pastorum, regna sunt terræ. ideoq; propheta Dauid nationes annuncians crediturus, ait: Regna terræ cantate deo. Ergo sciat se iuuenior, ut corrigat uiam suam. Sed dicis, Quis potest cognoscere uiam suam iunior, ut corrigat? cum

Prouer. 30 Propheta dicat: Tria sunt impossibilia mihi intelligere,& quartum quod non agnosco, uestigia aquilæ uolantis, uiam serpentis in petra,& semitas nauis nauigantis,& uias uiri in iuuentute? Si Salomon fatetur quod non cognoscat uias uiri in iuuentute, quomodo potest iunior cognoscere? Cui respondebitur quod illæ uiæ uiri in iuuentute non cognoscantur, quæ sunt secus uias serpentis in petra, & secus semitas nauis fluctuantis,& uestigia uolantis aquilæ, quæ ungues asperos habet,& supra nubes uolat, in aere errat, in mari piscem interficit: & tamen impossibile non est hoc quartum sicut illa tria. Cognoscit enim dominus qui sunt ipsius,& uult ut sciat se unusquisq;, sciat se populus dei.

2. Tim. 1 Sed esto non cognoscantur errantium uiæ, sicut dicit dominus: Non noui uos, discedite à me operarij iniquitatis. Hic autem iuuenior qui potest corrigere uiam suam fortasse

Luc. 13 iunior sit ætate, non moribus,& habeat in primo flore iuuentutis suæ senilem intellectum

ctum, de quo ait: Canicies autem est intellectus hominibus, quibus maturitas consilij, grauitasq; suppetit. Vnde & Hieremiæ dicitur: Noli dicere quia iuuenis sum. Et utique erat ætate iuuenis, sed prohibet eum iuuenem se dicere, qui esset maturioris prudentiæ. Daniel quum puer esset, accepit spiritum quo dignus senectutis primitijs haberetur ut redargueret senes, ipse non senior longæuitate, sed gratia. Erat enim in illo ætas senectutis uita immaculata. Cui bene competit Dauidicum illud dicere: Super senio- res intellexi, ideoq; tanquam de ueterani consilij, & senilis scientiæ uiro diuinum pronunciauit oraculum. Quis prudentior quàm Daniel? Nunc illud aduertamus, si possibile est ut corrigat iunior uiam suam, an non? Si non est, ergo mentitur propheta: sed quia non mentitur, possibile est. Ita tamen possibile, ut quod impossibile uideatur, fiat possibile, si custodiat iunior uerba dei: si autem non custodiat, impossibile. Vnde illud Euangelicum: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Quod quamlibet impossibile esse dixit, sic intelligimus impossibile esse, quia diuites non custodiunt mandata dei: si autem custodiant, fit possibile quod impossibile uidebatur. Hic est camelus qui intrat per angustam uiam: quæ illum antè capere non poterat concupiscentem, capit custodientem mandata diuina: custodiem autem uerba diuina, quia custodit ea. Moysen quasi seniorem elegit: & nunc quibus hoc spiritu dei committitur officij, ut eligant seniores uiros, eligunt sine dubio inter seniores iuuenem corrigentem uiam suam in custodiendo uerba dei. Et si senioris ætatis uirum elegerint, non quasi longæuum utique elegerunt, sed quasi custodientem uerba dei. quod si reperitur in iuniore, utique & ipse est eligendus. Liquet igitur ex his quòd non senectutis longæuitas eligatur, sed custodia uerborum dei. Denique ipse Moyses Iesum Naue & Chaleb iuuenes præ cæteris approbabat, quorum consilium in terræ electione magis quàm multorum seniorum & ipse sequutus est, & deus prætulit. Vnde & illud de Iacob quod suprà diximus, Deus qui pascit me à iuuentute mea, manifestat nobis de eo dictum, qui tulerit iugum uerbi in iuuentute sua, & recedens ab Esau & similibus eius, sedit singulariter, in se expectans, quo possit cum disciplina proferre sermonem, & propterea spiritali est donatus alimento, adhuc æui integer, sed uetera- nus consilio. Neque enim dignum est ut credamus quòd tantus patriarcha de corporali cibo dixerit, Deus qui pascit me à iuuentute mea: quia nec corporalem panem desiderabat quum diceret: Si dominus deus mecum est, det panem mihi manducare, & uestem induí: omnium quæ das mihi, decimam decimabo tibi. Nam si patres nostri spiritalem escam manducauerunt, & spiritalem potum biberunt, quanto magis sanctus Iacob cibo pastus est spiritali? Ille quoq; intellectus hoc loco suppetit, nec alienus à uero est: quia iuuenior ex congregatione gentium populus: qui antequam in Christo crederet, tortuoso errabat anfractu, in eo corrigit uiam suam, quia dei uerba custodiuit, quę noluit custodire populus Iudæorum: & ideo ille uiam salutis inuenire non potuit. Consideremus & sequentẽ uersum. In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.] Si deus repellit unumquemque quem repellendum putat, uideamus ne excusationem ei tribuat qui cum sequi deum uelit, repulsus sit. Et primùm quemadmodũ bonus deus repellit sequentem, nisi ipse mereatur repelli, sicut ipse Dominus ait: Vulpes foueas habent, & ideo quasi uulpem repellit. Et alibi: Quia omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. Cui addidit: Nisi ei qui toto corde exquirit eum, ut quod deest naturæ, id dei operatione acquirat & gratia: sicut Salomon, qui ex toto corde exquirens deum, sapientiam postulauit: & quia non opes sibi regias, sed diuinæ munus gratiæ de popposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam, repletus est dei spiritu, ut cognosceret mandata omnia. Qui autem non habet, ut in corde suo exquirat deum, & facit quidem opus dei, sed negligenter facit, maledicto subiectus est, sicut legimus: Quia maledictus omnis qui opus dei facit negligenter. Meritò ergo repellitur, quia maledicto dignus est: quia polluit magis & impedit opus quod negligenter putauerit exequendum. Consideremus ergo utrum bonitas sit, repelli ab opere negligentem, an uerò retineri? Et imaginem rei huius ex alijs sumamus artibus. Curat medicus ægrotum, sed negligenter, & desidia medici uirus alta uulneris serpit. Quanto igitur melius remoueri huiusmodi medicum qui tempus terit, cum pro-

Hier. 1
Sap. 4
Psal. 118
Ezech. 28
Matt. 19
Gen. 28
1. Cor. 9
Matt. 8
Ibid. 25
3. Reg. 3

fectum nullum sentiat uulneratus, ut curandi officium ad eum medicum trãsferatur qui maturius possit ægroto sua diligentia subuenire? Nónne clementior est qui repellit nihil proficientem, quàm qui retinet ad discrimen ægroti? Cõstitue aliquem præpositum ædificantibus uel etiam texentibus, qui debeat summam operis explicare, utrum is tibi probabilior uidetur si in id diligenter insistat, ac si quem forte incuriosum aduerterit de ijs qui operantur in domo aliqua construenda, repellat eum, melius credens non ædificare, quàm hiantibus rimis ædificata dissolui, atq; aliquem in eius substituat locum qui cum diligentia ædificet? Similiter etiam textrini præpositum repulsorem negligentiũ, ut substituat diligentes, ne longa textrinum corrumpat incuria, non magis probabis quàm illum qui desides in sua negligentia perseuerare patiatur? Transi nunc ad eos qui mandata ædificant, & legem intexunt, & animam uniuscuiusq; receperunt sanandam. Nónne si quis eorum ædificat domum dei cum iustitia, texit indumentum cum diligentia, sanat animã cum gratia, opus bonum facit? Si uero incuriosus ac remissus aliquis fabri textoris medici spiritalis locũ occupet, ut sacerdos summus, ut presbyter, ut ministet altaris sacri: nonne commodius est non subire unumquemq; id muneris quod implere non queat, quàm subeuntem neq; ipsum strenue susceptо fungi munere, & eripere locum alteri qui nauiter eum possit tueri? Quid quod etiam ipsi consulitur qui remissior cum sit repellitur, ne plus offensionis contrahat? Quid sit autem repelli, consideremus.

Psal. 87 Lectum est enim: Sicut uulnerati dormientes proiecti in monumentis, quorum nõ memini sti amplius, & quidem ipsi de manu tua repulsi sunt. Aduertamus igitur quos uulneratos & proiectos in monumentis repellit, quorum non meminerit amplius. Isti sunt

Psal. 49 qui à mandatis dei repelluntur. Peccatori autem dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? Et quia à mandatis dei repelluntur, repelluntur utiq; de manu dei. Et bene prospexit ne quis de manu dei uideatur eripi: quia nemo potest quemquã rapere de manu dei. Qui ergo priuatur muneris susceptі officio uel gratia, non rapitur, sed reijcitur, ut dixit

Luc. 13 dominus Iesus ad Hierusalem: Quotiens uolui congregare filios tuos, & noluisti? ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Abstulit illis sanctificationem, altare thymiamatis, & orationis sacrarium, propitiatorium, altare sacrificiorum, sacerdotum & leuitarum ministeria: & tamen cum hæc sublata essent omnia quæ secundum legis mandata

Rom. 11 habebant, ait Apostolus: Nunquid repulit deus hæreditatem suam? Non, inquit, repulit, sed conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Sunt ergo qui ad tempus à mandatis propter misericordiam repelluntur, sicut & illis consulitur qui uomuntur. Nam quemadmodum manens in corpore quod uomendum est, plus acescit: ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat. Meritoq; angelo

Apoc. 3 Laodiciæ dicitur: Hæc dicit testis fidelis & uerus, Scio opera tua: quia neq; frigidus es, neq; calidus. utinam frigidus esses, uel calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Aperte negligentiam grauiori damnat iudicio quàm imprudentiam. Frigidus est enim qui fidem nescit. calidus est qui spiritus sancti feruore succensus est. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse, quàm neglexisse. Est enim tepidus peior frigido, ut Iudæus qui sibi uidetur fidem habere quam non habet. Quanto tolerabiliorem caussam gentilis habet, qui potest dicere: Non cognoui legem, non audiui prophetas: ideo non credidi: quàm ille qui legit omnia ex quibus uẽturum Iesum crederet, & non credidit. Neuter quidem excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit: sed plus delinquit qui negauit quod legerat, quàm qui opera non fecit quæ facienda non nouit. Quanta autem fidei & iustitiæ gratia est, ut in ore dei sit qui fidem tenet, & opera exercet iustitiæ: & quantum amittit quẽ euomuerit ex ore suo dominus Iesus, & ex suis uisceribus eiecerit? quàm pius tamen qui & iustos in ore suo tenet, & iniustos non ante euomit quàm denunciet euomendos, ut uel huiusmodi admonitione conuersi, dignum aliquid efficiant quo non uomantur. Nunc tertium uersiculum consideremus. In corde, inquit, meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Tob. 12 Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere. Peccat enim deo, qui commissa sibi mysteria putauerit indignis esse uulganda. Periculum itaque non est falsa solum dicere, sed etiam uera, si quis ea insinuet quibus non oportet. Quod uitium quadripertitum est, uel adulationis, uel auaritiæ, uel iactantiæ, uel loquacitatis incautæ: quia dum adulari

adulari uult aliquis ei cui loquitur, effundit mysterium. Nõnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur, ut tegenda silentio, uendant loquendo. Alij, ut plura nosse uideantur, & scientiam suam iactitent, aperiunt quod celare deberent. Plerique dum sine præiudicio loquuntur, uerbum emittunt, quod reuocare non possunt. Ideo uir laudatur serius, & non ociosus. Erat homo abscondens sermones suos, ut Apostolus Paulus, qui nouit quid loquatur singulis, & quando quid loqui debeat. Vnde & Corinthijs dicit: Lac uobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Ideo hos in transitu uidit: manet autem apud Ephesios, quòd ostium sibi magnum apertum esset, notum facere Gentibus mysterium Christi. Ideo & Salomon tempus tacendi, & tempus esse loquendi docet. Præ cæteris autem dominus Iesus in Euangelio declarat suo, dicens simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Vtique non auro, non argento, non pecunia comparari potest regno cœlorum: sed eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, quibus ipsum regnum acquiritur. Hunc ergo thesaurum sapientiæ & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt uerba scripturarum cœlestium, quum inuenerit homo, abscondit illum in corde suo, nec diuulgat eum, sciens quia si diuulgauerit Babylonijs thesaurum Dei, magnam offensam contrahet, ut dicatur ei sermone prophetico: De semine tuo accipient & facient spadones in domo regis. Per quæ significatur, quia is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatem animæ suæ, seminarium'que meritorum habere non possit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas: & si amicitiam simulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non reseres thesauros regios, quos Babylonij scire nõ debent, ne ueniant, & capiant posteros tuos, & seminarium uirtutis abscindant. Hoc est quod etiam in Euangelio dicit dominus: Nolite mittere margaritas uestras porcis. Ideo bene facit qui abscondit eloquia domini in corde suo: sicut abscondebat prophetа Dauid: sicut Maria quæ conseruabat omnia uerba domini Iesu in corde suo. Etenim si bonum est uiro sermones suos abscondere, quanto magis sermonem dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere? Quarto uersu dicit: Benedictus es domine, doce me iustitias tuas.] Non enim quicunque dixerit: Domine, domine, ipse intrabit in regnum cœlorum, sed qui uoluntatem dei fecerit. Ideo iste qui correxerit uiam suam à iuuentute sua, custodierit uerba dei in toto corde, quæsierit dominum deum suum, nec repulsus sit à mandatis dei, & dignus habitus cui committerentur arcana sapientiæ, absconderit ea in corde suo, ne peccaret deo, quasi habens eloquia dei, gratias agit, dicens: Benedictus es Domine. & sic desiderat ipsum doctorem habere, cupiens cognoscere secreta legis. Et quemadmodum interpretationem habeat: Si emeris puerum Hebræum, & seruierit tibi annis sex, & reliqua: quibus præmissum est, has iustitias discere quas proponit in conspectu filiorum Israel: hæc à Domino quærit discere: quæ homines docere non poterant, nisi deus antè docuisset, quæ posteaquam à Christo didicerunt Apostoli, Ecclesia dicit: Introduxit me rex in cubiculum suum. hoc est, in illud secretum suum, in quo sunt thesauri scientiæ & cognitionis suæ. Ideo tibi dicitur: Cum oras, intra in cubiculum tuum. quod significat mentis animiq; secretum. In hoc cubiculum iustitiarum sponsa se popposcit induci, cum post odorem unguenti excurrerit, quod semper fluit, & nunquam deficit. Ideo quasi edoctus propheta iustitias quinto uersu dicit: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.] Et quomodo alibi dicit: Iudicia tua sicut abyssus multa? Quomodo Apostolus ait: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius? quis enim cognouit sensum Domini? Si inscrutabilia sunt iudicia, quomodo ergo iudicia? Quomodo ait propheta: Pronunciaui omnia iudicia oris tui? Sed fortasse non eadem sunt iudicia dei, quæ iudicia oris eius. Si alia sunt, benedicitur: Cogitationibus tuis quis similis erit? Et ideo inscrutabilia sunt iudicia eius: quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Si autem eadem, nullus nisi Christus hoc dicit, qui potest dicere: Ego & pater unum sumus. Distinguamus tamen, nec uereamur ne impugnet se uelut contrarijs scriptura uenerabilis. Cõsideremus enim quia non dixit, Iudicia oris eius sicut abyssus multa: sed, Iudicia tua, dixit. nec Apostolus posuit, Inscrutabilia iudicia oris eius: sed, Inscrutabilia

Exod. 21 Cant. 2 Matt. 6 Psal. 35 Rom. 11 Psal. 39 1. Cor. 13 Ioan. 10

tabilia iudicia eius. Possumus enim iudicia dei æstimare, quæ occulta nobis non patefe
cerit: iudicia autem oris eius quæ annunciauerit, id est, quæ per os prophetarum loquu
Esa. 40 tus est. Os enim dei propheta intelligitur, cui dicitur: Clama. Et ille ait: Quid clama-
bo? Et inspiratum est ut diceret: Omnis caro fœnum. Quod utique loquutus, oris
dei functus officio est, quia loquutus est iudicium dei. Ergo prophetica oracula iam nō
sicut abyssus, sed etiam ipsa abyssus: quia nemo potuit in cœlo & in terra aperire librum
nisi Christus. Veniamus nunc ad sextum uersum. In uia (inquit) testimoniorum tuo-
rum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.] Alij in auro, alij in argento, alij in uesti-
bus, alij in possessionibus, uinetis, oleis, segetibus, alij in operibus picturæ, marmo-
rum, in diuersis denique singuli delectationes habent: spiritalis in uia testimoniorū cœ-
lestium delectatur, tanquam omne possidens patrimonium: in omnibus diues, sicut A-
1. Cor. 1 postolus dicit: Gratias ago deo meo semper pro uobis, in gratia dei, quæ data est uobis
in Christo Iesu: quia in omnib. diuites facti estis in ipso, in omni uerbo, & in omni scien-
tia. Tantum doctrina Apostoli Corinthij profecerunt, ut qui antè non poterant nisi si-
cut paruuli lac solum bibere: postea in omnibus diuitijs abundarent cognitionis & uer
bi. Delectabatur ergo Dauid in omnibus diuitijs cognitionis, scientiæ, sapientiæ, & in
omni actu bonorum operum. Et si quis nunc intentus diuinis, triplicem illam sapien-
tiæ hauriat disciplinam, θεωρητικὴν, πρακτικὴν, λογικὴν, bonus studio percipiendæ cogni-
tionis, pulchrior erit exequendæ rationalis moralisque doctrinæ gratiam tenens. Qui
prophetica ænigmata dei spiritu reuelante cognouerit, Euangelij altitudinem in ope-
ribus comprehenderit & consilijs, Apostolici sermonis moralitatem aduerterit: is tan-
quam in omnibus diues, uberem capiet uoluptatem. Et quia suauis est corporalis uolu
ptas, ideo non quasi pro gratiæ qualitate cum spiritalibus comparatur, sed quasi ad testi
Rom. 1 monium suauitatis accersitur. Siquidem & Apostolus docet inuisibilia & sempiterna
Cant. 1 dei à nobis per ea intellecta esse, quæ facta sunt. In Canticis quoque habemus scriptum:
Equæ meæ in curribus Pharao assimilaui te proxima mea. In quo dum uelocium equo-
rum cursui similitudo Ecclesiæ comparari uidetur, æstimatur diues eius gratia. Non igi-
tur unam equam diuitis regis accipias, sed absolutè pro equitatu, ut sæpe diximus, qua-
lis ouis illius est pro grege ouium. Pharao igitur ut potentissimus rex, & prædites, ha-
bebat equos potentes: unde & scriptura dicit: Currus Pharaonis, quasi potentissimum
genus ad bellorum usum, & subsidium præliandi. Denique his curribus Pharao fugien
tes Hebræos facilè comprehendit. Sicut ergo equi iuncti concorditer trahunt currum,
& patienter suscipiunt iugum, & portant congrua cum gratia, & iugi illius susceptione
manuescunt: sic & congregatio nationum gentilibus indomita moribus se anteiacta-
Matt. 11 bat. Vbi uerò suscepit iugum dicentis: Tollite iugum meum, quia leue est: & onus
meum, quia suaue est: & cœpit sponsa Christi concordia & mansuetudine populorum
esse sublimis, & toto circumferri orbe: tanquam currus equis uelocibus supra mundum
Cant. 6 rapta ascendit ad sponsum. Denique & in posterioribus Canticorum partibus dicit: Po
sui te sicut currus Aminadab. Multos currus habet in se Ecclesia, quos omnes spirita-
libus habenis Dominus regit: & una anima multas cogitationes habet, quas Domini
habena restringit & reuocat, ne quod in præruptum noster hic cursus feratur. Amina-
dab autem interpretatione significatur, Pater beneplaciti, cuius filius legitur in Nume
ris Naason princeps populi. Quis sit, intelligis interpretatione, serpentinus: & agno-
scis istud si repetas: quia sicut serpens pependit in ligno, qui te redemit. Ergo anima cur
rus est Dei, ut ira eius, & libido, & timor, & omnes seculares concupiscentiæ refrænen
tur. Ecclesia quoque currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi, ne diuerso-
rum populorum motus eam dissensiones que perturbent. Ille quoque Naason bene in-
Exod. 7 telligitur Christus, quia uirga Aaron conuersa in serpentem, illos serpentes Aegyptios
deuorauit. Has ergo diuitias habeamus, his delectemur, ut currant nobis equi ratio-
nabiles, & commoremur in præceptis eorum. Et ideo ait: In mandatis tuis exerce-
bor, & considerabo uias tuas.] Qui enim exercetur in uerbis Apostolorum, Iesu do-
Ioan. 14 mini mandata cognoscit, & considerat uias eius, quibus finis est Christus, qui ait: Ego
sum uia. Et in tuis iustitijs meditabor, non obliuiscar uerborum tuorum.] Admonet
hic

hic locus memores scripturarum nos esse debere, & iustitias eius non solum sermone, sed etiam operis imitatione meditari. Non enim qui disputant legē, & non faciunt quæ legis sunt, sed qui factores legis sunt, iustificantur.

SERMO III.

TErtia litera secundum Hebræos est Gimel, quæ Latinè retributio dicitur. Denique primo statim uersu hoc dicitur: Retribue, inquit, seruo tuo. Quomodo suprà ipse Dauid ait: Non secundum peccata nostra reddas nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: & hic poscit retributionem? Illa uidetur uox peccatoris esse, hæc bene sibi conscij, qui præmia boni operis expostulat. Vnde possumus etiam hoc intelligere, quòd de eius persona psalmus iste formetur, qui natus ex uirgine pro totius mundi redemptione ad dexteram patris sedere præsumat, sicut ipse ait: Amodò uidebitis filium hominis sedentem ad dexteram uirtutis. Non est tamen alienum, nec arrogans, si etiam Dauid remunerationem à domino Deo suo pro egregijs laboribus postulet. Prærogatiua est fidei atque iustitiæ, de Domini fauore mercedem usurpare. Denique reprehenditur Petrus, quia super fluctus ambulans, humano magis dubitauit affectu, quàm Apostolica authoritate præsumpsit. In Euangelio quoque docemur habere fidem, & non hæsitare de ijs quæ supra hominem sunt gerendis. Meritò ergo Dauid in superioribus quasi adhuc imperfectus secundum peccata sibi reddi refugit atque declinat: in hoc autem psalmo qui est posterior, quasi fundatus uirtutis processu, retribui sibi secundum fidei operisq; certamina deprecatur. Siquidem etiam Paulus, qui antè dixerat: Non sum dignus uocari apostolus. Postea ait: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Et Apostolus ibi poscit, hic autem uerecundius adhuc precatur: quod utique non insolentis arrogantiæ, sed innocentis est conscientiæ, ab ipso cui seruieris petere mercedem. Desperare, segniciei est materia: sperare autem, incentiuum laboris est. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur, ut talia petendo studiosius elabores quo ea petitione sis dignior. Quis athleta si desperet coronam, descendat in stadium? aut si eam postulet uictor, offendat? Probatio spem facit, spes confidentiam. Iusti ergo talis oratio est. delectatur dominus tali precatione, ut pro puritate conscientiæ utaris authoritate. Tamē quo minus uideatur petitio arrogans, bene addidit: Seruo tuo, in quo & humilitatis est gratia, & præmium seruitutis. Quí enim uocatus est in domino seruus, libertus est domini. Quare non præsumat fauorem domini, tam precioso emptus sanguine? Magnum tibi est uocari puerum meum, quasi ad seruum dicitur. Si quis ergo est seruus, & bene seruit domino, & nihil facit quasi seruus peccati, sed qui dicit: Seruus inutilis sum: quod debui facere, feci: bene is dicit, Retribue seruo tuo. Gloriosa seruitus, qua pro nobis seruiuit & Christus. Beata seruitus, qua & tu seruis: sed ita, si nihil possit aduersarius de tuo sibi seruitio uindicare. Amat ergo Christus boni libertatem seruuli. Denique in Canticis dicit: Quàm speciosæ factæ sunt genæ tuæ sicut turturis, ceruix tua sicut redimicula. Vultus liberior est ubi est castitatis conscientia: & portare Christi iugum suaue est, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad dominum deum tuū, & quære deum, & inuenies. Erige ceruicem, redimicula non uincula geris. Muta quoq; animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis quàm nudari uidētur. Genæ sicut turturis præferent insignia uerecundiæ, redimicula ceruicis libertatis attollent fiduciam. Leue est enim iugum Christi, & ideo ceruix eo non premitur, sed leuatur. Similitudines, inquit, auri faciemus tibi ex distinctionibus argenti quoadusq; rex est in declinatione sua. Ex ijs enim quæ ex lege sunt & prophetis, mediocriter antè crediderant gloriam domini Iesu, sed hæreditas eius diffusa per populos, quo frequentius examinata, hoc amplius est approbata. Crebræ enim persecutiones Ecclesiæ, iustorum nobis titulos, martyrij uictorias ediderunt. Itaque sicut aurum bonum, ita Ecclesia quum uritur, detrimenta non sentit, magis fulgor eius augetur, donec Christus ueniat in regnum suū, & reclinet caput suum in Ecclesiæ fide. Qui quum uenisset ad oues perditas domus

1 Psal. 102

Matt. 26

1. Cor. 15
1. Tim. 4

1. Cor. 7

Luc. 17

Cant. 1

Matt. 15

Matt.8 Israel, non habebat ubi caput suum reclinaret: nunc autem iam redolet fides, ideo' que
Cant.1 dicit Ecclesia: Nardum meum dedit odorem suum. Et dicit cum præsumptione, expe-
ctans retributionem. Fragrat unguentum gratiæ, ex quo uirgo generauit, & dominus
Iesus sacramentum incarnationis assumpsit. Colligatio, inquit, guttæ cõsobrinus meus:
botryo Cypri, frater meus mihi inter ubera mea requiescit. Corpus enim suscipiens do-
minus Iesus, charitatis se uinculis illigauit, & non solum se membris nostris & passioni-
bus naturalibus, sed etiam cruci iunxit: ideoq; sicut botryo in Ecclesiæ fide, & morali
requiescit gratia. Nardus Cypri, consobrinus meus in uineis Engaddi. Si locum quæri-
mus, regionis cuiusdam quę in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gigni-
tur. si interpretationem, tẽtatio Latinè significatur. In illis ergo uineis lignum est, quod
si quis compungat, unguentum emittit. Hic fructus est ligni. Si non incidatur lignum,
non ita fragrat & redolet: quum autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lachry-
mam distillat: sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illachrymabat popu-
lum, ut pecccata nostra dilueret, & de uisceribus misericordiæ suæ fundebat unguentũ,
Luc.23 dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciũt quid faciunt. Tunc ergo in ligno compunctus
est lancea, & exiuit de eo sanguis & aqua, omni unguento suauior, accepta Deo hostia,
per totum mundum odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore,
Ibid.8 sic uirtus exibat è corpore. Vnde ait: Sentio uirtutem exisse de me. Inde opobalsamum
expressius dicitur, eò quòd compunctione ligni balsamum per cauernam punctionis
erumpit. Compunctus igitur Iesus odorem remissionis peccatorum & redemptiõis ef-
2.Cor.8 fudit. Nam & constrictus erat, uerbum cum esset, homo factus: & pauper factus, quum
diues esset, ut nos illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se prębuit, ita ut
Herodes sperneret eum, & illuderet ei. Terram mouebat, & hærebat in ligno: cœlũ ob-
ducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat caput, & exibat
uerbum: exinanitus erat, & replebat omnia. Descendit deus, ascendit homo: uerbum
caro factum est, ut caro sibi uerbi solium in dei dextera uindicaret. Vulnus inflictum e-
rat, & fluebat unguentum. Scarabæus audiebatur, & deus agnoscebatur. Respondit &
Cant.1 Christus: Ecce es bona proxima mea, ecce es bona. Quoniam cognouerat Ecclesia my
sterium, & pro totius mundi redemptione crucifixum dominum Iesum prædicabat, me
retur audire: Ecce es bona, quæ me bonum dicis. & ipsa bona es quæ uidisti glorię meę
decorem, & ipsa speciosa es decora. Quid est autem Christum dicere, Bona es, & deco
Matt.9 ra es, nisi illud Euangelicum: Constans esto filia, remissa sunt tibi peccata tua? Ergo cui
Christus peccata donauit, rectè dicit: Retribue seruo tuo uiuam, & custodiam uer-
ba tua.] Non habet in retributione quod desperet, quia dominus Iesus uenit mundum
saluare, non perdere. Ideóque immemor est iniuriæ, memor gratiæ, sicut in prophetico
Esa.43 libro testificatur ipse, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor
non ero. Tu autem memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Qui-
cunque ergo dicit iniquitates suas deo, iustificatur: & quicunque iustificatur, retribu-
tionem non timet, sed exposcit: qui retributionem non timet, uiuet. Sed quare dixit,
Viuam: & non dixit, Viuo? Quia hæc uita non est loco præmij, quæ in loco mortis
est. Dolet propheta in puluerem mortis se esse deductum. Apostolus cupit ex hoc mor
tis corpore liberari, & putamus quòd de hac uita sibi blandiatur propheta? Omnia hic
plena mortis sunt. Intrat mors per fenestram, intrat per ostium, nisi Dominus ori tuo
ponat custodiam. Denique ex multiloquio peccatum nascitur. Lege mandata legis,
Num.19 inuenies scriptum: Qui uiuens mortuum contigerit, inquinatur. Quantos tangimus
Matt.8 mortuos? inter quantos mortuos uersamur? Ideo tibi autor uitæ dicit: Relinque mor
Ephes.4 tuos. Ideo tibi alibi dicitur: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Quomodo tibi
diceretur: Surge à mortuis, nisi inter mortuos uiueres? Ponamus te mundum esse ab
operibus mortuis, & peccati colluuione. Quomodo mundus es, qui in corpore mor-
tis es, qui inter sepulchra uiuis mortuorum? Oportebat Petrum loqui mortuis, ut
procederent de sepulchris suis. Indigemus ergo purgatione, quia tetigimus mortuos.
Lex nos mundari iubet. Quis tantus, ut supra legem sit? Ipsum Nazaræum sanctum
Dei lege, si is tetigerit mortuum, lex immundum pronunciat. Ideo' que radit caput
suum,

suum,& deponit capillum quasi non sanctum,& iterũ orat ut exaudiatur, qui antè propter mortui attactum exarare nõ potuit,irrationabiles duxit dies,quia irrationabili appropinquauerat.Deponit igitur mortua, & superflua capitis sui,ut Christo reconcilietur. Ergo si Nazaræus purificatur, & nos purificari oportet. omnes contigimus mortuum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis audebit dicere purum se à peccatis? Sit aliquis fortasse qui in sermone non deliquerit, licet rarus sit iste, de quo deus dicat, sicut de sancto Iob: Ille non peccauit labijs suis: tamen non semper habere potuit mũdas cordis sui cogitatiões. iniicit se diabolus in cor hominis.Pone, parata semper & peruigili custodia quisquam cor suum sepserit,tamen in medio peccatorũ uersatur, necesse habet etiam ipse purificari,ut Esaias cum dixisset: Miser ego, quoniam immunda labia habeo,& in medio populi uersor immunda labia habentis: statim descendit unus de Seraphin,& contigit labia eius carbone,ut immunda eius labia mundaret. Non unũ est baptisma,unum est quod hic tradit Ecclesia,per aquam & spiritum sanctum, quo necesse est baptizari catechumenos.Est & aliud baptisma,de quo dicit dominus Iesus: Baptismo habeo baptizari, quod uos nescitis.Et utique iam baptizatus in Iordane fuerat, sicut superiora declarant, sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquisque mundatur. Est etiam baptismum in paradisi uestibulo, quod antea non erat,sed posteaquã peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit deus, quæ antea nõ erat,quando peccatum non erat. Culpa cœpit,& baptismum cœpit, quo purificentur qui in paradisum redire cupiebant, ut regressi dicerent: Transiuimus per ignem & aquam.Hic per aquam,illic per ignem. Per aquam,ut abluantur peccata: per ignem,ut exurantur. Sed quid est grauius, si & hic ignem,& illic sustinemus? Quis est qui in hoc igne baptizat? Non presbyter,non episcopus,nõ Ioannes,qui ait: Ego uos baptizo in pœnitentiã: non angelus, non archangelus, non dominationes, non potestates, sed ille de quo Ioannes ait: Qui uenit post me, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare,ipse uos baptizabit in spiritu sancto,& igne. Habet uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum,paleas autem comburet igni inextinguibili. Non de hoc baptismate, quod fit per sacerdotes ecclesiæ,dictum ipse dominus testificatur. Siquidem post cõsummationem seculi missis angelis qui segregent bonos & malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno dei fulgeant iusti sicut Sol in regno patris sui.Et si aliquis ut Petrus sit, ut Ioannes, baptizatur hoc igni. Veniet ergo baptista magnus(sic enim eum nomino, quomodo nominauit Gabriel dicens: Hic erit magnus)uidebit multos ante paradisi stantes uestibulum,mouebit romphęam uersatilem, dicet ijs qui à dexteris sunt,non habentibus grauia peccata: Intrate qui præsumitis, qui ignem non timetis.Prædixeram enim uobis:Ecce uenio sicut ignis.Et per Ezechiel dixeram: Ecce proficiscar in Hierusalem, & insufflabo uos in igne iræ meæ, ut tabescatis à plumbo & ferro. Veniat ergo ignis consumens,exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati,faciatq; nos aurum sincerum. Vrat renes meos,& cor meum,ut bona cogitem: ea quæ castitatis sunt,concupiscam.Sed quia hic purgatus, iterum necesse habet illic purificari: illic quoq; nos purificet,quando dicat dominus:Intrate in requiẽ meam. ut unusquisq; nostrum ustus romphæa illa flammea, non exustus, introgressus in illam paradisi amœnitatem,gratias agat domino suo,dicẽs:Induxisti nos in refrigerium.Qui ergo per ignem transierit,intrat in requiem. Transit à materialibus atq; mundanis ad illa incorruptibilia atq; perpetua. Alius iste ignis, quo exuruntur peccata non uoluntaria,sed fortuita,quem parauit seruulis suis dominus Iesus, ut eos ab ista commoratione, quæ permixta est mortuis, emundet: alius ille ignis, quem deputauit diabolo & angelis eius, de quo dicit: Intrate in ignem æternum. quo ille diues ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. At uerò Lazarus in Abrahæ sinu recumbens,uitam carpebat æternam, quam sibi promittit propheta, dicens: Viuam, & custodiam uerba tua. Viuam, ait,quasi nondum uiuens. hic enim in umbra uiuimus. Ergo ista uita in corpore,umbra est uitæ atque imago, non ueritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione umbræ mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat,sed ad spiritalia erigat, ut possit dicere: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus?

Eſa. 6

Luc. 12

Pſal. 65

Matt. 3

Ibid. 13

Luc. 1

Eſa. 66

Ezech. 22

Pſal. 65

Matt. 25

Luc. 16

Thren. 4 dominus: dignus erit qui dicat, In umbra eius uiuemus. Christus enim uita est: & ideo
Psalm. 16 qui in umbra Christi uiuit, in umbra uitæ est. Meritoq; alibi dicit sanctus domini: In um
bra alarum tuarum protege me. Omnes ergo, etiam sancti, in umbra sunt quàm diu sunt
1. Cor. 13 in corpore: non perfectè uident, sed ex parte cognoscunt. Ipse Paulus ait: Ex parte enim
cognoscimus. Ipse uas electionis, cui Christus oculos reddidit, & sua illuminauit gratia,
nõ facie ad faciem, sed per speculum uidebat. Et Dauid reuelari oculos suos petit, ut re-
moueretur umbra, quæ integrum oculorum impediebat obtutum. Regionem autem
Psal. 114 hanc mortuorum esse quis dubitet, cum sanctus ipse dicat: Placebo domino in regione
uiuorum? Quia perfectè hic placere nemo potest, ubi etiam si fieri possit ut sua peccata
non habeat, in ipsa tamen mortuorũ regione uiuendo, purificatione indiget, quæ à con
tagione eum regionis huius absoluat. In umbra igitur hic uiuimus, & ideo in umbra cu-
stodimus uerba dei. Et ut exemplo utamur, utique antè eramus sub umbra legis, quan-
do custodiebamus homines sabbata, quæ sunt umbra futurorũ: sicut hodieq; ludęi, qui
uerum sabbatum non uident, qui exemplari & umbræ seruiunt. Nos quoq; secundum
Ioan. 1 Euangelium nunc uiuentes, umbram sequimur uerborum dei. Nathanael sub arbore fi-
Psal. 16 ci uidetur, Dauid in umbra alarum domini Iesu sperare se dicit, Zachæus in arborem sy-
Luc. 19 comori ascendit ut Christum uideret. Nobis quoq; expandit manus suas Iesus, ut totum
mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui crucis eius protegimur ue-
xillo? Quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus à malignitate seculi, & cor-
poris ardore defendit? An nescimus quoniam uerbum dei ueniens in hunc mundum,
Philip. 2 non sicut uerbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud deum, sed semetip-
Luc. 1 sum exinaniuit, formam serui accipiens? Venit in nube leui: & cum esset uirtus altissi-
Philip. 3 mi, obumbrauit Mariæ, ut transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri cor-
pori gloriæ suæ. Sicut ille ergo mutauit formam, cum ex Virgine nasceretur: ita & no-
bis sermones dei transfigurati uidentur cum legũtur in Euangelio, cum species eorum
uidetur in scripturis quasi per speculum, quia tota ueritas hic non potest comprehen-
1. Cor. 3 di. Cum autem uenerit quod perfectum est, non iam per descensionem, nõ per speciem
ut transfigurati, sed integra atq; expressa ueritate resplendent. Neq; te moueat quod ait:
Multa uerba custodiam. Qui unum uerbum cognouerit, multa uerba cognoscit. In uno
multa sunt, & in multis unum est. Probandum est igitur quomodo unum uerbum multa
Coloss. 1 sint, & multa uerba unum uerbum sit. Nec difficile doceri, cum dixerit Apostolus quia
ipse est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata sunt omnia in
cœlestibus & in terra, siue uisibilia siue inuisibilia, siue sedes siue dominationes, siue prin
cipatus siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Vnum est igitur uerbum
quod operatur in singulis: & cum in singulis operatur, operatur omnia & in omnibus.
Ioan. 1 Hoc uerbum unicum apud patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine eius om-
nes accepimus. Itaq; si uideas singula omnium quæ creata sunt in ipso, uidebis in singu-
lis unum uerbum esse omnium, cuius pro captu nostro participes sumus. In me uerbum
est humanum, in alio uerbum cœleste, uerbum angelorum. plerique sunt qui habẽt uer-
bum dominationum & potestatum. Verbum est iustitiæ, uerbum castitatis, uerbũ pru-
dentiæ, uerbum pietatis, uerbum etiam uirtutis. Sic unum uerbum multa sunt, & multa
uerba unũ sunt. Nec uerò arduum istud æstimari, cum legerimus quia omnia potest spi-
1. Cor. 12 ritus sapientiæ. Itaque sicut alij datur per spiritum sermo sapientiæ, & alij sermo scientiæ
secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationũ in uno spi-
ritu, alij operatio uirtutũ, alij spiritus cognitionis, alij spiritus consilij plenioris, alij spiri
tus fortitudinis, alij pietatis spiritus, & in omnibus unus atq; idem spiritus est, diuidens
singulis prout uult: ita est spiritus prophetarum, est spiritus apostolorum, est etiam ar-
Exod. 36 tificum spiritus, sicut & Beseleel & Ooliab, quos impleuit dominus spiritu diuino sa-
pientiæ & scientiæ, & omnis artis, ut facerent amictum & tabernaculum atq; altare se-
cundum sensum quem dedit his deus, sed etiam cæteris sapientibus intelligere & facere
omnia opera secundũ omnia quæ deus imperabat. Itaque fecerunt quę non didicerant,
nec uiderant, secundum ea quæ his spiritus dei demonstrabat. Et plerisque uidetur alius
apostolorum spiritus, alius prophetarum, & diuersus in singulis: sed nõ est diuersus, sed
unus est spiritus, diuidens genera diuersa uirtutũ. Vnde non dubiũ uideri debet, si alijs
uerbum

uerbum Apostolicum, alijs Propheticum, alijs Euangelicum, alijs uerbum operatorium est datum: & unum est uerbum diuidens se singulis pro nostra possibilitate, uel pro sua uoluntaria largitate. Hoc uerbum igitur, quod est caput omnium, hic per speculum uideo, & ideo uerba dei hic custodire non possum: sed cum uidero gloriam eius reuelata facie, tunc uiuam, & ita uiuens etiam uerba diuina custodiam. Ideo ergo secundo uersu dicit: Adaperi oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.] Qui adaperiri sibi oculos petit, utique & grauari intelligit. Neq; enim medicum rogat, nisi qui remedium ægritudini suæ poscit. Dicit ergo iste ad medicum uenientem de cœlo, Adaperi oculos meos. Si turbatus est oculus, facilè dolor omnis sedatur collyrio. sin uerò acies eius humoris suffusione prætexitur, maiora remedia quæruntur. Est ergo sicut in oculis corporis, ita etiam in oculis animæ huiusmodi quædam passio, quæ ingraueſcat necesse est, nisi bonus medicus uelamen illud abstulerit, & nebulam quandam concreti humoris, quæ impedire, uel potius operire, ne uideat quæ uidebat, mentis æstimatur obtutum. Irrepsit ægritudo ueteri fermento, eò quòd non exuimus uel gentilem, uel Iudaicam suffusionem, quum primùm ueniremus ad Ecclesiam, non audiuimus docentem boni medici disciplinam: Expoliantes ueterem hominem cum actibus suis, induite nouum, qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius qui creauit eum. Superuestiuit ergo se aliquis, non expoliauit: serpit grauior ægritudo, grauat oculos diuturnum uelamen, non potest quisquam illud auferre, non angelus, non uirtutes, non dominationes, non potestates. Manet uelamen, lectionem impedit, uisionem obducit, quod non reuelatur, inquit Apostolus, hoc est, à quocunque alio, nisi in Christo fuerit euacuatum. Quum uerò conuersus huiusmodi fuerit ad dominum, auferetur uelamen. Habes igitur quomodo auferas uelamen quod manet supra oculos cordis tui. Conuertere ad dominum, & uelamen cadet. Conuersus est Paulus, ad benedictionem Ananiæ ut squamæ ceciderunt ab oculis eius: & uidit, qui per triduum antè non uiderat: simul oculus corporis animæ que sanatus: quia medicamentum ei medicus demonstrauerat ille de cœlo, de quo scriptum est: Misit uerbum suum & sanauit eos, & ex omnibus infirmitatibus suis liberauit eos. Non est medicus iste de terris, qui omnes curat infirmates, & populos integros sanat. Mitte ergo pater medicum istum, ueniat uerbũ tuum, aperiat oculos meos. Et Apostolorum oculi clausi erant, nisi eos Iesus aperuisset. Denique duobus ex his euntibus in castellum cui nomen Emmaus, quum interpretaretur scripturas, & benediceret eos. Aperti sunt (inquit) oculi eorum, & cognouerunt eum. Ergo nisi Iesus aperuisset nobis oculos, nemo uidisset: nisi Iesus sustulisset uelamen, nulli Euangelij gratia refulsisset. Et Petrus clausos habebat oculos, & Ioannes clausos habebat oculos, & Iacobus clausos habebat. Denique in monte grauati erant somno, sed excitati maiestatis fulgore diuinæ, oculos cordis sui aperuerunt. Et quia siti in corpore, plenè uidere non poterant, obumbrauit eos nubes, ne corporis oculos gloriæ cœlestis fulgor hebetaret. Quis igitur tantus ut aperiat oculos, & legis uideat sacramenta, nisi ei Christus demonstret? Non Moyses tantus. Denique iubente Domino uirgam proiecit, & facta est serpens, & fugit ab ea: apprehendit caudam serpentis, & facta est uirga: & adhuc non cognoscebat mysterium, quo declarabatur descensurum in terras dominum Iesum, qui quum se exinaniisset, poni in crucem, deponi patere tur in tumulum, quasi serpens de uirga factus: quia in tumulum proiectus, de quo secundum oracula legis resurgens, in gloriam dei, diuinæ que sedis regale consortium de serpente remearet. Apprehendamus ergo & nos caudam serpentis illius crucifixi, ut potestatem eius regiam possimus agnoscere. Et illa quæ in pedes eius misit unguentum, tenuit eum. Caudam ergo serpentis apprehendit Moyses, & apertum est os eius. Non ergo loquutus esset de eo, nisi ipse Dominus os eius aperuisset. Dauid adaperiri sibi oculos hic petit, & in superioribus dixit: Quis ostendit nobis bona? Erat sub lege nutritus, sciebat quia lex umbram habet futurorum bonorum. Ipsa bona iam non per umbram, sed apertis oculis uidere cupiebat. Nouerat quia exemplari & umbræ cœlestium mysteriorum seruiebant, qui secundum legem Moysi deseruiebant. Volebat ipsam cultus diuini comprehendere ueritatem, & ideo ut ab oculis suis uelamen decuteret, conuersus ad Dominum deprecabatur, dicens: Adaperi oculos meos,

1. Cor. 3

Act. 9

Psal. 106

Luc. 14

Matt. 17

Exod. 4

Psal. 4

Heb. 10

Pſal. 118 los meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Intellígebat uerè militiam eſſe cœleſtẽ, quam poſſit unuſquiſq; ex lege cognoſcere, cui tamen dominus reuelaſſet. Quis enim de terrenis ad cœleſtia, de umbra ad claritatem, de exemplari ad penetralia ueritatis humano gradu ſine diuino ductu poſſit aſcendere? Quis poteſt cõſiderare altare illud cœleſte, uerumq; illud templum, ſacerdotes & Leuitas, non iſtos ſecundum carnis officia, ſed illos ſecundum ſpiritus gratiam? Denicq; hanc ſolam ſibi gratiam pro maximis optauit Dauid, dicens: Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini Ibid. 26 omnes dies uitæ meæ: & ut uideam delectationem domini, & conſiderem templũ eius. Quis poterat cognoſcere quod offerret diues magnum munus, ſecundum quod poteſt manus eius, ut ſoluatur eius peccatum? Quis poterat intelligere, ſi non haberet quis offerre, uerbi gratia, arietem, quia non ſoluebatur eius peccatum? Quis poterat aduertere quæ eſſent illi immundiciæ, quas ſoluit non lex quam putant Iudæi, ſed lex ſpiritalis, quam Paulus agnouit? Quis poterat uidere remiſſiones peccatorum ueras, quarum exemplar in lege, ueritas in Euangelio eſt, dicente domino Ieſu: Dimiſſa ſunt tibi Luc. 7 peccata, non per hircorum ſanguinem, ſed per hoſtiam ſui corporis? Ille utique diues in lege, qui perfectæ maieſtatis in Chriſto plenitudinem confitendo, & quaſi eam quibuſdam ad illud altare cœleſte fidei manibus offerendo, peccatum ſuum ſoluerit. Ille uidet uerum ſacerdotem, qui uidet principem ſacerdotum: ille templum uerum conſiderat, qui audit dicentem: Soluite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud. Magnum Ioan. 2 templum, de quo uirtus exibat, & curabat omnes. Mirabile illud altare, in quo unius agni ſacrificium tulit peccata mundi. Ille præſtantiſſimus Leuita, qui uenit ut non miniſterium exigeret, ſed ut omnibus exhiberet ſuæ miniſteriũ paſſionis, cui portio deus, Exod. 21 qui hic nihil poſſederit, ut omnia poſſideret. Quid autem dicam de Hebræo, quem lex ſex tantummodo iubet ſeruire annis, & ſeptimo anno exire à ſeruitio? Quis iſte Hebræus ſeruus? quis Hebræus liber poterat intelligi? Quis tantus, ut annos æternos in mente habens, uideat uerum Hebræum, qui non in perpetuum manet ſeruus: ſed ſex annis ſeruili functus obſequio, ſeptimo anno gratiam libertatis adipiſcitur? Cuius uidetur Iſaac patriarcha ſeruitutis & libertatis non ignoraſſe myſterium, qui ait: Seruies Gen. 27 fratri tuo, & erit cum depoſueris & ſolueris iugum eius à collo tuo. ſignificans fore tempus, quod & ſi quis ſeruierit hic poſitus fratri ſuo, poſtea tamen exactis annis, qui ſex iſtis diebus, atque iſtis quos hic exigimus menſibus colliguntur, ſoluat iugum à ceruice ſua, quod ſit ſeptimo anno remiſſionis. Conijcere poſſumus uerum Hebræi typum in Ioſeph, qui portauit ſeruitutis iugum, ſed eum culpa non cepit, non carcer incluſit, non Aegyptus colorauit. Conijcimus in Petro, Ioanne, Iacobo, qui creati & inſtituti ſub iugo legis, ſoluerunt tamen fratris ſui Iudaicum iugum, ubi legitimæ tempus quietis aduenit, quando refulſit his remiſſio peccatorum, & hoc tamen hic in umbra adhuc geſtum comparatione cœleſtium. Quanta autem quies illa, quæ ex lege conijcitur, in Euangelio reuelatur, dicente domino Ieſu: Volo ut ubi ego ſum, & iſti ſint mecum. Ioan. 17 Quàm beatus, qui iſtius habitationis fructum, quietis conſortium illic potuerit promereri? Tunc intelligit quid ſit aperuiſſe oculos ut uideret mirabilia de lege dei. Bene admonuit lectio Euangelij quæ decurſa eſt, in qua ſanatus eſt leproſus ille, qui ait: Si uis, Luc. 5 potes me mundare, in uoluntate domini conſtituens poteſtatis effectum. Cui reſpondit ſimiliter: Volo, mundare. Præmiſſa pietas uoluntatis, ſequuta poteſtatis authoritas eſt. Omnibus dicit Ieſus, Volo: qui non uult, eſſe peccatum. Velle Chriſti, commune in omnes eſt: mundari, fidei eſt credentis in Chriſtum. Et tetigit eum. Tangit Ibid. 8 eos, quorum fide tangitur. Denique dicit: Tetigit me aliquis. ſentio enim uirtutem exiſſe de me. Habes operationem immaculati corporis, habes remiſſionem diuinitatis. Sed ut plenius ſanaretur, aperuit oculos eius, dicens: Vade, oſtende te ſacerdoti. Multos ſacerdotes habebat Synagoga: ſed qui oculos aperit, falſos non uidit ſacerdotes, uerum aſpicit. Quis eſt uerus ſacerdos, niſi ille qui eſt ſacerdos in æternum? Et ideo Pſal. 109 pater dixit ad eum: Tu es ſacerdos in æternum. Aperuit ergo oculos eius, & uidit, & intellexit quale munus pro emundatione ſui deberet offerre. Beatus qui audit hæc, quanto beatior qui uidet, qui ſe uero poteſt oſtendere ſacerdoti, ut non habeat quod timeat in ſe uideri, qui ſe prius aſpicit facie reuelata? Nam niſi ipſe ſe prius uiderit, non audebit

audebit ostendere, sicut Adam qui se occultare cupiebat, non agnoscebat. Sed iam etiam id quod sequitur, considerem⁹. Aduena ego sum in terra, ne abscondas à me mandata tua.] Non cuiuscunq; uox ista est, sed eius qui terrenis renunciauerit uoluptatibus, & omnis mundanæ cupiditatis exuerit affectũ. Ille est in hac terra aduena, qui potest dicere: Nostra autem conuersatio in cœlis est. qui suam habet in domino portionẽ, qui potest dolere quòd diutius uiuat in terris, qui uitæ huius lõgæuitate lassatur, cui prolixitas habitationis huius fastidio sit, quam sanctus auersatur, & dicit: Væ ijs qui habitãt in terra. Qui dissolui non timet: & si soluatur, præsumat se cum Christo futurum: hic uerè peregrinus in terra est, quia sanctorũ est ciuis, & domesticus dei, & thesaurũ sibi condit in cœlo. Non utiq; is exiens de Aegypto, in hanc intelligibilem Aegyptum remeare desiderat, nec depositæ senectutis & mortis pauescit confinia, nec horrea struit messibus recondendis, iam alienis uicturus ætatibus, sed sola diues uirtutũ fœcunditate, ea cõgregat, quæ sibi nec senectus perditum dare, nec mors possit auferre. Meritoq; dicit: Concupiuit anima mea desiderare iudicia tua in omni tempore.] Quod utiq; nõ facit nisi liber à uinculis, non solũ à uinculis solicitudinis secularis, sed etiã à uinculis charitatis humanæ. Vincula cõplura sunt in hoc seculo, uincula sunt desideria uiuendi, uincula sunt oblectamenta uoluptatũ, uincula sunt honorum, uincula coniugij. Denicq; dicit tibi bonus magister: Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorẽ. Nec tamen peccat qui uxorẽ acceperit, sed innectit sibi uincula mentis, quia solicitus est quomodo placeat uxori. Beatior esset, si deo soli placere desideraret. Cernis aũt quia ligatus est, qui sui non habet cor poris potestatẽ. Ergo quia mandatũ dei est, quod legis oraculo, & apostolico sermone depromptũ est, ne quis uxorẽ, diuitias, honorẽ, necessitudines deo præferat: qui autem prætulerit, fit obnoxius iudicijs dei: ideo prius poposcit ne abscondat ab eo deus mandata sua. Qui enim mandata cognouerit, & custodierit, nõ refugit iudicia diuina, sed desiderat, meritoq; tanq; reuelatis sibi mandatis ait: Cõcupiui desiderare iudicia tua in omni tempore. Non dixit, Concupiui iudicia: sed, Concupiui desiderare. Sicut enim uita uiuere plus est q; uiuere (uiuere namq; cõmune etiam huius est uitæ, uita aũt uiuere beatorum est) sic concupiscere ut desideremus iudicia dei, plus est quàm desiderare iudicia. Concupiscimus enim desiderare, quasi nõ sit potestatis nostræ desideriũ, sed gratiæ dei. Cum enim dominus oblectari nos uiderit cupiditate desiderij iudiciorum suorum, sobriũ auget affectum. Cum aũt peccamus, non concupiscimus desiderare iudicia dei. Neq; enim ægrotus uri desiderat, uel incidi, ut possit recipere sanitatẽ. Refugit qui grauius ægrotat, ne uratur, ne incidatur, ne alligetur, ne abstineat à cibo. Qui autem salutarem habet ualetudinẽ, medico securus occurrit. Vnde etiã dominus non otiose ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscũ. non solum desiderans, sed etiã gemínato desiderio concupiscens remissionẽ tribuere peccatorum. Concupiscamus ergo et nos desiderare iudicia dei. Bona conscientia quæ cum examinatur, probatur. Et concupiscamus desiderare in omni tempore, ut nullum momentũ bonæ pretereat uacuum cupiditatis. Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.] Cũ enim dominus Iesus per obedientiam genus humanum redemerit, iustitiam reformauerit, serpens autem per inobedientiam peccatum introduxerit, quid uitij habeat superbia, hinc æstimare possumus, cuius autor diabolus est, quem inducit propheta dicentem: Ponam thronum meum super nubes, & ero similis altissimo. Itaq; cum sit nequissimus, ut honorẽ non dederit dño deo nostro, peiores tamen discipulos erudiuit. Ille enim se sic exaltauit, ut uellet æquari & similis esse altissimo: discipulus autem eius, ut significatur ab Apostolo, indignaturus est æqualem se similemq; æstimari deo. Scriptũ est enim: Cum reuelatus fuerit homo iniquitatis, & filius interitus, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus. Magister igit̃ similem honorẽ præsumit, hic superiorẽ. Ideoq; & dominus ad discipulos suos dixit: Maiora his facietis. ut quib. serpẽs plus ademerat, quàm ipse amiserat, maiora Christus facere donaret, quàm ipse in terris fecerat. In se enim uocare humanum genus, introduxit pharisæum & publicanũ in templo orantes: & docuit, etiã si bona cætera habeat, q; magis superbus offendat, q; humilis, qui nulla uirtutũ dote subnixus sit. Studet em̃ supplantare diabolus bonis operib. intentos. Quantũ laborauit

Philip. 3

Apoc. 8
Ephes. 2

1. Cor. 7

Luc. 22

Esa. 14

2. Thess. 2

Luc. 18

pharisæus

Pharisæus ille ne raperet aliena, ne iniustus esset, ne adulteraret? Quantum laborauit ne peccaret, sicut peccabat publicanus? Quantum laborauit ut bis in sabbato ieiunaret? Quantum laborauit ut decimam daret omnium quæ acquireret? Quis nostrū hęc facit? Quanti habent possessiones, & soli incubant fructibus, & solis sibi messes recondunt? Aduertit hoc diabolus, et perfudit eum ulcere graui, ut non teneret caput, mente carnis inflatus: & in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibilior iudicaretur. Agebat enim gratias deo quòd non esset raptor, adulter, iniustus. Quàm noxiè ei luctatus est serpens, & grauibus eum spiris ligauit? superiorem fecit, ut de altiore deiiceret: inferiorem se præbuit, ut sublimiorem casu grauiore prosterneret. Mala ruina est arrogantiæ, quæ superiorem subruit. Mala hæc lucta serpentis, qua se in plurimos torquet anfractus. Inflare uolebat & Paulum. Quem Paulum? Illum utiq; apostolum, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum. Et penè deceperat, ita ut stimulum carnis suæ, qui se humiliabat, rogaret auferri. Sed bonus dominus, qui Paulum infirmitatibus uellet facere fortiorem: adhibuit ei angelum satanæ, ut suis diabolus artibus uinceretur. Non mentiebatur Pharisęus, imò etiam uera dicebat: sed omnis qui se exaltat, etiāsi uera dicat, offendit. Deniq; probabilior pharisæus ingressus est templum, quàm publicanus: & tamen condemnatus exiuit. Quantum crimen superbiæ, ut ei etiam adulteria præferantur. Deniq; dominus, qui alijs donat, superbis resistit, & tanquam congreditur ijs qui se exaltant, sibiq; hoc certamen uindicat: & qui alijs compatitur, arrogātes increpat: quia nihil grauius, quàm ut fratres nostros pauperes superbo oculo despiciamus, cōformes nobis intolerabili repellamus fastidio, nostra indignos gratia iudicantes, quia sunt inopes: quū paupertas facilius sit deo quàm thesaurus acceptior. Maledicti, inquit, qui declinant à mandatis tuis.] Suprà dixerat: Ne abscondas à me mandata tua. & ideo quasi reuelata sibi mandata cognoscens, condemnat eos qui declinauerint à mandatis cœlestibus. Et bene dixit, Qui declinant. directum enim mandatum est: ideo ab eo nemo deflectat. Mouet autem qua ratione hic dixerit, Ne abscondas à me mandata tua. Quod enim absconditur, obscurum fit & occultum, cum suprà dixerit: Mandatum domini lucidum, illuminans oculos. Si lucidum mandatum, quomodo absconditur, cum lucernam nemo ponat sub modio? Nisi fortè lucidum est unum mandatum, multa autē mandata abscondita sunt. Nam iudicia tua, inquit, sicut abyssus multa: non iudiciū sicut abyssus, sed iudicia dicuntur. Vide autem ordinem. Suprà ait: Ne repellas me à mandatis tuis. In sequenti ait: Ne abscondas à me mandata tua. hic ait: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Verè maledicti qui declinant à mandatis tuis, qui referre gratiā debuerunt: primò, quia non sunt repulsi: secundò, quia non abscondi à se diuina mandata meruerunt. Declinat ergo aliquis quod optauit. Aufer à me opprobrium & contemptū, quoniam testimonia tua exquisiui.] Si contemptus opprobrij loco ducitur, quomodo scriptum est: Contemptibilia mundi elegit deus? Sed considera quia mundi contempti bilia dixit, non dei. Quod enim in hoc mundo cōtemptui, hoc precio sum est apud deū. Deniq; humilitas in hoc mundo contemnitur, sed dei iudicio comprobatur. Et si publicanus se humiliauerit, exaltatur. Audi quem pro nihilo habeat deus: Quicunq; sanctus est, qui sine macula uiuit, ueritatem custodit, non appetiuit proximum suum, ad nihilū deductus est in conspectu eius malignus, omnia quæ malitiæ sunt reprobauit: hic talis, etiam si sit gentilis, deuotione humilitatis à deo cōprobatur. Superbi autem uelut pharisæus, arrogantia sua pro nihilo ab illo æstimantur. Deniq; gentilitas non est, deuotio autem manet in æternum. Caue ergo ne Christo opprobrio sis. Nolo mihi quicunq; maledicat, & quasi peccatorem despiciat. Quàm graue, si Christus dignum opprobrio ducat? Væ tibi, inquit, Corozaim & Bethsaida, quæ condemnantur quia non egerūt pœnitentiam delictorum suorum. Nos ergo agamus, ut à nobis auferatur opprobriū. Quis autem est qui non est opprobrio dignus? Qui exquisiuit domini testimonia. Multi quidem sunt qui uolunt inferre opprobrium seruis tuis, sed ipsi sunt magis probrosi, quia pro nomine tuo pati opprobrium, glorioſum est. Et ideo ait: Etenim sederunt principes, & aduersus me detractabant.] Vox martyris est, qui perductus ad iudicium persecutorum, cum cogeretur idolis immolare, & constanter resisteret: iudices autem sedentes in tribunalib. stipati officijs, indignantes quòd suis non obsecundaretur imperijs, cū conferent:

Rom. 1
2. Cor 12
Luc. 4
Psal. 18
Luc. 11
Psal. 35
1. Cor. 1
Luc. 18
Psal. 14
Luc. 10

conferrent quo dignum supplicio censerent, stabat intrepidus dicens: Sederunt princi
pes, & aduersus me detractabant. Est etiam domini uox ista, cum conuenissent presbyte-
rium plebis, & principes sacerdotum & scribæ, & ad concilium Iudæorum deductus esset
dicentium: Quid adhuc desideramus testes? audiuimus enim de ore ipsius. Et cum sta- Matt. 26
ret ante præsidem, & duceretur ad crucem, quid pulchrius diceret, quàm, Sederũt prin-
cipes, & aduersum me detractabant? Hoc est, me stante sederunt principes. Et quia tri-
bunalium fulcro sublimes erant, dominum non uidebant. Sedebant ergo elati fastigio
principatus, nec principem principum cogitabant. Sed parũ hoc. Aduersus me, inquit,
detractabant. Ego eorum redemptor aduenera m, ego ueneram ut omniũ peccata mun
darem, ut recuperarem amissos, restituerem paradiso sancti Iacob hæreditatẽ: & illi ad-
uersus me detractabant. Et ideo imitatores mei, discipuli mei, nolite iniuriam erubesce-
re, si steteritis ante principes pro nomine meo, cum ego steterim pro uestra salute. De-
nique traditus in custodiam Petrus cũ cæteris apostolis, & postera die statutus ante con
cilium, constanter dicebat: Principes populi, & seniores Israel, si nos hodie. &c. usq; In Act. 4
hoc iste astat coram uobis sanus, hoc est, uos estis qui statuistis & Christum. Glorię loco
ducimus istam iniuriam, quia arguimur pro ægroti hominis sanitate, hanc hæreditatem
seruulis saluator omnium dereliquit. At illi conferebant inter se dicẽtes: Quid faciemus Ibid. 5
istis hominibus? Et dimiserunt eos. Gloriabatur ergo Petrus, & unusquisq; apostolorũ,
quia digni habiti sunt qui iniuriam pro Christi nomine sustinerent. Rectè ergo tunc di-
cerent singuli: Etenim sederunt principes, & aduersus me detractabant. Sederunt prin-
cipes aduersus Esaiam, & disputauerunt ut secaretur: sed non timebat eos qui dicebat: Esa. 1
Audite principes Sodomorum. Sederunt aduersus Hieremiam, ut mitteretur in lacum. Hier. 37. 38
Sederunt aduersus Zachariam, qui occisus est inter templum & altare. Resederunt ad- 2. Par. 24
uersus Susannam, & contra castitatis fœminam iudicabant. Sed ut ostenderetur princi- Dan. 13
pum bonum non esse concilium, excitauit pueri spiritum dominus, & quam principes
ream mortis pronunciauerant, eandem propheta totius innoxiam criminationis absol
uit. Sunt & alij principes qui aduersus nos detractant, de quibus dicitur: Quoniam non Ephes. 6
est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & pote-
states, aduersus mundi huius rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ,
quæ sunt in cœlestibus. Isti sedent & explorant qui iustus sit in hoc seculo, qui Christia-
nus intente deo seruiat, studiosus boni operis & facti. Detractant de eo, dicẽtes: Insidie-
mur illi, impediamus eum, prohibeamus eum efficere quæ desiderat. Conteramus eius
mentem, frangamus animum eius aduersis frequentibus ac repentinis: & si deo proba-
tus est propter iustitiam, rogemus dari nobis tentationes eius. Neq; enim in tantũ pro-
phetam, tentationum eius quas plurimas subijt, potestatem habere potuissent, nisi do-
minus probandi sui militis ansam dedisset, ut maiore eum gloria coronaret. Quis igitur
regem Saul excitauit in eũ, nisi spiritus malus, sicut legimus, qui se dolebat excludi quo
tiescunq; Dauid uel citharæ sono, uel bonorum consiliorum operumq; fidibus ac ner- 1. Reg. 16
uis mentem regis animumq; mulcebat? Quis excitauit Doech Syri nequitiam, ut san- Ibid. 22
ctum uirum proderet, & hospitalem humanitatem deduceret in periculum sacerdotis?
Quis inflammauit ardorem Ammon, ut domum incestaret prophetica m, & contrista- Ibidem.
ret animum patris alterius incesti libidine, alterius iniuria, & qui alijs prophetabat, do-
mus suæ mala prouidere non potuerit? Quis armauit furorem Absalon, ut patrem do- 2. Reg. 13
mo excluderet, & parricidali persequeretur prælio? Sed cum prope uiribus regni iam
esset sanctus inferior, hoc uno incensa aduersum se diaboli restinxit spicula, quod cum
filius necem peteret patris, ille tamen salutem filij pietatis mandabat affectu. Ergo prin
cipes populi, ut Achitofel, & cæteri bellantium duces sederunt. Tractabant principes
populi cum Absalon aduersus prophetam. Et ideo dicit: Etenim sederunt principes, et
aduersus me detractabant. Seruus autem tuus meditabatur in iustificationibus tuis.] Ibid. 15
Aduertimus arma iusti, quibus omnes aduersariorum repellat impetus. Alibi ait: Cir- Psal. 108
cuierunt me, & expugnauerũt me gratis: pro eo ut me diligerent, detrahebãt mihi, ego
autem orabam. Hic ait quod studium ei non exercendæ ad belli artes fuerit iuuentutis,
non decipiendi aduersantis astutia ulla cordis, ut illum uinceret quem uidebat: sed ad-
uersum eos præliabatur quos non uidebat, maiorq; in eo pietas quàm uirtus corporis

militabat. Itaq; in dei exercebatur iustificationibus, ut contrario ictu diabolum uulneraret. Ille eum ab intentione iustitiæ & studio deuotionis, occupationibus bellicis conabatur abducere, hic magis se diuini operis & cultus meditatione occupabat. Itaq; dominus protexit eum, in quem sperauit, cum quo loquebatur, cui toto adhærebat affectu. Iustus enim aut cum deo loquitur orando, aut diuina loquitur opera laudando: & semper loquitur opera dei, ne loquatur os suum opera hominum. Nihil terrenum iustus loquitur, nihil mortale agit. Ideoq; dicit: Etenim testimonia tua meditatio mea est, & consilia mea iustificatio tua.] Aduertis quid doceat, quòd hæc debeant esse consilia iusti, ut meditetur mandata dei, et exerceatur in dei laudibus & oraculis, ut iustificet dominum semper. Qui facit quæ deus mandat, quæ credit deo placere, deum iustificat.

Luc.7 Quod ex lectione Euangelij possumus intellígere, dicente Euangelista, quia pharisæi spreuerunt consilium dei, non baptizati baptismo Ioannis. Hoc in uno libro, in alio autem habes: Non iustificauerunt deum, quia baptizari noluerunt. Ideo dominus ad lo-

Matt.3 annem dicentem: Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Respondit: Sine modò. sic enim oportet nos implere omnem iustitiam. Qui ergo facit mandata dei, iustificat deum, quia facit eius iustitiam: & bonum est ut consilium dei sequantur hominum consilia: quia dei consilium certum semper, nostra autem plerunque incerta consilia exrum probantur euentu.

SERMO IIII.

ד Varta litera secundum Hebræos Daleth, significat latinè timorem, uel (ut alibi inuenimus) natiuitatem. Sed utrumque potest congruere & conuenire sensui. Natiuitas enim eorum est, quę generantur in hoc seculo, per quamin

telligimus corporalia & materialia, quę sunt caduca, & ideo à timore non distat. Ex corporalibus enim & materialibus nascitur timor. Quid enim est terrena natiuitas, nisi timor? Deniq; inde cœpit uersus: Adhæsit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbum tuum.] Per pauimentum terram intelligimus, per terram materialia. Pec-

Gen.3 catori autem dictum est: Terra es, & in terram ibis. eò quòd diuinis mandatis inhærendum non putauerit, sed in materialia & corporalia deflexerit, cui impressa fuerit uitę huius secularis delectatio. Deniq; eiectus de paradiso, hoc est, ex illo sublimi & cœlesti lo-

2.Cor.12 co, ad quem raptus est Paulus, siue in corpore, siue extra corpus, nesciens: ex illo ergo eminenti loco deiectus in terrã, deplorat Adam, dicens: Adhęsit pauimento anima mea.

Psal.43 Sicut alibi ait: Humiliata est in puluere anima mea, & adhæsit in terra uenter meus. Pœnitentiam gerentis hęc uox est, qui meminisset adhęrentem se deo nescisse nec potuisse discernere (quod nõ discreuit & Paulus) utrum in corpore esset, an extra corpus: ita infirmitatem pigritiamq; corporis minimè sentiebat, cui domini adhærebat præsentia. Spiritus ergo propheticus, qui dolorem expressit, uel dominus, qui suscepit eius infirmitatem, personam repræsentat Adæ, & assumit eius affectum. Loquatur ergo Adam: Adhæsit pauimento anima mea. Qui antè beatissimus auram carpebat ætheream, curas uitæ huius & tædia nesciebat: is nunc solicitudine mundi huius, luxuriæ studio, peCuniæq; cupiditate curuatus, uulpium foueis se inserit, latibulisq; terrestribus. Meritò adhærebat puluerí, qui se leuare non poterat, nisi eum supra crucem suam Christus leuasset. Meritò adhærebat pauimento, qui se abscondebat à Christo. Non adhæret pauimento, cui dicit Iesus: Sequere me. Non adhæret pauimento qui audit, & sequitur legẽ

Ioan.1 Deut. 10 dicentem: Post dominũ deum tuum ambulabis, & ipsi adhærebis. Quomodo ergo pa-

1.Cor.6 uimento adhæreat unusquisque, quomodo deo, audi dicentem: Qui adhæret meretrici, unum corpus est: qui autem adhęret deo, unus spiritus est. Terra ista quam gerimus, meretricijs quibusdam nos illecebris capit, & quasi uultus quosdam uoluptatum corporaliumq; delectationum fucis illinit, ut lateat in his ueritas, & forensi quadam specie decipiant appropinquantes. Sed quum interiorem oculum mentis ad tempus obduxerint, postea tamen decusso uelut quodam puluere uoluptatum huiusmodi decore quàm sic inanis gratia seculi huius aut corporis, facile deprehenditur. Bonum est igitur adhęrere deo, nec inflexam ceruicem habere ad iugum mundi. Ideoq; Ecclesiæ uel forti animæ

Cant.4 dicit Sapientia: Sicut turris Dauid ceruix tua quæ ædificata est in Thalpio, mille ostia pendent in ea, omnia iacula potentium. Erecta enim ad deum ceruix, & iugo Christi habilis,

bilis,quę nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur,sicut Christi regalis est turris, cui iugum suum Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid,ille manu fortis,& supra murorũ ædificauit excelsa, ut subsidio pariter & decori sit.Subsidio,quia hostem præuidet et repellit:Decori,quia non solum inter humilia,sed etiam inter excelsa supereminet. Ita tamen subsidio uel decori, si habeat in se uerbi dogmata uelut quædam phalerarum monilia: habeat etiam iacula potentium prophetarum,quæ aduersus omnem extollentem se altitudinem lacertis quibusdã fidei dirigunt.Noli igitur in puluerem mortis deducere animam tuam,cui dominus etiam naturalem altitudinem tribuit,& uigorem quo se excitet & assurgat. Vnde etiam de hac coniunctione animæ & corporis dictum opportunè accipitur,eò quòd in naturali uitæ nostræ mysterio connexa anima corpori uelut humi reptet, & pauimento adhæreat: parum propter hoc terrenum habitaculum,partim quia corpus istud de terra est. Et regionis igitur diuersorium, & materia ipsa corporis nostri huic concurrit sententiæ. Ideoq; pulchrè Apostolus de mortis huius corpore liberari cupit: quia carcere quodam claudimur,& in quodam luxuriæ gurgustio siti,tenebris inuoluimur delictorũ. Rom.7 Ergo secundum uoluntatem dei ambulemus,ut adhærere dicamur deo.Nam qui secundum corporis appetentiam uiuit,caro est:qui secundum præcepta dei, spiritus est.Non ergo fiat anima nostra caro,hoc est,ut dicamur caro,sicut & illi qui in diluuio perierunt,de quibus dictum est, Quia caro sunt:sed magis caro nostra obediens animę gubernaculo,fiat anima,& hoc appellari mereat nomine,sicut appellata est familia patriarchæ Iacob, & generationis eius sancta posteritas.Sic enim scriptum est: Hi filij Balæ quam dedit Laban Rachel filiæ suæ,& peperit hæc Iacob omnes animas septem.Et alibi: Omnes autẽ animæ quæ intrauerunt in Aegyptum, quæ exierunt de femoribus illius, præter mulieres, sexaginta,& sex. Et in principio Exodi legimus: Erant autem omnes, animæ de Iacob quinque & septuaginta,qui erant cum Iacob.Ergo illi qui habitabant cum Ioseph,& de Aegypto exierunt,animæ sunt.Qui autem cum essent angeli dei,hoc est,uitę probitate angelorum imitantes gratiam(qui enim non ducunt uxores,& quæ non nubunt,erunt sicut angeli in cœlo)qui ergo cum angeli uiderentur,capti sunt decore fœmineo,hi caro sunt, sicut dominus deus dixit: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum,propter quod caro sunt.Et meritò expertes libidinis angelis comparantur,caro non sunt,quia non sunt in carne, sed in spiritu quales erant illi qui doctorem Aposto lum sequebantur,quibus ait: Vos autem non estis in carne,sed in spiritu.Qui autem corporea fœminarum capiuntur libidine,caro sunt:atq; utinam caro tantum, & non etiam equi adhinnientes, quia in uxorem, inquit, proximi sui adhinniebant. Rogat ergo qui deiectionem animæ suæ sentit ad pauimentum usq; curuatæ, ut uiuificetur secundũ uerbum dei,quod animas ad se trahit quascunq;, & miseratione sui liberare cupiens abducens,ita ut mors peccati dominatum in ea post hęc habere non possit,posteaquam consepulta cum Christo,iustificata est à peccato.Sed qui uiuificari cupit uias suas,antè pronunciet.Ideoq; secundo uersu ait: Vias meas pronunciaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.] Pulchro ordine ad iustificationes dei perueniendum putat,ut primum sua peccata fateatur. Sic enim docemur & alibi: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Itaq; scire debemus quid sit uias suas ambulare hominem, & uias dei. Qui facit uoluntates carnis,& uiuit secundum concupiscentiam mũdi huius,uias suas ambulat,quibus delectatur & gaudet.Qui autem uenit uoluntatem facere patris sui qui in cœlis est, cuius cibus est ut mandatum dei compleat, qui non quærit quod sibi uoluptati sit, sed quod placeat deo:ille uiam domini pergit,illam uiam quę ait:Ego sum uia,ueritas,& uita.Vides ergo quia ille uiuit secundum uerbum dei,qui uiam ambulat Christi. Ipse etiã dominus deus in Deuteronomio docet quomodo in uijs suis ambules,dicens: Et nunc Israel quid dominus deus petit à te, nisi ut timeas dominum deum tuum, & ambules in uijs eius,& diligas eũ,& seruias domino deo tuo ex corde tuo, & ex tota anima tua custodias mandata eius & iustitias eius? Liquet igitur alias uias esse carnis, alias dei: & si quis uelit ambulare uias dei,ei prius esse uias carnis & corporis & secularis sapiẽtiæ deferendas.Relinquens itaq; eas Dauid pronunciat,& apud deum non tacet. Confitetur

Psal.31 errores,non negat lapsus. Simile illi hoc dixit: Annunciabo aduersum me iniquitatem meam domino. Si enim se accusauerit iustus,uocem parati accusatoris excludit, qui solet aceruare peccata,& uniuscuiusq; exaggerare flagitia. Obstruit ergo os eius, qui ipse de se fuerit antè confessus,& præstruit ueniam confitentis. Verecũdia excusat reum,pudor suus accusat authorem. Qui enim sua delicta non tacuit,uidetur in se doluisse quod
Prou.18 fecit,in diabolo prodidisse quod suasit. Ideoq; ait scriptura: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, etsi peccator est, iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & dei iustitias confitetur,quem putat latere nihil posse. Vtinam Adam se prius accusare quàm celare uoluisset. Sed non satis est ut confiteamur errorem: uerumetiam si corrigi
Matt.23 uolumus,à domino postulemus ut doceat nos iustificationes suas,ne postea errare pol-
Psal.92 simus. A domino igitur doceri petit, quia unus est magister noster,ut ait Christus. Nec ociose hoc petit.nõ enim ille beatus quem docet homo: sed quem tu erudieris domine. Vbiq; meminit sui, nec putat satis esse ut doceat eum iustificationes suas dominus deus noster,sed addidit: Viam iustitiarum tuarum insinua mihi,& exercebor in mirabilib. tuis.] Vide ordinẽ. Prius est ut discamus domini iustificationes, deinde ut gradus quosdam iustificationum & ordinem nouerimus, quid prius, quid consequens esse debeat. Nam scire quid facias,& ordinem nescire faciendi,non est perfectæ cognitionis. offendunt plerunq; præpostera. Deniq; iustus est qui se in exordio sermonis accusat: iniustus autem, qui quod prius negauerat confitetur. Ille uerecũdiæ inuenit gratiam, hic notam incurrit impudentiæ. Ita ordinis ignorantia conturbat negociorum naturã, formamq; meritorum. Ille autem qui didicerit primò mysteria dei, deinde ordinem mysteriorum exercet in mirabilibus dei. Græcus ἀδολεχήσω posuit, quod dicit Latinus hallucinabor. In quo uidetur esse aliqua sermonis offensio secundum uulgarem consuetudinem, quia ἀδολεχῆσαι uulgo æstimatur, uel hallucinari, plus q̃ oportet aliquid loqui, & superfluũ dicere quod audienti fastidio sit,& uidetur esse præter ordinem, quum ordo rerũ uidetur afferre fastidium, ut si causam uelis enarrare aliquam,& ordinem non serues, auditor autem ad rerum festinet exitum, superiora fastidiat. Sed nõ potest plenè instrui, nisi qui ordine sui cuncta cognouerit, unde non solum factum deprehendit, sed etiam facti pondus,& facientis affectus. Ideoq; Dauid quasi bonus sui iudex atq; arbiter, propè usq; ad fastidium uult doceri, & uel superfluo immorari tempore, quàm necessarium ordinem præterire. ἀδολεχία enim uel hallucinatio, uidetur longa quædam esse meditatio,& morosa quædam mentis intentio: à quo nõ longè abest exercitium uel animi uel corporis. Nam ut ille qui exercet membra sua palæstra, diutius exercet ut roboret: ita qui exercet
Gen.24 mentem suam in scripturis diuinis uel in consilijs, diutius exercere debet. Exiuit in campum Isaac. Græcus dixit ἀδολεχῆσαι, Latinus deambulare, uel exerceri. Rebecca uenie-bat, typus in ea præfigurabatur Ecclesiæ, parabantur nuptiæ, in quibus sacramentũ forret magnum. Videns patriarcha ista mysteria, exiuit in campum, diffundens acrimoniã suæ mentis,& deambulans in innocentia cordis sui. Diuersis utiq; cogitationibus exercebat animum,& in mirabilibus mysterijs delectabatur: cuius ut imitator euaderet sanctus propheta, doceri iustificationes dei,& uiam iustitiarum cœlestium cognoscere gestiebat, ut non dormiret anima eius seculi istius somnum, nec mundanæ captus uanitatis illecebris,à persequenda ueritatis intentione difflueret. Qua ratione ergo doceri uelit,subtexuit dicens: Stillauit anima mea præ tædio, confirma me in uerbis tuis.] Alii qui codices habent dormitauit, quia ἐνύσαξεν & ἔσαξεν duabus literis dissonant. Potuit interpres uel antiquarius scriptor hic falli, νυσάζειν stillare. Perfectus non
Psal.231 dormitat, qui diuinis animum intẽdit mysterijs. Deniq; ipse alibi dicit: Si dedero somnũ oculis meis, aut palpebris meis dormitationem. sed uigilat semper: & si caro dormit, cor uigilat. Non ergo dormiebat, qui templum condere domino cogitabat uerborum cœlestium exędificatione, non lapidum. Verbum enim dei repulsorium tędiorum est, quo somnus animæ, sopor mentis excluditur. Ex tristitia enim & solicitudine secularium somnus irrepit. Qui autem adhæret deo, curarum fugitans, uoluptatem capit cognitionis æternæ, nullam illic mutationem rerum secularium pertimescens. Qui facilioribus igitur laborum utuntur compendijs, dormitauit, accipiunt: sed Origenes, qui multorũ interpretationes diligenti discussit indagine, stillauit, secutus est, eò quòd perfecti anima

quasi

quasi bene composita & confirmata non stillat, ut fastigia culminũ quæ bene tecta atq; munita sunt: cæterùm incomposita citò stillant. Inde usurpatum est: Stillicidia eiiciunt Prou. 27
hominem in die hyemali de domo sua, in qua frigoris asperitate, & frequenti aeris mutatione tentamur. Deniq; docemur prouidere, ne fuga nostra fiat hyeme uel sabbato. Matt. 24
Probatos enim iam nos dies debet reperire uel iudicij uel mortis, ne uiduatos uiriditati bus prosperorum, & omni spoliatos secundorum flore successuum exitus mortis inueniat. Caueamus ergo ne unusquisq; nostrũ eiiciatur de statu mentis suæ, & naturali quadam mansione, si habeat foramia mansionum, è quibus fluentia stillicidia tanquam ex fundamentis subruant hominem nulla sapiẽtiæ soliditate fundatum. Ideoq; ait prophe- Prou. 3. 7ª
ta, Fili ne defluas. Confirmanda est igitur anima nostra ne stillet, & indiuidua uirtutum compage solidanda, ut possit regis æterni seruare mysterium. Cæterùm is quicunq; est facilis in uerbis, uelut plenus rimarum, hac atq; illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, tegere se nescions, nec tenere uerbum quod acceperit, sicut sancta Maria quæ cõseruabat omnia uerba in corde suo, ne quod ex eius ore deflueret. Tali se munitam dote uirtutum Ecclesia loquitur, ut digna uideatur in cuius inuitatus sponsus succedat hospitium. Hinc primum se præsumit esse placituram, si be- Cant. 1
nè tectam, & fida seruantem silentia Christus aspiciat. Ecce es, inquit, formosus consobrinus meus, & quidem pulcher: acclinatio nostra opaca, trabes domorum nostrarum cedri, lacunaria nostra cupressi. Laudat sponsi decorem Ecclesia, quem plus unusquisque tacito laudat affectu, & fidus mysteriorum interpres tacendo plus prædicat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi decorem. Ideo nemo mittat margaritas suas Matt. 7
porcis, ne conculcari faciat ornamenta preciosa. Non ergo in tabernaculo loquacis Prou. 10
& garruli, quia multiloquio peccatum admittitur: sed in uiri serij, qui sit parcus alloquij, nec sermonis intemperans, & uerborum sobrietate temulentiam loquacitatis euitans, caput suum Christus reclinat. Et meritò opacam significat acclinationem, quia in ecclesia constitutos uirtus obumbrat altissimi. Hac umbra Dauid protegi se postulabat, ne eum per diem sol ureret, uel luna per noctem. Hanc umbram spiritalis ministrat gratia, torrida seculi huius, & mundi æstiua fugientibus. Opaca igitur reclinatio Christi & Ecclesiæ sunt, quibus dei patris æterna illa requies aspirat. In hac ergo requiescamus umbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos domini crux refrigeret, in qua se reclinauit ut nostra delicta susciperet. Si quos culpa lassauerit, hos Iesus gremio suscipiat suo, & molli foueat amplexu. Vnde audeo dicere quòd caro Christi acclinatio sit Ecclesiæ. Trabes domorum nostrarum cedri. Cedri specie, maiorum qui iusti fuerunt gloria declaratur. Iustus enim ut palma florebit, & sicut cedrus Psal. 91
quæ in Libano est, multiplicabitur. Sicut enim cedrus non putrescit, ita nec maiorũ gloria ulla uetustate corrumpitur. Lacunaria nostra cupressi. Genus hoc arboris nunquam amittit uiriditatẽ suã, hyeme iuxtà, uere atq; æstate comam pascit, nec diuerso colore mutatur. Solam hanc arborem uentus suo nunquam honore despoliat, sola nunquam uetustate sui floret. Anima ergo corrumpi nescit, quę florentibus membris uigens, semper iustitiæ cæterarumq; uirtutũ culmina patienti magnanimitate sustentat: & ideo non defluit neq; deficit, quia nihil in ea rimosum est, ac remissum, nihil mobile, nihil lubricũ, nihil quod uitio sermonis ex ea possit effundi. Ideoq; confirmari se petit in uerbis suis propheta, ne moueantur pedes eius, ne effundantur gressus eius. Quæ, si quis recto uigeat corde, non patitur, sed radicatus atq; fundatus aduersus omnes passionum fluctus immobilis perseuerat. Cõfirmatus igitur in uerbis ait: Viam iniquitatis amoue à me, & lege tua miserere mei.] Non dixit, Amoue me à uia iniquitatis: sed, Viam iniquitatis amoue à me: quasi in nobis sit, & nobis inesse uideatur. Quàm diu enim exercemus aliquid improbum, uia iniquitatis interius manet, & non recedit à nobis: ideoq; studiosè agamus ut eam à nobis seperemus. Sed quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare & tu, dicito: Infelix ego homo, quis amouebit à me iniquitatis uiam? Gratia dei, per Iesum Christum dominum nostrũ. Rom. 7
Et pulchrè uiam dixit iniquitatis, non iniquitatem, eò quòd non quasi naturalis iniquitas sit in nobis, sed maiorum post peccata currentium sit attrita uestigijs. Meritoq; quia

uulnus grande ac uetus est & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia depoſcit, obſecrans ut domini legitima miſeratione curetur. Cito enim refricatur uulnus quod ſana tum medicinæ lege non fuerit, imo etiam ſeriorem curatio ſentit profectum. Ideo'que ſi uirus in interiora proſerpit, medicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit ergo medicinæ ratio ut aut ſectione, aut aduſtiõe curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, fruſtra medicinæ manus adhibentur ad uulnera. Ideoq; bonus medicus huiuſmodi ægrum legitimè dicit eſſe curandum, ut poſſit medicina proficere. Lege ergo miſeretur, qui cum iuſtitia ſapientiaq; miſeretur, ut ea dimittat quæ ſcit iure
1.Reg.15 poſſe dimitti: ne cum alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obnoxium. Agag poſtquã miſeratione donatus eſt, fecit peccare Saul. Peccauit enim in ipſa miſericordia, & ideo peccauit poſt miſericordiam. Conſideremus etiam ne & ipſum deteriorẽ faciamus, cuius miſeremur iniuſtè. Plerũq; enim non coercere delinquentes, maioris auſteritatis eſt, quàm ſi ulciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui cum aliquid inhoneſtũ commiſerint, nullum culpæ precium ferunt. Deniq; eos qui cognitorem deum ſuorum
Rom.1 ſcelerum non putabant, & quaſi ſine iudice & ſine lege uiuebant, tradidit illos, inquit, deus in reprobum ſenſum, quia elegerũt uiam iniquitatis, uiam autem ueritatis eligere noluerunt. Sed propheta qui ſincero conuerti uoluit affectu. Viam (inquit) ueritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus.] Non poteſt hoc dicere qui errat in uano dogmate. Non poteſt Arrianus dicere, non poteſt Sabellianus, non Manichæus, nõ poteſt dicere auarus, qui ſecularia & materialia concupiſcit, non poteſt dicere qui negociatur. nõ eſt enim uia ueritatis, habendi ſtudium, cupiditas poſſidendi. Quomodo uia ueritatis, cum
Luc.16 ille dives in ſeculo nequeat ſecum ſuas transferre diuitias, & incipiat mendico illo Lazaro egentior eſſe poſt mortem? Non eſt uia ueritatis honor ſeculi, ſolicitudo mundi. Deniq; qui uiam ueritatis elegit, paulò pòſt dicit: Auerte oculos meos ne uideant uanitatem. Vanitas temporalium eſt, ueritas æternorum. Si uolumus igitur ambulare uiam ueritatis, peregrinemur ſeculo magis q̃ deo, & ambulemus per fidem. Qui enim per fi-
2.Cor.5 dem ambulat, deo præſens eſt: qui autem ambulat per ſpeciem, adeſt ſeculo, peregrinatur à domino: ſed hic cito confunditur. Vnde refugus ab huiuſmodi uiro dicit Dauid: Adhæſi teſtimoniis tuis domine, ne confundas me.] Adhæret teſtimoniis domini, qui eius mandata non reſpuit, iudicia non obliuiſcitur, nec uoluptatibus indulget ſuis. Qui adhæret domini teſtimoniis, renuncíat mundo, ſuperiora obliuiſcitur, ad priora cõtendit, ut perueniat ad brauium, quod eſt inſigne uictoriæ. Non ergo cõfunditur quẽ mundi huius illecebroſa non ceperint: non confunditur etiam ſi erubeſcẽda commiſerit, qui
Luc.7 ueniam delictorum poſcit à Chriſto. Ideoq; reſpõdetur ei: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, uade in pace. Sed ita non confunditur, ſi fuerit in eo operata peccatorum remiſſio, ut nõ ſolum peccata, ſed etiam peccandi affectum auferat. Iuſtitia remittat iniquitates, fortitudo timorem, temperantia impuritatem, ut nõ ſolum temporalis, ſed etiam perpetua fiat remiſſio peccatorum. Intret in animam tuam Chriſtus, inhabitet in tuis Jeſus mentibus, ut in tabernaculo uirtutis peccato locus eſſe non poſſit. Viam (inquit) mandatorum tuorum cucurri, cum dilataris cor meum.] Neque enim poterat uiam currere, ſi cor eius
2.Cor.6 coartaretur anguſtijs. Denique currentibus uiam domini ait Apoſtolus: Dilatamini & uos, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Et de ſe ait: Os noſtrum patet ad uos ô Co-
3.Reg.4 rinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Ideo & de Salomone dicitur: Latitudo cordis eius, ſicut arena maris. Et uide diſtantiam: Via ſit anguſtior, cor latius, ut patris, & filij, & ſpiritus ſancti ſuſtineat manſionem: ne ueniat uerbum dei & pulſet, & uidens cordis eius an-
Prou.1 guſtias dedignetur habitare. Deniq; ſapientia in exitu canitur, in plateis autem cum ducía agit. Plateæ latæ ſunt. Non igitur in uijs, ſed in cordis latitudine ſapientia decantat. In hoc igitur campo interioris hominis, non in anguſtijs mẽtis currendum nobis eſt
1.Cor.9 ut comprehendamus. Scriptum eſt enim: Sic currite, ut omnes comprehendatis. Deni-
1.Tim.4 que comprehendit qui ita cucurrit ut diceret, Curſum cõſummaui. Cucurrit enim ut bonus equus. Siquidem habet equos ſuos Chriſtus, de quibus dicit propheta: Immiſiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas, eò quòd gentium populos, qui mouentur ut aquæ multæ, & excitantur ut fluctus aquarum multarum, euangelizando cõmouerint apoſtoli, ut aſſurgentes à terrenis idolorum cæremonijs in Chriſtum crederẽt. Et ſuprà

ait: Ascendisti in equos tuos, equitatus tuus sanitas. O bonorum equorum duodecaiugum mirabile, quibus fræna pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ uinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor rotis Euangelij mysterium totius orbis finib. inuehentes, bonum aurigam portantes dei uerbum, cuius flagello fugatæ sunt illecebræ seculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen, ó mirandum mysterium, rota intra rotam currebat, & non impediebatur. Nouum Testamentum in ueteri Testamento erat, intra illud currebat per quod annunciabatur. In quatuor partes ibant rotæ, & non conuertebant retrorsum, quia spiritus uitæ erat in ijs qui currebant in quatuor partes totius mundi, & sine offensione currebant, quia bona equorum uia quadrabat. Currebāt igitur equi, quia non dormiebat qui ascēderat equos. Animarum igitur nostrarum auriga Iesus, qui nos quoq; uult ascendere equos nostros, hoc est, nostra corpora, & uigilare semper, ne dicatur nobis: Dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Transeundum est hoc mare impigrè uix transitur à uigilantibus. Si quis autem dormierit, transire non poterit, sed demergit ut Aegyptius, cuius & anima & corpus interijt. Equum enim & ascensorem proiecit in mare, qui non sequebantur legem, sed persequebantur. Psal. 75 Exod. 15

SERMO V.

S Equitur quinta litera He, quæ latinè significat est, uel ut alibi inuenimus, uiuit. Conuenit sibi utraq; interpretatio. qui enim est, uiuit: & qui uiuit, est. Denique gentiles non sunt, & ideo non uiuunt, sed mortui sunt. Iesus autē heri & hodie ipse est, & in secula: & qui est, uiuit. Viuo enim ego, dicit dominus. Quomodo enim potest nō esse qui uiuit? Viuit autem Iesus, qui etiam mortuos uiuificat, & uocat quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Nihil mirum si domino cedit natura, ut uiuificent & mortui, & incipiant esse qui non erant. Et ideo quia uia etiam uita est, secundum illū qui ait: Ego sum uia, ueritas, & uita: uiam quæramus, ut uitam habere mereamur. Audiamus ergo illum qui uiuit in Christo. Viuit autem qui ait: Sed nos qui uiuimus, benedicimus te domine. In Christo enim Iesu etiam quicūq; mortuus fuerit, uiuit. Audiamus, inquam, quid dixit ut uiueret. Legem mihi cōstitue domine uiam iustitiarum tuarum, & quæram illam semper.] Miles qui ingreditur iter, uiandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio uiam carpit, nec uoluptaria captat compendia, ne recedat à signis, sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud, præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaq; uia conficit iter, ut inueniat cōmeantium parata sibi subsidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit: mansionem paratam non inuenit, quia imperator ijs iubet hæc præparari omnia quæ sequunt, nec dextera nec sinistra à præscripto itinere declinant, meritoq; non deficit qui imperatorē sequitur suum. Moderatè enim ambulat, quia imperator non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile, considerat: ideo & statiuas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die. Eliguntur ciuitates in quibus triduum, quatriduum & plures interponātur dies. si aquis abundant, commercijs frequentantur: & ita sine labore conficitur iter, donec ad eam urbem perueniatur, quæ quasi regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministret. Hanc legem uiandi esse præscriptam Christo ducente sanctis commeantibus recognoscas uelim. Profecti sunt enim & patres nostri de terra Aegypti per longa spacia terrarū, quorum statiuæ omnes, mansionesq; descriptæ sunt, donec Cades, id est, ad sanctam terram peruenirētur. Istæ sunt statiuæ filiorum Israel, quas descripsit Moyses ex præcepto domini. Aduertimus ergo quis has ordinauerit mansiones, quomodo ambulare oporteret filios Israel. Præibat enim illos deus per diem in colūna nubis, ut refrigeraret uiantibus: noctu autem in columna ignis, ut uiam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret. Lex uiarum columna erat & ignis & nubes. Denique in columna nubis loquebatur ad eos. ubi uolebat exercitum requiescere à labore itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autem uolebat exercitum mouere, proueliebatur & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. Illa autem columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat dominum Iesum in nube uenturū leui, sicut dixit Esaias, hoc est in uirgine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ, leuis erat secundum uirginitatis integritatē. Leuis erat, quę Esa. 19

non homini quærebat placere, sed domino. Leuis erat, quæ non in iniquitate concepe-
rat, sed spiritu superueniẽte generabat: nec in delicto, sed cum gratia parturiebat. Aliter
quoq; hanc interpretationẽ sumere licet. Venit in nube leui Christus in Aegyptum, hoc
est, uenit in susceptione corporis in hoc seculũ. In nube uenit, quem nebula corporis ob
umbrabat. Sed leuis erat caro, quam nulla sua grauabant delicta. Quomodo enim pec-
Ioan. 1 catis grauarẽ suis, qui auferebat omniũ peccata populorũ? Ecce, inquit Ioannes, agnus
dei, ecce qui tollit peccatũ mundi. Ante hesternum lectum est, quia stabat Iesus & habe-
Zach. 3 bat uestimenta sordida. mea enim peccata portabat. Sumpsit uestimenta nostra, ut nos
Ibid. 5 splendore immortalitatis indueret. Venit in nube leui quasi iustitia: iniquitas enim in ta-
lento plumbeo sedet, Christus in corde iustorum, in quibus peccata non erant. Et ideo
Psal. 115 bene lectum est hodie: Quid retribuam domino pro omnib. quæ retribuit mihi? Pro no-
bis uerbum suscepit carnis infirmitatẽ, pro nobis esuriuit, uapulauit, crucifixus est, mor-
tuus est, ut nobis, in quibus antè uita ignobilis & degener habebaẽ, inciperet mors esse
pretiosa. Sed reuertamur ad confectionem itineris, & ordinẽ mansionum. Et tu sequere
spiritaliter hanc legem uiandi, ut exeas ex Aegypto, & inde promoueas. Fige taberna-
culum in Socoth. hæc prima tibi statio sit. Socoth prima mansio est, significans taberna-
culum. Fige ergo tabernaculum quod in te est, mentisq; tuæ stationem confirma, ut ra-
Exod. 25 dicatus atq; fundatus maneas in fide Christi. Sequitur mansio in Mara, hoc est, in amari-
tudine. Non omnes mansiones æquales sunt. Inde uentũ est in Helim, ubi fontes duode-
cim sunt, & septuaginta arbores palmarum. Post amaritudinẽ, ne populus deficeret, de
buerunt amœna & fœcunda succedere. Inde Raphidin, quod est laudatio iudicij, inde
sequitur. Sina habens in se & populi tentationẽ, & legis promulgationẽ. Variantur me-
rita mansionũ, quia nulli iugis in hoc seculo uiuendi potest esse successus. Bonus igitur
imperator alibi manna esurienti populo ministrauit, alibi potum de petra fluere, quo si-
tim populi restingueret, augusta prouisiõe præcepit, alibi legem dedit, alibi triumphos
donauit, ut his beneficijs totus exercitus nullum prolixi itineris sentiret laborem. Itaq;
in illo populo typus fuit, in nobis ueritas. Nos igitur cõmittamus iter nostrũ ductui do-
mini Iesu, qui legẽ primò introduxit, & antea per Iesum terram repromissionis in pos-
sessionẽ populo suo dedit. Sed etiam quando Moyses uidebatur ductor esse, aderat illi
Iesus, aderat aũt illi non palàm, nec apertè ductorẽ aut principẽ populi sese gerens. Ex-
pectabat enim donec Moyses tempus expleret suum, quo cõpleto successit Iesus. Itaq;
Gen. 6 si consideres scripturam dicentem: Erunt dies eorum anni centum uiginti: uidebis my-
sterium plenitudinis temporum ex centum uiginti annis, post quos & Moyses in mõte
requieuit, & Iesus manifestè mansionũ susceptit principatũ, ut iam non sub legis timore
sit populus, sed resuscitatus à mortuis fructu uitæ fruatur æternæ. Ambulemus igitur se-
cundum legis doctrinam: uia nobis lex dei sit. Hanc uiam ambulans Ecclesia dicit: Ego
Cant. 2 flos campi, & lilium conuallium, sicut lilium in medio spinarũ. In totam enim terram fi-
des populi credẽtis exiuit, & in spacioso posuit pedes suos Christus. Et ideo pulchrè ait
2. Cor. 2 florem se esse campi. Flos erat etiam Paulus, qui dicebat: Bonus odor Christi sumus deo.
Et uerè flos, qui poterat noua et uetera de sui cordis proferre thesauro. Pulchrè etiã liliũ
dicitur Ecclesia. Sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera sanctorũ. Pulcherri-
mè etiam dictum est lilium conuallium, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc
lilium in medio spinarũ, hoc est, inter Iudæos & hæreticos, hoc est, inter solicitudines hu
ius seculi, quæ mentẽ hominis animumq; compungunt. Possumus etiã aliter accipere,
quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conuentus Ecclesia dei refulget.
Refert etiam considerare quòd hoc lilium splẽdore circumfusum sit, intus aũt quod ha-
bet, rubeum sit, boni & ipsum odoris, eò quòd caro Christi uelut morali diuinitatis cla-
Cant. 5 ritudine circunsepta, cœlestis habuerit protectionẽ gratiæ. Deniq; in posteriorib. ait:
Fraternus meus candidus et rubeus. Candidus claritate diuina, rubeus specie coloris hu
mani, quem sacramento incarnationis assumpsit. Meritoq; & ipsum quod est rubeum
bene olet, quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes manus suas in-
quinauerunt, sancti uenerantes, pietatis odore fragrarunt. Accepit hunc odorem domi
nus Iesus fragrantes Ecclesiæ suæ, & ait: Ecce proxima mea bona. Et Ecclesia dicit ad
Ibid. 2 Christum: Ecce bonus fraternus meus, ecce es bonus tanquam malum in lignis syluæ.

Huius-

Huiusmodi pomum odorem gratum habet, ut cæterorum pomorum fragrantiam uincat. Christus ergo affixus ad lignum sicut malum pendēs in arbore, bonum odorē mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati grauis detersit fœtorem, & unguentū potus uitalis effudit. Tanq̄ malum, inquit, in lignis syluæ, ita consobrinus meus in medio filiorum, eò q̄ super prophetas & apostolos intima corda hominum uerborū suauitate mulcebat. Sed non solum odor, uerumetiam cibus suauis in malo est. Ergo cibus suauis est Christus. In umbra, inquit, eius concupiui & sedi. Legem enim acceperat, hanc sequebatur, hanc currebat uiam. In lege itaq̄ requiescens, in umbra Christi requiescebat. Bona umbra, quæ nos ab iniquitatis sole defendit. Cui autē dubium q̄ lex umbra sit Christi? Quid est lex diei festi, Neomeniæ, sabbatorum, nisi umbra futurorum? Qui dies secundum legem Moysi, ut uideam sex dies, & iterum septimum diem, et sic perpetua secula? Qui mensis secundum legem Moysi, ut sciens mensem, sciam primam mensis Neomeniam, & uera sancta in Neomenijs offerenda? Qui secundū legem Moysi annus, sex illis diebus constat, de quibus ait: Sex annis seruiet Hebræus, & septimo anno liberabit. ut inueniant sex anni quibus aliquis operat terram, septimo aūt anno remittit illā proselytis, & pauperibus, & bestijs terræ? Qui septimus annus quo cōceduntur debita omnia Hebræis? In hac umbra requiescebat patrum fides, prophetarū sancta deuotio. Dicit ergo congregatio religiosa, uel sancta anima: In umbra eius concupiui & sedi. Umbra eius est iubileus annus. Quis enim eius mystica uidet, ut facie ad faciem cognoscat, quæ anno quinquagesimo cōplenda lege præscripta sunt? Vmbra sunt dies festi secundum legem primo mense, decima die mensis usq̄ ad quartamdecimam, & inde usq̄ ad uicesimamprimam mensis. Quæ umbra est celebritas illa inter primum & septimū mensem, in tempore illo anonymo? Vmbra est sanctificata libertas in sabbato. Vmbra est dies festus septimi mensis Neomeniæ, & memoriale tubarum septimi mensis, dies decimus, dies propitiatiōis. Vides quia monas & decas duo festi dies. Item quintusdecimus dies, dies tabernaculorū per octo dies. In umbra hæc omnia. In umbra prima dies uocata, & octaua dies uocata in umbra, quæ in scenopegijs præscripta secundum legē. Constituemihi aliquos ex circuncisione credētes, in lege doctos, obseruantię solicitæ uiros, & nunc Euangelij agnitiōe illuminatos, spiritali saginatos gratia. Dicit in his Ecclesia quæ uidet Christum, quæ responsum recipit, quæ cibo eius pascitur: In umbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Qui fructus eius dulcis, nisi prædicatio dominicæ passionis, ut ipse ait: Ecce hæreditas domini, filij merces fructus uētris? Qui enim dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, q̄ remissio peccatorum? Et benedictū est Marię: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Ergo ubi gustauit fructū suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat dicēs: Introducite me in domum uini, constituite in me dilectionem, confirmate me in unguentis, stipate me in malis, quia uulneratæ charitatis ego sum. Læua eius sub capite meo, & dextera eius cōplectetur me. Adiuraui uos filiæ Hierusalem in uirtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis dilectionē usquequo uoluerit. Meritò quærit eum, meritò desiderat, quia bene omnia in occursu atq̄ itinere disposuit imperator noster. Primū omniū fidei fundamento tabernaculū hoc confirmandū putauit. Deinde si qua est nobis aspera atq̄ arida & prærupta mansio, imperator tamen iste turbata discernit, arida irrigat, deserta fœcundat. Si quid amaritudinis, si quid tentationis, si quid infirmitatis est, ductor noster & amara temperat, & solicita mitigat, dura dissoluit, & inualida cōfirmat. Sicubi uult requiescere rex terræ exercitū suū, non ignobilem uicum, non cōmeatibus indigentem, non arenosa & nuda gignentium, sed urbem ædificijs nobilem, refertā & uberē copiarū, aut agrum amœnū & uirentem pascuis, aut nemorosa et campestria statiuis opportuna decernit. Ergo si reges terræ norunt cōmoda prouidere sequentibus se, quanto magis deus qui bonus est, nouit quemadmodū profutura disponat diligentibus se? Ac primū si incognitū carpendum est iter, duces eligunt uiarum, qui præcurrant agmini. Sed hoc imperatores isti iniuriosum sibi arbitrantur: Deus aūt præibat cum Hebræi facerent iter. Denicp̄ in columna nubis loquebat ad eos. Et ut scias quia præibat: Deus, inquit, præibat illos: interdiu quidem in columna nubis ostendens illis uiam, noctu autem

Exod. 22

Cant. 2

Ibid.

Psal. 126

Luc. 1

Cant. 2

Psal. 98

Exod. 13

autem in columna ignis, & non deficiebat columna nubis interdiu. Hanc præcedentem nobis columnam sequens Ecclesia, non deficientem, ne ipsa deficeret, umbra eius
Cant. 2 refrigerabatur, & ideo dicit: In umbra eius cõcupiui, & sedi, & dulcis eius fructus in faucibus meis. quia à domino pascebatur, & deducta in locum pascuum, & aquam refectionis. Introducite me in domum uini. His copijs præparatis quærit progredi ad aliã mansionem, in qua mysteriorũ gratiam, & lætitiæ capiat suauitatem. Hinc quoq; promouẽs uerum iter, ait: Constituite in me dilectionem. Bona statiua, ubi plenitudo est charitatis. Confirmate me, inquit, in unguẽtis, stipate me in malis. Habes alias mansiones, ad quas Ecclesia cum delectatione succedit. Istæ mansiones sunt crucis Christi & sepulturæ, in quibus uulnerata est Ecclesia, sed uulnere charitatis. Vulnus enim est quod Christus excepit, sed unguentũ est quod effudit. Pomum est quod pependit. Hoc pomum gustauit Ecclesia, & ait: Et fructus eius dulcis in faucibus meis. Et ut scias quia pomum est dominus, legisti suprà: Tanq; malum in lignis syluę, ita consobrinus meus. Nos quoq; uulnus fatemur cum prædicamus Christum crucifixum, sed bonus odor sumus deo, quia crux
1. Cor. 1 Christi Iudæis scandalum, Græcis stultitia, nobis aũt uirtus dei atq; sapiẽtia est. Hoc uulnere Ecclesia uulneratur, cum saluatoris sui prædicat mortẽ, sed hoc uulnus est charitatis. Deniq; qui non credit, negat: qui diligit, confitetur. Manichæus negat, Christianus
Prou. 27 fatetur, & ideo scriptum est: Vtiliora uulnera amici, q̃ uolũtaria oscula inimici. Pulchrè ergo dicit Ecclesia, Quia uulneratę charitatis ego sum. Nudemus membra nostra bono
Esa. 49 uulneri, nudemus sagittæ electę. Sagitta hęc, Christus est, qui dicit: Posuit me sicut sagittam electam. Bonum est ergo hac uulnerari sagitta. Non mediocris mansionis iste processus, non omnes possunt dicere, quia uulnerati sunt dilectione. Dicebant Apostoli cũ
2. Cor. 12 pro Christo lapidarentur, & Christum prædicarent. Dicebat Paulus cum ter uirgis cæderetur, & die ac nocte Christum adorandum gentibus disputaret. Dicunt hoc martyres, qui uulnerantur pro Christo: & quia uulnerari pro eius meruerunt nomine, plus diligunt. Ad hanc ergo ueniens mansionem Ecclesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios suos offerat, ut excipiat uulnera charitatis, quasi bona fidei alimenta reperiẽs, pie-
Psal. 33 tatisq; fructus, gustauit ipsa, & hortari cœpit cæteros, dicens: Gustate, & uidete, quoniã suauis est dominus sicut malum. Et in malo uulnus est, sed tamẽ suaue est. Venit iterum ad uallem Botryonis, uidit ingentis uuam magnitudinis, quã duo portare uix poterant, umus qui pręcederet, alius qui sequeretur. Gustauit mysterium in Iesu Naue: gustabat in
Num. 13 Caleb, qui dicebant populo: Vidimus terram profluentem mel & lac. Gustate et uidete
Cant. 2 quoniam suauis est dominus. Et addidit Ecclesia dicere: Læua eius sub capite meo, & dextera eius complectetur me. Adiurauí uos filiæ Hierusalem in uirtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem usquequo uoluerit. Et istæ mansiones sunt uia regali incedentis Ecclesiæ. Multę enim sunt mansiones apud patrẽ meũ:
Ioan. 14 testificatur dominus Iesus: Ecce uenio & accersio uos. Bona mansio sapientiæ, & siue in læua eius, siue in dextera, bona mansio, quia uia regalis est. Ideoq; sapientes nũcij dicũt:
Num. 20 Via regali ibimus, non diuertemus in dextera neq; siniſtra, quoadusq; transeamus terminos tuos. Hoc dixerunt missi à Moyse nuncij ad regem Edom, hoc est, terrenum: quia terrena omnia, siue in dextera, siue in siniſtra, mala sunt. Mala mansio insipientia, mala mansio intemperantia, & ideo pertransit has mansiones Hebræus, non diuertit ad eas, sed pertransit ut perueniat ad siniſtram sapientiæ & dexteram, & in ipsis maneat, ubi di-
Prou. 3 uitiæ simplicitatis, ubi gloria, ubi longitudo uitæ est. Longitudo enim uitæ in dextera eius, ut ait Salomon: in siniſtra autem eius diuitiæ & gloria. In dextera uita est, in siniſtra
Ezech. 13 requies. Vtinam super siniſtram eius requiescam, ne quæram ceruicalia. Væ enim ijs qui assuunt ceruicalia, Ezechiel dicit. Has mansiones præparat Ecclesiæ suæ bonus du-
Prou. 3 ctor, & per uias sapientiæ dirigit iter eius. Denique laudat sapiens uias eius. Viæ eius uiæ bonæ, & omnes semitæ eius in pace. Sed quia sapientia, honestas, claritas, ita perfecta sunt, si habeant charitatem (Plenitudo enim legis charitas est) suscitari & resuscitari
Rom. 13 1. Ioan. 4 uult charitatem. Suscitari in ueteri Testamento, resuscitari in nouo. Charitas deus est, ut legimus, charitas Christus est. Suscitatur ut leo, & catulus leonis, ut Iudæ ascendat ex germine. Resuscitatur ut dormiens, ut recumbens: quia non humana, sed sua & patris maiestate est suscitatus à mortuis. Vnde ait scriptura: Quis suscitabit illum?

Non

Non enim poterat illum aut angelus, aut potestas suscitare alienа, cùm ipse alios resuscitaret. Ergo cum hic dicit: Si suscitaueritis aut resuscitaueritis charitatẽ usquequo uoluerit: de ijs dicit qui resurrectionem eius possunt congruè prædicare, ut audientibus ardorem fidei & deuotionis accendant. Vel suscitatur Christus in ijs qui primum accedunt, resuscitatur in ijs qui postquam accesserint, dormierũt. Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis. Habet ergo Ecclesia per quæ gradiat̃, habet tabernacula mansionum in quibus requiescunt sancti, de quibus iste est qui dicit: Legem mihi constitue domine uiam iustitiarum tuarum. Bene ait: Statue, ut in pectore eius immobilis & fixa permaneat, nec aliquo seculi turbine ab eius conuellatur affectu, ut ipse lex sit sibi, opus habens legis scriptum in corde suo. Et quæram, inquit, illam semper. Non est enim mediocre quod requiritur paradisi gratia, dei regnum, angelorum consortium, immortalitatisq; domicilium. Non ergo uno die quæritur, nec duobus, aut paucis mensibus, sed quæritur semper, & quæritur per omnia. ut meritorum multa concurrant suffragia. διαπαντὸς enim & omne tempus significat, & per omnia. Cum dicit igitur, Quærã, sine fine dicit esse quærendum. Sed non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris. Ideoq; ait:

Da mihi intellectum, & perscrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.] Quærendum primũ, deinde intelligendum perscrutandumq; legis omne mysterium, & in corde custodiendum. Quis autem potest custodire legem dei, nisi intellectũ acceperit? Qui autem intelligit & scrutatur, scrutando in semitam mandatorum deducitur. In quo illud aduertẽdum, quia lex est iustitia, mandatum iudicium. Sicut & in hac litera legimus: est legis uia, stare in ujs legis. Est uia iustitiarum, secundum primum uersiculum. Est ergo & testimoniorum uia. In uia testimoniorum tuorum delectabar. Est & uia mandatorum: Viam mandatorum tuorum cucurri. Interrogemus ergo has uias, ut dicatur nobis: State in ujs legis, & interrogate semitas æternas, & uidete quæ uia melior, & ambulate in ea. Quum omnes igitur ambulauerimus uias, ueniemus in omnium finem uiarum, qui ait: Ego sum uia. Christis ergo finis uiarum. ipse enim est finis legis ad iustitiam omni credenti. Hinc audeo dicere, quia finis iustitiarum Christus, qui est iustitia: finis testimoniorum Christus, de quo dictum est: Estote mihi testes, & ego testis, dicit dominus, & puer meus quem elegi. Aduertimus igitur quantum nobis ambulandum sit ut ueniamus ad Christum. Ambulandum in lege, quia finis legis Christus est. Sine lege ergo non peruenitur ad Christum. Vnde manifestum est quod hæretici qui legem ueteris non accipiunt Testamenti, etsi dicant quòd Christum teneant, tamen non possunt tenere finem qui initium non tenuerunt: Ipse est Iesus, initium & finis. Oportet igitur ut ambulemus secundum legem spiritalem, ut ueniamus ad legis finem dominũ Iesum. Oportet ut sequamur testimonia, ut peruenire possimus ad magnum testimoniũ dominũ Iesum. Oportet etiam ut in præceptis domini ambulemus, ut perueniamus ad magnum præceptum, de quo legisti: Dictum est antiquis, Non occides: ego autem dico uobis: hoc est, super omne præceptum dico. Itaq; non usurpatoriè dixerim, sed uerè, quia sicut sunt sancta sanctorum, ita præceptum est præceptorũ. Sed ut ista seruare possimus, intellectum petamus à domino. Intelligamus quid sit circumcisio. Circuncidit Iesus petrinis gladijs, & abstulit opprobrium Aegypti à filijs Israel. Petra Christus est. Circuncidat te uerbum dei, & gladius oris eius, & sic Aegypti carebis opprobrio. Non igitur corporis, sed cordis intelligenda est circumcisio. Si intellexeris legem, seruabis eam in corde tuo. Iudæus in corde legem non seruat, sed in labijs legem recitat, & legẽ ignorat. Denicq; populus hic, inquit, labijs me honorat: cor autem eorũ longè est à me. Quomodo potest legem tenere, qui longè est à legis authore? Tertius uersiculus quid habeat, cõsideremus. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quoniam uolui eam.] Quis hoc dicit, nisi qui sequitur Christum? Non potest alius hoc dicere, nisi qui illud exequitur quod scriptum est: Post dominum deum tuũ ambulabis, & ipsi adhærebis, quia ipse te deducit. Quomodo deducat, audi: Nisi quis tulerit crucem suam, & post me sequutus fuerit, non est me dignus. Præcedit ergo Christus, ut nos sequamur, præcedit uerbum. Principium Christus est, ideo sapientia dicit: Dominus creauit me principium uiarum suarum. Aduertimus quòd & principium Christus, & finis uiarum sit. Non uereor ne quis dicat, Creatum ergo Christum asseris? Respondebo: Ita creatum dico, quemad-

Rom. 2

Ioan. 14
Rom. 10
Esa. 43
Rom. 10

Matth. 5

1. Cor. 10

Matt. 15

Ibid. 10

Eccli 24

Gal. 4 quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege, hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. Creatus est, ut redimeret creaturas: homo factus est, ut homines à morte perpetua liberaret. Creatus est, ut uias mihi demonstraret æternas, quibus homo redire possit ad dei regnum. Ergo quia principium est uiarũ dei, hoc principium sequamur. Prius uiam noui ingressus est Testamenti, ut uiam deuotionis sterneret nobis. Si ieiunamus, ante nos ille ieiunauit: si pro nomine eius sustinemus iniurias, prius ille sustinuit pro nostra redemptione. Cerui-
Ioan. 21 ces suas posuit in flagella, maxillas suas in palmas, ascendit crucem, ut doceret mortem non esse metuendam. Denique quasi præcedens ait Petro: Tu me sequere. Et ideo Petrus cursum consummauit, quia secutus est Christum. Sequitur uersus quartus. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.] Vtilitatem alij habẽt, & puto quòd ideo mutatum sit, quia utilitas bonæ rei uidetur esse expetẽda potius, quàm declinanda. Sed quia plerique lucrum pecuniarum utilitatem suam putant esse, ideo si legimus utilitatem, non animæ utilitatem accipere debemus prophetam declinare, sed utilitatem pecuniæ.
Philip. 3 Sanctus enim lucra ista non nouit, sed omnia hæc detrimentum arbitratur, ut Christum lucretur, & rectè. Quod enim putamus lucrum esse pecuniæ, damnum est animæ, quia uirtutis est detrimentum. Ergo secundum eos qui ita acceperunt, ut optet propheta inclinare cor suum in testimonia, & non in auaritiam, & nos congruimus assensu: atq; utinam precem sancti sequentes & oremus quod ille orauit: & quod oramus imitemur effectu. Quid enim mihi prodest si orẽ ut auertat cor meũ deus ab auaritia, & ipse diebus ac noctibus pecuniæ quæram compendia? Si oramus sermone, cõpatiamur & mente. Audit sensum nostrum Iesus, & cognoscens duobus istis non conuenire, sermoni, & cupi-
1. Cor. 14 ditati, non exaudit loquentem. Et ideo qui bene uolebat orare, dicebat: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Ita magis audit orantem, si aspernet auaritiam. Sed quia inualidi sumus, & plerunq; uolentes auertere cor nostrum à pecunia, uel auro, uel argento, capimur aspectu, & agrum aut ædificium uidentes alienũ concupiscimus, bene addidit propheta dicens: Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ, in uia tua uiuifica me.] Etenim qui in uia est dei, uanitates non aspicit. Via perfecta Christus est. Qui igitur in Christo est, quomodo potest uanitates aspicere, cũ Christus in carne sua omnes mũdi huius crucifixerit uanitates? Auertamus igitur oculos nostros à uanitatibus, ne quod oculus uiderit, animus concupiscat. Mystica enim differamus interim. Vtinam hac interpretatione possimus reuocare ad diuersa circensium ludorũ atq; theatralium spectacula festinantes. Vanitas est illa quam cernis. Pantomimum aspicis, uanitas est. Luctatores aspicis, uanitas est, quia cernis eos de uiridi luctantes corona. Illi enim ueri sunt luctatores, qui aduersum huius seculi luctant illecebras. Non capiat oculos tuos palæstra membrorum. Equos currentes aspicis, uanitas est: quia uanè currũt, qui ascendentem saluare non possunt. Denique recursus ipse te doceat quia uanè currũt, qui non directum conficiunt iter, obliuiscentes superiora, & ea quæ posteriora sunt appetentes. Ante nos est Christus, ante nos brauium eius, ad quod peruenit qui non in incertum currit, nec reuocauit cursum suum, sed incitauit. Ad hunc dirige oculos tuos, auerte ab spectaculis, auerte ab omni seculari pompa. Si cubi populares cognoueris plausus, auerte oculos tuos ab his, inflecte, deprime, & serua eos, ut erigas melioribus. Erige ad cœlum, uel nocte stellarum monilia, orbem lunæ decorum, uel die solem aspice. Specta mare, terram circumspice, ut opere facta diuino omnis creatura te pascat. Quæ formarum gratia in ipsis bestijs? Quantus decor in hominibus? Quanta in auibus pulchritudo? Hæc intuere, & non uidebis iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Hæc uide, & non introibit mors per fenestras oculorum tuorum. Si uideris mulierem ad concupiscendum eam, intrauit mors per fenestram. Si uideris possessionem minoris aut uiduæ, & cõcupieris diripere eam, intrauit mors per fenestram. Si uideris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris ut extorqueas, intrauit mors per fenestram. claude ergo hanc fenestram, cum uideris alienæ mulieris pulchritudinem, ne mors possit intrare. Oculi tui ne uideant aliena, nec lingua peruersum loquatur. Tuam ergo fenestram claude, ne morti pateat intranti. Sed etiam alienam fenestram caue. A fenestra enim domus suæ intrat fornicaria. A fenestra sua intrat, cum aliquem petulantis oculi tentat lasciuia.

Exclude

Psal. 54
Hier. 9
Matt. 5

Excludeigitur hanc feneſtrã uerbi oſtio,ne capiaris oculis meretricis, & abripiaris palpebris.Sed non eſt una feneſtra per quam mors conſueuit intrare.Eſt & feneſtra uerbo rum per quam ſermones commeant meretricis.Et ideo te ab aliena uxore cuſtodi, ne te ſermonibus gratioſis adoriatur:A feneſtra enim domus ſuæ intrat.Intrat mors per oſcula:& ideo caue, ne te laqueis labiorum ſuorũ alliget. Intrat mors ſi meretrix te oſculet. Intrat mors ſi cito acquieſcas loquenti.Intrat mors ſi loquaris.Intrat mors ſi multum loquaris.Multiloquio enim peccatum incurritur.Intrat mors etiã ſi non loquaris, & Chriſtum timeas confiteri.Ore enim confeſſio fit ad ſalutẽ.Intrat mors etiã per cauernas auriũ,& ideo aures ſunt ſpinis ſepiendæ,ut illecebras meretricij ſermonis excludas. Hæc moralia.Sũt etiã myſtici oculi,quos auertere debeas à uanitate.Eſt enim & ſenſuum uanitas,quã oculi animæ tuæ uidere non debeãt,quia illi eam uidẽt,quos Apoſtolus damnat.Cognoſce quæ ſit uanitas ſenſuũ,quã oculi tui myſtici uidere nõ debeant. Vnde iſo magis authore diſcamus quæ uanitas,& qui oculi ſint. Manifeſtũ eſt eũ eſſe pleroſq; qui uanitate ſenſus ſui obſcurati ſunt corde,& alienati à uita dei propter ignorantiã quæ in ipſis eſt,propter cæcitatẽ cordis eorũ:illos tamen gentes Apoſtolus dicit. Ignoret igitur Gẽtilis ille quod nõ didicit,ignoret quod nõ credidit,tibi ignorare nõ licet quod cõfiteris.Chriſtus non in uanitate uenit,ſed in uirtute: non in antiquitate, ſed in nouitate: nõ inflauit ſenſum hominis,ſed uiuificauit:non cæcitatẽ cordis, ſed illuminationẽ mentis operatus eſt.Inflãmauit cor tuum,ut cõprehendas quæ mandatorũ cœleſtium ratio, quæ animæ ſubſtantia, quæ uitæ futuræ gratia, in quo ſtatu poſt hæc erimus. Erige igitur mentem,utere naturali ingenio.Ad imaginẽ dei factus es,ut ſuperna aſpicias,& terrena nõ quæras.Noli curuare ceruicẽ tuam mundi premendã põdere, noli inhiare auro atq; argẽto,ne te ſeculi uinculis alligandũ præbeas.Ideo dixit dominus: Nolite poſſide aurum atq; argentum.ne nos auri atq; argenti cupiditas auara poſſideat.Noli ergo in ferere collum tuũ diaboli laqueis.Strangulat auaritia pauperẽ in hoc ſeculo, ſed in perpetuum diues ſuis laqueis ſuffocatur: cuius ſenſus in uanitate eſt, in tenebris ambulat, qui in ijs laborat,quæ ſibi prodeſſe non poſſint. Vanitas eſt ſolicitudo uitæ huius. Vnde non in crapula & ebrietate,non in delicijs corporis,ſed in cognitione præceptorum cœleſtium delectationem noſtram debemus ponere.In uanitate currit, qui ſibi ſucceſſibus uidetur affluere ſecularibus,qui tanquam umbra prætereunt. Auerte igitur oculos tuos,ne uanitatem uideant.Sed non ſatis eſt ut tu auertas,ne forte uelis & non poſſis, ſi offundat tibi diabolus uanitatũ ſpectacula,incẽtiua inſerat uoluptatũ, pete ut dominus auertat oculos tuos.Et hæc gratia dei,& hoc munus eſt dñi,ut oculos animę noſtrę à negocijs mundi huius auertat.Beatitudo enim omnis à domino eſt.Beatus autem uir, cui nomen domini ſpes eius,& non reſpexit in uanitates & inſanias falſas.Qui non reſpicit hæc,beatus eſt:qui autem reſpicit,inſanus atq; furioſus eſt:& ideo reſipiſcat unuſquiſq; à furore ſecularium cupiditatum,quæ ita mentem animumq; perturbant,ut compos ſui eſſe non poſſit.Si in nauigio fluctuante ſis conſtitutus,auertis à ſentina oculos,ne uomitum moueat tibi. Si in ciuitate ambulans aliquid fœtidi odoris offendas, longe refugis atq; declinas.Si quid occurrat quod horreat oculus tuus,claditur aut auertitur. In ſalo ſeculi huius fluctuas,influit ſentina uitiorum. In hoc nauigio tui corporis mouet æſtus cupiditatum,& non auertis oculos animæ tuæ ne uideant ſentinã libidinum,ne aſpiciãt mundi huius ſtercora,ne fœtor immundus nares repleat tuæ mentis, in quibus ſpiritus ſanctus eſſe conſueuit,ut poſſis dicere:Spiritus diuinus qui eſt in naribus meis. Nares igitur animæ tuæ à fœtore auertantur criminum diuerſorum.Eſt enim in his uelut quodam inſigne iudicij. Vnde dicitur ſponſæ:Nares tuæ ſicut turris Libani, proſpiciens faciem Damaſci.eo quòd unguentum ueri ſacerdotis quod deſcendit de capite in barbã, hoc eſt, odor ille diuinus, odor gratiæ ſpiritalis, qui de patre in Chriſto erat,& ſacramento incarnationis,deſcendit in terras,ut omnia fuſo replerentur unguento, emineat prę celſi poteſtate iudicij,& nares repleat animæ,ut bene olẽtia diſcernat, & fœtida: ſuauia ſanctorũ,qui poſſunt dicere: Chriſti enim bonus odor ſumus deo, à fœtidis peccatorũ. Hæ ſunt nares ſicut turris Libani præcelſæ ſupra mundũ,& ideo proſpicit faciẽ Damaſci,gentilem ſcilicet populum,odorans fidẽ eius,cuius gratia delictorum ſuorũ detergit fœtorem.Facies igitur Damaſci, fides eſt Gentium nullo obumbrata amictu,nullo ad-

Prouer.10 *Roman.10* *Epheſ.4* *Matt.10* *Pſalm.39* *Iob.27* *Canti.7* *2.Cor.2*

operta ueſtitu, nuda ac libera, cœlo magis intẽta quàm terris. Hanc ſpeculant & proſpiciunt nares Eccleſiæ, quòd ſuaue in ea & odorũ eſt aſpirationis & gratiæ colligentes. Et bene nares eius ſicut turris Libani, quia in ſacrificijs odor ſuauis Eccleſiæ eſt, in quibus eſt boni odoris hoſtia, remiſſio peccatorũ. Sume igitur has nares ô homo, ut à graue olẽtibus florulẽta ſecernas, & tũc uiuificabit te dñs. Cũ enim aduerterit quod de ipſo petis, ut auertat oculos mẽtis tuæ à uanitate, cooperatur animæ tuę ut ſi ſpecie aliqua capitur, aut duritia & infirmitate nõ flectitur, flectat eam iugo uerbi, & habenis ſuis regat, ut uoluntate dei abducat à uitijs, & uitæ odorẽ capiat æternæ. Nõ enim hæc uita perfecta eſt, Luc. 1 ſed hæc uita in umbra. Ideo ut homo Chriſtus Ieſus ex uirgine naſceretur, obũbrauit uirtus altiſſimi matrem futuram, quia in umbrã deſcendit, ab umbra incipiens operari ſalutem hominis, & conſummaturus claritate ſolis æterni. Vmbra eſt ergo uita hæc. feſtina ad ſolẽ, ut te defendat ab umbræ huius frigore, & calorem tibi profundat æſtiuum. Et ideo ſuadet orandũ ne fiat fuga noſtra hyeme uel ſabbato, non tẽpus diemq; ſignificans, Matt. 24 ſed frigere nos meritis prohibens, & bonorum operũ eſſe ieiunos. Diſce nunc quemadmodũ auertat oculos eius cui miſereatur dñs, à uanitate. Ex his enim quę ſequũtur, hoc intelligere poſſumus. Subiecit enim: Statue ſeruo tuo eloquiũ tuum, in timore tuo. Initium eſſe ſapientiæ timor domini dicit Propheta: Quid eſt aũt initium ſapientiæ, niſi Pſal. 110 ſeculo renunciare? Quia ſapere ſecularia, ſtultitia eſt. Deniq; ſapientiam huius mundi, 1. Cor. 1 ſtultitiam eſſe apud dñm, Apoſtolus dicit. Sed & ipſe timor dñi niſi ſecundum ſciẽtiam Rom. 10 ſit, nihil prodeſt, imo obeſt plurimũ. Siquidem Iudęi habent zelum dei, ſed quia non habent ſecundũ ſcientiam, in ipſo zelo & timore maiorẽ contrahunt diuinitatis offenſam. Quòd circuncidunt infantulos ſuos, quòd ſabbata cuſtodiũt, timorẽ dei habẽt: ſed quia neſciunt legem ſpiritalẽ eſſe, circũcidunt corpus, non cor ſuum. Ignem ſabbato adolere formidant, cũ lex ſanctificationis die libidinũ ignẽ prohibeat accendi. Et quid de Iudęis dico? Sunt etiã in nobis qui habent timorẽ dei, ſed non ſecundũ ſcientiã, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana cõditio ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia uidẽtur ſibi conſulere diſciplinæ, opus uirtutis exigere: ſed inſcitia in eo eſt, quia non cõpatiunt naturæ, non æſtimant poſſibilitatẽ. Non ſit ergo irrationabilis timor. Etenim uera ſapientia à timore dei incipit, nec eſt ſapientia ſpiritalis ſine timore dei: ita timor ſine ſapientia eſſe non debet. Baſis quædã uerbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrũ aliquod in baſi ſi ſtatuitur, & tunc maiorẽ habet gratiam cum in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandiq; accipit firmitatẽ: ita uerbum dei uel rationabile dei in timore ſancto melius ſtatuit, fortius radicatur, hoc eſt in pectore timentis dñm, ne labatur uerbum de corde uiri, ne ueniant uolucres, & auferant illud de incurioſi & diſſimulantis affectu. Sed etiam uerbo dei timor ipſe aptari ad utilitatẽ, & conſtabiliri uidetur ut non ſit alienus ſcientiæ, ſicut baſis accepta ſtatua non eſt aliena gratię. Timor ergo uerbi eſt locus, ſicut in pace locus eius. Timor quidem ſtatua uerbi, uerbũ timoris eſt diſciplina. Plenus enim diſciplinæ timor non nutat ad lapſum. Et quia baſim uerbi timorẽ diximus: ne quid alienũ à ſcripturis poſuiſſe nos quiſquã putet, accipiat lectũ de dei uerbo in Canticis canticorũ: Crura eius co- Cant. 5 lumnę marmoreę fundatę ſuper baſes aureas. Significans colũnas eſſe Eccleſię Apoſtolos, qui fundati ſunt in timore ſancto. Nam ſicut Petrus, Iacobus, Ioãnes & Barnabas co- Galat. 2 lũnę eſſe uidebantur Eccleſię, ſic & quicunq; uicerit hoc ſeculũ, fit columna dei, quam cõfirmat qui dicit: Ego confirmaui colũnas eius: ita & baſis aurea timor plenus diſcipli- Pſal. 74 næ, quia initiũ ſapientię eſt. In timore ergo ſapientiũ Apoſtolica prędicatio tanquam ſu- Ibid. 110 per baſem auream colũna confirmatur. Chriſti igitur eloquio & Apoſtolico ſermoni tribunal eſt timor iuſti, & baſis aurea plena prudentiæ, ſimulacrũ autẽ bonum tanquã effigies ueritatis, ſermo ſanctorũ. Et uide tanquam baſim aureã eſſe ſanctorũ timorem. Le- Eſa. 11 ge Eſaiam: uide quantis ſubiecerit timorẽ, ut faceret irreprehenſibilem & bonũ timorẽ. Spiritus, inquit, ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij atq; uirtutis, ſpiritus cognitionis atq; pietatis, ſpiritus ſancti timoris. Quantis timorẽ ſubiecit, ut haberet quod ſequi poſſit? Informatur per ſapientiã, inſtruitur per intellectũ, conſilio dirigitur, uirtute firmatur, cognitione regit, pietate decoratur. Tollę timori dñi iſta, & eſt irrationabilis & inſipiens timor, unus ex illis: Foris pugnę, intus timores. Quibus afflictus eſſet & Paulus, niſi ha- 2. Cor. 7 buiſſet dñm conſolantẽ. Nec ocioſum eſt in Prouerbijs: Tunc intelliges timorem dñi. Prou. 2

Quid

Quid est tunc? Cùm sapientiam inuocaueris, & prudentiæ dederis uocẽ tuam: & si quæ
sieris illam ut pecuniam, & ut thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorẽ do-
mini. Et ideo tanquam super basim bonam dicit: Statue seruo tuo eloquium tuum in ti-
more tuo. Plena disciplinæ oratio, per quam docemur, quemadmodũ debeamus orare
unusquisq; Sermo doctrina est deprecãdi. Et quia docuit nos orare, qui sit istius oratio-
nis effectus, ostẽdit septimus uersus. Auser opprobrium meũ quod suspicatus sum.]
Subobscurè dictum uidetur, sed explanauit Apostolus, quod hic uidebatur obscurũ, ubi
ait: Nihil quidem mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Sciebat enim se esse 1. Cor. 4
hominẽ, & sibi cauebat ut poterat, ne post susceptа baptismi sacramẽta peccaret: ideoq; 1. Pet. 2
delicti conscius sibi non erat, sed quia homo erat, peccatorem se fatebatur, sciens unum
esse Iesum lumen uerum, qui peccatũ non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus, ipsum
solum iustificari qui uerè alienus esset à lapsu. Similiter ergo propheta etsi peccatũ decli
nare cupiebat, tamen quasi deum repulsorem peccati esse sui cupiebat. Volebat auferri
opprobrium quod suspicatus est, uel quia cogitauerat in corde, & non fecerat, & pœni
tentia licet abolitum, suspectus tamen erat ne fortè adhuc maneret eius opprobrium, &
ideo deum precatur ut illud auferat, qui solus nouit quod nescire potest etiam ipse qui
fecit. Deniq; alibi ipse dixit propheta: Scis opprobrium meum. Quanquã istud oppro- Psal. 68
brium Christi sit, quod non est uerum opprobrium, sed gloria dei. Crux enim Christi Iu 1. Cor. 1
dæis scandalum, Græcis stultitia. Illis ergo opprobriũ, mihi uirtus est, per quem aduersa
rium repello, seculũ uinco. Mihi sapientia, per quam insipiẽtiæ laqueos euado. Hoc op-
probrium thesauris Aegypti Moyses prætulit, maius æstimans Aegypthi thesauris op- Hebr. 11
probrium Christi. Si opprobriũ tuum gloria est domine Iesu, quanta est gloria tua? Tuę
igitur gloriæ participatiõe quid erimus, cuius sumus opprobrio glorioſi? Dorsum meũ Esa. 50
posui in flagella, maxillas meas in palmas, os aũt meũ nõ auerti à cõfusione sputorũ. Ec-
ce opprobrium tuum domine, in quo salus est uniuersorum, in quo mundi redemptio:
per quod opprobriũ cœpimus non erubescere qui erubescebamus: non confundi, qui
confundebamur. Deniq; scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini, & uultus ue- Psal. 33
stri non erubescent. Hoc opprobriũ auferri à nobis nolumus, opprobrium crucis domi
ni Iesu, quo nostra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictũ factus est, ut nostra ma-
ledicta deleret, homo factus est, ut leuaret hominis infirmitates: ita opprobrium factus
est, ut omnium auferret opprobria. Non uno tempore, nõ semel abstulit opprobria: au-
fert quotidie, peccatũ incidimus, non unũ, sed multa, cooperti sumus opprobrio & con
fusione. Venimus ad baptismũ, dilutum est omne peccatũ, & cum peccato opprobriũ.
Abstulit opprobriũ meum dominus Iesus opprobrio suo, quia crucifixus est mihi: quia Rom. 6
quicunq; baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Nõ habeo quod
auferri petam, sed post baptismũ incidi opprobriũ, debeo agere pœnitẽtiam, ut dicam:
Auser à me opprobrium meum, cum hoc ipsum peccati opprobrium sit, quia non ago
pœnitentiam. Si aũt pœnitentiam ut oportet ago, rectè dico: Auser à me opprobrium
meum quod suspicatus sum. Iudicia enim tua dulcia.] Quid timeo confiteri? quid ti-
meo dicere peccata mea? Quid uereor opprobrij mei mentionem facere apud eum, cu
ius iudicia dulcia sunt? Quod seuerum in alijs, in Christo dulce est, in Christo suaue est,
quia ipse suauis est. Deniq; gustate & uidete quoniam suauis est dominus. Dulcia iudi- Psal. 33
cia confitenti, quia ipse dicit: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor nõ Esa. 43
ero: tu autẽ memor esto, & iudicemur: dic iniquitates tuas ut iustificeris. Dulcia iudicia
agenti pœnitentiam, quia ipse dixit: Gaudiũ erit in cœlis super uno peccatore pœniten Luc. 15
tiam agẽte, quàm in nonaginta & nouẽ iustis qui nõ indigent pœnitẽtia. Si dulcia sunt
igitur iudicia domini, suauitatis fructus percipere elaboremus. Vis scire quàm dulcia iu
dicia domini? Non resurgunt impij in iudicio. Qui aũt in iudicio resurgunt, habẽt spem Psal. 1
ueniæ: quoniam crediderunt. Impij non sunt, peccatores esse possunt, fidem habent: &
si culpam non declinarunt, per fidem credunt. Qui aũt credit in ipso, non iudicatur. Dul Ioan. 3
cia ergo iudicia credentibus. Qui aũt non credũt, non Christi iudicio damnati sunt: qui
uenit nõ ut iudicet mundũ, sed ut saluet & redimat, sed impietatis suę subiere iudicium, Ibidem.
qui in remissionẽ peccatorũ credere noluerunt. Non enim possunt ad eius pertinere be
neficiũ, quẽ cognoscere refutarũt. Ergo qui nõ crediderunt in eum, iudicio eius uidẽt

Ioan. 3 indigni. Iudicium enim eius quid sit, agnosce dicẽte ipso: Hoc autem iudicium est, quia lux uenit in hunc mundum. Dulce ergo, quod lux est: dulce iudiciũ, quod præcedit mi-
Psal. 110 sericordia. Sic enim scriptum est: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Et quia cognouit dulcia iudicia, dicit: Ecce concupiui mandata tua, in tua iustitia uiuifica me.] Bona iudicia authoritate agit. Ecce amat libertatem fidei, qui libertatem dedit. Di ligi se gaudet, qui ideo uenit in hunc mundum, quia hunc mundum dilexit. Amari exigit, qui omnes amat, quia charitas est. Concupiuit mandata dei ut bonus seruus, ut cultor sedulus. Concupiuit non ut amator meretriciam copulam, nõ ut auarus pecuniam,
Exod. 20 non ut luxuriosus lasciuiam. De illis enim lex dicit: Non cõcupisces. Dominum autem deum præcepit diligendum, & tenero, id est, tenaci quodam atq; interno amandũ cupiditatis affectu. Et quia amicus est qui diligit, seruus est qui timet, quasi amicus qui om-
Ioan. 15 nia fecerit quæ præcepit ei dñs: Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis. In tua iustitia uiuifica me: audet & dicit, eò quòd illa sit uera uita, quę uiuit secundum dei iustitiã, quam uiuebant apostoli, imò qua uiuunt. Sunt enim qui uiuentes, mortui sunt: & qui mortui, uiuunt. Deniq; alij descẽdunt in infernum uiuentes, alij cum sint
Matt. 16 corpore mortui, meritis suis uiuunt. Sunt enim qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis die iudicij reuertentem, quando cum gloria sancti resurgent.

SERMO VI.

ה Exta litera Vau, cuius interpretatio est, Vt ille. Alius interpres, Non est, ait.

ס Et ueniat super me misericordia tua domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.] Quid significet interpretatio literę, quoniam subobscura est, ex psalmi serie colligendum putaui. Nam cum propheta postulet: Veniat super me misericordia tua domine, ueniat salutare tuum: nõ est dubium quem uidere deposcat, hoc est, in quo fructus & misericordiæ ueniat & salutis. Denique in superioribus idem poscit, in psalmo octogesimoquarto, in quo euidẽtius domini Iesu prophetauit aduentum. Nam terram quam benedici postulet, satis notum est, illam uidelicet quæ peccatũ
Gen. 3 in Adam cõtraxerat, cui dicitur: Terra es, & in terram ibis. Maledixerat autem deus nõ elementum naturæ carnis, sed carnem præuaricatricem. Benedicitur caro igitur in Christo, ut maledicto superato caro soluatur. Benedicitur caro, quam benedictus filius dei
Psal. 84 assumpta hominis conditione suscepit. Et ideo subdidit: Deus tu conuertens uiuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertunt ad ipsum cor suum. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Totus hic locus Iesum dominũ sonat, qui uiuificauit mortuos, Lazarum ante passionẽ, plurimos tempore proprię passionis. Ipse est misericordia, utpote remissio peccatorũ. Ideo dicit: Ostende, quem uidere possit in corpore. Nam deum in maiestate sua uidere nõ po-
Ioan. 1 terat, quia deum nemo uidit unquam. Auidus propheta desiderat uidere, quem sperat tenere: quem si uiderit, desiderat propriis manibus cõprehendere. Ideoq; ait: Et salutare tuũ da nobis. Salutare dei uirtus est, salutare dei Christus est, & ideo prope timentes hoc salutare. Lõgè erat Christus à nobis, lõgè erat à nationibus: descẽdit in terras, factus est propè, cœpimus nõ timere. Nã qui Christũ timet, nõ timori est subditus, sed deuotioni. Pietatis hic timor, non infirmitatis est. Deniq; nihil deest timentibus eum. Quomodo autem factus sit propè, audi: Vt inhabitet, inquit, gloria in terra nostra. Quis est gloria,
1. Cor. 1 nisi dominus Iesus? Vnde & apostolus Paulus ait: Deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ. Meritò complacet in eo pater, quia patris gloria est. Hũc qui à patre separat, maiorem patri iniuriam facit, quem uult esse sine gloria. Hunc quisquis æqualem patri non putat, inferiorem & patrem iudicat, cum alio uerbo patrem plus laudare nõ possit, cum summa laus gloriæ Christus est. Rogatur ergo ut ueniat salutare dei. Ille est qui rogatur, hoc est, dominus Iesus, & non est alius, sicut habet literæ interpretatio: & uel sic non solus pater rogatur. Est & ille, hoc est, & filius qui rogatur, & rogatus aduenit, & salutare mundo dedit. Ideo σωτὴρ, hoc est saluator, ideo Iesus, sicut angelus dixit: Quia sal-
Matt. 1 uum fecit populum suum. Quum inuocaret igitur propheta, aderat: ut probaret illud, Quia adhuc loquentibus nobis dicit, Assum. Adest, quia suscitatus à filiabus Iudæ

Iudæ, quasi resuscitatus à filiabus Hierusalem, audit Ecclesia sonum uocis eius, & dixit: Vox consobrini mei. Ecce hic aduenit saliens super montes, transiliens super colles. Cant. 2
Manipularis est liber, multas habens personas nobiles, uelut manipulos triumphales: multosq; actus significans, quos intelligere magis quàm expressos tenere possumus.
Nam quasi aduenientẽ sponsum audierit, cum aliquibus pariter uiantibus colloquentẽ dicit sponsa: Vox consobrini mei. Dum loquitur cum filiabus Hierusalẽ, & rogat ut excitent & resuscitent sponsum, subitò tanquã de longinquo missæ uocis sonũ sentiens, dicit: Vox consobrini mei, annuncians quem nunciari sibi antè quærebat, quem cupiebat ab aliis suscitari, sua prece resuscitatũ à patre uenire iam credens, læta dicit: Vox consobrini mei. Bene addidit, consobrini mei, ut non aliæ, sed consobrina sola sibi eius uindicaret aduentũ. Ecce, inquit, iste aduenit. adhuc ego eum quæro, & ille iam uenit, adhuc ego suffragia capto ut ueniat, & ille iam proximus est. Ego suscitari mihi charitatem cupio, ego me uulneratã charitate puto, & ad me plus charitas ipsa festinat. Ego dixi: Veni, ille salit & transilit. ego rogo eum uenire cum gratia, ille gratiarũ operatur augmẽta: & dum uenit, incrementa gratiæ secum uehit, & ueniendo acquirit, quia studet etiã ipse suæ placere dilectæ. Salit super excelsa, ut ascendat super sponsam. Sponsæ enim thalamus tribunal est Christi. Salit super Ecclesiam, transit super synagogam. Salit super gentes, transilit super Iudæos. Videamus salientem. Salit de cœlo in uirginẽ, de utero in præsepẽ, de præsepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulũ, in cœlũ de sepulchro. Proba mihi Dauid salientem, proba currentem. Tu enim dixisti: Exultauit tanquam gigas ad currendam uiam, à summo cœlo egressio eius, & occursus eius usq; ad summũ eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Ergo & nunc salit & nunc currit de corde patris super sanctos suos, de Oriente super Occidentẽ, de Septẽtrione super Meridiem. Ipse est qui ascendit super Occasum, ipse super cœlos cœlorũ ad Orientem. Ipse ascendit super montes, ipse super colles. Vtinam ego miser dicã, Dicat anima mea, ecce iste aduenit, & aduenit nõ super terrena, non super ualles, sed aduenit saliens super montes. Deus enim deus montium est, non uallium. Vbi ergo salit? Super montes salit. Si sis mons, salit super te. Salit super Esaiam, salit super Hieremiam, salit super Petrũ, Ioannẽ, Iacobum. Montes in circuitu eius. Si non potes mons esse, nec præuales, esto uel collis, ut super te Christus ascendat, & si transilit, ita transiliat, ut te transitus eius umbra custodiat. Diximus de Christo & Ecclesia, dicamus de anima & uerbo. Anima iusti spõsa est uerbi. hęc si desideret, si cupiat, si oret, & oret assiduò, & oret sine ulla disceptatione, & tota intendat in uerbum, subitò uocem sibi uidetur eius audire quem non uidet, & intimo sensu odorem diuinitatis eius agnoscit: quòd patiuntur plerunq; qui bene credunt. Replentur subitò nares animæ spiritali gratia, & sentit sibi præsentiæ eius flatũ aspirare quem quærit, & dicit: Ecce iste quem requiro, ipse quem desidero. Nónne cum aliquid de scripturis cogitamus, & explanationẽ eius inuenire non possumus, dum dubitamus, dum quærimus, subitò nobis quasi super montes altissima dogmata uidetur ascendere: deinde quasi super colles apparẽs nobis, illuminat mentem, ut infundat sensibus quod inuenire posse difficile uidebatur? Ergo quasi ex absente fit præsens uerbum in cordib. nostris. Et rursus cum aliquid nobis subobscurũ est, tanquam subducitur uerbum, et tanquam absentis aduentum desideramus. Et cum iterum apparet, ostẽdit se nobis tanquã præsens sit nobis in ijs quæ requirimus cognoscendis. Salit ergo in uniuscuiusq; corde frequenter: transilit & exit, & reuertitur, si sequaris, si requiras, si tibi fidelium gratia disceptatione doctorũ uerbum quod exierat atq; transierat, postules resuscitari, sicut illa quæ quæsiuit & inuenit, quæ dixit: Frater meus trãsiuit, anima mea exiuit in uerbo eius. ergo & si super montes salit, sequere: & si super colles, sequere. Reperiuntur em̃ in montibus & in collibus uenatores domini, qui inuestigant eos qui capiuntur ad uitam. Sic enim dixit per Hieremiam deus: Ecce mitto multos piscatores, & multos uenatores, & uenabuntur eos super omnem montem, & super omnem collem. Ibi ergo populus dei quæratur, & inueniatur in Petri & in Pauli doctrina, gratia, disciplina, ut non in cõualle sint, ubi fletus, sed in mõtibus, à quibus unumquemq; Christus illuminat. Et cum Petrũ legimus, Christus illuminat. Et cum Paulum legimus, Christus illuminat. Curauit Paulus, Christum illuminauit, quoniam inuocato domini Iesu nomine resurrexit, cuius sanatus

Psal. 18

Ibid. 67

Ibid. 124

Hier. 16

Psal. 75 natus est munere. Suscitauit mortuã Petrus, Christus illuminauit. Et ideo ait: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Nos igitur qui montes esse non possumus, stemus in montibus uel in collibus, ut cũ miserit piscatores suos dominus, & uenatores, ut uenentur eos qui super omnem montem sunt, uel super omnem collem, id est, in legis & prophetarum præceptis, & noui & ueteris Testamenti cognitione omnem habentes conuersationem, inueniant nos paratos, & uelut bonas colligant spicas opportuno milli messores tempore: quia si quis extra montẽ aut collem fuerit repertus, colligi uelut bona spica non poterit ab ijs qui (ut cõparationis faciamus alterius mentionẽ) triticũ à paleis separare mittentur. Plurimarũ igitur operationum solertes ministros dominus habet. Idem piscatores, ijdem etiam uenatores sunt, atq; messores. Si in tẽpore messis, quo dirigunturisti meriti, maturus expectes, salientẽ in montibus poteris intueri, & uidebis dominum Iesum similem capreolo, aut hinnulo ceruorũ super montes Bethel. Salit enim super Ecclesiam, quæ est domus panis, eò quòd fidelium corda confirmet. Meritò sicut capreola, quia caprea in altis pascitur. Dorcas dicitur à uidendo. Dorcadon etenim uisus acutior est. Quid hoc aptius Christo, qui patrẽ uidit, quẽ uidit nemo? Aut si quis uidit in Christo, ipse filius reuelauit. Meritò sicut hinnulus ceruorũ, hinnulus quasi filius, cui paternæ inoleuerit uis naturæ, ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant, uenena non lędant. Deniq; eductus de latibulis suis serpẽs qui producebatur ex homine, dicebat: Quid uenisti ante tẽpus torquere nos? Spectemus ergo salientem hunc hinnulũ, ut non possimus timere serpentẽ. Non timebat Dauid. Deniq; de his dicebat serpentibus: Et respondebo exprobrantibus mihi uerbũ, quia speraui in uerbis tuis.] Quasi bonus ceruus qui bibisset de fontibus aquarũ, nequaquam humanorũ serpentiũ spiras, & maledicorũ uenena metuebat. Coluber illi non erat noxa, sed præda. Cibus erat serpentini uirus alloquij, & cibus laudis. De quo dicebat: Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolosi super me apertũ est. Saginabatur uenenatorũ sermonibus. Illi sibila obtrectationũ ora tollebant, & sermonibus odij circundabant innocentẽ. Bonus ceruus inter multos colubros positus non timebat, ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum. Simulabant charitatem, fundebant obtrectationẽ: ego aũt, inquit, orabam. Bonus ceruus in medio uiperarũ innocuus pascebatur. Illi trisulcis ora linguis micabant, hunc aũt sancta pascebat oratio, imò cibũ obtrectantibus offerebat. Respondit obtrectantibus sibi uerbũ. Verbum enim cibus est. Deniq; nõ in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Videbant me, inquit, & mouerunt capita sua. Maledicebant, ego autẽ benedicebam. Maledicebant qui obtrectabant: benedicebam, qui uerbũ domini prædicabam. Quàm bonũ est ferre conuitium, & conuitium non referre? Deum præsulẽ accipit, qui conuitianti nescit irasci. Deniq; quanta patientiæ gratia dicentis: Maledicent ipsi, & tu benedices? Beatus qui maledicta nõ sentit. Beatus quem maledicta non permouent. Non enim potest maledicto moueri qui maledicta hominũ diuinæ munere benedictionis excludit. Non potest sentire maledictũ, qui habet uerbum: & non potest ferre maledictũ, cui in ore semper est uerbum. Sed est etiam bonus serpens, quẽ iste ceruus nõ lædat. Estote, inquit, astuti sicut serpentes. &, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. In serpente æreo figuratus est meus serpens. In ligno illo exaltatus est meus serpens bonus. Bonus serpens, qui de odore suo remedia, non uenena fundebat. Potest nõ timere serpẽtes, qui hunc nouit adorare serpentem. De hoc serpente dicit illa quæ diligit: Ecce hic stat post parietẽ nostrum prospiciẽs per fenestras, eminens per retia. Respondit consobrinus meus, & dicit mihi: Surge, ueni proxima mea, formosa mea, colũba mea, quia ecce hyems præterijt, imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra. Serpens profectò est, qui decursa hyeme amictu corporis se uolebat exuere, ut speciosò decore uernaret. Idem ergo est ceruus & serpens. Ceruus habens cornua legis & gratiæ. Cornua eius duo sunt testamẽta. uelox gressu, impiger incessu, qui totũ facile orbem percurrat uno momento, ubiq; celebrabilis. Serpẽs quoq; bonus, cuius priora dentes legis immordeant, posteriora non uulnerẽt Euangelij lenitate. Caput defendit à uulnere, qui legẽ uenit non soluere, sed tueri ab interpretationibus perfidorũ. Caudam in flagella diffundit liberam, cupiens aduersarios magis flagellare q̃ perdere. Bonus coluber in gremiũ dilectæ, atq; in ipsum intimæ sinum mẽtis facilis

Matt. 11 Ibid. 8 Psal. 108 Psal. 108 Matt. 4 Matt. 10 Ioan. 3 Cant. 2 Matt. 5

facilis illabitur, & attactu nullo implicans ignem ossibus, præcordia ipsa depascitur. Pul
chrè lectũ est hodie: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporũ. Celebramus enim Luc. 10
diem quo reuelata sunt populis corpora sanctorũ martyrũ, qui uelut boni serpentes de-
positis carnis exuuijs, tentationũ hyemaliũ rigore superato, & spiritus sancti renouati
gratia, æstiua mũdo luce fulsere, missi uerò ut agni in medio luporũ. Lupi sunt enim per
secutores, lupi sunt hæretici omnes: docere nesciunt, ululare consuerunt, sed nemo mo-
ueatur si in medium luporũ mittitur. Benefi cio Christi & lupus ipse mutatus est. Benia- Gen. 49
min lupus rapax apostolus Paulus factus est, nõ iam insidiator ouiliũ Christi, sed defen-
sor & custos. Cum hoc lupo uersari libet, per hunc lupum factum est ut simus tuti in me Esa. 65
dio luporũ. Nemo iam ueretur lupos, cum his pascimur, sicut scriptum est: Tunc lupi &
agni simul pascentur. Sed iam cõsideremus quid sit quod ait propheta: Et ne auferas
ex ore meo uerbum ueritatis usquequaq;, quia in iudicijs tuis sperauí.] Viderat Eccle-
sia uel anima iusti salientem sicut hinnulum super montes: repentè proximum aspicien-
tem post parietem domus suæ, prospicientem per fenestras, eminentè super retia, exul-
tat & gaudet, quia etiam ipsa amatur à sponso, qui tanquã & ipse uulneratus charitatis
decore, dilectæ primò cũ abesset, ad oscula rogatus affuerit. Rogatur enim cum dicitur:
Osculetur me ab osculo oris sui. Deinde preces spõsæ blandicias q; nõ spreuerit, dilecta Cant. 1
fibi ubera præbentis, atq; in interiora domus eam benignus induxerit. Deinde tanquã
lasciuienti ludens amore, quia uelit pertentare sensus amantis, sæpe egressus ut quære-
retur à sponsa, sæpe regressus ut inuitaretur ad oscula, astiterit post parietẽ, prospexerit
per fenestras, eminens super retia, ut nõ totus abesset, nec quasi totus intraret, & ipse ad
se sponsam uocaret, ut ueniendi ad se inuicem fierent grauiora cõmercia, amoris q; uim
mutuis adolerent sermonibus. Exurge, inquit, ueni proxima mea, formosa mea, colũba Ibid. 2
mea. Et tu si habeas fundatũ parietẽ, non illum mediũ qui domus unius separet mẽbra,
sed ædificatũ supra fundamentũ apostolorũ & prophetarũ, ut cõpaginata eius structura Ephes. 2
crescat in templũ, nec disterminet eius interna, sed muniat. Si habeas ergo in te ædifica-
tionem dei, & ad Orientẽ pateant semper fenestræ tuæ, uenit uerbum, stat post tuum pa
rietem (oculi enim domini super iustos) prospicit per fenestras tuas. Quæ sunt fenestræ Psal. 33
istæ? Legimus fenestras: de quibus dicit Hieremias: Intrauit mors per fenestras. per quas Hier. 9
intrauit auaritia, intrauit libido. Oculus tuus fenestra est. Si uideris mulierem ad concu- Matt. 5
piscendum eam, intrauit mors per oculum tuum. Si uideris possessionem uiduæ uel mi-
noris, & cõcupieris inuadere, & indefensam putans ætatem esse uel sexum (sed nõ sunt
indefensi, quos dominus uult esse defensos) intrauit mors per fenestram. Si uideris de-
corem mulieris, aut thesauros minoris, & tuas excitaueris cupiditates: intrauit mors per
fenestram. Sicut ergo per hæc intrat mors, intrat & uita. Si decorem puellæ aspiciens sa
cræ, uenereris dominum Iesum, quòd in teneros annos uenerit ætas senectutis, uita im-
maculata: & ipse filiam tuam offeras, ut pio consecretur uelamine: si possessionẽ mino-
ris non tanquam solicitus inuasor aspicias, sed quasi parens sedulus religioso tuearis af-
fectu: per has fenestras prospicit Christus, ut uocet sponsam eminens super retia. Bene
eminens, quia solus est quem retia nõ inuoluerint peccatorum. Omnes intra retia erãt,
imò adhuc intra retia sumus: quia nemo sine peccato nisi solus Iesus, quem non cogno-
scentem peccatum, peccatũ pro nobis fecit pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit
eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitu- Rom. 8
dine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatũ erat caro secun
dum illud, quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra & mini-
stra peccati. uenit dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia militiã uirtutis exercuit.
Facta sunt membra nostra iam non arma libidinis, sed arma uirtutis. Namq; ubi erãt in-
centiua libidinis, ibi nũc sunt domicilia castitatis. Hic ergo uenit ad laqueos, sed uolun-
tarius: uenit ad retia, sed securus. Plena erant omnia laqueis, referta retibus. Audí dicen-
tem: In uia hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueũ mihi. Et in libro Sapiẽtię Psal. 141
Syrach moneris ut cognoscas quia in medio laqueorum ambulas. Quot uitia, tot retia: Eccli 9
quot peccata, tot laquei hæreditarij iam te nexus tenebant. Venit ad laqueos Iesus, ut
Adã solueret: uenit liberare quod perierat. Omnes retib. tenebamur, nullus aliũ eruere Luc. 19
poterat, cũ seipsum nõ possit eruere. Talis ergo necessarius fuit quẽ uincula generatiõis

humanæ delictis obnoxia non tenerent, non cepisset auaritia, non ligasset dolus. Is solus erat Iesus, qui cum huius carnis se circundedisset uinculis, captus non erat, non erat alligatus: sed dirumpens ea atq; dissoluens, ad se magis uocauit Ecclesiam, prospiciens per laqueos, eminens super retia, ut & ipsa disceret uinculis non teneri. Deniq; eousque non longè à uinculis fuit, ut pro nobis subiret & mortem: sed tamen non seruus mortis effectus, sed liber inter mortuos. Liber enim erat, qui soluendæ mortis potestatẽ habebat. Deniq; ipse te doceat, qui ait: Soluite hoc templum, & in triduo resuscitabo illud. Ioan. 2
Audiamus itaq; quid dicat: Exurge, ueni proxima mea. hoc est, surge à mortuis, exurge à uinculis, quibus circũdata tenebaris. Exurge, quia ego resurrexi tibi: solue uincula iniquitatis, quia ego iam solui tibi: ueni, quia iam retia tibi soluta sunt. Virgo peperit, puer natus ex uirgine est. Nihil debet muliebri hæreditati, quia quasi filius mulieris non tenetur. Cerne medium parietem macerię iam solutum, qui internorũ affectuũ concordiam diuidebat, & in diuersum excitabat dissensiones corporalium passionum. Veni ergo sponsa cura, cupio uidere faciem tuam, & audire uocem tuam: ueni ut iam me non per retia uideas, sed facie ad faciem uultibus amatorijs dilecta potiaris. Ethicè ista decursa sint. Mystica autem illa, si possumus, uel linea intueamur extrema. Sedebat intrà domum sponsa deuota domino, intra parietem legis & prophetarum spiritualium lapidum exædificatione fundatum, qui claudebat atq; uallabat domum regiam plenã iucunditatis atq; lætitiæ. Mirabatur thesauros regios, & intuebatur solicitè, cupiens sapientiam, quæ has ditias demonstraret, ascisceret. In secreto erat, sed secreti ipsius interpretem requirebat. Venit dominus Iesus saliens super montes. Nobis serò uidebat uenire, sed ille properabat. Saliebat deniq; & transiliebat, ut ludæorũ corporalia & saxosa dogmata transiliret. Astitit post parietem domus, quæ erat in ueteri Testamento, prospiciens per legis fenestram, prophetarum cauernas. Nondum erant domus illius aperta uestibula, nondum claues scientiæ portarum claustra patefecerant, quibus legis claudebãtur interna. De superiore tamen, hoc est, spiritali parte prospectans, Ecclesiam uocat, ut per legem & prophetas, Euangelij uertice sublimis assurgens, retia Iudaicæ interpretationis & nodos intrepido calcet uestigio. Ideoq; proxima uocatur, ut adhæreat Christo, mundana nõ quærat: ideo formosa, ut speciosos euangelizantium pedes proferat: ideo columba, ut spiritalia petat, terrestria derelinquat. Ecce (inquit) hyems præterijt, imber abijt, discessit sibi, flores uisi sunt in terra. Ante aduentum Christi hyems erat. uenit Christus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda uirtutum: passus est Christus, & omnia cœperunt nouæ gratiæ fœcundari germinibus. Imber abijt luxuriæ profluentis, & nubila tetris ora flagitijs, æstiua iam purę conscientiæ serenitate laxant. Ideo non euadunt, quorum fuga hyeme fit, quia non sequuntur domini passionem: non tollunt crucem suam, & Christum sequunt. Imber impedit flores, at nunc flores uidentur in terra. Boni flores apostoli, qui diuersorum scriptorum atq; operũ suorũ fuderunt odorẽ. Tempus secandi aduenit, quo matura in horreis frumenta conduntur: & qui metit, mercedẽ accipit. Vox turturis audita est, quia inuenit sibi nidum. Ecclesia enim domus est castita tis. Ficus, quæ propter infœcũditatem iubebatur excidi, fructus iam ferre cœpit. Vinea translata ex Aegypto, iam non macerijs destructa depositis, incursatur à bestijs, nec informis sentibus, sed odora iam floribus, quæ solebat facere spinas, fructu curuescit uarium. Meritò igitur sanctus Dauid pascha domini celebrans, & feruentis spiritu temporum

tibus nostris, difficile auferri potest. Deniq; dictum est à dño: Quare tu enarras iustitias meas? Nõ dixit: Quare cogitas iustitias meas? Et assumis testamentũ meum per os tuũ? non dixit, per cor tuum. Sermo mihi cohibetur indigni animi, nõ obstruit pœnitentia: insolentiam prohibet, non excludit correctionẽ. Cauendũ tamen est ne & ipsa interius corda turbentur, & offundat tenebras malitia, ut cor uanis cogitationibus obcæcatũ lucem ueritatis amittat, fulgoremq; uerbi capere non possit. Si igitur Dauid orat ne auferatur ex ore suo uerbũ, & si auferat, nõ usquequaq;, id est, nõ penitus auferatur: quis tantus est, qui in potestate sua gratiam disputationis esse commemoret, præsertim si uita redarguat quod doctrina præsumat, & iudicio dei damnanda cõmittat? Is enim qui in iudicijs dei sperat, seruare potest uerbũ ueritatis: quia dum uereẽ pœnam, custodit gratiã. Ideoq; ait: Et custodibo legẽ tuam semper, in æternũ, & in seculũ seculi.] Duo dixit, cũ unũ satis esse posset, si unũ significare uoluisset. Sed quia non solũ in præsenti uitæ huius tempore, sed etiam in futuro post huius uitæ curriculũ custodiẽda lex promittitur: ideo arbitror quia & secundũ eos qui exemplari & umbræ seruiunt cœlestiũ, & secundũ eos qui in cœlestibus siti secundum ueram legẽ cultus deo deferunt, pollicet sibi esse uiuendum, ut & hic & ibi legẽ custodiat. Hic in exemplari, in speculo, in ænigmate: illic in ipsa facie ueritatis. Possumus & illud intelligere, quia διαπαντὸς nõ solũ id significat quod dicitur semper, sed etiam id quod per omnia: quia ille per omnia legem custodiat, qui cũ sit eruditus in lege, sub lege natus, & supra legẽ deuotionis suæ gradũ promouens, liberatur à lege. Christus enim nos redemit à maledicto legis: & ideo nõ sine lege dei, sed in lege factus est Christi. Aut certè sic per omnia legẽ custodiemus, si legitimam pueritiæ atq; adolescentiæ disciplinam, iuuentutis conuersationem, senectutis maturitatem, tramitemq; singulis præscriptũ ætatibus nequaquam uitæ nostræ usus excedat. Similiter etiam animæ nostræ quædam esse uidentur ætates, per quas percurrit & transit, ut possit dicere: Cursum consummaui. Deniq; animæ ætas est illa, de qua dicitur: Et ætas senectutis uita immaculata. Per omnia ergo legẽ custodit, qui & in his corporis nostri ætatibus, & in illis animæ nostræ processibus non deuiarit à lege. Et ingrediebar in latitudine, quia testimonia tua exquisiui.] Qui secundũ mandata angustã & arctam graditur uiam, ambulat in latitudine. Vnde legimus: In tribulatione dilatasti mihi. Et alibi: In tribulatione inuocaui dominũ, & exaudiuit me in latitudine. Sapiẽs enim in cordis sui amnon intra corporalia & terrena concludit, sed dirigit ad cœlestia, ut conuersatio eius in cœlo sit. Audi nullas angustias sentientem: Pressuram, inquit, patimur, sed non angustia mur. Et quomodo coangustari poterat, cuius os semper patebat, ne credẽtes coartaren tur? Ipse exponit quid sit ingredi in latitudine. dicit enim: Quia etsi corpus angustatum est, cor nostrum dilatatũ est. Non angustiamini in nobis: coartamini aũt in uisceribus uestris. Coangustari in Paulo non poterant, in quo erat altitudo sapiẽtiæ, & fidei latitudo. Quomodo enim poterant coartari in eo, qui erat uas electionis æternæ? Sed coartabatur in semetipsis: quia improbus in seipso coartat, malitiæ suæ laqueis strangulatus. Constitue mihi auarum, uillarũ quotidie terminos proferentẽ, excludentem uicinos. utrũ istibi dilatari, an coangustari uidetur, quem terra ipsa non capit? Quantũcunq; spacia dominus suæ porrexerit, claudit angustis opinionis suæ finibus, cui quod habet, nõ est satis. Sed non talis est qui potest dicere: Et ingrediebar in latitudine. Addidit etiam causam: Quia testimonia, inquit, tua exquisiui. Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum, & nõ confundebar.] Gratè cõuenit ista uox martyri, qui uocatus ad sacrilegium, exprobrantibus sibi regibus crucifixum Iesum non erubescebat: sed magis gloriabat in cruce Christi, & illã mũdi salutẽ esse testimonijs cœlestib. astruebat. Hos uocat Christus in sponsa, dicẽs in Canticis canticorũ: Et ueni ò colũba mea in tegimẽto petræ iuxta pręmunitionẽ. hoc est, ueni iuxta Euangeliũ. Propugnacula fidei tuæ, gesta sunt Christi: muri tui subsidia, uerba sunt domini: passio dominici corporis, tua uirtus est. Ostende mihi faciẽ tuam, & insinua uocẽ tuam: quia uox tua suauis est, & facies tua pulchra. Suauis est uox, quia ore cõfessio fit ad salutẽ: & decora facies, quæ nõ erubescit autorẽ, non cõfunditur redemptore. Ostendit ergo faciẽ suam: signaculum crucis præferẽs, & insinuat uocem suam, autoritatẽ prædicationis assumens. In tegimento enim corporis Christi, quo

Hebr. 8
1. Cor. 13
2. Tim. 4
Sap. 4
Psalm. 4
Ibid. 117
Philip. 3
2. Cor. 4
Act. 9
Cant. 2
Ibidem.
Roman. 10

redempta

redempta est à peccato, munimentum gratiæ spiritalis inuenit, ut salutaria sibi & sentiat & loquatur. Suauis ergo uox, quę in diuinis testimonijs loquebatur: decora facies, quæ in conspectu regum non confundebatur. Possumus & illos reges intelligere, quibus di-
1.Pet.2 citur à Petro: Vos autem genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus in ad-optionem. Sunt enim reges qui offerunt in Hierusalem sapientiæ suæ munera, quibus data est gratia uerbũ loqui, & quadam potestate regali flectere populos, & animas mul-
2.Cor.3 cere sanctorũ, non erubescentes in eo, quia nihil alienũ ab honestate loquuntur: Quos nemo redarguat & repellat quasi non sint digni quos idoneos Christus ministros noui fecerit Testamenti, & iam in illo non erubescentes, eò quòd non metuerent ne confunderentur disceptantium contraria assertione superati. Rex igitur est qui non erubescit, ne in actu reprehendatur, redarguatur in sermonibus, eò ꝙ & uita debeat esse fundatus & uerbo. Itaq; quamuis perfectus ita esset Propheta, ut non erubesceret in conspectu regum: tamen meditabatur in præceptis dei omni uitæ suæ tempore, & opera sua eleuabat, nihil agens quod terrenis cupiditatibus adhæreret. Ideoq; ait: Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. Et leuaui manus meas ad mãdata tua quæ dilexi nimis, & exercebar in iustificationibus tuis.] Pulcherrimus ordo iste, ut primò meditemur, & eorum præceptorum quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium operis boni usus inolescit. Nam sicut meditationi uerborũ finis memoria est, ut quæ meditamur uerba, teneamus: sic meditationis præceptorum cœlestiũ intentio uel finis operatio est, actusq; directus ad implenda pręcepta diuina: quæ nisi quis diligat, implere nõ poterit: nec solum diligat, sed etiam nimis diligat. Ideo prius posuit: Et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et subiecit: Et leuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis. Post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta dei, atq; id facere cum charitate & gaudio, ut non ex necessitate sit bonum nostrum: non cum mœrore atq; mœstitia, sed uoluntarium: quia seruus inuitus fa-
Ioan.15 cit, amicus uoluntarius. Nos autem studeamus ut dicatur nobis: Iam non dicam uos seruos, sed amicos: quia quasi amici mandatũ dei ex uoluntate fecistis. Qui autem meditatur & diligit, & actus suos leuat, ut faciat quę placeant deo, is debet nõ negligere nec transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimũ, iustificationes dei crebrò reuoluens solicitæ mentis affectu.

SERMO VII.

Litera secundum Hebræos Zain, significat Latinè duc te, alibi significat huc. Quid sibi uelit ista interpretatio, non satis liquet, nisi fortè ut unusquisq; se regat, & ipse sui ductor sit. Vel huc, id est, quò literæ huius uersiculi uocant, dirigat iter. Meritoq; in primo statim uersu requiem suam postulat, quia ipsius literæ septimus numerus est quietis. Quæ autem maior requies, q̃ ut in uerbo dei requiescat, atque eius se gratia & cõsolatione demulceat. Memẽto, inquit, domine uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.] Verbum dei deiectos nos atq; depressos ad cœlestẽ gratiam prouocauit, ut desideremus æternitatẽ, despiciamus præsentia temporaliũ incursionũ, si futura & inuisibilia requiramus. Vocat igitur nos ad se dei uerbũ, sicut habes scriptũ:
Matt.11 Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. Ideoq; sequamur uocantẽ dominũ Iesum, ut à secularibus ad perpetua transeamus, nosq; ipsos regere ualeamus. Ergo Dauid uocatus erat uerbo dei, & spem in eo habuit, quoniã sæpe responsis erat inuitatus cœlestibus, quibus remunerationem fidei meritorumq; speraret fore,
2.Reg.7 sicut habes scriptum dicente deo per Nathan prophetam: Accepi te de ouili ex uno grege, ut sis in principem in populum meum Israel, & eram tecum in omnibus quib. ingrediebaris: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua. Et infrà: Et requiem tibi dabo
Ibidem. ab omnibus inimicis tuis. Quo respõso accepto ait Dauid: Quis sum ego domine deus meus, & quæ domus mea, quoniam dilexisti me in his, et memorata sunt minima in conspectu tuo domine, & locutus es pro domo serui tui in longinquo? Et infrà ait: Et nunc domine deus meus, domine tu es deus, & uerba tua sunt uera, & locutus es ꝓ seruo tuo bona hæc: & nunc incipe benedicere domũ serui tui, ut sim in æternũ in conspectu tuo, quoniam tu domine deus meus locutus es, & benedictione tua benedicet domus serui tui in æternum. Hoc igitur responso & alijs uocitatus Dauid sperare nõ desiuit, & pro-

pheticæ

phetice fidei authoritate conuenit dominum ut meminerit promissorũ suorum, quorũ immemor esse nõ soleat. Sanctis enim quodcunq; spoponderit, implere consueuit, nostrarum immemor iniquitatum, suarum non immemor sponsionum. Denicq; scriptũ est: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: tu autem memor esto, & iudicemur. Vult obliuisci quæcunq; minitatus fuerit peccatoribus, si uias aliquando conuertant: uult etiam conueniri, ut si quis proposita secutus uirtutib. præmia bene certauerit, fructum remunerationis expectet, quinetiam exigat, sicut habes scriptum: Certamen bonum certaui, cursum consummaui: reposita est mihi corona iustitiæ. Non est enim arrogans usurpatio, sed fidelis: quia uerum deum non posse fallere confitet. Ideoq; admonet & Dauid, dicens: Vt meminerit dominus uerbi sui, quo nos ad sperandũ prouocat, ut terrenis renũciemus, inhęreamus cœlestibus. Dicit ergo Dauid: Certamen certatus sum, brauium peto uerbi tui, quod promisisti mihi: memor esto promissorum tuorum, quæ spopõdisti seruo tuo. Non usurpatorie speraui, quæ ut sperarem ipse fecisti. Seruus sum, expecto alimẽtum à domino: miles sum, exigo ab imperatore stipendium: uocatus sum, postulo ab inuitante promissum. Verecũde autem authoritatem suæ fidei temperauit, dicẽdo se seruum: quia oculi seruorum in manibus dominorũ suorum. Hæc ex persona Dauid propria bene prompta sunt. Cæterũ si quis informationem cuiusque hominis consideret, potest Leuitis cõmunia promissa librare, sicut habes: Date Leui uel eos, date Leui manifestos eius. Potest etiam populis credentibus, populis electis aptari, potest & surrecturæ Ecclesiæ conuenienter aptari, cui per typum loquium istud Ioseph primo in typo eius nominis, deinde per tribuũ in primæ electiõis hæredes transfusa est diuina promissio, dicente Moyse: Primogenitus tauri, decus eius cornua rinoceros eius, cornua eius, in ipsis gentes uentilabit simul usq; ad summitatẽ terræ. Vnicum enim uerbũ dei hoc prophetatur oracluo toto per gentes orbe fundendum. Hoc ergo surrecturæ Ecclesiæ promissum Dauid uerecundus sui, impatiens uerò cõmunis profectus morantis exigere uidet. Et addidit: Hæc me consolata est in humilitate mea, quoniam uerbum tuum uiuificauit me.] Hæc spes, hæc quæ uerbo tuo obuenit mihi, consolata est me, ut tolerarẽ acerba præsentiũ. Dum facit Paulus cõtra nomen, non habet spei consolationẽ: dum patit pro nomine, haurit spem de cõsolatione, & fidelis futurus quomodo nos consolet accipe. Qui nos separabit, inquit, à dilectione Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculũ, an gladius? sicut scriptũ est: Quia propter te morti tradimur tota die, ęstimati sumus ut oues occisionis. Et qua ratione illa patiẽter tolerari possint, addidit: Sed in his omnib. superamus, propter eũ qui nos dilexit. Ergo si quis uult aduersa superare, si est persecutio, si est periculum, si mors, si ęgritudo grauis, si incursus latronũ, si facultatũ proscriptio, si quicquid eorũ quæ putant in isto aduersa seculo: facile superant si sit spes quæ consolet. Nam etsi illa acciderint, tñ grauia esse nõ possunt dicenti: Existimo enim q̃ indignæ sint passiones huius tẽporis ad futurã gloriã. Quisquis eñ meliora sperat, nunq̃ leuioribus frangit. In tẽpore igit humilitatis nostræ spes cõsolatoria est, quæ nõ confundit: tẽpus aũt tentationũ, tempus humilitatis animæ nostrę arbitror. Humiliat enim anima nostra dum tradit tentatori, duris examinanda laboribus, ut luctetur & exerceat, congressum contrariæ experiens potestatis: sed in his tentationibus uiuificatur alloquio dei. Hæc est enim animæ nostrę uitalis substãtia, qua alitur & pascitur, gubernat. Nec quicq̃ aliud est quod uiuere faciat rationabilẽ animã, q̃ alloquiũ dei. Sicut enim augetur sermo dei in anima nostra, dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehendit, ita etiam uita eius auget. Et quemadmodũ econtrario alloquiũ dei deficit in anima nostra, ita & incurrit eius uita defectũ. Itaq; ut connexio ista animę & corporis nostri spiritu uitali animat atq; alitur, & tenetur: ita uerbo dei & spiritali gratia anima nostra uiuificatur. Vnde omni genere studere debemus, ut reliqua omnia posthabentes, congregemus nobis alloquia dei, & congeramus in principale nostrum, in sensus, in solicitudines, cõsiderationes, actusq; nostros: ut alloquijs diuinarũ scripturarũ facta nostra cõueniant, nec à serie præceptorũ cœlestiũ actus noster discordare uideatur, quo possimus & nos dicere: Quoniam eloquiũ tuum uiuificauit nos. Superbi iniquè agebant nimis, à lege autem tua non declinaui.] Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manauit nostri origo delicti. Hoc telo nos primũ

Esa. 43

2. Tim. 4

2. Reg. 7

Psal. 122

Deut. 33

Ibid.

Rom. 8

Psal. 43

Rom. 8

diabolus

diabolus uulnerauit,& perculit.Nam nisi homo serpẽtis persuasione deceptus sicut deus esse uoluisset,& uerum falsumq; cognoscere,quod penitus discernere humana fragilitate non poterat:ideoq; quod sequeretur acceperat, ne temeraria usurpatione de illa paradisi fœlicitate decideret:nisi inquam homo suis contentus finibus, interdicta temerasset,nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas.Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam.Denicq; dum dicit:Ponam thronũ meum super nubes,& ero similis altissimo: cõsortijs excidit angelorum,cuius criminis digna mercede damnatus,hominem sibi participem requisiuit,in quem consortium suę transfunderet offensæ. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à dei cœpit iniuria? Ideoq; scriptura dicit:Dominus superbis resistit.Tanquam suæ contumelię propulsator,ueluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen. Tanquam dicat,Meus iste aduersarius est,qui me lacessit,mihi debetur ista cõgressio.Vnde & Apostolus multiplicis culpæ materiem esse superbiam declarauit,dicens de hæretico: Quia ei quæ secundum pietatem est doctrinæ non acquiescit superbus,nihil sciẽs, sed langues circa quæstiones,& pugnas uerborũ,ex quibus oriuntur inuidiæ,contentiones,sacrilegia,suspiciones malæ,conflictationes hominũ mente corruptorum,& à ueritate alienorum,existimantium quæstum esse pietatem.Quãtorum itaq; expressit causam esse delictorum superbiam? Vnde Dauid commendare uolens deuotionem suam nõnulla superborum iniquitate attentatus,ait:Superbi iniquè agebant nimis.Non solum iniquitatem agentium,sed etiam nimiam iniquitatem pariter declarauit,quæ cõueniret superbis.Quorum ne aliquo tentaretur contagio,audi alibi dicentem:Superbo oculo,et insatiabili corde,cũ hoc non edebam.Itaq; quoniam quãta uis mali in superbis esset,expertus erat:quemadmodũ uinceretur,debuit nos docere.Meritoq; quasi bonus doctor demõstrat remedium,qui exaggerauit uenenum.Audi ergo quomodo excludas uirus superbiæ:A lege,inquit,tua nõ declinaui.Lex igitur dei sola potest superbiæ uirus hebetare, quæ informauit uirum deuotioni deditũ,docens quali se regere debeat cautione.Multi enim non solum alieni à fide:sed etiam qui uidentur non mediocria scripturarum præcepta gustasse,tentari solent prosperis superborũ processibus,uidentes eos qui preuaricãtur legem,impietatis arbitros,arrogantes,contẽptores fidelium, extollẽtes se aduersus eos qui humiliant cor suũ secundum timorem dei,& præcepta cœlestia, abũdare in hoc seculo diuitijs,præconijs,honoribus,potestatibus,eisq;,quo grauiora commiserint, affluentiores successus commodorũ secularium secundare:contra aũt iustos uiros plerunq; laborare inopia,amissionibus filiorum,sterilitatibus coniugum:quo exagitati atq; turbati,sensum mentis inclinant,ut putent dei in hoc quoddam errare iudicium,non tenẽtes caput ueritatis,quo euidentissimè comprehenditur non in hoc seculo, sed in futuro repositã nostrorũ remunerationem esse meritorum. Sed paucorum est istud aduertere. Denicq; in principijs etiam Dauid ipse tentatus est,sicut habes scriptum:Ecce ipsi peccatores,& abundantes in seculo,obtinuerũt diuitias,& dixi:Nunquid sine causa iustificaui cor meũ,& laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die? Ita igitur & nostrum unusquisq;,qui perfecti non sumus,hæc uidens dicit: Vbi est prouidentia dei? ubi iustitia? Superbus iste abundat,arrogans iste locupletatur,impius iste beatus & potens est:Iustus autem ille uides quemadmodum iacet deiectus atq; despectus? quemadmodũ ipso uictu indiget,afficitur contumelijs ab isto impio, ab isto insolente conculcatur,excluditur? Non mediocris utiq; ista tẽtatio est, nisi ad ea quæ sunt uẽtura prospicias, nisi præceptis plenius cœlestibus instruaris.Denicq; & Dauid putabat se ante hæc cognoscere,sed nesciebat:& ideo anxius fluctuãti animo laborabat. Vnde ait: Et æstimabã me scire,hoc labor est ante me,donec ingrediar in sanctuariũ dei,& intelligã in nouissimis.In quibus per id quod se extulerunt superbi,uidit prophetico spiritu deiectiores fore,& ait:Quomodo facti in desolationẽ,subito defecerunt,& exterminati sunt propter iniquitatẽ suã,sicut somniũ exurgentis? Cognouit igitur impiorũ successus in hoc seculo somnij esse similes,non ueritatis,quorũ emolumẽta tandiu uidẽtur esse, dum dormiunt. Vbi edormierint somnũ suum qui uidebantur sibi potare,iam sitiunt:qui epulabãtur,esuriunt:nihil solidum ex isto somnio perfectumq; referentes. Et bene somniũ dormiũt seculares uiri,qui licet seculo uigilent,deo dormiunt.De quibus bene sanctus Iob, qui

Esa.14

Iaco.4

1.Tim.6

Psal.100

Ibid.27

Cant.5

Iob.12

qui eorum ante affluentiam mirabatur, ait: Quia sicut paleæ iactantur à uento, & sicut puluis turbine dissipantur: moriuntur aũt cum amaritudine animæ suæ, nihil manducãtes, nihilq; boni habentes. Iustus autẽ habens bonæ fiduciam conscientiæ, in suis magis nouissimis gratulatur, & se uitæ huius exitu à laboribus intelligit liberari, mercedemq; boni operis & factorum requirit, dicens: Reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed etiam ijs qui diligunt aduentum eius. Sed hoc ille ait, qui poterat dicere: A lege autẽ tua non declinaui. In quo non solum boni operis elucet gratia, sed etiam intimæ puritas conscientiæ. Lex enim nõ solum agendi munus informat, uerum etiam secretę emundat mentis affectum. Non em̃ solum in operibus, sed etiam in ipsis occultis secundum legem domino militamus, quia lex dicit: Non fiat uerbum in iustitia occultum in corde tuo: ut non solũ nihil in opere fadeliscq; delinquas cum superbos uideris gloriari, nec sermone labaris: sed ne in corde qui dem intimo, dum de dei iudicio disceptas, contrahas iniquitatis offensam: quæ quo patur occultior, eo frequentior esse consueuit: quia puto hoc uiri sancti esse propositũ, quo putat unusquisq; suæ credat, cum ipse sui accusator die iudicij sit futurus: quia reuelantur cordis abscondita, testimonium perhibente conscientia accusationibus nostris. Cuiusmodi igitur sit propositum uiri sancti, hoc euidẽtius loco exponitur. Primum enim memor esse debet promissorum cœlestium, secundum quæ uiuentibus merces statuta debetur. Deinde aliud propositum uiri sancti est, ut etiam si in periculis & aduersis positus sit: spe tamen quam hausit ex serie scripturarum, se debeat consolari. Tertium propositum, ut etsi impios & sacrilegos uideat, & superbos inique agentes, abundare diuitijs in hoc seculo: non quasi incredulus declinet à lege, sed in eius semitis perseueret, & fugiat superborum contagia. Contaminat enim omnis immundus: immundus autem superbus, de quo scriptum est: Immundus ante deum omnis tumidi cordis. Quartum propositum uiri, ut memor sit iudiciorum cœlestium, sicut Dauid asserit, qui dicebat: Memor fui iudiciorum tuorum quæ à seculo sunt, & me consolatus sum.] Nisi enim unusquisq; legis instructus & formatus exemplis, credat semper uera esse dei iudicia, cito declinat à lege. Qui autem præterita repetit, et semper colligit seriem uetustatis, cognoscit quod neq; peccator pœnam suæ improbitatis euadat, neq; iustus æquitatis suæ præmijs defraudetur. Retexit enim animo quod ab initio Adam propter mandati cœlestis præuaricationẽ de paradisi eiectus sit incolatu, & Cain parricidalis sceleris precium diuinæ sententiæ authoritate damnatus exoluerit: quod Enoch propter deuotionẽ raptus ad cœlũ, terrenę malitię ruinæ euaserit: quod Noe propter iustitiam diluuij uictor, generis factus superstes humani sit: quod Abrahã propter fidem seminariũ posteritatis suæ toto orbe diffuderit: quod Israel propter laborũ tolerantiã, populum credentiũ proprij nominis signaculo consecrauerit: quod ipse Dauid propter mansuetudinẽ regali honore donatus, senioribus fratribus antelatus sit: quod Helias propter zelũ dei, curru eleuatus in aerẽ, cœlestis sedis hospitiũ nouí generis acquisierit incolatu. Hæc qui nouit retexere, habet unde gratiã suæ consolationis acquirat: econtra, qui non nouit, non habet unde cõsoletur. Quapropter custodiamus iudicia dei, Quia iudicia dei uera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem precio sum, & dulciora super mel & fauum: etenim seruus tuus custodit ea. Custodienti igitur dulcia sunt diuina iudicia, negligenti autem ea amara esse non dubium est: quia non aduertit in opprobrij turpitudine peccatorum propositum, sibi diuinæ euentum esse sententiæ. Qui autem bene sibi conscius est, nõ turbatur utiq;, dicens: Hæredes sumus dei, cohæredes autem Christi: si tamẽ compatiamur, ut & simul glorificemur. Sed quis nostrum huiusmodi, ut se diuinorum iudiciorum serie cõsoletur? Terribilia sunt peccatoribus etiã humana iudicia, quanto magis diuina formidini sunt? Deniq; ut hoc illa, quæ æterna sunt, colligamus exemplo, uidemus in hoc seculo innocentes lætos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij: reos autẽ refugere & pauere, differre, uitare, iurare, mœstificari deniq; cum diem iudicij audierint constitutum. Beatus itaq; ille qui illud cœleste iudicium lætus expectat. Scit enim sibi regnum cœlorum, angelorum consortium, coronam quoq; bonorum repositã esse meritorum. Consideremus nunc quod sit aliud propositum uiri sancti, & ex sequentibus

2. Tim. 4

Rom. 2

Prouer. 16

Iuxta 70

Gen. 3
Gen. 4
Gen. 5
Genes. 7
Gene. 15
Gene. 32
1. Reg. 15
4. Reg. 2

Psal. 18

Rom. 8

æstimemus. Pusillanimitas, inquit, detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.] Non est hoc commune cum multis. nam plurimorum est cõtristari si quam ab aliquo patiantur iniuriam, si læsi, si appetiti, si decolorati sint. Nostra enim causa est: nos infirmiores fraudi nobis aliquos dolemus fuisse. At uerò qui fortior est, nõ propriã contumeliam dolet, sed aliena peccata: & in sua iniuria lapsum alterius ingemiscit: & causam se fuisse deplorat lædentis erroris. Exemplum accipe Apostolicum. Paulus e- 2.Cor.2 nim in peccato flebat alieno, sicut ipse ait: Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi uobis per multas lachrymas. Et cum ipse tristaretur, eos ipsos quos arguebat, contristari nolebat. Denique addidit: Non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeo in uobis abundantius. Contristari enim uolebat uscq; ad pœnitentiam lapsos, non uscq; ad mœstitiam profundiorem, tantum ut eorum qui arguebantur, mœstitia gaudium fieret arguenti. Vnde ait: Si enim ego contristo uos, quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Arguit itaq; ut alleuet diuturnitatem mœstitiæ, quo pœnitentia fieret in salutem: damnat ut absoluat: excludit ut recipiat: non ignoscit, ut liberet. Ideo talis Paulus qui bene peritus in lege, cognouerat præceptum dicentis: Pusillanimitas detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Dolebat Dauid, nõ quia contemnebatur, non quia ipse appetebatur, sed quia lex dei relinquebatur: & eorum qui hoc faciebant, damnum dolebat, quod perirent deo. Sicut bonus pater in phrenesi constituti filij, cum ab eo maledicatur, uerberetur, afficiatur iniurijs, non suam sed ægroti deflet ærumnam: & contumeliam dolet, non quod sibi sit irrogata, sed quia per furorem quid faciat æger ignorat, ita uir bonus cum uidet peccatorem non reuereri, non honorare etiam canos senioris, quo præsente faciat aliquid indignum, non agnoscere quadam peccandi insania, quàm inhonora & inhonesta committat, quasi moriturum dolet, quasi desperatum à medicis ingemiscit: & ut bonus medicus primo monet, deinde etiam si grauia patiatur, tamen tanquam ille ægrum, & si cædatur, sustinet: & si maledicatur, non relinquit: & quicquid potest medicinæ adhibere, non denegat: nec tanquã contumacem deserit, sed tanquam bene de se meritum omni studio sanare contendit: exercens non solum artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. Ita ergo etiam iustus & cum contemnitur à peccatore, non auertitur: & cum lædit, furoris illud putat esse, nõ improbitatis: magisq; uulneri eius medicinam afferre desiderat, & compatitur & dolet: non propter se, sed propter illum qui desperato laborat incommodo, & dicit hunc ũnũ ex fratribus sic laborare, sic affici, ut faciat mihi iniuriam: qui si agnosceret me, honoraret utiq;, non læderet. Quid enim? Læsus est meo facto, ut habeat lædentis affectum? Ergo cum non suppetit causa lædendi, non potest culpa esse propositi. Ergo si iustus sum, afficior propter charitatem, propter dilectionem, propter Ecclesiæ damnum, propter corporis detrimentum. Possum etiam illud dolere, quod etiam si ego lædentem non læserim, & non sim mihi conscius quod eum in me aliquibus iniurijs excitauerim, tamen causa illi fuerim lapsus eius, quod innocentem me lædendo delinquat, quod factus sim 1.Cor.11 ei materia peccati. Hoc ergo dolet Dauid, & ideo dolet, quia cum unum membrum pa- Prouer.18 titur, & cætera membra compatiuntur. Ideo forte & illud positum est: Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Nam etsi possit iustus habere nihil in se quod accuset, & iustus non esse (quia nemo sine peccato præter unum deum) & possit etiam peccator hoc ipso iustus esse, quia accusator est sui, secundum illud: Dic iniquitates tuas, ut iustifice- Esa.43 ris: attamen forsitan etiam aliquibus non uideatur absurdum ut etiam de illo dictum sit, quod iustus sit qui se accusat pro alio, etiam si in se nihil habeat quod accuset. Quàm igi- 1.Paral.21 tur in his omnibus sancto Dauid uiri iusti persona conueniat, consideremus. Accusatur nullo accusante, peccatum confessus est proprium, quando percussus est in corde eo quòd numerauit plebem. Qui & dixit ad dominũ: Peccaui domine, quòd fecerim hoc uerbum: & nunc domine auser iniquitatem serui tui quod deliqui uehemẽter. Itaq; quãuis scriptura habeat quod apposita est ira dei ut irasceretur in Israel, quod regis prolapsum excusare uideretur: tamen cum uidisset angelum qui stragem plebis efficiebat, per- 2.Reg.24 cutientis ictui seipsum obiecit, dicens: Ecce ego peccaui, & ego pastor malignum feci: & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Quasi iustus ergo accusator sui in ipso sermonis exordio & peccatum suum agnouit, & iniquitatem propriam

priam confitendo, iustificatus est in semetipso. Alibi quoq; de Vriæ morte coargutus à propheta ait: Peccaui domino, cui responsum est, propter pœnitẽtiam ablatum a domino eius esse peccatum. Item alio loco cum Semei malediceret ei, & lapidaret eum septũ bellatoribus, per quos uindicare se posset, patienter ferebat, ne uerbo quidem referens contumeliam: quinetiam cum Abisai dux eius caput maledicẽtis uellet auferre, ait rex: Quid mihi & tibi est fili Saruiæ? Quod maledicit mihi, dominus dixit ei maledicere David. primùm igitur culpam eius excusauit, & causam ad domini retulit uoluntatẽ. Secundo in suum meritum retorsit, ut non illum erasse, sed se meruisse significaret. Tertio maledictionem illius sibi non solum non nocere, sed etiam prodesse memorauit, sicut scriptum est: Et dixit Dauid ad Abisai, & ad omnes pueros eius: Ecce filius meus qui exiuit de semine meo, quærit animam meam: quanto magis filius Geminí? Granditer impetũ fregit ultoris. Quomodo enim maledictum extranei pro regis iniuria uindicaret, cum filij adhuc parricidium inultum maneret? Non utiq; extranei maledictum, & filij parricidium æqua esset lance pensandum. Et addidit: Sine illum maledicere, quoniam dixit illi dominus, donec uideat humilitatem meam, & retribuat mihi dominus bona pro maledicto. Est & aliud iusti propositum longe omnibus perfectius & potentius, interuenire pro persequentibus, & excusare peccantes, quod legimus in Euangelio dicente domino Iesu cum crucifixus esset à perfidis Iudæis: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciũt. Liquet igitur his magisterijs doctrinæ cœlestis quod iustus se accusare malit, quàm alium deformare. Deniq; de Ioseph cui desponsata erat Maria mater domini, scriptum est, quod cum eam grauem utero uidisset, cum esset iustus, noluit eam traducere. & utique nullum adhuc audierat oraculum. Ita nõ solum ab ultionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate iusti aliena persona est: potiusq; ducit suam remissionem accusari quod non iudicauerit, quàm alienum crimen urgere. Sed dices, Quomodo dixit ipse Dauid: Lætabitur iustus cum uiderit uindictam impiorum? Mihi uidetur quia lætetur quod ipse euaserit, non quia impij puniantur. Quæramus aliud propositum ex sequentibus, itaque dicit: Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.] Merito peregrinationibus non frangebatur, superbos declinabat, eorumq; prosperis successibus non mouebatur. Consolabatur se in iudicijs cœlestibus, angebatur in alienis peccatis, quia cantabiles habebat iustificationes dei. Quæ enim bene tenemus, cantare consueuimus: & quæ melius cantantur, melius nostris adhærent sensibus. Non enim perfunctorie transeamus quæ legimus, ut tunc tantum cum legimus ea, in memoriam eorum redire uideamur: sed etiam cum abest codex manibus, tanquam animantia quæ probantur & munda habentur in lege, etiam cum non pascuntur, ruminare consuerunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentes: ita & nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminãdum nobis pabulum spirituale promamus. Hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis iustificationes domini sint. Psallamus spiritu, psallamus & mente: ne cum oblíti fuerimus, in tempore necessitatis dicatur unicuiq; nostrum: Abiecisti sermones meos post te. Ideoq; ut expelleretur & eliminaretur obliuio à domo sancta sua, cantatores sibi fecit rex uerus Salomon, qui toto spiritu inquirẽdæ cognitioni diuinitatis intenderent, ne psallentes deessent ecclesiæ suæ, quorum cantu nequam spiritus fugaretur, sicut Dauid sancti docemur exemplo, quo psallente malus ille spiritus expellebatur, qui Saul regis corda uexabat. Prophetæ quoq; ut prophetarent, psallendi peritum iubebant psallere, quo suaui inuitata dulcedine spiritualis infunderetur gratia. Et in Euangelio legimus in domo patris illius filium recuperãtis personuisse symphoniam, qua epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatiens crepuit. Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effœminat, sed mẽtem animumq; confirmat. Ideoq; Canticum dicitur domini testamentum quia remissionem omnium peccatorum, dominicq; iustitias in scripturis Euangelij suaui mentis exultatione concinimus. Ipse quoq; dominus non dedignatus est dicere: Cantauimus uobis, & non saltastis. Cantauit nobis in Euangelio ueniam delictorum. debuerunt Iudæi mentem attollere, non histrionico corporis motu, sed sancto spiritu. Non fecerunt, ideo reprehendũtur. sed etiam corporis saltatio in honorem dei, laudabilis habetur. Deniq; saltauit David ante arcam domini, & uidit Michol filia Saul eum saltantem, & percutientem in or-

Ibid. 12
Ibid. 16
Ibidem
Luc. 23
Matt. 1
Psal. 57
1. Cor. 14
Psal. 49
1. Reg. 16
Luc. 15
Ibid. 7
2. Reg. 6

ganis ἡρμοσμένοις in conſpectu Domini, & ait ad eum poſtea quàm ſe domum recepit, Quid utique honorificatus eſt rex Iſrael, quia denudatus eſt hodie in oculis puellarũ ſuarum ancillarum, ſicut unus ex ſaltatoribus? Et dixit Dauid ad Michol in conſpectu domini: Benedictus dominus qui elegit me ſuper patrem tuum, & ſuper omnem domum illius uoluit conſtituere in principem ſuper plebem Iſrael & Iuda in conſpectu domini: & denudabor adhuc ſic, & ero nugax in conſpectu tuo, & cum puellis cum quibus dixisti me nudatum, glorificabor. Et Michol, inquit, filiæ Saul non erat filius uſque in diem mortis eius. Euidens itaque exemplum quod & Propheta qui & percutiebat in organis, & ſaltauit ante arcam domini, iuſtificatus eſt: & illa quæ reprehendit eum, ſterilitate damnata eſt. Sed non ſatis eſt ut aliquis cantabiles habeat iuſtificationes dei, niſi terrenarũ exuat ſe uitio ſolicitudinum. Ideoque addidit: In loco peregrinationis meæ. Conuenit ſibi. Siquidem & alibi ait: Aduena ſum ego in terra hac. Vnde & Apoſtolus non uult nos in domo dei fideique uocatione aduenas eſſe & peregrinos, ſed ciues ſanctorum & domeſticos dei. Qui enim domeſticus dei eſt, exul eſt mundo: qui conuerſatur in cœleſtibus, peregrinus eſt terris. Peregrinabantur in hoc mundo Hebræi tres pueri naturam incendij non ſentientes. Cantabiles habebant iuſtificationes dei, cum hymnum deo de creaturarum laudatione cantarent. Deinde qui cantat, uacuus eſt, & diuerſarum cogitationum curas relegat, culpas religat, ſequeſtrat auaritiam, & non ſolum corporis uoce, ſed etiam mentis uiuacitate ſe mulcet. Non enim tanquam mœſtus inopiæ ſolicitudine, ſed tanquam liber ab omnibus corporalium affectibus paſſionum canebat idem Propheta: Pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti. Cantabat hæc lætus tanquam his melioribus epulis paſceretur. Epulabatur enim animus piæ deuotionis alimento. Non ſolum itaque hymni & pſalmi, ſed etiam legis præcepta cantabilia ſanctis ſunt. Denique cantauit Moyſes qui legem accepit, cum prætergreſſus pedibus mare ſeruati populi ductor iuſtificationes domini prædicaret. Supereſt adhuc propoſitum egregium uiri iuſti: quia omni tempore circa dei laudes eſſe debet intentus, non ſolum die, ſed etiam nocte. Ideoque addidit: Memor fui nocte nominis tui domine, & cuſtodiui legem tuam.] Videamus ſi & ille memor eſt qui uocat dominum uerbo, non cuſtodit autem mandata diuina. De quo dictũ eſt ſatis, quia non quicunque dicit, Domine, domine, acceptus eſt: ſed qui operibus bonis fidelem ſuum probare potuerit affectum. Fides ergo, probitas, innocentia memorẽ pro bant. Quod autem ait: Memor fui nominis tui, plena deuotio eſt: quia nemo dicit dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Hoc nomen inuocetur diebus ac noctibus, nullũ tempus prædicandi uacuum ſinat ſancta deuotio præterire. Si ſtudentes igitur doctrinis ſecularibus perparum ſomno indulgent: quanto magis qui deum cupiunt cognoſcere, non debent ſomno corporis impediri, niſi quantum naturæ ſatis eſt? Dauid per ſingulas noctes lectum ſuum lachrymis diluebat: ſurgebat etiã noctis medio, ut domino confiteretur. Et ne totam noctem ſopori exiſtimes deputandam, tunc magis tibi orãdus eſt dominus, tunc præſidia poſtulanda, culpa cauenda, quando uidetur habere ſecretum: tunc maxime quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, conſiderãdum quia dominus omnia intuetur abſcondita. Ne dixeris ergo circunfuſus tenebris, Quis me uidet? Et quem uereor ſeptus parietibus & incluſus? Quia uultus domini ſuper facientes mala. Deinde ſi arbitrum non uides, teipſum non uides? Tuæ conſcientiæ teſtimonium non uereris? Neſcis illam caliginem noctis, non opertorium, ſed incentiuum eſſe peccati? Cum ſomno & cibo feruent corpora, tunc etiam uigor mentis ſopore laxatur, ſomno reſoluitur, tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, ſqualorem immunditiæ non ueretur, caſtitatis puritas non conſideratur, pudicitiæ gloria nõ recenſetur. Nox erat, quando Iudas prodidit, quando Petrus negauit. Illo igitur præcipue tempore iuſtificationes dei animo retexendæ ſunt, relegenda mandata hortatoria. Illa de caſtitate præcepta non abſint, ut his occupata mens flagrantiam libidinis, carnis reſtinguat ardorem. Tene illud animo: Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ. Quis enim ſtupris deditus, flagitijs inuolutus, lauat per ſingulas noctes lectum ſuum? Neſcit flere qui flenda committit: & cum ſit ipſe lachrymabilis, nõ habet pœnæ lachrymas ſuę. At ille qui caſtigat corpus ſuum, & ſui ſolicitus gubernator eſt, atque ingemiſcens & dolens,

Pſal. 38
Epheſ. 2
Dani. 33
Pſal. 70
Matt. 7
1. Cor. 12
Pſal. 6
Eccl. 23
Pſal. 33
Pſal. 6

lens lapsus superioris offensam, quærit quomodo abluat fletibus pœnitentiæ: hic lauat per singulas noctes lectum suum. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus. Audi Ecclesiæ uocem quærentis e- Cant. 3
ma mea. Accipe secundum literam. Quæsiuit in noctibus orando, deprecando, etiam lachrymis deplorando. Quæsiuit in noctibus, quia posuit tenebras latibulum suum, Psal. 17
ut quærere eum solicitius disceremus. Quæsiuit igitur in prophetis Ecclesia ex gentibus congregata, & ideo credidit. Denique aduentus dominici testimonia de prophetis euangelistæ psalmis q; posuerunt. Vnde scriptum est, Quia nox nocti indicat scientiam. Ibid. 18
Quæsiuit in noctibus, in persecutionibus & aduersis, in tribulationibus & laboribus duris. Nox est omnibus quibus non est perfecta securitas. Vnde ait dominus: Veniet Ioan. 9
nox, quando nemo potest operari. Cum in hoc mundo sum, lux huius mundi sum. Non ergo operemur in tenebris. Si enim lucent opera nostra, non operamur in tenebris, sed in lumine. Dies est quibus adest Christus: nox est quibus se denegat. Non magnum ergo si tunc domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es: sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisti filium? In illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memẽto domini dei tui, ne qua si non exauditus, ingratus sis, & in tua præuariceris ærumna. Pulsus es in exilium? Memento domini dei tui, ne patriæ interdictæ charitatem deo preferas. Alicuius diuitis oppressus potentia amisisti proprias facultates, indiges sumptu? Memẽto domini dei tui, Psal. 117
ne nox te egestatis abducat à deuotionis affectu. Hoc est enim mandatum legis, ut in nocte magis quæras, quando magis exaudiaris à domino, & possis dicere: In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Sed nec quærere perfuncto- rie abundat ad gratiam, sed ut insistas & intendas muneri. Denique ista uel Ecclesia uel anima quæ requisiuit in cubili, quæsiuit in noctibus: primo non inuenit, quia fortasse in cubili quæsiuit: sed posteaquam surrexit, & abijt in ciuitatem. Vide ne in illam ciuitatẽ Matt. 16
in qua dominus celebraturus pascha discipulos destinauit, dicens: Ite in ciuitatem ad quendam. Posteaquam in foro, ut dixi, quæsiuit, inuenit quem dilexit, ubi oleum uenditur, quod expectantes sponsum emere consuerunt: ubi ius, ubi leges? Si lex spiritualis, & forum est utique spirituale, ubi disputant periti legis æternæ: Quod forum non libus tumultuosum est, sed Christi tribunalibus glorioſum. Vbi quæsiuit inquam? In foro, & post quæsiuit in plateis, de quibus hi qui ad patrisfamilias Euangelici prandium conuenirent, colligebantur: qui uocati excusandum ab huiusmodi epulis non reputarunt. Posteaquam in foro, inquam, & plateis quæsiuit, incidit in eos qui circumeunt ciuitatem, & tunc demum potuit inuenire quod quæreret, fortasse quod in tribulatione & metu posita magis inueniat gratiam. Denique posterius ait: Inuenerunt me qui cir- Cant. 3
cumeunt ciuitatem, tulerunt mihi pallium. Habuit ergo certamen, sed qua ratione supra non tulerint pallium, hæreo reperire, nisi forte quia ibi interrogasse se dixit: Nunquid quem dilexit anima mea, uidistis? Quæ Christum loquebatur: nec exuta est pallio, Ibid.
& quem quærebat inuenit. Disce quemadmodum quæratur Christus. Ab his utiq; qui non perfunctorie quærunt, uiolenter retinent: sicut ista quæ ait: Tenui eum, & non dimisi eum. Fide inuenit, meditatione constrinxit. Si bonos custodes accipimus, utiq; angeli sunt. Qui uerò angelos transiuit: uerbum inuenit: ideo non multum interualli fuit cum transiuit ab his & inuenit Iesum. Quomodo ergo infra tulerunt pallium, nisi forte quia processu operis siue fidei Ecclesia dum nudatur, dominus plus amatur, expolians se uterem hominem ut nouum induat, quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificant. aut quia amictum sapientiæ secularis ad Christum uentura deposuit. Et Noe Genes. 9
exutus est pallium posteaquam cœpit esse perfectior. Simus ergo memores iustificationum cœlestium, ut dum eas secreta mentis uoce cantamus, memores simus in nocte nominis domini, & dicamus ut scriptum est: Hæc facta est mihi, quoniam iustificationes tuas exquisiui.] Hoc est, hæc memoria facta est mihi, ut memor essem & in nocte nominis tui, non ebrietate sopitus, non epulis resolutus in somnum, non curis secularibus occupatus, ne obliuio mihi tuæ uenerationis irreperet: sed quotidiana meditatione membra castigans, & intentionem mentis exercens, ut assiduitate fiat nobis cursus

iſte ſolennis,ut dominum Ieſum etiam in noctibus toto ueneremur affectu, cui eſt glo-
ria,laus,perpetuitas à ſeculis,& nunc,& ſemper,& in ſecula ſeculorum.Amen.

SERMO VIII.

Octaua litera Heth,quæ interpretatione Latina dicitur pauor. Sanctorum pa-
Gen.15 uor eſſe conſueuit. Deniq; pauor cecidit in Abraham,cum ſacrificium offer-
ret plenũ myſterij ſpiritualis:ipſe quoq; Dauid ait: Ego dixi in pauore meo,
Pſal.115 omnis homo mendax.Religionis enim reuerentiam ſignificat magis quàm infirmitatẽ
timoris:licet etiam ipſe timor ſecundum deum ſanctus ſit.Initium enim ſapientiæ timor
Eccli.1 domini.Ergo qui timent deum,ſapientes ſunt:qui autem ſapientes, beati. Beatus enim
Pſalm.93 quem tu erudieris domine,& de lege tua docueris eum.Hi quoq; qui timent deum, bea
ti ſunt,ſicut exempli extat authoritas,quia beati omnes qui timent deum. Hocita colli-
gitur,quia timentes deum,& ſapientes ſunt,& beati.Sanctus igitur timor domini, quia
uere ſanctorum eſt pauor.Deniq; præmiſſa hac litera, ſtatim ſequitur perſona iuſti, di-
cens: Portio mea domine,dixi cuſtodire legem tuam.] Codices plerique hunc uerſicu
lum qui primus eſt literę octauæ,ultimo loco literæ habent ſeptimæ.Sed ſecundum He
bræos emendatus apud Græcos pſalmorum liber hunc uerſum docuit nos octauæ lite-
ræ copulandum.Deinde ordo ipſe & numerus uerſuum ita conuenit, ut ab eo incipiat
octaua litera.Portio,inquit,mea dominus.Quàm rarus in terris qui poteſt dicere, Por-
tio mea dominus,quàm alienus à uitijs,quàm ſegregatus ab omni labe peccati,qui nihil
habeat commune cum ſeculo,nihil mundi huius uindicet ſibi,non ſit corporalium poſ-
ſeſſio cupiditatum,quem non inflammet libido,non ſtimulet auaritia,non laſciuia eſſœ
minet,non luxuria decoloret,non ſternat ambitio,non maceret inuidia,non aliqua ne-
gociorum ſecularium cura ſolicitet,uerus miniſter altaris, deo nõ ſibi natus.Leui enim
(ut habet interpretatio)ſignificat ipſe mihi aſſumptus,ſignificat & ipſe meus,ſignificat
& tãtum aſſumptus,ſignificat & aſſumptus mihi.Ipſe idem & mihi Leui & deo eſt. quo
modo idem & mihi ſacerdos & deo eſt, & mihi aduocatus, & domini deprecator, pro
me offerens ſacrificium,& idem ſe offerens domino.Deniq; & alibi Leui interpretatio
ne dicitur,pro me.Etenim ſi à me nominetur Leui,pro me eſt.Sin autẽ uocetur à domi-
no,ipſe mihi dicitur:hoc eſt,non alij tributarius,non decimarius, nõ de poſſeſſione mu
nificus.ipſe mihi,hoc eſt,tanquam abundans:pro his omnibus,non ab hoc decimas,nõ
fructus,non dona quæro,non munera,ipſe mihi pro munere eſt,ipſe eſt pro tributo,nõ
in poſſeſſione ſua munificus mihi:ſed ipſe mihi poſſeſſio, ipſe meus fructus, ipſe meus
ſenſus,aſſumptus mihi,uel aſſumptus à me.Non poteſt hoc ſine diuina eſſe gratia.Sicut
enim poſſeſſio non poteſt mea eſſe niſi emero eam,ſic nõ poteſt eſſe Leui, niſi fuerit aſ-
ſumptus à domino.Cum enim aſſumptus fuerit,recte dicitur ipſe meus.Deniq; cũ Moy
ſi dictum eſſet ut populo Iudęorum per tribus ſingulas diuideret incolatus,& diſtribue
ret ſingulis tribubus portiones,tribum Leuiticam excepit deus dicens: Filijs Leui non
erit portio neq; ſors in medio fratrum ſuorum,quia dominus deus pars eorum eſt.Et ali
bi:Ego dominus portio eorum.Negatur his terrena diuiſio, ut ipſi dum ſecularem ſibi
non uindicant portionem, fiant cœleſtis poſſeſſio. Vel hoc ſolum nouerint poſſidere,
hoc eſt,fidei & deuotionis obſequium, multo ditiores quàm qui poſſeſſionum ſuarum
ſpatia ampla diffundunt.Quantumlibet fines ſuos extendant,& terra deficit,& mare in
cludit inſanas cupiditates,& pendunt tributa maiora quàm fructus ſunt. At uero iſte ni
hil poſſidens,nulli niſi deo militat,ſupra terram eius eſt portio, nõ cum terra deficit,nõ
mari clauditur.Cui portio deus eſt, totius poſſeſſor eſt naturæ. Pro agris igitur ipſe ſibi
ſatis eſt,habens bonum fructum,qui nunquam poſſit perire.Pro domibus ſatis eſt ſibi,
Galat.6 ut ſit habitatio domini,& templum dei,quo nihil poteſt eſſe precioſius. Quid enim pre
cioſius deo? Aut quid deeſt ei uiro qui poteſt dicere: Non contingat mihi gloriari niſi
in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti,per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mun-
do? Non poteſt in hoc princeps mundi huius ſibi conſortium uindicare, in quo nihil ſu
Ioan.14 um inuenit.Ideoq; dominus qui uenit docere ut fieret nobis deus portio,ait: Venit enim
Matt.10 huius mundi princeps,& in me inuenit nihil.Meritoq; imitatores ſui eſſe uolens ait:No
lite poſſidere aurum,neque argentum,neque pecuniam. Vnde Petrus oſtẽdens in deo
Act.3 portionem ſibi eſſe,non in ſeculo,ait; Argentum & aurum non habeo,ſed quod habeo,
hoc

hoc tibi dò. In nomine Iesu Christi Nazaræi surge & ambula. hoc est, portio mea Christus est. In nomine igit̃ Christi Iesu surge & ambula. hoc est, in portione mea diues sum, in portione mea potens sum: meritò tales præsumo fructus istius portionis, ut salus & uita donetur: quia hoc est istius patrimoniũ portionis quam elegi mihi. Dixit hoc claudo, & surrexit qui erat claudus ab utero matris suæ. Quomodo ergo Petrus poterat portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat? Quare non habeas argentum atq; aurum Petre? dic nobis, Dic etiam quid sit istud quod habere te dicis, quia omnia quæ habebas, te reliquisse dixisti. Sic enim loquutus es domino: Ecce nos omnia dereliquimus, & secuti sumus te. hoc est, non quæsiuimus quæ seculi sunt, non quæsiuimus partẽ de possessionibus, sed te elegimus portionẽ. Reliquisti omnia ergo Petre quę habebas, unde habes qd̃ habere te dicis? Surgit claudus, & sono tui sermonis erigitur. Sanitatem alijs donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio. Reliquisti ergo quę habebas, & cepisti quę non habebas. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomen tibi munificum, illius nomen tibi est fructuosum, illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa, non pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non aridítate siccatur, nõ imbre diluitur, non frigore uritur, non tempestate quassatur. Per diem sol non uret te, neq; luna per noctem. Serua portionẽ quam elegisti. Ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid enim est quod conferri possit his de quibus deus dicit: Et inhabitabo in his? Quid magnificentius hospite cœlesti? Quid beatius possessione diuina? Et deambulabo, inquit, in his. Alij queruntur de sui ruris angustijs, in te deo est ampla possessio, in quo deambulare se dicit, hoc est, laxæ spacia habitationis inueniens qui terram includit manu. Sic enim scriptum est: Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo, & uniuersam terram clausa manu? Cui mundus angustus est, tu ei ampla es domus. Portio, inquit, mea dominus. Dicit hoc martyr. Ipsi ergo uiuamus, cui mori est gloriosum. Alijs uerbis quàm bene dixit hoc Paulus, ostendens nullam habere se in hoc seculo portionem. Sic enim scriptum est: Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis uapulamus, & instabiles sumus, & laboramus, operando manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persequutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tanquam lustramenta huius mundi facti sumus, omnium lustramenta usque adhuc. Fortasse moueat quòd purgamentum se esse dixit. Non enim est, sed hoc secularibus uidetur, qui putant summam in diuitijs esse gloriam, uel decorem. Nonne isti uniuersos purgamenta esse putant, quicunque illis obsequuntur propter diuitias, & mirantur eos propter opes, timent propter potentiam, laudant propter nobilitatem? Sed hæc omnia Paulus detrimenta magis putabat esse, quàm commoda. Ideoq; ait: Quæ mihi lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimenta esse, propter eminentem scientiam Christi Iesu domini mei, propter quem omnium detrimentũ passus sum, & æstimor stercora ut Christum lucrifaciam. Aestimor, inquit: non est hæc mea, sed aliena sententia. Frequenter enim æstimatur pauper ille irridendus, & execrandus propter illuuiem uestium, aut uulnerum cicatrices, eò quòd in terra nullam habeat portionem, & tamen portio eius in cœlo est. Anima eius ibi sibi patrimonium collocauit, quia audiuit Iesum dicentem: Nolite thesaurum uobis condere in terra: sed thesaurum, inquit, uobis condite in cœlo. Sed hoc diuites audire non possunt. Clausas aures habent, & sono æris obtusas: nummus magis illis resonat, quàm uerba diuina. Denique accessit quidam diues ad Dominum, qui portionem dominum non habebat. Habebat enim multas possessiones, sed dominus non inter multa numeratur. non enim dignatur habere cum seculo consortium. Quæ enim portio iustitiæ cum iniquitate? Dicit ergo hic diues: Quid faciens uitam æternam possidebo? Respondit ei dominus: Mandata nosti? Non homicidium facies, non adulterabis, non falsum testimonium dices, honorem patrem & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæc omnia custodiui, inquit, a iuuentute mea. Adhuc unum tibi deest, ait dominus. Si uis perfectus esse, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo, & ueni sequere me. Verũ ille cui portio aurũ atq; argentũ erat, sine quib. esse nõ poterat, cõtristatus est. Vnde dñs pronuncia uit impossibile esse ut diues intret in regnum cœlorum: sed quod impossibile per huma

Psal. 120 Apoc. 21 Esa. 40 1. Cor. 4 Philip. 3 Matt. 6 Luc. 18 Matt. 19

nas cupiditates, hoc per diuinam gratiam ſolam poſſe eſſe poſſibile. Alibi quoque ait,
Matt.19 Quicunque reliquerit patrem aut matrem, domum aut fratres, aut ſorores, centuplum
accipiet in hoc ſeculo, & uitam æternam poſſidebit. Forſitan dicas, utique qui relin-
quendo domum (per domum autem totum cenſum intellige) qui relinquendo propin
quos, deum ſecutus fuerit, portio domini eſt, & portio deus illi eſt: habet etiam uitam
æternam: & quia accepto centuplo fit in hoc ſeculo diues: diues, inquies, intrat in reg-
num cœlorum. Deinde ſi centuplum dat dominus eorum quæ etiam ſimpla impedime
tum afferre conſuerunt ad perceptionem hæreditatis æternę: centum ergo poſſeſſione
reddit pro una poſſeſſione, centum pondera auri pro uno pondere. Multos quidem in
hoc ſeculo qui ſua pauperibus donauerunt, uberiore theſauro locupletatos fuiſſe cog-
nouimus. Eſt pulcherrimus locus, ut etiam ad miſericordiam prouocentur. Sed non de-
bent à domino ſecularem huiuſmodi exigere mercedem, nec ſperare quæ mundi ſunt:
ſed magis quia ijs qui omnia reliquerint, deus portio eſt. Ipſe eſt utique merces perfecta
uirtutum, qui non centupli enumeratione, ſed perfectæ plenitudinis æſtimatione cenſe
tur. Ego, inquit, deus tuus ſum. Non dixit ero, ſed iam ſum, iam inhabito, iam poſſideo.
Luc.23 Aufert dilationem, ubi inuenit iuſti confeſſionem. Sane alibi ait: Hodie mecum eris in
paradiſo. Futurum promittit, ſed id quod futurum eſt, unius diei ſpatio non patitur pro
telari. Denique potuit dicere: Mecum eris in paradiſo: ſed addidit, hodie: ne dilatione gra
tia minueretur. Sed non illi ſoli dicit dominus Ieſus, Hodie mecum eris in paradiſo; ſed
& tibi dicit, Mecum eris in paradiſo: ſi confitearis dominum Ieſum, ſi eius patrocinium
Ibidem. tibi poſcas, ſi & ipſe dicas: Memento mei domine dum ueneris in regnum tuum. Sed ti-
bi non dicit, Hodie mecum eris. dicit martyri: Hodie mecum eris in paradiſo. Tibi non
dicit, quia adhuc in hoc febrienti corpore cōſtitutus es, in hoc concupiſcenti, in hoc ter
Pſal.115 rena adhuc deſideranti, ſed cum potueris dicere: Dirupiſti uincula mea. hoc eſt, ſoluiſti
curſum iſtius uitæ, liberaſti me ex hoc mortis corpore: tunc tibi dicit: Hodie mecum eris
in paradiſo. Habes igitur homo inter multa propoſita etiam huiuſmodi portionem. Pro
poſuit tibi dominus in portione poſſeſſiones, in portione aurum, in portione argenti,
in portione honores, in portione nobilitatem. Propoſuit etiam in portione ſeipſum. Ha
bes igitur plurimas portiones, elige quam petas. Non te numerus perturbet, ſed excitet
gratia: non te labor auertat, ſed fructus inuitet. In portione diuina gemitus & labores
Rom.8 ſunt. Vnde & ſanctus Apoſtolus, cui portio deus erat, ait: Hæredes ſumus dei, cohære-
des autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut ſimul glorificemur. Vides quia ubi hæredi-
tas Chriſti eſt, ibi debeat eſſe compaſſio. Qui autem compatitur, non perfunctorie com
patitur: ſed ut paſſiones Chriſti in corpore ſuo impleat, ſicut implebat & Paulus. Im-
Thren.3 plebat & Hieremias, qui ait ſub hac ipſa litera: Miſericordia domini eſt quod non de-
fecimus, quia non ſunt conſummatæ miſerationes eius. renouabit illas ſicut lux matu-
tina. Multi ſunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea dominus, dixi: ideo ſu-
ſtinebo eum. Qui ergo ſuſtinuit dominum, ſors domini eſt. Vnde & Dauid qui ait: Su
ſtinui dominum, & reſpexit me. hoc loco portionem ſibi deum eſſe profitetur. Quàm
rarus qui iſtud uſurpet ſibi. non nobilitate, non diuitijs uſurpatur. Denique rex ille di-
Sapi.7 ues ait: Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, ex genere terreno illius
qui prior fictus eſt, & in uentre matris figuratus ſum caro. Decem menſium tempore
coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conuenientis,
& ego natus hauſi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam
uocem ſimilem omnibus emiſi plorans, in inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis.
Et addidit: Nemo enim ex regibus habuit aliud natiuitatis initium. Vnus ergo omni-
bus eſt introitus ad uitam, & ſimilis exitus. Et quia uidit commune eſſe natiuitatis ex-
ordium, elaborauit eſſe portio dei, & inuocauit, & uenit in eum ſpiritus ſapientiæ. Sed
Ibid.2 luxurioſi aliam partem eligūt, qui dicunt: Vino precioſo & unguentis nos impleamus,
& non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant. Et in-
fra: Quoniam hæc pars noſtra, & hæc ſors. Quàm magnum contemnere diuitias, ſed
quàm rarum hoc ipſum eſt. Vtique & Moyſes potuit regis eſſe ſucceſſor, nutritus à re-
gis filia. Potuit ergo eſſe non ſolum quaſi Pharao, ſed & Pharao potuit eſſe. Vterque e-
nim homo, ſed omnis potentia hominis in affectu. Moyſes noluit rex eſſe cum poſſet,

ſed

sed opprobrium Christi thesauris Aegypti arbitratus est præferendum: sed fugiẽdo po
tentiam, potentior factus est. Factus est enim in deum regi Pharaoni. Rex erat Pharao,
sed deus non erat. Moyses factus est illi deus, hoc est, regi ipsi terribilis, quem rex metue
ret & timeret. Sed hæc erat potentia sanctitatis. In talium congregatione deorum deus
stat atq; discernit. Et tu si uis tanquam deus peccatoribus esse terrori, regibus reuerẽtiæ,
ut tanquam deo tibi uideantur esse subiecti, quia operaris in dei nomine: cõtemne quæ
seculi sunt, & dominicæ passionis opprobrium cõtende omnibus præferre diuitijs. Op
probrium dico quod illis uideatur opprobrium, hoc est Iudæis scandalum, Gentib. stul 1. Cor. 1
titia, nobis autem uirtus dei atq; sapientia. Sed hoc Pharao opprobrium putans, hoc est
inopiam, ignobilitatem, contumelias, maluit diaboli esse quam dei portio: & ideo qui
deo subiectus esse nolebat, intercessioni hominis ipse se subiecit. Ergo quia portio Dei
erat sanctus propheta Dauid, rectè ait: Dixi custodire legem tuam. Spiritualem utique
legem dicit, sicut & Paulus ostendit. Nam qui corporaliter legem interpretati sunt, non
custodiunt legem, sed præuaricant. Veniamus ad secundum uersum, qui ita est: De
precabor uultum tuum domine in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium
uum.) Legimus in ueteri Testamento quòd deprecatus sit Moyses ut uultum dei uide Exod. 33
ret, & responsum sit ei: Nemo uidebit faciem meam & uiuet. Mystice hoc primum intel
ligamus. Moyses legis figuram accepit: Lex per occulta mysteria nunciauit Christum,
non facie ad faciem demonstrauit, sicut Euangelium demõstrauit. In ipso enim facie ad
faciem loquebatur, licet in Euangelio homo natus ex uirgine apparuerit: uerbum autẽ
se per opera demonstrauerit. & fortasse hoc declaratum sit Moysi, quod populus Iudęo
rum moriturus esset, & quòd facie ad faciem Christum uidisset, & nõ credidisset. Quod
si ad legem referas, etiam finis legis Christus est, secundum illud Apostolicum: Finis e
nim est Christus secundum legem omni credenti. Et mortua est legis interpretatio cor- Rom. 10
poralis, ubi dominus Christus Iesus spiritualem eius gratiam demonstrauit. Vel certè
quia omnes qui Christum uidimus, & baptizati in Christo sumus, mortui sumus pecca
to, quia uiuentes legis uinculis tenebamur. Vbi autem in Christo mortui sumus, morti
ficati utique sumus legi per corpus Christi, ut simus alterius qui ex mortuis resurrexit.
Sed hoc mysticum est. Morale autem historiæ ueteris facit nos meminisse debere quæ
est de sancto Moyse, qui rogauit deum ut se demonstraret ei, & facie ad faciem eum ui- Exod. 33
deret. Norat utique sanctus uates domini quòd inuisibilem deum facie ad faciem uide
re non posset, sed deuotio sancta mẽsuram supergreditur, & putauit deo etiam hoc esse
possibile, ut corporeis oculis faceret id quod est incorporeum comprehendi. Non re
prehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas, atque inexplebilis, quòd dominum
suum uelut manu tenere, & obtutu oculorum uidere cupiebat. Sciebat enim ad imagi
nem & similitudinem dei factum esse hominem. Quando enim electus à domino deo Gen. 1
est ad populum liberandum, impletus est spiritu sapientiæ. Viderat angelum illum & fa
ciem eius in gloria. Denique fulgente eius lumine pauefactus est, & uidit rubum uri, & Exod. 3
nõ exuri. Visu cepit fulgorem, quem miratus accessit, cupiditate & gratia prouocatus,
ut diligentius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaq; si tantum accepit ardorem, tan
tam subijt cupiditatẽ cum angelum uidisset in flamma ignis de rubo, ut licet pauore ap
prehensus considerare non auderet, cõsiderare tamen uellet: quanto magis uultum do
mini corporaliter uidere desiderabat, dicens intra se: Vultum illum plenum lucis, plenũ Eccli 18
gloriæ, plenum uirtutis, plenum diuinitatis quem esse dicam? Non plus possum dicere
uel sentire de deo. Cum enim consummauerit homo, tunc incipit: & cum finierit, tunc
aporiatur, ut scriptum est, quia incomprehensibilis est dei æterna maiestas. Irritus quidẽ
erat postulationis effectus, sed affectus probabilis serui, qui ultra naturam suam deuo
tione progressus de domini angelis æstimabat, quantum in domini uultu plus desidera
ret quo cupiditatem suam gestiret explere. Nouerat in ipso homine aliam post mortem
futuram gloriam, aliam claritatẽ. Sicut enim stella in claritate est, ita & resurrectio mor- 1. Cor. 15
tuorũ. Quæ & si seminatur in corruptione, surgit tamen in incorruptione, surgit in glo
ria, surgit in uirtute, surgit corpus spiritale. Qui ergo hæc scire poterat, meritò presume
bat ut uultum dei uidere cuperet, quem esset obita corporis morte uisurus. Talem cer
tè etiam formam receperat, talem Dominus iam probabat, ut non distaret ab An

gelis

gelis cœlestis minister & executor oraculi. Et ideo cum sciret quia angeli pusillorũ quo
Matt. 18 tidie uiderent faciem patris qui in cœlis est, putauit quòd iam eam uidere deberet, tan-
quam oblitus corporis, & carne deposita, sicut ille qui in corpore adhuc positus, cum ra-
2. Cor. 22 peretur in paradisum, utrum in corpore siue extra corpus raptus esset ad tertium cœlũ,
nescire se dixit. Sancti enim etiam cum gerunt corpus, non sunt tamen in carne, sed in
spiritu, quoniam qui in cupiditate, & conuersatione sunt carnali, deo placere non pos-
sunt. Sancti autem conuersatione in carne non sunt, sed in cœlo, sicut Paulus ostendit.
Et quid dicamus de probabili desiderio uultus diuini? Homines qui sunt, si quem nobi
lem, si quem fortem, si quem sapientem esse audiunt, tanquam supra hominem arbitran
tes, cõcupiscunt uidere. Procedit imperator, cui ius regiæ datum est potestatis, cui com-
missa pars est orbis terrarum, concurrunt omnes, & in tanta multitudine illum solũ aspi
cere gestiunt, & de fulgore purpurę plus quiddam esse in uultu imperatoris existimant.
Miraris si dei desiderabilis uultus est, cum conformem sui hominẽ humanus omnis mi-
retur affectus? Hinc datur intelligi etiam illud, quod imperatori unusquisq; nullius reus
criminis gestit occurrere. Nam & si crimen habeat conscientia, tegunt illud tamen cor-
dis occulta, dummodo publico non sit inuolutus reatu, nec sit aliquod eius crimen ex-
pressum. Denicq; ubi rei aliqui fuerint aduocati, & imperatori se & ipsis iudicib. offerre
prohibentur, quemadmodum turpes lenonum meretricumq; personæ à conspectu uel
iudicis, uel imperatoris arcentur, ne turpissimorum uisus offendat uultus regij claritā
tem. Qui autem bene sibi conscius est, nullius criminis reus, quasi innocens procedit in
medium. Ex his ergo sancti Moysi comprehendamus affectum. Videre dei uultũ quasi
innocens uolebat, uelut quodam uultu conscientiæ desiderabat aperire ei faciem men-
tis internæ. Cognosci plenius gestiebat & Moyses, & ipse sanctus Dauid, qui alibi ait:
Psalm. 26 Proba me domine, & tenta me. Non enim uellet probari si in se crimen agnosceret, nec
tentari si passionibus grauibus se sciret obnoxiũ. Liber igitur à peccato, deo se cupidus
offerebat. Sed fortasse quia adhuc frequentiorib. dei uisitationibus mundus à uitio non
Exod. 3 foret, nec fuerit in principio perfectus, utpote cui antè paululum dictum erat: Solue cal
ceamentũ pedum tuorum: illud utiq; calceamentũ quod de Aegypto detulerat, hoc est,
Ibid. 33 corporeę conuersationis inuolucrum. ideo dicit ei dominus: Nemo hominum uidebit
faciem meam, & uiuet. Quando dictum sit, considera. Nondum ei dictum erat: Faciam
te in deum regi Pharaoni. Adhuc homo erat: ideo istud ei dicitur. Processũ ei debebatur
ut deus fieret, et ideo dictum est ei. De homine dixit: Desiste hominis habere peccata, et
uidebis faciẽ meam. Qui enim faciem meam uidet, debet esse sine peccato. Sed quia ho
mo sine peccato esse non potest, ideo ut in dei appellatione possit excrescere, cõmone-
tur. Et quid de dei appellatione dicã? Esto angelus, hoc est, diuini minister imperij, ob-
sequere mandatis domini. Cum fueris angelus, uidebis faciem domini. Magnum est ui-
dere dei uultum. Lex tibi dicit ut tertiò te offeras in Hierusalem. Ipse dominus Iesus ait:
Matt. 5 Beati mundo corde: ipsi enim Deum uidebunt. Aduertis quid à te exigatur, ut uideas
Deum, cui uitæ proposita sit prærogatiua uidendi Deum. Emunda igitur cor tuum, ut
quasi nouus creeris renouato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abijce,
nihil sit quo tuus inquinetur affectus: simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus se domi-
nus cum inuolucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur. Nunc de reliqua ip-
sius uersus parte dicamus. Miserere (inquit) mei secundum uerbũ tuum. Misericor-
dia quidem iustitiæ portio est, ut si uelis donare pauperibus, hæc misericordia iustitiæ
Psal. 111 est, secundum illud: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Dein-
de quia conformis tuus, iniustum est non adiuuetur à socio, quum præsertim dominus
Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum uoluerit esse communem,
& fructus omnium ministrare: sed auaritia possessionum iura distribuit. Iustum est igi-
tur, ut si aliquid tibi priuatim uindicas, quod generi humano, immò omnibus anima-
tibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus adspergas: ut quibus
iuris tui consortium debes, his alimenta non deneges. Est etiam misericordiæ donare
peccatum: & misericordiæ est, & iustitiæ est. Denique iustitiæ ascribit scriptura diui-
Sap. 14 na ueniam peccatorum, secundum illud quod hodie lectum est: Benedictum lignum
quod fit per iustitiam, maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum.

Superius

Superius ad crucem domini retulit, posterius ad errorem gentilium, qui ligna ueneran
tur. Iustitia autem quæ est crucis, nisi quod ascendens illud patibulum dominus Iesus
Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum
suo cruore mundauit? In quo ergo iustus deus, nisi in eo quia sciuit quod de limo terræ Gen. 1
hominem figurauit, quæ terra utique corruptelæ obnoxia est, ac uitio lubricæ passio-
nis? Propterea ergo dominus qui secundum animam te ad imaginem & similitudi-
nem sui fecit, hoc est, rationalem, iustum, pudicum, (In eo enim ad imaginem dei es,
si sis iustus, ut sis imago iustitiæ: si sis castus, ut immaculata in te figura præfulgeat.) Sci-
ens ergo secundum corporis fragilitatem corruptelæ patere hominem, quasi iustus fra
gili lubricæque naturæ delicta concesserit. Ac ne forte dicat aliquis, cur ergo Adam
maledicto sentētiæq; subiacuit? nunquid iniustus deus? Non utiq; sed quia quasi fragi-
li atq; infirmo quid caueret ante præscripsit, (infirmus enim non usurpare debet, sed
obedire mandatis) ideo præuaricationis reum tenuit, quem prolapsioni addixit. In illū
igitur iusta seueritatis processit sententia, quia scire uoluit quod scire non profuit. No-
bis autem qui hæreditario uinculo tenemur astricti, qui in hac carne sumus, quæ priorū
præiudicio detrita iam atq; assuefacta peccatis nō poterat emergere, quasi iustus indul-
sit. Iuste enim ignouit hæredi qui præiudicio laborat authoris. Est ergo iusta misericor-
dia, est etiam iniusta misericordia. Deniq; in lege scriptum est de quodam: Non misere- Deut. 19
beris illius. Et in libris Regnorum legis, quia Saul postea contraxit offensam, quia mise 1. Reg. 15
ratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. Vt si quis la-
tronis filijs deprecantibus motus, & lachrymis coniugis eius inflexus, absoluendum pu
tet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus: nónne innocentes tradit exitio, qui multorū
liberat exitia cogitantem? Certe si gladium reprimit, uincula dissoluit, cur laxat exilio?
Cur latrocinandi qua potest clementiore uia non eripit facultatem, qui uoluntatem ex-
torquere non potuit? Deniq; inter duos, hoc est, accusatorem & reum pari periculo de
capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore conuictus,
non id quod iustitiæ est iudex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem: aut
dum accusatori fauet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc
dici iusta misericordia. In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quàm maxime
debet forma iustitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, breui lachrymula at-
que ad tempus parata, uel etiam uberioribus fletibus communionē quam plurimis de-
bet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nónne cum uni indulget in
digno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim uenię, incē
tiuū tribuit delinquēti. Hoc ideo dictum est, ut sciamus secundum uerbum dei, secundū
rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis inte-
rius inueniat uulneris cicatricem, cum debeat resecare ulceris uitium, ne latius serpat, ta
men à secandi urendiq; proposito lachrymis inflexus ægroti, medicamētis tegat quod
ferro aperiendū fuit: nōne ista inutilis misericordia est, si propter breuē incisionis uel ex
ustionis dolorē corpus omne tabescat, uitæ usus intereat? Recte ergo & sacerdos uul-
nus, ne latius serpat, à toto corpore Ecclesię quasi bonus medicus debet abscindere, &
prodere uirus criminis quod latet, non fouere: ne dum unum excludendum non pu-
tat, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia. Iure ergo Apostolus diuino nos
hortatur exemplo, dicens: Vide ergo bonitatem & seueritatem dei: in eos quidem qui Rom. 11
ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. ostendens
Iudæorum populum iure esse à corpore Ecclesiæ separatum, ne perfidiæ uirus conta-
minaret Ecclesiam: Populum autem gentium bonitate domini receptum, & obedien-
tiæ munere gloriari. Iure igitur huic diuina pietas suffragatur, quandiu in diuina boni-
tate permaneat. Si uerò & ipse desciscat, pro criminis sui qualitate damnabitur. Qua
gratia dominus & lux & ignis esse describitur, ut in tenebris ambulanti luceat qua-
si lumen, ne diutius possit errare qui quærit luminis claritatem. Ei autem qui mul-
ta fuerit operatus quæ manere non debeant, sed ardere, ignis est dominus, ut ope-
ris nostri fœnum stipulámque consumat, atque utili nos faciat saluos detrimento, si-
cut aurum quod dum excoquitur, plus probatur. Fortasse dicat aliquis, qua ratio-
ne scripserit Propheta: Miserere mei secundum uerbum tuum? Verbum enim dei iu-
stitia

ſtitia eſt. Si igitur iuſtitia fretus erat, cur miſericordiam ante præmiſit? Aut ſi miſericordiam requirebat, cur eam ad menſuram iuſtitiæ putauit eſſe poſcendam? Qui enim bene agit, & bene uiuit, opus non habet miſericordia, quia miſericordia à peccato liberat. Denique non diuitibus, non fortibus & felicitate ſubnixis miſericordia conferri conſueuit à nobis, ſed egentibus uel debilibus, uel iis qui ex diuitijs in paupertatẽ aut captiuitatem, aut neceſſitatem aliquam deciderũt. Ergo qui eget miſericordia, peccator eſt: qui autẽ peccator non eſt, utique iuſtus eſt, & non eget miſericordia dei. Secundũ quid igitur unuſquiſque, hoc eſt ſecundum quem ſtatũ egeat miſericordia, aut iuſtitiam habeat, conſiderandum eſt. Aliter enim eget iuſtitia dei angelus, aliter homo. Aliter eget miſericordia archangelus, aliter homo. Angelica enim natura non utique ita corruptelæ obnoxia eſt, ut natura generis humani: & ideo illa eget miſericordia dei, ne poſſit errare, & auerſa à ſe dei gratia labatur in uitiũ. Homo autem & ſi iam firmiore proposito eſt, tamen propter contractorum ſeriem peccatorum, miſericordiã dei quærit. Itaque & ſi uteretur miſericordia dei indiget, aliter tamen angelo miſericordia, aliter homini debetur. Leue enim uitium in angelo iudicio grauiore cenſetur. Peccatum quoque adoleſcentiæ in homine, mitiore ſententia quàm peccatum ſenectutis aſtringitur, & citius relaxatur. Prophe
ta igitur in iſto uerſiculo diuidit cauſas, ut & miſericordiã quaſi homo poſtulet, quia nemo ſine ſorde peccati: & iuſtitiam quaſi propheta depoſcat: uel certe quoniã licet peccauerit ſicut homo, & quaſi peccator miſericordia egeat, tamen correxit errorẽ, pœnitentiã geſſit, abſtinuit à temulentia delinquendi, ſobrietate uirtutis. Petit ergo iuſtitiam ſecundum uerbum dei, quia uerbi dei ſententia eſt, ut conuerſis uenia donetur, ſi legitime eſt facta conuerſio. Cogitaui uias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Diuiduus ſenſus, aut quia uias ſuperiores meas cogitaui plenas lapſus atque peccati, & ideo ut remiſſionem peccatorum poſſim mereri, morum conuerſione, ſtudioque uirtutis
Matt. 18 auerti pedes meos in teſtimonia tua, ut non iam meis greſſibus, quibus ante ſum lapſus, ſed teſtimoniorum tuorum itineribus ambularem, quo tuorũ ſemitæ mandatorum me errare non ſinerent, nec ueſtigium in deuia & tortuoſa deflecterem. Frequenter enim ignorantes iter, ſi ſtrata uiarum ſequantur, perueniunt quo deſiderant peruenire, & carẽt erroris anfractu. Sinautem uſurpent ſcire quod neſciunt, & putent aliqua ſequenda cõpendia, à publici tractu itineris recedentes, erroris labyrinthos frequenter incurrunt, ut eos de itinere deflexiſſe pœniteat: & ideo poſt multa laborum diſpendia ad iter quod reliquerant redire cõtendũt. Hic ergo ſenſus unus eſt: alius autẽ ita. Cogitaui uias meas, non ſuperiores, ſed futuras, ut ante meos actus cogitationibus præuenirẽ, ne inconſulta operatiõe progreſſus, aliquid in ipſis coactioníb. offenſiõis inciderẽ: ut ſi agere aliquid uelim, antè cogitem utrum agendum ſit illud quod deſidero, aut quo agendũ modo: ſimiliter ſi alloquendũ, utrum alloquí debeam, deinde publice an ſecreto loqui, præſentibus aliquibus, aut nullis: ſicut illud eſt, ut ſi uelis fratrẽ corripere, primo ſolus corripias, ſecundo præſentibus duobus aut tribus teſtibus, tertio, ſi nõ audierit, corã eccleſia. Itaque ſi prætermiſſo ordine uelis coram eccleſia fratrem increpare, quem ante monere debueEccl. 33 ras, erratum ipſe cognoſcis. Omnia igitur cum cogitatione facito, ut non te pœniteat aperti oris tui. An uero ſi uiam ingreſſus, cum ueneris ad compitum aliquod (ita enim appellatur plurimarum uelut quidam concurſus uiarum) ſi neſcias quod iter ingredi debeas, ſtas tamẽ & cogitas ipſe tecum utrum primam, an ſecũdam, an tertiam, an quartã, uel certe quintam, ſi ita eſt, uiam eligas quam ſequaris, nec putas prius adoriẽdum iter, quàm animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris. Stas igitur cogitãs quę ſit uia quæ in ciuitatẽ ducat, ad quã tibi putas eſſe pergendũ. Quãto igitur magis animo debes ac mente conſiſtere qui ad regnũ cœleſte contẽdis, & cogitare tecum, quia nõ omnis uia illò ducit, non omnis uia illò dirigit ad Hieruſalẽ illam quæ in cœlo eſt? Sũt uię quę malos exitus habẽt, quas diaboli tẽtamẽta triuerũt: & ideo exitus earũ, exitus mortis ſunt. Hæ nẽpe ſunt uiæ de quibus legiſti in Prouerbijs, quia ſunt uiæ quæ uidentur ui-
Prou. 14 ro rectæ eſſe, ultima autẽ earum aſpiciunt in profundũ inferni. Eſt autem uia anguſtior
Matt. 7 illa quæ ducit ad dei regnũ. Volens ergo eam ingredi uiam quæ ad deum ducit, non circunſpicies, non tecũ ipſe tractabis, non cõſiderabis ne facili capiaris affectu, ſi uiæ latitudine prouocatus ingrediaris iter quod ad inferna deducat? Cogita ergo antè atque perpẽ de

de quid facias. Qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscendū eam, iam adulterauit eā in corde suo. Hic utiq; cogitauit ut uideret mulierē, ut uideret ad concupiscendū: sed mala hæc cogitatio relinquat uias suas. Alius non cogitauit quidem, sed subitò aspexit, & captus est, & uidit, & cōcupiuit, & ideo lapsus est. Quod si fragilem suū considerasset af- fectum, & antè timuisset ne cū uidisset mulierem mente, caperetur animo, utiq; non pro aspexisset ad mulierē, ne concupisceret eam. Vidēs ergo mulierē non direxit pedē suum in testimonia domini: qui si ante lapsum suum cogitare potuisset, forsitan direxisset. V- nusquisq; ergo prius cogitet quomodo uideat mulierem, ut non uideat ad concupiscen dum eam, aut non attēdat eam. Si autem uidens repente, uel bona cogitatione fundatus dirigat pedē suum ad testimonia domini, ne in captiuitate permaneat: utiq; ei profuit co gitatio. Postremo amans mulierem, si auerterit non tantum pedem, sed & mentē, ut dili gens concupiscens Christum consideret iudiciū eius, testimonia eius de præmijs castita tis, & relinquat uias concupiscentię, sequatur uias Christi: & habebit laudem in eis, si cō templatus dominum Iesum contemnat carnis ardorē, flāmamq; libidinis, quasi quodam fonte extinguat, allidat teneras & infirmas cupiditates ad petram Christi. Cogitet ergo, ut eadem repetā, quemadmodū uideat, quēadmodum loquatur. Bene cogitauit qui di- xit: Pone domine custodiā ori meo: ne forte dum mēs inflāmat ardorem, lingua sermo- ne labatur, aut multiloquio incauto etiam quod mens non cogitauit, incurrat loquēdi facilitate: cogitet quēadmodū pedem suum dirigat, manum ad se ferat, ne impetu indig nationis impulsus, cū repellere debeat iniuriam, ipse alteri ictum notabilis cædis illidat. Cogitandū est igitur quid geramus. Vbi enim præcedit cogitatio, maturitas operatio- nis adhibetur. Itaq; pes iste, fidei uestigiū est, quē meditatione perpēsa à corporalib. mo ribus ad testimonia diuina deflexit. Quid igitur prosit cogitare ante, quod postea factu rus sis: docet uersiculus qui sequitur. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.] Vbi cogitatione quis præuenit quod acturus est, semper paratus ad agē dum est, semper fixus, & ualidus, ut nō queat subita aliqua accidentiū offensione turba- ri. Nulla eum flabra scopulosæ nimis ambitionis excutiūt, nulla procella atq; tempestas iniustæ inuasionis exagitat, nō petulantis oculus meretricis illaqueat. Oculus enim me retricis, laqueus amatoris est. In aliena miser capitur possessiōe qui improuiso igne pre- uentus, possessionem suæ mentis amittit. Si persecutio ingruit, inuenit iam paratum, ut ubi possit esse perturbatio salutis incertę, ibi sperata sacri corona certaminis, prouida fu turi meditatione demulceat. Sed maledictis obtrectatorum frequenter obroditur. Co- gitet quia non est discipulus super magistrum, neq; seruus supra dominum. Si supra dei filium opprobria exprobrantium nephanda ceciderunt, quemadmodum seruus exor- tem eorum sperare se poterit? Ideoq; mentem suam præparare debet, ut cum ista accide rint, turbare se non queant. Præparet animum, & meditatione componat, ut possit dice re, si tamen possit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fa- mes, &c. Quare autem non separetur adiecit, Sed in his omnibus superamus, inquit, & uincimus propter eum qui dilexit nos. Meritoq; confirmatus ait: Confido enim quia ne que mors, neq; uita, neq; angeli, neq; potestates, neq; præsentia, neq; futura separare nos poterunt à charitate dei, quæ est in Christo Iesu. Multa Apostolus dixit contra quæ lu- cta nobis est, sed alia facilia sunt, uel certe non huius temporis aut loci, ut discutere om- nia debeamus quæ sint quæ nos separare possint à charitate dei, nisi diligentius resista- mus. Illud nunc quod uidetur obscurius non prætermittimus, quia ait: Neq; altitudo, ne que profundum: quæ sunt grauia tentamenta. Deniq; habes in Esaia scriptum ad regem Achaz: Pete tibi signum à domino in profundum, aut in altum. Respondit ille, Non pe tam, & neq; tentabo dominum. Mysticum illi propositum est, sed non intellexit, & ueri tus est ne tentare dominum uideretur si signum peteret in altum, aut in profundum. Do minus autem uolens grauia tentamenta remedio supplantare diuino, ait: Ecce uirgo cō cipiet in utero. Hoc est magnū signum, quod altitudinis & profundi tentamēta destru- xit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, neq; quæ sua sunt requisiuit, sed formā serui accepit, humiliauit se usq; ad mortem. Itaq; neq; elatus est potestate, neq; mortis quadam deiectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur re- gi, ut petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec

Ibid. 5

Psal. 36

Psal. 140

Matt. 10

Rom. 8

Ibid.

Esa. 7

Philipp. 2

certe ærumnæ alicuius exceptione perturbaretur, ut erat corde turbatus cum bellum sibi uideret à Syrijs inferri. Diuini igitur exemplo oraculi uolumus ostendere quæ essent hæc grauia tentamenta, quibus remedium solus potuit Christus afferre. Veruntamẽ & prophetico sermone facile est docere sarcinam quandã horum tentamentorũ. Hæc enim tentamenta duo maxima sanctus Salomon oratione propria declarauit, & rogauit, ut
Prouer. 30 posset excludere dicẽs: Diuitias autẽ & paupertatẽ ne dederis mihi, sed ordina mihi quæ opus sunt, & quæ abundent: ne repletus mendax fiam, & dicã, Quis me uidet? Aut pauper rapiam, & periurẽ nomen domini. Potes igitur tu ista tentamenta contemnere, quæ formidauit Salomon, qui sapientiã postulauit & meruit? Diues erat, timuit extolli: pauper fieri formidauit, ne paupertatis necessitate abstinentiæ gratiam non teneret. Quam multi qui uidebantur sancti esse, ceciderũt ab altitudine cordis sui? Quàm multi aliqua necessitate deiecti nõ potuerunt contenti esse iniuria, qui fuerãt uirtutũ exercitio roborati? Rarus Iob inuenit in terris, qui & diuitias amisit & filios, & uibicibus corporis exarabatur, cum uermes toto corpore fluerent: à Christi tamẽ charitate nõ potuit separari. Paremus igitur affectum nostrũ, ne imparatũ uis repẽtina perturbet. Denicp sciens dñs cito nos frangi solere, ait etiam Apostolis: Non turbetur cor uestrum, necp formidet. Si te cupiditas appetentiacp tentauerit, lege Euãgelium, dicat tibi Iesus: Non turbetur cor
Ioan. 14 tuum. Si quis terror ingruerit, dicat tibi Christus: Nõ turbetur cor tuum, necp formidet.
Roma. 8 Si qua supplicia persecutor inflixerit, lege Euangelium, dicat tibi Iesus: Non turbetur cor tuum, necp formidet. Lege Apostolum dicentem: Indignæ enim passiones sunt huius tẽporis ad superuenturam gloriam. Si in mari nauigãti grauis fluctus insurgat, tempestas
Mar. 6 atra desæuiat, tibi dicat Iesus: Ego sum, noli turbari. Veniens igitur in certamen aliquod magnum & graue, dic prius: Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Et quid de secularibus dicamus? Esto paratus non solum aduersus ea quæ uides, sed
2. Cor. 7 etiam aduersus ea quæ non uides. Foris, inquit, pugnæ, intus timores. In teipso tibi bellum est, bonum est ut in tranquillitate sit animus tuus, & in quadam serenitate. Sed gubernator ille melior est, qui in tempestate nauim gubernat. Rege igitur teipsum, quando turbatur animus, mẽs fluctuat. Laudauerim uirtutẽ gubernatoris qui nullas procellas senserit, & cursum nauigij direxerit nulla tempestate iactatus? Sed illũ laudauerim, qui aduersus uentos renititur, insurgit aduersus fluctus, non timet uel cum eleuatur undis nauigium, uel cum ad profundi ima deponitur. Ita & ille laudandus est gubernator sui qui ea quæ aduersa sunt, uincit patiẽtia, uirtute superat, secundis non extollitur, aduersis nõ frangitur. Bellum tibi est etiam aduersus nequitias spirituales. Aduertis cum quantis tibi est prælium? Et ideo meditare, & statue animo, ut procedens ad prælia dicas: Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.] Hoc est, funibus me circundederunt peccatores, ut mea implicarent uestigia, ne possim incursus eorum præuidẽdi celeritate eui-
Psal. 15 tare. Nõ ergo illi funes sunt de quibus scriptũ est: Funes ceciderũt mihi in præclaris. Siquidem funes illi quibus utunt qui terminos metiũtur agrorũ, limitescp distinguũt, & possessionũ spatia disterminãt. Tendũtur ergo illi funes quoad possessio uniuscuiuscp distinguitur.
Esa. 5 Sic factus est funiculus hæreditatis suæ Israel. Boni ergo illi funes. Isti aũt funes qui
iuxta 70 bus trahuntur peccata, ut fune longo, & ut loro iugi uitula iniquitates. Vitula em̃ indomita plus se iactat & excutit cum tenetur, nec acquiescit imperio, nec adstringitur iugulo, sed magis cum loro retrahitur, exasperatur. Itacp nec coacta se subijcit, nec tamen libera uinculorum est. Sicut ergo trahit uitula lorum iugi, quæ etsi nõ tenet è proximo, tenetur tamen, nec se explicat, & absoluit: ita trahit unusquisqp peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectuscp iudicio: & nescit quod non sit exutus, sed magis ut illa uitula & ipse se implicat suorũ nexibus peccatorum. Hi sunt ergo funes delictorum nostrorũ, quibus inuoluimur & ligamur: quẽadmodum sunt & uincula delictorũ. Et ideo saluator, qui habet in potestate peccatum dimittere, dicit ijs qui sunt in uinculis: Exite. Vtinam & mihi dicat: Exi de uinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum: Solue funes erroris tui, quibus circundatus & ligatus es. Etsi enim nequissimus sim omnium, & detestabilis sim usu peccatorum, illo tamẽ iubente liber ero, qui sub uno momento latrocinij damnatum reum supplicio eripuit, consti-

constituitq; in regno suo. Sunt ergo uincula quibus constringimur, etsi uideamur nobis liberi. Beatus qui hæc soluit sibi uincula. Et ideo Dauid ait: Dirumpamus uincula eorũ, & abiiciamus à nobis iugum ipsorum. Nõ manu utiq; uisibili uincula dicit esse rumpenda, sed inuisibiles criminum nexus morum conuersione & fidei professione soluendos. Aut manu, hoc est, opera manus tuæ eroga pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos: & soluisti uincula tua. Eleemosyna enim à peccato liberat. Eripe eũ qui ducitur ad mortem: hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu imperator eripe subscriptione indulgentiæ: et soluisti peccata tua, exuisti te à uinculis. Vinculis enim peccatorũ suorum unusquisq; constringitur, sicut ipse legisti. Ligat nos uinculis carnis illecebra. Vinculum nostrum auaritia est, uinculum nostrum ebrietas est, uinculum nostrum concupiscentia est, uinculum nostrũ superbia est. Sunt & diaboli uincula. Denicq; scriptum est: Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligauit sathanas decem & octo annis. Ligat nos diabolus criminum nexu, ligat nos uinculo fornicationis, uinculo adulterij, uinculo perfidiæ, qua Christus negatur: uinculo inuidiæ, qua frequenter etiam frater appetitur: uinculo crudelitatis, qua nonnunquam socius & conformis occiditur. Hęc sunt uincula quibus ligatus unusquisq; inclinatur, ut animam suam leuare non possit: nec obtutus ad cœlum mentis erigere, nisi ei dicat dominus: Dimissus es ab infirmitate tua, & munere eum suæ benedictionis erexerit. Hæc sunt sceleratorum uincula, quæ durè peccatores ligant: hoc est, diabolus & ministri eius: uel certè Nemroth, hoc est amaritudo: uel certè Esau, hoc est, terrenus & callidus. Isti enim uenatores erant, qui feras laqueis captare consueuerunt, & muta animantia uinculis illigare. Inutiles uenatores, qui capiant bestias, quæ in pompam spectaculo populari præbeant ministerium crudelitati. Denicq; nullum inuenimus diuinarum in serie scripturarum de uenatoribus iustum. At uerò alia uincula sunt, ut dixi, domini Iesu, quem sequuntur, inquit, alligati uinculis: hoc est, uinculis adstricti charitatis, & amoris, fidei uinculis alligati. Licet sic possit intelligi: Alliga uinculis Christum sequuntur: hoc est, peccatorum & criminum remissorem, fontẽ indulgentiarum, redemptionis autorem. Sequamur ergo uincula Christi, fugiamus uincula uenatorum: ne dum incidimus, dum ignoramus, laqueos eorum pes nostræ mẽtis incurrat: ne animæ nostræ ceruicem nexibus inseramus. Insidiantur enim quasi pessimi uenatores: & quando prosperorum euentu animum relaxamus, ac secundis rebus remitti mus, nec excubias cautionis habemus intentas, tũc plus iactant laqueos suos, aut in uia qua ambulamus abscondũt, ut cum fuerint eorum laqueis innexa uestigia, trahant quo securum supplantent uiantem, uel collo adstricto strangulant commeantes. Noli ergo alta ambulare ceruice, sicut filię Iudæ. Altis enim ceruicibus cito laqueus innodat. Noli ad seculária mentem animumq; defigere, sed circumspice oculis animæ diligenter: quia pluit dominus laqueos super peccatores: ne cadentes illigare te possit: quos poteris euitare, si legem domini non obliuiscaris. Etenim etiam qui ligatus est, si sibi sit conscius libertatis, obliuiscí libertatẽ suam non desinit, et causam nonnunq; dicit è uinculis, eamq; sibi legum præscripto defendit, ac iudicio frequenter absoluit. Ergo & tu si peccaueris, memor esto legis. Si peccaueris, memor esto Christi, qui te liberat, dicens: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Ipsum diebus ac noctibus tene, ipsi tua confitere peccata. Docet te propheta quomodo teneas dominum Iesum. Media nocte, inquit, surgebam ad confitendũ tibi super iudicia iustitiæ tuæ.] Non satis est dies ad deprecandũ, surgendũ est & nocte & media nocte. Ipse dñs pernoctauit in oratione, ut te proprio ad deprecandum inuitaret exemplo: & utiq; peccatis tuis ille indulgentiã postulabat. Postulabat à patre, operabatur propria uoluntate. Non tibi dicit propheta, ut tantummodo media nocte surgas, sed ut surgas nocte, & maximè nocte media. Nocte enim surgendum antè præmisit, dicẽs: Memor fui in nocte nominis tui domine. Potest unusquisq; memor esse, & non surgere: potest unusquisq; & surgere, & cum surrexerit, ea quæ proprio arbitrio sederint, postulare. Addidit, Media nocte surgebam, docens te surgendum esse media nocte. Nec ociosum est quod adiunxit: Ad confitendum tibi, hoc est, ut illo maximè tempore deprecari deum, & propria debeamus deflere peccata: nec solum præteritis ueniam postulare, sed etiam præsentia declinare, futura cauere. Multa enim illo in tempore tentamenta proserpunt. Tunc feruet carnis illecebra,

Psal. 2

Tob. 4

Prou. 24

Ibid. 5

Luc. 13

Ibid.

Psal. 16

Esa. 43

Luc. 6

tunc tentator illudit. Coquitur cibus, potusq; digeritur. Stomachus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaq; aut quiescenti calor soporis augetur, aut uigilanti nondum plenior refusus est uigor, qui errorum cauere possit incursus. Tunc igitur tentator assistit, tunc retia iacit quibus turbare possit mentem improuidam. Tunc spirituales nequitiæ tenebras offundunt, tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc uarias disceptationes pectori dormitantis infundunt, ut primo de statu mentis deiiciant reluctantem, & aliquorum qui sancti habentur, proponatur exemplum, quod illi aliquando deliquerint, sed postea ueniam sint adepti, & texerint superiora delicta. Nam & si omnē emendationem nostri inimicus exosus sit, tamen ad tempus, ut sobrię mentis uirum possit eludere, prætendit futuram indulgentiam, ut præsentia peccata persuadeat: & cum impulerit aliquem ad erroris assensum, si uiderit eum iam non amore uirtutis à culpa, sed pœ-

Eccl. 23 næ contemplatione reuocari, inserit uarias disceptationes, ut dicat sibi: Quis me uidet? Et tenebræ circundant me, & parietes: quem uereor? Non uidet altissimus, non ad eum peccata nostra perueniunt, non dignatur spectare quæ turpia sunt. Hæc utiq; usu exemplóque cognoscimus. Nemo enim potest esse expers tentationis. Itaq; ut tempus habile hoc tentamentis, ita etiam tempus est pœnę: quod ex lectione diuina possumus edoceri. Non enim ociose dominus deus noster cum posset quocunque momento primitiua Aegyptiorum extinguere, hoc tamen tempus dolori & luctui peccatoris opportunius

Exod. 12 iudicauit. Sic enim scriptum est: Quia media nocte primogeniti Aegyptiorum liberi ab exterminatore sint interempti. Ideoq; sanctus Moyses propheta, ut hoc prœueniret tempus, ac sine Hebræorum fraude transiret, agnū ante immolauit, hoc est uesperi, ut manducantes eum, & pascha domini celebrantes, non occuparētur exterminatoris insidijs, ne inermes & uacuos spiritualis alimēti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerēt. Hæc diligenter intende, prudenter intellige, solicitè require. Non perfunctorie ista discuntur, sed diuina tibi mysteria declarantur. Prœueni & tu insidias tentatoris, instaura prius cœleste conuiuium. Indictum est ieiunium, caue ne negligas. Et si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet ieiunium, tamē cœlesti magis te seruato conuiuio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis uacuus sacramētis. Differ aliquantulum, non longè finis est diei: imò plerique sunt eiusmodi dies, ut statim meridianis horis adueniendum sit in ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio diuinę recōciliationis, & protectionis æternæ. Suscipe ante dominum Iesum tuę mentis hospitio. Vbi corpus eius, ibi Christus est. Cum hospitium tuum aduersarius uiderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligens locum tentamentis suis intercluſum esse per Christum, fugiet ac recedet, & tu mediam noctem sine ulla offensiōe transibis. Admonet etiam sacrificium uespertinum, ut nunquam Christum obliuiscaris. Non potest obliuiſci, cum lectū ascendes eius domini cui in occasum precē fuderis diei, qui esurientē te sui corporis epulis expleuerit. Etenim quod uesperi cogitaueris, cito cum euigilaueris recēsebis. Excitabit te ipse dominus Iesus, admonebit ut surgas, & eo tempore arma orationis assumas, quo solet incursare ten-

Act. 16 tator. Vnde non ocioſe Paulus apostolus & Silas trusi in carcerem, cum in neruo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis uestigio, exorabant dominum, & laudis sacrificium deferebant. Ideoq; ubi non defuit deuotionis officium, affuit etiam solutionis remedium. Subitò enim media nocte terræmotus factus est grandis, ita ut mota sint fundamēta carceris, ualuæ apertæ, omniū uincula soluta sint. Audis quemadmodū si ligatus fueris, quibus manibus, quibus operib. ipse te soluas, quemadmodū custodes timere non possis? Surge igitur ad precandum. Ea hora est, qua tentator nocere cōsueuit, & nequitia cōsueuit irruere. Ea hora est, qua solet aduersus tentationes graues remedium uenire cœleste. Excubandū tibi est, ne qua fraude uincaris: prouidendū ut eo tempore quo potes uincere, nequa quā uincendi tēpus amittas. Et quia orationē subeundā media nocte diximus, non minus etiam de eiusmodi hora diei dicendū uidet, contraria enim diei nox est. Quid enim luci commune cum tenebris? Et ideo aduersa sibi eadem

2. Cor. 6 nocturna est diurnę. Sicut enim media nocte primitiua Aegyptiorum tentator occidit, & ex

& ex eo cognoscitur quod ea maxime hora operetur aduersarius: ita è contrario quòd meridiano tẽpore uirtus diuinę lucis operetur. Vnde & Abrahã circa meridiem sobrias tendebat excubias, & boni aliquos expectabat euentus, leuans oculos suos, ac finitimà perlustrans, quòd eo tẽpore aduenientẽ gratiam sibi quæreret. Illo igitur tempore, cum duobus angelis suis diuinus ei hospes aduenit, illo tẽpore Christum suscepit hospitio: il lo tempore illa quæ legis, & intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis de buit fidelẽ uirum illuminare præsentia, quàm quo lux diei plenior refulgeret? Meritoq; etiam sanctus Ioseph receptis fratribus, & accersito iuniore germano, quẽ maximè dili gebat, meridie instaurat conuiuiũ. Erat enim meridies in sancti Ioseph pectore, qñ læ tas epulas fratribus splẽdentis gratię ministrabat, suauissimisq; cibos alloquij diuidebat, ut cum illi pœnam fratris metuerent appetiti & uenditi in seruitutẽ, ille diuino iudicio ipsis diceret esse prouisum, ut in Aegyptũ deduceretur, qui famẽ sustinentibus alimoni am non negaret. Habeamus ergo in nobis meridiem. Meridies est ei cui iustitiæ Sol re fulget, & cuius opere bono, uel cogitationibus innoxijs, & pura mẽte atq; syncera pasci tur Christus. Discę igitur quemadmodum tibi ipsi fias meridies. Reuela, inquit, domino uiam tuam, & spera in eũ, & ipse faciet, & educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudiciũ tuum sicut meridiem. Vbi enim uera est fides, ibi ueri luminis gratia est. Vbi innocentię prolixior custodia, uirtutumq; longa meditatione processus, ibi splendor bonæ conscię tiæ diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mẽtis tuæ epulas exhi bebis, & in diuitijs eius etiam ipse pascęris: ita ut non luminis præmaturus ueri sequatur occasus, nec quidam studijs tuis tenebrosus cito uesper incumbat, & opera bona inter iectus impediat. Quod si tentationum nox aduenerit, non immerito media nocte surgẽ dum, & orandum diu, & protrahenda psalmis tẽpora, donec ueniat dies, & illucescat ti bi Christus. Vide igitur ne & per diem tibi media nox fiat, quo mũdi princeps tenebro sus & squalidus plenitudinem tibi tentationis offundat. Surge igitur, & excita tuam mẽ tem. non dormitat qui custodit te, si te non reperiat dormientem: sed surgit, si & ipse fue rit tuæ animæ uigilijs excitatus: & imperabit uento, & fiet tranquillitas in tuo pectore, quod diuersarum procellarũ turbine fluctuabat. Surgendum igitur nobis est. Solet spõ sus media nocte uenire. Caue ne te dormientem inueniat, caue ne facem tuam nõ queas somnolentus accendere. Surgendum inquam, & domino cõfitendũ est, ut gratias agas. Confitenda etiam eius iudicia æterna, ut quicquid nobis boni accidit, eius iustitiæ depu temus: ac siue diuites sumus, siue salubriter ualemus, iustitiæ dñi deferamus: quia iustus est, ut opus suum tueatur ac seruet, ut quos nudos indotata quadam naturæ sorte in hãc proiecit corporis infirmitatẽ, uigore animi, & misericordiæ suæ dote pauperes uestire dignetur. Quod utiq; omni agendum tempore manifestũ est, ut nec die, nec nocte, nec ullo tempore à gratiarum actione debeamus uacare. Particeps ego sum omnium ti mentiũ te, & custodientium mandata tua.] Habet & Christus participes atq; consortes suos. Deniq; Dauid probat dicens: Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortibus tuis. Habet participes carnis, quia carnẽ suscepit: habet prophetiæ, quia prophetam, in quit, uobis suscitabit dñs deus uester de fratribus uestris: tanquã me, ipsum audietis per omnia quæcunq; loquetur uobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetã illum, exterminabitur de plebe. Ipse est uerus propheta, qui sine alterius munere futura cognoscit: qui ea quæ uentura erant, locutus est in prophetis. An non est propheta, qui facit alios prophetare? Ipse est qui auditur sicut lex, quia & lex est ipsius. Deniq; si Moy sen, inquit, & prophetas non audiunt: nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent. I deoq; populus Iudæorum quia non audiuit hũc prophetam, de plebe exterminatus est, ut populus dei esse desineret, qui ante populus dei dicebatur. Habet consortes baptis mi, quia baptizatus pro nobis est: habet consortes iustitiæ, quia ipse iustitia est, & nobis de suo dedit sui habere consortium: habet cõsortes ueritatis, quia ipse ueritas est, & nos tenere uoluit ueritatem: habet cõsortes resurrectionis, quia ipse est resurrectio: habet cõ sortes immaculatæ uitæ, quia ipse immaculatus est. Et quicunq; in nouitate uitæ ambu lauerit, quicunq; tramitẽ iustitiæ tenuerit, particeps Christi est. Habet etiam tribulatio nis suæ participes: ideoq; qui particeps eius esse cupiebat, dixit: Nũc gaudeo in passioni bus pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt tribulationum Christi in carne mea, pro cor-

Gene. 18

Gene. 43

Psal. 36

Ibid. 120

Psal. 44

Deute. 18

Luc. 16

Coloss. 1

pore eius quod est Ecclesia. Sepulturæ quoq; eius participes sumus. Quisquis enim con-
sepultus est cum ipso per baptismum in mortem, particeps eius est. Ideoq; ipse Apostolus
Hebr. 3 adstruens quam nobis gratiam dederit dominus Iesus, ait: Participes enim Iesu Christi facti sumus. Sed & ille particeps Christi est, qui lugentem mœsto consolatur affectu: qui in carcere constitutum proprio non defraudat officio: qui lecto ægrotantis assidet, non ut capiendæ hæreditatis tendat aucupium, sed ut morbi uim solicito mitiget ministerio, ut sedulo fessum sermone demulceat: qui nudos uestiat, esurientes reficiat. In his
Matt. 25 enim frequenter est Christus, sicut ipse ait: In carcere eram, & uenistis ad me. Nudus eram, & operuistis me. Quod enim uni eorum fecistis, mihi fecistis. Si oderim mendacium, particeps Christi sum: quia ueritas Christus est. Si fugiam iniquitatẽ, particeps Christi sum: quia Christus iustitia est. Beatus qui hoc potest dicere. Sicut enim membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic coniunctum omnibus timentibus deum, qui non dicat alteri, Non es de corpore meo: hoc est, non dicat pauperi diues, nõ ignobili nobilis, nõ ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat, Non estis mihi necessarij. Particeps corporis Christi est, quod est Ecclesia. Sed qui sciat quòd ij qui uidentur in Ecclesia debiles, pauperes, imprudentes, & iam peccatores, abundantiori indigeant honestate, & maiore præsidio fulciendi sint: Qui hoc nouerit, ipse potest dicere: Particeps ego sum omnium timentium te. Qui compatiatur magis huiusmodi hominibus, quàm falsi diat eos: cõpatiatur infirmis, ut sciat quòd unũ corpus omnes sumus, & membris membra connexa, ut alterum sine altero esse non possit: & cum alterum dolet, cõpatiatur alteri. Iste ergo rectè potest usurpare huius uocis authoritatem. Vide autem quàm uerecunde propheta dixerit: Particeps ego sum timentium te. Non dixit imitantium, sed ti-
Eccl. 1 mentium. Initium enim sapientiæ est timor domini. Inter rudes se constituit humilitate, cum ueteranos deuotione superaret. Sed tamen & timere uirtutis est, quia scriptum est:
Psal. 33 Timete dominum sancti eius. Sed quibus timor iste nõ sanctus uideatur: Quia sunt qui ignaua formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu, addidit: Et custodientiũ mandata tua. ut ostenderet se sancti timoris esse consortem. Aut sic: Potest quidẽ timere cordeuotus, sed opere piger, ut sit religiosus affectu, ociosus actu. Non tamen potest piger esse, qui mandata domini custodit. Qui ergo timet, custodit: ergo eius est custodire, qui timeat. Sanctus itaq; hoc dicit: Ego autem hoc mihi usurpare non possum. Quanti enim sunt qui timeant deum, & non illis compatior: Quærunt opem, & ferre nolo misericordiam: indigent sumptu, & non adiuuo. Quisquis autem hęc facit, ipse potest dicere se timentium Christum esse consortem. Misericordia tua domine plena est terra, iusti-
ficationes tuas doce me.] Quomodo misericordia domini plena est terra, nisi per passionem domini nostri Iesu Christi, quam futuram præuidens quasi promissam propheta concelebrat: Prophetis autẽ ea quæ uentura sunt præuidentibus, moris est ut quasi iam decursa memorẽt quæ posterioris ætatis sunt. Plena est ergo terra misericordia domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitię omnibus ortus est,
Malach. 4 omnibus uenit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore eius se ipse fraudauit: sed quod solis est, prærogatiuã suam seruat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit. Super omnes pluuia est, & hoc
Matt. 5 diuinæ misericordiæ deputatur, quia pluit super iustos & iniustos. Aut certè sic interpre-
Psal. 123 tandum, quod misericordiæ diuinæ plena sit terra, quia domini est terra, & plenitudo eius: ipse super maria fundauit eam, & super flumina prępararuit illam. Et enim per Ecclesiã in omnes gentes diffusa est misericordia domini, in omnes gẽtes diffusa est fides. For-
Ephes. 6 tasse dicas, qua ratione non dictum est, Misericordia domini plenum est cœlum: Quia sunt etiam spiritales nequitiæ in cœlestibus, sed non illæ ad commune ius indulgentiæ dei, remissionemq; pertinent peccatorum, quibus ignis seruatur æternus: & illa quę cœlestium uel potestatum uel ministeriorum sunt, licet auxilio Domini fulciantur, tamen non tanta eius indigent misericordia, quanta ea quæ sunt inferiora atq; terrena. Non enim illa carnis inuolucro uestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. Ideoq; in superioribus

perioribus ait idem propheta: Quia deus dedit cœlũ cœli domino, terram autẽ filijs ho- Psal. 113
minum. Vnde & cœlum purius & defecatius ab omni labe peccati est, lõgeq; remotius
ab illo de quo scriptum est: Sicut uolatilia cœli. Hoc enim cœlum uelut medius quidam Matt. 6
inter cœlum & terram aerius locus dicitur, in quo sunt etiam spiritales nequitiæ in cœ-
lestibus. Nam in illo non appellatiuo, sed uero cœlo, etiam si diabolũ legerimus in con- Ephes. 6
spectu dei angelorum non defuisse concilio, puto tamen nulla operari tentamenta ne- Iob 1
quitiæ. Deniq; scriptum est, quia angeli amauerunt filias hominum, eò quòd terrenis ca- Gen. 6
pti detineantur illecebris, princeps mundi istius ac ministri eius, in quibus nequitia spi-
ritalis uenenis quibusdã carnis huius imbuta, & humanis infecta criminibus. Ideoq; do- Matt. 6
minus in Euangelio suo ait: Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Non eadem est il-
lic iniquitas uicinum possessionis finitimo rure depellere, uiduam hæreditatis fraudare
compendijs, minores consortij iure detrudere, intra lignum denicq; & quodcunque ar-
genti atq; auri uel æris metallum uelut effigiem quandam cœlestem includere potesta-
tem. Hæc cum sint maximi plena sacrilegij, in cœlis uacant, in terris frequentantur. Ver Psal. 32
bo domini cœli firmati sunt, non terra firmata est: & ideo iustificationes dei ab ipso Do-
mino uult doceri, quia difficile est in terra magistrum huiusmodi reperire qui ea doceat
quę ipse non uiderit. Ad illum igitur doctorem intimo propheta contendit affectu, qui
solus magister est uerus. Quomodo enim potest homo quasi uerũ docere quod nesciat,
cum ipse sit mẽdax? Meritoq; ait dominus, ut nemo super terram uocet sibi quenquam
magistrum, quia unus est magister omnium. Et quomodo posset Dauid alium doctorẽ
quærere, cum ipse de deo dixerit: Qui docet hominem scientiam? Docet autem Deus, Ibid. 93
& mentes illuminat singulorum, & claritatẽ cognitionis infundit, si tu aperias ostia cor
dis tui, & cœlestis gratiæ recipias claritatem. Quando dubitas, diligenter, inquiras. Qui
enim quærit, inuenit: & ei qui pulsat, aperitur. Multa obscuritas in scripturis propheti- Matt. 7
cis: sed si manu quadam mentis tuæ scripturarum ianuam pulses, & ea quæ sunt occul-
ta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur ti-
bi non ab alio, sed à dei uerbo, de quo legisti in Apocalypsi quòd agnus librum signatũ Apoc. 5
aperuit, quem nullus antè aperire poterat: quia solus dominus Iesus in Euangelio suo
prophetarum ænigmata, & legis mysteria reuelauit: solus scientiæ clauim detulit, & de-
dit aperire nobis. Dicunt se Iudæi habere clauim scientiæ, sed non habent. nam si habe-
rent, ipsi ingrederent, ipsi agnoscerent penetralia scripturarum. Nunc aũt uæ uobis scri- Luc. 11
bæ & pharisæi, qui abstulistis clauim scientię, & ipsi non introistis, & introeuntes prohi-
buistis. Quomodo enim clauim potestis habere scientiæ, qui scientiæ negastis autorẽ?
Et ideo ad ipsum cõuersus Dauid, ait: Tu me, inquit, doce iustificationes tuas, quia tu es
uera iustitia. Tu doce quæ sapienter dicta sunt, quia tu es sapientia. Tu aperi cor meum,
quia aperuisti librum. Tu aperi illud ostium quod in cœlo est, quia ipse es ianua. Per te
si quis introierit, regnum illud possidebit æternum. Per te si quis intrauerit, non decipie
tur: quia falli non potest quicunq; domicilium fuerit ueritatis ingressus.

SERMO IX.

NOna litera Teth incipit, cuius interpretatio est exclusio. Quid est exclusio? ט
Nunquid sicut domo aliquis excluditur, hospitioq; deijcitur, ita qui excludi
tur à dei regno, bonis illius fraudatur, sicut illæ exclusæ sunt uirgines, quę se- Matt. 25
cum oleum non tulerunt: & dum uenit sponsus, extinctę sunt faces earum, atq; emendo
oleo inflammandisq; facibus occupatæ fecerunt moram, & ingresso iam spõso introire
cupientes leguntur exclusæ? Nõ arbitror. Nam quomodo diceret, si bonis sanctus esset
propheta deiectus, atq; exclusus à dei regno: Iucunditatẽ fecisti cũ seruo tuo? Nec pro-
phetæ meritum huiusmodi intellectum uidetur admittere, nec series subditorũ. Audis
dicentem: Suauis es domine, & in iucũditate tua doce me iustificationes tuas. Audis di-
centem: Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti. & potest dicere quòd sit ex
clusus à regno, qui nõ est exclusus à lege? Quid ergo intelligimus? Hæret interpretatio.
Obscuritatem sensus sui sermonis uidetur offundere. Vocant merita prophetæ, uocat
eius gratia, uocat subiectorum series, ut altioris intellectus aliquid debeamus eruere, &
occurrit in interpretatione quòd interdum excludamur in bono. Scriptũ est enim: Per-
fecta charitas timorẽ excludit foras. Et generaliter quidem charitas excludit timorem.

Vt miles qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta non metuit: ut seruus amans dominũ, quamuis per dubia & præcipita mittatur, tamen omnia pericula domini amore contẽnit, ac si quis dominũ petat, seipsum offerre non trepidat: ut qui trans mare positos filios uidere desiderat, non metuit naufragia liberorũ charitate, ingredi maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metũ discriminis leuãt desideria filiorũ. Quàm pulchrè etiam de martyribus dicit, qui uerè militant Christo, qui persecutiões, ungulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt? Timorem etenim quem poterãt habere pœnarum, excluserunt amore martyrij. Hunc sensum autem esse interpretationis huius, etiã de Threnis Hieremiæ possumus approbare. Nam & ibi sub hac litera scriptum est: Bonus est dominus sustinentibus eum, animæ quæ quærit eum. Bonum est sustinere & sperare in salutare dei. Bonũ est uiro cum portauerit iugum graue à iuuentute sua, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugũ graue. Hæc utiq; quid aliud astruunt, nisi bonæ exclusionis hanc interpretationem uideri? Quis enim sustinet dominum, nisi studio charitatis? Quis est qui sperat, nisi qui quod optat & diligit? Quod enim speramus, per patientiam expectamus. Ergo qui sperat, sustinet: qui sustinet, impatientiæ utiq; excludit affectum. Quis est qui portat iugum graue à iuuentute sua, nisi qui delicijs renunciat, luxuriam fugit? Quis est qui singulariter sedet, nisi qui secularibus uoluptatib. abdicatis, molestiarum omniũ excludit tumultus? Iste ergo nil timere poterit, qui charitatis gratia uim timoris absorbuit. Est et alius qui excludatur in bono, ut ille qui Apostolica autoritate sublatus è medio plebis est: & quia malum opus fecit, traditus est in carnis interitũ, ut eius spiritus saluaretur. Ex quo intelligimus, quia in bono excluditur quisquis erubescit agere pœnitentiam ut humilietur, & compungatur corde. Hæc enim reconciliationis solent esse suffragia. Deniq; etiam Hieremiæ scripta sub hac litera uidentur significare. Sic enim legimus de Hierusalẽ illa terrena: Immundicia eius ante pedes eius. Nõ fuit memor nouissimorum suorum, & cecidit inualidè, non est qui consoletur eam. Vide domine humilitatem eius, quia magnificatus est inimicus. Et quia humiliatur Hierusalem, meritò postea ei dicitur: Deficit iniquitas tua, filia Sion. Et omni qui pœnitentiã egerit, lachrymis propris peccata defleuerit, bene dicitur: Defecit iniquitas tua. Alibi quoq; sub hac litera dicit Hieremias: Boni erãt uulnerati gladio, quàm uulnerati fame. Abierunt compuncti à natiuitate agrorum. Compungimur igitur, quando nostrorum agimus pœnitentiam delictorum, compungimur etiam recordatione delictorum. Vnde ait propheta Dauid: Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini. Qui autem cõpungitur, utiq; delectationẽ excludit erroris: & qui agit pœnitentiam, excludit pudorẽ, sequestrat uerecundiã flagitij confitendi, ut recuperandæ spem
2.Reg.12 salutis inueniat. Meritoq; & ipse Dauid ubi cognouit errorẽ: Peccaui, inquit, Domino. Tantus rex, tantus propheta non erubuit peccatum proprium confiteri, & ideo dictum est ei: Et dominus abstulit peccatum tuum. Sublato igitur peccato, ait: Iucunditatem feci cum seruo tuo domine, secundum uerbum tuum.] Multa uidentur in hoc seculo iucunda esse, quæ non sunt: multa suauia, bona plurima. Luxuries uidetur esse iucunda, sed exhausto fit amara patrimonio. Dulcis libido cum feruet, sed eadem horrida & execranda cum proditur. Suaues epulæ cum sumunt, sed fœtidæ cum digerunt. Bona multa in hoc seculo, dum uiuimus æstimant, quia usui nobis sunt, ut pecunia, honor, aurum, argentum, possessiones: eadem nihil possunt prodesse defunctis, hic omnia relinquunt. Quinetiam maiori dolore quis moritur, cum his se fraudari copijs ingemiscit. Nõ est ergo iucunditas uera, nisi illa quæ secundum uerbum dei est, ut quis bonorũ meritorũ atq; uirtutũ subsidijs gaudeat esse munitũ. Hac Dauid iucunditate uel bonitate dei lætatur, quia iugum graue à iuuentute portauit & sustinuit, atq; expectauit domini in se gratiã, non præripuit, qui sæpe occidendi regis Saul tributa sibi copia, maluit tamen expectare à domino deferendi tempus imperij, quàm occiso rege præripere. Semper deus bonus est: ideoq; & Paulus ait: Vide ergo bonitatem & seueritatem dei. Bonitas enim in
Rom. 11 omnes est, seueritas in paucos. Deniq; subdidit idem Apostolus: In eos qui ceciderunt, seueritatem quidem, in te autem bonitatem. Si enim non cecidissent, utiq; uterentur & ipsi bonitate dei. Nam & tibi ideo bonus est, quia permanes: quòd si nõ permanseris in bonitate, et tu excideris. Non ergo deus propterea bonus esse desisset quia tu lapsus es,

& indiges

& indiges seueritate. Siquidem est & seueritas dei in bonitate, ut recurrat unusquisq; ca
stigatus, pedem referat à peccatis, & ad uirtutum tramitem, bonamq; conuersationem
recurrat. Denicq; docet & de illis qui ceciderunt, Apostolus: Quia si non permanserint Rom. 11
in incredulitate, inserentur. Potes enim est deus iterum inserere illos. ut quemadmodũ
insertа uirgulta, ita & homines uelut caudicibus quibusdam uirtutis inserti, bonorũ fru
ctus possint ferre meritorũ. Accuses necesse est medicum crudelitatis, quia putrefactas
uulnerum fibras ferro putauerit execandas: quia noxia, & serpentia ulcera igni adusse-
rit, ne uirus in ulteriora proserperet: uel quia magister discipulũ uerberauerit negligen-
tem, ut metu uerberum indueret diligentiam. Castigare enim amantis est, non execran-
tis: & ideo bonitatis est, nõ crudelitatis. Rectè ergo & dominus ubiq; est bonus, & cum
remittit flagitia, & cum peccata castigat. Castigat enim dominus quem diligit. Casti ga- Prouer. 3
tus est etiam Dauid. Denicq; ait: Et fui flagellatus tota die. Sed uir sapiens, qui intellexit Psal. 72
castigationem illam sibi domini profuisse, ait: Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine
secundum uerbum tuum. hoc est, Etsi ad tempus amara uisa est mihi castigatio secundũ
carnem, secundum mœstitiam corporis, tamen secundum uerbum tuum castigatio illa
fructus bonitatis attulit. Illam mihi castigationem intelligo profuisse, illa castigatione
me à uitijs esse reuocatum, illa castigatione non diu aliquid in me licuisse flagitijs, per il
lam castigationem domini nihil in me aduersario licuisse, nil morti. Denique castigans Ibid. 117
castigauit me dominus, & morti non tradidit me, ipse propheta memorauit. Castigatur
enim qui recipitur: qui autem non recipiuntur, non flagellantur. In laboribus enim ho- Ibid. 72
minum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideoq; suprà ait: Quàm bonus Ibidem.
Israel deus rectis corde. Ergo bonus omnibus, quia omnes recto uult esse corde. Qui
autem cor declinauerit, ipse à se gratiam diuinæ bonitatis auertit. Iucunditatem & di
sciplinam & scientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi.] Iuxta Apostolum χρηστὸν, Roma. 11
bonum intelligimus, quia dixit: Vide ergo bonitatem domini. Iuxta Euangelium χρη- Matt. 11
στὸν suaue accipimus. Dixit enim: Tollite iugũ meum, quia leue est: & onus meum, quia
suaue est. Dixit enim, φορτίον ἐμὸν χρηστόν. Vnde meritò bonitatem dei ab ipso quærit do-
ceri, ne forte quis perfunctorie accipiens bonum Deum esse, in erroribus perseueret,
quòd per misericordiam dei sciat impunitatem suis dari peccatis, quum & si indulgeat
dominus, tamen fœda est conuersatio, in criminibus semper hærere. Non ergo boni-
tas ista uulgaris est, sed quæ semper disciplinæ expectet profectum. Ideóque qui intel-
ligit altam dei esse bonitatem, doceri desiderat etiam disciplinam. Nam plerumque a-
uertuntur à studio disciplinæ, dum eam seueram & tristem arbitrantur: sed perspicacior
sensu intelligit quòd disciplina si tristis ad tempus sit, posterioribus fiat iucunda tempo
ribus. Sed est disciplina uel correptio seuerior, est etiam moderatior. Moderatior, de
qua dicit dominus: Corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Est seuerior, quæ est
in ira & furore correptio. Vnde refugiens eam correptionem dicit Dauid: Domine, ne Psal. 6
in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Et Hieremias: Corripe nos do- Hier. 10
mine in iudicio, & non in furore. Omnis ergo disciplina, etsi ad tempus habeat amari- Hebr. 12
tudinem, habeat perturbationem, postea tamen pacificos fructus generare consueuit.
Sed qui petit doceri bonitatem & disciplinam, debet petere etiam scientiam doceri.
Nisi enim habeat scientiam, molesta est disciplina, molesta correptio. Quid sit scien- Sap. 7
tia, doceat te Salomon, qui ait de domino Deo nostro: Ipse enim mihi dedit eorum quę Psal. 93
sunt cognitionem ueram. Et alibi hic idem propheta ait: Qui docet hominem scien-
tiam. Qui autem petit scientiam, credit mandatis dei. Aliud est autem in mandatis dei
credere, aliud mandatis credere. Qui enim mandatis dei credit, cito efficit ut sit in man
datis dei, & in ipsis conuersetur. Per fidem igitur scientia assumitur, per scientiam disci-
plina. Quod enim scimus placere deo posse, in eo nos conuersatio ipsa delectat. De-
nique scriptum est: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Præcessit scientia, sequuta Philip. 3
est conuersatio. De mandatis dei credere, diximus: in mandatis autem dei, hoc est, in
ipsis esse, & credere quia uera mandata sunt. Nisi autem credideris mandatis Dei, eo-
rum utique scientiam, quæ per mandata dei docemur, habere non poteris. Priusquã
humiliarer ego deliqui, propter hoc uerbum tuum ego custodiui.] Alia editio ha-
bet: Priusquam humiliarer, ego nescioui. Vnde putant aliqui quòd anima hominis

hoc

hoc dicat, Priusquam humiliarer, ut in hoc lutum corporis introirem, tua, quæ non legè
ram, mandata nesciui. Sed quia Septuaginta uirorum sententias magis sequitur Eccle-
sia, & hic sensus est planior, & nihil offensionis admittens quod possit aliquibus scrupu
lum commouere: ideo accipiamus humiliarer ita dictum, eò quòd peccato uideatur hu
Gen. 3 miliatus. Propter peccatum enim tentationes sæpe nascũtur. Deniq; Adam & Eua post
culpam utiq; eiecti sunt. Ergo humilitatis nostræ causa peccatum est, uel humiliationis.
Non enim hoc fugio. Potest enim de aduersis plerunq; intelligi humilitas, ut est: Bonũ
mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificatiões tuas. &, Nisi lex tua meditatio mea sit,
tunc forsitan perissem in humilitate mea. &, Humiliatus sum ualde. Hic ergo ostendit hu
militatem ortam esse de culpa. Et quia culpa præcessit, ideo humiliatum se ostendit, hoc
est, attritum tentationibus & aduersis, & traditum anxietatibus: quemadmodum & ille
1. Cor. 5 qui traditus est à Paulo in interitum carnis, humiliatus utiq; est, ut postea posset reconci
liationem mereri. Sed quamuis humilitas ista, hoc est, uelut quædam deiectio pertur
tionis, non uirtutis sit, uirtutem tamen sæpe generat, & fit non pœna, sed remedium de
linquentis. Nam si peccatis tuis tribuas quòd humiliatus es, quicquid acciderit, in te re-
Prou. 18 torques, & ex reo incipies esse iustus, qui te ipse cõdemnas. Iustus enim accusator est sui
in exordio sermonis. Nec potes indignum te iudicare humilitate, qui propria errata co
gnoscis, in quib. erubescendo non utiq; extolleris, sed humiliaris. Vides ergo quia ideo
humiliatus es, quia deliquisti, & non seruasti eloquia dei. Vnde serua diligentius ne pec
ces, ne iterum quia deiectus sis, tristitia absorbearis, & fiat tibi deiectio tua incrementũ
iniquitatis, quæ deberet correctionis esse occasio. Etenim in tentationibus homo, sicut
aurum in conflatorio comprobatur. Vides propheta quid dicit: Priusquam humiliarer,
inquit, deliqui. Iure ergo tẽtationibus traditus est, quoniam delinquebat. Delinquebat
autem, quia dei eloquium non tenebat. Verũ inde ordinem emendationis inuenit, un-
de culpa processerat. Cœpit esse subiectus eloquio diuino, & culpa desiuit. Bonus es
domine, & in bonitate tua doce me iustitias tuas.] Etiam usus disciplinæ secularis acce
pit, ut unusquisq; iudicem suum laudet. Vnde Apostolus sequens diuinarum ordinem
Act. 26 scripturarum, cum diceret causam, ita cœpit: De omnibus quibus accusor rex Agrippa
à Iudæis, æstimo me felicem apud te, incipiens rationem reddere. Et infrà: Credis rex A-
grippa prophetis? Scio quia credis. Ergo si laudantur homines, in quibus plerunq; alie-
na laudantur: quanto magis unusquisq; dei sibi gratiam cõciliare debet, ut dicat: Bonus
es domine? Nam si hoc dicatur homini, ut esse admoneatur quod forsitan non sit, & bo
nitatis etiam ipse prædicatione mitescat, terroremq; immitis deponat affectus: quanto
magis deo laus sua est deferenda, qui nisi bonus esset, super terrã stare quis posset? Pro-
Matt. 7 prium autẽ dei est ut bonus sit. Deniq; in Euangelio habes quia arbor bona fructus bo
nos facit. Fructus eius angeli sunt, fructus eius homines sunt: hoc est, rationabiles sancti
si domini præcepta custodiunt. Fructus eius sunt ij qui nascuntur in terris, fructus eius
sunt uirtutes hominum. Meritò ergo arbor bona bonos fructus facit. Prius igitur radix
Ibidem. laudetur, ut fructus possit probari. Sed & alibi ait idem dominus Iesus: Et pater uester,
qui bonus est, dabit bona data petentibus se. Sed quamuis bonus deus sit, cuius etiam
amara plus prosunt (non enim inferuntur ut noceant, sed ut corrigant) rogatur tamẽ ut
in bonitate sua doceat nos iustitias suas. Considera medicum utilia apponentem medi-
camenta uulneribus, ea tamen quæ mordeant ulceris uirus: aut certè ferro putrefactare
secantẽ: cum in eo ipso bonus sit medicus, quia utilitatem operatur ægroti, & facit quod
prodesse nouerit: tamen quia æger dolorem aut non uult aut non potest sustinere pro-
pter infirmitatem affectus sui, rogat ut medicus eum quadam bonitate & suauitate sua
curet, & non asperitatem adhibeat medicamentorum, non ferro incidat uulnerum fi-
bras: aut si aliter non potest, ut cum moderatione faciat, & quadam subtilitate mitiget
uim doloris, Et ideo in Euangelij bonitate melius docentur iustificationes dei, quàm in
Luc. 7 legis seueritate. Opus autem iustitiæ iustificatio est. Vnde scriptum est quia pharisæi se
iustificare uoluerunt, non baptizati baptismo Ioannis. In eo enim iustificationem non
fecerunt, quia noluerunt agere pœnitentiam delictorum: quam propheta in bonitate
uult agere, ut ei fiat peccatorum remissio sine atrocitate damnationis, cum remissionis
gratia. Multiplicata est super me iniquitas superborum, ego autem in toto corde

meo

meo scrutabor mandata tua.] Quanto magis quis deo seruire desiderat; tanto magis in se excitat aduersarios: & tanquam athleta fortis coronam iustitiæ reportare desiderans, irritat in se plurimos & lacessit, qui inuident nostro profectui. Quod etiam in posterioribus euidenter ostendit. Cum odio habentibus pacem, eram, inquit, pacificus. Nihil tamen tranquillitas eius proficiebat, ut eos qui pacem oderant, sua tranquillitate componeret, & eorum studia comprimeret. Cum loquebar illis, impugnabant me gratis: hoc est, cum causas impugnandi non haberent, tamen impugnandi studium non deponebant. Ita ergo multiplicantur siue nequitiæ spiritales, siue homines, & multiplicatur iniquitas eorũ super iustum. Verbi gratia: Si filiũ iustus amittat (quod seculi usu sæpe contingit) si amittat patrimonium, uel diuersis afficiatur incommodis rerum, uel corporis infirmitatibus, tunc dicunt superbi: Vbi est iustitia eius? ubi misericordia? Ecce quia sic mulctatus est, ecce quia ei innocentia sua nihil prodest. Ideoq; ad uitæ huius specimen extrahendum, tres illi sancto Iob specie amici, obtrectatione autẽ iniqui, probitatis atq; iustitiæ eius inuidi, exprobrantes grauia opprobria cõgerebant: & qui uenerant ad consolandum, insultare cœperunt. Sed iustus his non mouetur, ideoq; nec Iob frangebatur. Denicq; in amissionibus filiorum uel patrimonij dicebat: Dominus dedit, dominus abstulit: sit nomen domini benedictum. Ergo & in aduersis positi dicamus: Bonitatẽ feci- Iob 1
sti cum seruo tuo. Potest enim dominus in melius mutare quæ facta sunt, ut Iob sancti habemus exemplum: & quæ amissa sunt, reddere. Potest quis & amissis filijs generare meliores. Nunquid deo est difficile meliora donare? Potest etiam si nihil donet, hoc ipso tamen iusto esse prospectum, si fortè futuri improbi rapti sunt, ne mutaret malitia cor eorum. Similiter & de patrimonio, quasi non uideamus plurimos propter opes patrimonij in periculũ salutis esse deductos, plurimis ex diuitiarum abundantia ortam esse causam peccandi. Qui enim non habet quod donet, ascribi ei culpa non potest quod nõ donauerit. qui autem habet quod donet, & non dat, utiq; obnoxius esse incipit peccato.
Coagulatum est ut lac cor meum, ego autem legem tuam meditatus sum.] Subtile cor sanctorum, coagulatum est uerò cor superborum. Vt enim lac natura sui purum, speciosum atq; sincerum est, sed corruptione coacescit: sic mentis & cordis humani natura puræ, sinceræ, perspicua est prius quàm uitiorum admixtione coalescat. Coagulato enim lacte fit quædam concretio, nec suauitatem habens eandem, nec gratiam. Ita homines, qui antè sedulitate, gratia, suauitate uerborum lactis speciem præferebant, nulla inuidia corruptam, hi si cœperint inuidere, coagulatur in uitium cor eorum, & fit de suauitate amicitiæ amaritudo maleuolentiæ, & insuauis quidam horror inuidiæ. Ergo coagulatũ est cor per superbiam, per inuidiam, quæ lenitate naturæ fluentem beneuolentiam malitiæ concretione uitiarunt. Iniquorum ergo cor coagulatur, iustus autem humiliatur, legis præcepta meditando, qui habet humilitatis magisterium. Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.] Hoc sequutus Apostolus: Placeo mihi, ait, in infirmitatibus, in iniurijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs. Cum enim complacet in infirmitatibus, & non frangitur animo, nec cedit iniuriæ, discere iustificationes dei & meruit & impleuit. Ergo hic, humiliasti me, hoc est, diuersis tentationib. & incommodis exercuisti, dicit. Quod aperuit & Symmachus scribẽs: Profuit mihi quòd afflictus sum, ut discerem iustitias tuas. Ergo qui humiliatur, non deijciat animum, neq; frangat, sed magis humiliando proficiat, ut superbum humilitate sua mitiget, insolẽtes morum seueritate confundat, contumelioſos patientia sua frangat, auaros nonnunquã etiam æquanimitate dispendij à iurgij intentione deducat. Sic enim legisti: Quia iusti- Eccl. 7
ficata est sapientia à filijs suis, dum Christus se offert supplicio, dedit iniurijs, non subducit opprobrijs, nec à confusione sputorum auertit faciem suam: & ideo omnes sapientia sua instruxit, & liuore sanauit. Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argẽti.] Non quicunq; hoc dicit, imò rarus hoc dicit: id est, qui legem dei auro atq; argento præfert, qui potest propter legem dei omnia relinquere. Sed nec Christus hunc reperit, nisi de ijs quos ipse docere dignatus est. Petrus hoc dixit, & probauit effectu, quia pluris legem quàm aurum habuit. Ideoque ait: Aurum & argentum non habeo. Non auarus Act. 3
hoc dicit, qui defosso auro incubat. Non dicit pecuniosus, qui quotidiana emolumenta solicito rimatur affectu, qui quotidie opes aggerat, qui hæreditatis tendit aucupia,

qui

qui circa ægrotantis lectulum indefessas exercet excubias. Hic aliqui legẽ oris dei tan-
quam legem uerbi accipiunt, ut si dicas: legem dexteræ dei. Bene ergo & hoc conuenit
Ioan. 6 Petro dicẽti: Verba uitæ æternæ habes, & nos relinquimus te? hoc est, lex oris tui super
milia auri & argenti est, & possumus tantum deserere bonum, & seculi huius emolu-
menta captare? Sed Moyses lex oris dei potest dici, per quem Dominus loquutus est,
& dedit legem.

SERMO X.

Decima litera incipit apud Hebræos Iod, quæ latina significatione confessio
D dicitur, uel certè desolatio. Nec discors ac dissonans uidetur interpretatio.
Siquidem qui desolati sunt, citius cõfitentur. Magis enim secundis rebus a-
nimus extolli solet: cum autem urgetur aduersis, tunc demum implorat auxiliũ. Nam
& in ijs quæ humana sunt, hunc usum esse cognoscimus, ut cui succedunt prospera, ani-
mus elatior sit: cui mundi huius infesta sunt ex potẽtia alicuius aduersa, tunc confugiat,
tunc opem quærat ut uel rogando superioris mitiget potestatem, uel se uirib. armet ad-
iunctis, ne quasi inferior potentioris uiribus opprimatur. Deniq; Hieremias sub hac li-
Thren. 1 tera sic ait: Manus suas extendit qui tribulat, in omnia desideria eius. Vidit enim gentes
introeuntes in sanctificationem suam, quibus mandasti ne introirent in Ecclesiam eius.
De Hierusalem utiq; hoc dicit propheta, cuius deplorat ærumnam, cuius præcessit de-
Ueb. 12 solatio ac destitutio, ut postea sequeretur confessio. Castigat enim dominus omnem fi-
lium quem recipit. Recepturus igitur Hierusalẽ, antè captiuitatis flagellauit ærumnis.
Nimium enim insoleuerat, & inflato sese corde iactauerat, ut caput tenere nõ posset do
minum Iesum, id est, humilitatem, gratiam, iustitiam, sapientiam: hoc est, ueræ fidei ma-
gisterium non teneret. Et ideo dominus castigauit eam, qui moderator omnium nouit
quemadmodum unumquemq; castiget. Vt enim medicus grauiora uulnera asperiori-
bus medicamentis curare consueuit, ita & deus noster grauiora peccata maiore seueri-
Deut. 32 tate castigat. Sed ipsa castigatio ad salutem proficit. Dixit enim dominus: Percutiam, &
ego sanabo. Deniq; de Hierusalem spem cœpit Hieremias propheta promittere. Nam
Thren. 3 in posterioribus sub hac litera ait: Dabit percutienti maxillam suam, & satiabitur in op-
probrijs. Dabit in sepulturæ fossuram os suum, si tamen est spes patientiæ. In Euangelio
Matt. 5 dominus Iesus docens uirtutem atq; insigne patientiæ, ait: Qui te percusserit in maxil-
lam, præbe ei & alteram. Vult enim discipulos suos & iniuriarum esse patientes, nec re-
ferire facile, ne dum ferire potens iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberẽt.
Patientia enim humilitatis indicium est. Et ideo quoniam desolata erat ac destituta Hie
rusalẽ: Dabit, inquit, percutienti maxillam suam, ut nõ se subducat iniuriæ, nec declinet
cædis dolorẽ, sed percutienti maxillam offerat. Vtrumq; intelligi potest, siue ei qui per-
cutere incipiat, siue ei qui iam percusserit, ut illud Euangelicum compleatur: Qui te per
cusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Et prophetice hoc positum est, ut doceret Hie
rusalem, hoc est, plebis Iudaicæ Ecclesiam non aliter esse seruandam, nisi per Euangelij
disciplinam: ut cum cœperit Euangelij præcepta seruare, & operibus implere manda-
tum domini Iesu, tunc iugum captiuitatis de suæ animæ ceruice deponat, cum se subdi-
derit iugo Christi. Et satiabitur, inquit, in opprobrijs. Non dixit, Subibit opprobrium.
Facile est enim unam aut alteram contumeliam sustinere. Addidit: Satiabitur in oppro-
brijs, quo facilius domini moueat misericordiam, opprobriorum complurium defor-
mitate miserabilis. Quod utiq; ex libro Regnorum potes intelligere. Quippe cum con
4. Reg. 16 uitiaretur Semei filius Gera sancto Dauid, uirum sanguinarium appellans, & maledice
ret ei quãdo fugiebat filiũ suũ Absalon: parricidalia ad tempus bella declinans tacebat
rex, & summum patientiæ insigne præstabat. Etenim cum tentationis suæ tempus intel
ligeret, ut ei parricidale prælium moueretur, magis humilem se uolebat uideri, quo do-
mini mitigaret offensam, quam exasperandum eius arbitrabatur in sua tentatione iudi-
cium, si forte suas iniurias ultum iret. Vnde & populi duci Abisai uindicare cupiẽti ait:
Quid mihi & tibi est fili Saruiæ? Ideo maledicit mihi, quoniam dominus dixit illi ut ma-
ledicat. Ecce filius meus qui exiuit de uentre meo, quærit animam meam. Si autem mo-
dò extraneus maledicit mihi, dimitte illum ut maledicat, quoniam dominus dixit illi, ut
uideat humilitatem meam: & retribuet mihi dominus bona pro maledicto hoc. Quod
& pro-

& prophetico dixit spiritu, & probauit euentu. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum soluitur. Deniq; & in Esaiæ libro habes quia dixit dominus: Sacerdotes loquimini in cor Hierusalem: consolamini eã, quia repleta est humiliatio eius, solutum est peccatũ eius: quia accepit de manu domini duplicia peccata sua. Aduertis igitur quia ubi desolatio, ibi humilitas. Desolationem enim sequitur humilitas iusto ordine, humilitatem patientia, patientiam probatio, probationem consolatio. Quod habes & in Apostolo scriptum: Quia tribulatio patientiam operatur, patiẽtia autem probationem, probatio autem spem: spes autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui utiq; nostrorum consolator est affectuũ. Quod autem ait, Dabit in sepulturam os suum, ostendit quandam supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tãquam sepeliat os proprium ne loquatur, & uelut quodam aggere uirtutum obstruat, ne uocem doloris emittat, tantum pondus asserens patientiæ quam spes foueat, ut uocẽ ipsam uelut busto quodam ac tumulo sepeliat ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit iniuria. Huius quoq; literæ interpretationem, ut potuimus, explicauimus. ueniamus ad psalmum. Manus tuæ fecerunt me, & parauerunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua.] Magno commendationis exordio usus est, ut opus dei esse se diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur authoris. Grandis etiam prærogatiua est in rebus humanis, ut aliquis operibus & beneficijs faueat suis: nec meritum spectet alienum, sed in suæ gratiæ munus intendat, ne uideatur abrogare quod ipse donauit. Itaq; etsi de luto corporis nostri substãtia sit, carne induamur, & corpus ossibus intexatur & neruis, tamen quod simus pretiosissimum opus dei, nemo dubitauerit. Nam & fabricam ipsam humani corporis si quis considerare uelit, nihil poterit in terra pretiosius iudicare. Est enim homo statu celsus, uultu decorus, cæsarie gratus: non in aluum cæterorum more curuatus animalium, sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cœlum libero spectet obtutu, nulla captiuæ seruitute ceruicis depressus in terrã, sed tanquã propriæ conscius libertatis, & locuples sui testis authoris. Veruntamẽ in cæteris animantibus membrorum forma laudetur, in quibus præter gratiam corporis nihil est aliud quod requiratur. Homo in eo est pulchrior, quod non uidetur: nõ in corpore, quod uidetur: in se habẽs æternitatis gratiam, & præsentium uenustatem. Quę enim uidentur, tẽporalia sunt: nam quæ non uidentur, æterna sunt. In hoc in terrestri hospitio indutus habitatione cœlesti, cui simul cõpetit & in terris uideri, & deo coniũgi. Magnũ sane munus, si se ipse cognoscat, & quædam forma iustitiæ, mundo magis quam sibi nasci. Vnde Salomõ ait: Grande homo & pretiosum uir misericors. uirum aũt fidelem opus est inuenire. Et uere magnus est qui diuini operis interpres est, & imitator dei. homo est enim qui potuit dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Terram excolit, mari tanquã possessione utit, cœli ornamenta gratus miratur assertor. Euanuerat reru natura, nisi qui ea uteretur, diuina prouidentia esset adiectus. Deniq; postquàm fecit deus cœlum & terram & maria, posteaquàm omnia reptilia, uolatilia, animãtia, posteà hominẽ fecit, quẽ animantibus uiuẽtibus anteferret. De quo nõ immerito cœlesti sentẽtia resultauit: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram. Cętera dixit, et facta sunt: mandauit, & creata sunt, ut homo fiat, specialis quidam dei accedit hortatus, ut tanquam laborantis dei in huius munere creaturæ significetur operatio. Deus quidẽ expers laboris est, sed tamen scripturæ uerba quid aliud, nisi studiosam tui ob gratiã operationem eius ostendunt? Ergo si deus maiore quodam studio te creauit, cur ipse tui studium relinquis? Si deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris? Manus tuæ, inquit, fecerũt me, & parauerũt.] Clamat ad deum propheta: Opus tuũ domine ne deseras, non derelinquas. Te authorem conuenio, te teneo conditorẽ, præsidia aliena non quæro. In adiumentũ accingere, qui accinctus es ut creares. Dic ipse Dauid quid quid senseris, cur dixeris: Manus tuæ fecerũt me? Sed dixisti inferius, Dñe retribues propter me, domine misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum non omittas. hoc est dicere, Bestias nõ fecerũt manus tuæ, sed dixisti, Producant aquæ reptilia anima rũ uiuentium: & produxit terra secundum genus quadrupedia, & reptilia, & bestias terræ. Me aũt, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti: hoc est, non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non uolatilia: me autem fecerũt manus tuæ, & parauerunt me. Nõ

Esai. 40

Rom. 5

2. Cor. 4

Prouer. 20

1. Cor. 11

Gene. 1

Psal. 148

Psal. 137

Gene. 1

mediocre opus est quod paratum est, cum sapiẽtia unum quodq; disponitur & paratũ.
Prou. 8 Denicq; sapientia dicit: Cum pararet cœlos, cum illo eram. Quod de hominibus dicit idẽ
Psal. 28 propheta: Vox domini præparantis ceruos. Quæ uox domini dei est, nisi faciamus ho-
minem? Qui sunt isti cerui, nisi inimici serpentibus, qui super aspides ambulant, & ue-
nena non sentiunt? Non uile igitur, nõ corporale arbitror quod parauit deus. Nosce te
Cant. 1 ipsum homo, tuæ animæ dicitur in Canticis canticorum: Nisi cognoueris te formosam
in mulieribus. Cognosce te anima, quia non de terra, nõ de luto es, quia insufflauit in te
deus, & fecit animam uiuentem. Opus est magnificum, dei generatiõe inspiratum. At-
tende tibi, ut lex dicit; hoc est, tibi, id est animæ tuæ. Secularia te & mũdana ne teneant,
terrestria non morentur. Ad illum tota intentione festina, ex cuius inspiratione cõsistis.
Prou. 20 Grande, inquit, homo, & precios um uir misericors. uirum fidelem opus est inuenire. Di
sce homo ubi grandis & precios us sis. Vilem te terra demonstrat, sed glorios um uirtus
facit, fides rarum, imago precios um. An quicquã tam precios um quàm imago est dei?
Quę primũ tibi fidem debet infundere, ut in corde tuo refulgeat quædam authoris effi-
gies: ne qui mentẽ tuam interrogat, nõ agnoscat autorem. An quicquã tam precios um,
quàm humilitas, ut naturam corporis animæq; perspiciens, altero te subijcias, altero re-
cognoscas? Prona in uitium carnis illecebra, misericordia suadet quia quod alteri con-
tuleris, tibi soluis: quicquid à te procedit, in te recurrit: & quicquid fueris, tibi soluis: &
quicquid fueris, tibi proficit. Viuacis animæ uigor, sensus rationis & intellectus capax
atq; iudicij, ut digna domus tanto habitatore uideatur, non amittet suæ prærogatiuã na
Gen. 1 turæ, ut hominis nomen amittat. Scriptura enim eum hominem dicit, qui est ad imagi-
nem & similitudinem dei: peccantẽ autem non hominẽ, sed aut serpentẽ, aut equũ ad-
Psal. 31 hinnientem fœminis, aut uulpeculam, aut iumentũ uocare consueuit. Nolite fieri sicut
equus aut mulus, quibus non est intellectus. In camo & freno maxillas eorum constrin-
Luc. 13 ge, qui nõ appropinquant tibi. &, Dicite huic uulpi, de Herode ait. Sed generatio uipe-
Ibid. 3 rarum à Ioanne plebs hominũ dicitur. Magnũ ergo opus dei es homo, magnũ est quod
dedit tibi deus. Vide ne quod deus tribuit, amittas. Magnum illud munus, quòd es ad i-
maginem dei, & hoc in te punitur magis. Deus enim non punit similitudinẽ suam, sed
eum punit qui ad similitudinẽ dei factus, hoc quod accepit, seruare non potuit. Punitur
ergo illud quod ad similitudinẽ dei esse desistit, hoc est, peccatũ tuum. Nam suam Deus
non damnat imaginẽ, nec illam in incendium mittit æternum, sed magis uindicat imagi
nem suam de eo qui imagini illi fecit iniuriam, ut per malitiam quod eras, esse desineres,
& ne fieres mulus ex homine. Vindicatur ergo imago, non condemnatur. Vindicatur
quasi expulsa, non condemnatur quasi rea. Postquã enim peccasti, aliud esse cœpisti: &
illud quod eras, esse desiisti. Quomodo igitur punitur in te, quod in te non inuenitur?
Nam si inueniat in te imago dei & similitudo, nõ supplicio incipis dignus esse, sed præ-
mio. Ita imago illa qua ad imaginem & similitudinem dei factus es, non condemnatur,
sed coronatur. Condemnaris aũt in eo quòd ipse mutatus es ut fieres ex homine serpẽs,
mulus, equus, uulpecula. His nos enim nominib. iam scriptura cõdemnauit, quia exuti
cœlestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis
Iob 10 non tenemus. In aliquibus tamen codicibus inuenimus: Manus tuæ fecerunt me, & pla
smauerunt me. Nec istud alienum, quia & Iob dixit: Manus tuæ plasmauerunt me & fe
cerunt. Vnde & hic edicit ut meminerit deus quia puluis sumus, ut uberiori gratiæ mu-
nus infundat, nec infirmũ opus deserat. Gubernator fluctuante nauigio plus laboris im
pendit, quàm cum secundo remigiũ labitur fluctu, & uentorũ flatũ suo suparo superan-
te procurrit. Manus tuę, inquit, plasmauerunt me. Manus dicit pluraliter, non manu. At
uerò alibi ait: Ego manu mea solidaui cœlum, & manus mea fecit hæc. In hominis con-
stitutione uidetur non abundare, quod toto mundo ut fieret abundauit. Cœlum una fit
mauit manus, ut scriptum est: & utraq; dei manus hominẽ figurauit, ut legimus. Cœlum
nõ ad similitudinẽ, homo ad similitudinẽ. Angeli em̃ ad ministeriũ, homo ad imaginẽ.
Esto ut & angeli ad imaginẽ, scriptura tñ de homine locuta est q̃ sit ad imaginẽ. Habe-
Rom. 5 mus enim aliquid quod fortasse angeli nõ habeant. Vbi enim abundauit peccatũ, super
Esa. 9 abundauit gratia. Nobis est natus Christus ex uirgine. Legimus enim: Puer natus est no
bis, filius datus est nobis. Nobis carnem suscepit, imò potius nos in illa carne suscepit,
quando

quando filiũ hominis in dei sede cõstituit. Non lego angelos in dei sede nisi stantes, nisi ministeriũ deferentes. Non lego angelos, sed homines cõsepultos Christo, & in Christo saluificati, & simul suscitauit, simulq; sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Filius ergo hominis ad dexterã dei, nõ angelus, nõ archangelus, nec Cherubim & Seraphim. Illi laudant, filius hominis sedet. Filius hominis angelorũ ore laudat, quod angelos malos uicerit, de nequitijs spiritalibus quæ sunt in cœlestibus, triumphauerit. quod fecerit similes angelorũ homines in quibus antè erant contagia mortuorũ. Verbo, inquit, domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Homo quoq; spiritu domini per fectionem uitæ consummationemq; uirtutis accepit. Inspirauit in eum dominus spiritũ uitæ, & factus est homo in animam uiuentẽ. Vita ergo nostra cœpit ex inspiratione diuina, sed uita hæc secessione animæ corporisq; dissoluitur, inspiratio autem diuina non soluitur. Et ideo intellige aliud esse quod figuratũ est, aliud quod factum est uel paratũ. Meritoq; dupliciter habes scriptum de homine. Primũ enim scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & dominabit̃, inquit, uel principatũ habebit: & fecit deus hominem ad imaginem dei. Secundo aũt loco ita scriptum est: Quia accepit deus puluerem de terra, & plasmauit hominẽ. Vbi puluis, ibi plasmatio. ubi autem non puluis, ibi non terra, non materia, sed incorporeum, sed admirabile: ibi non materia, sed immateriale. Quod enim secundum imaginem est, non est in corpore, nec in materia, sed in anima rationabili. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem & imaginem dei, ubi iustitiæ, ubi sapientiæ, ubi omnis forma uirtutis assumitur. Si intelligas imaginem, uidebis ad imaginem. Homo enim non est imago dei, sed ad similitudinem factus. Alius est imago dei inuisibilis, primogenitus uniuersæ creaturæ, per quẽ facta sunt omnia. Ille non ad imaginem, sed imago: tu non imago, sed ad imaginẽ. Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine & similitudine dei, quod sit diuinæ simile imagini. Propterea imago ad eũ qui est ad imaginẽ uenit, & quærit imago eum qui est ad similitudinẽ sui, ut iterum signet, ut iterum conformet, quia amisisti quod accepisti, Insufflauerat enim tibi deus, ut inspirationis suæ dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa sustulerat. Factus eras in animã uiuentẽ. Audi quid dicat, non in carnẽ, sed in animam uiuentem. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus non habebat quæ dei sunt, sed quę hominũ, propterea uenit dominus noster Iesus Christus, ut legisti in Euangelio, & á mortuis resurgens cũ clausos discipulos reperisset, clausis ingressus est manentibus, & dixit: Pax uobis. Sicut ergo misit me pater, & ego mitto uos. Cũq; hoc dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritũ sanctũ. Vides ne ergo quę manus fecerint hominẽ, aut quẽ hominem fecerint? Illum utiq; quem secundum Christum induimus, expoliantes ueterem hominẽ cum actibus suis, & induentes nouũ qui renouatur ad agnitionem secundũ imaginem eius qui creauit eũ, ubi non est seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Christũ ergo induimus, sicut & alibi dictum est: Christũ induistis. Accepimus spiritũ sanctũ, qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos alijs peccata dimittere: Ideo ait propheta: Tu finxisti me, & posuisti super me manum tuam. Finxit per lutum, posuit per gratiam spiritalem. licet plerique hunc Psalmum ex persona dictum saluatoris accipiant. Audi quia manus domini etiã spiritus dicitur. Clamat Iob: Spiritus diuinus, qui fecit me. Istæ sunt ergo manus quæ hominem parauerũt, Christus & spiritus. Ergo dominus Iesus & corporis author est nostri, qui primum fecit hominem ad imaginem, & postea de luto finxit, et uoluit seruare quod fecerat, saluare quod plasmauerat, ut totum hominem saluum faceret, sicut ipse dixit in Euangelio: Mihi irascimini quia totum hominẽ saluum feci in sabbato. Quod specialiter Ecclesia docet quia non solum anima, sed etiã caro nostra saluatur. Anima per cognitionẽ dei, caro per resurrectionẽ: quorũ alterum docuit diuini authoritate sermonis, alterũ propriæ resurrectionis exemplo. Hic est ergo homo geminæ substantię. Alia est enim facti substantia, alia figurati. Ista de dei spiritu, illa de limo. Propterea ait Iob, Resuscitabit corium meum. quia quod de limo est, resuscitatur. Terra enim in terram redit: quod autem factum est ut principatum haberet super cætera animantia, id præstantius esse intelligis. Luti etiam bestijs nobiscum commune cõsortium est, et ideo animæ

Ephe. 2
Psal. 32
Gene. 2
Gene. 1
Colos. 1
Gene. 2
Ioan. 20
Colos. 3
Gala. 3
Psal. 138
Iob 33
Ioan. 7
Iob 19
Iux. 7

ſpecialis prærogatiua donata eſt. Ideo tamen, quia cæteris animantibus imperat: ſed ut poſſit imperare, debet Deo eſſe ſubiectus. Docetur igitur ſeruire, ut ad regnum peruenire mereatur. Qui enim ſeruit Chriſto, placet Deo. Qui ſeruit Chriſto, placet uritque ueritati, & debet neſcire mendacium. Qui ſeruit iuſtitiæ, debet repellere iniquitatem. Qui ſeruit immaculato, debet tenere caſtimoniæ diſciplinam. Qui ſeruit luci, debet odiſſe tenebras peccatorum. Ergo quia corpus infirmum eſt, uiſitationem Do-

Pſal. 8 mini poſtulemus. Vnde Propheta ait: Quid eſt homo quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam uiſitas eum? Et nunc in reliqua uerſiculi portione ait: Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua.] Spiritalem igitur ſe eſſe cognoſcit propheta per gratiam ſpiritus ſancti: Etenim intellectum dari à domino, & inter munera gratiarum pri-

1. Cor. 12 mo conſtitui loco, in Apoſtolica lectione didiciſti, quia unicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Et in propheta primo loco ſapiętię & intellectus ſpiritalis gratia poſtulatur. Petitur ergo dei donum. Deniq; uide ordinem. Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua. Intellectus præmittitur, ut ſcientia ſequatur. Nam niſi quis intellexerit, doctus eſſe non poterit. Doctrinam igitur intellectus facit, non memoria. Nihil enim proderit multa legiſſe, niſi intelligas ipſe quæ legeris. Et in Apoſtolo poſt manifeſtationem ſpiritus, ſermonem ſcientiæ legiſti poſtea ſubſtitutũ, ut ſcias intellectum memorię præferendum, & illum poſſe habere ſcientiam, cui ante intellectus affulſerit. Simul humilitatẽ conſidera. Si propheta intellectum dari ſibi poſtulat, quis tam arrogans, qui profiteatur in ſua poteſtate eſſe intelligentiam? Intellectum petit ut ipſe ſe nouerit, & naturę ſuæ poſſit ſcire rationem. At illi qui de rerum natura diſputant, cœli ſcrutantur plagas, qui ſeipſos ſcire non poſſunt: putant intelligentiam ſine dei dono poſſe concedi. Vnde & nos humilitatem debemus aſſumere, ne extollamur ſi forte unam aliquam de ſcripturis parabolam cognouerimus: aut quia interdum ſecundũ literam plane legimus, ſi forte ſecundum literam aliquid intellexerimus, doctrinę nobis aſſumamus ſcientiam. Propheta ille qui accepit ſpiritum ſanctũ, poſtquam unctus eſt in regnũ, unctus eſt in prophetam, centeſimũ octauum decimũ pſalmũ ſcribens, intellectũ ſibi dari poſcit ut mandata dei intelligat: & ſcit, niſi à dño acceperit gratiam, intelligere eius ſe mandata non poſſe. In Euangelio quoq; lego quia proponebat parabolas dominus Ieſus, & apoſtoli non intelligebant. Deniq; explanationẽ propoſitæ parabolæ poſtulabãt. Ipſe dominus

Matt. 13 Ieſus cum diceret, ut legiſti in libro Euangelij ſecundum Matthæũ ſcriptum: Beati pau-

Ibid. 5 peres ſpiritu. ſubiecit in poſterioribus: Omnis qui audit uerba hæc, & fecerit ea, ſimilis

Ibid. 7 erit uiro ſapienti. Non ergo qui audit tantummodo, ſimilis erit, ſed qui facit quæ audierit. Ergo neq; factum ſine auditu, neq; auditio ſine facto poteſt eſſe ſapienti ſimilis, ſed qui audit & facit. Audiamus igitẽ, intelligamus, faciamus: ut intellexiſſe nos quod audiuimus, cõprobemus. Qui timẽt te, uidebũt me, & lætabunt, quia in uerba tua ſperaui.] Fortaſſe aliquibus uideat hoc eſſe contrariũ, quia iuſtus dicit: Qui timẽt te, uidebũt me, & lętabuntur. Multis enim iuſtus grauis eſt cum uidetur. Deniq; in Euangelio plerique

Luc. 8 dominũ Ieſum uidere non poterant, ſicut Geraſeni rogabant eum ut abiret de regionibus eorum: & alij ei tranſitum denegabant, quando tamen per eos tranſire nolebat. Vnde puto quòd ſicut illic Iudaicæ forma impietatis exprimitur: ita hic Eccleſiæ gratia reueletur. Prophetat enim totum orbem replendum eſſe timorẽ diuino, & ideo quaſi timentes deum ſanctorũ dicit cognitione lætari. Qui enim uidet iuſtum & gaudet, etiam ipſe uult eſſe iuſtus. Pulchrũ eſt enim ut in eo alijs delectetur, quod uult ipſe in ſe ſeruare ſi poſſit. Eſt enim inſitum bonis, ut caſtum pudicus, prudentẽ ſapiẽs affectu pio diligat, miſericors liberalem, & uirtutes ſuas in alijs amet. Pleriſq; enim iuſti aſpectus, admonitio correctiõis eſt, perfectioribus uerò lętitia eſt. Quàm pulchrũ ergo ſi uidearis & proſis. Bonum ergo uir iuſtus. Propterea deniq; Paulus apoſtolus aſcendit Hieroſolymam, ut

Gal. 1 iuſtos uideret: & cum Petro manſit diebus quindecim, ut ex eius aliquid cohabitatione

Act. 15 proficeret. Propterea ipſe Paulus & Barnabas, cum Hieroſolymam ingrederentur, magnifice excipiebantur ab Eccleſia, ab apoſtolis, & maioribus natu. Cum autẽ abire uellent, ne diſcederent rogabantur: & ut poſtea de Paulo legimus, cum lachrymis deducebatur. Nam ſi eſt tanta uis in naturalibus, ut animal uiſum proſit icterici, ita ut mortui quoq; cornu eius animantis prodeſſe dicatur, ſi fuerit demonſtratum ijs qui huiuſmodi

incidérint

inciderint passionẽ: dubitare possumus quòd iusti sanet aspectus? Ergo uile animal irra
tionabile tantam uirtutẽ habet, ut sanare possit hominẽ momento exiguo, quò uidet?
homo iustus, si tamen cum fide ab eo cõspiciatur qui utilitatẽ ab eo percipere desiderat,
nihil confert? Nũ uel ipsi oculorũ radij uirtutem quandam uident infundere ijs qui fide
liter eum uidere desiderant? Sed quẽadmodum iustus lętificat cor innocentiũ cum uide
tur: ita & improbi iustorũ cognitione torquent, quia uel tacitis sanctorũ moribus argu
untur. Torquet castitas incontinentẽ, auaritiã liberalitas, impietatẽ fides. De hoc quoq;
paríle uilis animantis sumamus exemplũ. Nam sicut prodesse diximus mutũ animal cũ
uidet, ita obesse percipimus lupũ si aliquẽ uidendo pręuenerit. Vocẽ enim ferunt amit
tere quos prior lupus uiderit. Basiliscus quoq; hic est noxius serpẽs, si quodcũq; prior ui
derit animal, ferũ occidere: et allegat statim necari, qui potuerit à serpẽte huiusmodi prę
uirtus uel in oculis serpẽtis uel in oculis est hominis: ut si alter alterũ prior uiderit, possit
occidere: non est uirtus in oculis iusti, qui repletus uirtutis est gratia, cũ præsertim tantũ
operet fides, ut & illa quæ fimbriam dñi tetigit, sanaretur, & ille cui intendit dñs Iesus, Matt. 9
statim ex eius oculis gratiã sanitatis hauriret? Sed qui uidet iustũ, debet scire quid uide
at, non illũ uidet in corpore, nõ in uestimẽto, nõ in patrimonio, nõ in uultu, sed intus ui
det. Nõ inquã illũ uidet, nisi eius uiderit mentẽ, nisi eius sermonẽ intenderit, nisi sensum
illius potuerit cõprehendere, sapientiam de tractatu eius assumere. Tunc igitur lætabi
tur, cum ista perspexerit, cum ista cognouerit. Ita ergo & nos sicubi audiuimus iustũ, se- Luc. 7
stinemus uidere, sicut illa mulier quę audiuit in domo Pharisæi discumbere dominũ Ie
sum, & ingressa est, & eius pedes perfudit unguento. Illius imitatores simus: quia Eccle
siæ in illa muliere figurã esse quis dubitet? Sicubi ergo iustus sedeat, sicubi accũbat, festi
nemus uidere eũ. Preciosum est uidere uirũ iustũ, ut uideas eum secundũ imaginem dei.
Quod foris est, nihil prodest: quod intus est, sanat. Sane & in eo qui foris est, illũ qui in
tus est frequẽter aspicimus: ut si uiderimus pauperẽ, illũ ad cuius similitudinẽ factus est, Matt. 25
honoremus in paupere, de quo ait: Dedistis mihi manducare: quia quod uni eorum de
distis, mihi dedistis. Qui enim coronat imaginẽ imperatoris, utiq; illum honorat, cuius
imaginẽ coronauit: & qui statuam contẽpserit imperatoris, imperatori utiq;, cuius sta
tuam conspuauerit, fecisse uidetur iniuriã. Gẽtiles lignũ adorant, quia dei imaginẽ pu
tant: sed inuisibilis dei imago non in eo est quod uidetur: sed in eo utiq; quod nõ uidet.
Vides ergo quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caueamus ne coronã ima
gini detrahere uideamur, quam unicuiq; Christus imposuit. Caueamus ne aliquid detra
hamus ijs quibus debemus adiũgere. Sed, quod peius est, nõ solũ non honestamus pau
peres, sed etiã dehonestamus, destruimus, persequimur: & ignoramus quas dei imagini
cõgeramus iniurias, cum factos ad imaginẽ dei putamus esse lędẽdos. Qui enim irridet Prouer. 17
pauperẽ, exacerbat eũ qui fecit illũ. Sed aderit ille qui dicat, Esuriui, & non dedistis mihi Matt. 25
manducare: sitiui, & nõ dedistis mihi bibere: æger eram, & nõ uisitastis me. Et quãto ista
leuiora sunt, ẽṗ si dicat: Iniurias mihi fecistis, nudastis me, uerberastis me? Quẽ si quis in
terrogauerit, Quando tibi iniurias fecimus? quando spoliauimus? quando etiã uerbera
uimus? dicet: Quando uni horũ minimorũ fecistis, mihi fecistis. Propterea caueamus di
ligẽtius ne cui uel minimo cõtumeliã irrogemus, ne ipsi dño in illis minimis cõtumelio
si fuisse uideamur. Qua ratione aũt dixerit, Qui timẽt te, uidebunt me, & lętabunt: ipse
exposuit dicẽs: Quia in uerba tua supersperaui. hoc est dicere: Intus me uiderunt, intus
me tetigerunt, intus me aspexerũt, ubi spem assumpsi de tuis uerbis, ubi tua uerba perce
pi. Beati ergo qui uident iustum, & lætantur, quia sperant in dei uerba. Quàm multi au
tem sunt qui oderunt iustos: quia perscrutantur dei uerba qui iusti sunt; & cum aliquos
doctos audiunt, impie eos propter doctrinam uitare consueuerunt. Agnoui domine
quoniam iusta iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me.] Qui potest intelligere quæ
sunt diuinæ prouidentiæ, utitur eo sermone quo usus est propheta sanctus Dauid: quia
omnia iudicio dei fiunt, ut ægrum corpus aliquis habeat aut salubre, ut diues, ut pauper
sit, ut moriat iuuenis, uel senex. Si quis intendat scripturis diuinis, intelligit hæc fieri iu
dicio dei. Nihil enim est pręter dei scientiam. Exemplum quærimus? Non est abscondi
tum. Siquidem Iob nunquam amisisset proprias facultates, nisi esset traditus aduersariæ

poteſtati. Dedit enim dominus diabolo poteſtatem in facultates eius, ut tẽtaretur, qualem amiſſo patrimonio haberet affectum. Dedit in filios, dedit in corpus eius, ut probaretur, num defunctorum dolore liberorũ, aut cruciatu corporis à conſtantia mentis animæq; deſatiſceret. Dominus quidem nouerat fortem, ſed in illo docere atq; examinare nos uoluit utrum imitatores eius eſſe poſſemus. Denicq; & Abraham tentauit quando filium ſenis unicum ſibi petijt immolari. Sciebat utiq; mentẽ Abrahæ. Sed ſciens tentat
Ioan. 6 dominus, ſicut legiſti in euangelio, quia cũ interrogaſſet dominus Ieſus diſcipulos quot panes haberent, & illi reſpondiſſent quia quinq; tantũ haberent panes, ipſe ait: Quid faciemus, inquit, inter tantos homines? Hoc autem dicebat tentãs eos. ſciebat enim quid facturus eſſet. Qui ergo iuſtus eſt, examine iuſtitiæ ſuæ credit, quia dei iuſta iudicia ſunt: uel ſecundum Græcum, quia dei iudicia ſunt ipſa iuſtitia. Sed hoc ut agnoſceret, fecit præmiſſa precatio, quoniam intellectũ ſibi dari poposcit ut mandata dei diſceret. Accepta eſt ergo intellectus & cognitionis gratia: agnouit iuſta eſſe dei iudicia. Agnoſcere autem perfecti eſt. Denicq; aliud eſt credere, aliud agnoſcere. Fides timentis, agnitio eſt ſapientis. Qui enim timet, rationem non quærit: ſapiens autem & agnitionẽ eorũ inue-
Pſal. 115 ſtigat quæcunq; percipere deſiderat. Credidi, inquit, propter quod locutus ſum. Cognouit autem intelligens quod locutus eſt. In quo ergo iuſta iudicia dei ſunt? Quia per labores & tribulationes & afflictiones ad cœleſte præmium peruenitur. Sicut enim certantibus athletis corona defertur iuſto iudicio hominũ, ita legitimè certantibus Chri-
Apoc. 3 ſtianis diuino iudicio palma decernitur. Vincenti, inquit, dabo ſedere mecum in ſede
Pſal. 65 mea. Vita ergo noſtra examinatur igne ſicut ſplendor argenti, ut uirtus certaminibus approbetur. Tranſiuimus, inquit, per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Per hæc igitur uera iudicia tua eſſe cognoui. Humiliatus enim ſum ut hęc uiderem: quia ij qui exaltati ſunt corde, oculos ad ueritatem aperire non poſſunt. Cum autẽ humiliamur, peccata noſtra cognoſcimus & ipſa humilitate delicta noſtra purgamus. Humilitus ſum, inquit, & ſaluum me fecit. In ueritate ergo humiliatus eſt qui humiliatus eſt ad ſalutẽ: nec uane pertulit paſſionem, qui ſalutem ueritatis ſecutus eſt. Diſtat igitur inter cognoſcere & timere, ut eò reuertamur. Denicq; euangelij lectio docere nos debet. Ait
Ioan. 8 enim dominus ad eos qui credebant ei ex Iudæis: Si manſeritis in uerbo meo, cognoſcetis ueritatẽ, & ueritas liberabit uos. Si manſeritis, inquit, cognoſcetis. Vides quia non à principio potuit cognoſcere quicunq; timens deum uerbum eius audiuit? Non ſolum aũt non idem eſt timor & cognitio, uerumetiam nõ idem eſt fides & cognitio. Siquidẽ
1. Cori. 12 etiam Apoſtolus docuit diuerſa eſſe munera gratiarũ. Alij enim, inquit, per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritũ, alij fides in eodẽ ſpiritu. Si ergo alij fides datur, alij cognitio: uides, ubi fides, nõ ſtatim cognitio. Vbi autem cognitio: & fides eſt & prudentia, nec ab eo poſſumus diligentiam ſeparare. Habuit ergo cognitionẽ ſanctus Dauid, utpote propheta perfectus, quando quidem ita perfecte cognouit ut humiliaretur in ipſa ueritate. Siue ergo in aduerſis poſitus, agnouit probationis gratiam: ea quæ laborioſa & aduerſa ſunt, ſuſtinenda: iuſtum autẽ eſſe dei iudicium: & ideo bene certantes nunquã deſeri uel relinqui, & coronã his poſt laborẽ poſſe deferri: ſiue in ſecundis & proſperis poſitus, cognouit etiam diuitias rerũ, diuerſoſq; ſucceſſus, tentationis cauſſam ſolere ſuppetere, ut is qui his utitur, rerũ proſperitate tentetur. In eo igitur propheta Dauid laudandus, quia cum iſta agnoſceret, humiliabatur, ut humilitate ſua uel proſperorũ excluderet tentamenta, uel aduerſorũ ſubiret conſtantiam æquanimitate tolerantiæ. Non ergo magnopere laudabilis eſſet propheta, ſi laudaret iudicia dei uſus affluentia ſecundorũ. Quid enim magnũ facimus, ſi quando in ſecundis ſumus, laudamus deum, quando in diuitijs ſumus, quãdo nullis uexamur iniurijs? Illud eſt magnificũ, ſi ſubiectus iniurijs, contumelijs, iudicium dei laudes: ſi uexatus ægritudine, iudicia dei prædices: ſi te inopia nõ reuocet quo minus laudes iuſtitiã dei. Ergo ſem-
Pſal. 47 per laudanda ſunt iudicia dei, ſicut ſcriptum eſt: Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua. Quæ ſunt filiæ Iudæ, niſi animæ religioſæ, animæ eccleſiæ, quæ Ieſum Chriſtum dominum confitentur, quæ uidentes rationẽ iudiciorũ tuorum ſemper exultant? Qui enim non ex aliquo ſecundo prouentu, ſed ex cognitione rationis induit lætitiam, non niſi in exultatione perpetua conſtitutus eſt. Fiat nunc miſericordia tua ut exhortetur me

me secundū uerbū tuum seruo tuo.] Aliqui habent in hoc loco: Consoletur me. Sed etiam in Apostolo legimus exhortationē pro cōsolatione dictam, & consolationē pro exhortatiōe. Magna est ergo misericordia dei, quæ nō solū remissionē tribuit peccatorū, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne susceptī certaminis passiōes in belli formidine derelinquant. Non ergo misericordiā quasi is qui uictus cedat, aut ut uictus expediat. Egregiam & singularē prophetæ spectato uirtutē. Alius enim humilia nię precator implorat, sed ut dei miseratione succinctus, maiora uiribus tanto munere gnaretur, ne tribulationū procella in eum sæuiret: iste aūt tanquā athleta fortis & patiēs, tuis ærumnis poscere ret ut circa eum tentamenta desinerēt, & sedare dominus aduersa dique exerceri & ungi animam suam tribulationibus nosset, non tristia dimouere, nō impugnantia declinare desiderat, non omne illud desinere quod fatigationē & laborē afferret exposcit, sed magis in tēpore laboris sui aduersus tentationum procellas dari sibi uerbū consolationis exposcit, ut posit forti quæ ingeruntur mente tolerare, ne aliqua mœstitiæ perturbatione lassetur. In eo igitur obsecrat misericordiā dei, ne auxilio destitutus expediendi, cœptam militiam derelinquat. Deniq; adhortationis diuinæ esse misericordiā, euidens testimoniū docet. Moysi em̄ dicit deus: Miserebor cui misertus ero, & misericordiā præstabo cui misericordiā præstitero. Igitur non est uolētis neq; currentis, sed miserantis dei est. Fortè dicas: Ergo non debemus uel uelle currere? Atqui negligentes deus deserere consueuit. Non ergo hoc dicit, sed quid dicat consideremus. Non uolētis neq; currētis hominis perseuerantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserantis dei est, ut possis cōplere quæ cœperis. Deniq; iterū Moysi dicit: Quia in hoc ipsum te suscitaui, ut ostendam in te uirtutē meam. Colligitur igitur adhortationē diuinæ misericordiæ deputandam. Vnde sequitur: Ergo cui uult misereturr, & quē uult obdurat. Hunc miseratus hortatur, illū non reuocat execratus. Et uerè misericordia est dei nostrarū militia passionū, per quam nobis peccata minuuntur. Deniq; Lazarus pauper quia in hac uita tolerauit mala complurima, in gremio Abrahæ requiē consolationis in uenit: ille aūt diues qui consolationē habuit in seculo, post curricula uitę huius fructum quietis amisit. Quē si miseratus esset deus, castigasset potius in hoc seculo, ut postea nō flagellaretur. Deniq; Iob licet grauiter flagellatus, & quidē flagellis plurimis inopiæ, amissionis filiorū, doloribus corporis, opprobrijs amicorū, consolatione tamen fruitur æterna. Ergo quanto maiores tribulationes fuerint, tanto uberior consolatio reseruat. Et tamē ne cadas atq; succumbas: quanto maiores tentationes uideris, tanto magis roga uerbū dei ut adhortationem tibi afferat: sicut rogauit & Paulus, qui ait: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi: pater misericordiarū, & deus omnis cōsolationis, qui nos exhortat in omni angustia, ut possimus & ipsi cōsolari eos qui sunt in omni tribulatiōe, per exhortationē qua & ipsi aduocamur à deo, quoniā sicut abūdant passiones Christi in nobis: per Christū abundat etiā cōsolatio nostra. Tāta ui apostolicæ petitiōis rogat ut cōsolationē accipiat à Dño in omni tribulatiōe, quo nō solū ipse induat tolerantiā, uerū etiā alios cōsolet, ut & ipsi possint ppriæ mētis angustias sustinere. Si igit ipse in omni tribulatiōe idoneus fueris approbatus, tunc demū dignus eris qui cōsolationē accipias in omni tribulatiōe. Et tñ non omnis passio diuina consolatio est: sed quæ passio pro Christo est, hæc cōsolationē Christi meret. Pulchre aūt addidit: Secundū uerbum tuū seruo tuo. Ipse enim dñs pro suo nomine præliantibus auxiliū pollicet, dicens: Cum ergo tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabit enim uobis in illa hora quid loquamini. Nō enim uos estis qui loquimini, sed pater meus qui loquitur in uobis. Ergo ne impares simus certamini, diuinū semper oremus auxiliū, ut nobis tribuat adhortationē. Si enim habeamus eū qui nos exhortet, nō facile cedimus. Plerique aūt habēt: Qui cōsolat nos: nec abhorret à uero. Instigātis enim aliquē blāda quędam est exhortatio quæ certantē studio laudis accēdat, & uelut quadā cōsolatione demulceat, ne laborū asperitate reuocetur. Veniant mihi miserationes tuæ, & uiuā, quia lex tua meditatio mea est.] Cui lex dei meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ ut uiuat in æternū. Quomodo enim beatus quis potest esse sine miseratiōe diuina? Beatus aūt qui in dñi lege die ac nocte meditat. Sed qui meditat in lege, erudit in lege: & quem lex erudierit, dñs erudit, qui locutus est legē. Ideo q; scriptū est: Beatus quē tu erudieris dñe

Roma. 9

Ibidem

Lucæ 16

2. Cor. 1

Matth. 10

Psal. 1

Psal. 93

& de lege tua docueris eum. Discamus ergo & nos in lege meditari, non auocemur se-
cularibus illecebris, non occupemur impedimentis, sed semper ad legem simus attenti.
Psal. 36 Scriptū est enim: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciū. Hoc
Rom. 10 in ueteri Testamento. Audi dicentem & in nouo: Prope est uerbum in ore tuo, & in cor
ad Tit. 1 de tuo. Et maximè hanc meditationē sacerdotibus necessariam ostēdit, ad Titū scribēs:
Quia debet episcopus amplecti eum qui secundū doctrinam est fidelem sermonem, ut
potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quod utiq; soli-
1. Tim. 4 citæ atq; intentæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis. Et ad Timotheū scribens
ait: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Lectio enim frequens, nec intermissione
aliqua destituta, doctrinæ munus operatur. Quod aūt poscit ut uiuat, frequenter ostendimus huius corporis uitam ueræ uitæ gratiam non habere, sed illam ueram uitam fore, cuius bona unusquisq; sanctorum credit se uidere in terra uiuentium. Quod credimus nos uisuros, non præsens utiq;, sed futurum est. Confundantur superbi, quoniam iniu-
stè iniquitatem gesserūt in me: ego aūt exercebor in præceptis tuis.] Superius ait idem
Psal. 7 propheta: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Nūquid hic maledicit ijs qui in se iniqua
gesserunt? Non utiq;. Videbat enim charitatem etiam inimicissimis deferendam quum
uenisset Euangelij prædicator. Vnde arbitror, quia quasi medicus uelit eos ipsos sanare
qui læserint, ut iniquitatis suæ contemplatione conuenti, de propriis flagitijs erubescāt:
in quo non solum propheticam incipiunt probare patientiam, uerumetiam emendare
suam insolentiam. Pudor enim plerunq; corrector est nostri: & dum incipit nos pudere
commissi, ne diutius pudeat, deserere quæ erubescenda sunt, admonemur. Nō ergo ma
ledicit propheta, sed quasi bonus medicus uult illos cognoscere quid fecerint, ut cū in
suam conscientiam receperint, quanta suorum sit colluuies delictorum, incipiant eru-
bescere, erubescētes aūt possint prioribus renūciare peccatis. Cōsideremus nūc aliquos
fornicantes, inequitantes uiduis ac pupillis, aliena rapientes, & in his non solum nō eru
bescere, sed etiam gloriari solere, tanquam uel pulchritudinis uel potentię suę titulos de
Philip. 3 ferentes: de quibus bene dixit Apostolus quod eorum gloria in cōfusione ipsorū: eo de
testabiliores ipsis criminibus suis, quod cum tanta committant, non confundantur. Ve
rūm eorum si quis postea ueniat in Ecclesiam, credat in dominum Iesum, audiat Euāge-
lium, cōpungatur corde, tunc demū incipiet quàm atrocia & grauia deliquerit agnoscere,& in ijs quæ agnouit, erubescere. Quid sit autem exerceri in præceptis tuis. In lege didicisti,
Exodi 23 modo existimē, nisi quia dixit: Ego autem exercebor in præceptis tuis. In lege didicisti,
hoc est, si bos aduersarij ceciderit uel iumentum, ut non deserendum existimes, sed po-
tius eleuandū. Quod aūt ait, Iniuste iniquitatē gesserunt: in quem hoc dicatur cōsidera,
nisi in eum qui forte iuste iniquitatem gerat, id est, si læsus per legem se cupiat uindicare
iuxta præcepta Moysi, iuste uidetur facere iniquitatem, sed non secundū Euangelij præ-
Matt. 9 cepta. Et ideo ait: Non ueni uocare iustos sed peccatores. quia Iudæi ad uindicandum se
1. Cori. 15 authoritate legis utuntur. Habes hoc & in Apostolo: Sobrij estote & iustè. Non solum
sobrios nos, sed etiam iuste sobrios esse debere docuit euidenter. Potest aliquis & sobri
us esse, & non iuste sobrius, ut sobrius sit à uino, & non sit sobrius æquitate atq; iustitia.
Est enim crapula iniquitatis. Potest & aliquis ebrietati & luxuriæ semper indulgens, dū
aliena tamen diripere conatur, eo occupatus studio sobrius esse à uino, & non sobrius à
rapina: nec iste iuste sobrius. Ideo Apostolus admonet ut sit in nobis iusta sobrietas. De
nique addidit. Et nolite peccare. Qui enim peccat, & si sobrius sit, non potest tamen
tanquam iuste sobrius prædicari. Nolite, inquit, seduci, hoc est, ne alieni erroris ebri-
etas uos faciat temulentos. Corrumpunt bonos mores colloquia mala, eò quòd ore &
labijs infidelium tanquam ebrietas quædam moribus audientis infundatur. Meritóque
Ibid. addidit: Sobrij estote iuste, & nolite peccare. Ignorantiam enim dei quidam habent,
ut sobrius ille sit qui non habet ignorantiam dei, nec titubat ebrietate perfidiæ. Iuste au
tem sobrius, in quo operum gratia cum fidei sobrietate resplendet. Conuertantur
ad me qui timent te, & qui sciunt testimonia tua.] Alius habet, maxime iuxta Græcum:
Conuertantur mihi. Si ad me legimus: conuertātur qui timent deum, ne commissis pro-
prijs erubescant, uel certe luant supplicia delictorum, Conuertantur autem ad dei seruu
lum prophetęq; doctrinam, ut dediscant pudenda committere, & tanti emendatione
docto-

doctoris exuant mores suos, delictorumq; labe detersa, uirtutũ induant disciplinam. Si autem ita legimus: Conuertantur mihi: hoc est, quoniã exercebor in præceptis tuis, conuertantur mihi iam non peccanti, iam non erranti. Conuertantur, inquit, qui timẽtes te proprijs renunciauere peccatis, ut consortio iustorũ propheta ad uberius prouehatur, & ipse de ea gratia quæ in ipso est, plurimum uel primum conferat audiẽtibus. Conuertantur igitur iam non peccante me, iusti ad iustum. De testimonijs autem puto iam non opus esse repetere, cum ante iam dictum sit. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.] Quanto excelsior est propheta uel munere prophetiæ, uel regni gratia, tanto magis sequitur humilitatẽ, & docet quid nos debeamus imitari, eò quòd propheta tantus immaculatũ cor fieri sibi deposcit. Suprà postulauit: Cor mundum crea in me deus. Nõ dixit fac, sed crea, ut de integro cor eius instauret & mundet. Maior quidam in hoc sermone ambitus est. Grande enim cor est à domino creatũ, quod recipiat uerbum de cœlestibus uirtutibus ac potestatibus. Grande cor quod recipiat ipsum dominum dicentem: Inhabitabo in illis, & deambulabo in ipsis. Vt hæc igit recipiat, creatorẽ sibi cordis sui nõ angelum fieri, sed ipsum dominũ deprecatur qui cœlum creauit & terram. Et bene ait, Immaculatum: quia cor hominis uelut indecentiũ cogitationũ colluuione maculatur. Si cogitatio ipsa polluit, quanto etiam facta ipsa contaminant? Noli extraordinarijs cogitationibus aduersa naturæ contaminare penetralia, ne id inquinamento graui polluas quod putas habere te mundum. Manus lauas quasi possis crimina eluere, cum mentem tuam uel nudis cogitationibus inquinatam lauare non possis. Et Pilatus manus lauit, sed cor suum lauare non potuit. Mansit scelere pollutus, quamuis manus suas aquæ infusione lauisset. Audi quia & cogitatio inquinat: Non quod intrat in os, coinquinat hominẽ, sed quod exit de ore. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Si ergo intus coinquinaris, prius mũda quod intus est. Si quod intus est mũdaueris, & exteriora mundasti; ut si aqua turbida influat, frustra putas lacum esse mundandum. Si fons profluat cœnolentus, receptacula tersisse nihil proderit, cum in fonte sit uitium. Ipse tibi ante purgandus est, ut fluat omne quod purum est. Cor tuum cogitationum tuarum est scaturigo. In illo fonte uel turbida aqua imputitatis euomitur, uel sinceræ pietatis unda prorumpit. Didicisti cor esse mundandũ, disce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem iustificatio legitima, hoc est, confessio peccatorũ. Deniq; publicanus ille qui peccata propria fatebatur, iustificatus magis de templo quàm pharisæus exiuit, quia ieiunia sua & munera pharisæus atq; innocentiam præferebat. Munda ergo aquam tuam, illam aquam de qua dictum est: Aqua alta cõsilium in corde uiri. Bonam tibi aquam natura dedit, nisi eam cœno tuo polluas, ipsa te diluit, si pura, si simplex, si etiam naturalis sit, si nihil habeat sordidum atq; terrenum. Quid mali est si ea aqua quæ mundare debeat, polluat? Sed non est aqua tua quæ te polluit. Ista aqua aliena est. Deniq; dictum est tibi: Ab aliena aqua abstine te. Aliena aqua mentitur & fallit, & contrarium naturæ profluit. Ideo ait: Filij alieni mentiti sunt mihi. Nam si alieni non fuissent, utiq; non fefellissent. Nemo enim glorietur castum se habere cor, quemadmodum Salomon dixit: sed qui gloriatur, in domino glorietur, qui sanctis suis cor mundum creare dignatus est, & immaculatum facere iustificatiõibus suis. Quæ sint iustificationes, audisti dicentem: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Ergo qui iniquitates suas dicit, iustificatur: qui autem iustificatur, non confunditur, quia pudorem peccatorum matura confessione præuenit.

Luc. 18 Prou. 20 Psal. 17 2. Cor. 1 Esa. 43

SERMO XI.

ד Ndecima litera Caph incipit, quæ latina interpretatione significat, Curuati sunt. Sonus interpretationis ipse nos docet quid sit curuari. Qui enim inclinatur in terram, curuari uidetur. Vnde ait propheta sub hac litera: Paulò minus consummauerunt me in terra. Curuatur aũt qui agit pœnitentiam, eò quòd ceruicẽ suam curuat dum humiliatur ad dominũ, & interiorẽ magis ceruicẽ, id est, ceruicẽ mentis & cordis. Nam de hac ceruice dictum est: Nec sic flectas ut circulum collum tuum. Qui enim cor suum non flectit, frustra ceruicẽ suam flexerit. Docet etiã Hieremias prophetа humilitatem hac interpretatiõe signari. Ait enim sub hac litera in Threnis: Quia

non

non repellet in æternum dominus, quia cum humiliauerit, miserebitur secundũ multitu
dinẽ misericordiæ suæ, quia non humiliauit toto corde suo, neq; repulit filios hominũ.
Bonum ergo curuari, ut humiliemur domino, & dominus misereatur. Deniq; & in supe
rioribus sub hac litera idem Hieremias propheta ostendens gemitus & humilitatẽ ple-
Thren. 1 bis ait: Omnis populus eius ingemiscentes, quærentes panem, dederunt desideria sua in
escam ut reficiant animam. Vide domine & aspice quia facta est sine honore. Ergo qui
animæ suæ quærit refectionem, humilitate curuetur, quo possit citius ad domini perue
nire misericordiam. Ideoq; tanquam curuatus multo amplius anima ac mẽte quàm cor-
pore, exorsus est Dauid dicens. Defecit in salutari tuo anima mea, & in uerbum tuum
speraui.] Non usitatus sermo nos capiat, ut tanquam corporeas fatigationes defectio-
nem huiusmodi iudicemus. Neq; enim hoc solum dixit, Deficit anima mea, sed deficit
in salutare tuum. Itaq; ut de usu capiamus exemplum, si uerbi gratia dicamus: Deficit il-
le in illam, uidetur exprimi hoc uerbo quod totus in mulieris desiderium cupiditate trã
sierit. Et quicquid est quod uehementer expetimus, nisi eius maturiorem habeamus ef-
fectum, id nos uidetur longa quadam intentione lassare. Amor impatiens die noctuq;
meretricias fores pulsans, si diutius potiendi desideria differantur, ipsa deficit expecta-
tione dum sperat, in quo utiq; non finis amoris, sed incrementum est. Et quicquid est de
siderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animam
qui desiderat: si tamen spes propior assurgat, dat uires spes proxima. Si autem absentia
sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat quæ concupiuit, animæ suæ patitur defectio-
nem. Itaq; quanto longius est illud quòd desideratur, tanto magis deficit qui desiderat,
Id ergo deficere est, in id unumquemq; totis studijs migrare quod diligat, illud cogitat,
illi adhæret, illud personat quod receperit diligendũ, in id quadã animæ defectione trã
Tob. 5 funditur, ut si mater filij expectet præsentiam, quemadmodũ expectabat Tobiæ uxor fi
lium peregrinantem, deficiens à desiderio, & in angustijs constituta, & tanquàm resolu
ta uiribus. Quid enim aliud nisi defectum quendam eius uerba significant? Sed quo ma
gis lassatur affectus, eò amplius amor crescit: & quo diutius abest qui desideratur, eò ex
pectantis desideria maiore quadã ui amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur
& augetur. Hinc ergo colligere possumus quid sit: Deficit in salutare tuum anima mea.
Etenim spiritui adhærẽs anima deficit ab eo quod est anima, & fit unus spiritus: quoniã
1. Cor. 6 qui adhæret domino, unus spiritus est. Itaq; sanctus & timens deum, nescit aliud deside-
rare, nisi salutare dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum
totis intendit uiribus, illum gremio mentis fouet, illi se aperit & effundit, & hoc solũ ue-
retur ne illum possit amittere. Itaq; quanto maiore desiderio exercitata fuerit anima cu-
piens adhærere saluatori suo, tanto magis deficit. Ergo ista defectio imminutionem qui
dem fragilitatis, sed assumptionem uirtutis operatur. Deniq; ipse alibi dicens, Sitiuit in
Psal. 62 te anima mea, subiecit infra, Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Qui e-
nim sitit cupit semper adhærere fonti, nec aliud sibi nisi aquam expetere & contingere
uidetur, ut ipso pascatur affectu. Suscipiens ergo me dei dextera, animæ meæ inhians, &
Gal. 2 de sua uirtute mihi impartiens, facit eam esse quod nõ erat, ut dicat: Viuo autem iam nõ
ego, uiuit autem in me Christus. Discе autem etiam hoc exemplo defectionem istam ni
Psal. 83 miæ esse cupiditatis. Concupiscit enim & deficit anima mea in atria domini. Ante con-
cupiscens, inquit, & quasi totam se effundens in concupiscentiam, longo fine suspensa
defectione dissoluitur. Deniq; quomodo deficiat anima in salutare dei, Hieremias do-
Hier. 20 cet. Et factũ est, inquit, in corde meo ut ignis ardens, flammans in ossibus meis, & disso-
lutus sum undiq;, & ferre non possum. Hoc igitur inflãmatus desiderio, ait Dauid: Defi-
cit in salutare tuũ anima mea, & in uerbum tuũ speraui. Rectè sperauit dixit in uerbũ. An
te enim spes præcedit, & ideo sequitur defectio. Sperauit aũt in uerbum quod prędica-
tum est esse uenturũ, quod potest intelligi de dei uerbo. aut certe in uerbũ sperauit, qui
uerbo cœlesti credidit, quo domini nostri Iesu Christi annunciat aduentus, uel quo eius
gloria declarat. Ergo propheta cõsiderãs quæ legerat, & cernẽs quod cũ adesset corpo
ri uelut quibusdã ligatus uinculis huius uitæ, aberat à salutari dei, concupiscebat, deside
rabat, deficiebat, & toto dissoluebat affectu, ut totus illius fieret quod desiderabat: sicut
Psal. 141 etiã in posterioribus ipse dicit: Effundo in cõspectu eius orationẽ meam, tribulationem
meam

meam ante ipsum pronuncio, in deficiendo ex me spiritũ meum. Deficit enim eius spiritus: imò ab eo deficit spiritus suus, qui seipsum negat ut adhæreat Christo. Vnde semitæ eius cognoscuntur à domino, quia non sunt carnis, sed Christi semitæ. Etenim requirentium deum uia Christus est: Et nos igitur concupiscamus illud æternum salutare dei, nõ concupiscamus pecuniam quam auarissimi concupiscunt, non concupiscamus alienæ uxoris decorem, non ambitionis exagitemur desiderio, non seculari intendamus gloriæ, non fallacis circumscriptionis studijs occupemur, non proximũ circumuenire iniquitate cupiamus, non postremo partes uulpium simus in terrenæ uoluptatis interiora demersi, tanquam exules æternorum, & de illa supernæ spei præsumptione deiecti. Attollat igitur se anima nostra deficiens uiribus suis, ut adhæreat salutari dei, qui est Christus dominus Iesus, quod interpretatione dicitur domini salus. Ipse est enim salus uera, ueritas, uirtus atq; sapientia. Qui igitur deficit sibi, ut uirtuti adhæreat, amittit quod suũ est: accipit, quod æternum est. Defecerunt oculi mei in uerbum tuum dicẽtes, quando cõsolaberis me?) Suprà πρακτικὴν, hic θεωρητικὴν: Ibi in salutare deficit anima, eò quòd concupiscit eum cuius passione seruata est, hic in uerbum domini prophetæ oculi defecerunt. Et uideamus ne quemadmodum illic adhærens Christo anima deficit in unũ spiritum, & fit unus spiritus, ita & deficiant oculi ut fiat una mens. Oculi enim mentis isti sunt, oculi scilicet interioris hominis, non hi oculi qui ministerio fungunt̃ obtutus. Est enim oculus & mentis & carnis. Sed ille cæcus est oculus qui nõ uidet quæ diuina sunt, qui frustra mente carnis inflatus est. Est & alius oculus, sensus Christi, quo ecclesia uidet Christum, sicut ipse dicit ad sponsam: Corde nos cepisti ab uno oculorũ tuorũ. Meritò uno oculo Christus uidetur, quia non uidetur oculo carnali, aut quia duos oculos habẽs Ecclesia, moralem & mysticũ, fidei oculo plus uidet Christũ. Mysticus enim oculus acutior est, moralis dulcior. Et fortasse isti oculi sunt, quibus Paulus uidebat æterna, ubi cœpit corporalia non uidere. Deniq; qui Christũ nõ uidebat priusquã oculos amitteret, uidit eũ posteaquã uisum amisit oculorũ. Vidit eum qui dixit: Quis es domine? Videbat utiq; Christum, quem etiam dominũ fatebatur. Et infrà: Domine, inquit, quid me uis facere? Non ergo uidebat eum, cuius expectabat imperium? Quibus igitur oculis uidere Paulus plus cœpit, nisi ijs quos nobis ipse monstrauit dicens: Orabo spiritu, orabo & mente? Deniq; ut scias quia uidit orando: Factum est (inquit) reuertente me in Hierusalem, cum orarem in templo, pauorem habui, uidi illum dicentem mihi: Festina, & exi citius de Hierusalem. non enim recipiunt testimoniũ tuum de me. Isti ergo oculi in uerbũ dei deficiunt, & dicunt, Quando cõsolaberis me? Istis oculis prophetæ dicebant̃ uidentes, quia per reuelationẽ ea quæ erant abscondita, mẽte cernebant. Quid est oculos deficere? De corporalibus dicamus, ut intelligamus de spiritalibus. Nonne quãdo aliquẽ desideramus & speramus affore, eò dirigimus oculos, unde speramus esse uenturũ? Itaq; contenti diu quotidiana expectatione deficimus. Sic Anna circumspiciens in uiam, solicitis aduentũ filij explorabat excubijs. Sic Dauid propheta currente de prælio altero post alterũ qui nunciaret, positis in turre exploratoribus interrogare de salute filij pater sedulus gestiebat. Sic teneræ uxor ætatis de specula littorali, indefessa expectatiõe cõiugis præstolat̃ aduentũ, ut quãcunq; nauim uiderit, illic putet cõiugẽ nauigare, metuatq; ne uidendi gratia dilecti alius anteuertat, nec ipsa possit prima dicere: Video te marite: sicut Anna dicebat ad filiũ, Video te fili, amodò libentius moriar. mortis uidelicet dolorem exoptati conspectus suauitate nõ sentiens. Ergo ut illa quæ adueniẽti uiro se optat offerre, ablegatis omnibus domesticis occupationibus, semitas uiantis aut pedũ uestigia legit: sic propheta curis exutus secularibus, interiorũ oculorũ in uerbum dei peruigil custos usq; ad defectionem sui intendebat obtutus, corpus suum redigens seruituti, & animam suam ad humilitatis patientiã araneæ modo tabescentis erudiens. Desiderabat enim sicut ceruus fontes aquarũ, & sitiebat in dominũ deum suum, cupiens eius uidere præsentiam, & apparere ante faciem dei: nimioq; desiderio & uehementi cupiditate deficiens, tunc se habiliorẽ ijs quæ à domino posceret impetrandis prophetica gratia præsumebat. Et nos igitur intendamus cor nostrũ, ut possimus intelligere series scripturarum, & uerbũ uitæ nobis uenire à domino postulemus, atq; intellectũ dari. Si quis de longinquo uerbum dei obtutu mentis aspexerit, nondum planum atq; distinctum,

Cant. 4

Act. 9

1. Cor. 14

Tob. 10

2. Reg. 8

is uelut

is uelut quibusdam oculis interioribus uerbi nauigiũ appropinquare animæ suę cernit. Quo autem expressius uidere cœperit, eò magis quasi ad portũ ueritatis festinat accede re, & fit proximus inuehendæ. Defecerũt ergo oculi prophetæ in uerbum dei, dicentis: Quando consolaberis me? Si oculi isti significati sunt, quibus cernimus & uidemus, di cere debuerunt: Quando cõsolaberis nos? hoc est, non singulariter, sed pluraliter. Sed quia oculus mentis & oculus carnis unus oculus fiunt, & tunc homo consolatione fulci tur, cum caro & mens diuersa non cupiunt, sed unum desiderant, unum requirunt: ideo
Ioan. 10 intenti ad eum qui ait, Ego & pater unum sumus: isti quoq; oculi unum esse se confiten tur, quia uno atq; eodem desiderio officioq; fungũtur. Deficiebat ergo in uerbũ prophe ta. Nos autem ocioſos nos putamus, si uerbo tantummodo studere uideamur: & pluris æstimamus eos qui operantur, quàm eos qui studium cognoscendæ ueritatis exercent. Dicunt enim plerique: Ecce homo, & opera eius. quasi qui uerbo studeat, non operetur: cum magis opus istud quàm cætera sint. Si enim opus iustitia est, si opus temperantia, si opus fortitudo: utiq; opus est etiam sapientia. Istæ enim quatuor principales uirtutes ha bentur. Nã si operatur Christus secundũ quod iustitia est, utiq; operatur secũdum quod
Ioan. 1 uerbũ est. Et operabatur cũ esset in principio apud patrem. Deniq; per ipsum omnia fa cta sunt, ut scias operatorẽ omnium esse, & opus nostrum esse Christum Iesum. Etenim secundum quod uerbũ est, uerbum inquirentibus, grande opus uerbum est. Vnde cum Martha festinaret circa ministerium, Maria autem uerbum domini audiret: eaq; audie
Luc. 10 bat, ei quæ ministrabat meruit anteferri. Dicenti enim Marthę: Domine nõ est tibi cure quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuuet. respõdens di xit dominus: Martha, Martha, Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur illi. Ita uerbũ cognoscere maius opus esse quàm ministrare, diuinæ authoritate sententiæ defi
1. Cor. 4 nit. Sed fortasse dicat aliquis dictũ esse ab Apostolo; Quia nõ in sermone regnũ est dei, sed in uirtute. Scriptum non nego, sed in quo sermone, cognosce. Nempe quem effilatus effuderit, qui audientibus sermo prodesse non possit, qui sine ostensione fit spiritus atq; uirtutis, hunc sermonem Paulus non dignatur cognoscere. Vult enim magis uirtutem sermonis agnoscere. Deniq; nolebat talem suum esse Apostolus sermonem, qui in infir mitate ueniebat ut alios saluos faceret, & fortiores in timore & tremore: ut timentes ni hil metuerent nisi dominum Iesum, trementes pacem eius tranquillitatemq; seruarent.
1. Cor. 2 Audi ergo qualem Apostolus sermonem habebat. Et sermo, inquit, meus & prędicatio mea non in persuasione sapientiæ uerborum, sed in ostensione spiritus & uirtutis: quia fides non in forensi sermone sapientiæ, sed in ostensione spiritus, sed dei uirtute sinnaẽ. Ergo in sermone sanctorum uirtus est, in sermone autem forẽsi isto ac philosophico ua nitas mundi. Virtutem autem esse in sermone sanctorum, etiam iste propheta te docet,
Psal. 67 qui ait: Dominus dabit uerbum euangelizãtibus uirtute multa. hoc est, ut multa possint uirtute Euangelium prædicare. Probatum est ergo quod in Euangelij prædicatione sit uirtus. Prædicatio autem Euangelij, sermo sanctorum est. Ita dubium non reſidet quin in sermone sancto sit uirtus. Quoniam factus sum tanquam uter in gelicidio: iustifica tiones tuas non sum oblitus.] Vox ista, uox iusti est, qui mortificauerit suum corpus. Re cte enim uter dicitur iustus, qui expoliatus non nudus inueniatur. Vter nãq; de exuuijs fit animantis mortui. Igitur & nos peccato moriamur, ut uiuamus deo, atq; repleti spiri tus iucunditate, & suauitate lætitiæ, erimus exuuiæ spiritales, carẽtes infirmitate corpo rea, & integro mentis sinu infusam nobis diuinorum mysteriorum gratiam reseruãtes.
Matt. 9 De his utribus dicit, quia uinum nouum in utres nouos mittunt, qui uolunt utrũq; serua re, & corpus, & gratiam. Non effluat igitur tuus hic uter, non rimosus sit, non terreno in ueteraſcat situ, nec uinum nouum ueteres utres rũpat, quo scindantur utres, fundaẽ gra tia. Non iterum sole iniquitatis & nimia ui caloris aresçant, sed feruentium uiscerum cu piditates diuersæ niuali quodam frigore temperent. Frigescat æstus libidinis, & quoda continentiæ gelu, ieiuniorũq; restinctus, matutina oratione perfletur: quando sicut ros
Esa. 55 ita super terram nostram dei uerba descendũt, sicut imber super gramen, & sicut nix su per fœnum. Nescit utrẽ bonum ista nix lædere, nix quæ diuini splendore fulget eloquij. Nix hæc refrigerat, non adurit: fœcundat sata, non internecat. Nix hæc præceptio conti nentiæ est, quæ calorẽ facit corporeum frigere, & omnem naturæ interioris restinguit ardorem.

ardorem. Et fortè ideo cum Iesus resurrectionis suæ demonstraret gloriam, uestimenta eius erant candida sicut nix: ut non solum ipse alienus æstimaretur a contagione peccati, uerumetiam ne quicunq; resuscitatur, congelatis coniugij cupiditatibus resurgere fri gidus uideretur. In resurrectione enim neq; nubunt, neq; uxores ducunt, sed erunt sicut angeli dei in cœlo. Boni ergo utres frigidi, hoc est, in gelicidio constricti pruinis, non li bidinis calore resoluti. Vtrem autem corpus hoc dici, licet ex pluribus locis, tamen etiã inde intellige quòd Adam & Eua ubi imaginem deposuere cœlestis, quam antè portabant imaginem terreni hominis induentes, tunicas dicti sunt uestiti esse pelliceas. Corporales enim eos de spiritalibus fecerat culpa commissa. Nec illud absurdum ad intelligendum, quod ita se dicat factum Dauid sicut utrem in gelicidio, eò quòd in asperitate licet positus glaciali, mortificauerit tamen corpus suum ne sentiret hyemis illius asperitatem, quam saluator dicit grauem futuram esse fugientibus. Sicut enim glaciem nõ sentit uter, quia pellis est mortui: ita mortuus peccato propheta frigus peccati sentire non poterat. uel certè quod non frangatur necessitatibus, nec resistat caro menti, sed molliori ductu animæ se inflectat imperijs, & in hoc mundi gelicidio non arescat: uel quia corpus afflictionis sumus, & mortem domini Iesu semper in nostro corpore circunferre debemus. Hic est uter qui castigat corpus suum, non ut ille incrassatus & obesus populus, qui sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Hic est uter qui inebriat nõ uino, sed spiritu, in quo non botryo amaritudinis, non draconum furor, non furor aspidũ, sed poculum inebrians & præclarum. In hoc ergo gloriatur Dauid, quia factus est sicut uter in gelicidio, operationẽ peccati non sentiens. Et bene peccatum gelicidio comparatur. Sicut enim gelicidium ad nullum usum utile est, ad nullam operationem: sic culpa nulli prodest usui, nulli operationi: & ideo sicut gelicidium declinanda est, ne noceat & aduret. Bonum ergo mihi est fieri sicut utrem in gelicidio, ut possim non obliuiscì iustificationes domini, & earum liquore perfusus refrigeret omnis feruor internæ cupiditatis. Non ergo uacuum, sed plenum hunc utrem esse oportet, plenum spiritus, plenum iustificationum: ut peccata mea ipse confitear, ut luxuriam carnis meæ cõprimam. Moriendum est enim mundo, ut uiuamus deo. Si autem uiuamus carni, mors utiq; est carnis prudentia: uiuere non possumus deo, quia inimica est deo carnalis ista sapientia, & uita secularis. Quot sunt dies serui tui, quando facies mihi de persequẽtibus me iudicium?] Potest sic accipi: Quot sunt dies serui tui? quasi dicat: Quanti sunt dies humani? quantum tempus, quantum spacium? Cur inuidetur tam breui uitæ, ne tranquillo cursu istius seculi perfruamur? Cur in breui spacio tam multi persequentium nos laquei tendũtur? Assit iam iudicium, in quo pœna est perfidorum, in quo persecutoribus digna impietatis suæ precia redduntur. Vel sic: Quousq; insultare poterunt, quousque inquietare, qui nos diuersis modis quærunt affligere? Non serus erit terminus. Etenim propheta quasi celeritatẽ transcurrendæ istius uitæ, non annorum, sed dierum æstimatione subducit, dicens: Quot sunt dies serui tui? Et bene dies dixit, ut nõ solum moras annuas prophetica uisione trãscurreret: uerumetiã splendidũ sibi uitæ huius curriculũ uirtutũ lumine declararet. Meritoq; securus ait: Quando facies mihi de persequẽtibus me iudiciũ? Mihi, inquit, iudicium de persequentibus facies, non de me persequentibus iudiciũ dabis: quoniam non resurgunt impij in iudicio. Sed mihi, inquit, da iudicium, ut cum remuneraueris innocentiam, fidem prouehas, misericordiam corones, impij persecutores meritorũ pœnis propheticorũ iudicentur. Nõ absurdum etiam illud, ut quia breues dies & pauci sunt istius uitæ, non diutius gratiam suam dominus circa prophetam suum differat, sed ipsi iudicium de persequentibus faciat. Nam hic quoq; iudicium est de persecutoribus. Siquidem qui non credunt in Christo, iam iudicati sunt. Iudicium autem hoc est, quod dedit seruulis suis dominus Iesus, dicens: Habebitis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici. Et uerum iudicium, in quo torquetur inimicus, sicut ipse confessus est, dicens: Quid ueneristi ante tẽpus torquere nos? Hoc ergo deposcit uirtutum stabilitate fundatus propheta, ut subijciatur sibi non homo, sed ille qui locũ sibi in homine uindicauit. Vnde & Apostolus ipsum magis in hominis pectore putauit esse damnandũ, ipsum subijciendum, de quo ait: Cõterat deus satanam sub pedibus uestris cito. Ex hoc ergo persecutore iudicium sibi fieri gestit, ut fidei prophe-

Matt.22

1.Cor.15

Exod.32

Psal.1

Ioan.3

Luc.10

Matt.8

Rom.16

ticæ ueſtigijs aduerſarius conteratur, & cõminuat eum ſub pedibus ſuis propheta ſicut puluerẽ, & in hac corporis ſui militia conſtitutus, quamuis dies uitæ breues ſint, triumphum tamẽ de aduerſario adipiſcatur, quo reformati hominis in ueterem gratiã, quem antè delictorum uinculis tenebat aſtrictum, & feruentis libidinis laſſabat æſtu, libertatẽ ingemiſcat, poteſtatem ſentiat. Subiectus eſt igitur aduerſarius ſecundum domini ſententiam. Etenim dominus Ieſus ueniens in hunc mundũ per uirginis partũ, ſubiecit animæ noſtræ omnes contrarias poteſtates, ut fide tua, uerbo tuo, cõuerſatione tua & operibus conterantur. Si ergo non conteris aduerſarium, tua culpa eſt, qui permiſſa nõ uteris poteſtate. In nobis eſt igitur ut aut ſubijciat aduerſarius, aut reſultet. Si emẽ actus noſter diſpliceat, incipit aduerſarius ſuperbire. ſi aũt bonis inhæreamus operibus, ut exerceamus ſtudia caſtitatis, iuſtitiæ, continentiæ, calcamus ſerpentem & ſcorpionem. Calcamus enim illum pedibus caſtitatis, conterimus & ſcorpionem, ne poſſit excutere: calcamus continentiæ ueſtigijs, uerecundiæ, iuſtitiæq; greſſibus. Poſſumus ergo & in hac breui uita triumphũ de aduerſarijs habere perpetuũ. Narrauerunt mihi iniuſti exercitationes, ſed non ſicut lex tua domine.] Bene optat iudiciũ ſibi fieri de perſequentibus, qui nõ ſolum opera iuſti impedire, uerumetiam fidem ſuperflua narratione conati ſunt. Etenim quaſi fabulæ cuiuſdam nęnias narratas ſibi dicit ἀδολεσχίας, hoc eſt, ſuperfluas loquacitates. Narratores enim ſuperfluí, ſicut hirundines, diſputationis ſuauitatẽ loquacitatis continuatione corrumpunt, ut Ariſtotelis ſententia eſt. Superflua igitur loquit hæreticus, qui non loquit ueritatem, non loquit ſecundũ legem. Qui aũt fundatus in lege eſt, nouit à ueris falſa diſcernere: ſpiritalis eruditione doctrinæ, hæretica ab euangelicis dogmata ſeparare. Ideo ne multi decipiant, iubetur à dño tacere peccator. Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? Conticeſcat igitur perfidia, quę tramitẽ ueritatis tenere non nouit, quæ dei præcepta non ſeruat. Cur enim per os ſuum aſſumũt peccatores euangelium ueritatis, in quorũ ore ueritas non eſt? Omnia aũt præcepta dei ueritas, Chriſtus aũt ueritas. Non ergo eſt Chriſtus in diſputationib. perfidorũ, qui dicit perfido: Os tuũ abundauit nequitia, & lingua tua cõcinnauit dolum. Lingua enim quæ uult aſtruere mendaciũ, dolũ utiq; nectit aſſertis. Sed huiuſmodi fur eſt, & cum fure concurrens. Multi enim fures ſunt, qui uerbũ dei nõ ad utilitatẽ ſuam furant & rapiunt: ſed ad fraudẽ, & patrimoniũ quoddã cœleſtiũ ſcripturarũ in ſua furta detorquẽt, adulterina ſibi compendia colligentes, dolo magis quàm ueritate quæſita. Sed hi ſunt qui miſcent aquam uino, tanquã caupones peſſimi, adulterantes ſermonẽ dei, & inſincerũ proferentes quicquid perfido & tanquã ebrio ore deprompſerint: & ideo aliena loquunt à lege. Vnde eos bene propheta refutat atq; reprehendit, ſciens quid præſcripto legis accepe-rit. Rectè ergo ait ſequẽti uerſiculo: Omnia præcepta tua ueritas: iniuſti perſecuti ſunt me: adiuua me.] Quaſi bonus miles bella non refugit, nec conflictus quamuis grauium præliorũ bellator paueſcit aſſuetus: ſed fidelis & prouidus aſpirare ſibi diuinitus orat auxilia, & piæ deuotionis fidelia ſibi adiumenta depoſcit. Ideoq; non petit ut perſecutiones ſint, ſed in perſecutionibus ſe poſtulat iuuari. Sciebat enim quòd omnes qui uolunt piè uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patiunt. mauult ergo perſecutiones pati, ut piè uiuere in Chriſto poſſit. Et bene non unam perſecutionẽ, ſed multas perſecutiones dixit: nec expreſſit uocabula perſequentiũ, quia multi perſecutores, non ſolũ quos uidemus, ſed etiam quos non uidemus. Perſequunt nequitiæ ſpiritales, perſequit hæreticus, Iudæus, gentilis. Omnes ergo ſub perſecutoribus, qui uolunt piè uiuere: quia ubi multi perſecutores, nullũ à perſecutionibus uacat tẽpus piè uiuere geſtienti. Et fortaſſe cum perſecutiones non patimur, tanquã condemnati habemur, quia nequaquã piè uiuere uolumus in Chriſto. Nam utiq; cum ſit definita ſententia quòd omnes qui uolũt piè uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patiuntur: uidetur is qui perſecutiones nõ patitur, abdicatus, quod non ſit piæ intentionis in Chriſto. deuotionem etenim fidei prælia per-ſequuntur. Si deſint certamina, uereor ne deeſſe uideatur, qui certare deſideret. Omnia, inquit, præcepta tua ueritas. Quæ præcepta niſi illa: Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur: Hæc præcepta Dauid anterior licet incarnationis ſacramento, iam tamen audiebat in ſpiritu, & quaſi Chriſti diſcipulus non ſubtrahebat ſe paſſionibus, ſed certaminibus offerebat, ſciebat hoc ſolum ſibi ad gloriam fructuoſum, hoc ad cuſtodiam ſalutis tutum,

Pſal. 49

Ibid.

1. Tim. 3

Ioan. 15

tutũ, ut frequentibus exercitijs iusti pietas confirmaretur. Cito enim fides inexercitata languescit, & crebris ociosa tentatur incõmodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello uirum externa fraus instruit, & glorioſæ prouehit palma uictoriæ. Pax ergo fideli, corruptelę materia est. Quàm pulchrè nobis persecutiõis profuerit cessare tempora. Intentus sicut medicus erat intimæ ad deum mentis affectus, illi adhærebat, nec ullas cogitationes obstrepentes sibi precantis animus sentiebat, totis uisceribus fundebatur oratio, & quidam miscebatur sermo cum domino: quotidiana meditatio habebat iam contemptum periculi, & usum calcandæ mortis receperat, quod amisimus exercitium. Tentant ocia quos bella non fregerant. Periculosa igitur & pacis ocia. In pace plures persecutiones esse cœperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. Non uacabat animo, corporis delectatiõe dissolui, & huiusmodi quę secundis rebus excitari solent, admittere passiones. Ideo apostoli cum cæderentur, includerentur, exultabant quòd illis iniurijs æternæ gloriæ meritum lucrabantur, qui digni fuerant pro Christi nomine iniurias sustinere. Non illis erat cura de patrimonio, studium de potestatibus & honoribus: non de prælatione, quæ etiã iustos exagitare consueuit: sed ille se præferri putabat, qui esset pluribus uerberibus flagellatus. Meritò ergo Dauid occasiones expetit triumphandi, & certandi copiam pro deuotionis eruditione non metuit, qui nouerit persecutiones iniquorũ proficere ad incrementa uirtutis. Non enim dixit: Quia persecutiones patior, adiuua me: sed iniustè, inquit, persecuti sunt me, adiuua me. potest enim quis & persecutiones pati, sed non iuste: quia est etiam iusta persecutio, si oderimus obscœnos, si infesti simus iniustis, si inquos uelimus opprimere, ne pluribus noceant, si auarum fraudis suæ compendijs exuamus, si execremur insolentiam superborum. Qui autem pro fide, pro iustitia, pro castitate persecutionem patitur, bene is dicit: Iniustè persecuti sunt me, adiuua me. Paulo minus consummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.] Non superfluò diuinum quæsiuit auxilium, qui sciebat sibi aduersus fortes esse certamen, pluraq; sibi prælia præparata dimicaturo nunc aduersus nequitias spiritales, quæ sunt in cœlesti bus: nunc aduersus calorem sanguinis, & innumeras corporis huius illecebras, quarum nexu uario & diuturna colluctatione lassatus, pudẽdo corruisset certamine, nisi fidei se radice tenuisset. Discamus cauere quem gerimus. hic nobis hostis domesticus, hic inimicus grauis est nostri ipsius corporis. inflammat uino, ardet libidine, decore mulieris occurrantis accenditur, spe alitur, desperatione uritur, illecebris exuritur, nõ euaporat affectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, lasciuia dissoluitur, labore afficitur, solicitudine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot aduersarias passionũ uices se etiam iustus tenere uix possit, cum impares simus etiam singularum certamini passionum? Quem uel sola libido non iudicet? quem non subiuget auaritia? quem formido non quatiat? quem luxuria non eneruet? quem lasciuia non emolliat? quem non supplantet ebrietas? Quasi conscius igitur carnalis infirmitatis, & explorator persecutionis hostilis, dicit: Paulò minus consummauerunt me in terra. In hac utiq; terra, in qua Adam primus corruit, & pudenda prolapsione deiectus, totius gressum futuræ posteritatis inflexit. In hac terra, in qua Cain munera fraterna dolens suis esse prælata, ruina est stratus inuidiæ. Deniq; uox fraterni sanguinis clamauit à terra. In hac terra Noe sanctus quem totius orbis diluuia in tantis procellis & fluctibus peruigilem probauerunt: ubi tamen ocioso curas laxauit corpore, ibi somnũ ebrietatis offendit, quando mediastino filio delirante, contumeliam paternæ pietatis incurrit, docẽs periculosa ocia secura esse uirtuti. In hac terra Loth reuerendi parentis imitator, quem non luxuriantis Sodomitanæ plebis decolorauit impuritas, non flamma Sodomæ ardẽtis inuoluit, ueniabilis quidem ignorantiæ, pudendæ tamen cõmixtionis non euasit incestum. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. In hac terra etiã Dauid propemodũ consummatum esse se dixit. Siquidem pene motos pedes suos, & gressus suos paulò minus sensit effusos, quia diuitias seculares, & successus corporalium prosperorũ loco beatitudinis æstimauit peccatoribus abundare. Propter quod etiam flagellatus est, sed flagella iusto remedia salutis sunt. Castigat enim dominus quem recipit. Vnde etiã Dauid conuersus ad domini charitatem, atq; in eius eruditus præceptis, nõ ignorans quòd caducis

Gen. 3
Ibid. 4
Ibid. 9
Ibid. 19
Psal. 72
Hebr. 12

caduca fortuito quodã deferãtur euentu,& quia non diuitiarum abundantia,sed uirtutum gratia uitæ probabilis merita pensant, dilexit magis quã reliquit mãdata dei, quib. solis potuit ingruẽtes nequitias spiritales,& insurgẽtes huius corporis appetitus in hac tam fragilis naturæ infirmitate superare. Magna igitur uirtus, quæ sub tãtis persecutionibus cõstituta,& pene oppressa,tamen suũ non est oblita præsidium, nec mandata dei dereliquit. Ideo quia solum sibi deum profuisse cognouit, preces ad dominum dirigẽs, ait uersu sequenti: Secundum misericordiam tuam uiuifica me,& custodiam testimonia oris tui.] Quã uiuificationẽ sui postulet,supra diximus: quia nõ id precatus est quod habebat,sed quod desiderabat: id est,ut uiueret in æternum, intelligens uitæ beatitudinẽ in hoc fluctuanti & infido nobis corpore esse nõ posse, cuius imbecillitas propositũ animę derelinquat. Opus est ergo misericordia dei,ut cõtinua & perpetua sit in hoc corpore uiuificatio, quo quotidie iustus deo uiuat,peccato q; moriatur. Si enim culpa moriat in nobis, erit uita deo uiuens, & custodia præceptorũ cœlestiũ perseuerans: quam utiq; ille custodit, qui uiuificatur à dño. Denicq; uiuificari se antè poscit à dño, & postea custodiã mãdatorũ cœlestiũ pollicetur. Nõ enim cõmunis hęc uita custodit cœlestẽ mãdatũ, sed illa quæ munere fulcit æterno, per operationẽ gratiæ spiritalis. Possumus etiã sic intelligere, Quia iam propheta quæ erant legis agnouerat, optat aduẽtus dominici misericordiã, ut accipiat præcepta quibus lex adimpleat: ut non solũ adulteriũ sciret esse uitandũ, sed etiã concupiscentiã adulterij declinandã. Os enim patris Iesus dñs locutus est in Euangelio, eũ qui uiderit mulierẽ ad concupiscendũ eam, in corde suo adulteriũ perpetrasse. Quantũ Euangelio profecerunt studia castitatis, quo non solũ turpioris facti, sed etiã studij degeneris ablegat opprobrium? Qui sunt aũt de quibus dicit quòd paulominus consummauerũt eũ in terra, nisi persecutores? De quorũ uno ait dñs Iesus: Ite, dicite uulpi illi. hoc est de Herode. Et alibi cum se fraudulenter interrogari aduertet, dixit: Vulpes foueas habẽt,& uolucres cœli nidos ubi requiescant, eò quòd fraudulenter in terrestriũ passionum quibusdam latibulis demorẽtur. Inde etiam Sampson bimas uulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligauit faces,& dimisit eas per messes Allophylorum, per hanc figurã significans, quòd improbi ac fraudulẽti homines, et maximè hæretici, liberã linguam habeant ad latrãdum, sed exitus impeditos: aut religiosa principia, finẽ uerò fraudis suæ incẽdio deputatum. Ideoq; & trecẽtas uulpes dimisit: eò quòd perfidi crucis quidem se prędicatione commendare desiderãt, sed mysterium eius tenere non possunt, qui hac prędicatione cõposita & falsa atq; simulata urere magis fructus conantur alienos: cum utiq; uera crux domini non exurat aliena merita, sed fœcundet. Meritoq; scriptum est in Cantícis canticorum: Prędite nobis uulpes pusillas exterminãtes uineas, ut uineę nostræ floreant. Quo ostenditur quòd uel dominus Iesus, uel Ecclesia fraudulentorum dolos à uineis suis exterminandos esse pręcipiant, ne pauxillulis uineis noceant, quia adultis iam uitibus nocere non possunt. Hæreticus enim imperfectũ tentare potest, non potest supplantare perfectum.

Matt. 5
Luc. 13
Matt. 8
Iudic. 15
Cant. 2

SERMO XII.

LAmed litera duodecima incipit: cuius interpretatio, cor: uel ut alia interpretatio habet, seruo. Vnde uidetur admonere uel prudenter hæc intelligenda, uel solicite seruanda præcepta. nam hoc primus statim uersiculus admonet. Cor etenim sibi mundũ creari in superioribus hic propheta, ut legimus, postulauit. Cor sibi prudens dari orauit à dño filius huius Salomon. Qui ergo habet cor mundũ, qui habet cor prudens, ipse intelligit seriem subditorum uersuum, atq; uirtutem. Vnde & alibi inuenimus, Cor solum, id est, uel singulare, uel quod nulla illecebra huius seculi impedi at,& carnis possit interturbare sapientia. Qui autem habet cor, seruat mandata dei: quẽ admodũ legisti: Maria gestabat omnia domini saluatoris in corde suo, uel dicta, uel gesta. Circuncidamus ergo cor nostrũ: nihil corporeũ, nihil uile quæramus: uile autem omne terrenum. Nihil ergo terrenum, nihil seculare, nihil corporeum, nihil leue atq; mutabile in eloquijs constituamus cœlestibus. Eloquia enim domini, eloquia casta, ut in his mysteriorum cœlestiũ immaculata & pudica syncerítas spiritali interpretatione resplẽdeat. Non adulterina quadam opinione misceamus terrena diuinis, & illud inuiolabile sacramentum propheticæ uisionis, aut perennis oraculi, naturę nostræ æstimatione uio

Luc. 2
Psal. 11

lemus.

lemus. Ideo enim addidit: Argentum igne examinatũ, probatum terræ, purgatum septuplum: ut tanquam boni nummularij spiritu examinemus prophetici sermonis argentũ, secernentes domini pecuniam, atq; ab omni labe terrena salutaris fontis infusione purgantes, ut Christo digne sentire uideamur, qui ait: Nolite thesaurizare uobis in terra, ubi ærugo & tinea exterminat: sed thesaurizate uobis in cœlo. Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia: thesaurus tuus Christus est. Noli eum æstimare de terris, hoc est de creaturis, quia dominus totius creaturæ est. Maledictus, inquit, homo qui spẽ habet in homine. Sed mihi salus per hominẽ uenit. Vide tamẽ quid scriptura uetus dixerit: Et homo est, & quis cognoscet eũ? Ille ergo homo non humana mihi, sed diuina potestate omnia peccata donauit, deus in corpore dñs Iesus mundũ reconcilians sibi, quem redimebat à culpa. Thesaurus noster precios⁹ intellectus est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis, hæretica eum tinea, & impietatis ærugo consumet. Leuemus ergo & erigamus sensus nostros, nec impossibile iudicemus ut hæc humani corporis infirmitas ad cognitionẽ mysteriorũ cœlestium prouehatur, cum iam ad nos dñs Iesus, in quo absconditi erant scientiæ sapientiæq; thesauri, diuina sua miseratione descẽderit, ut clausa reseraret, aperiret latentia, reuelaret occulta. Veni ergo domine Iesu, aperi nobis & istius prophetici sermonis ianuam. multis enim clausa est, etsi prima specie aperta uideatur. In æternum, inquit, domine, permanet uerbum tuum in cœlo.] Vides etiã in te permanere debere, quod etiam in cœlo permanet ac perseuerat? Serua ergo uerbũ dei, & serua in corde tuo, & ita serua, ne obliuiscaris. Serua legẽ domini, & meditare, ne iustificationes dñi de tuo corde labantur. Docet te literę interpretatio ut serues diligenter. Docet prophe-
ta in subditis, dicens: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forte perissem in humilita-
te mea. In æternũ non obliuiscar iustificationum tuarũ. Legis ergo meditatio facit, ut tẽpora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus aduersis, sustinere & tolerare possimus: ut neq; humiliato nimis, neq; deiecto frangamur affectu. Deniq; dominus non frangi nos humilitate usq; ad desperationem uult, sed usq; ad correctionem. Vnde & Hieremias sub hac litera in Threnis ait: Vt humiliaret sub pedib. omnes uinctos terræ, & declinaret iudicium uiri contra faciem altissimi, & ad condemnandũ hominem, cum iudicatur, dominus non dixit. Et infrà: De ore altissimi non exibunt mala. Humilitas ergo quæ à deo est, plena iustitiæ, plena est æquitatis, quia non exeũt mala de ore domini. Deniq; qui humiliabatur à domino, dicebat: Humiliatus sum, & saluũ me fecit. Ergo sicut prudenter considerandum est, quando humilitas à domino sit causa probationis, quando etiã ipsa ab homine inferendę humilitatis impressio, quę tamẽ ipsa solet patientia & magnanimitate tolerari: ita etiã sapienter considerandũ, quid sit in æternũ in cœlo uerbũ dñi permanere, uel sicut aliqui codices habent, in seculum: quia Græcus εἰς τὸν αἰῶνα posuit, quod diuerse interpretati sunt trãslatores. Alij in æternũ, alij in seculũ. In seculũ ergo permanet domine uerbum tuum in cœlo. Et quomodo ipse dixisti: Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non prętęribunt? In seculũ permanet uerbũ, nõ ultra seculũ & secula? Secula enim tẽporis sunt. Cœlum ergo & terra, id est, istius mũdi operis prętęribunt, & tempora permanebunt? Alius qui spiritalis est, & iudicat uerba legis: In æternũ, inquit, domine permanet uerbũ tuũ in cœlo. Aeternitas enim uerbi manẽtis, opinionẽ uerbi prętereuntis excludit. Quomodo aũt permanet uerbũ in cœlo, si ipsum cœlũ prętęrit? Et quõ possunt stare culmina, si cadant fundamẽta? aut quomodo permanet habitator in habitatione sua, nisi & habitatio perseueret? Sed forte illud occurrat, quia scriptũ est: Erit cœlũ nouum. Verũ nec sic absolubile, quia nec in hoc potest permanere quod prętęrit: nec illud potest dici mãsisse, cũ cœperit. Tinea intellectum tuum scindet, si putes uerbũ sicut cœlũ uel incipere, uel prętęrire. Vnde si uirtutẽ prophetici sensus cognoscere uolumus, primum in his quę uisibilia & sensibilia sunt, & hic eum locum consideremus, ut ex eo quę sunt intelligibilia manifestemus. Si uerbũ dei in cœlo permanet, imitemur cœlum ubi permanet uerbum: permanet ordo solennis cœlestium statutorum, & beneficiorum domini crebræ uices solennibus muneribus perseuerant. Supernis nempe uel pluuijs, uel calore, uel fotu aeris huius infunditur terris, atque alitur larga fœcunditas. Cœlo annus labitur per dies ac menses, & tempora autumni atque hyemis, ueris quoque & puræ digestus æstatis. De cœlo uitæ tuæ imaginem cape:

Matt. 6

Hier. 17

Coloſ. 2

Thren. 3

Matt. 24

Eſai. 65

etiam quando non germinas fructum, sere tamen semen ad fructum. Sunt semina quæ de cœlo sunt, & seruntur in terris. Est etiam superna uindemia. unde ait propheta: Seri-
Oseæ 10 te uobis ad iustitiam, uindemiate ad fructum. Et quando non florent opera tua, foue tamen semina tua, ne lasciuiendo luxurient. Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur & hebetatur in fructu. Fructus ipsos usq; ad maturitatem decoque. Imitatores etiã ipsius cœlestis simus elementi. non semper sole feruet ardenti, frequenter nubibus tegitur, pluuijs uehementibus inhorrescit, iactis niuibus tegit terram. Non ergo sit in te diuturna lasciuia, succedant mœsta senilium curarum tempora, & tanquam incana maturitas agrũ hunc tui corporis reprimat. Vtilior sæpe tristitia est, quæ comitem solet habere grauitatem. Nunquid ulla in ipso est sole præuaricatio? Nõne quotidianos cursus suos seruat? Nunquid continuos non nouit luna defectus, & commissi munus deserit ministerij? Hisdem nempe uicibus annus redit, eodem statu reparãtur tempora, hisdem obsequijs reformantur. Sol diem illuminat, tempora statuta custodiens. Fulget splendoribus luna nocturnis, & lux eius in tenebris micat. Stellarum nitentium rutilat globus, solenniq; statione & cõuersione ac demutatione funguntur. Lex una diuersis, constitutorum semel uices cursuum custodire, nec fines transire præscriptos. Manet ipsa immutabilis demutatio, & conuersio uertere ordinem suum nescit. Vna omnium obedientia, discretis muneribus in discretam præscriptæ constitutionis tenere concordiã. In cœlo ergo permanet uerbum, quia satanas de cœlo cecidit. Non habebat in cœlo locum, propterea cecidit. Quò cecidit nisi in terras? Ideo hic adulteria, homicidia, ebrietates abundare cœperunt. Inde exclusus acrior ad nos uenit, & tentationes solito asperiores tanquam iratus exercet. In cœlo igitur permanet uerbum, quia inde deiectus est diabolus: in terris non permanet, quia huc totus aduenit. Et uide utrum hic permanere uerbum possit in nobis, ubi tantos laqueos diabolus asperserit: qui cum esset in cœlo, nec ibi uerbum potuerat permanere. Deniq; quia & ipse uerbum non tenuit, cecidit è cœlo. In cœlo ergo uerbum permanet, & quod secũdum uerbi dispositionem regitur & gubernatur. Sed quia ipsum cœlum præterit, ideo non dixit in secula permanere, sed in seculum: quanquam propterea prætereat, ut fiat nouum cœlum & noua terra, nouum testamentum, ut facie ad faciem gloriam Domini uidere possimus. Veruntamen quia & in cœlo fuit uitijs locus. nam utiq; non cecidisset inde aduersarius, nisi in criminibus deprehẽsus (nam
Eccli 27 & stultus ut luna mutatur, & cœlum ipsum tenebris obducitur) uidetur utiq; non de elemento dictum, sed de uirtutibus potestatibusq; cœlestibus. Sunt enim sanctę uirtutes in cœlo, in quibus nihil lubricum atq; terrenum sit. Sunt etiam in terris cœli qui enarrant
1. Cor. 15 gloriam dei. Qui sunt isti cœli? Audi dicentem: Sicut portauimus imaginem illius terreni, portemus & imaginem huius cœlestis. Isti igitur sunt cœli, qui etiã in terris positi audent dicere: Philip. 3 Nostra aũt conuersatio in cœlis est. Isti sunt cœli in quib. fides, grauitas, continentia, doctrina, uita cœlestis est. Nam quemadmodum terra dictus est, qui lapsus ex illa præuaricatione cœlestis gratiæ, & in hęc uitia terrena deiectus, præuaricationis suę se uinculis religauit: ita econtrario cœlum dicitur, qui uitam angelorum custodia integritatis exercet, & corpus suum continenti sobrietate moderatur: mentem quoq; suam miti tranquillitate componit: pecuniam pauperibus misericordi liberalitate dispensat. Est ergo & in terris cœlum, in quo possunt uirtutes esse cœlestes. Cœlum mihi thronus, ego magis iusti affectum quàm elementum intelligo. Illum puto cœlum, ad cuius animam uenit Christus, & pulsat ianuam, & si aperueris, ingreditur. Nec solus ingreditur,
Ioan. 14 sed etiam cum patre, sicut ipse ait: Ego & pater ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vides igitur quod uerbum deus & ociosum prouocat, & dormientem excitat? Qui enim uenit, & ianuam pulsat, uult semper intrare. Sed in nobis est quòd non semper ingreditur, non semper manet. Pateat aduenienti ianua tua, aperi ianuam tuam, expande gremium mentis tuæ, ut uideat diuitias simplicitatis, thesauros pacis, suauitatem gratię. Dilata cor tuum, occurre soli lucis æternæ, qui illuminat omnem hominem. Et illud quidem uerum lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudabit. Excluditur ergo & Christus, si tu mentis tuæ ianuam claudas: & si possit intrare, non uult tamen importunus irruere, non uult inuitos cogere. Ortus ex uirgine, processit ex aluo, uniuersa totius orbis irradians, ut luceret omnibus. Ca-

piunt

piunt qui desiderãt fulgoris perpetui claritatẽ, quam nox nulla interpolat. Soli em̃ huic quẽ quotidie cernimus, nox tenebrosa succedit: sol aũt iustitiæ nunquã occidit, quia sapientiæ nunq̃ succedit malitia. Beatus ergo ille cuius pulsat ianuam Christus. Ianua nostra fides est, quæ totam domũ, si fuerit robusta, cõmunit. Per istam ianuam Christus ingreditur. Vnde & Ecclesia dicit in Canticis: Vox fratris mei pulsat ad ianuam. Audi pulsantẽ, audi introire cupientẽ: Aperi mihi soror mea sponsa, columba mea, perfecta mea: quia caput meũ repletũ est rore, & crines mei guttis noctis. Considera quando maxime pulsat ianuam tuam deus uerbũ, cum repletũ est caput eius rore nocturno. In tribulationibus. Repleẽ ergo caput eius rore uel guttis, quando corpus eius laborat. Tunc ergo uigilandũ, ne cũ sponsus uenerit, recedat exclusus. Si enim dormias, & cor tuũ non uigilet, discedit anteq̃ pulset. Si cor tuũ uigilet, pulsat, et aperiri sibi ianuam poscit. Habemus ergo animæ nostræ ianuam, habemus & portas, de quibus dictũ est: Tollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Est ergo & cœlũ in ijs in quib. portæ sunt æternales. Si has fidei tuæ portas uelis attollere, intrabit ad te rex gloriæ, triumphũ portans propriæ passionis. Habet etiã iustitia portas. Nam etiã de his legimus scriptũ dicẽte dño per prophetã suũ: Aperite mihi portas iustitiæ. Et infrà ait, pphe ta Dauid: Lauda Hierusalem dominũ, lauda deũ tuum Sion. Quoniã confortauit seras portarũ tuarũ. Est ergo anima quæ habet ianuã, est quæ habet portas. Ad hanc ianuã uenit Christus & pulsat, pulsat & portas. Aperi ergo illi: uult introire, uult sponsam inuenire uigilantem. Noli ergo bono amatori facere moras. cito recedit, & tu somno torporis tui uideris exclusisse pulsantẽ. Excludis enim cũ desidiosus es, cum piger, cũ somnolentus. His repagulis Christus excluditur. & si castus, & si sobrius sis, caue ne negligens sis. Maiorem Christo facit iniuriam, qui aduenientem repellit. Nonnunquam etiam si moraris, mittit manum suam per fenestram, sicut ait sponsa: Frater meus misit manum suam de prospectu, & uenter meus conturbatus est super eum. Exurrexi ergo aperire fratri meo. Manus meæ distillauerunt myrrham, digiti mei myrrha pleni. Primum ergo tanquam de prospectu mittit manũ suam, quando deus esse operibus æstimat. Vnde ait: Si mihi non creditis, uel operibus credite. Deinde auget amor, & intimis uisceribus cõceptus inolescit. Inde intelligibili utero, in quo est receptaculũ uerbi, seminibus eius infusis, plenitudinẽ eius corporaliter inhabitantẽ haurire anima nostra desiderat. Non enim turbat uterus fœminarũ, nisi quæ fuerint aluo graues. Surgit igit anima, ut aperiat Deo uerbo: sed dum se expandit atq̃ aperit, ut opera mundi istius uerbi receptione mortificet: sicut ille qui ait: Mortificationẽ domini Iesu in corpore nostro circumferimus. Ergo dum aperit, transit sponsus. Vult enim semper quæri, frequentius inueniri: & si clausam inuenerit ianuam, pulsat: & si per moram fuerit exclusus, recedit. Sed cito redit, & iterũ pulsat, ut uel postea sponsam inueniat præparatã. Potest quidẽ & sic accipi: Frater meus transiuit, sicut legimus quòd penetrauit dilectæ intima medullarũ, & quemadmodũ ad Mariã dictũ est: Et tuã ipsius animã pertransibit gladius, ut reuelent multorũ cordiũ cogitationes. Deniq̃ addidit sponsa animã suam exisse in uerbo eius. quod fit quando anima peregrinat à corpore, & deo præsens est. Explanauimus igit ut potuimus quid esset, In æternũ domine permanet uerbũ tuũ in cœlo. Possumus tamẽ & sic intelligere, quia in cœlo magis permanet in æternũ, ubi angeli & archangeli, Cherubim & Seraphim: quo niã homines q̃uis sancti sint, tamẽ affectus eorũ sæpe mutat. Nũc gaudemus, continuò mœremus, irascimur, ingemiscimus. In ipsa pœnitẽtia nõ uult nos satis contristari Apostolus, ne tristitia absorbeamur. Vbi ergo iracundia, ubi tristitia grauis, nõ permanet ibi uerbũ. Deniq̃ de solo dño Iesu dictũ est à Ioanne: quia uidit spiritũ sanctũ descendentẽ de cœlo sicut columbã, & manentẽ super eũ. Nam & pphetæ nõ semper prophetabant, sed cũ infunderet his gratiã spiritus prophetandi. Deniq̃ nec Dauid præsciuit quid annunciaret Nathan propheta missus à dño: & utiq̃ inferior Nathan propheta cognouit quod Dauid præstãtior nesciebat. Et alius dixit propheta: Cęlauit me dñs. Vnde & plerique accipiũt in cœlo permanere dei uerbũ, in potestatibus cœlestibus, in quib. nõ sunt affectuũ uarietates. Aliqui aũt de ipsa accipiũt trinitate, quę sola immutabilis sit: & ideo in cœlo permanet uerbũ, id est in patre, quia uerbum dixit: Ego in patre, & pater in me:

Cant. 5

Psal. 23

Ibid. 117

Ibid. 147

Cant. 5

Ioan. 10

2. Cor. 4

Luc. 2

Mar. 1

4. Reg. 4

Ioan. 14

In generationem et generationem ueritas tua.] Multi sunt qui dicuntur dij, sed nō sunt, Ergo in gentibus mendacium est, in Ecclesia ueritas. Hanc tamen ueritatem habuit primō synagoga, quæ habebat eloquia dei. Est enim ueritas & in ueteri Testamento, quæ fuit antè in populo Iudæorū. Notus enim in Iudæa deus. deus aūt ueritas est. Ergo in Iudea ueritas. Fuit igitur ueritas in patribus, Moyse, & Iesu Naue, in Samuel, in Dauid, Helia, Helisæo, & in illis septem milibus uirorum qui non curuauerunt genua ante Baal. Sed quia posterior soboles Iudæorum à patrum moribus deuiauit, recessit ab illis ueritas, & ad Ecclesiam uenit. Recessit enim ab illis quando dixerunt de domino Iesu: Tolle, tolle, crucifige eum. Tradiderunt enim ueritatem, & elegerunt iniquitatē. Omnes ergo aliæ generationes ueritatis exortes, omnium hæreticorū generationes nō tenent ueritatem: sola Ecclesia ueritatem pio affectu possidet: quia generatio Iudæorum, quæ ante eam possidebat, amisit. Populus ergo Iudæorum, prior fidei generatio, & ideo infantior & infirmior, quia lubrico adolescentiæ stare non potuit: populus autē Christianus, fidei secunda generatio, ideo robustior & uenerabilior, quia maturior senectute. illa generatio legis, hæc gratiæ. Vnde & alibi ait: In generationem & generationem annūciabo ueritatem tuam. Fundasti terram, & permanet: dispositione tua permanet dies.] Quomodo fundauerit deus terram, scriptura nos docuit, dicēte propheta: Deus sapientia fundauit terram, parauit autem cœlos in intellectu. Terra autem tanquā fundamentum est, in qua cōsistimus: licet ipsam uel in hemicyclo cœli esse, & is qui foris est sermocelebret, & scriptura significare uideatur, dicente Iob: Suspendens terram in nihilo. Includitur ergo orbe cœlesti: & ideo sol noctibus non uidetur, quia gyrando in inferiore inuenitur orbis parte cœlestis. Sed non est cura sanctis, axem cœli & elementorū spacia philosophico more numerosq; describere. Quid enim hoc prodest salutis? Quia sancti spiritualibus semper intendunt, & uitæ æternæ profutura uel cognoscere gestiunt, uel docere. Deniq; hunc locum pulchre nobis aperuit Ecclesiastes spiritalem esse, non materialem, dicens: Quæ abundantia homini in omni labore suo quo laborat sub sole? Generatio uadit, & generatio uenit, & terra stat in seculum. hoc est, quæ abundantia spiritali homini laboranti sub sole iustitię? Et subiecit: Generatio uadit, & generatio uenit. Vadit generatio, quia diuites eguerūt & esurierūt. Qui antè abundabant gratia, postea tamen propter perfidiam suam egere cœperunt. Qui aūt pauperes erant populi nationum, iam per fidem Christi satiantur & abundant, sicut scriptum est: Edent pauperes, & saturabuntur. Audierunt enim dicentem: Abundantes in omni uerbo. non in pecunijs utiq;, non in auro & argento, sed in omni uerbo, inquit, & cognitione. Et alibi ait: In diuitijs simplicitatis. Hæ diuitiæ sunt salubres: nam copię seculares salutē afferre non possunt. Qui aūt habuerit abundantiā spiritalem, huius terra fructifera stat in seculū, bene fundata radice uirtutum: uel anima bonos utiq; germinans fructus, uel caro nullis cupiditatibus mobilis ad prolapsionē. Hanc terram circuit sol iustitiæ salutaris, de quo scriptum est: Et oritur sol, & occidit, & in locum suum uadit. Ipse Oriens illuc uadit ad Austrum, & gyrat ad Aquilonem: gyrando gyrat spiritus, & in gyros eius conuertitur spiritus. Oritur sol iustis, occidit autem iniustis: oritur tranquillitati piæ mētis, occidit iracundiæ. Vnde ait: Sol non occidat super iracundiam uestram. Hinc potest intelligi quia ipsdem oritur & occidit, quorum & uitia sepeliat, & illuminet gratiam. Mortuus est enim peccato, ut deo uiueret: hoc est, peccato sumus in illo mortui, ut deo in perpetuū uiuemus. Vide ipsum mysteriū prænunciatū: Et oritur, inquit, sol, & occidit, & in locū suū trahit. Hoc est quod ait dñs: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Traxit enim ad se omniū studia, ut uel peccata nostra crucifigeret, uel bonum ingeniū ad iustitiā prouocaret. Aduerte quemadmodum trahat ad se: Pater, uolo ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Et ad latronem ait: Hodie mecū eris in paradiso. Aduerte quomodo omnia trahat. Exaltatus est in cruce, & totus credidit mūdus. Ipse Oriens, inquit, uadit ad Austrū, & gyrat ad Aquilonē. Ille utiq; Oriens, qui ait: Oriens nomen est mihi. qui semper oritur, pijs nunquā occidit. Ipse Oriens populo Hebræorum ad Austrū iuit, ad molliorē populum, luxuria magis feruentis corporis lubricum, quàm impietatis immanitate prędurū, aut certe ad nobiliorem plebem, quę erat genus electum, uindicans sibi patriarcharum prosapiam. Sed quia perseuerabat in uitijs, nec emendabat errorem: ideo sol iustitiæ

Psal. 75
3. Reg. 19
Rom. 11
Psal. 88
Prou. 3
Iob 26
Eccles 1
Ephes. 4
Ioan. 12
Ibid. 17
Luc. 23

gyrauit

gyrauit ad gentes, quæ antè eloquijs cœlestibus defraudatæ, immanes & ignobiles habebantur. Aquilo enim grauis uentus, ut populi nationum. Sed qui erant graues antè in perfidia, nunc super aquilas leuiores facti sunt fide atq; pietate, postquam uenit qui diceret: Ab Aquilone adduc. Et in Euangelio: Venient ab Oriente & Occidẽte, ab Aquilone & Austro, & recumbent in regno dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi: & sunt primi, qui erant nouissimi. Denicq; & ipse Psalmista ait: Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. hoc est, qui erant Aquilonis latus, populus factus est regis æterni, qui solus est magnus dñs. Sed forte dicas: Quomodo in Canticis est dictum: Exurge Aquilo, & ueni Auster? Plericq; enim accipiũt quasi proijciatur Aquilo, & inuitetur Auster. Quòd si ita accipiunt, exturbatur ab Ecclesia perfidię glacialis asperitas, ne fiat fuga nostra hyeme uel sabbato, & inuitatur Australis uerna temperies. Aut certe: Exurge Aquilo: hoc est, Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Populus nationum, qui diu ante dormisti, euigila aliquando, & illucescet tibi Christus. Postremo omnes inuitãtur ad Ecclesiam, & synagogæ populus, & gentilium. sed prius synagogæ, quia priores ex Iudæis Apostoli crediderunt, per ipsos postea nationum populi congregati sunt. Videt ergo uenientem solem nostrũ ad Austrum, postea gyrantem ad Aquilonem: Hierusalẽ, Hierusalem. Venit utiq; ad eam, quam etiam uocare dignatus est. Sed hæc Hierusalem terrena est, quæ occidit prophetas, hoc est synagoga Iudæorum. Quotiens, inquit, uolui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti? Ecce relinquetur domus uestra deserta. Gyrauit igitur ad gentes, gyrando aũt gyrauit spiritus dei, & in gyro suo conuersus est, ut fieret deus omnia, & in omnibus. Ideo sanctus cœlum dicitur, quia uicinior eum claritas solis semper illustrat. Habet splendorem suum domesticũ, ut tenebras noctis non sentiat. Ideo Ecclesia & cœlum dicitur, & mundus, quòd habeat sanctos angelis & archangelis comparandos, habeat etiam pleroscq; terrenos. Dicitur & orbis terrarum, qui est fundatus super maria & super flumina præparatus. Denicq; quasi orbis terrarum dicit Ecclesia: Nolite aspicere me, quoniam fusca sum, quia non respexit me sol: eò quòd uelut pruinis hyemalibus, gelucq; constrictam gentilis erroris congregationẽ gentium sol iustitiæ diu indignã æstimauerit, quam serena uultus sui luce lustraret. Nõ ne tibi uidebatur hyberni rigor temporis, quando notus erat in Iudæa tantummodo deus? Nunc autem plenitudo lucis effulget æstiuæ, quando omnia & in omnibus Christus. Nonne terra domini, & plenitudo eius? Et uere orbis terrarum in Ecclesia, in qua non Iudæus tantummodo aut Græcus, non Barbarus aut Scytha, non seruus aut liber, sed omnes in Christo unum sumus. Sol omnibus fulget, dies omnibus lucet. Ideoq; ait: Dispositione tua permanet dies.] Nam nisi ita accipias, quomodo permanet dies, cùm post breue momentum diei sequatur occasus, & fiat noctis successio? Sed sunt quibus semper dies est, illis utiq; quibus Christus adest, qui dicit: Ambulate dum lucem habetis. Hic est dies quem uidit Abraham, dies remissionis peccatorũ, de quo legis: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus, & lætemur in eo. Sunt ergo sancti quibus sol nũquam occidit, quia dominus lux eorum est, sicut scriptum est: Et erit illis dominus lumẽ æternum. Expressit causam permanentis diei, atq; subtexuit: Dispositione, inquit, tua permanet dies, quoniam uniuersa seruiũt tibi.] Videtur itaq; significare futurũ illud, quando nox non erit amplius, & non indigebitur lucernæ uel solis lumine, quoniam dominus illuminabit eos. Qui sunt illi? Suprà ait, dicens: Et serui eius seruient ei. hoc est, Domini facient uoluntatem. Nunc enim nos omnes seruimus. Quum autem tradiderit regnum deo patri, tunc subiecta erunt omnia ei, qui sibi uniuersa subiecit, acquirens omnium fidem per unigeniti passionem. Subiectio igitur mentium facit sedulam seruitutem. Ergo cum omnes crediderint in dominum Iesum, tunc uniuersa deo seruient, ut sit deus omnia, & in omnibus. Nunc autem non omnes serui dei, quia plericq; serui peccati. Qui enim peccatum facit, seruus est peccati. Dominus autem nõ uult cum alijs consortium habere dominatus. Permanet ergo dies immutabilis. Potuit ergo dicere, Permanebit: sed prophetis futura pro præsentibus præsto esse uidentur in spiritu. Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan perijssem in humilitate mea.] Lucebat Propheta ut dies, cui meditatio lex erat. Etenim oleum luminis accipiebat ex lege. Denique ne in corpore mortis lux diei posset extingui, ambulabat in lege, & ideo

Pro. 20:70
Esa. 43
Ibid. 13
Psal. 47
Cant. 4
Ephes. 5
Matt. 22
1. Cor. 15
Cant. 1
Psal. 57
Ibid. 23
Coloss. 3
Ioan. 12
Psal. 117
Apoc. 22
1. Cor. 15
Ioan. 8

ambulabat

ambulabat in lumine. Alioquin, inquit, periſſem in humilitate mea. Humilitas non ſem
per uirtutis eſt, ſed etiam afflictionis: hoc eſt, non ſemper uoluntaria, ſed etiam quæ ex
neceſſitate ſuſcipitur, quando aliqua afflictione tentamur. Alioquin nemo periret in hu-
militate, quæ magis ſeruare conſueuit. Ergo quando in afflictionis tempore ſumus, &
quatimur aduerſis: meditatio nobis in lege ſit, ne imparatos procella tẽtationis affligat.
Athleta niſi exercitio palæſtræ prius fuerit aſſuefactus, non audet ſubire certamen. Vn-
gamus igitur oleo lectionis noſtræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitij
uſus in quadam cœleſtium ſcripturarũ palæſtra, artuſq; animorũ noſtrorũ ſalubris ſpiri
talium ferculorũ eſca cõfirmet, ut cum aduerſarius aſſiſtere cœperit, & puluere nos ſuæ
1.Cor.9 tentationis aſperſerit, ſtemus intrepidi: nitamur non ut in incertũ, nec ut aera cedentes,
Matt.5 Melius percutimus uerberati, ſi percutienti maxillam alterã præbeamus, ſi uindictã nõ
Deut.32 requiramus, ſed ei qui dixit: Mihi uindictam, ego retribuam: cauſam uindictę integram
1.Cor.9 reſeruemus. Cędimus aerias poteſtates, ſi nos ipſos caſtigare nouerimus. Caſtigabat car
nem ſuam Paulus, ut aduerſarios uerberaret: & ſeruituti redigebat corpus ſuum, ut do-
minaretur inimicis. Exerceamur igitur indefeſſo meditationis uſu, exerceamur ante cer
tamen, ut ſimus certamini ſemper parati: & cum frequentior aduerſarij ictus ingruerit,
nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis ægritudine, nunc mœrore ani-
mi, nunc terrore mortis, & acerbitate pœnarum: dicat unuſquiſq; noſtrum qui potuerit
ſuſtinere ac perpeti: Niſi quia lex tua meditatio mea eſt, tunc forſitan periſſem in humi
litate mea. Quanta ſimul coaceruata ſunt ut in illa afflictione Iob ſanctus periret? Sed
quia patriarcharum moribus informatus, oraculorumq; cœleſtium & naturalis legis e-
rat inſtitutione formatus, ideo in tentationibus tantis perire non potuit. Denicq; cũ ami-
ſiſſet tam amplas ſubito facultates, chariſſimos filios: quaſi is cui meditatio quotidiana
Iob 1 eſſet in lege diuina, ait: Nudus exiui de uentre matris meæ, nudus ibo eò. Dominus de-
dit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictũ.
Perfuſus etiam corporis totius ulceribus, cum tentaret uxoris alloquijs, qui meminiſſet
Ibid.2 Adam ſic eſſe deiectũ dum propriæ credit uxori, reſpondit: Sicut una ex inſipientib. mu
lieribus locuta es. Quod ſi illam quaſi ſapientẽ uoluiſſet audire, ipſe ſapiens non fuiſſet.
Tentatus etiam diuerſis alloquijs amicorũ, cum fidei ſtabilis immobilisq; patiẽtię præ-
mia meruiſſet à domino, nonne dicebat: Niſi quia lex tua meditatio mea eſt, tunc forſi-
tan periſſem in humilitate mea? Quàm grate hoc dicit hodie qui in martyrio plurima
flagella ſuſtinuit, equuleo & ungulis, plumbo, laminis ardentibus, gladioq; comproba-
tus? Potuit enim perire, niſi meditatus in lege, grauiora preſentibus futura ſupplicia cre
didiſſet. Quanta ſanctus Ioſeph pertulit, quàm acerba, quàm dura? Primũ fratrum odia,
degeneris ſeruitutis ærumnas, parentibus defraudatus, ablegatus exilio, negociatorum
uernula, & Aegypti ignobilis uile mancipiũ. Quæ potuit nobilis proſapiæ puero gra-
uior eſſe tentatio, quàm ut tanto familiæ ſplendore deiectus, ſeruiret apud Aegyptios?
Eſt conſolabilis ſeruitus, ſeruire uel iuſtis. Aequitate domini leuatur iniuria ſeruitutis,
Tanto igitur genere deiectus, ſatis gratum habebat ſi miniſtro regio ſuũ obſequiũ pro-
baretur. Nec hoc quidem ſatis fuit ad tentationis acerbitatẽ, redit aduerſarius ad ſuas ar
tes, totasq; uires ſuas omni fraude cõmouit, ut per mulierẽ laqueos innoxiæ necteret cõ
Gen.39 ſcientiæ. Concitauit in eum libidinis ſtimulis uxorẽ domini ſui, quæ adulterinos à ſeruo
lo concubitus flagitaret: ut ſi acquieſceret, crimen impleret: ſi recuſaret, incideret offen-
ſam, noxam calumniæ non euaderet. Denicq; truſus in carcerem, & innocens inter no-
xios æſtimatus, ab eo amplius cœpit urgeri, cum fidem ſuam cum periculis præſtitiſſet.
Sed quia contumeliæ uirum frangere nequiuerunt, mutata eſt tentatio, longe aſperior
ſpecie proſperorũ. Plurimos enim ſupplantauerunt ſecundæ res, quos ſupplicia acerba
non fregerant. Producitur è carcere nutu regio, interpretatur ſomniũ, eligitur ut hono-
re præſtantior eſſet omnibus Aegyptijs, regi ſecundus, eſurientibus populis alimẽta di-
uideret. Obijciuntur ei fratres, qui eum ad ſeruitutis iniuriã non fraterno amore uendi-
derant, ut uel cõtumeliæ & appetitę ſalutis dolore tentatus excuteret germanitatis affe
ctum. Sed uir iuſtus oblitus eſt contumeliam, cumulauit gratiam: eoq; ſe magis fratrem
uoluit exhibere: quòd fratres ipſe nõ fuiſſet expertus. Denicq; hoc munere & fratres re-
cepit, & patrẽ pia fraude quæſiuit. Quid igitur aliud melius diceret ſanctus Ioſeph, ſi iſtud
ad domi-

ad dominũ: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tũc forsitan perissem in humilitate mea. Fertur prophetæ cuidam (& plerique ferunt de Esaia in carcere posito) cum mole imminentis urgerẽtur exitij, dixisse diabolum: Dic quia non à domino locutus es quę dixisti, & omnium in te mentes affectusq; mutabo: ut qui indignantur iniuriam, absolutionem cõferant. Sed ille gratius iudicauit pro ueritate supplicium, quàm pro adulatione beneficium. Quod utique non fecisset, nisi meditatione legis fuisset exercitatus. Sit ergo nobis quotidiana lectio pro exercitio, ut quæ legimus, meditemur imitari. In hac deludemus uirtutum palęstra, ut cum increpuerint tentamenta, non tanquam inexercitatos, nõ tam quam inexpertes spiritalium ciborum, & attenuatos ieiunio lectionis tentationũ tempus inueniat. Quòd si athleticis epulis pastam animam nostram potuerit inuenire, si sit euangelicus succus in nobis, si apostolicis escis maturitas nostræ mẽtis thoros, animæq; robusta solidauerit: si frequenti meditatione memoria tenax præceptorum cœlestium parata ad tempus exempla deprompserit, nulla tentationũ poterit nos perturbare congressio. In æternum non obliuiscar iustificationum tuarum, quoniam in ipsis uiuifica me domine.] Lex secundum Apostolum pædagogus est paruulorum, donec ad perfectæ fidei maturiorem quandam ueniamus ætatem. In lege autem mandata sunt iustificationes, testimonia iustitiæ præcepta. Viuificabimur ergo in lege. Vnde ait Apostolus: Lex autem non est ex fide, sed qui facit illam, uiuet in ea. Sed quia idem suprà ait: Quoniam in lege nemo iustificatur: intelligis utique quia iustificatio legis, species est & imago, non ueritas. Secundum ueritatem ergo & perfectionem nemo iustificatur in lege, secundum speciem iustificatur. Ergo sanctus propheta, qui adhuc in legis iustificatione uiuebat, uidebat autem fulgorem euangelij: quasi memor ueteris disciplinæ legis, tanquam pædagogo utili gratiam reseruabat. Considera aliquem excedentem ex ephebis in diuitijs & honoribus constitutum, pædagogo suo honorificentiam reseruatam habere, cuius officijs informatum se esse cognosceret, ut maturiorem regere possit ætatem. Monet siquidem etiam ipsa lex, ut his quæ nobis aliquando profuerunt, nequaquã esse debeamus ingrati. Nam sicut habemus in ueteri Testamento, pascha celebratum est in Aegypti finibus, cum adhuc sub rege Pharao positi patres nostri deplorarent miserę seruitutis iniuriam: & postea liberati rursus in terra repromissionis pascha celebrarunt: superius ad commonitionem, posterius ad recordationem. Si quis ergo interroget Hebræum, qua ratione in Aegypto pascha celebratum est, respondebit: Quia regi Pharaoni adhuc seruitutis uinculo obnoxij tenebamur. Ille agnus patrum populum liberauit, ille agnus uocauit ad libertatem, ille agnus maris profunda solidauit, ut Aegyptum transire possemus. Quotiens ergo pascha celebramus, meminisse debemus ueteris seruitutis, & nouæ libertatis: quid fuerimus, & quid acceperimus. Non enim potest plenè quis intelligere quid acceperit, nisi meminerit antè quid fuerit. Nõ ergo obliuiscamur, quia dominus Iesus agnus dei mundi hostia soluit nos grauium nexibus delictorum, quibus Pharao ille teterrimus, non unius Aegypti, sed seculi istius princeps uinculo seruitutis grauis nos tenebat astrictos. Non obliuiscamur in æternum, ut quum uenerimus in illam uerè terram repromissionis, ubi est regio uiuorũ, meminerimus quanta hic nobis Pharao dirus intulerit, quid perpessi in hoc seculo simus, quibus tandem erepti malis: & agamus gratias eripienti nos domino Iesu, qui perturbatorem omnium fecit esse captiuum. Tuus sum, salua me Domine, quoniam iustificationes tuas exquisiui.] Facilis uox & communis uidetur, sed paucorum est. Satis rarus est enim qui potest dicere deo: Tuus sum. Ille enim dicit, qui adhæret deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit: Ille hac uoce utitur, qui potest dicere Domino: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Nunquid hac uoce utitur auidus pecuniæ, honoris, potestatis? Multis non est satis deũ scire, & quidem pluribus. Tanti populi, tantæ nationes, tanti diuites paupertatem putant, domino seruire, & qui supra omnes est, illis exiguus & angustus est: illis non est satis dei filius, in quo sunt omnia. Denique ille diues in Euangelio, cui dictum est: Si uis perfectus esse, uende omnia quæ habes, & da pauperibus: Deum sibi non sufficere iudicauit. Denique & contristatus est, quasi quod pluris esset relinquere iuberetur: quod minus esset, eligere. Ille ergo dicit, Tuus sum, qui potest dicere: Ecce omnia reliquimus, & sequuti sumus te. Apostolorum itaque uox ista est, nec omnium tamen Apostolorum.

Galat. 3

Ibid.

Ioan. 14

Matt. 19

Ibid.

Nam

Nam & Iudas apostolus fuit, & in conuiuio Christi inter apostolos recumbebat. Dicebat & ipse, Tuus sum: sed uoce, non corde. Venit & introiuit in eum sathanas, & cœpit dicere: Non est tuus Iesu, sed meus est. Denique ea quæ mea sunt, cogitat: quæ mea sunt, in pectore suo uoluit: tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panẽ accipit, à me pecuniã: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem uendit: tuus est apostolus, & meus mercenarius. Non potest dicere secularis, Tuus sum. plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es: quia ea quæ sunt corporis, concupiscis: in illius adolescentulæ amore te mihi uendidisti: in illius concubitu meretricis precium pro te annumerauí. uenit auaritia, & dicit: Argẽtum & aurum quod habes, seruitutis tuæ precium est: possessio quã tenes, iuris tui emptio, uenditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, & dicit: Meus es, unius diei conuiuium, precium tuæ uitæ est. Ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractus: & quod peius est, caro emptus es precio, uilior cibo es tuo: preciosior est unus diei mensa tua, quàm totius temporis uita. Inter calices te redemí, inter epulas acquisiui. Venit ambitio, & dicit tibi: Planè meus es. Nescis quòd ideo imperare alijs te feci, ut mihi ipse seruires? Nescis quòd ideo potestatem in te contuli, ut meæ te subijcerem potestati? An ignoras ipsi domino saluatori dictum esse ab huius mundi principe,

Matt. 4 cum ei ostenderet omnia regna mundi: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me? Antè ergo ipse subijcitur, qui alios uult habere subiectos. Veniunt omnia uitia, & singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quàm uile mancipium est? Quomodo ergo tu qui huiusmodi es, potes Christo dicere: Tuus sum? Respondebit tibi ille: Nõ

Ibid. 7 quicunq; dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum: non quicunq; dicit mihi, Tuus sum, meus est. Meus planè es, si uocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se nõ neget, aut certè si pro me seipsum sibi abneget. Nolo habere seruulum plurimis dominis seruientem. Nam quomodo meus est, si mihi dicat uerbo, Tuus sum: & operibus neget, & factis se diabolo adiudicet, & obstringat? Non est meus quem libido succendit, quia mea est castitas. Non est meus quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea tranquillitas est. Nõ est meus quem aura mobilitatis inquietat, quia mea cogitatio est. Non est meus uini crapula temulentus, illuuie ambitionis impurus, gloriæ secularis cupidus, ebrius in periculũ, qui non potest sobrię moderationis seruare uestigium. Pax sum ego, litigare non noui. Vt quid mihi eum de quo ueniat diabolus, & dicat: Meus est? Nam mihi sua colla curuauit, mea in illo plura reperio: nomen sibi tuum uindicat, & meũ munus. Non est ergo Christi, nisi qui est alienus à crimine: nõ est Christi, nisi qui potest semper se Christi seruulum demonstrare. Nam si quis mutabilis est, ut ego, qui aut mœrore mutor, aut indignatione, non est Christi. Venit ira, & dicit: Meus est. ante horam meus erat, spero quòd iterum meus fiat. Venit tristitia, & dicit: Meus est. ante horam in mea possessione fuit, in meo iure: erigere animum præ mœrore non poterat, nec oculos leuare: & si triste aliquid acciderit, ad me illico reuertet. Quis ergo est dei, nisi qui potest

1. Cor. 4 dicere: Nihil mihi cõscius sum? Ideo dicebat Paulus apostolus domini nostri Iesu Christi, quia nulli alij obnoxius tenebatur. Ego autem nunc dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc iracundiæ, nunc uerbi ociosi: & ideo qui plures dominos habet, non potest dicere: Domine Iesu, tuus sum. Vnde arbitror etiam de huiusmodi dominis dixisse Paulum: Nam

Ibid. 8 etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra: nobis tamen unus deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus dominus Iesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Verbi

2. Cor. 13 igitur totus erat apostolus Paulus, ideo dicebat: Quoniam experimẽtum quæritis eius qui in me loquitur Christus. Ille ergo dicebat, Christi sum: & respondebat ei dominus, Meus es. Qui uerè dicit, Tuus sum: audit à domino, Meus es. Denique de ipso Dominus

Act. 9 ad Ananiam, cum mitteret eum ad sanandum Paulum, ait: Vade, quoniam uas electionis est mihi. Et quia perseuerauit Christi esse, quasi impleto certamine coronam meruit inuenire iustitiæ. Rectè ergo propheta Dauid dixit: Tuus sum, qui semper in deo manet. Et qua ratione dixerit: Tuus sum, addidit: Iustificationes tuas exquisiui. hoc est, nihil aliorum quæsiui, sed id solum quod tuum est desiderauí. Alij querunt monilia preciosa, ego solas iustificationes tuas quasi quædam serta iustitiæ. Alij domum ad domum, uillã ad uillam iungunt, quasi soli habitare possint in terra hac, & elementum uolunt occupare

pare commune: alij possessionem aeris ipsius uindicare: mihi in tuis iustificationibus o-
mne patrimonium est. Nescio possidere nisi quod tui iuris est. In tuis eloquijs spiritalis
mihi cura refulsit argenti. Mihi portio deus est. Tuus sum ego, quia pars mihi hæredita-
tis non in auro, non in argẽto est, sed in Christo Iesu. Me expectauerunt peccatores ut
perderent me, testimonia tua intellexi.] Potest uox ista conuenire martyrio, in quo po
situs sanctus iam de iudicio persecutoris egressus dicat: Me expectauerunt peccatores
ut perderent me. hoc est, adhibuerunt omnia genera pœnarum, omnes artes persuasio-
num, sed de proposito abducere nequiuerunt. Vicit fides uitæ huius illecebram corpo-
risq; cruciatum, expectauerũt peccatores ut de me triumphũ referrent: sed gratias Chri-
sto, qui mihi dedit de persecutoribus triumphare. Redite uicti, qui sperabatis uos esse ui
ctores: redite deiecti, qui ueneratis superbi. Vbi est uictoria tua, ubi est mors aculeus tu 1. Cor. 15
us? Non tua iam, sed nostra cœpit esse uictoria: quia in te uincimus, in qua antea uince-
bamur. Bene ergo dicit martyr: Me expectauerunt peccatores, ut perderẽt me. Post mo
mentum, imò in corpore adhuc positus uidet deducentium choros, angelorum gaudia.
Qui enim super unius peccatoris conuersione lætantur, quanto magis in passione iusto
rum? Videt gloriam, & ait: Me expectauerunt iusti, ut deducerent me. Videt dominũ Ie
sum, & ait: Me expectauit Christus, ut coronaret me. Aliter qui uult intelligere: Multi,
inquit, peccata persuadere, atq; ex pectore fidẽ extorquere conati sunt mihi, alius adul-
terium, alius hominis necem, alius oppressionem uiduæ uel pupilli, alius aliud, & puta-
bant me suis retibus esse capiendum. Expectauerunt me, ut perderent contagione pec-
cati: sed ego non illecebris peccatorum mentem à studio diuinæ cognitionis auerti, nec
intentionem meam domine à mãdatorum tuorum serie declinaui, sed intellexi testimo-
nia tua. Si enim nõ intellexissem, peccatores me utiq; illi perdidissent. Quæ intellexi u-
tiq; sensu, etiam operibus secutus sum. Neq; enim nudus intellectus est, sed quem etiam
facta testantur. Deniq; beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Ille utiq; intelli Psal. 40
git super egenum & pauperẽ, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis,
nisi alimoniam eidem largiaris? Omnis consummationis uidi finem, amplificũ man-
datum tuum ualde.] Non possumus in omnibus uim Græci sermonis exprimere: maior
in Græco plerunq; uis & pompa sermonis est. τέλος dicitur Græce, quod nos Latine &
finem dicimus & consummationem. τέλος autem & consummationis ipsius finis est: si-
cut finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Habes scriptum: Ecce ego uobi- Rom. 10
scum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Consummatio ergo seculi, Matt. 28
finis seculi est: finis autem omnium Christus. Consummationes autem multæ. Est cõsum
matio, quando & resurrectio ad salutem. Consummatum quoq; opus, dicitur perfectũ
opus. Consummata malitia dicitur, id est, plena, cui nihil desit ad studium & artem nocẽ
di. Est consummatio hominis, & multæ consummationes, donec ad perfectum ueniat.
Legimus ergo & consummationem seculi, legimus & finem. De consummatione secu-
li supra posuimus exemplum, quam sequitur resurrectio. Sicut enim in Adam oẽs mo- 1. Cor. 15
riuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Post resurrectionem consummatio, u-
nusquisq; autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduen
tum eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum deo & patri, cum euacuaue- Ibid.
rit omnem principatum & potestatem. Ergo consummationem seculi sequitur finis, iu-
xta Apostolum. Vnde colligitur quod sequatur finis omnem consummationem. Mun-
dus in maligno positus est. ut dixit Ioannes: ergo & seculum in maligno est: mundus ple 1. Ioan. 5
nus peccati. Consummauerat malitiam suam mundus, sicut consummauerat Saul, cuius
uidens consummatã malitiam Ionathas filius in Dauid prophetam, eidem nunciauit ut 1. Reg. 20
declinaret & fugeret. Est ergo consummatio malitiæ, consummatio peccatorum. Venit Ioan. 1
agnus dei, qui tulit peccatũ mundi, qui est Christus Iesus. Finis legis, principium & finis,
& remissio peccatorum. Hunc finẽ cõsummationis uidit Propheta in spiritu, qui cõsum
matum seculi aboleret errorem, uidit sanguine eius diuersa omnium peccata mundari.
Bene ergo dixit: Omnis consummationis uidi finem. hoc est, uidi consummati adulte-
rij remissorem, uidi consummatæ luxuriæ atq; lasciuiæ, consummatæ crudelitatis atque
sæuitiæ, omnis postremo flagitij per crucem suam delicta donantem. Est & etiam con-
summata uirtus, consummata sapientia, consummata iustitia, sed habet finem. Finis om-

nium uirtutum Christus, qui finis est legis ad iustitiam omni credẽti. Vides quia finis est
Rom. 10 fidei? Bene ergo ait: Omnis cõsummationis uidi finẽ. Nunc quia consummationis finẽ
Matt. 7 agnouimus, agnoscamus quid sit, Latum mandatum tuum ualde. Legimus quod angu-
sta sit porta per quam ingrediantur qui æternæ uitæ fructum adipiscãtur. Rara enim uir
tus, difficilis est passionum tolerantia. Plures sunt qui seculi huius spatiosa sectẽtur, qui
dicant: Angusta & arta nobis est uia quæ ad dominũ ducit: conterimur in illa, relinqua-
mus eam. Quomodo ergo dicit Propheta latum mandatum dei, & ualde latũ? Ideo quia
Psal. 4 angustæ uiæ latũ mandatum necessarium est. Denique hic ipse Propheta ait: In tribulatio
Ibid. 117 ne dilatasti mihi. Et iterum: In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in lati-
tudine. Hæc latitudo mandatorum cœlestium cor Prophetæ dilatabat, dilatabat & apo
2. Cor. 6 stoli. Denique & ipse dicebat: Os nostrũ patet ad uos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum
est. Dispensando enim cœlestia mandata cor suũ dilatauerat: & quod ante persecutiõis
perfidia coartabat, hoc Christi amplificauit gratia. Et qua ratione latum mandatum? Ne
nos coartaremur angustijs mandatorum. Vnde ait: Non coãgustamini in nobis. Si hoc
Paulus, quãto magis Christus, qui clausa reserauit? Ergo dicit: Nolo coarteturin me po
pulus meus in angusto uirtutum tramite, debet latitudo præcepti mei uiantibus esse lo-
latio, ne quis deficere possit aut conteri. Ambulemus ergo in dei mandato, quia satis la-
tum est. Est enim latum mandatum sapientia, quæ in exitu canitur, in amplis autem fidu
cialiter agit. πλατεῖα enim Græci sermonis est, quæ Latine dicitur latitudo. Dilatemus i-
Ibid. 7 gitur cor nostrum, ut recipiamus Apostolicę uim sentẽtiæ, quæ ait: Capite nos. Recipia-
mus ergo eius sermones in cor nostrum, induamus uiscera misericordię, benignitatem,
humilitatem, patientiam. O homo quàm latus es si ad amplitudinẽ præceptorum cœle
stium sinum mentis tuæ expandas? Quàm latum mandatum est charitatis? Diligite, in-
Matt. 5 quit, inimicos uestros. Omnes utique affectu charitatis included, qui nõ excludit inimicos.
Rom. 12 Qui enim uidetur exceptus, cum recipiatur inimicus? Vnde Apostolus ait: Si fieri, in-
quit, potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, nõ
Gentibus, ut cum omnibus pacem habeant. Illi uix suos diligunt, Christiano etiam ini-
Colos. 2 micos non licet non amare. Christianum cum dico, perfectum dico. In Christo enim ple
nitudo diuinitatis est, cuius nomen usurpas. Qui uocabulum geris, interpretationẽ uo-
Rom. 12 cabuli perfectionemque curre fugis? Audi latum mãdatum: Benedicite eos qui persequũ
tur uos, & nolite maledicere. Iste qui latum dicit esse mandatum, probauit supra, dicens:
Psal. 108 Illi quidem detrahebãt, ego autem orabam. Quid orabas Dauid? dicito nobis ipse. Sed
dixisti. Legi enim dicentem: Maledicent illi, & tu benedices.

SERMO XIII.

Em litera sonat in Latinum, ex intimis, uel ut alij, ignis ex ultimis. Et utrunq;
M non discordat à textu. Nam statim primus uersus internorum uiscerum cha
ritatem exprimit, quæ utiq; ex ultimis procedit medullis, & quodã nexu ca-
Thren. 1 loris implicatur ossibus. Denique in Threnis Hieremiæ textus literæ huius hoc continet:
Ex alto suo misit ignem in ossibus meis. Bonus ergo deus qui nobis immittit unde dili-
gentes eum, meritum sub conspectu eius inuenire possimus. Quem mittat ignem, ipse
Luc. 12 nos doceat. Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur? Bonus ignis
quẽ desiderat omnium saluator accendi, cum præsertim ipsum deum legerimus ignẽ es-
se, qui nostra peccata consumat, intimisque pectoribus nostris diuinæ cupiditatem agni-
tionis infundat, ut ardeat in nobis cor nostrum cum legimus diuinarum seriem scriptu-
rarũ, si forte aliquid quo aperiantur propheticę lectionis occulta, intellectu assumamus
Luc. 24 spiritali. Hoc igne Cleophas cor suũ dicebat ardere, cum ipsi & socio eius Christus scri-
Ezech. 22 pturas aperiret. De hoc igne dixit dominus in libro Ezechiel: Ecce proficiscar in Hieru
salem, & exufflabo in uos ignem iræ meæ, ut tabescatis à plũbo & ferro & reliquis mate
rialibus. Profunda in uerbis usitatis uidemus mysteria. Totũ hoc spiritale. Quibus preci
bus emerear, ut ueniat dei uerbum, intret Ecclesiam, fiat ignis consumens, ut exurat fœ
num & stipulam, & quicquid est seculare consumat? Graue plumbum iniquitatis, quod
in plerisque est, liquefiat igne diuino, & ferreus quidam peccati rigor superno molliscat
incendio. Meliorentur uasa aurea & argentea, ut omnis sapiẽtium sensus, omnis sermo
prudentium flagrantium passionum calore recoctus incipiat esse preciosior. Bonus ig-
nis

nis charitatis, quo corpus omne Ecclesiæ in mutuam adolescit gratiam. Bonus ignis dilectionis, quo unusquisq; sanctus ad reuerentiam sui authoris accenditur. Sed qui deũ diligit, non perfunctorie diligit, sed diligit legem eius, præcepta custodit, iustificat cor suum, non dictorum sonora prædicatione, sed studiosa imitatione factorum. Doceat igitur nos deus quemadmodum à sanctis suis diligitur deus. Sic inquiens Propheta dicit:

Quomodo dilexi mandatum tuum domine, tota die meditatio mea est.] Diligẽtis cir ca studium cognoscendæ legis hæc uox est, quæ instruit perfectionem hominis, quã totus hic psalmus informat. Et quoniam maximum mandatum in lege esse cognouit, ut diligamus dominum deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra: sui imitatione nos quoq; quos erudire studet, uult esse perfectos, dicens: Quomodo dilexi mãdatum tuum domine. Hoc ipso charitas crescit affectu, quod ipsum testem aduocat cuius munus dilectionis impenditur, nec speciem sed plenitudinem charitatis tali conuẽtione testatur. Hac usus est Petrus. Tu scis, inquit, domine, quia diligo te. Sed qui diligit deum, legem eius diligit, sicut Maria diligens filium, omnia uerba eius in corde suo materno conferebat affectu. Diligens te, feci uoluntatem tuam, scriptum est. Ideo commisit Christus Petro ut pasceret gregẽ suum, & domini faceret uoluntatem, quia charitatẽ eius agnouit. Qui enim diligit, ex uoluntate facit quę sibi sunt imperata: qui timet, ex necessitate. Itaq; dominus operationes seruulorũ suorum spõtaneas probat, potius quàm coactas. Ideo ex seruis liberos facit, ut magis uoluntatum nostrarum munera, quàm necessitatum obsequia conferamus. Non potest dicere Marcionita, Quomodo dilexi legem tuam: qui legem non suscipit. Nõ potest dicere Iudæus, qui legem spiritalem ignorat, & literam legis nudam, non sensum legis intellectumq; meditatur. Solus ergo dicit Christianus, qui multum iam legis cognitione profecerit, qui non pœnam legis pauido corde formidet, sed diuina mysteria ueri Hebræi, ueri sabbati, ueræ remissionis intrepido miretur affectu. Vere ergo diligit qui sine tristitia, sine timore, uoluntario potius studio quàm coacto præcepta conseruat. Super inimicos meos intelligere me fecisti mãdata tua, quia tu es.] Cito probauit diuturnæ meditationis effectum, quando intellexit super inimicos suos domini mandatum. Sed quos habet inimicos Propheta, qui aut sui populi uiros legitima debet charitate complecti, aut alienigenas Euangelica prædicatione inuitare ad dei gratiam? Feræ consortem naturæ suæ diligũt. Quomodo dilectionem conformis sui Propheta respuerit? Esse igitur iustam aliquam causam oportet quam nus quia alibi idem iste dixit: Super inimicos tuos tabescebam, & iusto odio oderam illos. Istos ergo Euangelica authoritate suos inimicos dicit esse, qui inimici sunt dei. Nam si is qui non relinquit parentes propter dei nomen, nõ est deo dignus: quãto magis qui diligit eius inimicos, acceptus deo esse non poterit? Quos ergo inimicos habet? Si gentiles, quomodo super eos intellexit, quos prophetico credituros spiritu prœuidebat? Deniq; ut benedicant & ipsi dominum, in superioribus adhortatus est. Et quę magna laus, super eos intelligere qui metalla & saxa uenerando, similem rigorem stuporis attraxerint? quos igitur habet inimicos, nisi hæreticos? Ipsi enim sunt impugnatores fidei, ueritatis inimici. Quos nisi Iudæos? Ipsi enim sunt grauiores inimici, qui ex amicis facti sunt inimici. Super eos intelligit, qui legem spiritalem esse intelligit. Quid ergo prodest lex, si finem legis ignores, si mysterium nescias, si sacramenta non noueris? Iudęis ex ouibus agnus occiditur pro celebritate paschali, nobis pro redemptione mũdi unigenitus dei partus uirginis immolatur. Quid proficiunt Iudæi, quod sanguine agni domos & postes suos illinunt? Nihil utiq;, quoniam ligna his aut saxa prodesse non possunt. Nobis proficit omne mysterium, qui abhorrere credimus à gratia spiritali, ut habitationes nostras sanguine pecudis cruentemus, ora nostra cruore tingamus, sed corpora nostra sacramento crucis dominicæ consecremus, & cõfessione mortis domini nostri Iesu Christi sanctificemus oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid prodest quod Hebræi aurem serui pertundit subula, & pręputia sui circuncidunt corporis? Non intelligunt penitus quid lex diuina discernat. Signa sunt ista, non ueritas. Sed ille intelligit, qui cor suum spirituali circumcisione castificat, ut colluuiẽ omnem corporeæ labis emundet. Ille intelligit, qui subulam & aurem mentis uigore

Matt. 22

Ioan. 21

Luc. 2

Psal. 138

Rom. 10

transcendit,& illam animam quam pertransiuit gladius ad reuelãda cordis occulta, per
petuæ præmio libertatis attollit:uel examinandis sermonibus solicite seruiens, quoscũ
que uirtutis suæ aure susceperit,mysterio sanctificat spiritali.Azyma sibi Iudæus quotã
nis facere consueuit,& nescit se malitiæ esse fermẽtum.Sed qui intelligit, quid sit; uetus
expurgat fermentum,ne totam massam corrumpat:ueterem hominem cum actibus su
is expurgat,ut fiat noua conspersio ueritatis.Iudæo ista dicta sunt, & Christianus audi
uit:quia dum aurem suam illa subula pertundit,audire non potuit,uulneratam aurẽ ge
rens.non legis,sed stultitiæ suæ subula cruentauit aurem suam, illa audiendo quæ spirita
liter reuelantur. Perforauit aurem suam ferro. Maluit enim in ferrum quàm in uerbum
credere.Ideo seruit,ideo liber esse non meruit,ideo nec completi temporis ei gratia sub
fragatur,quia plenitudinem temporis non recepit, quo filius dei missus est ad salutem,
& uenit ad redemptionem factus sub lege,natus ex uirgine,uictor mortis,largitor resur
rectionis.Manet ergo uulnus illi cui Christus non resurrexit.O uulnus quod sarciri non
possit,nisi forte relinquat subulam,& sumat sibi gladium quo Christi nomen non refu
tet,uel quo corporalia à spiritualibus,umbram à ueritate distinguat:sumat dei uerbum,
gladium bis acutum,& ex illo diuino ore doceatur,mandatum domini præscriptum le
gis agnoscere, quod non temporalis habeat obseruantiam celebritatis, sed salutaria &
sempiterna remedia succo gratiæ spiritalis infundat.Tota ergo die in lege meditare, nõ
perfunctoria tibi debet esse transcursio.Si agrum emere uelis,si mercari domum, prudẽ
tiorem adhibes,& quid iuris sit,diligenter consideras: & ne in aliquo forte fallaris, tibi
ipse non credis.At nunc tu ipse emendus es tibi, de tuo precio tracta. considera qui sis,
quod nomen habeas,quid acquiras tibi:non agrum,non pecuniam, non gemmarũ mo
nilia,sed Christum Iesum,cui nulla possint precia,nulla ornamenta conferri.Adhibe ti
bi consiliarios,Moysen,Esaiam,Hieremiam,Petrum,Paulum, Ioannem, ipsum magnũ
consiliarium Iesum dei filium,ut acquiras patrem.Cum his tractandum, cum his conse
rendum est tibi,tota meditandum est die.Sic meditabatur Dauid,& hęc erat illi sola me
ditatio. Non secularibus animus traducebatur illecebris, non pecuniaria coaceruandi
patrimonij cupiditate flagrabat, non proferendi limitis, excludendicꝫ finitimi anxius
curarum æstus,ab studio meditationis intentum reflectebat affectum. Quicquid pote
rat temporis dies habere,hoc totum sola sibi in lege meditatio uindicabat. Sed etiã hoc
Psal.1 parum est diligenti,qui uelit ad beatitudinis gratiam peruenire.Beatus enim die ac no
cte meditatur in lege.Angustior dies est meditatione doctrinæ.Non tantus dies in tem
pore,quantus meditatus in lege. Vnde uide ne illud magis uideatur significare,quod el
qui in lege meditatur,semper dies est,& lumen sine defectu,quod nullę tenebræ noctis
interpolent.Alioquin quomodo negligentiorem in processu operis declararet, quem
diligentiorem in ipsis operis sui prophęta principijs esse uoluisset? In die ergo medita
tur legis & Euangelij prædicator.Et fortasse illi qui nouum non recipiunt testamentũ,
in nocte legerunt,& ideo nescierunt neqꝫ intellexerunt. Vnde etiam saluator, ne nos le
geremus in tenebris,admonet dicens ambulandum in die, quia non offendit qui in die
Ioan. 11 ambulat. uidet enim gratiam lucis. Qui enim ambulat in tenebris, scopulum offensio
nis incurrit. Super omnes docentes me intellexi,quia testimonia tua meditatio mea
est.] Doctrinam profitentur scribæ Iudęorum,quia legem & prophetas ipsi priores ha
bere meruerunt.Sed illi profitentur docere,sed non docent.Ei autem populo qui est ex
gentibus,competit dicere:Super omnes docentes me intellexi: quia illi non intellexe
runt.Respondet Iudæus:Vnde habuisti intelligere?Scriptum est:Interroga patrem tu
Deute.32 um,& annunciabit tibi:seniores,& dicent tibi:Ego sum pater tuus,me interroga.Sed et
si interrogauero,non respondebitis mihi,dixit Iesus:& ex illo noui respondere,& ex il
lo supra illos intelligo qui non intelligebant,quia testimonia didici,quæ ille non nouit.
Matt.16 Didici:Qui sequitur me,tollat crucem suam.Didici: Diligite inimicos uestros. Et ideo
Matt.5 optat anathema esse Paulus pro fratribus genere, inimicis fide. Videretur inconueni
Rom.9 ens esse uerecundiæ prophetali huiusmodi usurpatio, eo quòd præsumpserit dicere
quod super omnes docentes intellexerit, cum uel legem Moyses acceperit à domino,
& populo eius instituta tradiderit, Aaron sacrificiorum omnium decurso ritu sacerdo
talem docuerit disciplinam, Iesus Naue significauerit, quemadmodum circuncisio pos
sit

sit iterari, Samuel unctionis prophetice pariter ac regiæ sacramenta monstrauerit. Videretur inquam incongrua præsumptio, nisi præmisisset superiora, quibus non immerito super docentes intellexisse se cõprobaret. Debuit hanc assumere confidentiam, qui docebatur à domino: & mandatũ quo docebatur, domini erat: & ipse dominus, qui docebat. Merito super omnes intellexit, quẽ docebat ipsa sapientia. Vnde & alibi ait: Beatus quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Ostendit igitur, quod diuinum est, homines docere nõ posse: & ideo qui docere præsumunt, nesciunt, sed agnoscit discipulus qui docetur. In quo: Propter donũ scientiæ quod de spiritu sancto fuerat cõsecutus. Moralis quoq; suauis locus est, quod multi docentes sunt, qui id quod nõ intelligunt, docere se dicunt: & plurimi sunt discipuli qui studio suo assequuntur & industria quod non didicerũt à magistris. Denicq; ante nos quidam interesse dixit inter docentes atq; doctores, fortasse hoc arbitratus, quia doctores sunt alienorum iudicio ad hoc munus electi, docentes autem qui propria usurpatione hoc sibi munus assumpserint. Sed cedant necesse est ei doctores quocq;, quem testimoniorum meditatione cœlestium doctrina dei docẽtis imbuerit. Super seniores intellexi, quia præcepta tua exquisiui.] Nec hoc quidem difficile, ut is quem dominus docuerit, super seniores intelligat. Siquidem dei gratia erogata ad doctrinam, maturitatem ętatis supergreditur senilis. Cum enim ętatis senectutis uita immaculata sit, uticq; doctrina uitæ immaculatæ senilem præstat ætatem. Denicq; excusanti Hieremiæ quòd iuuenis esset, responsum est: Noli dicere, iuuenis sum, eo quòd non æstimaretur iuuenis definitione diuina, qui canam haberet prudentiam, quæ sanctificationis cœlestis gratia reluceret. Veruntamen non mihi uidetur seipsum laudare Propheta, & præferre senioribus, cum legerit: Non te prætereat narratio seniorum, & ipsi enim didicerunt à patribus. Nã & alibi Sirach dixit sapientia: Vbi sunt senes, non multum loquaris. Sed nouit quibus se præferat senioribus, inueteratis scilicet in peccato, & ueterno impietatis, atq; senio perfidiæ delyrantibus. Isti sunt seniores populi, qui dominum Iesum Pilato præsidi tradiderunt. Conuenerunt enim sacerdotes, & seribæ, & seniores, ut ait Marcus. Et iterum: Fecerunt sacerdotes cõsilium cum senioribus ut eum tradèrent. Et aduersum Apostolos, in Actibus eorum, quod seniores Israel conuenerint, Petrus sanctus & Lucas Euangelista testantur. Non ergo senili derogauit ætati, sed uoce populi iunioris, indocilem Dei uetustum illum dierum Iudæorũ fore prophetauit, qui quod in iuuentute sua non acquisierit, & in senectute inuenire non potuit. Nancq; à principio frequentibus dominum exasperauit offensis. Cuius igitur gratiam cum esset iuuenis non poterat emereri, huius aduentum senex non meruit agnoscere, huius donum tenere non potuit. Speciosum autem in canæ iudiciũ senectutis in sensu est: & ueterani consilij scientia, intellectus maturitate, non uitæ longæuitate præfertur: Exquiramus ergo mandata dei, ut super seniores intelligamus. Fugiamus uiã lubricam peccatorum, ut possimus præcepta custodire cœlestia. Hoc enim declarãt sequentia. Super seniorem Esau intellexit Iacob iunior frater: quia cum senior Esau prę gratiuam sibi benedictionis priuilegio ætatis exposcit, reliquit epulas mitiores, dũ quærit agrestes. Profecto illo in uenationem, iunior frater uestimenta eius accepit, & mihi tradidit populo nationum, materno usus consilio. Illam ergo sapientiæ stolam quam habuit antea populus Iudęorũ, induit me Rebecca. Stola eius bona, lex & prophetę. Hac stola ille populus est nudatus, nos indutí sumus. Induit nos mater illa Hierusalem, quę in cœlo sursum est. Accedimus ergo ad patrem, offerimus illi epulas mitiores, patientię cibos, misericordię lenitatem, intellectus suauitatem. Accipio benedictionem, præripio fratri seniori gratiam spiritalem. Venit ille, irascitur: non inuenit quod accipiat. Mater occurrit, & pio nos hortatu informat. Residet penes me stola illa bonis intexta mandatis. Ab omni, inquit, uia mala prohibui pedes meos, ut custodiam uerba tua:] Vere dignus qui super seniores intellexerit, quandoquidem diuino est honoratus spiritu ut seniores doceret non solum intellectus ueritatem, uerũetiam peccati fugam, culpæq; cautelam. Itaque cum fragilitas humana prona sit ut labatur non ad unum affectibus malum, & currentem cuncta in præceps suscipiant probra, atque toto è uestigio feratur in uitium: docet quemadmodum uitæ istius lubricam declinans semitam, itineris huius anfractus uiantem implicare non possit. Prohibui, inquit, pedes meos à maligna uia,

Psal. 93

Sap. 4

Hier. 1

Eccl. 8

Ibid. 32

Mar. 14

Act. 4

Ec. li 25

Gen. 25

1.Ioan.5 hoc est, ab istius seculi uanitate, quia seculum in malígno positum est. Dubium quic-
quid est, & ancipitis effectus, hoc malígnum est, ut lux dubia, malígna dicitur: ita ma
lígnum est, quicquid admíscet malitiæ tenebras ueritati. Reuoca ergo ab istius mun-
di lubrico pedes animi tui, & mentis incessum. Prohíbe (inquam) resiste cupiditati-
bus, obsiste motibus, qui uidentur irruere sicut bestiæ atque iumenta, ut teneros fru-
ctus & noua ruris huius nostri culta depascant. Prohibui (inquit) pedes meos. Non
utique corporis pedes prohíbuit, qui mentis piæ plerumque obsequuntur arbitrio.
Neque enim prohibendi sunt cum prodeunt ad dei templum, uiduæ opem ferre festi-
nant, impium præuenire, supplantare aliquem fraudulentum. Alius ígitur est pes qui
Psal.35 iure prohíbetur. Qui ille sit, ipse Propheta nos doceat. Non ueniat (inquit) mihi pes
Ibidem. superbiæ. Est etiam pes iniquitatis, qui cito labitur, & stare non potest, sicut perfido-
rum est, de quibus scriptum est: Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulsi sunt,
nec potuerunt stare. Prohíbe ergo pedes tuos ne cadas. Sunt enim non solum crimi-
1.Cor.10 num, sed etiam infirmitatis pedes. Et uidendum ne cadas. Et uideris tibi forsitan bene
stare, sed dicit tibi Paulus: Et tu qui stas, uide ne cadas. Diligenter attende tiam tu,
Psal.34 am ut audias, Tu autem hic sta mecum. Stans enim cum Domino, lapsum timere non
poteris. Stans cum Domino, poteris dicere: Eruit pedes meos à lapsu: sed ita eruit do-
mínus pedes tuos ab omni lapsu, si cognouerit quòd tu prohíbeas pedes tuos à lapsu.
Ideo hoc meruit Dauid, ut Deus à lapsu pedes eius erueret, quoniam pedes suos ipse
prohíbebat, ne præcípiti atque incauto peccatorum laberentur uestígio, unde & po-
tuit uerba custodire diuina. Non enim custodire quis poterit, nisi potuerit prius sta-
re. Quum autem custodierit, ipsi incipit Dei uerbum ferre custodiam. Prohíbitos pe-
des suos à uia malígna bene dicit, qui Christum uiam esse nouit. A iudicijs tuis non
declinaui, quia tu legem posuisti mihi.] Exposuit quid esset à uia malígna prohíbere pe
dem, à iudicijs utique non declínare diuinis, & firmum atque immobile perseuerantis
innocentiæ tenere uestígium, non deflectere gradum, nec de curriculo auertere díscipli
næ, sed semitis nõ solum ueteris in Syna, sed etiam nouæ legis insistere, secundum Euan
gelij claritatem. Est etiam Euangelij lex, de qua dixit in superioribus hic propheta: Con
Ibid. 9 stitue Domine legislatorem super eos, sciant gentes quoniam homines sunt. Aduen-
tum utique Domini intellígimus prophetari, uocationem gentium, quæ ante in lutum
quoddam corporis huius uidebantur infixæ, uoluptati corruptionis suæ tanquam fæci
& libídini inhærentes, quia Dominum nescierũt. Et ideo iratus: Auertantur, inquit, pec
catores, in infernum: ut non uiderent descendentem & ascendentem animam Domini
Iesu, & conuerterentur ad Dominum, qui conuerti cum uiuerent noluerunt. Sed & de
illis dicit gentibus, quæ obliuiscuntur Dominũ. Scierunt ergo & obliti sunt: tamen pro-
Ibidem. phetica benígnitate orat, ut exurgat Dominus, non præualeat homo, ut cogitationes
terrenæ & motus omnes feruentes huius corporis conquiescant. Judicent gentes, quo-
niam tunc cognoscitur Dominus, cum timentium conuertit affectus, grauis terrore iu-
dicij, & discant gentes quoniam homines sunt, luti corruptione solubiles, & limo dure-
scente formati: quod ante qui legem non acceperant, nesciebant. Vnde propheta quasi
& ipse perturbatus terrenæ fragilitatis contemplatione ait: ut quid Domine recessisti
longe? Bene timet, qui hominem se esse cognoscit: sed quia plus timet nobis, qui su-
mus ex gentibus peccatores, precatur ne longe fiat à suis gẽtibus: ut qui longe eramus,
incipiamus esse propiores, & sciamus quia homines sumus, ad imaginem scilicet & si-
militudinem Dei facti, quibus per uirginis uterum etiam Christus nostri conformis est
factus. Recte ergo & ad infirmitatem accipitur, & ad gratiam. Sciant gentes quoniam
homines sunt: altero per commune quoddam atque carnale consortium bestiarum, al-
tero per imaginem. Per imaginem Dei, & carnis Dominicæ sacramentum, dignitas
esse cœpit quæ ignobilitas uidebatur. Meritò ergo non declinauit à iudicijs Dei popu-
lus nationum, qui potest dicere: Quoniam tu legem posuisti mihi. Nõ per Moysen, non
per prophetas, sed ipse per te Iesu legem posuisti mihi, hoc est, Euangelium. Ideo non
declinaui, quia te aspexi, & itinera tua cognoui, & te sequutus ueram cognoui uiam.
Ideo itaque prædicationem audiens Euangelij quam propheticus spíritus præcinebat,
ait: Quàm dulcia faucibus meis uerba tua, super mel & fauum ori meo.] Et bene dul-
cia,

cia, quibus prædicatur remissio peccatorum, uitæ perennitas, resurrectio etiam defunctorum, quæ perpetuæ mortis & acerbæ amaritudinem temperarunt. Per hæc mortem cœpimus non timere, qui cœpimus dicere: Vbi est mors uictoria tua? Et bene 1.Cor.15
faucibus dulcia, eò quòd intimis infusa uisceribus gratia spiritalis sit. Super mel & fauum, inquit, ori meo dulcia. Et ideo quia dulcia nobis uerba tua esse cœperunt, dicit Cant.4
ad Ecclesiam: Fauum distillant labia tua sponsa. Qui sit fauus, doce nos Salomon. Tu Prou.16
enim dixisti: Fauus mellis, sermones boni. Et uere bonus fauus, quem manducat Ecclesia, multorum prophetarum uelut apum spiritali ubertate congesta mella redolentem. Hoc est mel de quo ait: Manducaui panem meum cum melle meo, bibi uinum Cant.5
meum cum lacte meo. Mysticus sermo cœlestium scripturarum sicut panis est, qui confirmat cor hominis, uelut fortior cibus uerbi. Suauius autem ethicus, dulcis & mollior, eò quòd ethica prædicatione mentis interna mulcentur. Amara febribus, id est,
pœnitentia delictorum, miti corda sermone dulcescunt. Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus uel ruinis, lapsæ animæ membra refouentur. Est etiam uis feruentior uerbi, sicut & uini. Est etiam in lactis specie sermo lucidior. Edite, Ibidem.
inquit, proximi mei, & bibite, & inebriamini. Bona ebrietas, quæ ad meliora atque iucunda facit quendam mentis excessum, ut immemor solicitudinum animus noster uino iucunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas. Denique poculum inebrians quàm præclarum. Sed & alibi habes: Riuos eius inebria, multiplica generationes Psal.22
eius, eò quòd ebrietas terræ quum infusa fuerit imbre cœlesti, suscitare semina, fructus Ibid.64
multiplicare consueuerit. Itaque ubi uerbum quòd sicut pluuia descendit de cœlo, uenas terræ nostræ, uel animæ ac mentis nostræ inebriauit prædicatione diuina, excitauit uirtutum studia diuersarum, fructus que fidei & castæ deuotionis adoleuit: meritóque ei dicitur: Visitasti terram, & inebriasti eam. Susceptione etenim corporis uisi- Ibidem.
tauit, ut sanaret infirmos, inebriauit gratia spiritali, ut anxios iucunditate mulceret.
Rectè ergo sponsæ dicitur: Fauum distillant labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.
Os enim iusti distillat sapientiam, de ore iusti suauitatis & misericordiæ mella procedunt. In ore iusti nullus dolus, nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati. Audit Ecclesia uerba iusti, audit plebs Dei præcepta sapientis, delectatur alloquij suauitate, mo
ralis disputationis iucunditate mulcetur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis uerba tua, super mel & fauum ori meo. quia mel apum ad horam delectat, sed cito sapor eius euanescit, & plerumque uiscera uitiosa læduntur: uerborum autem moralium etsi pungunt mella, non lædunt. Cognosce tamen cui illa credantur. Scriptum est enim:
In aurem insipientis nihil dicas, ne quando irrideat prudentes sermones tuos. Euomet Cant.4
enim, & reiciet sermonem tuum stultus; qui eius non potest sentire suauitatem.

A mandatis tuis intellexi, propter hoc odio habui omnem uiam iniquitatis.] Consequens huic uersiculo est: Concupiscens sapientiam, serua mandata. Sed nemo potest seruare, nisi qui intelligit. Denique redduntur quotidie omnia uerba legis à quibusdam senioribus Iudæorum, & nemo eorum potest custodire mandatum. Neque enim arborem dixerim custodire fœcunditatem naturæ, quæ luxuriat in foliis, uanescit in fructu: Nec terram illam dixerim custodire fructus suos, quæ quum filicem inuisam pascit, agricolis edere frumenta non soleat. Nec pastor custodire uidetur pecus, qui eligere pabula profutura non nouerit, lupos cauere, canibus uallare ouilia sua, nesciat potum, quum opus sit ministrare. Nam producere tantummodo sine ulla cura mutum pecus, tantundem est quantum scripturas legere tantum populum Iudæorum, & nescire ubi sint spiritalis pascua sacramenti, ubi litera occidat, ubi intelligibiles incurrant lupi, ubi sit requies refectiõis, ubi spes resurrectionis, qui sint canes qui pro gregis possint latrare custodia, populus & ipso grege magis mutus ignorat. Itaq; si dicat, Mandata custodio: respondetur ei, Tu uerò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos Psal.49
post te. Si uidebas furem, simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit nequitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuũ detrahebas. Non est hoc custodire mandata, sed præuaricari: statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. Quomodo possunt uerba dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? Quomodo mel & lac sub lingua tua,

cum dolum lingua tua componat, ut aliud pectore concipias, aliud foreſi ſermone prę-
tendas, ut decipias incautum? cum tibi Petrus apoſtolus dicat, ut deponas omnẽ mali-
1.Pet.2 tiam, & fucũ ſimulationis abijcias, dicens: Sicut dudum geniti infantes, rationabiles, &
ſine dolo, lac concupiſcite. Oſtendens enim nobis quid ſit mel & lac habere ſub lingua,
docet ut non maledicere maledicentibus, ſed benedictionem referre nouerimus: nelcia
mus odiſſe niſi uiam iniquitatis, ut facere quod execramur, reluctãdi caueamus affectu.
1.Ioan.2 Ideo Paulus cauebat in carne ſua malũ, quia oderat. Ideo Ioannes monet in epiſtola ſua
ne diligamus ſeculum, quia omne quod in ſeculo eſt, concupiſcentia eſt carnis, & cõcu-
piſcentia oculorum, & iactantia uitæ. Eſt ergo in nobis ut & bene aliquid oderimus, &
bene aliquid diligamus. Sicut bene enim amare poſſumus ſeruos Dei, & bene diligere
poſſumus inimicos noſtros ſecundum mandatũ Domini, ita bene odiſſe poſſumus ini-
micos dei, odiſſe iniquitatem, odiſſe perfidiam, odiſſe turpitudines, odiſſe mundi iſtius
uanitates. Odio igitur eſſe debent quæ ſeculi ſunt, ne ſecuris affectibus & ociosis blãda
conciliatricula uoluptatis irrepat illecebra. Facile capit oculos petulantis forma mere-
tricis, niſi eos odia premant iuſta, & impuritatem indignatus auertat affectus. Inflat ple
runque homines, & timido ore ſupinat faſtigium nobilitatis, iactantia, & rerũ affluentia
2.Cor.8 ſecularium, niſi pudeat in te aliena magis q̃ propria laudari. Chriſtus cum diues eſſet, pau
per factus eſt: in paupere non diuite te redemit. Cõfitentibus dei filiũ imperabat tacere,
ut operibus magis q̃ ſermonibus Deus agnoſceretur: & tu nobilẽ te dicis, qui es factus
Pſal. 102 è terra? Dauid rex dixit: Memento domine quia puluis ſumus: & tu in hoc caduco atq̃
limoſo genere gloriaris, & diuitem te putas, qui cras potes eſſe mendicus cũ uita tua nõ
in abundantia tua, ſed in dei ſit miſericordia? Cui honor, gloria, laus, perpetuitas à ſecu-
lis, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

SERMO XIIII.

3 NVn litera Hebręa eſt quartadecima. Cuius interpretatio eſt, unicus: uel ſicut
in alia interpretatione habetur, Paſcua eorum. Ecce ipſe Hebræorum literæ
teſtantur dominum Ieſum eſſe unicum patris filium, uerbum dei. Denicp̃ pri
mo ſtatim uerſu Dauid de unico filio dei dicit: Lucerna pedibus meis uerbum tuũ do-
mine, & lux ſemitis meis.] Vnde intelligimus ideo per literas Hebræorum pſalmũ hũc
eſſe digeſtum, ut homo noſter tanquam paruulus, & ab infantia per literarum elementa
formatus, quibus ętas puerilis aſſueuit, uſq̃ ad maturitatem uirtutis excreſcat. Litęrę au
tem ſingulæ uelut tituli ſunt eorum uerſuũ qui ſub ijſdem literis adſcribuntur, ſeriem &
continentiam declarantes, ſicut hic unicũ ſignificat litera, & de unigenito Dei filio, atq̃
eius æterni luminis claritate, pſalmi eius portio prophetatur. Nec ſanè ab iſta abhorret
etiam illa in alio reperta codice literæ huius interpretatio, quæ eſt, Paſcua eorũ, hoc eſt,
fidelium. Quæ ſunt paſcua niſi Chriſtus? In cuius paſcuis ſe locatum propheta lætatus
Pſal.92 eſt dicẽs: In loco paſcuæ ibi me collocauit. Ipſe enim nos paſcit, & reficit. Bona paſcua,
diuina ſacramenta ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurre-
ctionis. Carpis lilium, in quo ſit ſplẽdor æternitatis. Carpis roſam, hoc eſt, dominici cor-
poris ſanguinem. Bona etiam paſcua libri ſunt ſcripturarum cœleſtium, in quibus quo-
tidiana lectione paſcimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ ſcripta ſunt de
guſtamus, uel ſummo ore libata frequentius ruminamus. His paſcuis grex domini ſagi-
natur. Bona etiam Chriſti paſcua, qui paſcit in lilijs, hoc eſt, in ſplendore ſanctorum. Bo
na paſcua etiam montes conuallium, ſicut luminaria iſtius mundi ſedula humilitate ful-
gentes, qui uirtutum diuerſarum præſtant cacumine, & ſupra mundum meritis ſuis emi
Ioan.17 nent. Iſti ſunt de quibus dicitur: De hoc mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de hoc
mundo, quia ſupra mundum ſunt qui Chriſtum ſequuntur. Conuallis autem mundus
eſt. Ideoq̃ diſpoſuit in conualle fletus, eò quòd in hoc mundo fletus ſint lachrymæq̃.
Et prouidens dominus diſpoſuit in hoc mundo Teſtamentum ſuum, ut magis hic flea-
mus peccata noſtra, quàm flenda ſeruemus. Paſcua noſtra etiam iſti uerſiculi ſunt, de
quibus hodie tractaturi ſumus, in quibus Dauid dicit: Paſcebam oues patris mei: oſten
Philip.2 dens ueram lucernam, docens humilitatem. In talibus paſcuis uerus Dauid, uerus hu-
milis, & manu fortis, qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet-
ipſum exinaniuit, & homo natus per uirginis partum, humiliauit ſe uſque ad mortem,

oues

oues patris sui diuina prædicatione pascebat, cum secundum scripturas suum probaret aduentum, cùm quinq; panibus & duobus piscibus quinq; hominũ millia satiaret. Hæc ergo nostra sunt pascua, hæc eorum qui possunt dicere: Quàm dulcia faucibus meis uerba tua. Hæc eorum pascua sunt qui dicunt: Lucerna pedibus meis uerbum tuũ domine. Pascitur enim os nostrum uerbo, cum loquimur mandata dei uerbi. Pascitur & oculus noster interior lucernæ spiritalis lumine quæ nobis in hac mũdi nocte prælucet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus uestigijs, et uiam uerã inuenire nequeamus. Intelligibilis enim pedum gressus, intelligibilis & lucerna, quia uerbum dei lucerna est. Nõne hoc erat uerum lumen, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum? Quomodo ergo lucerna dicitur? Esaias clamat: Populus qui sedebat in tenebris, lucem uidit magnam. Quomodo hic dicitur lucerna? Sed uideamus ne fortè idem uerbum de aljs magna lux sit, aljs lucerna. Mihi lucerna, angelis lux est. Petro lux erat, quando astitit ei angelus in carcere, & lumen refulsit ei. Paulo lux erat, quando euntẽ ad persequendum populum Christianum circumfulsit eum lux de cœlo, & audiuit dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Et magna quidem lux. Denicq; lucernæ Pauli lumen euanuit, ubi diuinæ splendor lucis emicuit. Et uerè lucerna est mihi Christus, quando is nostro ore recensẽt. Lucet in limo, fulget in uase fictili thesaurus ille quem habemus in uasis fictilibus. Lumen lucernæ est: mitte oleum, ne deficiat tibi lumen lucernę. Et oleum; non oleæ terrestris, sed illud oleum misericordiæ cœlestis gratiæ quo ungebantur prophetæ. Oleum tuum humilitas est, quo ceruicis nostræ dura mollescunt. Oleum tuũ misericordia tua est, quo etiam collisa scopulis peccatorum fouentur corpora. Hoc oleum uulnerato illi à latronibus descendenti ex Hierusalem, euangelicus ille Samaritanus infudit, qui uidens eum, misericordia motus est, & alligauit uulnera eius, infundẽs oleum & uinum. Hoc oleum curat ægrotos. Misericordia enim à peccato liberat. Hoc oleũ lucet in tenebris, si opera nostra luceant coram hominibus. Hoc oleum lucet in Ecclesiæ solennitatibus. Denicq; quibus oleum non defuit, nec lumen fidei defecit, sed cum lampadibus in locum nuptiarum introire meruerunt. Quæ autem in uasis suis oleũ non tulerunt, hoc est, non habuerunt fidem, non prudentiam, non misericordiã animæ in hoc constitutæ corpore, meritò infidelitatis exclusæ sunt. Ideo & tu habeto semper lucernã ardentem uel lucentem facem. Si enim neq; lucerna, neq; lampas tua luceat, stulta uirgo dicetis, nec introibis in thalamum sponsi tui superioris, sed remanebis in tenebris cæcitatis, quasi qui oderis lucem, ne opera tua flagitiosa prodantur. Omnis enim qui malè agit, odit lucem. Habeto fidem, habeto prudentiam, ut semper habeas in uasis tuis oleum misericordiæ, deuotionis gratiam, quia prudentes acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus suis. Vngite ô homines lampades uestras: cum ieiunatis, ungite caput uestrum. Infundamus mentibus nostris oleum, ut corpus nostrum lucidum sit. Luceat tibi semper lucerna uerbũ dei, luceat & lucerna corporis tui oculus tuus. Conscientia tua lucẽs bene in hoc corpore lucernæ lux est, quia ipsa est oculus tuus. Si purus oculus tuus, si conscientia tua munda sit, munda est caro tua. Si aũt in te est tenebrosa cõscientia tua, etiam corpus tuum cõscientiæ tuæ nocte tenebrosum erit. Lucernæ ergo & nos sumus toto operti corpore, uix aliquid exiguum habentes unde lucere possimus. Denique & Ioannes lucerna erat, sicut dixit dñs de eo: Ille erat lucerna ardẽs, & illuminans. Bona lucerna, quæ lumen accipiebat à Christo, ut lucere posset in hoc seculo. Meritò ardẽs, meritò illuminans, qui erat nuncius Christi, illuminans prædicatione fidei pectora singulorum. Sed & istis lucernis dedit ut lux mundi essent, dicens ad apostolos: Vos estis lux mundi. Ergo si gloria sanctorũ nunc sicut lucerna, nunc sicut lux mundi fulget in hoc seculo, quid dicimus de uerbo Dei, quod & lucerna est pedibus meis? Et fortasse ubi non sunt tenebræ, non est lucerna uerbũ dei, sed supra lucernã, quia lux est. Tenebræ ijs non sunt qui uident lucẽ. Denicq; tunc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorũ. Et fortasse secundũ legem lucerna est uerbum dei, secundũ Euangeliũ lux magna est. Iudæis lucerna est, & lucerna sub modio. Lucet lex, sed non uidetur, quia operta eorũ doctrina est, & contagione uitiorũ, & cæcitate perfidiæ: populo autem nationum lux est. Denicq; populo qui sedebat in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Aperi igitur fenestras tuas, ut splen-

Matt. 14
Prou. 6
Ioan. 1
Esa. 9
Act. 12
Ibid. 9
2. Cor. 4
Luc. 10
Matt. 25
Ioan. 3
Matt. 25
Ioan. 5
Matt. 5
Ibid. 15
Esa. 9

ut splendor tibi magnæ lucis introeat. Paratũ fac candelabrum tuum, ut lux tua nõ operiatur integumento corporis tui, & mensura terrenæ huius fragilitatis, sed supra mensuram corporeæ infirmitatis animæ tuæ uirtute præfulgeas. Aut si ad mensuram teneris, uide ne supereffluant: sed bonis seminibus sint contenta. Non sit ociosus sermo tuus, non feriatur & uacet uerbũ tuum, ne fiat lucerna subdio. Potens est deus qui super candelabrum constituat lucernam tuam, ut luceat omnibus qui in domo sunt, & qui ingrediuntur ut lumen uideant. Candelabrũ principale nostrum est. Pone sermonẽ in principali tuo, & omnibus lucet qui ingrediunt in Ecclesiã. Accipe & aliud candelabrũ. Considera os tuum, considera & sermonem tuum. Nonne os tuum candelabrũ est, & uerbum tuum lucerna est, cum de ore tuo profertur? Hæc lucerna semper tibi luceat, hoc est, uerbũ tuum luceat, & nunquã extinguatur. Quæris ut
Iob 18 doceam quomodo non possit extingui? Scriptum est: Lumen iusti semper inextinguibile est, lumen aũt impiorũ extinguetur. Hoc lumen erat lucernæ, quæ lucebat in tabernaculo testimonij, & hodieq; lucet in Ecclesia, uir sapiens. Hic est oculus Ecclesiæ, qui nõ dicit manibus, hoc est operãtibus (cũ sit quidẽ angustijs opertus, sed nõ angustus ad intelligendũ.) Non estis mihi necessarij. Ergo super candelabrum lucebat, qui dicebat:
Philip. 3 Nostra aũt conuersatio in cœlis est. Nam & Dauid tota mente iam conuersabatur in cœlo, & adhuc tamen dicebat: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Aut fortasse quasi bonus magister mihi præire cupiebat, ut lumen sequi discerem, & illius pedibus ambularẽ. Ostendit ergo mihi lucernam. hanc sequar in istius ignorantiq; operimento, in istius corporis tenebris constitutus, ut Christum sequens, nullum lapidem offensionis incurram. Errabat Petrus in tenebris ignorantiæ, negabat Christum esse moriturum, quia adhuc non uidebat morituru & resurrecturum esse pro nobis. Conuersus ad eum Dominus
Matt. 16 ait, Vade retro post me. Ostendit illi lucernam quam deberet sequi, post me, dicens. Sequutus uerbum dei confirmatus est: postea cœpit inhærere Christo, timens ne iterũ aliquo laberetur errore. Nonne & ipse qui dicebat, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, &
Ibid. 14 ad hanc lucernam festinauit cum diceret in mari, Domine iube me uenire ad te super aquam? Sed quia non sequebatur lucernam, motus est atq; titubauit naturę uehementio ris mole turbatus. Sequamur ergo lucernam hanc sicut lucernam, & sicut in nocte ambulemus ad lumen. Multæ foueæ, multi scopuli in istius seculi caligine non uidentẽ. Præfer tibi lucernam quam propheta monstrauit, uide quò debeas transferre uestigiũ, contuere ubi pedem ponere mentis internæ, per singulos cura sit gressus, nulli credas tuum nisi præeunte lucernæ istius luce processum: & ubi putas quod luceat, ibi gurges est. ubi detur lucere, sed polluit: & ubi putas solidum esse uel siccum, ibi lubricũ est. Sed & si lucerna tibi longius sit, sit ergo fides tibi itineris tui præuia, sit tibi iter scriptura diuina. Bonus est cœlestis ductus eloquij. Ex hac lucerna accende & tu lucernam, ut luceat interior oculus tuus, qui lucerna est tui corporis. Multas habes lucernas, accende omnes,
Luc. 12 quia dictum est tibi: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes. Quia multæ sunt tenebræ, multæ sunt lucernæ necessariæ, ut meritorum nostrorum in tantis tenebris lumen eluceat. Istas lucernas lex significauit semper lucere debere in tabernaculo testimo
Exod. 27 nij, non illas quas Iudæi accendunt quotidie. Illæ sub umbra lucent, & extinguunt quotidie: quia quod faciunt non uident: quod legunt, nesciunt: accipientes secundum literã quod præcipitur secundum spiritum. Tabernaculum enim testimonij corpus hoc nostrum est, in quo Christus aduenit, per amplius & perfectius tabernacum, sicut scriptum
Hebr. 9 est, ut per sanguinem suum intraret in sancta, & cõscientiam nostrã ab omni opere mortuorum & labe mundaret, quo in corporibus nostris quæ suorum testimonio & qualitate factorum, cogitationum nostrarum abscondita & occulta testantur, lucernarum modo luceat nostrarum lux clara uirtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra tua membra sint Christi, lucent uirtutes tuæ, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit. Hoc lumine castæ mentes, & piæ deuotionis solennitatis nostræ festa resplendeant. Luceat
Luc. 12 ergo semper lucerna tua. Arguit Christus etiam eos qui utuntur lucerna, si non semper utantur, dicens: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes. Non ad horam exultemus in lumine. Ad horam exultat, qui audit uerbũ in ecclesia, & gaudet, egressus autem oblitiſci-

obliuiscit quod audiuit, & negligit. Iste est qui sine lucerna in domo sua ambulat: ideoq; in tenebris ambulat, quia opera tenebrarum facit, in comessationibus & ebrietatibus, Rom. 13
in cubilibus & impudicitijs, in contentionibus & æmulationibus, indutus uestimenta diaboli, non Christum. Hęc fiunt quando uerbi lucerna non lucet. Numquam ergo negligamus uerbum domini, ex quo nobis omnium origo uirtutum est, uniuersorumque operū quidam processus. Si membra corporis nostri sine luce operari rectè nō queunt, nam pedes uacillant sine lumine, & manus errant: quanto magis ad uerbi lumē dirigenda sunt animæ nostræ uestigia, atq; mentis incessus? Sunt & manus animę quæ bene tangunt, ut tetigit Thomas dominicæ resurrectiōis indicia: si uerbi, prędentis nobis lumē luceat. Hæc lucerna accēsa sit in omni uerbo, in omni opere. Ad hanc lucernā gressus nō Ioan. 20
fiet forensis internusq; moueatur. Sed iam progrediamur ad cætera, & fiat pedib. meis lucerna uerbum dei, & semitis meis lux. Pedibus lucerna satis ad ambulandum, sed semitis non est satis ad illuminandum: idem uerbum tamen & pedibus lucerna est, & semitis lux est: quia idem unigenitus dei filius & delinquētibus aduocatus, & remunerator est fortibus, peccatorum remissor, præmiorum largitor. Itaque cui lucerna fuerit uerbum Dei, huic quocunque pergit, lucent semitæ, sicut lucebant sancto Dauid: & ideo quasi in lumine ambulans dicit: Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Humiliatus sum usquequaque.] Vox ambulantis in lumine est cum autoritate dicere: Iuraui, & stare. Stat igitur Dauid mētis statione fundatus, nec timet ne in his mundi tenebris possit errare. Si enim metueret, non iuraret: si trepidaret utrum diuina posset custodire iudicia, non cum iurisiurandi statueret sacramento. Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur, indicium scientiæ testimonium conscientiæ est. Et bene iurat, qui ad lucernam uerbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi præeat, si iurare disponis: id est, cognitio ueritatis præcedat, ut uinculum sacramenti tibi nō possit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides ueritatis est plenior. Deniq; ideo Dominus qui uenit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio: Non iurandum omnino, quia infirmis loquebatur. Denique non ad solos Apostolos loquebatur, sed ad turbas. Voluit enim te non iurare, ne periures. Et addidit: Non iurare neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neq; per caput tuum. per hæc uidelicet quæ subiecta non sunt tuæ potestati. Iurauit dominus, nec pœnitebit eum. Iuret ergo ille quem sacramenti sui pœnitere non poterit. Et quid iurauit dominus? Quia Christus in æternum sacerdos est. Nunquid incertum, nunquid impossibile erat quod iurauit dominus? Nunquid poterat esse mutabile? Noli ergo usurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem. Quid igitur iurauit Dauid? Custodire iudicia iustitiæ domini. In nullo uidelicet iam perfectum, iam instructum diuinę iustitię mouebant iudicia. Quanti mouentur cum uident iustum aliquem orbatum liberis, dispendijsq; frequentibus ad ultimæ egestatis deductū necessitatem, ut ipsa alimentorum subsidia habere nō possit, fractum ęgritudine graui, & perpetua debilitate uexatum, ut obire nequeat cōmunis officia naturæ. Sed qui firmus est, non mouetur, & is magis intelligit iustitiā dei ad prædicandam, quia corripit dominus quem diligit. Nūquid non frequentius corripitur filius quàm seruulus? Iniusta ergo pietas patris, magis quàm domini seueritas? Asperioribus exercet pater filium, quàm dominus uernaculum. Sed dura patris non æstimantur impartita flagella, quia uult filium meliorē esse quàm seruulum. Eruditio ergo plena iustitiæ est. Orbatus est sanctus Iob liberis suis, in quos dominus potestatē diabolo dedit. Nūquid iniquus Deus? Absit. Imò iustus, quia probaturus iustum suū, per huiusmodi exercitia in quibus eius est probata sapientia, magis dignum qui probaret, effecit. Quo enim clarius meritū coronati, hoc uberior iustitia coronātis. Nudatus est facultatibus cum diues esset, & hæc deo subijt permittente dispendia. Nō erant pecuniæ iam damna, sed uitæ, cum deesset alimonia ademptis omnibus. Quis accuset iustitiam dei: cum si Iob omnem amisisset pecuniam, non tantam inuenisset gratiam? Athletam suū nudum ungere uoluit deus oleo pœnitentiæ, ut & subeundo certamine fortiorē, & emerēdo præmio digniorē. Perfusus totū corpus ulcere graui sedebat in stercore, radens saniem sæuis ulcerū uibicibus defluentem: & hoc permissu Iob 2

domini

domini diabolus intulerat iusto uiro. Videretur uicisse sibi diabolus, nisi accepta quam popoſcerat poteſtate eſſet etiam ipſe ſuperatus. Quid igitur fuit illa tentatio, quid impia facultatum, deſtitutio filiorum, tolerantia uulnerum, niſi exercitiũ fidei, inſigne patientiæ, eruditio glorioſa uirtutis, confeſſio plena uictoriæ, ut qui antè contradicentem habebat diabolum, poſtea non haberet? Nemo ergo dura putet eſſe, quæ iuſta ſunt. Nõ
Iob 1 uidebantur dura ei qui poterat dicere: Nudus natus ſum, nudus exibo. Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictum. Benedicit enim Dominũ iuſtus cum laborat, peccator cum luxuriatur. Nõ ergo ex infirmitate noſtra uis æſtimanda iuſtitiæ eſt, qui durum putamus eſſe quicquid per imbecillitatẽ animi ferre non poſſumus. Tolle perſecutiones, & martyres deſunt. Sed & perſecutores Deus atq; poteſtates ſeculi eſt paſſus aſſurgere, ne deeſſent qui uincerent Chriſto. Quis tunc non dixit infirmus: Domine cur dediſti plebem tuam in poteſtatem perſequentium? Sed quis hodie neget beatiores illos eſſe qui paſſi ſunt, quàm illos quos nulla uexarunt ſupplicia perſecutorum? Iuſtus ergo optat probari, tentari non timet. Qui enim ſtatuit cuſtodire iudicia dei, non timet tentationes. Vbi ſtatuit niſi in corde? Illic enim radicati & fundati eſſe debemus, nõ fluitantes neq; mobiles omni uẽto doctrinæ. Intus ergo ſtatuamus in corde noſtro, in pectore, in animo, ut nobis fiat illud propheticum: Cogitationes iuſtorum ſemitæ. In
Pſal. 25 his ſemitis bene ambulat iuſtus: ideoq; dicit: Proba me domine, et tenta me. Denicq; hoc loco authoritati reſpondens ſuæ qui iurauerat & ſtatuerat cuſtodire iudicia iuſtitiæ dei, probari ſe uoluiſſe dicit, qui humilitatẽ ſubeundam credidit eſſe pro Chriſto. Ideoq; ait: Humiliatus ſum nimis, uiuifica me ſecundum uerbum tuum.] Non ſolum humiliatum, ſed etiam nimis humiliatum ſe eſſe gaudet. Beatus qui gloriatur humilitate magis q̃ poteſtate. Poteſtas decipit, humilitas non deſtituit. Bona humilitas, quæ etiam in Chriſto laudem uirtutis inuenit. Hanc in illo plus ueneror quàm creationẽ: quia creati ad laborem ſumus, redempti ad quietem. Denicq; ipſe aduocans populos ad miſericordiam ſuã,
Eſa. 65 de humilitate propria gloriat̃ dicens: Palàm factus ſum non quærẽtibus me, apparui iis
Ibid. 50 qui me non interrogabant. Et alibi: Scapulas meas dedi in flagella, maxillas meas in palmas, faciem aũt meam non auerti à confuſione ſputorum. Rectè ergo Dauid humiliare ſe uoluit, ut tribulationum Chriſti in ſeipſo quod deeſſet impleret. Poteſt & ipſe hoc ex ſua perſona per os Dauid locutus dixiſſe, Humiliatus ſum nimis: qui dixit in euangelio,
Matt. 11 Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus ueſtris. Diſcamus ergo ab eo qui docere nos uoluit quod proficeret ad ſalutem, & nobis dicit, Diſcite à me. Non eſt mediocre quod dicit, Diſcite: & addidit, A me diſcite. Non facile poteſt quiſquam humilitatem docere inflatus, quamuis ſit humana prędituſ ſapientia, mens enim inflatur quam ſuperbia carnis extollit. Et qui paupertate contentus eſt, nõ eſt contentus iniuria: & qui poteſt ferre uerberũ pœnas, exagitat̃ uerborum contumelijs: & qui poteſt adminiſtrationem contemnere, dolet ſibi aliquẽ honorificentia eſſe prælatum. Grande eſt in omnibus humilitatis tenere menſuram. Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus uolumus, etiam quod minus eſt ſolemus amittere. Bona humilitas, quę nihil appetendo totum quod contemnit adipiſcitur. Ipſe enim dominus Ieſus ſe humiliauit, ut nos eleuaret, & humiliauit uſq; ad crucem:
Philip. 2 propter quod exaltauit illum, inquit, deus, ut in nomine eius omne genu flectat̃. Quanta fecit dominus, audeo dicere, & nõ flexi ei genu? Sed flexi ei poſtquam ſe humiliauit. Sic enim, hoc eſt, per humilitatẽ, per crucem ſibi Eccleſiam cõgregauit. Dauid rex erat, incerta & occulta ſapientiæ ſibi patefacta teſtatur, ſed ideo ſe magis humiliabat. At uerò Ezechias cecidit ab altitudine cordis ſui. Ille laudabilis rex, qui de obſidione, de ægritudine beneficijs domini mirabilibus eſt liberatus, cecidit per ſuperbiam, & gratiã meriti ſuperioris imminuit. Quid fuiſſet Ioſeph, ſi humilis nõ fuiſſet? Sciuit ſibi ipſe obfuiſſe, quod prælatus erat fratribus: etiam pius amor miſeriam prælationis inuenerat. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas regem ſubditum fecit: ut uerè quaſi ex perſona Ioſeph dictũ putemus, quod hic ipſe ſuprà dixit: Humiliatus ſum, & ſaluum me fecit. quanq; ſi conſideremus quæ iſte to-
1. Reg. 18 lerauit, ex perſona ſua eum dixiſſe reperiemus. Golia ſuperato occurrerant iuuenculæ pſallen-

psallentes,Saul in milibus,Dauid in decem milibus.Commotum est fel regis,& quærebat eum occidere:& humiliauit se Dauid ante Ionathan filium regis, & cõuertit eius affectum,ut quem successorem patrij regni poterat habere suspectum,eundem aduersum studia paterna seruaret,dicens patri:Quid peccas in sanguinem innocentis? Et id uoce extorqueret inuito,quod nõ mereretur occidi Dauid. Recte ergo ait:Humiliatus sum, & saluum me fecit.Et iterum cum ad eum propheta uenisset,& indignationem domini in causa Bethsabeę mulieris denunciasset,humiliauit se,& ait:Peccaui domino.Et dixit Nathan ad eum:Quoniam pœnituit te,abstulit dominus peccatum tuũ,non morte mo rieris.Bona igitur humilitas.Deniq; humiliatus est,& saluus factus est.Et alio loco cum propter numeratum populum dominus esset offensus,& misisset prophetam Gad, qui regi Dauid diceret:Elige tibi quid uelis fieri,triennio famem super terrã,aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum persequentium te,aut fieri triduo mortem in terra,respondit Dauid:Angustiæ sunt mihi hæc tria: Sed magis incidam in manum domini,quoniam magna est misericordia illius ualde,quàm in manus hominum incidam. Et cum dedisset dominus mortem in Israel à mane usq; ad horã prandij,septuaginta milibus hominum mortuis,respexit Dauid ad dominum:& cum uidisset angelum ferientem populũ, ait: Ecce ego qui peccaui,& ego pastor male feci:& isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me,& in domũ patris mei. Et propitius factus est dominus, cum sacrificium reconciliationis ei esset oblatum.Bona ergo humilitas,quæ regem plebemq; seruauit.Itaq; reconciliato domino,ait Dauid:Bonum mihi est quod humiliatus sum.Bona ergo humilitas,præsertim si adiungatur ei deuotio uoluntaria. Ideoq; se uiui ficari secundum uerbum petit,ut secundum uerbum uiuat,et omnia cum ratione faciat, non secundum carnis uoluntatem. Vnde mysticum illud etiam moraliter accipi potest: In principio erat uerbum,& uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum: hoc erat in principio apud deum.omnia per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil. Et tu imitator esto dei.Quomodo imitator? Nunquid cœlum potes facere,aut terram,aut mare? Non utiq;,sed ut omnia per uerbum facias,nihil sine uerbo:omnia cum ratione,nihil sine ratione:quia non es irrationabilis ô homo, sed rationabilis. Voluntaria oris mei comproba domine,& iudicia tua doce me.] Qui se humiliat,uiuificatur secundum proissum domini:qui uiuificatur spiritu dei,uoluntarius est minister. Plurimum enim refert utrum ex uoluntate quid facias,an ex necessitate quod placeat deo. Deniq; uoluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo dicente cognouimus.Scripsit enim: Vę enim mihi est si non euangelizauero.Si enim uolẽs hoc ago,mercedem habeo.Si autem inuitus,dispensatio mihi credita est. Vide uoluntarium executorem cœlestis arbitrij.Liber erat ex omnibus,& omnium seruus est factus,uolũtate utiq;,non necessitate,ut plurimos lucraretur. Iis quoq; qui legis uinculo tenerẽtur, quasi sub lege esset,se exhibuit,cum sub lege non esset,ut eos seruaret qui sub lege uiuebant.Infirmis infirmus factus est,ut infirmos assumptione infirmitatis propriæ sustineret.Omnibus omnia factus est,non legitima necessitate,sed uoluntatis obsequio. Apparuit mihi huius altitudinem consilij in epistola ad Philemonem scripta, quia quod ipse esset,alium esse uellet,ut uolũtate potius quàm necessitate detulisse domino uideretur. Itaq; pro Onesimo interueniens sic ait: Tu autem illum ut mea uiscera suscipe, quem ego uolueram mecum detinere,ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij: sed sine consilio tuo nil facere uolui,ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uolũtarium. Quàm sedulus suasor,qui cum esset uas electionis diuinæ, consortium consilij non dedignabatur alieni, ne alterum fructu uoluntatis propriæ defraudaret. Recte ergo Dauid ait quasi propheta: Voluntaria oris mei comproba domine. oris sui offerens domino sacrificium uoluntarium, eo quod ut apis illa prophetica bonos flores colligere ore consueuerit,fauos ore fingere,mella ore componere,& ex herbis suauibus ore filios legere,quæ cum sit,inquit,robore infirma,sapientiæ prælatione substantiæ suæ producit ætatem.Quod sit istud uoluntarium oris sacrificium,recognosce:Immola,inquit deo sacrificium laudis. Expectat dominus uoluntarios ministros. Deniq; in libro Esaiæ dicit dominus:Quem mittam? Vtiq; seruulo suo poterat imperare,quem dignum qui mitteretur inuenerat:sed maluit eum spontaneæ oblationis nõ fraudare mercede, qui ut ipse

1.Reg.19

2.Reg.12

2.Reg.24

Ioan.1

1.Cor.9

Psal.49

Esa.6

se offerret, præstolatus est. Et quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen uocem, ut cumularet gratiam. Vnde se offerens Esaias ait: Ecce ego, mitte me, & sic postea missus est ad populum. Ideo de eo dictum est, Quia Esaias audet & dicit. Etenim quasi uoluntarium organum uberiore spiritus sui gratia Christus impleuit. Nec ociose hoc posito puto, quia uoluntaria oris sui placere desiderat domino. Multi prophetæ, sed non in omnibus oris uoluntaria placent. Excusabat Hieremias dicens: Quis es dominator domine? Hier. 1
Ecce, nescio loqui, quia iuuenior sum ego. Et dixit ei dominus: Noli dicere, quia iuuenior sum ego: quia ad omnes ad quoscunq; misero te, adibis: & secundum omnia quæcunque mandauero tibi, loqueris. Verecunde propheta ætatem corporis prætendebat, ne exequendis cœlestibus imperatis impar esse adolescentia deprehenderetur. Sed deus, qui morum magis quàm annorum iudicaret ætatem considerandam, & iuuenili corpore maturitatē robustæ sapientiæ in suo seruulo pręuideret, ait: Noli dicere, iuuenior sum ego, hoc est, prohibuit eum iuuenilis ætatis contemplatione uires suas perpendere, cui fides caniciem sapientiæ ministraret. Et iterum in posterioribus cum dixisset idem propheta, Seduxisti me domine, & seductus sum, Et dixi: Non nominabo nomē eius, & nō loquar in nomine eius ultra: addidit: Et factus est in corde meo ut ignis ardens, flāmans in ossibus meis: & dissolutus sum undiq;, & ferre non possum. Aduertimus igitur quod ijs etiam qui aut excusandum, aut officium suum certa aliqua causa negandum putauerint, dominus tamen noster aut ratione persuadeat, aut cupiditate propheticę reuelationis inspiret, ut ad subeundum officium uoluntate concurrant, non necessitate cōcedāt, quo merces ad eos integræ deuotionis possit plenior peruenire. Prophetauit & Caiphas, Quia expedit unum hominē mori pro populo: sed hoc uoluntarium oris ministerium non erat, quia loquebatur inuitus: deniq; quid diceret, nesciebat. Quæ ergo uoluntaria oris sui domino Dauid placere desiderat? Elegi abiectus esse in domo domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Audiam quid loquatur in me dominus deus. Aperiam in parabolis os meū, loquar propositiones ab initio seculi. Parauí lucernam Christo meo. Corpus suum, quod erat ante limosum, & cœno hęreditarię colluuionis obstructum, ut oleum spirituale recipere posset, Christo parauit, ut luceat. Christo lucet, cuius opera in Christi lucent lumine. Christo lucebat Petrus, cū diceret: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Christo lucebat ille qui dicebat: Sanet te dominus Iesus. Christo lucebat martyrum lucerna, qui pro Christo subiere martyrium. Christo lucebat Dauid, qui poterat dicere: Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Christo parauerat mentem, cum de eo à quo frequenter ad mortem fuerat appetitus, diceret: Non mihi contingat à domino, si fecero hoc uerbum, domino meo Christo domini iniicere manum meam: cum maiorem haberet causam tuendæ salutis suæ ut occideret persequentem, qui etiam alios qui suadebant inimico non esse parcendum, quē dominus iuxta promissum suum, in manus ipsius tradidisset, ab eius necandi cupiditate reuocabat. Christo lucebat propheta, cum de eo qui patris domum turpi maculauerat incestu, qui patris salutem parricidalibus prælijs apperebat, pius tamen pater diceret ad prælio profecturis: Parcite filio meo Absalon. Tacebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis præferebat, ut pugnaturi non aduersarium regis, sed filium cogitantes, dolorem læsæ pietatis inhiberent. Et post mortem eius operuit faciem suam, & uoce magna clamabat dicens: Filius meus Absalon, filius meus. Hanc uocem parricida non meruit, sed Christi prophetabat gratiā. Didicerat Propheta de Christo bonus esse pater, qui bono filio seruiebat. Deniq; ideo dicebat: Et iudicia tua docme: quia iudicia dei sicut abyssus multa, & inscrutabilia, ut Apostolus dicit. Ideo nō poterat ea nisi Christo docente cognoscere, quia unus magister omnium Christus est. Hęc autem Christi iudicia sunt, ut ijs qui nobis insidiati fuerint, nouerimus non uicem iniuriæ rependendam, sed pro iniuria magis deferendam gratiam. Deniq; maledicentibus non remaledixit, percutientes non repercussit, sed magis etiā crucifixus pro persequentibus se piæ intercessionis apud patrem auxilium deferebat: dicens: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Hæc igitur quisquis spiritaliter intellexerit & fecerit legis iudicia, remuneratione donat à Christo. Sed quis iudicia dei docere potest, nisi qui animam suam semper intenderit ad dominum? Qui potest dicere: Anima mea in manibus

Ibid. 20

Psal. 83
Psal. 84
Psal. 77
Psal. 131

Ioan. 11

Act. 3

Acto. 9

Psal. 83

1. Reg. 24

2. Reg. 8

Ibid.

Psal. 35
Rom. 11
Matt. 23

Luc. 23

nibus tuis ſemper,& legem tuam non ſum oblitus.] Aliqui habent: Anima mea in manibus meis ſemper,hoc eſt,in actibus meis:hoc eſt,in operibus meis. Quamuis in periculis poſitus dicit iuſtus ad dominum:Propter te quotidie morior, quotidie periclitor: periclitor ab inſidiatore, periclitor ab obtrectatore, periclitor ab ijs quos arguo, quos reuinco,periclitor pro ueritate atq; iuſtitia:propterea in manibus meis anima mea, ego tamen nec periculis territus,tuæ legis oblitus ſum.Sed quia plericq; habent.Anima mea in manibus tuis ſemper:hoc latius explanandum arbitror.Scit propheta,ſcit ubi animę ſuæ præſidium locet,unde opem ſperet,in manibus dei conſtituere uult animam ſuam, quia cor regis in manu dei eſt.Quicunq; proprium corpus ſubegerit,nec eius paſſionibus turbari animam ſuam rector ſui congrua uiuacitate permiſerit, is bene regia quadã poteſtate ſe cohibens,rex dicitur,quod regere ſe nouerit,arbiter ſui iuris ſit,ne nõ captiuus trahatur in culpam,nec præceps feratur in uitium.Huius anima nõ perit in æternũ, nec quiſquam rapit eam de manu patris omnipotentis aut filij.Manus enim dei quæ ſolidauit cœlum,quos tenuerit non amittit.Quæ ſint igitur iſtæ manus,conſideremus. In Canticis habes:Læua eius ſub caput meum,& dextera eius cõplectitur me.Hæc loquitur ſponſa de Chriſto,anima de uerbo dei. Chriſtus autem idem eſt uerbum dei atq; ſapientia.Beata ergo anima quam complectitur ſapientia. Magna eſt ſapientiæ manus, magna dextera,totam complectitur animam.Tota enim munita eſt,quæ deſpõſata dei uerbo eſt.Plenitudo enim ſapientiæ,timere deum.Quæ ergo deum timet anima, pleno ſe munit ipſa præſidio,mittit ſapientia læuam ſuam ſub collum eius,dexteram autem in complexum eius. Vtrumq; quidem brachium eius ad utilia extenditur. Habent tamen propria ſua ſingulæ manus ſapientiæ.In dextera & longitudo uitæ eſt,in ſiniſtra autem diuitiæ & gloria.Bonis utiq; manus utraq; dotata eſt dotibus.In eo tamen habent uarietatem ſui muneris,quod & præſentia & futura tempora comprehendũt,ut læua præſentium remuneratrix,dextera futurorum ſit. Poſſumus hoc etiam de prophetia ſancti patriarchæ Iſrael cognoſcere.Nam cum dexteram ſuam poſuiſſet ſuper Effrem, ſiniſtrã autem ſuper Manaſſen,& conuertere eas Ioſeph ætatum conſideratione uoluiſſet, ut dexterã patris ſuper caput Manaſſe ſenioris filij collocaret,noluit, & dixit:Scio fili, Et hic erit in populum,& hic exaltabitur, ſed frater iunior maior illo erit.In quo maior? In eo utiq; quia benedictione prælatus eſt,dicentibus poſteris,hoc eſt Effrẽ, Faciat uos deus ſicut fecit Effrẽ & Manaſſen,uel quia ſemen eius multitudo gentiũ ſit,quę in hoc ſeculo laborem elegit,credens in dominum Ieſum,ut conſolationem habeat futurorũ.Manaſſes autem ſemen,eſt populus obliuionis,qui propriũ oblitus authorem,exaltatus ad tẽpus in hoc ſeculo, eſt daturus in reliquũ pœnas graues, quia deum ſuum & dominũ denegauit.Hoc ideo diximus,ut probaremus ea eſſe potiora quæ futura ſunt.Deniq; læua ſapientiæ ſub capite ſponſæ eſt,dextera autem ſuperior,quę totam complectitur ſponſam.Itaq; illa quaſi fulcrum eſt quietis preſentis,quo anima innixa requieſcit.Habet ubi reclinet caput ſuum,quia læua ſapientię ſunt diuitię & gloria.Ad tẽpus hæc demulcent, & ex parte ſolatio ſunt. Et ideo filius hominis non habebat ubi caput ſuum reclinaret, quia cum diues eſſet,pauper factus eſt:nec gloriam aliquã iſtius ſeculi requirebat, quia uenerat non ut in portione,ſed ut uniuerſo humano generi ſubueniret,dicens:Mihi indignamini,quia totum hominem ſanum feci in ſabbato? Hoc eſt totum,non ut facultatum collatione ditaret,non ut honorum inſignibus, non ut gloriæ ſeculariſ cumularet augmento. Hæc enim non habent beatitudinis & gratiæ plenitudinem, ſed totum, hoc eſt,quod longitudinem uitæ complecteretur æternæ. Neq; enim communis uitæ ſimilis uita in dextera eſt ſapientię,ſed longitudo uitæ eſt,ut qui accipit uitã à ſapientia,non exiguitatem uitæ,ſed perpetuitatem,& æternitatis longitudinem adipiſcatur.Bonus amictus æternitas uitę.Hoc pallium cœleſtis ſponſę cuſtodes murorum uoluerunt auferre,quo primus homo fuerat exutus,ſed anima deo deuota quęſitum diu tenendo,& nõ dimittendo dilectum,precioſo charitatis diuinę ſe ueſtiuit inuolucro. Beati igitur qui tali pallio ueſtiuntur, & amictum huiuſmodi legis obſeruatione meruerunt, quia non ſunt legis obliti,ſed quę erant legis operati ſunt. Nam qui pręter legem agit, legis oblitus eſt.Et ideo hęc anima candida aſcendit è terris,quia fulget amicta ueſte ſapientię,& dicunt de ea uirtutes illę quę portas cœli cuſtodiunt: Quæ eſt hęc quę aſcendit cãdida,

1.Cor.15

Prouer.11

Ioan.10

Cant.8

Sap.3

Gen.48

Matt.8

Ioan.7

Cant.8

innitens ſuper fratrem ſurum? Quomodo ea quæ poſuit caput ſuum ſuper læuam ſapien
tiæ, ut aperiret manus pauperi ad ſubueniendum inopi: partitis aut derelictis ſibi, nõ in-
uaſis atq; direptis diuitijs uteretur, quæ gloriæ cupida bonis eam operib. acquiſiuit, non
inani ſeculari iactantia ambiuit dignitatis. Hoc eſt enim caput ſuũ, & quoddam ſenſuũ
principale ſupra manum conſtituere ſapientiæ. Ea, inquã, anima meritis aſcendit alben
tibus ex iſto uitæ huius, ut habent pleriq;, deſerto, ad illum florentẽ ſemper locum iucun
Eſa. 6 ditatis æternæ. Iſtæ ſunt uirtutes quæ & in Eſaiæ libro loqui dicunt: Quis eſt iſte qui ad-
uenit ex Edom, rubor ueſtimentorũ ex Boſor, ſic ſpecioſus in ſtola? Iſtæ, inquã, ſunt quę
mirantur ex iſto confragoſo ſcopuloſoq; deſerto aliquam aſcendere animam poſſe inc
magnorũ labe uitiorũ, & ideo gratulant repertam quæ ueſtimenta innocentiæ natura-
lis non polluerit atramento inſipientiæ ſecularis, ſed magis ſapientiæ ſpiritalis & gratię
candore mundarit. Dicit ergo ea anima iam ſecura, iam læta: Poſuerunt peccatores la-
queũ mihi, ſed à tuorũ mandatorũ non declinaui ſemitis.] Digna uox relinquentis hoc
ſeculum, eò quòd retia perſequentiũ, & inſidiatorum laqueos euaſerit. Vox digna mar-
tyribus, quibus multa ſupplicia proponebantur, multa etiam offerebantur præmia, ut
à martyrij ſtudio uel terrore pœnarum, & ſæuæ mortis horrore, uel præmiorum reuoca
rentur illecebra. Grauis laqueus proſcriptionis, qui ſæpe frangit ſanctos inopiæ defor-
mitate, quos mortis formido non fregerit: laqueus alius incendij, laqueus carceris, diu-
turnique ſupplicij. Grandis laqueus, cum diuitię promittuntur, cum honores, cum amici-
tiæ tyrannorũ. Qui ergo hæc euaſerit, & ad martyriũ peruenire potuerit, recte dicit: Po-
ſuerunt peccatores laqueũ mihi, ſed à tuorũ mandatorũ non declinaui ſemitis, cui deſpi
cienti præſentia, futura quærenti, regnũ cœleſte diuinitatis tuę promiſſione reſeratum
eſt. Qui ſunt iſti peccatores, qui poſuerunt laqueos? Aperuit tibi Apoſtolus authorem
1. Tim. 6 omnium peccatorũ, & demonſtrauit, dicens: Qui uolũt diuites fieri, incidunt in tentati-
onem & laqueũ diaboli. Aduertis laqueũ diaboli eſſe diuitias, quem tetendit etiam Sal-
uatori. Sed ille, qui nihil habuit quod poſſet princeps iſtius mundi ueniẽs ſuũ dicere, la-
queorum eius uincula diſſoluit. Ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus lu-
dam apoſtolum ſtrangulauit. Qui miſer cum eſſet illaqueatus ut proderet dominũ: ubi
aduertit quantũ ſceleris eſſet admiſſum, laqueo ſe ipſe ſuſpendit. Sed & ipſe laqueus dia
boli fuit ut non ageret pœnitentiam, ſed laqueo ſe ſuffocaret. Deus enim etiam in ipſos
pius eſt proditores, ut ad pœnitentiam prouocẽtur, atq; à flagitioſo propoſito reflectan
2. Tim. 2 tur, & reſipiſcant à diaboli laqueis à quo capti tenentur ad ipſius uoluntatẽ. Iam nõ ærum-
na eſt incidiſſe, ſed crimen: qui non ſolum ſe dedidere capiendos, ſed etiam ad uolun-
Pſalm. 2 tatem diaboli tenentur aſtricti, cum poſſint dicere: Dirumpamus uincula ipſorum. De-
dit enim tibi ſcriptura diuina ut nõ ſolũ caueas diaboli laqueũ, ſed etiam per pœnitentiã
eius uincula dirumpas. Quid tibi homo cũ delicijs ac uoluptatibus? Nõ capit laqueus,
niſi antè eſca te ceperit. Dum prædã petis, laqueo ipſe te nectis. Eſca laquei, auaritia eſt:
eſca diaboli, luxuries eſt, quibus nos uult inescare, non paſcere. Et ideo clamabat Apo-
Coloſſ. 2 ſtolus: Ne attaminaueritis, ne guſtaueritis, quę ſunt omnia ad corruptelam ipſo uſu. No
li ergo attaminare luxuriã, & illa te contaminare non poterit. Noli guſtare auaritię cor-
ruptelam, & eris immunis à laqueo. Quid tibi poſtremo cum terris, qui cum Chriſto re-
Ibid. 3 ſurrexiſti? Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt: quæ ſurſum ſunt ſapite, nõ quæ ſu
per terram. Mortui ſumus terris, uitam noſtram cũ Chriſto abſcondimus in deo noſtro.
non iam nos uiuimus, ſed Chriſtus uiuit in nobis. Quid iterũ ad terrena remeas? Ecce e-
longaui fugiens, dicit ſanctus. Vidi laqueos iniquitatis & cõtradictionis in ciuitate. La
quei ſunt enim, ubi eſt uſura & dolus. Elongauit ille fugiens terrena dedecora, ideo ad
cœleſtia peruenit præmia. Quid, inquã, te reflectis in terram, ſi in Enoch raptus ad cœ-
lum es, in Helia leuatus es curru, in Paulo raptus ad paradiſum, conuerſatus in cœlis, in
Dauid exauditus ut pennas columbæ aſſumeres & uolares, in Chriſto exaltatus uolu-
cris factus in ſpiritu? Quando ſicut columba deſcendit ſpiritus, illas tibi alas dedit, ut tu
diſceres euolare de terris. Neq; uerò cunctandũ putes quomodo tibi uolandũ ſit, quib.
alarũ remigijs. Dixit quidẽ Dauid: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & uolabo,
& requieſcam? Et quaſi dubitaſſe uiſus eſt à quo pennas poſſet accipere, licet ſic ſoleat
diuina gratia declarari, quæ in terris non poteſt inueniri. idem tamen in poſterioribus,

quæ

quæ ſint iſtæ pennæ, docuit euidẽter, dicẽs: Si dormiatis inter cleros mediȷ̃ pẽnę colũbę deargentatę, & poſteriora eius in ſpecie auri. Et ſi dormias, exurgũt tamẽ pennę tuę. Sũt enim qui uigilant dormiẽtes, ut uigilabat illa quæ dixit: Ego dormio, & cor meũ uigilat. Et ſi nox eſt, uigilat ſpiritus, de quo ſcriptũ eſt: De nocte uigilat ad te ſpiritus meus. Tũc tibi pandentur alæ ex eloquijs ſpiritalibus, precioſæq; auri prudẽtię uolatus aſſurgit. Vbi ergo laqueos poteris pertimeſcere, cui remigiũ prę̃ſto ſpiritale eſt? Si ſyncerítas animi, ſi puritas mentis affulgeat, colũba es. Ideo tibi dictũ eſt: Eſtote ſimplices ſicut colubę. Si maiora deſunt remigia, uel minora ne ſpernas. Eſto uel paſſer ut laqueos ſagaci indagine prę̃uideas, & pene captus illecebris peccatorũ, tamẽ aliquãdo reuocatus poſſis dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenantiũ, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. De quo quoniã alibi putauimus eſſe tractandũ, nunc alio tranſeunte dũ uidetur. Satis eſt tibi ut auẽ te eſſe noueris, aſſumptũ in naturam uolandi, dicente domino per prophetã: Liberate uos ex laqueo uenatorũ, & à uerbo cõturbationis. Non enim iniuſtę tenduntur retia auibus. Auis es ô homo, qui ſicut auis in quandam aquilę renouatus es iuuentutẽ. Quid enim te in terrã deijcis, qui iam cœlum petebas? Nõ iniuſte renouato tenduñ retia, quia iã Chriſti eſſe cœpiſti, uenantiũ eſſe deſiſti. Antè te laqueo uenator, antè quaſi prędam ſuam diabolus ſuo iure capiebat, nũc dominicæ crucis cẽ cur alienus incurſat? Potes tamen etiam hos laqueos euitare, ne dicas: Venãtes ceperunt me ſicut paſſerẽ. ſi laqueũ cordis euadas, quẽ miſit diabolus in cor Iudæ, & ita eum in facinus proditiõis armauit. Auertat à nobis deus hos laqueos, quos ſuper peccatores pluit. Et ideo dicit Propheta: Dabis illis dñe laqueum cordis eorũ, quem paraſti eis. Nobis aũt da domine auxilium ut poſt te ſequamur, tuis allígati uinculis. Nulla enim uehemẽtiora, nulla ſunt gratiora quam uincula charitatis. Qui tibi ligatus eſt, ſolutus eſt mũdo. Hęreditate quę̃ſiui teſtimonia tua in æternũ, quoniam exultatio cordis mei ſunt.] Etiam iſta uox martyrũ eſt, dicentiũ quòd hęreditatẽ acceperint cœleſtium teſtimoniorũ. Dicit ergo Propheta: Hęres ſum mandatorũ tuorũ, ſucceſſionẽ tuam fidei pietatiſq; iure quę̃ſiui. Non poteſt dicere iſtud, niſi qui mandata cuſtodit, cœlo & terra teſtib. acquiſita. Dixit enim dñs: Audi cœlũ, & auribus percipe terra. Teſtatur elementa dñs ad redarguendos eos qui nolũt prę̃cepta diuina ſeruare, ut refugia omnia excuſationis ob ſepiat. Teſtaẽ & homines dicẽs: Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis, dicit dñs. Mandata ergo dñi plena ſunt teſtimoniis, & ipſa ſunt teſtimonia, quorũ ſatis idoneus teſtis eſt qui non mentiũ deus, apud quẽ & cõſcientia tua teſtis eſt cogitationibus accuſantibus, aut etiã defendentibus, ſatis fidelis etiam in infido pectore, qm̃ arbitrum omniũ quęcunq; commiſſa ſunt latere nõ poſſunt. Nam ſi in iudicio terreſtri etiã is qui ad mentiendum uenerit ſubornatus, tamẽ ſi teſtimonio fuerit cõuictus, alterius ſolet prodere ueritatẽ: quanto magis in iudicio cœleſti apud dñm Ieſum neceſſe habet quę uera ſunt cõfiteri, quem nouit ſcire quod factũ eſt? Et bene ait: Hęreditate quę̃ſiui teſtimonia tua: quoniam ſicut ante hęredes fuímus peccatoris, ita nunc hęredes ſumus Chriſti. Illa fuit criminũ, hęc eſt uirtutis hęreditas. Illa nos obligauit, hæc ſoluit. Illa obæratos fœnore delictorũ adiudicauit inimico, hæc redẽptos titulo dominicę paſſionis, Chriſto acquiſiuit. Mala Euę ſuæ ceſſio totũ hominem deuorauit, prę̃clara Chriſti hęreditas totũ hominẽ liberauit. Non ad unũ quidem, non ad paucos, ſed ad oẽs teſtamentũ ſuum ſcripſit Ieſus. Omnes ſcripti hæredes ſumus, nõ proportione, ſed pro uniuerſitate. Teſtamentũ cõmune eſt, & ius omnium, hęreditas uniuerſorũ, & ſoliditas ſingulorũ. Nouum teſtamentũ & ſingulí adeunt, & omnes poſſident: nec minuit hęredi, quicquid à cohęredibus uindicatur. Manet emolumentũ integrum: & eò magis ſingulis creſcit, quo pluribus fuerit acquiſitum. Alia conditio eſt hęreditatis humanę. Si diuiſa fuerint emolumẽta, minuuntur: & hęredis eſt dãnũ, aſſcriptio cohæredis. Indiuiſum regnũ Chriſti eſt, indiuiſa hæreditas. Quomodo fieri poterat, ut diuiſa eſſet hęreditas, cũ hęreditatis fructus ſit indiuiſus, quod eſt regnum cœlorum? Aurum, argentum, prędium, ab homine pluribus derelictũ diſtribui tur ac ſecatur, ſolida ad ſingulos Chriſti dona perueniunt: omnes habent, & nemo frauditur. Audiamus igitur commoda hęreditaria. Remiſſio peccatorum, hęreditas Chriſti eſt. Certe ſolida per ſingulos, & in cõmune eſt lucratiua. Quibuſcunq; enim collata fuerit, ſolida eſt, nulli decedit, accedit omnibus. Corpori acquiritur, quicquid unicuiq; relaxatur,

Pſal. 67
Cant. 5
Matt. 10
Pſal. 123
Ibid. 90
Prou. 1
iuxt. 70
Eſai. 1
Rom. 2

Luc. 15 xatur. Nam si angeli super uno peccatore pœnitentiã agente lætant, quia lucrũ suũ pu-
tant hominis redemptionẽ: quanto magis lucrũ est generis, quod est lucrũ naturæ? Hæ-
reditas Christi est resurrectio. Hanc quisq; damnũ suũ dixerit, quæ in uno cõmunis gra-
1. Cor. 15 tiæ nomẽ inuenit? Christus em̃ resurgẽs, omnibus surrexit, quoniã per hominẽ resurre-
ctio mortuorũ. Quomodo igit̃ potest singulorũ esse dispendiũ, quæ est totius corporis
& humani generis reformatio? Recitetur igit̃ testamentũ, & institutiones eius cõsidere
mus. Testis aũt nobis est spiritus sanctus. Cũ em̃ dixerit: Testis sum testamẽtorũ meorũ,
quæ testificatus sum in uobis: tunc testimoniũ perhibebit quod testatus sit dicens: Hoc
Hier. 31 aũt testamentũ quod testabor ad illos, dicit dñs: Dabo leges meas in cordibus eorũ, &
in sensibus eorũ scribã eas, & peccati, & iniustitiæ eorũ non ero memor. O uere testator
æternus, qui nostris cordib. leges affigit suas, et scribit in sensibus, ut nihil aliud cogitare
niſi diuina præcepta possimus, nihil aliud sentire, niſi dei oracula debeamus. Dedit gra-
tiam, reformauit naturã, sibiq; cõminiscẽs qui obliuiſci nihil solet, memoriã meorũ abſ-
tulit peccatorũ, mihiq; dedit legẽ præceptorũ suorũ. Noli ergo tollere de corde tuo legẽ
dei, & affigere legẽ peccati. Noli scribere in sensibus tuis diaboli illecebras, & dei dele-
re mandata. Ecce, ego, inquit, pinxi muros tuos, dicit dñs ad Hierusalẽ. hoc est, ad animã
studiosam tranquillitatis et pacis, quã fecit ad imaginẽ suam. Noli, inq̃, auferre imaginẽ
cœlestẽ, & imaginẽ mortis imponere. Recusasti hæreditatẽ seculi, serua Christi testimo
nia, quoniã in his exultatio atq; lætitia est, quãdoquidẽ omnis fletus delebit̃, & mors nõ
erit amplius: neq; luctus, neq; fletus, neq; clamor. Passio Christi, imago fuit regni cœle-
Apoc. 21 stis. Nemo audiuit in plateis uocẽ eius, quia illo silentio passionis suæ clamorẽ omnẽ in
Luc. 23 posterũ impiæ uocis abolebat. Nolebat fleri, qui dicebat ad filias Hierusalẽ: Filiæ Hieru
salẽ nolite me flere, sed uosipsas flete. Ablaturus em̃ omnes lachrymas suę beneficio cru
cis, in passiõe ꝓpria futuræ instar beatitudinis lætitiã exhibebat, ut nemo fleret, niſi qui
Christi beneficia nõ teneret. Meritò igit̃ uir euangelicus dicit: Hęreditate quæsiui testi-
monia tua in æternũ, quoniã exultatio cordis mei sunt. Quis nõ exultet, quia cœlũ & ter
rã hæreditate quæsiuit? quę duo elemẽta cõtestatus est etiã deus, cũ legẽ daret, quia quę
siuit deũ, de quo dicit sanctus: Portio mea dñs: Quæsiuit dominũ Iesum, quęsiuit spiritũ
sanctũ, & post illa quęsiuit angelos, & cũ illis uiuit, nõ hodie tm̃ & cras, sed in æternum,
nec ullis pro nomine dñi contristat̃ iniurijs. Deniq; gaudebãt apostoli cũ uerberarent̃,
cũ in carcerẽ traderent̃. Exultans aũt in testimonijs dñi iure dicebat: Inclinaui cor meũ
ad faciẽdas iustitias tuas in æternũ, propter retributionẽ.] Qui retributionẽ bonorũ o-
perũ sperat à Christo, & ad eũ festinat, inclinat cor suũ ut faciat Christi iustitias. Quæ est
Matt. 3 Christi iustitia? Sine nos, inquit, implere omnẽ iustitiã: qua peccatũ minuit̃, culpa laxa-
tur. Et bene ait, Inclinaui, ut nõ sit tibi arduũ atq; difficile, cũ mentẽ tuã quasi ad humilia
& plana cõuerteris: aut certe quoniã sapiẽtia carnis legi dei nõ est subiecta, uidet̃ incli-
nare cor suũ, qui legi facit esse subiectũ, extollentẽ se corporis sensum, cõtuitúq; religio
Philip. 2 nis inflectit: atq; ille dudũ extollens se frustra, & inflatus mẽte carnis suæ cũ se humiliat,
inclinat. Humiliauit em̃ & ipse se Christus, ut nouũ conderet testamentũ. Cũ lego euan
geliũ, audio filiũ dei carnẽ sumpsisse de Maria, uideor mihi cum Christo ipse descẽdere.
Lego em̃ eum qui cũ in forma dei esset, semetipsum exinaniuit. Exinaniuit aũt ut formã
serui acciperet, & specie inuẽtus ut homo, humiliauit se usq; ad mortẽ. Lego eũ dicentẽ:
Matt. 11 Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiã uos. &, Discite à me quia
mitis sum, & humilis corde. Non dixit: Discite à me quia potens sum. non dixit: Discite
quia gloriosus sum: sed, Discite quia humilis sum, quod potestis imitari. Nolite extolle-
re uos, nolite exaltare cornu uestrũ. Docuit ergo me humiliari, & inclinare cor meũ ad
faciendas iustitias, non ad iniquitatem, sed ad æquitatem inclinare propter retributio-
nem. Retributio, regnum cœlorum, & paradisi est incolatus.

SERMO XV.

O Amech litera decimaquinta, quę interpretationẽ habet, audi. Est & alia eius
S interpretatio, quæ dicit̃ firmamentũ. Quid est audi? Nõ ociosę dicit̃ quod cõ
mune est omnibus, & suppetit uniuersis ipso iure naturę. Et ideo nõ est ocio-
sum ꝙ admoneris ut audias, cũ etiã inuiti & aliud agẽtes, sonũ tamẽ aut uocẽ audire sole
mus. Sed quia id nõ est solũ audire hoc quod suppetit officio naturæ, sed etiã illud quod

maius

maius est, ut audias nõ usu tantũ corporis, quantũ intellectu mẽtis: ideo diligẽtius cõsidera istius literę interpretationẽ, seriẽq; uersuũ qui sequunt. Vt noueris aũt mysticũ esse audire, ut audias et intelligas mysteria, de ludęis scriptũ est quia mysteria legis audierũt, sed nõ intellexerũt. Vnde ait dñs: Audi populus meus, & loquar. Lex uticq; spiritalis est, audi ergo spiritaliter. Denicq; qui se sciuit audire, ait: Audiã quid loquatur in me dñs deus. id est, ut cognoscã quid locutus in me fuerit deus. Ideoq; alibi ait: Quanta audiuimus, & cognouimus ea. ut cõprehẽderet nõ solũ audisse se, sed etiã intellexisse. Nemo enim cognoscit, nisi prius intellexerit. Audi ergo, ne si te uideat negligentẽ, ueniat Petrus, arripiat gladiũ, abscindat auriculã tuã, q; superflue habeas aurẽ corporis, qui audire & examinare nõ noueris. Et fortasse uirtutẽ animæ quę examinat quæcũq; audiunt, habẽt amputatam, qui ea altitudine qua scriptũ est, audire nõ possunt. Meritoq; hanc literã firma mentũ alij interpretati sunt, quod cũ superiore interpretatione concurrit. Nisi em̃ unusquisq; audierit quid sequi debeat, nemo firmat. In officio igit audiẽdi, omniũ firmamentũ est. Dicit igit tibi in Threnis Ieremias propheta per literã, Audi. Et ut scias mysticum esse quod audire debeas, subiecit huiusmodi seriẽ huic literæ: Abstulit oẽs fortes meos dñs de medio mei. Vocauit in me tẽpus, ut cõtereret in me electos meos. Lacũ calcauit dñs uirgini filiæ Iudæ. Nõ tunc abstulit omnes Iudææ fortes dñs, quando in Babyloniã regionẽ captiuus ductus est populus Iudæorũ, sed quãdo Christus aduenit, & libertatẽ animæ suæ captiua nõ uidit, nescięs grauibus incuruata peccatis mẽtis suę erigere cerui cem, & quædã fidei colla ad lucẽ cognitiõis attollere. Ideo lacus factus est ludęis passio saluatoris, quæ gẽtibus portũ salutis ostẽdit, quia crux dñi nõ credentib. præcipitiũ est; uita credẽtibus. Hac ratione præmisit Audi, ut futura cognosceret. Alio quoq; loco literæ huic ista subiecit: Tenuerũt super te manus omnes trãseuntes per uiam, sibilauerũt & mouerũt caput suũ super filiã Hierusalẽ. Hęc est ciuitas, dicẽt, corona gloriæ, & iucundi tas uniuersæ terræ. Passionẽ dñi saluatoris prophetari liquet & defleri ab Ieremia, nõ ex cidiũ Iudæorũ: quod cũ ex alijs, tum ex illo intelligi potest, quia in posterioribus habet: Spiritus ante faciẽ nostrã Christus dñs, comprehẽsus est in interitu nostro, sub cuius umbra, diximus, uiuemus inter gẽtes. Quid hoc manifestius, quãdo et nomẽ expressum est, & cõprehensio inter manus persequentiũ perfidorũ est declarata, & umbra uiuificãs, et gratia gentib. cõferenda descripta est? Sed etiã ipsa uerba significant quæ in Euangelio de passione dñi legimus, quia hoc loco mors eius annũciata est per prophetã. Sic enim Matthęus scripsit: Trãseuntes aũt blasphemabãt eũ, mouẽtes capita sua, & dicẽtes: Vah qui destruebat templũ dei, & in triduo illud reędificabat, libera te si filius dei es. Vulgus populi cũ insultat alicui, sibilare cõsueuit. simul quia uocẽ nõ habebant qui uerbũ negabant, sicut irrationabilia animalia sibilabant. Et ideo transibant uiam, qui in uia stare debuerant. Nõ stabant ergo quasi cõstantes, sed transibãt quasi mobiles. lusti aũt pedes stabant in atrijs Hierusalẽ, in quib. perfidi stare nõ poterant, & ideo præteribant, sicut Marcus significauit. Præterit umbra, nõ ueritas. Dies eius sicut umbra præteriet, quia obliuiscitur quod delinquit. Sed & trãsire infideles legimus, sicut est illud: Et uindemiant eam omnes transeuntes uiam, Quis em̃ nisi perfidus despoliat uineã Christi? Sed & alibi scriptum est: Et nõ dixerũt transeuntes uiã, Benedictio dñi super uos. Stantibus em̃ dicitur: Ecce nũc benedicite dño. Tamen & in bono legimus transire, ut est illud Moysi: Transiens uidebo hoc uisum magnũ. Et qui uidit impiũ exaltatũ ut cedros Libani: Transiui, inquit, & ecce nõ erat. Et nemo dicit seruo, Transi, recũbe. Quæ ergo distinctio sit consideremus: nisi fortè illa, quia ubi in bono accipit transire, absolutè dictũ est, non dixit, hoc aut illud transiens, sed tantummodo transiens. Vbi in malo: Transeuntes, inquit, uiam. Via enim bona est quæ à cõmeantibus frequentatur, nõ facile incursat à latronibus, qui auersa uiarũ obsidere consuerunt. Iter regale munitũ est. Moyses aũt nõ transiuit uiam, sed in uia stetit, cui dictũ est: Tu aũt hic sta mecum. Stetit cum illo qui ait: Ego sum uia, & ueritas, & uita. Hanc qui uiam transit, labitur. Moyses aũt non lapsus est, sed pertransiuit à secularibus ad spiritalia, à temporalibus ad ęterna. Et qui uidit impiũ, nec remansit, sed pertransiuit, euasit, quia non hæsit impio, ne fieret unum corpus, sed se ab eodem separauit. Et cui dicitur: Transi, recumbe, euadit uticq; laboriosam præsentem seruitutẽ, ut habeat gloriosam futurorũ quietẽ. Et spõsę dicit: Ades huc à Libano spõsa,

Psal. 84
Ibid. 77
Thren. 1
Ibid. 2
Ibid. 4
Matt. 27
Psal. 79
Ibid. 128
Ibid. 133
Exod. 3
Psal. 37
Luc. 17
Exod. 33
Ioan. 14

ades huc à Libano, trãsibis & pertransibis à principio fidei. Transit & pertransit, quæ festinat ad spõsum. Pertrãsit ad seculũ, & festinat ad Christũ. Nũc discutiamus quid sit mo-
1. Cor. 11 uere caput. Quis est populi caput, nisi Christus? Caput enim mulieris uir, caput aũt uiri Christus. Sed etiã lex intelligibilis caput mulieris. Deniq; mulier sub lege tanq; sub uiro fuit. Mortificato autẽ ritu Iudaico qui erat secundũ literã legis, innupsit ei mulier, qui à mortuis resurrexit. Vnde quidã mystice interpretati, mortificato ritu Iudaico tanq; fratris defuncti ritu ueteri, euangelico mulierẽ illã intelligibilẽ nubere ex lege uoluerunt, quia lex Euangeliũ fraterna quadã prædicatione præcessit. Ergo synagogæ caput mortuum est, hoc est, caput eius lex mortua est, obseruatio uidelicet legis, euacuata est legis litera, spiritalis eius intellectus astruit. Huius cõmotionis meminit Dauid in xliij. Psal. dicẽs: Posuisti nos in parabolã gẽtibus, cõmotionẽ capitis in populis, eò q; à lege in Euangeliũ sit facta cõmotio, quasi transitus quidã. In uicesimo aũt & primo Psalmo, in quo & totius prophetaẽ series passionis, sic habeẽ: Omnes qui cõspiciebant me, aspernabant me, & locuti sunt labijs, & mouerũt caput. Sperauit in dño, eripiat eum, saluũ faciat eũ, quoniã uult eum. Mouerũt ergo legẽ quæ immobilis uidebaẽ, & finis legis Christus inuenit. Qui mouerant capita, pharisæi fuerũt, id est, à ueritate diuisi. Vnde & in ueritatẽ nõ crediderũt. Sed & sic potest accipi: Mouerũt caput suum Christũ, qui in sua uenerat,
Ioan. 1 Sed mouerunt eũ, quia sui eum nõ receperũt. Mouerunt aũt dicẽtes: Tolle, tolle, crucifi-
Ibid. 19 ge eum. Et mouerũt capita sua, qui onera sua mouere nolebant, cũ ligarẽt onera grauia,
Matt. 27 & alijs imponerent, ipsi aũt digito, inquit, ea mouere nolũt. Quod est mysticũ, quia corporalis ritus obseruationẽ nunq; mutare uoluerũt, & introducere intellectũ spiritalem.
Deut. 9 Digitũ enim pro spiritu legimus: ut lex digito dei scripta est, & ideo lex spiritalis est. Noluerũt ergo onera sua mouere, quæ sunt grauia, & leue Christi iugũ atq; onus eius suaue
Ioan. 11 susciperẽ. Verũ quia passio saluatoris omnes redemit, nõ absurdũ est intelligere ita hos mouisse capita sua, sicut prophetabat princeps ille synagogæ: Expedit unũ mori pro populo. Aliud dicere uolebat, aliud significabat. Et isti aliter mouebant caput quasi insultantes, & aliud annunciabant, quia ipse erat qui uenit ut pigrũ illud atq; terrenũ principale hominũ cõmoueret, quo euacuata obseruatiõe literæ, mysteriũ quæreremus in uer-
Psal. 43 bis. Vnde ait: Posuisti nos in parabolã gẽtibus, cõmotionẽ capitis in populis. Quod in bono utiq; accipiẽ, quia præmisit: Et in natiões dispersisti nos. Dispersi sunt enim Iudei,
Rom. 9 ut reliquiæ eorũ saluæ fierẽt secundũ electionẽ gratiæ. In parabolã autẽ positi sunt, ut ea quæ per parabolã dicta sunt, reuelata esse illorũ exitu disceremus, uel eorũ exemplo ad-
Thren. 2 moneremur cauere perfidiã. Tunc eñ cognouit magis Hieremias Iudæã esse defendã, et ideo Hierusalẽ captam esse tunc tẽporis prophetauit, quando redemptorẽ proprium nõ recepit. Illi igiẽ insultaẽ, de qua dicẽt: Hæc est, inquit, ciuitas uniuersæ terræ, eò q; ubi erat antè fidei iucũditas, ibi nunc sit amaritudo perfidiæ. Vel certe mouendo caput suũ, & de corporalib. ad spiritalia transeundo mereaẽ audire, cũ crediderit in Christũ q; coro-
na sit gloriæ. Quæ aũt corona gloriæ, nisi Ecclesia, quæ caput suũ Christũ coronat? Quæ iucũditas uniuersæ terræ, nisi domus populi Christiani, aula sanctorũ, de quib. scriptum est: In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ? Ergo quia
Psal. 18 corona gloriæ est Ecclesia, ideo dicit in Canticis: Egredimini filiæ Sion, & uidete regẽ
Cant. 3 Salomonẽ in corona qua coronauit eũ mater eius in die sponsaliũ eius, & in die iucunditatis cordis eius. Ad animas dicit ut è gurgustijs & claustris exeant temporalibus, extra corporis cogitatiões exeant, egrediaẽ à cupiditatib. & à curis & cęteris carnis istius & affectus lubrici passionib. supra mundũ ascẽdant, de hoc mũdo exeãt, Christo occurrãt, paratæ assint facib. ardentibus relucẽtes. Quasi angeli Christi hęc loquunt: Nõ potestis uidere claritatẽ eius, gloriã eius, nisi egrediamini humanę fragilitatis curas, filię Hierusalẽ. Quasi dicãt: Quid uiuentẽ inter mortuos quæritis?
Luc. 24 Nõ intra hũc mundũ quęrit Christus, qui supra mundũ suos uoluit esse discipulos. Quę est corona qua coronaẽ Christus nisi corona gloriæ? Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitię, Petrus fidei. Singularũ uirtutũ coronę sunt. Solus Christus habet coronã gloriæ, qua eũ ecclesia coronauit. In hac corona oẽs coronę sunt, qui gloria nõ portio unius coronę, sed prędmiũ omniũ coronarũ est. Tertia traditiõe mouerũt caput suũ, hoc est Christũ, qui est caput suæ plebis.
Cant. 5 Caput eius aurũ Cephas. Vnde & Aquila Petrũ aurũ dixit: Symmachus lapidẽ aureum. quod

quod significat stabilem eminentemq; sapientiam. Corpus Christi, Ecclesia est. Huius caput aurum, id est, sapientia preciosa sanctorũ est, hoc est, uiri iusti atq; prudentes. Crines eius abietes nigræ sicut corax. de quo alibi ait: Capillamentũ tuum ut grex tonsarũ. Ideo capillamentũ, quia uirtus omnium sensuum in capite est. Oculi enim sapiẽtis in capite eius. Profunda igitur doctorũ prudentia, quæ potest ea quæ obscura sunt reuelare, & alta aperire sensuũ. Et huiusmodi disputatores crines Ecclesiæ sunt, sicut pulli coruorum, quibus dominus escam dat: sicut dedit sancto Iacob à iuuentute eius, & eum pauit. Hos altos ac profundos ubertate doctrinæ pascit dominus cœlestibus sacramentis. Oculi quoq; eius sicut columbæ. Oculi sunt uiri, uidelicet spiritalibus ornati sensibus, qui ad uidenda mysteria sunt acuti, & parati ad penetranda scripturæ secreta diuinæ, ratione pura & immaculata syncerita. Ideo in aquarum abundantia lotas has columbas in lacte memorauit. Iam cætera: Dentes & genas, & sicut coccineum rostriculũ labia sponsæ, intelligimus animæ esse uirtutes, doctorumq; diuersitates: qui uel spiritalem mẽti alimoniam dispensatione sedula subministrent, uel prædicatione Dominicæ crucis, sicut uerbi quadam linea alligent audientem, uel modestia uerecundi, & iuuentutis flore grauissimi. Et si à tractatu pudore reuocentur, redoleat tamen in his odor Christi, & sicut in genis, quasi de capite sacerdotali descendit unguentum, sic & in his eluceat pulchritudo doctrinæ. Et hoc caput mouit synagoga, & ideo abstulit dominus mirabilem consiliarium, & prudentem architectum, & sapientem auditorem. Caput, inquit, & caudam: quoniam qui caput non tenuerant, nouissima habere non possunt. Sed iam ea quę anne xa sunt, consideremus. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.] Quanto ergo dominus noster perpendat affectũ, sanctus propheta Dauid hoc uersiculo declarauit, quia cum suos inimicos nequaquã sit persecutus, utpote qui & regis Saul, à cuius insidijs periculum salutis cauere uix poterat, nec uitam putauerit appetendam, & mortem æstima uerit uindicandam, & patricidæ filij ingemuerit interitum, & multorum persequẽtium se flagitijs appetitus ignouerit, ut ipse ait, quia uicem iniuriæ lædentibus non rependerit: præuaricatores tamen diuinę legis exosus horrescat: in quo utiq; & clementia morũ eius, mansuetudoq; pietatis, & uehemens deuotionis aperitur intentio, euangelici prę cepti conueniens disciplinæ, quam prophetico spiritu præuidebat. Etenim dominus Iesus & nostrorũ inimicorum dilectionem nobis expetendam esse præcepit, & dei hostes etiam si nobis aut parentum, aut filiorum, aut coniugij germanitatisq; necessitate copulentur, odio persequendos. Sic enim scriptum est: Si quis uenerit ad me, & nõ oderit patrem & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc etiam & animam suam, non est me dignus. Quòd si quis ocioſis accipiat auribus, fortasse dicat: Tu domine Iesu legem dedisti, dicens: Dilige dominum deum tuum, dilige proximum tuum. Et ut impleres hanc legem, uenisti. Dixisti per legem: Honora patrem & matrem, & in Euangelio iubes ut parentes oderim? Quomodo sibi conueniunt ista præcepta? Sic mitis & humilis corde uenisti? Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo quòd creatus sum, nec matrem longo decem mensium fastidio pij fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædij est. Quid dulcissimi merẽtur filij, ut aeterno excludantur amore, cum sit impium mori nolle pro liberis? Quid uxor charissima, quædam uitæ cohæres, & consortium cõmunis naturæ? Quid fratres ijsdem concreti uisceribus, atq; formati eodem naturæ hospitio, in hunc usum lucis emissi? Oderim ergo pignora charitatis? Ita Euangelij lenitate rigorem prædurę legis Iudæis inflectis, ut quorum lex condemnat iniurias, eorum tu in Euangelio tuo condemnes gratiam? Video istiusmodi assertioni me respondere non posse, sed tu domine responde. Nec enim indiges, ut excuseris: qui non eguisti, ut uinceres. Respondebit igitur: Egó ne condemno pietatem, qui odi iniquitatem? Ego parentes præcipio non amandos, qui inimicos tuadeo diligendos? Sed non legisti, Tempus amandi, & tempus odio habendi, & tempus belli, & tempus pacis? De quo hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo quod ratione temporis fiat, ut pie & amare & odisse possimus, ut quos dilexeris, odisse: & quos oderis, amare conueniat? Non ego parentum infudi odia pectoribus filiorum, nec coniugum suasi fastidia mentibus maritorum. Naturam interroga quid exegerim,

Cant. 4 et 5

Ibidem.

Matt.

Luc. 14

Deut. 6
Leuit. 19
Deut. 5

Eccles. 3

quæ

quæ utiq; authoris arbitrium genitali singularum necessitudinũ testatur affectu. Amare parentes filios, lex naturæ est: maritos coniuges, lex diuina est, quæ coniugij charitatem in naturam uertit, ut fiat una caro, & unus spiritus. Diligere fratres, naturæ prærogatiua est, quæ eodem domicilio diu fotos assuefecit ad gratiam charitatis. Non ergo necessitudinum intestina bella mandaui, sed illecebram suspectam habui. An non iure suspectam, cum serpens ille callidus & astutus ad construendas nequitiæ suæ artes, quo in corruptæ ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adam labefactaret affectum, foe mineis magis illecebris, quàm suis commisit uenenis? Itaque fœmina uirum quem serpens tentare non ausus est, cibo oris & ui amoris inflexum, molli quadam & conciliatrícula uxoriæ sedulitatis affectione traduxit. Et adhuc Eua liberos non habebat, quorum gratia uti dulcis ad amorem, ita esset facilis ad lapsum. Vt plurimos à martyrij consummatione sæpe reuocauit? Deniq; sæpe cognouimus, quoniam quem formido sola carnificum pompa non terruit, nec diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt, eum inter sacra iam præmia constitutũ, uxor teneræ sobolis oblatione miserabilis, unius lachrymæ miseratione decepit. Samson captus est per uxorem, nunquid tu fortior? Salomon captus est in uxore, nunquid tu sapientior? Ille igitur cuius sapientia totis celebratur seculis, factus est insipiens, quia nimium amauit uxorẽ. Quid de fratribus dicam? Experta est in liberis & prophetæ domus, detestabiliora inimici oscula, & odia esse fraterna. Itaq; fratricidium pater quidẽ fleuit, sed magis est indignatus incestum. Deniq; licet parricidam, percussorem tamẽ reuocabat incesti. Tempus igit̃ amandi, tẽpus odio habendi, hoc est, tempus martyrij: quando ea quæ diuina sunt, omni charitati necessitudinum præferenda sunt. Tempus belli, quo etiam bellũ pro Christi nomine perfidis pignoribus inferamus. Tẽpus pacis, quia in pace locus eius. Deniq; ipse in Euangelio euidẽter exposuit, qua ratione nostros deberamus odisse, dicens: Qui diligit patrem aut matrẽ plus & me, non est me dignus. Non dixit indignos esse qui parentes suos diligunt, sed eos indignos ait, qui plus parentes quàm Christum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus, quia nostræ generationis autores sunt, quanto magis Christum oportet amare, qui ipsorum est autor parentum? Isti dederunt quod non potestatis est, sed ministerij sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conseruat. Pulchre autem dixit: Iniquos odio habui, legem autẽ tuam dilexi: quia si legem amamus, odisse debemus aduersarios legis, qui operibus suis præcepta legis impugnant. Græcus melius eos, & proprie nũcupauit dicẽs, παρανόμους, παρανόμ& exlex uocatur, quia extra legem est. Hos ergo odit qui in lege Christi est, quia legis mandata non seruant. Non solum enim qui legem nescit, sed etiam ille qui non agit secundum legem, exors legis est, quia nõ auditores legis, sed factores legis iustificabuntur. Redarguit me ipse Dauid si aliter intelligam. Quomodo iniquos homines oderat, qui parricidam filium cõmendabat prælatoribus, ne eum aliquis occideret? qui Saul regis mortem etiam uindicauit in eum qui à se nunciauit occisum? Ergo non iniquos homines, sed iniquos sermones oderat. Deniq; iniquos hos dixit odio habui, non addidit uiros. Deniq; cum dicat Iesus in Euangelio: Diligite inimicos uestros, & dicat Apostolus: Benedicite eos qui persequuntur uos: & nolite maledicere, quomodo excusaretur iste uir sub euangelica uiuens disciplina, si iniquos homines odisset: nisi intelligas quod iniquitatem odio habuit, non eos qui & si operentur iniquitatem, possent tamen euangelica prædicatione conuerti? Aut certè nisi ita accipiamus quia sicut ille non honorat patrem, iniquus est: idem tamen secundum illud exosus patrem, quod scriptum est: Qui non odit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut animam suam, nõ potest meus esse discipulus: etiam laudabilis habetur: sic & iste iniquos odio habuit. Eodẽ modo & eos oderat quo patrem præuaricantem, aut animam suam præferẽs, uidelicet uitę huius suauitati, gratiam Christi. Adiutor & susceptor meus es tu, & in uerbum tuũ spero.] Adiutor per legem, susceptor per Euangeliũ. Quos lege adiuuit, in carne susceptus, quia scriptum est: Hic peccata nostra portat, & ideo in uerbum eius spero. Græcus tamen ὑπέλπισα habet, quod est supersperaui, quod de eo dicitur qui semper addit ad sperandũ, & cum sperauerit aliquid, iterum sperat, & spe proficit, extendens se semper ad superiora, & ea quæ præterijt obliuiscens. Pulchre autem ait: In uerbum tuum speraui, hoc est, non in

Matt. 10

Rom. 2

Matt. 5

Rom. 12

Luc. 14

Esa. 53

non in prophetas speraui, non in legem, sed in uerbum tuum speraui, hoc est, in aduentum tuum, ut uenias & suscipias peccatores, delicta condones, ouem lassam tuis in cruce humeris bonus pastor imponas. Si quis sperat in Christum, separare se debet à cõsortio perfidorum. Ideoq; dicit: Discedite à me maligni, & scrutabor mandata dei mei.] Huius uersiculi testimonio significatur quia ubi malignitas est, ibi custodia mandatorũ cœlestium esse non possit. In maleuolam enim animã non intrat sapientia. Et alibi: Quę rent me mali, & non inuenient. Simplicem mentem ac defæcatum animum diligit Christus, nec potest immaculatæ uirtuti ullum cum maculosis contubernium esse flagitijs. Odit, refugit, aspernatur cõtagia, qui dicit: Discite à me quia mitis sum. Malignos repellit, laborantes uocat. Dicit illis Iesus: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. litis ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Non utiq; malignitate mentis, sed infirmitate carnis onerati. Onerati, inquam, alieni hæreditate peccati. Laborantibus subuenio, fraudulentis prodesse non debeo, ne pluribus noceant. Hos pœna compescat, illos emendet gratia. Malicia enim, fons peccati est: culpa, infirmitatis est lapsus. Illi debeo subuenire, qui laborat: illum etiam odisse, qui decipit. Malas igitur operationes repellit. Nam nisi ita accipias, uidetur dicere, Discedite à me quia mundus sum, quia purus sum. Hoc pharisæus dicebat, & reprehensus à Christo est. Non ergo propheta dicit, Mundus sum, sed cor mundũ crea in me deus. Ideoq; relegato consortio malignorũ, quasi qui ante permixtus illis susci pi non possit à Domino, dicit: Suscipe me secundũ eloquium tuum & uiuam, & non confundas me ab expectatione mea.] Si uiuit qui in sinu est patriarchæ Abrahæ, ut ille Lazarus pauper, quanto magis uiuit qui suscipitur à Christo: Quomodo enim potest nõ in æternum uiuere, quem sempiterna uita suscepit, quem totum sibi Christus assumpsit, qui totus uerbi est, cuius uita abscondita est in Christo Iesu: Sed & qui in sinu Abrahæ sedet, susceptus à Christo est. Intolerandæ autẽ præsumptionis uideretur dicere Deo, Suscipe me: nisi promissum eius adiungeret: hoc est, Vt hoc auderemus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus, quoniam nostrũ chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographum mortis, tu scripsisti chirographum uitę. Ergo non confundas ab expectatione sua seruulum tuum, quia in te spero. Spes enim non confundit. Et si tribulamur, patientiam subministra, ut ferre possimus: ut quia te expecto, non opprimar infirmitatibus, non succumbam tentationibus, non affligar procellis, in quibus est probanda patientia, ut probatio consequatur spem quæ cõfirmat & roborat, quę non confundit. Hoc est, frangimur frequenter laboribus, fatigamur: sed si spes desit, confundimur, & tota mente turbamur. Sed esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas: si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur si fides desit, cuius radix spes est. Quæ enim potest probatio esse, nisi pro Christi nomine uel incommoda uel pericula uniuersa sustineas? Ideo spes est solla quæ nostrum non confundit affectum. Vbi est spes: Apostolicum illud, foris pugnæ, intus timores nocere non possunt. Alia interpretatio habet, Non erubescere facias. Nõ erubescet qui sperat in Christum. Ideóque qui bene sperat, dicit: In te confido, non erubescam. Et bene ait, Confido. Robur enim spei nostræ, & quædam sperantis autoritas, confidentia est. Spera igitur semper, & nemo te ab expectatione confundit. Expectatio nostra, uita æterna est. Expectatio nostra est regnum Dei, angelorum consortium, benedictiones sunt spiritales. Spera quotidie. Finem ista res non habet, nescit inducias. Spera etiam positus in aduersis. Si quis dicat tibi aliqua forte necessitudinum amissiõe percusso, Quid tibi prodest iustitia tua? tu tamen spera, non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi, Quid tibi quotidiana profuere ieiunia? Quid castitas corporis, pudor mentis? ecce sicut iniustus & impius uulneratus es: non deficiat fides tua. nam etiam si infirmus es, fidelis tamen solicitus est pro te Christus. Dicit ad discipulos: Date illis uos manducare, ne deficiant in uia. Habes Apostolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illum ante manduca, ut postea uenias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas sacramẽti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis, solicitudinesq; deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit: animus non confunditur, sed consecratur. Adiuua me (inquit) & saluus ero, & meditabor iustificationes tuas semper.]

Luc. 15
Sap. 1
Prou. 1
Matt. 11
Psal. 6
Matt. 11
Psal. 50
Luc. 16
Coloss. 3
Rom. 6
2. Cor. 7
Psal. 24
Matt. 14

Qui

Qui sperat, præsumit iuuari. ubi autem adiumentum dei, ibi certum salutis auxilium. Su
prà dixit: Adiutor meus & susceptor meus es tu: hic iterum iuuari petit, quasi dicat: Sine
cessatione me adiuua. Non mihi satis est quod popposci, iterum peto ut saluus fiam. Hic
non magna, non uera est salus: tunc saluus ero, cum fuero in ipso paradiso, cũ uiuere cœ
pero inter electos tuos angelos, cum laqueos terræ huius euasero. Sed ne forte adiuti in
necessitatibus, postea in prosperis positi negligamus, docet nos immemores beneficio
rum cœlestium nequaquam esse debere, sed meditari iustificationes domini, ut & cum
boni operis aliquid fecerimus, semper tamen ei nostra peccata fateamur. Hæc enim est
iustificatio domini. Deniq; pharisæi non iustificauerunt deum, qui baptizari baptismo
pœnitentię noluerunt. Ergo ille iustificatur, quem suorum pœnitet delictorum. Quem
Psal. 50 enim pœnitet, confitetur, ut est illud, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ut iustifi
Luc. 18 ceris in sermonibus tuis. Ideoq; publicanus magis iustificatus exiuit è templo, quia pha
risæus se iustificabat, suas iustitias prædicando: publicanus autem iustificabat deum, ini
quitates proprias confitendo. Ergo qui meditatur iustificationes, semper humiliatur.
Non hodie humiliatur, & cras exaltatur, sed semper humilis corde, & mitis affectu est.
Plus est autem semper, quàm die ac nocte, tota die: hoc enim supra tempus est. Ergo uel
inter angelos annumeratus dicas oportet iustificationes dei semper, & illam quam ade
ptus es gloriam non tuis meritis arroges, sed diuinæ miserationi semper adscribas, ne ti
1. Cor. 4 bi dicatur: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non
acceperis? Omnis enim creatura quæcunq; bona habet, accepit à Christo, qui totius est
author creaturæ. Spreuisti, inquit, omnes qui discedunt à iustificationib. tuis, quia ini
qua cogitatio eorum.] Omnis superbus immundus est in conspectu dei, quia non po
test per superbiam suam mũdare peccata, qui arroganti spiritu coaceruat errorẽ. Ideoq;
spernitur atq; despicitur, quia despectui habet diuina mandata. Bene autem cœlestis ser
uatur prærogatiua clementiæ, quia nullum repellit, sed quicunq; noluerint peccata pro
Luc. 15 pria confiteri, ipsi discedunt à domino deo nostro. Deniq; ille discessit qui peregre pro
fectus, omne quod acceperat à patre, fidei & gratiæ patrimonium dissipauit. Et quia cũ
discessisset pœnituit, postea est regressus ad patrem quem reliquerat tunc, cum peccatũ
proprium nollet confiteri. Non ergo interuallo locorum deus relinquitur, sed prauitate
morum, & deformitate gestorum. Discedit à domino, qui se elõgat à domino, quemad
modum audita præsentia dei Adam latere cupiebat. Sed discedens à domino salutẽ ha
Psal. 72 bere non poterat, quoniam scriptũ est: Ecce qui elongant se abs te, peribunt. Vnusquis-
que igitur suis studijs sese aut iungit aut separat. Deniq; quod plerosq; nec locorũ inter-
ualla secernant, uel finitima uel uicina cõnectant, indicio est, quia sunt pleriq; in corpo-
re siti qui peregrinantur à corpore, & assunt deo, ut ille qui dicente deo, Quem mittam:
Esa. 6 respondit: Ecce ego. Audet & Paulus adesse deo, quia nihil in se præter carnis materiam
Gen. 4 uidebat esse corporeum. Exiuit Cain à facie dei, postquam commisso parricidio geren-
dam peccatorum suorum pœnitentiam nõ putauit. Recte autem ait: Ad nihilum dedu-
xisti præuaricatores. Non peccatores dixit, sed præuaricatores. Nam quæ nobis spes so
ret, quando omnes sub peccato sumus? Etiam illud pulchre: Ad omnes nihilum deduxi
sti præuaricatores. Siue ille diues sit, nihil illi diuitię suæ prosunt: siue honoratus, nihil di
gnitas: siue potens, nihil potentia. Sed aliud est præuaricatorem esse discedentem à iusti
ficationibus dei, aliud præuaricatorem esse terræ. Illud grauius, hoc leuius. Ideoq; subie
cta ne turbent, uide quid subiecit his. Præuaricatores æstimaui omnes peccatores ter
ræ, propterea dilexi testimonia tua semper.] Recte præuaricator dicitur, qui discedit à
Eccl. 19 domino. Deniq; Græce à discedendo apostata nominatur. Vnde & ille: Vinum & mu-
lieres faciunt apostatare. Cauenda ergo incentiua & lenocinia delictorum, ne in scelus
uergant. Præuaricator aũt Latine & transgressor uocatur, eò quòd à lege domini trans-
eat ad errorem, & transgrediatur mandata cœlestia, cui dictum est ut adhæreat domino
deo suo. Adhæreto igitur indiuiduo semper affectu, ne te ab eo uis ulla possit auellere.
Sed quid rarum, si quid intermissum aduersarius uiderit, statim se immittit in pectus &
cor tuum, ut te laqueo teneat suę fraudis, & hostilis uinculo potestatis innexus, à deuo-
tione retraharis. Sed non solus ille præuaricator est, qui posthabita Ecclesia ad cultus
transgreditur idolorum, sed etiam quicũq; legis mandata non seruat. Omnis igitur pec-
cator

cator,præuaricator. Vnde illud: Omnis præuaricatio iustam accipit remunerationem. Nomen commune,sed diuersa merita delictorum,& precia ergo diuersa culparũ. Quid sibi uult quod ait,peccatores terræ? Sunt ergo & cœli peccatores,sicut ille qui ait: Peccauí in cœlum & coram te. Sunt qui dicant,quia is qui cœlestia non seruat oracula,præuaricator est cœli. Sed siue hoc,siue illud sit,è diuerso unum significamus peccatorẽ,alterum præuaricatorem,quia minuit gratiam quam accepit è cœlo, quã spiritus sanctus infudit,siue quia auis cœlí factus,non debes in terram redire de cœlo. In cœlũ ergo peccas,si cœli incola cœlũ relinquas. Diuersitas igitur est eorum. Alij peccatores cœli, alij peccatores terræ sunt. In matutinis,inquit,interficiebam omnes peccatores terræ. Quo modo unus omnes interficere poterat peccatores terræ? Sed si consideres iustũ,cui nox præcessit,dies appropinquauit: potes uidere quomodo ex oriẽte tibi sole iustitiæ de ludio spirituali qui est uerbum dei, ab Ecclesia domini incentiua uniuersa possim abolere uitiorũ,& terrena auferre delicta,quibus in foueam quandam lubrici præcipitamur erroris,ut de ciuitate dei expellatur iniquitatis operator. Ciuitas dei,Ecclesia est,ecclesia, corpus est Christi. Peccat in cœlũ,qui cœlestis ciuitatis iura contaminat, & immaculati corporis uiolat sanctitatem suorum colluuione uitiorum. Et uide ne forte sint qui cœli & terræ peccatores sint. Nam utiq; Adam cũ in paradiso esset,cœlestis erat: post lapsum autem terrenus est factus,& de paradiso expulsus est & eiectus. Vnde et Apostolus ait: Primus homo de terra terrenus,secundus homo de cœlo cœlestis. Abijciatur ergo à nobis imago terreni,suscipiatur imago cœlestis,non fuco expressa,non ceris, non coloribus adumbrata,sed moribus,in qua Christus se agnoscat. Confige clauis à timore tuo carnes meas,à iudicijs enim tuis timui.] Qui diligit domini testimonia, configit clauis carnes suas,sciens quia uetus homo suus cum Christo confixus cruci,luxuriam destruat carnis,ne cupiditates eius indomito feruore lasciuiant,ne radix auaritiæ serpentibus se fundat radicibus. Confige ergo clauis, & destrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem uagandi cupiditas uoluptatum crucí affixa non habeat. Est quidam clauus spiritalis, qui patibulo crucis dominicæ affigat has carnes. Et fortasse sunt carnes quædam animæ, sicut corpus est animę. Carnes animę sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor domini & iudiciorum eius,& seruituti redigat. Quòd si carnes istæ reijciunt clauos diuini timoris, haud dubie dicitur: Non permanebit spiritus meus in his hominibus,quoniam carnes sunt. Nisi igit affigantur cruci hæ carnes,& configantur clauis à timore domini,nõ permanebit in his spiritus dei. Sicut sunt aculei timoris,quibus compungimur: ita sunt clauí timoris,quib. configimur: qui compungitur,excitatur: qui cõfigitur,mortificatur,ut peccato deficiat, deo uiuat. Vt sciamus autem clauos spiritales esse, etiã stimuli spiritales sunt,de quibus scriptum est: Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Hoc stimulo Paulus stimulatus surrexit è terra,& se leuauit,ut conuersaretur in cœlo. Confixus est clauis apostolus Thomas, ut diceret: Nisi uidero in manibus eius fixuras clauorum,& mittam digitum meum in locum clauorum. Clauí erant bonæ cupiditates, clauí erant, etsi non perfectæ fidei, tamen fidei incrementa quærentis. His cõfigitur clauis qui Christo commoritur, ut cum Christo resurgat. His configitur clauis, qui mortificationem domini Iesu in corpore suo portat. His clauis configitur, qui meretur audire dicentem Iesum: Pone me ut signaculum in cor tuum,ut sigillum in brachium tuum,quia ualida est ut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculũ crucifixi, infige & brachio tuo,ut opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat,nihil erroris resurgat. Fortasse hanc imaginem clauí non solum timoris,sed etiam charitatis affigunt,quia ualida est ut mors charitas,durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum,quia est duritia charitatis: nec ualidus clauorum rigor,quia ualida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam & omnia peccata mortificat. Charitas sicut mortis ictus interimit. Deniq; morimur flagitijs atq; peccato,dum domini mandata diligimus. Charitas est deus, charitas dei uerbum est, quod est ualidum, & acutius omni gladio acutissimo,usq; ad diuisionẽ quidẽ animæ ac spiritus, artusq; & intima penetrans medullarũ. Est durus ergo zelus charitatis, qui nõ cedat inferis, cũ pro dei zelo

Lue.15

Psal.100

Ephes.6

1.Cor.15

Rom.6

Gen.6

Act.9

Ioan.20

2.Cor.4

Cant.8

Heb.4

unusquisq; nec suis parcat. His clauis charitatis configatur anima nostra & caro nostra,
Cant. 5 ut & ipsa dicat: Quia uulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauũ suũ charitas, habet
gladium suũ, quo animà uulneratur. Felix qui hoc gladio meruerit uulnerari. Hęc sunt
Prouer. 27 uulnera quæ osculis præferuntur: utiliora uulnera amici, quàm uoluntaria oscula inimi-
ci. His nos uulneribus offeramus, quibus quicunq; mortuus fuerit, mortem gustare non
Matt. 16 poterit. Talis eorum erat mors, qui dominum sequebantur, de quibus dictũ est: Sũt ali-
qui de istis astantibus qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenie-
tem in regno suo. Merito Petrus non timebat hanc mortem. Non timebat enim qui di-
Matt. 26 cebat: quia etsi oportuerit eum pro Christo mori, non eum relinqueret aut negaret. Tol
lamus ergo crucem domini, quæ configat carnes nostras, peccatum destruat. Est timor
Ibid. 10 qui configit carnes. Nisi, inquit, quis tulerit crucem suam, & secutus mè fuerit, nõ est me
dignus. Ille enim dignus est, qui habet Christi timorem, ut crucifigat omne carnale pec-
catum. Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta cum Christo, non diuellatur à
Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo.

SERMO XVI.

In litera decimasexta, cuius interpretatio est oculus, siue fons. Oculo utimur
A uidendi munere: sed uidemus ea quæ complacent, & sæpe quæ displicent: nec in eo oculi est uel culpa, uel probitas, pro eorum qualitate quæ uiderit. Oculi est enim officiũ nũciare quæ uiderit. Est sanè uel offensa uel gratia: si aut delectet suauibus, aut offendat aduersis. Ideo frequẽter oculus suppliciorũ dicitur, oculus tentationis, oculi hœdi, oculus uitulæ, oculus generationis, aut fons generationis. Legimus
Ioan. 3 in Euangelio quia baptizabat Ioannes, in Ennon. Ennon oculum supplicium interpretati sunt. Itaq; nemo uenit ad baptismũ, nisi qui desiderat sibi propria peccata dimitti, quorum supplicia corde prouido perhorrescat. Itaq; licet oculus supplicium habeat tur, præuidentis est tamen supplicia, non sustinentis: licet baptismum pœnitẽtiæ habeat aliquam de suppliciorum susceptione tolerantiam. Oculi est, ut intuendi officio funga-
Matt. 5 tur, tuum est cauere quod uideris. Denicq; & oculus tẽtationis dicitur, quia per oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis, laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit. Ideoq; saluatoris sententia plena iustitiæ est, dicentis: Qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam adulterauit eam in corde suo. Non dixit, Qui uiderit mulierem, sed ad cõcupiscendum uiderit. Oculum absoluit, mentem ligauit. Non dixit, adulterauit eam in oculo, sed in corde. In oculo uisus est, in corde peccatum. Oculus hœdi ad sinistrã est: quod
Psal. 15 ea quæ dextera sunt, peccator uidere non possit. Sanctus autem dicit: Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est mihi, ne commouear. Et Petro sancto Apostolo, cum tota nocte nihil cepisset, ut legimus in Euangelio, à saluato-
Ioan. 21 re dictum est: Mittite in dexteram partẽ nauigij. Itaq; fretus imperatis cœlestibus, misit retia, & plurimum piscium congregauit. In sinistra nox erat, in dextera diuini sermonis claritudo fulgebat diurna. Est & oculus uitulæ: quod æquè ad peccatores referẽ: quia si-
Esa. 5 cut iugi lora uitulæ, ita peccatores attrahunt iniquitates, non dirumpentes neq; abscindentes proprium, sed longo trahentes fune peccatum. Indomita enim uitula sero mansuescit, & trahit lora, non suscipit, quis impatiens est tenendi: & quo diutius traxerit, eò amplius impeditur. Oculus quoq; generationis, aut fons generationis dicitur, quia ex oculorũ conspectu, aut bona aut aduersa generanť. Vidisti mulieris pulchritudinẽ, laudasti artificis opus, uenustatem naturæ: generatio fidei, deuotionis est partus. Contẽtus fuisti formæ decore, non census ambitione sumpsisti in uxorem, genuisti filios liberalio ris gratiæ: oculus tibi fuit generatio prosperorum. Cõtemplatus es sacram puellã, presit oculos tuos augustæ reuerentia castitatis: prædicasti dominum Iesum, qui senilẽ dedisset in adolescentula ætate grauitatem, immaculatamq; uitam inter infirmas tã lubricę huius carnis illecebras humanis infudisset affectibus, oculus tibi factus fons bonorũ est. Vidisti possessiones pupillorũ, non ad inuadendũ, sed ad tuendum: & paternis ingemuisti uisceribus si quid aduertisti de minoribus cõmodis esse neglectũ, repulisti eum, qui fines eius uolebat inuadere, iudicasti pupillo: oculus tuus fons tibi fuit & origo iustitiæ. Iudicasti uiduæ. Sicut enim mala drachma, non est drachma: sic malum iudicium, non utiq; iudicium. Iudicasti ergo sicut iustus & bonus iudex. Vidisti usurpatorem improbum,

probũm, qui maritali auxilio destitutam, suam prædam putaret: iniquitatem non passus es, attulisti indefensæ opem: quo adiuta præsidio, inoffensa opera castitatis exercuit, nec auxilium quęrere maritale compulsa est, dicit tibi dominus: Venite disputemus, quia si dicasti uiduam, oculus tuus fons gratiæ tibi factus est. Vidisti nudum corpus inopis iacere defuncti, non præteristi, ut ille qui exponitur in Euangelio sacerdos atq; leuita: sed continuo miseratus, sepulturæ te solatijs tradidisti: generauit tibi oculus materiam redemptionis. Contrà, si aspiciens agrum pupilli uineis cõsitum, lætum segetibus, nemoribus umbrosis, aut fluuijs decurrentibus, aut fontibus scaturientibus, aut riparum herbosis amœnum thoris, & auaritię facibus accensus transtulisti patrum limites, atq; in possessionem indefensam improbus irruisti: oculus tuus tibi mortis perpetuæ acerba generauit. Vicinæ uiduę iura temerasti, coegisti eam, quę aut dolorem suum aut pudorem secretis clausa parietibus fouere deberet, prosilire in publicum, inuerecundius quàm iniustius lugare: oculus tuus partus iniquitatis est factus. Vidisti inopem superbo oculo, & instabili corde, despexisti precem pauperis: & quem miserari debueras, cum fastidio præterijsti: oculus tuus fons tibi fuit & origo peccati. Ideoq; oculi tui non lupi oculi sint, & insidiantes ad prædam, sed sicut sponsæ dicitur: Oculi tui stagna in Esebõ, in portis filiæ multorum: nares tuæ sicut turris Libani. Stagna in Esebon quid est, nisi in cogitationib. rationabilibus abundantia, quæ est in portis Ecclesiæ, cui meritò defertur multitudo doctrinæ? Filia enim multorum, plurimarum doctrinarum posteritas effectus est, cuius nares odor est sacrificiorum floribus omnibus præstans. Quid enim Christi odore sublimius, qui aboleuit thuris fragrantiam? Oculus ergo iste prouideat quę futura sunt: & si aduersa imminere pręuiderit, fletu lachrymisq; emollire ac mitigare non desinat. Ideo Hieremias in captiuitate gentis Iudęę positus, futuram pręuidens perpetuę captiuitatis ærumnam, quam perfidię precio Iudęorum populus habebat exoluere, dicebat in Threnis subiac eadem litera: In hoc ego fleo, oculi mei caligauerunt à fletu, quia elõgauit à me qui me consolabatur. Non igitur abductum se esse de terris suis dolebat, sed à Christo populum relinquendum, consolationẽq; futuræ uitæ cernebat amissam. Hæc est uere dolenda captiuitas, quę æternę spei libertate priuata uidebatur. Alio quoq; loco sub hac eadem litera repetiuit in Threnis, dicẽs: Dominus, quę cogitauit, consummauit uerbum suũ, quòd mandauit à diebus antiquis. Destruxit, & non pepercit, & lætificauit super te inimicum, & exaltauit cornu tribulantis te. Nonne euidenter futurum iudicium Christi annunciatur, sicut in Psalmo quoq; præsenti declarari certum est? Oculus ergo præuideat quę futura sunt, & ea aut profusione lachrymarum, aut erroris correctiõe deторqueat. Deniq; Hieremias flebat, quia malã causam impiæ plebis susceperat, quę perfidię pertinacia proprium negabat authorem. Dauid autem prophetico spiritu iudiciũ pręuidens Christi, in quo nemo innocens periclitabitur, nemo sceleratus eludet, bona fretus conscientia dicit: Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus me.] Nõ quasi gloriosus ac insolens se ipse laudat, cum uticq; peritus legis, alterius magis quàm proprio ore unumquemq; laudandum esse non ignoraret. Non inquam prædicatoris iactantia est hic ulla uirtutum, sed uitæ innocentis assertio iure præsumpta, ne dignus æstimaretur qui propter grauia peccata à domino relinqueretur, & nocentium potestati traderetur. Defensio est igitur, non arrogantia, quando non excellentia aliqua honoris assumitur, sed formidabilis ærumna propulsatur. Deniq; Petrus hoc genere defensiõis uti tur, dicens: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. quid ergo erit nobis? In quo si dicti arrogantis decolor aliquis næuus fuisset, non tantum gratiæ de domini saluatoris sententia retulisset, ut non solum minime subdendus ipse iudicio, sed etiam iudicatus de aliorum meritis ipse nunciaretur. Neq; enim in iudicio, si quis innocentiæ suę tuę de gratia quid fecisset aperiret, ad iactantiam potius quàm ad defensionem causę dictũ ipse philosophię summus, ut aiunt, magister, cum accusaretur, interrogatus qua tandem pœna se dignum putaret, respondisse fertur, ut in prytaneo publico quotidie conuiuio susciperetur. Ille honorem usurpauit, hic ærumnam deprecatus est: ille gloriam arrogauit, hic humilitatem seruauit. Nam quę maior esse humilitas potest, quàm ut conscius si bi iudicij & iustitię reseruatę, tradi potestati diaboli uereatur? Hominem se esse cognoisa. 1

Luc. 10

psal. 100

Cant. 7

Thren. 1

Ibid.

Matt. 19

Ephes. 6 uit, impar sibi bellum aduersum spiritalia nequitiæ in cœlestibus, raptũ Enoch esse, ne malitia mutaret cor eius, Noe inebriatum, Loth incestatum, sacerdotem primum ipsum Aaron cum Maria sorore tentatum, lepræ maculis aspersam Mariam primùm, pòst absolutam: Moysen penè internecatũ, nisi circuncisione filij, & eiusmodi sanguinis fusione Sephora mulier eius omne ab eo periculum depulisset. His igitur cõmonitus exemplis nequaquam se fortitudini suæ credit: sed cauta humilitas diuinũ sibi precando ascit auxilium, petens ne tradatur nocentibus. Scit enim authorem esse principem omnium delictorum. Ipse indiuiduos proximorum irarum stimulis excitatis scindit affectus, ipse flammam accendit libidinis, ipse adolet auaritiæ cupiditates: ut quo plus rapuerimus, eo amplius requiramus: ipse suggerit & ministrat fomẽta luxuriæ, ipse odia exasperat, & immodicę studia ambitionis inflammat. Quod uitiũ blandum in exordio, sæuum in processu, nec fraternæ germanitatis potuit contemplatione reuocari. Quum enim dolet sibi gratiæ cœlestis ambitor fratrem esse prælatum, de sacrificio processit ad
1. Cor. 7 parricidium. Authorem igitur incontinentiæ diabolum esse Apostolus docet: Ne tẽtet uos, inquiens, sathanas propter incontinentiam uestram. Incentorem quoq; auaritiæ ipsum esse legimus, dicente Paulo: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in
1. Tim. 6 Coloss. 3 laqueum diaboli. Et alibi: Mortificate igitur membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiã, quæ est idolatria. In his enim diaboli uoluntatem facimus, & exequimur potestatem, qui per carnis istius desideria incentiuum suæ fraudis operatur. Quemcunque ergo in uitiorum suorum possessione repererit, tanquam obnoxium suo iuri uindicabit. Adulterium qui facit, luxuriam exercet, aliena diripit, portio diaboli est: pudicus autem & continẽs & misericors, Christi portio est. Christi ergo seruum sibi non potest uindicare, nisi forte lapsum in uitia deprehenderit: nec tum quidem uindicat, sed tanquam suum sibi tradi postulat. Ideo ergo dicit Dauid: Feci iudicium & iustitiam: non ut arroget, sed excuset,
1. Cor. 5 ne quasi peccator deseratur à Christo. Exemplo sit nobis apostolica lectio, quamobrem unusquisq; tradatur. Illum enim qui uxorem patris habuit, quia sic operatus est, tradidit sathanæ Apostolus. Non ergo esset traditus, nisi opera fecisset diaboli. Vnde nõ immerito recusat propheta nocentibus tradi, qui allegat non diaboli opera se fecisse, sed Christi. Christus enim dicit: Iudicate pupillo, & iustificate uiduam. Hoc est ergo: Feci iudiciũ
Esa. 1 & iustitiam, in iudicio non contempsi pauperem, non oppressi uiduam, personam diuitis non recepi, in omnibus operibus iustitiã seruaui. Iudicij finis iustitia est. In altero ueritatis custodia, in altero fructus est æquitatis: utraq; tamen non priuata uirtus, sed publica. Nam immaculatum corpus à uirili permixtione seruare, & palmam castimoniæ limoso in corpore usq; ad angelorum conuersationem custodia integritatis euehere, utilitas priuata, laus publica est. Frugi esse ac modestum, & sobriæ parcitatis tenere mensuram: probatur à pluribus, sed sibi soli proficit. Fortitudo in prælijs eminet, in ocio friget: cuius opus in tempore necessarium, in uoto aduersum. Malunt enim homines non pugnare, quàm uincere. Sola iustitia est quæ omnibus temporibus alijs potius nata quàm sibi, quotidiano usu & fructu, publico suo damno alienas custodit utilitates, quæ nihil habeat utilitatis, & plurimum laudis. Hanc igitur propheta prętendit ad suimeriti commendationem, dicens: Feci iudicium & iustitiam, ne tradas me nocentibus me. Vbi iustitia, ibi misericordia. Misericordia à peccato liberat. Quomodo ergo peccatoribus tra
Cant. 5 dor? Simile illud in Canticis: Exui tunicã meã, quomodo induã eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Exui tunicam peccatoris, uelamenq; terreni: cur quasi peccator atq; terrenus adiudicor? Laui pedes meos, ne qua delicti fors posset adhærere uestigio: cur das in me delinquentibus potestatem? Suscipe seruum tuum in bono, non calumnientur me superbi.] Quasi iudicij & iustitiæ sibi conscius, authoritate propheti-
ca progreditur, ut seruum domini se dicere non reformidet. Seruus enim domini nihil debet alienis. Preciosa hæc seruitus, quæ uirtutum constat expensis. Cur autem timeat innocentibus tradi, aperit euidenter, quia calumniatores sunt, qui oderint ueritatem, impugnent innocentiam, quia superbi sunt. Qualis enim aduersum seruulos dei potest su-
Esa. 14 perbus esse, qui aduersus deum se exaltat, & dicit: In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam sedem meam, sedebo in monte excelso, super montes altos qui sunt ab Aquilone

lone: ascendam super nubes, & ero similis altissimo? Quid igitur mirum, si grauare homines potest, qui peruicaci spiritu nec deo cedit? Quomodo mensuram ueritatis, & fidem in hominem seruabit, qui sacrilego impudentiq; mendacio omnipotenti se domino adæquandum esse promittit? Quomodo non calumniatur singulos, qui totam irritauit terram, concussit reges, posuit uniuersum orbem desertum, & ciuitates destruxit: eos qui in abductione erant, nō soluit? Caueamus ergo ne muros animę nostræ destruat, ne propugnacula nostræ mentis diruat, ne super sidera thronum suum ponat. Ponit super sidera, quando electum decipit, quando iustum circumuenit, cuius opera elucēt sicut stellæ in cœlo. Nonne & Iudas proditor inter cæteros audiebat: Vos estis lux mundi? Nonne diabolus lumen eius extinxit? Quinetiam quos non potuerit circunuenire, calumniatur, inuidens regni cœlestis gloriam: ut quos illecebris suis à Christo non potuit separare, eos calumnijs suis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatū operantur in nobis: & ipsi nobis calumnias infestissimā accusatione componunt, id quod ipsi fecerint arguentes. Ecce manus domini parata est, quæ te fugientem ab aduersarijs tueatur ac protegat. Pharao te in patrib. tenebat superbus, immitis, fugisti ab eo, suscepit te manus domini, & de periculis liberauit. Non dimisisset te Pharao, nisi tu ad dominum confugisses. Dicebat Pharao: Dominū nescio, & Israel non dimitto. Vides quàm superbus? Meritò ergo susceptus in bono est, qui malum fugit. Non patitur ergo deus in malo nos esse, suscipit in bono: nec patitur suos calumnijs subiacere. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquiū iustitiæ tuæ.] Qui sunt isti oculi considera, qui in Christum deficiunt, dum eius prestolantur aduentū. Animæ uidelicet oculi, non corporis, tota fidei intentione defixi. In eo enim quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quicquam aliud uidere delectat. Non potest hoc dicere nisi qui à mundanis solicitudinibus & secularibus uoluptatibus intentionem omnem fugę mentis auertit. Nam quomodo hoc dicit qui theatralibus ludibrijs occupatur? Sed ille hoc dicit qui suprà dixit: Auerte oculos meos ne uideāt uanitatem. Qui autem sunt oculi qui deficiunt in eloquium dei, nisi oculi interioris hominis, obtutusq; animę, qui tenduntur ut uideant dei uerbum, & nimia intentione & expectatione deficiunt in salutare dei, defectum sui patientes, ut assumant quod uerbi est? Et quia eloquium Dei plerosq; mouere potest, ideo addidit: Eloquium iustitiæ, ut mouere nō debeat. Mouere autem poterat, quia scriptum est: Maior seruiet minori. Nam nisi ad mysteriū accipias, naturæ iniuria est. Et dedi uobis præcepta non bona. Ergo deus mala dat præcepta? Et ego dīs creās mala. Sed & de præceptis sic soluit, quia infirmis nō dare debuit perfecta præcepta, quę sustinere nō possent. Quādo audiret Iudęus: Dimitte omnia tua, & seque me: Quando audiret Iudæus, Qui non tulerit crucem suam, & secutus me fuerit, non est me dignus? Sed hæc perfectiora præcepta Euangelio reseruata sunt. Et mala nō creauit deus, sed hæc quæ uidentur nobis austera, uerbera, mors & huiusmodi alia, quę propter emendationem præscripta sunt noxiorum. Iustis enim non est lex posita, sed iniustis. Nam si noxij nihil timerent, innocentes semper pertimescerent. Qui sunt igitur isti oculi qui deficiunt in salutare dei? Diximus oculum suppliciorū esse, qui præuidens futura supplicia peccatorum, gerendam annunciat pœnitentiam: Demonstrauit hunc oculum Baptista Ioannes dicens: Generatio uiperarum quis ostendit uobis fugere ab ira uentura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Ad baptismum Ioannis ueniebat, qui habebat oculum suppliciorum: ad Christi autem baptismum uenit, qui uidet gratiam. Hic enim oculus est quem dominicæ passionis umbra tuetur & protegit. Aliud ergo Ennon, aliud Ain. In Ennon baptizatur conscius grauium delictorum: qui autem purū oculum habet, gratiam suscipit spiritalem. Et imperfectæ fortasse animæ oculus suppliciorum est: perfectæ autem oculus gratiarum est purior atq; sincerior, qui significat hac litera, ad quam iusti forma dirigitur: quia imperfecta peccati tantummodo iudiciū declinare desiderat, perfecta uerò meritum regni cœlestis acquirere. Præsumimus tamen quòd utrumq; oculū una anima habeat, & oculū suppliciorū, & oculum gratiæ: læuum oculum suppliciorum, dexterum gratiæ: quia non à primo homines possunt esse perfecti, sed per processum uirtutis ascendunt. Ante igitur unaquæq; anima quasi ad baptismum Ioannis uenit, ut præmittat pœnitentiam delictorū, & in processu paulatim, ubi

Matt. 5

Exod. 5

Psal. 118

Gen. 25

Ezech. 20

Esa. 45

Marc. 10

1. Tim. 1

Luc. 3

peccata ſua defleuerit, ſpiritali abluta baptiſmate, Chriſti accipit ſacramentũ. Vnde ubi-
Cant. 4 detur & in Canticis canticorum Eccleſia prædicari, cui dicitur: Cor meum cepiſti ſoror
mea ſponſa, cor meum cepiſti uno ab oculis tuis, ut iſte oculus gratiæ ſit, qui Chriſti ſibi
pleniorem acquiſiuerit charitatem. Pleriq; tamen hoc loco accipiunt duos oculos Ec-
cleſiæ: unum qui myſtica uidet, alterum qui moralia: eò quòd ſancta Eccleſia nõ ſolum
moralium teneat diſciplinam, ſed etiam cœleſtis doceat ſecreta myſteriꝝ. Vnde dictum
Ibid. 2 eſt de ea: Oculi tui ſicut columbę, extra taciturnitatem tuam. quod & ſpiritaliter uideat,
Eccl̃es 3 & nouerit tempus tacendi eſſe, & tempus loquendi: ut in tempore ſermonem ſuũ pro-
ferat, ne importunitate loquendi peccatum poſſit incurrere. Habe ergo oculos colum-
Cant. 5 bæ ad ſimilitudinem Chriſti, quia de ipſo lectũ eſt: Oculi tui ſicut columbæ, ſuper abun-
dantiam aquarum lotæ in lacte ſedentis ſuper plenitudinem. Baptizat in lacte Domi-
nus, id eſt, in ſinceritate. Et iſti ſunt qui uerè baptizantur in lacte, qui ſine dolo credunt,
& puram fidem deferunt, immaculatam induunt gratiam. Ideo candida ſponſa aſcendit
Ibid. 6 & 8 ad Chriſtum, quia in lacte baptizata eſt. Ideo mirantur eam uirtutes, dicentes: Quæ eſt
Ibid. 1 hæc quæ aſcendit dealbata? Ante paululum dicebat: Nigra ſum, nunc dealbata cernit,
& aſcendit ad cœlum: & innixa dei uerbo, alta iam penetrat. Nec immeritò illic aquarũ
abundãtia, ubi Chriſtus, unde mens humana repleri cupiat. Has ſitit aquas ceruus, quas
Pſal. 62 cum biberit, ſitire nõ poſſit. Has aquas ſitit propheta cum dicit: Sitiuit in te anima mea.
Sedet ergo Chriſtus ſuper abundantiam aquarũ, & ſuper plenitudinem. Et ideo qui ba-
ptizat in aqua dicit: Et nos omnes de plenitudine eius accepimus. Vnde & oculus ſup-
pliciorum non alienus eſt ab Eccleſia, quia etſi baptizabat Ioannes in Ennon, baptiza-
bat iuxta Salim, ubi erat aquarum abundantia, & duodecim fontes, & ſeptuagínta pal-
marum arbores. Hos fontes habet Eccleſia, hoc eſt, in ueteri teſtamento duodecim pa-
Ibid. 67 triarchas, in nouo duodecim apoſtolos. Ideoq; dictum eſt, In eccleſia benedicamus do-
mínum de fontibus Iſrael. His fontibus antè perfunditur quicunq; myſteria ſacroſancta
conſequitur. Iſti enim fontes ex æterno fonte manantes, toto orbe fluxerũt. Vbi iſti fon-
tes, ibi aſcenſio animarum. Deniq; Salim interpretati ſunt, ipſum aſcendẽtem. Ille enim
uerè aſcendit, qui propria peccata deponit. Hoc igitur uerbo purificatoriæ ſanctifica-
Cant. 4 tionis uſus exprimitur. Vnde etiam bene in Canticis Chriſtus dicit ad Eccleſiam: Den-
tes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt à lauacro, quæ omnes geminos creant, &
infœcunda non eſt in eis. Quod ſpecie de capris dicitur, myſtice autem de Eccleſiæ gre
ge. Nec uilia tibi uideantur iſta animalia. Deniq; audi quæ de his ſanctus loquatur ſpíri-
tus: Capillamentum tuum ut grex tonſarum, quæ reuelatæ ſunt à monte Galaad. Den-
tes tui ut grex tonſarum, quæ aſcenderũt de lauacro. Vides quòd in altis grex iſte paſci
tur, audax in monte. itaq; ubi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum: ubi alijs peri
culum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à
paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes: ubi luporum incurſus eſſe non poſſunt, ubi
fœcundæ arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Cernere licet uberi lacte diſtentas,
ſuper teneram ſobolem materna pietate ſolicitas. Ideo elegit eas ſpiritus ſanctus quibus
cœtum uenerabilis Eccleſiæ compararet. Et ut myſtice audias: Capillamentũ, uerbi eſt
altitudo & eminentia quædam iuſtarum animarum, quoniam ſenſus ſapientis in capite
eius. In altitudine enim cogitationis humanæ certum eſt eſſe ſapientiam: & quemadmo
dum tondentur capræ ut ſuperflua deponant: ita etiam tonſarum animarum gregẽ, hoc
eſt, multarum animarum uirtutes habet ſancta Eccleſia, in quo grege nihil poſſis inſen-
ſibile reperire, nihil ſuperfluum: quoniam fides ſapientes fecit, ſpíritalis autem gratia ab
omni ſuperfluorum labe mundauit. Meritò igitur reuelatæ ſunt animæ iuſtorum, & re-
uelatæ à mõte Galaad, hoc eſt, à tranſmigratione teſtimoníj, eò quod à ſynagoga ad ec-
cleſiam teſtimonium cœleſte migrauit. In hoc itaq; monte naſcitur thymiama, reſina, &
cæteri odores, quos negociatores illi Iſmaelitæ, ut habes in primo libro Teſtamenti ue-
teris deferebant. Hos odores habet eccleſia, quos mercatores ex gentibus congregati,
fide & deuotione uexerunt. Itaq; ſicut capræ bonis refectæ cibis, & ſolis calore uernan-
tes, lauantur in flumine, & exultantes mundæ ſurgunt de flumine, ita animæ iuſtorum
aſcendunt ab ſpiritali lauacro. iſtæ ſunt uerè quæ geminos creant, in quibus nõ eſt infœ-
cunditas aliqua uirtutum, ſterilitas ulla meritorum. Bene gemínos creant, quia conge-

minant

minant sensus suos. Vnde habes in Prouerbijs scriptum: Et tu scribe hæc tibi triplíciter, in consilio, in cognitione. Triplícem præmísit scriptionem, & duo subdídit, consílium, & cognitionem. Sed cognitio gemina est: una incorporalium, altera corporalium. Dixímus de fœcunditate, dícamus de dentibus. Nam & nauigantes pleriq; , & properantes itinere terreno, ubi uiderint speciosum aliquem locum, delectationis gratia demorantur, pascunt oculos, animum q; alleuant, nec mora ulla commeandi putatur, sed gratia. Ita & nobis pulcherrimos dentes iustarum animarum considerare cordi est. Docuit enim scriptura pulcherrimos dentes esse iustorum, dicens secundum literam quidē de patriarcha Iuda, spiritaliter autem de Christo: Hilares oculi eius à uino, & dentes sicut lac. In quo non utiq; carnis humanæ officia, sed diuinæ gratiæ munera prædicauit. Dicet igitur exemplum, dentes non esse prætereundos, ubi de oculis disserimus. Qui sunt igitur iustarum dentes animarum, nisi qui informem ac durum accipientes cibū, uel frigidum plerunq; , uel supra modum calentem: nunc cōminuunt, nunc fouent, nunc temperant, prout qualitas fuerit alimentorum? Dura cōminuunt, ne asperitas literæ in ueteri testamento & secularis intellectus rigor, nisi fuerit spiritali dente solutus, uitalia ipsa intercluſis ciborum salutarium meatibus, & gulam quandam animæ incuriosa edacitate suffocet. Par est igitur ut diuidas primùm, si solida tibi uidetur esca quæ sumitur, & diuisione trāsfundas, ut uitalem succum omne eius corpus epuletur. Nihil cadaueroſum, nihil mortuum ore tuo sumas, ne dicatur: Sepulchrum patens est guttur eorum: sed uitalium haurias uerbum, ut in tuæ mentis uisceribus possit operari. Hi dentes super lac candidiores, quia dentes iustorum sunt. Deniq; cum omnes in Moyse baptizati in nube & in mari patres nostri fuerint, nō ocioſe tamen scriptum est: Quia omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: ut istis sanctorum dentibus maior quidam fulgor accederet, quos post transitum maris rubri Mar rhæ fontis amaritudine per ligni gratiam temperata, agnoscimus esse mundatos: deinde de duodecim fontium potu, postremo petræ spiritalem undam uomentis irriguo. Petra enim erat Christus. Vnde & manna manducauerunt, ut toties abluti manducarent patrem, ut scriptum est, angelorum. Nunc quoq; in Euangelij mysterijs recognoscis baptizatos licet toto corpore, postea tamen esca spiritali potuq; mūdari. Merito ergo Dauid & oculos interiores purificatos, & dentes tanquam illuminatos spiritalium dentiū candore, sermone profert dicens: Feci iudicium & iustitiam. Ille est uerus dentium fulgor, ubi bene sibi conscíæ mentis resonat canora confessio. Ille mundus oculus, quem peccatorum grauium trabes nulla depresserit: quem purgamentorum leuium festuca nulla turbauerit. Iste oculus iustitiæ defecit in uerbum iustitiæ. Qui enim Christo adhæret, unus est spiritus. Et Balaam petebat ut anima sua deficeret in anima iustorū, id est, ut propríj obliuiſceretur erroris: quod suum erat, deponeret: quod iustitiæ & æquitatis, assumeret. Sed progrediamur ad ad cætera. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustitias tuas doce me.] Præstruxit uiam, & cōmendationis suæ incremēta prę sumpsit. Suprà popoſcit, ne nocentibus traderetur, iterum petit ut susciperetur in bono, ne calumniarentur ei superbi: hoc est, non declino iudicium, sed calumniam perfidorum. Illi enim iudicare nesciunt, calumniari sciunt. Ad te confugio, qui nosti repræsentare iudicium. Et bene non uult calumniatoribus tradi. Multa enim Iob passus est iustus postquam traditus est nocenti. Sed difficile fuit illud & grande certamen: quod nisi Iob nimia patientia haud facile quisquam superare potuisset: & tamen ille non totus est traditus, sed meliore exceptus est portione, qui dicit: Non tradas me. quæ maiora sunt, comprehendit. Plus autem in anima, quàm in carne sumus. Iustis enim dicitur: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Tradi ergo animam suam recusat, qui corpore ficut aranea tabescat. Hoc igitur loco maiore quodam familiaritatis usu potiora præsumens, ait: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustitias tuas doce me. Misericordiam sibi deferri poscit, iustitias doceri. Alibi quoque, hoc est, in posterioribus habes hunc sensum: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo. Etenim nostrorum conscij peccatorum, misericordiam magis petere Dei nostri, quàm iustitiam implorare debemus. Alijs ueniam largitur, alijs examen impertit.

Gen. 49

Psal. 5

1. Cor. 10

Num. 13

Quæ ſpes hominibus certandi apud eum, quem occulta non fallunt, quem latere pecca-
Pſal. 50 ta non poſſunt? Ideóque ſciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait: Tibi ſoli
peccaui. Non poteſt hoc iuſtus negare, quia nemo ſine peccato: nõ poteſt rex, quia etſi
leges in poteſtate habet, ut impunè delinquat, deo tamen ſubditus eſt, qui nulli debet:
imò plus ipſe debet, cui plus commiſſum eſt. Hoc ergo dicit: Fac cum ſeruo tuo ſecun-
dum miſericordiam tuam: quia etſi quid boni feci, plura debeo quàm ſeruus. Non uno
facto ſeruus abſoluitur, quia nemo ſeruum habens arantem, aut oues paſcentem, di-
Luc. 17 cit illi: Tranſi, recumbe: ſed dicit illi, Para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi.
Nunquid gratiam habet ſeruo ſi fecit quod imperatum eſt ei? Ergo & quum fecerimus
quod nobis imperatum eſt, nõ ſtatim nos exaltare debemus, ſed magis humiliare: quia
non ſtatim ſi aliquid fecimus, impleuimus omnia ſeruitutis obſequia. Quis tanta natu-
ræ munera, uitæ ſalutiſq; ſeruatæ diuina beneficia digno poſſit æquare ſeruitio? Quis
poteſt ſoluere quod accepit? Ideóq; ſciens omnia, miſericordiam petit potius quàm ſa-
Pſal. 142 pientiam: Quoniam (inquit) non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis homo uiuens.
Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.] Intellectus ſpirita-
le munus eſt: & ideo quod dei eſt, à domino poſtulatur. Nec quaſi extraneus poſcit, qui
ſeruum ſe confitetur. Bene ait, Seruus tuus ſum. Seruus enim uoluntatem domini ſui fa-
cit. Seruus quærit ſeruitutis ſtipendia, remunerationem non ſperat. Seruus domini non
poteſt idem eſſe ſeruus peccati: & ideo intellectũ ſibi dari poſcit, ut poſſit cohibere pec-
catum. Habebat quidem intellectum, ſed ut redundare ſibi crederet, uberiorem inqui-
rit. Eſt autem & intellectus naturæ, & eſt intellectus non bonus. Ideo & Salomon ait:
Pro. 15. 70 Intellectus autem bonus dat gratiam. Nam ſi omnis intellectus bonus eſſet, non opus
fuiſſet additamento. Iure ergo gratiam domini ſui quærit. aliter enim ſcire non poteſt ſe
creta domini, niſi intellectus ſpiritalis munus acceperit. Habes hoc in Hieremia: Notũ
mihi fac domine. Et ſcio, quia niſi deus notum fecerit hominibus, myſterium ſuum ſcire
non poſſumus. Tempus faciendi domine, diſſipauerunt legem tuam iniqui.] Bene
ait tempus faciendi eſſe. Eſt enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Sed loquendi
tempus aduenit, ac per hoc dominici aduentus tempus eſſe iam commemorat: ut quia
legis facta eſt præuaricatio, ueniat finis legis, & conſummatio eius, & plenitudo domi-
nus Ieſus, qui donet hominibus uniuerſa delicta: & abolito chirographo debitorum, ab
ſoluat omnes & liberet peccatores. Tempus eſt faciendi, ut ſi ingraueſcente ægritudi-
ne alicuius incommodi, curras ad medicum, ut citius ueniat, ne poſtea ſubuenire non
poſſit. Medicus enim tunc amplius deſideratur, quum grauis incubuerit ægritudo lan-
guenti. Ergo quum uideat in ſpiritu propheta præuaricationes populi, luxuriam, de-
licias, dolos, fraudes, auaritiam, temulentiam, quaſi pro nobis interueniat, currit ad
Chriſtum, quem ſolum tantis ſciebat ſubuenire poſſe peccatis: urget ut ueniat, nec pa-
titur fieri moras. Tempus (inquit) faciendi Domine, hoc eſt, ut pro nobis crucem aſcen-
das, mortem ſubeas. Totus in periculum ultimum mundus urgetur, ueni ut tollas pec-
catum mundi. Veniat uita morientibus, ueniat reſurrectio iam ſepultis. Factum tuum
ſubueniat, quoniam nec tua præcepta prodeſſe potuerunt. In lege præceptum eſt, in
Euangelio myſterium. Cæcus omnis populus proprium non uidebat authorem. Clau-
Eſa. 1 dus erat mundus, & titubante ueſtigio fidei fluctuabat. Non erat qui malagma impone
Luc. 8 ret, neque oleum, neque alligaturam. Omne patrimonium ſuum medicis erogauerat
mulier illa euangelica, ſpeciem habens congregationis humanæ, quæ coibat ex Gen-
tibus, cui nec fluentem ſanguinem, & inueteratæ paſſionis letale profluuium poterant
ſeculi huius medici reſtringere. Principis populi poſteritas interierat, & omnis occi-
derat eius hæreditas. Videns hæc propheta, dicit ad Chriſtum: Tempus faciendi Do-
mine. Non iubendi, inquit, ſed faciendi: quia non legatus, neque nuncius, ſed Do-
minus ſaluaturus erat populum ſuum. Et ille quidem tempus ſciebat, & non differe-
bat: & nos neſciebamus quo melius tempore ſubueniret: & iam uenit, & abijt, & ite-
rum uult uenire, & tempus neſcire. Aut fortaſſe uult à nobis admoneri, uult rogari:
Mare. 11 immò ſi rogatus fuerit, & ante tempus uenit, & uenit ad ficulneam, & ante horam ue-
Ioan. 2 nit, ut dicit ad matrem. Illa rogabat pro nobis, illa feſtinabat, dicens: Vinum non ha-
bent, fili. Reſpondit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum uenit hora mea.

Et ma-

Et mater quæ sciebat eius affectum, dicit ministris: Quodcunque dixerit uobis, facite. Iesus quoq; qui horam suam uenisse negauerat, fecit quod ante differebat. Omnia deus tempora fecit. Quicquid facit, non est extra tempus: sed totum opportunũ est quod fecerit, & mihi tempore suo aduenit. Omne enim tempus opportunũ salutis, nihil prepro perum pro salute periclitantium, sed uolebat expectare adhuc synagogæ correctionẽ: ideo ante tempus ad siculneam uenit: hoc est, cito Iudæis uenit, opportune gentibus. Ci to uenit perituris, commode crediturís. Propter hoc dilexi mandata tua super aurum & topazion.] Lex annunciatrix Christi est. Præcepta ergo legis spem futurorum bono rũ deferunt. Mandatũ est enim dñi: Attende tibi, ne derelinquas leuitẽ per omne tẽpus quod uixeris super terram. Quis est iste leuites? Intelligis si consideres qui sit. ille qui ue Deut. 16 nit ministrare, qui sacerdos est in æternum. Aliud mandatum audi: Custodi mensem no uorum, & facies pascha domino deo tuo. Et infra: In loco quem elegerit dominus deus tuus inuocari nomen suum, ibi occidas pascha uespere ad occasum solis in tẽpore, quo existi de Aegypto. Ergo mandata dei habent futuræ redemptionis indicia, resurrectionis insignia: ideo super aurũ & topazió memorat sibi esse dilecta. Quid enim salute gratius, resurrectione pretiosius? Vel quia quæ stulta sunt mundi, Christus elegit, ut quo- 1. Cor. 1 niam per sapientiã mundus non cognouit deũ, per stultitiam prædicationis salutẽ afferret credentibus. ideo ait: Super sapientiam operationis cœlestis, & mundanæ constitutionis, & super ornamenta solis & lunæ, stellarũq; preciosa monilia, dilexi obaudientiã dominicæ passionis. Plus enim redimendo mihi contulit, quàm creando. Tunc enim sine sensu natus sum, nunc cum uoluntate seruatus. Sed non hoc quicũq; dicit, Dilexi mãdata tua super aurum & topazion. Non dicit auarus, qui auro incubat, diuitijs inhiat, ornamenta desiderat: sed ille dicit, qui potest dicere: Aurum & argentum non habeo, quo Act. 3 niam non requiro, quoniam nihil mihi aurum prodest: præceptum autem & mandatum cœleste me redemit. Diximus continentiã sensus, nunc de topazio lapide exprimamus historiam. De quo inuenimus scriptum in historia Xenocratis, qui scripsit quasi lithonomon, nasci eum uel inueniri circa Thebaidis ciuitatem, alabastrum, uel topazion, ut aliqui putant: unde & nominatus est ab eo loco in quo gignitur. Sunt autem qui putauerunt insulam nuncupari topazion, ad quam appulsos Troglodytas, orta subita commotione maritima, quod nauium usum non haberent, reuerti nequiuisse. Deinde plurimo immorantes tempore, in insula inuenisse lapidẽ, & delectatos colore eius repetisse domũ, & Arabibus negociatoribus aduenientibus uendidisse, ab illis emisse Philonem, & ad matrẽ Ptolemæi secundi, cui nomen erat Berenice, ab ipso esse perlatũ: illam aũt quãuis regalibus ornamentis abundaret, supra modũ tamen colore eius stupefactam, elaborasse, ut diutius species tam pretiosi lapidis non lateret: ideoq; studio eius quæsitũ lapidem, in usus frequentiores uenisse. Diximus quomodo innotuerit topazion lapis, nũc expressius de eius qualitate dicamus. Duorum colorum est in hoc lapide, χρῶσις hoc est, quædam temperata permixtio. πρασοφθὴς & chrysopa, similis chrysopraso, secundum utrumq; uelut quasdam extendens colorum figuras, & plenius quidem à peritis fertur ex tendere. Est autem parychrus, & satis purus, & chrysochrus, & pinguis, resplendẽti similis, maxime cũ solis splendore percutitur. Est etiam pulcherrimus & mirabilis super omnes chrysoprasos magnitudine, ut dixi, usu pinguior. Natura huiusmodi, ut si polire et leuigare eum uelis, asperetur magis usu minuitur. Est autem quodam genitali opere natura euglyphus, hoc est, bene insignitus mirabilis & summo studio dignus habetur. Difficile inuenitur, & repertus insignitur, raro tamẽ in usu hominum est, quasi is quem diues regina mirata sit. Sed iam sicut Troglodytæ illi quasi precio suæ mansionis lapide inuento repetierunt domum: ita & nos emolumento moræ huius recepto redeamus eò unde diuertimus. Nec par est nos ornamentis regijs diutius sermonis nostri quedam ad mouere brachia, cum habeamus in manibus crucem Christi, quam admonet Prophe-ta super aurum & topazion præferendam, quæ ab omni errore culpa' que reuocat & corrigit. Quis enim iustorum non ambiat Christi in morte solatium, in resurrectione consortium? Quis non reflectat gradum, quando audit sibi superiora omnia peccata donari? Hoc enim plerique ad conuersionis studium reuocari uolebant, quod delictorum suorum conscij nullam spem ueniæ præsumerent: & Ecclesiæ quanto sanctiorã

ctiora præcepta, tanto sine uenia putarent esse peccata. Ideo' que ait octauo uersiculo: Propterea ad omnia mandata tua corrigebar, omnem uiam iniustam odio habui.] Me-
1.Pet.4 ritò corrigebatur, quoniam diligebat. Charitas enim operit multitudinem peccatorũ.
1. Cor.13 Vide quanta operiat, quanta corrigat. Charitas patiens est, benigna est. Charitas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquã excidit. In inferioribus tria perfecta posuit, spem, fidem, charitatem, maiorem autem dixit charitatem. Et recte: Charitas enim omnia sperat, omnia credit. Cũ igitur spes & fides in charitate sint, non est dubium quòd maior charitas sit. Et bene sibi respondit propheta. Superà enim dixit: Lex domini irreprehensibilis, conuertens animam. Si lex animam conuertit, utiq; qui diligit, legis dilector est. Deinde in hoc ipso centesimo decimo octauo psalmo primò posuit: Beati immaculati in uia, qui ambulãt in lege dñi. Si immaculatus est is qui in lege dei ambulat, utiq; cõuertit, qui diligit dei legem. Ergo si lex immaculatum facit, rectè charitas multitudinem operit peccatorum, quia plenitudo legis charitas est. Omnem, inquit, uiam iniustam odio habui. Si is qui præcepta iustitię diligit, facit
Rom.13 illa quę diligit: utiq; is qui odit iniquitatem, non facit quod exosus est. Nec immeritò ad omnia præcepta domini corrigitur, qui omnem uiam odit iniquitatis. nam nisi omnem uiam iniquitatis oderis, non potes in omnibus preceptis dei corrigi. Potest enim fieri ut aliquis se temperet à crudelitatis horrore: lubrico tamen deceptus amore meretricis, & semitas incontinentiæ iuuenilis ingressus, impressum semel non queat reuocare uestigium. Multos enim uitia blandiora decipiunt, econtra auertit à se plurimos tristis & nimium seuera crudelitas. Sed iuuentus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est. Alius se restringit à luxu, sed auaritię cupiditate raptatur. Plerũq; enim peccata huiusmodi sunt, ut si alterum declines, incurras alterum: & naturę usus adiuuat infirmitatem. Odis tu luxuriam quasi frugi, sed frugalitatis studio habendi cupiditas frequenter irrepit. Auaritiæ ipsi rapina est subdita. Et quanto tolerabilius est propria profundere quàm aliena diripere? Sunt qui metuẽtes aliquid proprio minuere de censu, etiam inopi sumptum negent, & misericordiam detrimentũ putent. Sunt qui degenerem uitantes ignobilitatem, flabro secularis ambitionis agitentur, & sicut quassatæ harundines huc atq; illuc ferantur incerti. Sunt etiam qui dum maiorum suorum sta tum sequuntur, ueluti digna conuersatione contenti, ne errores quidem patrios existiment declinandos, ut fide mutandam perfidiam non arbitrẽtur: cum in melius mutare propositum non leuitas, sed uirtus: neque culpa, sed gratia sit. Alius circensibus ludis, atque theatralibus solicitatus uoluptatibus, aut cęteris uanitatibus occupatus, ecclesiam non frequentat: alium ruris quieta delectant, ea' que causa ad ecclesiam rarus accessus est. Itaque diuerso usu in eundem deuotionis errorem uterq; concurrit. Sed qui omnẽ uiam iniquitatis odit, ad uniuersa corrigit et emendat. Et bene posuit, uiam iniquitatis. Ille enim facilius iniquitatẽ declinat, qui uias eius non fuerit ingressus.

SERMO XVII.

D Elitera decimaseptima, Latine significauit Erraui, siue Os aperui. Meritò
P hæc lachrymabilis series psalmi subiecta est huic literæ. Respice in me, & miserere mei, & non dominetur mei omnis iniquitas, Faciem tuam illumina super seruum tuum.] Ut ei qui erat in umbra mortis, populo cœlestis misericordiæ lumen oriretur, aduenire et Christus, remissio captiuorum, peccatorum redemptio, subsidium laborantium. Sed quia uenire tardius desiderantibus uidebatur: Exitus, inquit, aquarum transierunt oculi mei. In Hieremiæ quoq; Threnis lachrymabilior series sub hac litera
Thren.1 est: Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Dignam remunerationem recipit, ut quę expandentẽ manus audire neglexit, et sub alas eius succedere: ipsa postea expanderet manus, & consolantem inuenire non posset. Nam & si ante aduentum domini Hieremias captiuitatem Iudæorum à Babylonijs illatam deflere uideatur, tamen prophetico spiritu istam magis captiuitatẽ præuidẽs, qua eos intelligibilis Babylonius in perpetui erroris uincla coniecit: & domesticæ uirtutis extorres de statu paternæ deuotionis eliminans, longęq; afficiẽs peregrinationis exilio, miserabili dolore deplorat.

Nulla

Nulla enim patria uerior quàm fides: quæ eos qui longe erant, prope esse fecit, & aduenas atq; peregrinos ciuitatis supernæ iure connexuit, sicut scriptũ est: Ergo iam nõ estis aduenæ atque peregrini, sed estis ciues sanctorũ, & domestici dei. Alibi quoque Hieremias dicit sub hac litera: Aperuerunt in te os inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deglutiuimus eam, tamẽ hæc est dies quam sperabamus, inuenimus eam, uidimus eam. Et hic sicut Iudæorũ populus os aperuit in Christum, quemadmodũ in uicesimoprimo psalmo de eius passione legisti, quòd aperuerunt os suum maledicentes: dignæ sortem remunerationis agnoscis, ut ipsi ab inimicis suis talia sustinerent, fremeret in eos dentibus intelligibilis iste peccator diabolus, sicut leo rugiens, & requirẽs quem deuoraret. Isti igitur non dixerunt: Benedictus dominus qui non dedit nos in capturam dentibus eorum, quia sperandum de dño non putauerunt. Ergo excidium eorũ diabolus quod præsumebat inuenit. Deglutiuit eos, quoniã deerat pastor offensus, qui extraheret de ore leonis crura ouis aut cartilaginem. sequi noluerũt, audire noluerunt: ideo decedẽte pastore, uestigia eorum atq; aures suis faucibus leo occupauit: quia faciẽ sanctorũ nõ receperũt, & nobilibus misericordiã non dederũt, ut tertio Hieremias sub hac litera dicit in Threnis. Qui erant nobiles, nisi qui non obscuram hanc uitam, sed in lumine sanctitatis egerũt? Et omnibus quidem misericordia inopibus iure debetur, sed maior quædam cum ex diuitibus atq; nobilibus in ultimum statum atq; egestatis necessitatem aliquos ærumna deiecit, miserationis pulsat affectus. Hieremias ergo flebiliter satis, utpote qui perpetuæ aculeo mortis deploraret amissos: Dauid uero moderatè, quasi qui obreptionem doleret erroris, remedium non desperaret correctionis, ut contristaretur, non absorberetur. Deniq; confirmatus sobrietate, sub pietate pœnitentiæ & spe ueniæ prouocatus, sic cœpit: Mirabilia testimonia tua, propterea scrutata est ea anima mea.] Moralis oratio, ut quoniam eum puderet erroris, deum tamen propriæ miseserationis testimoniis conueniret. Hoc est dicere: Ego in exordio sermonis loquẽs mea peccata, non audeo leuare oculos meos ad te deum uiuum, sed tu domine me ad sperandam ueniam, tantarum indulgentiarum titulis prouocasti. Mirabilia testimonia tua. Cũ in Abraham collapsu incuriæ iuuenilis offensus es: dum ut Chaldæorum errores, patrumq; cognationem relinqueret, euocatum uirtutis exercitijs erudisti: cum Hebræorũ populum à paternæ studio nobilitatis auersum, & uiles escas Aegypti super diuina munera præferentem, non solum solidatis rubri maris fluctibus liberasti: uerumetiam cum triumphis plurimis euexisti ad gloriam, & uberis terræ possessione donasti ad quietem: te fotus securitate deseruit: te bellorũ acerbitate depressus inuocauit: & ut iniurias tuas obliuiscereris, emeruit. Te Iesus Naue ducem sibi cœlestis militiæ uenisse cognouit. Te populus triumphator ut Madian sibi dominaretur, offenderat. Te ut Madian uinceretur, orauit. Tibi in Saul rege non obtemperauit, ut deo alienigenæ triumpharent. Tibi Dauid præeunte seruiuit, ut de alienis uictoriã reportaret. Ego quoq; pastor malignum feci, & confessione peccati ueniam reportaui. Pulcherrimus itaq; uersiculus ad martyrum cohortationem. Deniq; prophetica anima sic profecit in melius, dum mirabile creditur dei testimonium: & quia credidit, diligenti indagine quæsiuit. Profectum quæris? agnosce ex his uersiculis quæ sequuntur. Manifestatio sermonum tuorum illuminat me, & intellectum dat paruulis.] In Euangelio, cum mitteret discipulos suos Ioãnes ad dominum Iesum, dicebat: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Respõdit Iesus cæcos uidere, claudos ambulare, audire surdos. Hoc enim aduentus sui testimonium fore, per Esaiam prophetam significauerat. Hæc ergo quæ annunciauit per prophetas, in Euangelio manifestauit: & quod ipse locutus est per prophetas, in Euangelio ipse compleuit. Ipsius ergo sermo erat propheticus sermo, sicut habes scriptum: Audi cœlum, & percipe auribus terra, quoniam dominus locutus est. Intellectus ergo datus est etiam his qui perfectam sapientiã non haberẽt, dum muti loquuntur, mortui resuscitãtur. His enim signis intellectum est ab ijs qui rudes erant, & adhuc quasi in cunabulis fidei constituti, ut erat populus nationum, ipsum uenisse qui expectabatur. Illuminat igit fidei claritate, resurrectiõis suæ gloria, diuinorum operum potestate, & intellectũ dat paruulis. Quibus utiq; nisi de quib. in Euangelio gratias agit patri, in eo quod ipse operabat filius, & mysteria sua deus abscõdisset à sapiẽtibus, & paruulis reuelasset: ostẽdens citius

Ephes. 2

Thren. 2

1. Pet. 5

Psal. 123

Amos 3

Matt. 11

Esai. 1

Psal. 33

Matt. 11

plebem

plebem ex gentibus,uel ſtatus inferioris uiros,quàm ſcribas & principes Iudæorum,& diuites huius ſeculi credituros.Ideo diuites eguerunt & eſurierunt: pauper autẽ clamauit,& exauditus eſt. Os meum aperui,& duxi ſpiritum,quoniam præcepta tua cõcupiſcebam.] Habemus in Euangelio quòd dominus Ieſus aperuit os ſuum,cum benedictiones ediceret.Sed ille os aperuit,ut daret alijs ſpiritum:Dauid aperuit ut acciperet. Deniq; Ieſus dicit:Accipite ſpiritum ſanctum,Ieſus dicit:Dilata os tuum,& adimplebo illud. hoc eſt, homini dicit. Plenitudo enim Chriſtus eſt. Qui implet omnia, implet os tuum. Scribe ergo quæ dicit in latitudine cordis tui, hoc eſt, os tuum clamet ad Dominum.Clamat os tuum & cum tacet,ſicut & Moyſes cum taceret uoce, clamabat ſpiritu. Ab hominibus non audiebatur, apud deum perſonabat. Eſt enim interioris clamor
1.Reg.1 affectus,qui auditur è cœlo.Anna quoq; cum oraret,tacita clamabat: labia non mouebat,& interiori uoce piæ mentis excitabat Ieſum.Deniq; cum effectu redijt,quę cum ſilentio precabatur, quia clamabat in ea ſpiritus dei, qui etiam tacentibus nobis clamat,
Gal.4 Abba pater.Intellige ergo quid os ſit, utrum cor,an interioris hominis habitus. Habet
2. Cor.6 & os anima,quæ habet membra.Hoc os aperit non ſolum Chriſto, ſed etiã Chriſti diſcipulo qui os ſuum Chriſto implendũ præbuit,& ideo dicit:Os noſtrũ patet ad uos ô Corinthij,cor noſtrum dilatatum eſt.Ideo imitatores nos ſui eſſe debere admonet,ſicut ipſe Chriſti eſt.Qui ſanctior eſt,Chriſto aperuit os ſuũ: qui inferior,Apoſtolo.Prius prophetalegitur & Apoſtolus,& ſic Euangelium,in quo uerba lucida,ſed ualidiora præcepta.Lex dicit:Diliges proximum tuum.Et Euangeliũ dicit tibi: Diliges inimicum tuũ.
Leuit.19 Matt.5 Dauid ergo quaſi perfectus propheta os ſuum Chriſto aperuit,& ideo in parabolis aperuit os ſuum.Aperuit os,duxit ſpiritũ. Meritò ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua,ſuper mel & fauum ori meo.Sponſa Chriſti os ſuum ſponſo aperuit,percepit omni
Cant.5 melle dulciora præcepta.Et ideo teſtata eſt dicens Fauces: eius dulcedinis, & totus deſi
Ibid.3 derium.Delectata igitur tenuit eum,& non dimiſit eum.Et introduxi,inquit eum in domum matris meæ,& in ſecretum eius quæ me concepit.Fortaſſe domus eſt,in qua præfulget moralium diſciplina:ſecretum autem illud eſt,in quo ſunt altiora myſteria. Meritò ergo concupiſcebat præcepta domini,in quibus diuinæ gratiæ mella redolebãt. An non omni melle dulcior peccatorum remiſſio? Nónne omni flore gratior reſurrectio mortuorum? Reſpice in me,& miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomẽ tuũ.] Pulchrè addidit: Reſpice in me, & miſerere mei,quia reſpicit & iratus, ut reſpexit ſuper caſtra Aegyptiorũ,& ligatis axibus curruum,omnes eos deiecit in fluctus.Reſpexit ſuper Sodomam & Gomorram, quarum utraq; peccatorum ſuorum luitura ſupplicium diuinæ precium ſoluit offenſæ.Scriptum eſt etiam:Aſpicies ſuper terram,& facies
Pſal.103 Gen.4 eam tremere.Econtra reſpexit ſuper munera Abel, ſuper Cain autem munera nõ reſpexit.Quo exaſperatus Cain,parricidali crimine cruorem fratris effudit. Quid ſit autẽ reſ-
Pſal.101 picere deum,euidentiſſime illo teſtimonio declaratũ, Quia reſpexit ſuper filios pauperum,& non deſpexit preces eorum. Oculus enim domini non aſpernatur iuſtorum munera.Deniq; oculos noſtros cum in aliquem mouemur, auertimus, quaſi indignũ eum aſpectu iudicemus,quem oderimus affectu. Greſſus meos dirige ſecundum uerbum tuum,& non dominetur mihi omnis iniquitas.] Greſſus pro profectibus animæ accipiendos frequentibus ſcripturarum teſtimonijs admonemur.Nam quis tam ſtolido ingenio eſt,qui putet Dauid de pedum ſuorum corporalium greſſu eſſe ſolicitum, & his diuinæ directionis auxilium poſtulare? Ille uerò ut ſanctus uitæ ſuæ curſum dirigi ge-
Prou.20 ſtiebat,ſicut & alibi ſcriptura teſtatur dicens:A domino diriguntur greſſus uiri. Deniq;
Pſal.72 ipſius utamur teſtimonio, qui ait in ſuperioribus: Paulò minus effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui in peccatoribus pacem.Animi itaq; ſui oſtendit claudicaſſe ueſtigium, dum pacem peccatorũ putat eſſe mirandam. Videntur quidem habere tranquillitatẽ, uidentur quiete frui:ſed non eſt quies,ubi animus inquietus eſt: non eſt tranquillitas mentis, ubi animus exagitatur obnoxiæ ſtimulis conſcientiæ.Quomodo ſecuritas,ubi diuerſarum pugna eſt paſſionum? ubi conflictus grauium cogitationum? Vnde dominus deſi-
Ioan.14 niens quid ſit pacem h abere,ait:Pacem meam do uobis,pacem meam relinquo uobis: non ſicut mundus dat ego do uobis.oſtendens pacem quam mũdus dat,ueræ pacis gratiam non habere.Ideoq; non in homine eſſe pacem uolens docere,addidit: Pacem meã

relinquo

relinquo uobis. Et iterum: Pacem meã do uobis. Deniq; Propheta dicebat: Pax pax, & ubi est pax? Manifestum est igitur eum de titubatione suæ dixisse sententiæ, in qua animi, nõ corporis titubauerat gressus. Et Moyses ait: Transiẽs uidebo hoc uisum magnũ. Etenim ut deum uideret, progressione quadam uirtutis ad altiora processit. Pastor erat ouium, & dux factus est ciuium. Et ad sponsam dicit̃ in Canticis: Speciosi facti sunt gressus tui in calciamẽtis filiorum Aminadab: Moduli femorum tuorum similes torquibus opere artificis. Non est dubium gressus hic quoq; Ecclesiæ, uel animę profectus significari. Quàm speciosi pedes sunt euangelizantiũ pacẽ, euangelizantium bona. Vtiq; speciosos pedes dicit Euãgelicę prædicationis & disputationis progressus, ut alibi dicitur: Transgredere flumina, hoc est fluentia, & lubrica istius mundi transcurre stabili mentis incessu. Quod de animæ gressibus dicit in posterioribus, hic ipse Dauid euidenter ostẽdit, asserens quod torrentem iniquitatum sua anima transiret. Sed reuertamur ad sponsæ gressus. Quid sibi uult quod ait in calciamentis speciosos esse gressus Ecclesiæ? Legimus itaq; dictum ad Moysem: Solue calciamentum pedum tuorum. quo uidetur admonitus ne corporalibus uinculis teneretur astrictus. Ergo speciosam significat in Cãticis animæ pulchritudinem, quæ carne tanquam calciamento utitur, & in ipso impedimentum non patitur, sed incessus decore præcellit. Calciat se ergo carnis anima ecclesiastica gratia, ut cursum uitæ huius & transitum cum decore prætereat. Quod fit, si calciamentum suum non inquinet luto corporali, nec in uitiorum merset uoragine, si castiget carnem suam ne moretur ad cursum, & aruinæ pinguis pondere prægrauetur. Bonum calciamentũ animæ, pudicitia est. Bonus gressus uestigium est castitatis. Sapientia aũt amictus est animæ. Vnde scriptum est: Honora eam, & amplectetur te. Vtamur ergo corpore tanquam calciamento, ad inferioris opera uirtutis: ad ministerium, non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad dissensionem: & in uia sapientiæ uestigium collocemus, ne gressus nostros uis torrentis aliqua concludat. Ideo ad Moysen dictum est: Solue calciamentum. Dictũ est & ad Iesum Naue. De Christo autem dictum non est, sed magis scriptum est, dicente Baptista: Post me uenit uir, cuius non sum dignus calciamenta portare. quia illi bene admonentur, ut soluant calciamentum suum, qui sine peccato esse non poterant. Hic autem nõ solum calciamentum non soluit, sed etiam calciamenta aliorum absoluit, quia non solum corpus suum à peccatis immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, & in calciamẽtis omni abluta delicto. Et fortasse quando sapientiam inter perfectos loquitur, speciosa est in superiorib. membris: quando autem etiam inferioris status aut doctrinæ homines uerbum sequuntur, fidei seriem non obliuiscuntur, sacerdotis præcepta custodiunt, speciosa est in calciamentis. Plerunque clerus errauit, sacerdotis nutauit sententia, diuites cum seculi istius terreno rege senserunt, populus fidem propriam reseruauit. Vnde etiam de Domino Iesu bene possumus dicere, quia & in his quæ corporalia sunt, speciosos gressus uerbum habeat, quum de moralibus disputatur. Et Apostoli ideo fortasse nudis mittuntur pedibus, ne obumbretur eorum disputatio, sed eluceat. Itaq; Ecclesia filia Aminadab, hoc est, uoluntarij uel beneplaciti, quia uoluntarius eam & beneplacitus cõgregauit, & in calciamentis speciosa est. Meritoq; additum est in Canticis: Moduli femorum tuorum similes torquibus opere manuum artificis: ut posteritatis Ecclesiæ ornamenta canerentur. Per femur enim insigne generationis agnoscimus, iuxta illud: Accingere gladium tuũ circum femur potentissime. quo significatur quòd filius dei cum semetipsum exinanisset, uerbi accinctus diuinitatem, & generationem calciatus humana prodiret ex uirgine, omnib. esset daturus salutem. Moduli autem dicuntur ornamenta preciosa quæ suspendi matronarum ceruicibus solent. Tantus ergo processus Ecclesiæ significatur, ut ornamẽtis preciosissimis comparatus sit, & torquibus triumphantium. Hęc enim ornamenta sunt bellatorum. Vnde & Symmachus ἐπιτραχήλια dixit, hoc est, quæ sunt circa collum. Siue ergo generatio Christi ex uirgine, siue Ecclesiæ propagatio, specie quidem tanquã manu artificis torquibus adornatis, uerè autem uirtutis insignijs spiritalibus ceruices fidelium coronauit. Deniq; tota ista descriptio membrorũ Ecclesiæ plena decoris & laudis est. Nam & umbilicus eius tanquam crater tornatilis prędicat̃, mixto nõ deficiens, eò quòd

Hier. 8
Exod. 3
Cant. 7
Esa. 52
Ibid. 47
Exod. 3
Prou. 4
Matt. 3
Cant. 7
Psal. 44
Cant. 7

in omni doctrina tornatus plenitudine cognitionis, & potu nõ deficiat spiritali, & uenter eius nõ solum aceruo tritici, id est, cibis fortioribus cœlestis mysterij saginetur, uerũ etiam tanq; lilijs quibusdam moralium suauitate repleatur. Vnde & ipsa tanq; beneme rita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptũ est: Et ornatus capitis tui sicut purpura. Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorũ animas, nõ solum colore resplendens, sed etiam potestate, quia reges facit, & meliores reges, quibus regnũ donet æternum. Meritoq; ad tantũ ecclesiæ decorẽ, cui Christi sanguis irrutilat, spiritus sanctus inclamat: Quàm pulchra & suauis facta es charitas in delicijs tuis. Pulchra decore uirtutis, suauis iucunditate gratiæ, remissione uitiorũ, quam nulla uexat amaritudo peccati, & ipsa iam charitas quæ diligendo deum ipsius & nomen acceperit, quia deus charitas est. Recte ergo Dauid petit gressus suos dirigi secundum uerbũ dei, ut fiant & ipsi speciosi, & nõ dominetur ei iniquitas: quam iure deprecatus est. Sciebat enim & Abrahã gressus suos secundum præcepta dñi dirigentẽ, & appetito speciosæ uxoris pudore tentatum, sed non confusum, & in unici immolatione filij postlata patriæ mentis pietate luctatum, sed coronatũ: Se quoq; in furore Saul, incestu Ammon, Abessalon parricidio, iniquitatis improbæ feralibus tentationibus appetitũ, hoc solo euasisse, quod dirigens gressus suos secũdũ pietatẽ domini à paterno nõ recessit affectu, intra se gemens crimẽ
2.Reg.18 incesti, à se relegans odia parricidæ: Filius meus Abessalon, filius meus, inquit, Abessalon, quis dabit mihi mortẽ pro te? memor naturæ pietas, offensæ immemor de quo antè quæsiuit, Puérne uiuit? Et fortasse quærendũ sit qua ratione ante puerũ dixit, postea filium nominauit: cur nõ in utroq; aut puerũ dixit, aut filium. Si uiueret, puer erat, quia parricidio petebat patrẽ. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis. Ideoq; uir iustus quod religionis fuit, tacuit: quod infirmitatis aspexit. Vbi uerò est mortuus, apud pium patrẽ personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit. Líbera me à calumnia hominũ, & custodiam mandata tua.] Non unũ genus est nostræ afflictionis: Est tentatio, est & calumnia: sed tentatio leuior, calumnia grauior, Siquidẽ tentatio potest esse calumnia, calumnia in se & tentationẽ habet. Est humana tentatio, quam ferre possumus, calumnia autem grauis est. Et ideo dominus quę sunt grauiora suscepit, & ca-
Gen.39 lumnijs appetitus silentiũ detulit triumphale. Calumnia autẽ eo grauior est, quia nõ solum falsa cõponit, uerumetiam quæ pie gesta sunt decolorat: ut Ioseph nõ solum adulterij obiectione tentatus est, & inuitatus ad crimen herilis illecebræ, uerumetiã tentatus calumnijs, cõposito elogio quod ipse adulteriũ dominæ suę inferre uoluisset, cõprehensusq; exuerit uestem, ne fraudis indiciũ, atq; insigne criminis teneretur: cum utiq; amictum ideo fugiens reliquerit, ut laqueos uim ferentis, & nexus illecebrosæ artis euaderet. Ipse Dauid senserat quod timebat. Quibus enim Saul regis calũnijs laborauit? Perterritis omnibus, allophyli impetũ lusit, & singulari certamine summam belli, & totius prælij pondus excepit, uirtute sua solus cõmune crimen refellens, & totius retorquens
1.Reg.18 in hostem plebis opprobriũ: & tamen quia iuuẽculæ dixerunt: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decẽ milibus: gloria in inuidiam uersa, odio cœpit urgeri. Et (ut de po-
Dan.13 steriorib⁹ loquamur) Susanna bene sibi conscia erat, & apud homines sibi adesse non poterat. Duo presbyteri senes falsum testimoniũ deferebant. numerus sacerdotum atq; senectus uocẽ auferebant puellæ, sola conscientia erat apud deũ libera. Deniq; hominũ damnata iudicio, nutu est absoluta diuino. Ideo ait Propheta: Libera me à calumnijs hominũ, ut custodiam mandata tua. Qui enim opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata diuina. Tristitiæ necesse est plerunq; aut timori cedat, & affligatur uel metu calumniæ, uel dolore. Vultum tuum illumina super seruũ tuum, & doce me iustitias tuas.] Illuminat dominus sanctos suos, & lucet in corde iustorũ. Itaq; cum sapientem uideris, cognosce quia descendit super eum dei gloria, illuminauit eius mentẽ scientiæ fulgore, cognitionisq; diuinæ. Illuminauit etiam corporaliter faciẽ Moysi, & transExod.34 figurata est gloria uultus eius, quẽ uidentes Iudæi trepidauerunt: & ideo factum est ut
2.Cor.3 Moyses uelamen poneret super faciẽ suam ne in eam filij Israel intenderent, & supertur barentur. Simul declarabatur mysterium, quod illud uelamen quod in facie Moysi corporaliter ponebat, in cordibus Iudæorũ mystice poneretur, eò quod ueram legis claritatem uidere nõ possent. Vultus enim Moysi fulgor est legis; fulgor autẽ legis nõ in litera

tera,sed in intellectu est spiritali.Itaq; quamdiu uixit Moyses, & alloquebatur Iudæorũ populũ,uelamen habebat in facie sua.Mortuo aũt Moyse, Iesus Naue iam non per uelà men,sed facie reuelata & presbyteros alloquebatur,& populũ,& nemo trepidabat: cũ utiq; & ipsi dixerit deus quòd cum ipso ita esset futurus ut fuit cum Moyse,& eum similiter illuminaret:gestorum utiq; non uultus gloria:hoc significante spiritu sancto,quòd uenturus esset uerus Iesus,ad quem si quis conuerteretur,& eum uellet audire,de corde suo uelamen auferret,& reuelata facie uerum saluatorẽ uideret.Ergo deus omnipotens pater qui in Moysi facie excæcauit populũ Iudæorum,non duritia sed præscientia: nec malitia,sed æquitate atq; iustitia(ipsi enim sibi uelamen posuerunt,qui legem intelligere noluerunt.Lex enim spiritalis est, sicut dixit Hebræus. Is utiq; secundum illud quod Rom.7
dat unicuiq; nostrũm,in quo non tribuentis,sed diligentis est culpa)iste inquam dominus illuminauit cor populi nationũ in facie Christi Iesu per eius aduentũ:quod euidenter apostolico declaratur exemplo, sicut scriptũ habemus: Quoniam deus qui dixit de 2.Cor.4
tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in facie Christi Iesu.Ideo ergo dicit Dauid ad dominum Iesum: Vultũ tuum illumina super seruum tuũ. Faciem Christi uidere cupiebat, ut mens eius illuminari posset.Et secundum incarnationem potest accipi.Multi enim prophetæ & iusti uidere uoluerunt,ut ipse dominus declarauit. Luc.10
Quod autem negatum Moysi fuerat,nõ quærebat, ut corporaliter dei uultũ in corpore uideret,si tamen & Moyses tam sapiens et eruditus hoc potuerit simpliciter magis q̃ in mysterio postulare, humanum tamen est desideria supra nos extendere.Nec immerito faciem eius aduenientis ex uirgine quærebat uidere,ut illuminaretur in corde,sicut illuminabantur etiam illi qui dicebant:Nonne cor nostrum ardebat in nobis cum aperiret nobis scripturas? Quòd si quis ad deum patrem dictum uult uideri, potest accipi uultus patris,filius. Qui enim uidet filium,uidet & patrẽ. Ioan.14
Illuminat tamen uultus dei,secundum quod oculi eius super iustos habentur. Quod cũ spiritaliter sit probandũ,tamen quia incidit illuminatiõis uultus Moysi historia,ne quis non putet corporaliter id fieri potuisse, cognoscat etenim usu solis quod multis etiã pallore confectis totius corporis figura mutatur, & ignis uapore calefactis species uultus rutilans offunditur.Oriente die rubent terræ croceo colore perfusæ,imaginem de benè ficio mutuatæ. Gemmarum quoq; monilia coruscantia transfundunt finitimis quòd ipsa radiauerint: & miraris si Moysi uultus diuinæ infectus sit claritate præsentiæ? Miraris si refulgẽte dei gratia iusti uaporet ingeniũ? Nõ dubitauit Propheta, qui poposcit illuminari prius,ut iustitias dñi posset addiscere. Decursus aquarũ descenderũt oculi mei, quia nõ custodiui legẽ tuã.] Granditer affectũ pœnitentiã gerẽtis expressit,dicens q; aquarum decursus oculi sui descenderint, siue quia per eos tanquam per meatus undantium fluentorum ita exuberantium lachrymarum se quidam ductus effuderit, & fletus irrigui per continuum quoddam et iuge profluuinm,siue quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc uis summi doloris,ut cum lachrymis oculi quodammodo ipsi uideantur descendere:eò quòd tanta uis lachrymarum sit,ut putentur oculi in fletus resolui,& in lachrymas effundi.Oculi ergo ipsi tanquam in decursus descendunt aquarũ.quo uerbo impetus deplorantium uehemens expressus declaratur, secundũ illud quod in Cantic. Cant.4
scriptum est:Fons hortorum,puteus aquæ uiuæ, & impetus descendens à Libano.
Hos impetus Ecclesia deduxit à Libano,hoc impetu diluuntur peccata,hoc impetu purifontis spiritus sancti affluit à Libano sponsa, & à principio fidei transiuit seculum, & pertrãsiuit ad regnum.Alijs fons est,alijs puteus pro captu nostro gratia spiritalis, alijs hortus clausus,fons signatus:alijs hortorum fons, qui in Ecclesię dote numeratur: alijs impetus descendens à Libano:& magnus impetus,qui nunquam deficit.Non enim deficiunt de petra ubera,neq; nix à Libano,neq; aqua quæ fertur ualido uẽto uirgini Hierusalem.Descendit impetus à Libano,quando collectis in unum apostolis,& pluribus Act.2
credentibus factus est subito de cœlo sonus tanquam ui magna spiritus ferretur, & repleti sunt omnes spiritu sancto diuersitates donante linguarum.Bonus impetus,qui lædere nesciat,norit implere. Si quis igitur hunc impetum superuenientis è cœlo gratiæ uult mereri,descendat etiam ipse oculis in decursus aquarum. Qui hunc primum impetum fuderit,illum merebitur.Descendit oculis suis in hos ductus aquarum, quæ lachry

mis irrigauit in Euangelio domini pedes: & ideo fidei suæ precio emit animæ suæ & corporis sanitatem, iam non sanguinis profluæ, sed gratiæ spiritalis. Descendit ergo David propheta, ideo de peccato gratiam retulit. Descendit in aquarũ ductus, hoc est, repleuit eos, & decurrentium aquarũ lachrymis suis fluenta cumulauit, aut inanes & uacuos ductus solis repleuit fletibus, aut (quod elocutionis moralis quidã sensus ostendit) descendit in aquarũ ductus, transiuit eos. Et possemus dicere: Transcendit eos, & supergressus est: sed minuitur uis eloquij, quo uis maior affluentiæ descendentis q̃ ascendentis expri mitur. Vide rogo quid de usu uerba habeant, impetum suum sermo propheticus non amittat, licet usus ipse scriptorum sensui seruire maiore decore consueuerit. Diuerse hoc & sæpe significauit, & propemodum incrementa semper assumpsit. Dixit enim primo:

Psal. 6 Lauabo per singulas noctes lectum meum, in lachrymis stratum meũ rigabo. Dixit ite-
ibid. 41 rum: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes. Dixit etiam: Et potum meum cum fletu misce-
ibid. 101 bam. Hic addidit dicens: Decursus aquarũ descenderũt oculi mei. Hoc secutus in Thre-
nis Hieremias affectum doloris expressit, uim oculi descendentis imitatus. Sic enim ha-
Thren. 2 bes: Defecerunt in lachrymis oculi mei, oculi mei caligauerunt. Tanq̃ descenderũt ocu-
ibid. 3 li, qui deficiunt in lachrymis. Et alibi: Oculus meus absorptus est. Sed plus est aquas la-
chrymis uincere, q̃ oculos absorberi fletibus. Et alibi idem Hieremias: Exclamauit cor
ibid. 2. eorum ad dominũ: Muri filiæ Sion ducant torrentes, fluant lachrymas die ac nocte. No-
li dare tibi requiem, non sileat pupilla oculi tui. Oculi igitur qui torrentes deducunt la-
chrymis suis, ipsi ductus aquarum descendunt, hoc est, cumulãtur ut faciant eos suis au-
gentes fletibus impetu exundare torrentium. Sunt tamen codices qui habent δεξιόθεν
ὑδάτων κατεβίβασαν οἱ ὀφθαλμοί μου. hoc est, Ductus aquarum direxerũt oculi mei. Sed ego
in Græco codice meo κατέβησαν legi, hoc est descenderũt. in quo potest fieri ut in utrãli
bet partem duarum adiectione aut deminutione literarum scriptor errauerit. Et habuit
quidem multa quæ fleret, uel incestum filiæ, uel interitum filiorũ: sed hic nõ hoc fleuis-
se se dicit, sed quia non custodiuit legem domini. A sancto uiro plus culpa q̃ ærumna
2. Reg. 11 defletur. Fleuit itaq̃ quando ei Nathan de Vriæ morte indignationem domini nuncia-
uit: & peccatum suum de præuaricatione legis agnouit. Denicq̃ filio in ægritudine con
stituto, neq̃ cibum sumpsit, neq̃ regium thronũ aut cubile conscendit: sed stratus in ter-
ra ieiuna ora lachrymis diluebat, non tam filij mortem quàm peccati pœnam in illo la-
uare desiderans. Fleuit, quando numerato populo repente corde percussus est. Denicq̃,
Peccaui, inquit, grauiter, peccaui stulte. Fleuit igitur primo, quia elatus regia potestate,
quærendo numerum plebis, mensuram egressus est conditionis humanæ: Deinde quia
sui erroris precio uindicabatur in plebem: sed à domino hæc proposita pœna fuerat, nõ
à rege est postulata: domini tamen se cõmittendo misericordiæ, electionis causam pro-
bauit: simul quia propter eum populus laborabat, ipseq̃ se offerẽdo pro populo, elatio-
nis soluit iniuriam, pietatis probauit affectum.

SERMO XVIII.

SEquitur Zadic litera octauadecima, quæ Latina interpretatione dicit consolatio. Post more torrentium lachrymas defluentes, & graues fletus doloris, oportebat consolationem sequi. Nam qui in doloribus sunt, consolatione indigent: & qui grauibus ærumnis pœnas commissorum luerunt criminum, sperant indulgentiam: & qui fletibus & lachrymis propria delicta lauerunt, requiem promerentur. Hæc omnia in scripturis diuinis qui quærit inuenit. Nam & primũ illud, ut in dolore positos consolemur, docet illa quæ in libro Hieremiæ flebiliter clamat ad captiuos &
Baruch 4 exules Iudęorum: Ite proficiscimini filij. ego enim derelicta sum deserta. Exui me stola pacis, indui autem stolam precationis meæ, & clamabo ad excelsum in diebus meis. Animo æquo estote filij, clamate ad deum, & extrahet uos de manu principũ inimicorũ: Ego enim speraui in illo ęterno salutem uestram. Credentibus igitur in dominum, est in domini misericordia consolatio. Est etiam aliud consolationis genus ijs qui graues sol-
Esa. 40 uerint pœnas, ut habes scriptum in Esaiæ libro: Consolamini consolamini populũ meũ, dicit dominus: Sacerdotes loquimini in cor Hierusalem, consolamini eam, quoniam re
pleta est humiliatio eius: solutũ est peccatum eius: qm̃ accepit de manu domini duplicia peccata sua. Etiã si fides deerat, pœna satisfecerat. Releuantur solutione pœnarum, qui ab sol-

absoluuntur cõmendatione meritorũ. Tertium est, cùm lachrymis crimen abluit, ut est illud: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, quoniam exaudiuit dominus uocem fletus mei. Quod etiam hoc loco & pleriscp locis in libro Psalmorũ facile reperitur. Consolatio igitur prima ordine est, quoniam nõ obliuiscitur Deus facere misericordiã, necp in eternum proijcit quos putauerit coercendos. Secunda, quod decursis supplicijs quæ propter peccata nostra toleramus, ad ueniam pertinemus. Vnde nonnulli philosophi disputauerunt obesse improbis absolutionẽ, prodesse mortem: quòd in illa sit incentiuum delinquendi, in morte autem finis. Hoc sumptum esse de nostris cui dubium, cum in Prouerbijs Salomonis sit: Qui parcit baculo, odit filium suum: castigat aũt dominus quem diligit: Et infrà: Flagellum equo, & stimulus asino imperat, uirga aũt nationi imprudenti. Pœna enim corrigit & emendat errantem. Si talis est qui emendari non queat, auferatur è medio, ne grauiora cõmittat: Mortuus em iam nescit errare. Ideocp & Ecclesiastes ait: Et laudaui ego mortuos magis cp uiuentes, & optimum iudicaui supra hos eum qui nondum natus est, qui non uidit hoc opus mali. Mortuus præfertur uiuenti, quia peccare desiuit. Mortuo prefertur qui natus non est, quia peccare nesciuit. Nunc dicamus etiam de ijs qui pœnas scelerum soluerunt suorum: Nónne isti tulerunt culpæ precium, & iam non integra his pœna debetur? Clamat per Esaiam dominus: Consolamini populum meum, quia recepit de manu domini duplicia peccata sua. Discite unde Plato hæc sumpserit. Eruditionis gratia in Aegyptum profectus, ut Moysi gesta, legis oracula, & prophetarum dicta cognosceret, audiuit consolationẽ populi, qui supra peccati modum uidebatur fuisse punitus: & hunc locum quadam adopertum dote uerborum, in dialogum transtulit quem scripsit de Virtute. Quem locum tamen dominus in Euãgelio plenius cõprehendit, & apertius declarauit, dicẽs per Abrahæ personã ad illũ diuitem seculi huius: Fili recordare quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic cõsolationem habet, tu uerò cruciaris: & in his omnibus inter nos & uos chaos magnũ firmatum est, ut ij qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, necp inde huc transmeare. Sed iam audiamus quid iustus in consolando se loquat. Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.] Vere iustus uir, qui lachrymis profluens, inuolutus ærumnis, graui supplicio delicta persoluens, non tædio uincitur, non metu frangit, non labore lassatur, non ingratus aut tristis est. plerunc enim uulgus hominũ sua delicta nõ repetens, iniuste se putat tolerare quæ patitur. At uerò uir iustus, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, iustitiam domini prædicat, quòd meritis suis digna patiatur. Dicendo autem iustum deum, de sua quidem iniustitia antè pronunciat, sed de iustitia domini sperat & ueniam. Iustus enim non semper irascitur. sicut enim ultor culpæ, ita moderator est pœnæ: sicut uindex peccatorum, ita remunerator est uirtutum, optimorumcp meritorum. Qui uult dare præmium, debet expectare certamen, quia nemo sine certamine coronabit. Sinit ergo nos sæpe tentari, uolens iusta præmia dare, luctanti uticp, non dormienti. Non decet redimitos florib. corona, sed puluerulentos: nec molles delicijs, sed labore exercitatos ornat uictoria. Iustus ergo in aduersis suis iustitiã Dei laudat. Sed non hoc sentit amissis teneris parens liberis, non immaturo nuptę uiduatus consortio, nõ eger in dolore, nõ naufragus in periculo, non reus in iudicio, nõ captiuus in laqueo. Clamat tamen Hieremias, cum futuræ annuncians populis captiuitatis ærumnam, in luti uoragine turpi necandus illuuie mergeretur: iustus es domine. Clamabat iterum cum uictę plebis miserandis seruitijs angeretur: Iustus est dominus, quia os eius ad iracundiam irritaui. Et sub alia litera: Ita foris sine filijs fecit, & ab intus mors, hoc est, sicut in paradiso fecit, ita & in huius seculi ærumnã desæuit. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Iustus es domine. Clamabant Hebræi cum propter uirtutẽ deuotionis, & fidei gratiam, fornacis ardẽtis ambirentur incendijs: Iustus es domine in omnibus quæ fecisti: & ideo meruerunt ut illæsi ignibus, dñi iustitias prædicarent. Daniel quoc propheta secundo in lacũ missus leonũ, & immanium ferarum sæuitia atque horrore circundatus, recta omnia in conspectu esse domini imperterrito clamore iacta bat. Ionas inclusus utero bestiali, anhelandi spiritus uix habens cõmeatum, iustus iniustorum sorte damnatus, clamabat de uentre ceti in mari cum uoce laudis et cõfessionis, Supplico tibi. Dauid cũ fugeret a facie Absalon, parricidalibus armis & terris pulsus,

Psal. 6

Prou. 23

Ibid. 26

Esa. 40

Luc. 16

Sap. 2

Dan. 3

2. Reg. 15

2.Reg.15 & regno egressus, cum pro totius populi se offerret excidio, dicebat: Iustus es Domine, & rectum iudiciũ tuum. Grex innocens iste quid fecit? Ego pastor feci malũ apud iustũ deum, pœna de culpæ autore sumat. Ipse pater fidei Abraham, cum ad immolandũ unicus à sene filius poscereť, paternæ pietatis affectũ diuinæ confessione iustitiæ temperabat, dicens: Iustus es dñe. Non enim poscis alienũ, sed tuum reposcis: ipsum tibi restituo quem dedisti. Hũc imitatus Iob extinctis liberis, patrimonioq; nudatus amisso, amictũ

Iob 1 sui corporis scindẽs, ait: Nudus natus sum, nudus, inquit, et moriar. Dominus dedit, dñs abstulit: sit nomen domini benedictum. Omnes ergo iustum Dominũ prædicemus: & qui moribunda sepulchro sua membra cõponit, & qui damno ferit, aut funere filiorum,

1.Cor.4 dicat: Iustus es domine. Quid enim nostrũ amittimus? Clamat Apostolus: Quid habes quod non accepisti? Quod habemus ergo, accepimus: quod igit amittimus, reddimus; non amittimus. Iustus dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in ultionibus est, fiõ solũ quia unusquisq; iuste culpæ suæ pœnas luit, uerumetiã quia dum unus punit, pluri-mi corrigunt. Ananias & Sapphira in Actibus apostolorũ fraudati precij quod de agri uenditione perceperant, crimen admiserũt, qui poterant nihil offerre, & crimen euadere. Verũ ne quis impune circunscribẽdos Apostolos arbitrareť, aut misericordię suæ munus fraude contaminaret perfidiæ, morti addictis æternæ perfidis, uniuersos ad fidei studium iusto terrore composuerunt. Pharao cum populo suo fluctibus mersus, mũdanę conuersationis exemplum est, ne quis dei populum persequať. Denicq; potuit eũ deus uoluntati suæ facere obedientẽ, sed eius pœna omnes uoluit emendari. Ideoq; dicitad

Exod.9 eum dominus: Quia ad hoc ipsum te suscitaui, ut ostendã in te uirtutẽ meam, & annũcietur nomen meum in uniuersa terra. Non utiq; dominus suæ laudis, sed nostræ correctionis incrementa quærebat. Omnes ergo sapientes dicunt: Iustus es domine, & rectũ iudi-

Rom.9 cium tuum. Neq; enim tradimur aduersarijs sine iudicio ipsius, neq; sine ipsius iudicio in tribulationes uenimus. Hæc iustorum est cõsolatio, hoc est domini iudicium. Denicq; & suprà habes: Memor fui iudiciorum tuorũ, quę à seculo sunt, & me consolatus sum. Aduertis ergo quia iudicia domini consolationes sunt. Mandasti iustitiam testimonia tua, & ueritatẽ tuam nimis.] Vtrũ nimis mãdasti, an nimiã ueritatem? Sed & nimia ueritas plena laudis, & nimiũ mandare prouidẽtiæ atq; cautelæ est. Etenim infirmos noluerat, ideo sæpius admonebat ut non obliuiscerent. Exquisiuit me zelus domus tuæ, quoniã inimici mei oblíti sunt uerborũ tuorum.] Est zelus ad uitã, & est zelus ad mortem. Ad uitam zelus est diuina præcepta seruare, & amore domini eius custodire mandata, ut fecit Phinees, de quo legimus in Numeris, dicẽte domino ad Moysen: Phinees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis sedauit furorem meum à filijs Israel, in eo quod emulatus est zelum meũ in illis, & non consummaui filios Israel in zelo meo sicut dixi. Ecce ego do ei testamentũ pacis, & erit illi & semini eius post eum testamentũ sacerdotij eternum, propter quod æmulatus est deum suum & exorauit pro filijs Israel. Cæsa iacebant xxiiij. millia populorũ, tendebat pœna in omnes, nec ullus finis exitij. Arripuit Syroma stem Phinees, duos occidit, interdicta sibi consuetudine copulatos, redemit omnes, indignationẽ domini mitigauit, dedit uictoriã quibus negabat salutẽ. Quàm salutaris est igitur dei zelus? Non unius temporis illud uitium fuit: & nunc Madianitis miscetur ludæo. Madianitis est quæ nullo est uxoris legitimę copulata coniugio, nullo fidei iuncta consortio. Madianitis est hæreticorũ perfidia, cum populũ dei tentat. Quàm multis populis meretrix ista feralis irrepsit, quæ publico funere totũ populum cõmuni morte tumulauit? Veni & nunc Phinees, arripe gladiũ uerbi, interfice perfidiam, iugulato hæresim, ne propter eam populus uniuersus intereat. Vrget ira cælestis, percute ipsam uulua impietatis, generatoriumq; perfidię, ne partus formetur infelix, ne adulterina cõceptio diffundat seminarium prȩuaricationis & sceleris, ut Dominus tecum statuat testamentum pacis, & testamentum gratiæ, testamentum promissionum cœlestium. Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam seruare studet ecclesiæ castitatem. Et ideo prin-

Psal.e3 ceps sacerdotum dicit: Zelus domus tuæ deuorauit me. Et Phinees sacerdos erat, & nepos sacerdotis, & filius sacerdotis. Bonus zelus & utilis in sacerdote, præcipue ne negligẽs, ne remissus sit. Melius est ut unius aut duorum damnatione plurimi liberentur, q; duorum absolutione plures periclitentur. Exquisiuit, inquit, me zelus domus tuæ.

Vides

Vides quia zelus dei gratia est, qui exquirit, qui superuenit, qui se iusti infundit pectori. Zelus dei uita est. Denique dominus ait. Zelus domus tuæ deuorauit me. Sicut enim anuit in Adam deuorauerat hominem mors prævalens, ita zelus deuorauit quem uiuificauit in Christo. Zelum habuit Helias, & ideo raptus ad cœlum est: Zelans (inquit) zelaui dominum. Zelum habuit Mathathias Butanus, qui aduersus sacrilegia Antiochi exercitauit dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant qui sunt hostes dei, quamuis patrem, fratres, sorores. Omnibus dicit: In hostes facti sunt mihi, sicut Dauid ait: Quid multa? Apostolus quoq; domini hoc declaratus est nomine, ut Iudas Zelotes diceretur, sicut legimus in Euangelio, Zelo fidei populus gentilium uitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atq; desidia Iudæorum populus amisit. Ideoq; scriptum est: Zelus apprehendet populum ineruditum. Quoniam populus qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorẽ. Contulit se zelus ad gentes: cuius tanta est gratia, ut electionis prærogatiuam uicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. Itaq; ea gratia operata est in populo nationum, ut hæreditatem domini mereretur quam operatus est dominus, ut Ecclesiã sibi ex nationibus copularet. Zelus ergo charitas est. Denique ualida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem uitæ huius nulla uincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut uiuamus deo. Angeli quoq; sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentẽt. Denique in Apocalypsi Ioannis dominus ad angelum Laodiciæ dicit: Scio opera tua, neq; frigidus es, neq; calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis quòd diues sum & ditatus, & nullius egeo, & nescis quòd tu es miser, & miserabilis, & mendicus, & nudus, & cæcus. Consulo tibi ut emas à me aurum igne probatum. Hic est dei zelus, hic est fidei uapor, deuotionis feruor, qui nos uelut suauem cibum in Christo remollit & format. Quanta domini gratia, ut nos in suo ore constituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac si meremur, de uoret, si nostri cibi suauitatibus delectetur? Beatus quem sapiẽtia deuorauerit, quẽ uitus hauserit, quem iustitia receperit. Culpa in eo habere non potest portionem, quẽ absorbuerit remissio peccatorum. Vbi eum error inueniet, quem integritas immaculata susceperit? Et quid miremur si angeli eũ habent? Ipse deus pater ait: Zelans zelabo Hierusalem zelo magno. Quia deus magnus, ideo & zelus eius magnus est, & pro uniuscuiusq; potentiæ qualitate, ita & zelus aut mediocris aut magnus est. Zelo uindicat Hierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidet. Dominus quoq; Iesus ait: Zelus domus tuæ comedit me: increpans Iudæos quòd domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint & domum negociationis. Sed non solum locum Ecclesiæ zelare debemus, sed hanc quoq; interiorem in nobis domum Dei, ne sit domus negociationis, aut spelũca latronũ. Si enim lucra, quæstus pecuniæ & emolumenta aucupemur, domum negociationis fecimus: Si inuadamus alienas possessiones, fines uiduæ uel minorum, fecimus speluncam latronum. Veniet ergo uerbum dei, & de hac domo profsciat fures, direptores, caupones, ut mundum sit cor tuum, pectus tuum. Sed est zelus ad culpam, est zelus ad gratiam. Nam & ipse Dauid ait: Zelaui in peccatoribus pacem: Et in Ecclesiastico scriptum est: Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. & mulier zelotypa in muliere fideli iuxta reprehenditur. Aduertimus ergo quòd mensura quædam & disciplina sit zeli, sicut disciplina uirtutis. Et ideo beatus qui zeli nouerit disciplinam, & oderit eos qui domini gratiam relinquentes salutem propriam deserunt, errorem sibi fraudis adsciscũt. Ideoq; ait: Quoniam obliti sunt uerborum tuorum inimici mei. Qui sunt isti inimici? Si populus Iudæorum, quomodo inimici erant sub eius imperio cõstituti? Dauid enim Iudæos omnes regno proprio gubernabat. Si gentiles, quomodo obliti uerborum dei, qui legẽ domini nesciebant? Nemo enim nisi id quod acceperit, obliuisci potest. Illi ergo inimici mei, qui inimici tui, qui Dominum in propria sua uenientem nõ erant recepturi. Hos graues hostes, hos inimicos suos propheta testatur, non qui sibi essent, sed qui Christo rebelles. Denique alibi ait: Et super inimicos tuos tabescebam. Iusto odio oderam illos. graviora putans arma perfidiæ esse, quàm pugnæ. Nemo enim grauior hostis omniũ,

Luc. 6

3. Reg. 19

Ioan. 2

Psal. 72

quàm qui omniũ lędit autorem. Ideo ergo zelo magno acquisitus est populus nationi, quoniam à suo deus populo negabatur. nec enim poterant aut fidei deuotionem, aut disciplinam tenere uirtutis, qui memoriam præceptorum cœlestium non tenebant. Sic Adam de paradiso eiectus, sic populus Iudæorum de prærogatiuæ elèctionis excluſus est. Ignitum eloquium tuum nimis, & seruus tuus dilexit illud.] Ignẽ quidẽ dominus misit in terram, non ut ea Sodomitano rursus, sicut scriptũ est, arderet incendio, nec ut eam donatæ munere fœcunditatis, aut usu uel flore uiriditatis excluderet. Opus em̃ suũ dominus probare magis atq; augere, quàm minuere aut damnare consueuit. Neq; uerò dignum erat ut elementa innoxia nostri luerent sceleris ultionẽ. Quid natura delinquerat si adulta iam soboles errauit? Non erat partus in uitio, si deuio lapsa est errore progenies. Non est hic natura, sed usus in culpa. Quẽ ergo dñs ignẽ in nouo sparsit testamento? Qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui uaporẽ fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatẽ uirtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Hieremias: Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cœlestium uaporati Cleophas & ille alius qui simul cum domino ab Hierusalem usq; ad castellum confecerant iter, dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas? Ignis ergo hic, sermo Christi est. Et bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne super bonũ fundamentũ posito, apostoli cum illud aurum probatur: hoc igne illud morũ uel operum examinatur argentum: hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fœnum autem & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem. Vnde & dominus ait: Iam uos mũdi estis, propter sermonẽ quem locutus sum uobis. Hic est ignis qui ardet ante dominũ. Nisi enim quis flagrantiam deuotionis sumpserit, præsentiam domini habere non poterit. Accende hunc primùm ignẽ in mentibus tuis, ut Christi tibi lumen effulgeat. Hoc igne ureba tur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit ut perdat. Hic ignis hebetare, hic ignis extinguere materialium flammarum consueuit incendia. Denicq; Hebræi hoc igne succensi, fornacis ardentis uaporem nec timere, nec sentire potuerunt. Meritò ergo bonus seruus diligit ignitũ Domini alloquium, quo induitur charitas, quæ excludit timorem. Pulchre autẽ addidit nimis, quia omnis quidẽ doctor inflammat audiẽtis affectum, sed supra omnes est sermo dei, diuisiones artuum & intima penetrans medullarum. Tripli citer ergo describe tibi ignitum alloquium dei, uel quod mundat, uel quod accẽdit, uel quod illuminat audientes. Ideo ait dominus: Scrutatus sum Hierusalem ad lucernam. Sed neminem in ea uel qui mundaretur, uel qui incenderet, aut illuminaretur, inuenit: ideo eam in tenebris dereliquit. Nec mireris si seruus diligit ignitum domini alloquium, quod et sponsa dilexit, quæ ait: Sicut restícula coccínea labia tua. In cocco enim species ignis, & crucis dominicæ sanguis irrutilat. Coccinea labia domini, quæ passionẽ propriã loquebantur. Denicq; in Exodo coccum pro igne collocatũ est. Non enim ex cocco mundus, sed ex quatuor constat elemẽtis. Sed in cocco figura ignis expressa est, cuius uapor nisi cœlũ atq; aerẽ, maria, terrasq; penetraret, omnia tanq; effœtis uiribus soluerent. Per restículam igitur uinculum persuasionis agnoscimus: per coccum uel cupiditatis ardorẽ qui scintillat in animis audientiũ, uel indicium passionis. Vnde et alibi ait sponsa: Labia eius lília stillantia myrrham plenam. Per myrrham enim passionis unguentum, et resurrectionis gratia declaratur, quæ rediuiuum uitæ odorẽ suscitatis mortuorum uisceribus infundit. Meritò igitur alloquij eius accipiens suauitatẽ exclamans sponsa testatur: Fauces eius dulcedinis, & totus desiderium. Iuuenis sum ego & despectus, iustificationes tuas non sum oblitus.] Multis sanctorum qui à prima adolescentia exercitati sunt duris laboribus, potest hic uersiculus conuenire. Nam & Ioseph cum à fratribus iunior in Aegyptũ uenderetur, iunior erat & despectus, qui ad seruitutis iniuriam uendebatur, & postea cũ productus è carcere, præpositus Aegypto, populis frumenta diuideret, fratribus uicẽ iniuriæ non referret, sed refuso precio alimenta donaret, senilem patris à fame atq; ieiunio uindicaret ætatem, curruq; summisso obuius, & famulantibus cæteris amplæ potestatis insignibus adoraret, iure dicebat: Iuuenis ego sum et despectus, iustificationes tuas non sum oblitus. Ipse Dauid quoq; iunior fratribus, cum patris oues pasceret tanq; uili ab-

Hier. 20
Luc. 24
Ioan. 15
Exod. 3
Dan. 3
Heb. 4
Soph. 1
Cant. 4

legatus

legatus obsequio, nõ oblatus est sacerdoti, quasi indignus qui ungeret̃ in regnũ, sed à sa
cerdote quæsitus, & accersitus à pascuis, prærogatiuam regiæ unctionis accepit. Postea
quoq; progressus ad bellũ, cum Golias totũ populum Iudæorũ corporis sui mole despi
ciens, singulari certamine prouocaret, timentibus cæteris poposcit à rege ut cõgredien
di sibi permitteret facultatẽ. Necdũ quidẽ tanto certamini habilis ęstimatus est, rege di-
cẽte: Nõ potes ire ad Allophylũ, & pugnare cũ eo, quoniã tu puer es, & ille uir bellator 1. Reg. 7
est à iuuentute sua. Neq; esset admissus, nisi fecisset fidẽ quòd in sua adolescẽtia leonem
suis manib. strangulatũ extractis raptæ ouis cruribus peremisset. Ipse etiã despectus ab
Allophylo, q̃ aduersus armatũ præliatorẽ cum uirga & lapidib. processisset, retulit non
uiribus se fretũ esse, nõ armis, sed in nomine domini confidentẽ ad præliũ esse progres-
sum, ut lacessitæ plebis auferret opprobriũ. Hic ergo iuuenis atq; despectus strauit Allo
phylum, potitusq; uictoria, in decẽ millibus iuuencularũ psallentiũ testimonia triũpha-
uit. Gerebat enim typũ eius qui quasi despectus uenturus esset in terras, & sine legato,
sine adiutore, sine nuncio totũ populũ mundi huius, crucis suæ prælio liberaret: cui ap-
plauderent animæ sanctorũ, per baptismatis sacramenta renouatæ, q̃ uerũ illum Goliã
reuelatũ nobis ac proditũ uerbi sui gladio trucidasset. Iacet igitur uerus Golias humi-
litate filij dei stratus, amisit caput, quod in multas artes uertebat & fraudes. Psallũt secu-
ræ iam animæ, quæ antè peccatorũ suorũ tormenta deflebant. Dicunt tympanis, hoc est
corporibus suis peccato mortuis resultantes: Saul triumphauit in millibus, Dauid in de Ibid. 18
cem millibus. Rex ille durus indignat̃ & irascit̃ diabolus, eò q̃ canerent iuuẽculæ: quia
duritiæ filius paucos decepit, Christus totũ mũdũ redemit. Dicit ergo Christus natus ex
uirgine: Iuuenis ego sum & despectus, iustificationes tuas nõ sum oblitus. Dicit etiã po
pulus nationũ ille in prima lectione despectus rudis adhuc fide & studio primæuæ de-
uotionis adolescens, uel certe renouatus aquilæ iuuentute per baptismatis sacramenta,
Iuuenis ego sum & despectus, iustificationes tuas nõ sum oblitus. Ille ego despectus an
tè iam præferor, iam anteponor electus. Ille antè despectus populus peccatorũ, habeo
cœlestiũ sacramentorũ ueneranda cõsortia. Iam mensę cœlestis honore suscipior, epu-
lis meis nõ pluuia udatur, nõ terræ partus laborat, nõ arborũ fructus. Potui meo non flu
mina quęrẽda, nõ fontes, Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro dei cibus mihi,
& dei sanguis est potus. Nõ iam ad satietatẽ mei annuos expecto prouẽtus, Christus mi
hi quotidie ministrat̃. Nõ uerebor ne qua mihi cœli intẽperies, aut sterilitas ruris immi-
neat, si pij cultus diligẽtia perseueret: nõ iam coturnicũ pluuias mihi opto descendere,
quas antè mirabar: nõ manna quod ante cibis omnib. præferebã, quia qui manna man-
ducauerũt patres, esurierũt. Meus cibus est, quẽ si quis manducauerit, nõ esuriet. Meus
cibus est, qui nõ corpus impinguat, sed cõfirmat cor hominis. Fuerat mihi antè miran-
dus panis de cœlo. Scriptũ est em̃: Panẽ de cœlo dedit eis manducare. sed nõ erat uerus
ille panis, sed futuri umbra. Panẽ de cœlo illũ uerum mihi seruauit pater. Mihi ille panis
dei descẽdit de cœlo, qui uitã dat huic mũdo. Nõ Iudæis descẽdit, nõ synagogæ descen Ioan. 6
dit, sed Ecclesiæ descẽdit, sed populo dei iuueniori descẽdit. Nã q̃modo Iudæis descẽdit
panis qui uitã dedit, cũ omnes qui illũ panẽ manducauerũt, hoc est manna, quẽ putaue-
runt Iudæi uerũ panẽ, in deserto mortui sunt? Quomodo synagogę descẽdit, cũ synago
ga omnis interierit, & æterno ieiunio fidei macerata defecerit? Deniq; si accepissent pa
nem uerũ, nõ dixissent: Dñe, semper da nobis panẽ hunc. Quid petis Iudæe, ut tribuat ti
bi panẽ quẽ dat omnibus, dat quotidie, dat semper? In teipso est ut accipias hunc panẽ.
Accede ad hunc panẽ, & accipies eum. De hoc pane dictũ est: Omnes qui elongant se Psal. 72
abs te, peribũt. Si elongaueris ab eo, peribis: si appropinquaueris ad eũ, uiues. Hic est pa
nis uitæ. Qui ergo uitã manducat, mori nõ potest. Quomodo em̃ morieť, cui cibus uita
est? Quomodo deficiet, qui habuerit uitalẽ substantiam? Accedite ad eũ, & satiamini,
quia panis est: accedite ad eum & potate, quia fons est: accedite ad eũ & illuminamini,
quia lux est: accedite ad eũ & liberamini, quia ubi spiritus domini, ibi libertas: accedite 2. Cor. 3
ad eũ & absoluimini, quia remissio peccatorũ est. Qui sit iste, quæritis? Audite ipsum di
centẽ: Ego sum panis uitæ: qui uenit ad me nõ esuriet: & qui credit in me, nõ sitiet unq̃. Ioan. 6
Audistis eum, & uidistis eum, & non credidistis ei, ideo mortui estis: uel nũc credite, ut
possitis uiuere. Sed miramini Moysen, quia patres uestros per mare siccis duxit uesti-
gijs.

gijs. Moyſes non imperauit, ſed impetrauit. Nõ iuſſit mari, ſed ſeruiuit iubẽti fluctibus. Moyſen laudatis, quia regẽ Pharao cum exercitu ſuo merſit. Moyſes orabat, & alius impetrabat. Moyſes precabat, Chriſtus operabat. Moyſes fugiebat, Chriſtus inſequebat. Moyſes columnam ſequebat, ut nocturnas tenebras declinaret, Chriſtus illuminabat. Moyſen agnoſcis, quia aquæ amaritudinẽ temperauit. Moyſen agnoſcis; qui aquã pro duxit de petra: Chriſtũ non agnoſcis, qui ueri illius Aegyptij regis ſtrauit exercitũ, & abyſſi merſit profundo. Qui nos liberat quotidie de mundi huius fluctibus, ne nos ſeculi huius procella demergat. Quid profuit patribus tranſire per mare rubrũ, quib. ad terram repromiſſionis non licuit peruenire? Quicũq; enim exierũt de Aegypto, perierunt in deſerto. Mortuus eſt Aaron, mortua eſt Maria, mortuus eſt & ipſe Moyſes: ſolum le ſum Naue nominis ſacri ſimilitudo ſeruauit. Plaudat Iudæus, quia ſitiẽti illi undam ſaxa uomuerũt, mihi de corpore dei fons fluxit æternus, meas amaritudines bibit Chriſtus, ut mihi ſuæ donaret gratiæ ſuauitatẽ. Dicit ergo populus Chriſtianus: Iuuenis ego ſum, & deſpectus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Bene hoc dicit, qui iuſtificauit deũ baptiſmatis ſacramentis. Qui enim baptizat, iuſtificat deũ, quia peccata propria confitet, & à dño ſuorũ prẽſtolat indulgentiã peccatorũ. Iuſtificauit Dauid, qui ait: Tibi ſoli peccaui, & malũ coram te feci, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis. Non iuſtificauerũt deũ phariſæi, qui baptizari Ioannis baptiſmo noluerunt, ut in Euangelio legiſti. Non ſolũ iuſtificare ſatis eſt, ſed etiã non obliuiſci iuſtificationũ dei, id eſt, ut intemerata gratiæ ſpiritalis dona cuſtodiat, & ſacræ remiſſionis munera illibata atq; indefeſſa conſeruet. Hæc generalia. Sed etiã ſpecialis ſingulis Chriſtianis ſuppetit prærogatiua dicendi: Iuuenis ego ſum, & deſpectus, ſi humilis corde, ſi mitis atq; manſuetus. Dicat ergo: Iuuenis ego ſum, & deſpectus. Præmittat ætatis generalẽ iactantiam, quo plus cõmendet humilitatis ſuę gratiã. Nõ mirabilis humilitas in ſenectute, quæ effœta uiribus, fracta debilitatibus, triſtis doloribus, anhela ſuſpirijs, cocta curarũ æſtibus, & ipſo uiuendi mœſta faſtidio, alacritatẽ eſt oblita iactantiæ. Rara ſanè in iuuenibus eſt humilitas, ideoq; miranda. Dum ætas uiget, dum uires ſolidæ ſunt, dum ſanguis ęſtuat, dum ſolicitudo neſcit, dum ignoratur debilitas, dum lętitia frequentat, tunc feruet iactãtia, tunc ſe iuuentutis ſuperbus extollit affectus, tunc humilitas quaſi uileſcit, abiecta contemnit: tunc ſubiectio, degeneris conſcientiæ æſtimat eſſe infirmitas. Grandis igit morũ eſt aſſuefaciẽda maturitas, quæ uincat naturã. Deniq; ſi conſideremus, in paradiſo defecit humilitas, et ideo uenit e cœlo. In paradiſo orta eſt inobediẽtia, & ideo obedientia cũ ſaluatore deſcẽdit. Inflabat caro, unde ſubiectio mãſuetudinis inueniri nõ poterat in terris. Intumuerat omnis prę ua ricatoris hæreditas. ueniẽs dñs Ieſus primũ ſe exinaniuit, nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ deo, formã ſeruí ſibi accipiẽs, & ſpecie inuẽtus ut homo, humiliauit ſemetipſum factus obediẽs uſq; ad mortẽ. Nõ te moueat, quia ſcriptũ eſt, ut homo. Nõ enim ſimilitudinẽ ſuſcepit hominis, ſed ueritatẽ. Nam ipſe Apoſtolus ait alibi: Mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Et ut de Euãgelio afferamus exemplũ: Vidimus, inquit Ioannes, gloriã eius, gloriã quaſi unigeniti à patre, plenũ gratia & ueritate. Nunquid quia dixit, quaſi ungeniti, ſimilitudinẽ magis unigeniti, & ueritatẽ uoluit æſtimari? Non enim ſuperuacuo Chriſtus aduenit. Iã poteſt dicere homo: Iuuenis ego ſum & deſpectus, qui erat antè in populo priore ſenex ſuperbus. Dicit ergo, iuuenis ſum & deſpectus: quomodo Eccleſia: Nigra ſum & decora. Prẽmiſit nigrã, ut augeret decorã. Sic & hic prẽmiſit iuuenẽ, ut augeret humilitatẽ. Nõ dixit, nigra ſum decora, ne quod nigrũ eſt, decorũ ęſtimaret. Nec dixit, iuuenis ſum deſpectus: ne iuuẽtus deſpicabilis putaret. ſed ait, Iuuenis, & quod mireris, humilis, nõ ſuperbus, deiecto propior & tumenti. Sic & ibi: Nigra ſum ſuperiore peccato, ſed decora cõfeſſione peccati, & correctionis ſtudio, atq; amore uirtutis. Quamuis ergo, &, ſyllaba, ut grammatici appellant, coniunctiua ſit, habet tamen diſtinctionẽ qua cõfuſio diſiungitur ac ſeparatur: ut ſi dicas Ambroſium & Baſſum intus eſſe, duo uti intus eſſe, unus putatur. Sin autem aſſeras Ambroſium & Baſſum intus eſſe, duo utique intelliguntur. Dicat ergo: Iuuenis ſum & deſpectus, quia Chriſtus in paupere atq; deſpecto mundum redemit, quia Chriſtus humilitate diabolum uicit: Dicat: Deſpectus ſum, quia cor humiliatum deus non ſpernit, quia deſpectus ille Lazarus in Abrahę nunc requieſcit ſinu, & diues ille iactantior affligitur in inferno. Deſpectus erat Moyſes,

Pſal. 50

Philip. 2

1. Tim. 2

Ioan. 1

Cant. 1

Luc. 16

ſes, nec ſibi idoneus uidebatur, cum ad liberandum Hebræorum populum mitteretur. Deſpectus erat Ieremias: qui dicebat: Dominator domine, ecce neſcio loqui, quia iuue nis ſum ego. Sed facilius iſte deſpectus eligitur. Denicꝙ dicitur ei: Noli dicere quia iuue nis ſum ego: quia ad omnes quoſcũcꝙ miſero te adibis: & omnia quæcũcꝙ mandauero ti bi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum dicit dominus, ut liberem te. Deſpectus erat ille publicanus, qui oculos ad cœlum non audebat leuare, & ideo facilius quàm ille phariſæus exaudiebatur. Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternũ, & lex tua ueritas.] Poſſunt qui dem ſinguli facere opera iuſtitiæ, ſed non in æternum manentia. Diues ille cui abundauerunt diuitiæ in hoc ſeculo fortaſſe fecerat aliqua opera iuſtitiæ, quorum remuneratio nem in præſenti uita acceperit, quę ad uitam æternam non pertinuerint, quòd non magna fuerint opera illa, nec remuneratiõe digna perpetua. Quid quod etiãſi facimus opera aliqua iuſtitiæ, facimus tamen non continua, ſed rara? Pleriꝙ non rapiunt aliena, ſed neſciunt de proprio largiri. Alij inuadentes indebitas facultates, quo ſpeciẽ iuſtitiæ ſibi quærant, ſolent conferre pauperibus. Non eſt iſta in æternũ iuſtitia. Multi iuſti plerunꝙ grauiter deliquerunt, nõ habentes æternæ fructũ iuſtitiæ. Soli deo ſuppetit in perpetuũ per omnia poſſidere iuſtitiam, qui paſcit iuſtos & iniuſtos. Non enim beneficijs ſolis ferenda iuſtitia eſt, ſed illa uera iuſtitia eſt, quæ ipſis quoꝙ deferẽ inimicis. Meritoꝙ ait iuſtitia dei: Diligite inimicos ueſtros. Ergo ſicut in æternum eſt iuſtitia ſolius dei, ita lex dei ueritas. Sed quomodo iſtud accipimus? utrũ quia lex dei ueritas eſt, hoc eſt uera: & quod ſtatuit deus, omne uerũ eſt, ſicut infrà ait: Omnia pręcepta tua ueritas? An quia ueritas lex dei eſt, quia non mentiẽ deus? Apud eum igitur ueritas lex eſt, fallacia præuaricatio eſt. Sed & ſic poteſt accipi: Lex dei ueritas eſt. Apud Iudæos ergo non eſt lex Dei, quia non recipiunt ueritatẽ. Lex dei ſpiritalis eſt, ſicut Apoſtolus dixit. Nõ habẽt ergo ueram legẽ, qui eam non acceperint ſpiritaliter. Quod aũt non uerũ, mendax eſt: quod mentitur, occidit. Litera ergo quæ occidit, mentiẽ: ſpiritus qui uiuificat, uerus eſt. Accipiamus & ſic: Lex dei, non typus, non umbra, non exemplar cœleſtiũ, ſed ipſa cœleſtia. Vnde & ſcriptũ eſt, Quia finis legis eſt Chriſtus. Nõ defectus uticꝙ, ſed plenitudo legis in Chriſto eſt: quia uenit legẽ non ſoluere, ſed adimplere. Sicut enim teſtamentũ uetus uenit nõ ſoluere ſed implere, ita nouum certificare. Sed ſicut omnis ueritas in nouo eſt Teſtamẽto, ita & lex per Moyſen data, figura legis eſt ueræ. Ergo illa lex ueritatis exemplar eſt. In exẽplari enim agni ſanguis effundiẽ, in ueritate Chriſtus immolaẽ. Meritoꝙ Apoſtolus cũ præmiſiſſet uitulorũ immolationẽ ſecundũ legẽ, adiecit: Neceſſariũ itaꝙ eſt exemplaria cœleſtiũ his mundari. nam ipſa cœleſtia meliorib. hoſtijs. nõ enim in manufacta ſancta intrauit Chriſtus exemplaria uerorũ, ſed in ipſum cœlũ, & nunc apparet uultui dei pro nobis. Vt cognoſcamus aũt quia legẽ nouã dedit dñs Ieſus, habes dicentem ſpiritũ: Hoc aũt eſt teſtamentũ quod teſtabor ad eos, dicit dñs, dando leges meas in cordibus eorũ, & in ſenſibus eorũ ſcribam eas, & peccati & iniuſtitiæ eorũ non ero memor. Vbi ergo remiſſio, iam non oblatio pro peccatis. Quo euidenter oſtendiẽ omnem ueritatẽ Euangelio contineri, quia lex dei in ſenſibus hominũ & in cordibus ſcribẽ, nõ in tabulis lapideis. Qui ergo præcepta dei non habent in cordibus ſuis, non habent legem, ſiue quia inueteratur in Iudæis, renouatur in nobis, umbra eſt, non ueritas: ut cum fiat oblatio pro peccatis ſecundũ legẽ, nõ fiat remiſſio peccatorũ. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorũ & hircorũ peccata mundari. Mendax ergo erat illa remiſſio, donec re millionis ueritas adueniret. Quid inde manifeſtius, cꝙ Ioannis Euangeliſtę ſentẽtia, qui ait: Quia lex per Moyſen data eſt, gratia aũt & ueritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt?

* legis retulit ueritatem. Nam cum ſit aũt, diſiunctio, intelligendũ eſt diſiunctio nem ideo interpoſitam, quia ſi ueritas fuiſſet in lege, non fuiſſet gratia facta per Chriſtum. Poſſumus & ſic intelligere: Veritas Chriſtus eſt, ergo ueritas lex eſt. Et ſi mandatum Domini lex eſt, multo magis uiuum & operatorium uerbum Dei lex eſt. Tribulatio & neceſſitas inuenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.] Quærunt tribulationes & neceſſitates iuſtum, & interdum inueniunt, interdũ non inueniunt eum. Inuenitur, cui corona debetur: non inuenitur, qui idoneus certamini non probatur. Tribulatio igitur uelut quędam gratia eſt. Denique ſacrificium deo ſpiritus contribulatus.

Hier. 2

Luc. 18

Matt. 5

Rom. 10

* Ex ueſtigijs Græcorũ elemẽtorum nihil potuit diuinari. ex ſenſu probabile eſt fuiſſe ſcriptum ἓλαττ' ἀντὶ ἀπολύσεως. aut ἓλαττ' ἐν ἀντιθέσει. & legi legendũ arbitror. Siquidẽ Ambroſius retulit dixit pro reddidit ſiue oppoſuit. Et cõtraria contrarijs reddi ſiue referri inter ſe dicitur. Sic duo exemplaria, ἔλιπε πρὸς ἀντίθεσιν.

Annon

An non est gratia, quæ operatur patientiam? Qui ergo nouerat tribulationis profectũ esse: quæsitus à tribulatione, inuentus est, nec refugit. Dicit sapientia: Quærent me mali, & non inuenient. non quia dominus nolebat inueniri ab hominibus, qui se omnibus etiam non quærentibus offerebat, sed quia his operib. quęrebatur, ut indigni essent qui quærerent inuenire. Cæterùm Simeon qui eum expectabat, inuenit. Inuenit Andreas: denique ait ad Simonem: Inuenimus Messiam, quod interpretatur Christus. Philippus
Ioan. 1 quoq; dixit ad Nathanael: Quẽ scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, qui est à Nazareth. Et ut ostenderet quemadmodum Christus inueniret, ait: Veni & uide. Qui ergo Christum quærit, ueniat non corporis gressu, sed mentis uestigio. uideat eum non exterioribus oculis, sed internis. Aeternus enim corporalib. non uidetur aspectibus, quoniam quæ uidentur, temporalia sunt: quæ autem non uidentur, æterna. Christus igitur non temporalis, sed ex patre ante tempora quasi deus uerus Dei filius, & quasi uirtus sempiterna supra tempora est, quem nullus temporum finis inclu-
Rom. 6 dat, quasi uita supra tempora, quem nunquã dies mortis inueniat. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. quod aũt uiuit, uiuit deo. Audis quid dixerit hodie Apostolus? Peccato, inquit, mortuus est semel. Semel tibi peccatori mortuus est Christus. Noli iterum peccare post baptismum. Omnibus in commune semel mortuus est, & singulis semel moritur, non frequenter. Peccatum es ô homo. ideo peccatum fecit Christũ suum omnipotens pater. Hominem fecit, qui peccata nostra portaret. Mihi ergo peccato mortuus est dominus Iesus, ut nos in illo essemus iustitia dei. Mihi est mortuus, ut mihi resurgeret. Semel est mortuus, semel resurrexit, Et tu cum illo mortuus, cum illo sepultus, cum illo in baptismate resuscitatus, caue ne cum mortuus fueris semel, moriaris secundo. Chri-
Ibidem. stus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors in eum iam non dominabitur. Ergo mors dominata est in eum. Vtiq; qui dixit, non dominabitur, ostendit esse dominatam. Noli rantum amittere beneficiũ ô homo. Propter te Christus dominationi mortis se subdidit, ut te iugo dominationis exueret. Ille suscepit mortis seruitutem, ut tibi tribueret uitæ æternę libertatem. Qui quærit ergo Christum, quærit & tribulationẽ, quærereturtribulationem & ipse quęsiuit. Non nisi quæsisset, non inuenisset. Quod inuenerit autẽ, ipse
Psal. 114 testatur dicens: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui. Et alibi:
Ibid. 117 In tribulatione inuocaui dominũ, & exaudiuit me in latitudine. Bona ergo tribulatio, quę dignos facit nos qui in latitudine exaudiamur à domino. Gratia est autem exaudiri à domino deo nostro. Qui quærit igitur tribulationem, non refugit: qui nõ refugit, inuenitur. Non enim refugit, qui mandata dei sensu operibusq; meditatur. Nam utiq; illũ athletam certamina inueniunt, qui in usu exercitij fuerit constitutus. qui uero exercitiũ dereliquerit, sine dubio non poterit reperiri, quia indignus est ut quæratur. Dauid ergo quasi bonus athleta dicit: Tribulatio & necessitas inuenerunt me, quia paratum semper habuerunt, non refugientem necessitatum & tribulationum prælia, sed petentem. Iu-
sta testimonia tua in æternum, intellectum da mihi eorum, & uiuifica me. Quis tantus qui possit intelligere domini testimonia? Et ideo intellectus à domino postulandus est, cuius tanta est uis, ut initium eius sit plenitudo uirtutis. Deniq; scriptum est: Pietas autẽ in deum, initium intellectus. quæ uirtutum omnium fundamentum est, iuxta humanarum rerum & cœlestium disciplinam. Pietas amica deo, parentibus grata, dominũ conciliat, necessitudines fouet, dei cultura est, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, iustorum tribunal, egenorũ portus, miserorum suffugium, indulgẽtia peccatorum. Qui enim habet intellectum, ipse uerè est pius. Intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, & cito ignoscit erranti. Intelligit commune nobis datum naturę, ususcq; consortium, & ideo pauperibus tanquam debitum soluit, non inficiatur tanquam indebitum. Intelligit uices esse calamitatum, & ideo tanquam naufragijs mundi istius portu quodam suę humanitatis occurrit. Hæc perfecta uirtus in hominibus, hæc plena in deo laus est. Meritò intellectum sibi etiam Salomon, magisterium secutus paternum, à Do-
3. Reg. 3 mino postulauit, dicens: Ego sum puer humilis, & ignoro introitum meum, & exitum meum, & seruus tuus in medio populi tui quem elegisti, populum multum sicut arena maris

maris, qui dinumerari non poteſt præ multitudine, & dabis ſeruo tuo cor prudens audi re & iudicare cum iuſtitia populum tuum, & intelligere inter bonum & malum. Vnde complacuit domino, quia non ſibi longæuitatem uitæ, & regalium diuitiarum copias, ſed ſapientiam ad intelligenda domini iudicia & iuſticias depopoſcit: & ideo tantũ populum regno pacifico gubernauit, quia non uſurpauit ut Adam boni & mali ſcire diſtãtiam, ſed intelligendæ eius gratiam orauit à Chriſto. Quòd enim ſcire diuinum eſt, hoc à domino deo tuo ut poſſis cognoſcere promerendũ eſt. Si petiſſet & Adam ſicut petiuit Salomon, nequaquam illos inextricabiles erroris laqueos incidiſſet, quibus omnis eius hæreditas ſtrangulatur. Ideoq; mortuus eſt, & quod grauius eſt morte peccati, quia antè uſurpauit ſcire, quàm intellectum quo uiuificaretur acciperet. Viuificat ergo intellectus ut ſpiritus, quia ipſe intellectus gratia ſpiritalis eſt: ideoq; intellectũ munere ſuo ſpiritus ſanctus operatur. Intellectus autẽ bonus eſt omnibus qui eum faciũt. quo docemur, quia nõ ſolum ſenſu cõplecti, ſed etiã factis id qd' intelligimus exequi debeamus.

SERMO XIX.

KVph, cuius interpretatio eſt concluſio, & ſicut alibi inuenimus, aſpice. Diſtat litera, congruit ſenſus. Nam qui concluditur, circunſpicere ſe debet, & cauſam periculi non diſſimulare, maxime cum letale diſcrimen ſit. Concluditur unuſquiſq; tumeſcentibus uiſceribus, internis ue faucibus, cum intercluſo ſpiritus commeatu, ſpirandi ac reſpirandi commercia coartantur. Concluditur fœmina cum fit peridrome matricis, qua pectoris ipſius premitur principale, unde graues oriuntur anguſtiæ, & niſi in locum ſuum illa recipiendorum ſeminũ aula reuocetur, uitam conſueuit excludere. Ita etiam qui animo angitur, & quibuſdam aduerſis imminentibus perurgetur, concludi dicitur non minoribus anguſtijs mentis quàm corporis. Maiores enim animæ æſtus febresq; ſunt animorum quàm corporum. Concluſus igitur uiſcerũ tumore, medicum quærit ut poſſit propulſare periculum, & conſtricta laxare. Veniens medicus tentat omnia, explorat interna. Et tu ergo concluſus animi feruore, aſpice teipſum interiore oculo. Morbi uis urget, feruet noxia conſcientia, moles peccatorum premit, intercipiunt ſenſum mentis anguſtiæ: cognoſce teipſum, & orationis quære medicinã, poſce ut ueniat medicus ille qui deſcendit è cœlo, qui maxime ægrotos requirit, ſicut ipſe ait: Non opus eſt ſanis medico, ſed ijs qui male habent. Habes uulnera? ne differas. non eſt apud eum ulla comperendinatio ſanitatis. Habes ulcera? ne timeas, uerbo non ferro curare conſueuit. Aſpice igitur illis oculis quibus Dauid auxilium quęſiuit & meruit. Leuaui, inquit, oculos meos ad montes: quæſiui unde mihi ueniret auxilium. Non inueni niſi à domino. Qui enim mundum condidit, tuetur accolas mundi. Aſpice ergo, & ſemper aſpice, quia iuſti oculi ſemper ad dominum. Hoc monet te etiam Hieremias in Threnis ſub hac ipſa litera, dicẽs ad Hieruſalem: Surge: expergiſcere in nocte, in principio uigiliæ tuæ effunde ſicut aquam cor tuum coram facie domini, extolle ad dominũ manus tuas pro animabus paruulorum tuorum qui deficiunt à me in plateis omniũ itinerum. Nonne & apertæ concluſionis oſtendit anguſtias, & monet ut intentione cordis, in quo eſt oculi melioris obtutus, remedium tibi ſalutare prouideas? Deniq; etiam infrà iterum ſub hac litera ait: Appropinquauit tempus noſtrũ, repleti ſunt dies noſtri, aduenit finis noſter. Leues facti ſunt qui perſecuti ſunt nos, ſuper aquilas cœli. In montibus accenſi ſunt, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Demonſtrauit ſummam concluſionem, nec ullum remedium niſi in aduẽtu domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſolus deſperatis poſſit afferre medicinam. Et quaſi oſtendens eum, dicit: Spiritus ante faciem noſtram, Chriſtus dominus comprehenſus eſt in interitu noſtro. In umbra eius uiuemus inter gentes. Et infrà: Bibes, inquit, & inebriaberis. Adhuc uiſitabit iniquitates tuas, reuelabit ſuper peccata. Quàm breuiter aduentum & paſſionem eius expreſſit, remiſſionemq; omniũ peccatorum, quàm aperte congregationem futurarum gentium declarauit. Hinc illud Apoſtolicum, quia cæcitas ex parte Iſrael contigit, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Veni domine Ieſu, ſed iam non in umbra, ſed in ſole iuſtitiæ. Si umbra profuit, ſi paſſionis tuæ umbra protexit, ſi corporis umbra ſaluauit, quantum conferre poterit claritas aperta uirtutis? Per umbram lepra curata eſt, per umbram quoq; illius fœminæ quæ fimbriam ueſtis dominicæ attigit, ſanguis ſtetit, per umbram

Matth. 9
Pſal. 120
Thren. 2
Ibid. 4
Rom. 11
Matth. 9

te uidimus, quando nõ habebas ſpeciem neq; decorẽ. Vmbra tua caro fuit, quæ noſtrarum æſtus refrigerauit cupiditatum, quæ compeſcuit inſolentiam uitiorum, quæ reſtinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuerſarumq; paſſionum incẽdia temperauit. & quid dicam de umbra domini, quando & apoſtolorũ umbra ſanabat? Veniẽte etenim Petro unuſquiſq; offerebat ægros ſuos, quos tranſeuntis apoſtoli umbra reddidit ſanitati. Audi quia caro domini umbra erat. Ecce dñs ſedet ſuper nubem leuem, & ueniet in Aegyptum. Dauid dicit: Sub umbra alarum tuarum protege me. Factus eſt igitur exinanitus umbra nobis, quos ſol iniquitatis exuſſerat. Vidimus ergo eum in umbra eius, cum adhuc fides prima procederet. Sed nunc iam totum illuminat mundum, & tamen adhuc eum per ſui corporis, quę eſt Eccleſia, umbram uidemus, nondum facie ad faciem. Neq; enim oculi corporis diuinitatis poſſunt recipere fulgorem. Hæc quoq; umbra totũ quotidie protegit orbem terrarum. Profuit igitur concluſio: Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereat. Sed iam conſideremus quid in concluſione dicendum ſit, & unde incipiendum. Exclamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtitias tuas requiram.] Cum impreſſiones patimur corporales, exclamare cõſueuimus, ut alios ad præſidiũ nobis uocare poſſimus. Premebatur ſanctus propheta appropinquantibus ſibi perſecutoribus. Saul primo infeſtus armato eum inſequebat exercitu, poſtea parricida filius imminebat: non contentus fugientis exilio, uitam patris quærebat eripere. Sed ab illis minus pati poterat quos in præſenti uidebat, quàm ab alijs quos non uidebat. Eſt enim colluctatio ſanctis non ſolum aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed etiam aduerſus principatus & poteſtates huius mundi, rectoresq; tenebrarũ, qui latrõnũmodo in iſtius ſeculi nocte humanis inſidiant affectibus. Horum igitur ſanctus Dauid cũ graues aduerſum ſe uideret fieri incurſus, exclamauit in toto corde ſuo. Etenim aduerſus diabolum non uocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis utendum eſt. Eſt tamẽ & uox cordis, quia eſt & uox ſanguinis, quæ ad deum peruenit. Deniq; deus dicit: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me. Clamat ergo cor noſtrum, non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, concentuq; uirtutum. Grandis fidei clamor. Denique in ſpiritu adoptionis clamamus Abba pater, & ipſe ſpiritus dei clamat in nobis. Magna uox iuſtitiæ, magna eſt caſtitatis, per quam & mortui loquuntur: nec ſolũ loquunt, ſed etiã ſicut Abel clamant. At uerò iniuſti anima nec uiuens clamat, quia deo mortua eſt. Nihil in illa ſublime, nihil magnificum eſt, quale eorum quorum ſonus in omnem terram exiuit, & uerba in fines orbis terrarũ. Gracili uoce loquebat Moyſes, & plus omnib. audiebat. Quotidie audit in Eccleſia: ab illis ſolis, hoc eſt, à Iudæis non auditur, qui aure audiunt, ſed corde non audiunt. Prophetę dicitur alteri: Exalta uiribus uocem tuam. Anna tamẽ non clamabat in corde ſuo ſicut Moyſes, ſed loquebatur, fortaſſe quia filios poſtulabat, hoc eſt, bona quidem, ſed priuata, nõ publica clamabat. Sed quia à domino poſtulabat quæ domino eum ſi quem ſuſciperet offerebat, loquebatur deo. Clamabat aũt Moyſes, quia non pro ſe, ſed pro omni populo precabat. Vnde dictum eſt ei à domino: Quid clamas? Clamabat affectu pio, & ſenſu profundo, & perſonabat in cœlo, miraculis petens digna cœleſtibus, ut mundi elementa mutaret. Deniq; ut ipſius loci ſeriem recenſeamus: Inſtabat Pharao, & innumeris Aegyptiorũ ſtipatus curribus urgebat Hebræos, hinc circumfuſus hoſtis, inde interfuſum mare plebem dei clauſerat. Nulla in armis fiducia, ſpes nulla in uiribus. Strepebat tantummodo querela miſerabilis, quod cõmodius ſibi foret dura in Aegypto ſeruitutis onera ſubire, q̃ acerba in deſerto morte conſumi: querela nihil præſidij ferens, plurimũ offenſæ afferens. Stabat ergo Moyſes mœſtus, ſolicitus, anxius populi & periculis & querelis, expectans fidem cœleſtiũ promiſſorũ: & tacitus ſecum ipſe uoluebat qua tandem dominus ope, iniuriæ immemor, memor gratiæ, ſubueniret. Dicit ad eum dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, uocem eius agnoſco, ſilentium eius lego, clamorẽ eius in operibus deprehẽdo. Clamabat populus, & non audiebatur: tacet Moyſes, & audiebatur. Non populo dictũ eſt, Quid clamas ad me? Non enim ad deum clamabat populus, qui iniuſta & uiris indigna clamabat. Sed Moyſi dictum eſt, Quid clamas ad me? hoc eſt, tu ſolus ad me clamas, qui de me ſperas. tu ſolus ad me clamas, qui uirtutẽ meam excitas. tu ſolus ad me clamas, qui per uniuerſam terram annunciari meũ nomen expectas. Clamabat ergo Moyſes in corde ſuo, & omnis

Eſa. 19
Pſal. 16
Rom. 11
Epheſ. 6
Gen. 4
Rom. 8
Eſa. 58
1. Reg. 1
Exod. 14

omnis sapiens in corde suo clamat. Denique sapientia cum altissima prædicatione con
uocat ad craterem, dicens: Relinquite insipientiam, & quærite sapientiam. Magnę sub-
limitatis, magnæ uocis hæc prædicatio est, quæ stultis sapientiam pollicetur. Et Iesus do
minus clamabat: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Et uoce uere magna clamabat, qui Ioan. 7
uocabat homines ad regnum cœlorũ, ad illũ uenerabilem potum quo uitæ æternæ fru-
ctus infundit. Et tu cum oras, magna ora: id est, ea ora quę æterna sunt, non caduca. Ora
quæ diuina sunt atq; cœlestia, ut sis sicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia æ-
rugo est: noli pro auro, quia metallum est: noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio
ad deum non peruenit. Non audit deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficijs, sed
audit piam uocem plenam deuotionis & gratiæ. Nõ solum ergo clamandum in corde,
sed etiam in toto corde clamandum est. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, cũ
toto ore clamatur, ita spiritaliter toto est clamandum corde, si uolumus magna referre,
& à domino quę poscimus impetrare. Hanc dominus uocem exigebat à populo, quam
populus nesciebat. Ideoq; dixit dominus: Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum Matth. 15
longe est à me. Qui ergo appropinquauerit corde, ipse audit à domino. Cor ergo prius
clamet, ut sermo possit audiri. Sed non satis est clamare ad dominum, sed etiam iustitias
eius exquirere. Exquirit aũt iustitias, qui id quod in omnibus creaturis, & maxime in a-
nimantibus rationabilibus uel etiam irrationabilibus insitum est, prouidentiæ ascribit
diuinæ. Vnde turturi studium pudicitiæ, quę compare amisso, concubitui indulgere nõ
nouit, quod homines seruare non possunt? Vnde pleriscq; animantibus tam sobria par-
tus cura seruandi, ut ubi conceptionis munus agnouerint, coitum non putent esse repe
tendum, ne receptorum seminum fiat adulterina permixtio? Phœnix coitus corporeos
ignorat, libidinis nescit illecebras, sed de suo surgit rogo sibi auis superstes, ipsa & sui hę
res corporis, & cineris sui fœtus. Aquila ne degeneres partus nutriat, diligẽti librat exa
mine, & adhuc teneros fœtus pio ungue suspendit, solisq; offert radijs, ut si forte oculos
suos ui fulgoris inflexerint, tanquam degeneres laxato in præceps ungue dimittat. sin
uerò naturæ uigore constanti aduersum radios solis obtutũ potuerint uindicare, dignæ
indolem sobolis onere grato reportet. Volatilia cœli omnia non serunt neq; metunt, &
deus pascit illa, quia iustitias domini custodiunt, nihil sibi proprium uindicando, sed li-
gno fructifero, quod domini indicio cõmunem ad escam datũ est, famem releuare con
tenta. Ex his igitur nos cognoscimus cũ diuinæ subsidia prouidentiæ hominibus nõ de-
essent, si dei iustitiam seruare uellemus. Qui alit aues, non aleret homines quos ad ima-
ginem & similitudinẽ sui fecit? Nónne pluris sumus illis? Naturæ prærogatiua pluris su
mus, sed inferiores diminutione gratiæ, & præuaricationis iniustitia. Clamaui ad te, sal
ua me, & custodiam testimonia tua.] Repetit quòd ad deum clamauerit, & custodem
se promittit cœlestium statutorũ, quę cœlo terraq; testibus dominus deus sanxit, ut prę-
uaricatores elementorum testimonijs arguant. Quomodo cœlum aspiciat præuarica-
tionis suę conscium? Quomodo fructus de terra expectet, quæ nouit ingratos? Vide
igitur quàm non parua promittat propheta. In clamando fidelis & promptus affectus
exprimitur, in custodiendo testimonia tua, continentiæ uirtus, obsequij sedulitas decla
ratur. Anticipaui in maturitate, & clamaui: in uerba tua speraui.] Græcus οὐ ἀωρία di-
xit, quod est, ante horam, ante tempus. Qui ergo dominum deprecatur, non uelut præ-
scripta præcipue tempora præstoletur, nesciens in obsecrationibus domini tempus esse
aliquod, sed semper in ipsis sit. Siue manducamus, siue bibimus, Christum annũciemus, 1. Cor. 10
Christum rogemus, Christum cogitemus, Christum loquamur, in corde nostro semper,
semper in ore sit Christus. Sed fortasse dicas: Quomodo scriptũ est: Tempus omnibus, Eccles 3
& tempus omni rei sub cœlo est? Sed dominus Iesus supra cœlum est, nullo circumscri-
ptus est tempore. Claudat os suum Arriana perfidia. Tempus, inquit, omni rei sub cœ-
lo: quanto magis sub deo tempus, non supra deum? Generatio ex patre non habet tem-
pus. Neq; enim opus ante autorem, sed author supra operis exordium. Fortasse obijciãt
quia dixit: Tempus meum nondum aduenit. Et iterum dixit: Pater uenit hora. Sed hæc Ioan. 7
hora est passionis. Est etiam tempus uirginalis conceptionis. Ecce uirgo in utero acci-
piet. Quia uirgo sub tempore, & ideo præscripta ætate concepit. Qui rogat itaq; sem-
per roget: & si non semper precatur, paratum semper habeat precantis affectum. Perno

Luc. 6 ctabat in oratione dominus Iesus, non indigẽs precationis auxilio, sed statuens tibi imi
tationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, ut tu disceres quomodo pro te roga
res. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi suprà dicentem prophetam: Media nocte
surgebam ad confitendum tibi. Et tu surge uel media nocte, si nõ potes tota semper no-
cte uigilare, ut dum oras nocte, ueri solis pectori tuo splendor irradiet: quia omnis ani-
ma quæ Christũ cogitat, in lumine semper est. Dies lucet tibi, Christus aspirat. Sed quia
sequens uersiculus de tempore precandi euidenter expressit, in isto uersiculo actuũ ma
gis operumq́ arbitror quàm orationis tempus intelligendum. Præcurrit ætatis maturi-
tatem quisquis in adolescẽtia positus senilem grauitatem induit, & iuueniles annos ue-
terana quadam continentia regit, feruoremq́ uirentis corporis incana morũ maturitate
componit. Nam quid potest habere laudis, si effœtum corpus uoluptatibus, & iam sene
ctutis gelu frigidum, ad sera deuotionis officia deposito iam segnior uigore conuertat?
Non est corona, nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis. Ad quam rari attingere pos
sunt, nec omnes qui ingressi fuerint stadiũ, peruenire. Ille laudabilis, cui est in seipso an-
te certamen, qui carnem suam reluctantem sibi mentis coercet imperio, parca frugalita
te castigat, & seruituti redigit, ne effrenata libertate luxuriet, atq́ indomita feruens cupi
ditate habenas animi regentis abrumpat. In hora est ergo senex, si munia sobriæ maturi
tatis exerceat: ante horam præcurrens iuuenis, si senili pondere incentiua cõprimat uo-
Thren. 3 luptatum, ac feruentes illecebras cupiditatis extinguat. Bonus est enim dominus susti-
nentibus, Hieremias dicit. Et bonum est uiro qui graue portauit iugum à iuuentute, se-
debit singulariter, & silebit, quia tulit iugum uerbi. Qui enim à iuuentute iugum porta-
uerit, & habenis maturi moderaminis teneriora uolens colla subdiderit, sedebit singu-
lariter remotus à strepitu interpellantiũ passionum, et quietus silebit, cui necesse iam nõ
sit iurgari cum corpore, decertare cum uarijs cupiditatibus, quia tulit iugum uerbi ani-
ma quæ quærit deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuẽtutis. Vnde fortasse &
illud dominicum: Non clamabit neq́ contendet, neq́ audiet quisquam in plateis uocẽ
eius: non solum ad defensionis silentium, absolutionisq́ cõtemptum & tolerantiã pas-
sionis, sed etiam ad compressiones omnium accipere possumus corporalium uolupta-
1. Pet. 2 tum. Vnde & alibi scriptum est: Quia peccatum non fecit. Recte igitur tacebat in mor-
tis periculo constitutus, qui mortis aculeum non timebat. In uerba, inquit, tua speraui.
Græcus ἐπήλπισα dixit, quod est ad sperandum semper crescere, & spem spei adiungere.
Iustus semper sperat, & in aduersis positus, & frequentibus afflictus ærumnis desperare
non nouit, sed quo grauiora tolerauit, magis sperat, & sperandi sumit profectum, secun
Esa. 40 dum illud oraculum: Consolamini, consolamini populum meum dicit dominus. Sacer-
dotes, loquimini iustitiam in cor Hierusalẽ, consolamini eam, quia repleta est deiectio,
& solutum est peccatũ eius, quia recepit de manu domini duplicia pcecata sua. Quàm
cito dixit plenitudinem deiectionis solutionem esse peccati, & repetiuit causam conso
lationis eo maius esse reconciliationis insigne, quo numerosior fuerit pœna quàm cul-
pa. Iob tot grauatus incommodorum acerbitatibus, pio spem cumulabat affectu, discre
tam à pijs causam asserens impiorum, quorum lumen extinguitur. Lux autem secũdum
Salomonem semper iustis. Vnde colligit̃ quia iustus semper in uerba dei sperat, & spem
adijcit spei. Quod euidentius expressit Esaias, dicẽs: Tribulationem super tribulationẽ
expecta, spem super spem. Ad perlactatos & abductos ab uberibus loquebat̃, hoc est,
ad eos qui prima infantiæ alimenta transissent, cibo iam habiles fortiori. Exemplo sit,
quòd ablactatus Isaac patriarcha tantus euaserit, ut adhuc inter rudimẽta primæuæ po-
situs ætatis, nequaquam tamen gladium ferituri parentis horruerit. Plures filios habuit
Abraham, nullum ablactauit alium, sed in hoc solo fecisse legitur epulum magnum. Et
bene magnum epulum scriptura dixit, quia typus erat eius quem semper epulant̃ corda
sanctorum. Præuenerunt oculi mei mane, meditari uerba mea.] Suprà ait: Præueni εἰ
ἀωρίᾳ, hoc est, ante horas, ante tempus: hic ait, Manè, aliud significãs tempus orandi atq́
psallendi domino, ut sit illud prius secundum quod ait: Media nocte surgebam: hoc aũt
iuxta illud: Præueni orientem solem. Graue est enim, si te ociosum in stratis radius solis
orientis inuerecundo pudore cõueniat, & lux clara feriat oculos somnolẽto adhuc tor-
pore depressos. Arguit nos tanti temporis spacium, sine ullius deuotionis munere ac sa
crificij

crificij ſpiritalis oblatione feriata trãſmiſſum. An neſcis ô homo quod primitias tui cordis ac uocis quotidie deo debeas? Quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus. Occurre ergo ad ſolis ortus, ut te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc ſopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. In cubiculo meo in noctibus quæſiui quem dilexit anima mea, dicit eccleſia. Ideo meruit eum inuenire, ideo eius gratiam promereri, quia etiam in cubiculo quæſiuit. Queſiuit in noctibus, propterea copiam eius adepta in poſterioribus loquitur ad ſponſum: Veni frater meus, exeamus in agrum, requieſcamus in caſtellis, diluculo ſurgamus in uineas. Aduertis quemadmodum ſpon ſa uerbum inuitet dei, ut ueniat in terras, & tollat peccata mundi? Ager hic erat antè delegatus Adam perpetuo ſuæ poſteritatis hæredes ſtringebat exilio. Illò ergo ducit eccleſia Chriſtum, ut Adam liberet. Deinde exulibus abſolutis cœpit mundi iſtius ager idoneos habere cultores: & qui erat antè ieiunus, factus eſt uitis æternæ plantatione fœcundus. Nec tamen ſic ſpiritalibus læta palmitibus euagatur, ſed ad has uineas uocat Chriſtum, ubi pſallentes ſint & orantes, ubi noctibus ac diebus fructus innoxius perſeueret. Ibi, inquit, dabo ubera mea, ibi dederunt mandragoræ odorem. Plericq; diſcernũt quendam inter mandragoras ſexum, ut & mares putent eſſe & fœminas, ſed fœminas grauis odoris. Significat ergo gentes quæ ante fœtebant cum eſſent infirmiores: euiratа quadam imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpiſſe, poſtq; in aduentũ domini crediderunt. Legimus etiam quod mandragoras acceperit ſancta Rachel à ſorore ſua Lia, ut concederet ei illa nocte dormire cum ſancto Iacob. Mandragoras Ruben primogenitus attulerat matri ſuæ Liæ, quæ lippientibus oculis ſynagogæ figuram accepit, quia Chriſti gratiam uidere non potuit, hebetato debilis mentis obtutu. Quo declaratur, quod fructus quos antè ſynagoga à primogenito dei filio ſuſceperat, eccleſiæ conceſſit. Sed quia illius noctis potita concubitu concepit & genuit Lia ſuæ poſteritatis hæredem, impletur myſterium, quoniam credentibus apoſtolis reliquiæ Iudæorum per electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Vnde ait eccleſia: Noua & uetera frater meus ſeruaui tibi. Quis dabit te fratrem lactentem ubera matris meæ? Inueniens te foris, oſculer te, & quidem non ſpernent me. Aſſumam te & inducam in domũ matris meæ, & in ſecretum eius quæ concepit me, ibi docebis me. Habens igitur informationem noua rum & ueterum ſcripturarum, nec deſpicabilem ſe eſſe ſentiens, non ſolum orationibus in ſecreto cordis uerbum tenet, uerumetiam pſallentis chori uocibus uelut quibuſdam eum oſculis gratiæ oſculatur. Itaq; malorum granatorum, hoc eſt, diuerſorũ & innumerabilium fructuum, & præcipue fidei odoribus, gratiæ, ſapientiæ, & gloriæ, uitæq; æternæ ſubnixa diuitijs, quæ ſunt circa ſiniſtram & dexteram ſponſi, per animas ſanctas laudantium congregationũ plauſibus excitat Chriſtum, dicens: Adiurauí uos filiæ Hieruſalem, ut non ſuſcitetis & reſuſcitetis dilectionem uſquequo uoluerit. Vnde eam miratur filiæ Hieruſalem ſanctæ animæ patriarcharum & prophetarum ueterumq; iuſtorũ, uel cœleſtes potentiæ, dicentes: Quæ eſt hæc quæ aſcendit dealbata innitens ſuper fratrem ſuum? Hoc eſt talibus ſolennitatibus fulget eccleſia: & quæ antè per diem fuſca erat, iam ſplendet in noctibus & relucet. Ipſe quoq; dominus tanto munere pſallentium delectatus ait: Pone me ut ſignaculum in cor tuum, ut ſigillum in brachium tuum, quia ualida eſt ut mors charitas, durus ſicut inferi zelus tuus. Alæ eius, alæ ignis flãmæ. aqua multa excludere non poterit charitatem, & flumina non undabunt eam. Quia uidit tanta deuotionem eccleſiæ, idoneos putat eſſe iam populos qui in corde noſtro & in brachio ſignaculum eius portare poſſimus. Ipſum enim pater ſignauit deus, & qui teſtimonium eius accepit, ſignauit, quia deus uerax eſt: & ideo operantes cibum permanentem in uitam æternam, ſignati ſunt ad imaginem & ſimilitudinem Chriſti, qui eſt imago inuiſibilis dei. Sicut ergo deus uerax eſt, & tu ſigna in tuo ſenſu & opere ueritatem, ut os tuũ non loquatur mendacium: manus tuæ non operentur opera hominum, quæ ſunt fallacis iſtius mundi, ſed illa quæ dei ſunt, ut pauperibus largiantur, debiles ſubleuent, mortuos honorent tumulis ſepulturæ. His operibus charitas quæritur, ut nemo poſſit à Chriſto uel periculo mortis auelli. Vnde ille ait: Quis nos ſeparabit à Chriſto? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio? Et infrà: Confido eñ, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli. Ea

Cant. 3

Ibid. 7

Ibidem

Gen. 30

Rom. 9

Cant. 8

Cant. 2. 3. 8

Rom. 8

ſpecie etiã zelus durus eſt charitatis, & alę eius alæ ignis. Habet alas ſicut columba, ſunt
Pſal. 54 eñ pennę columbæ deargentatæ, quibus euolat qui diligit, dicẽs: Ecce elõgaui fugiẽs,
& manſi in ſolitudine. Sed alę charitatis, alæ ignis, quibus dilectiõis inflammat ardorẽ.
Matt. 4 Hoc uapore feruentes fecit dñs angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignẽ urentẽ, ſed
nõ exurentẽ. Legimus & alam tẽpli ſupra quam diabolus tentans fecit aſcẽdere ſaluato
rem, quæ erat in tẽpli culmine. Sunt ergo faſtigia pietatis, ſunt culmina charitatis, quæ
uaporẽ gratiæ pectoríb. humanis adolere cõſuerunt: ut multa aqua extinguere atq; ex-
cludere nõ queat charitatẽ, & flumina eam ſeculariũ tempeſtatũ nulla cõcludant. Cũ er
go tanta Eccleſiæ gratia, tanta nos præmia deuotionis inuitẽt, præueniamus orientẽ ſo
lem, occurramus ad eius ortus, anteq; dicat, Ecce aſſum. Vult ſe præueniri ſol iuſtiæ, &
ut præueniat expectat. Audi quemadmodũ expectet & cupiat præueniri: dicit angelo
Apoc. 2 et 3 Pergami Eccleſiæ: Age pœnitentiã, cæterũ uenio tibi. Dicit angelo Laodicię: Aemula-
re ergo, & pœnitentiã age: Ecce ſto ad ianuam, & pulſo: & ſi quis audierit uocẽ meã, &
aperuerit ianuã, intrabo ad illũ. Poterit intrare deniq;, quia nec reſurgentẽ eum cum cor
pore ullæ clauſarũ ualuarũ repagula retinere potuerũt, ſubitò ſe apoſtolicis penetralib.
improuiſus infudit. Sed ſtudia deuotionis tuę deſiderat experiri. apoſtolos eñ probatos
habebat. Aut fortè in perſecutiõe præuenit. Vbi tranquillitas eſt, prę ueniri cupit. Prę ue
Epheſ. 5 ni certè hunc quẽ uides ſolẽ. Surge qui dormis, exurge à mortuis, ut illuceſcat tibi Chri-
ſtus. Si hunc ſolẽ prę ueneris anteq; iſte ſurgat, aſpicies Chriſtũ illuminantẽ. Ipſe prius in
tui cordis illuceſcit arcano: ipſe tibi dicẽti, De nocte uigilat ad te ſpiritus meus, matuti-
nũ lumen tẽporibus faciet ſplendere nocturnis, ſi mediteris uerba dei. Dum eñ medita
ris, lux eſt: & uidens lucẽ non tẽporis ſed gratiæ, dices, Quia lux præcepta tua. Cum aũt
te meditantẽ uerba diuina dies inuenerit, & tam gratũ opus orandi & pſallendi delecta
uerit tuam mentẽ, iterũ dices ad dominũ Ieſum: Exitus matutinos et uelpere delectabis.
Exod. 18 At uerò Moyſe magiſtro uſus eſt populus ludęorum quotidie in ſermonib. ſuis à mane
uſq; ad ueſperã iudiciũ dei operiendo. Quod uidẽs cognatus eius eſſe intolerabile, con
ſiliũ dedit, negociũ cõſummandi partito cũ aliis onere, qui ad hoc munus electi ſunt. No
ctibus ac dieb. ſine ulla ceſſatione recẽſet ſcripturas diuinas, quia & ſi quid aliud ſenio-
rem interrogaueris, neſcit niſi ſcripturæ diuinæ ſeriẽ reſultare. Vacat illic ſermo de ſecu
lo, ſola illic ſcriptura contexit, ſingulorũ ſibi per uices ora ſuccedunt, ne quãdo facer ille
ſonus mandatorũ cœleſtiũ feriet: & tu Chriſtiane dormis, cui magiſter eſt Chriſtus? &
non uereris ne de te dicat: Populus iſte nec labijs me honorat? ludæus uel labijs, tu uerò
nec labijs. Si illius qui uel labijs honorat, cor longe eſt à deo: q̃modo poteſt cor tuũ, ꝑpè
eſſe, qui etiã labijs nõ honoras? Quàm diu te ſomnus, q̃ diu te ſecularia tenent, q̃ diu ſo
licitudo iſtius uitæ, q̃ diu terrena? Diuide ſaltẽ deo & ſeculo tẽpora tua: uel quando nõ
potes agere in publico quę ſunt iſtius mũdi: & tenebræ prohibẽt nocti, deo uacato, in-
dulge orationibus: & ne obdormiſcas, pſallito: ſomnũ tuũ bona fraude fraudato: manè
feſtina ad eccleſiã: defer primitias pij uoti: & poſtea ſi uocat ſecularis neceſſitas, nõ ex-
cluderis dicere: Prę uenerũt oculi mei mane meditari uerba tua. & ſic ſecurus procedis
ad tuos actus. Quàm iucundũ inchoare ab hymnis & canticis, à beatitudinib. quas in e-
uangelio legis? q̃ proſperũ ut te Chriſti ſermo benedicat, & dum recantas dñi benedi-
ctiones, ſtudiũ alicuius uirtutis aſſumas, ut etiã in te benedictionis diuinę meritũ reco-
gnoſcas. Vocẽ meã exaudi ſecundũ miſericordiã tuã dñe, ſecundũ iudiciũ tuũ uiuifica
me.] Semper homo, etiã ſi ſanctus, ſi iuſtus ſit, debet orare, ut exaudiat eũ Dñs ſecundũ
miſericordiã ſuam, non ſecundũ merita uirtutis alicuius: quia rara uirtus, multa peccata.
Et ſecundũ iudiciũ ſuum uiuificet, ut infirmis opẽ ferat. Et maxime hoc debemus orare
cùm aliq̃ uib. urgemur aduerſis. Vnde nõ ocioſe à ſancto Dauid præmiſſa eſt diuinæ mi
ſericordiæ poſtulatio. Appropinquauerunt perſequentes me iniquè, à lege autẽ tua
elongauerunt.] Græcus ſic poſuit: Appropinquauerunt perſequentes me iniquitate, à lege
hoc eſt, cum iniquitate me perſequebantur. Quanto magis mihi appropinquauerunt,
tanto amplius ſe à lege tua ſeparauerunt: quoniam qui fratrem ſuum perſequitur, à lege
Deut. 6 ſecernitur. Lex enim dicit: Diliges dominum deum tuum, diliges proximum tuũ. Non
Leuit. 19 ergo oderim fratrem, ne dicatur mihi: Si fratrẽ tuum non diligis quem uides, quomodo
1. Ioan. 4 potes deũ diligere quem non uides? Neſcis fratrũ tuum mercem eſſe ſanguinis Chriſti?

Mercem

Mercem ergo non diligis Christi, si fratrem non diligis. Ergo persecutor mihi appropinquat, ut noceat, sed is se à lege disterminat. Quæ enim portio iustitiæ cum iniquitate? Qui aũt à lege dei se separat, separat se ab æterna uita. Lex enim uita est. Denicꝫ ostẽdens propheta legem dei ait: Ecce ista est uita, quoniam qui facit ea quæ legis sunt, uiuet in eis, quod legi cõuenit uticꝫ spiritali. Et fortasse qui mihi appropinquat ut noceat mihi, dum separatur à lege, separatur à Christo, quia Christus est uita. Ego autem si adhęream Christo, nec mihi appropinquat: qui etiam si corporis mei habeat potestatem, animæ tamen meæ nocere non poterit. Denicꝫ persecutores martyrum quàm longe ab eo tum meritis separati sunt. Sed forte dicas: Quomodo sancti adhærent deo? Et ideo sequitur: Propè es domine, & omnia præcepta tua ueritas.] Propè est dominus omnibus, qui ubique adest: nec fugere eum possumus, si offendimus: nec fallere, si delinquimus: nec amittimus, si colamus. Spectat omnia deus, omnia uidet, assistit singulis, dicẽs: Deus appropinquans ego sum. Et quomodo potest deesse alicui deus, cũ de spiritu Dei legeris: Spiritus domini repleuit orbem terrarum? Quia ubi domini spiritus, ibi dominus deus. Cœlum & terram ego compleo, dicit dominus. Vbi igitur deficit qui implet omnia? aut quomodo de plenitudine eius omnes accepimus, nisi omnibus appropinquet? Denicꝫ Dauid sciens illum ubicꝫ esse, & implere cœlum & terrã & maria ait: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descẽdero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitẽ in nouissimo maris, etenim ibi manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quàm cito significauit ubique deũ esse: & ubi est dei spiritus, ibi deum esse: & ubi est deus, ibi spiritũ dei esse pręsentem. Quo loco indiuidua copula trinitatis expressa est. Siquidem hæc per os prophetæ locutus est dei filius in persona hominis locutus, qui per incarnationem descendit in terras, per resurrectionem ascendit in cœlum, per corporis mortem penetrauit infernũ, ut solueret allígatos. Aut si ad prophetã referas, aduertis expressum, quòd ubicꝫ manus & dextera dei Christus assistat, ubi pater deus, & sanctus dei spiritus. An cum de sole dubitare nequeamus quòd procedens toto orbe radios diffundat suos, & omnibus lumen infundat, quẽ etiam illi qui uidere non possunt, sentiunt tamen aeris ipsius fotu esse pręsentem? Vbi enim deest calor illius? Quò radij eius non perueniunt, cùm discussis nebulis aut nubiũ tenebris illuminat terram? In cœlo fulget, in mari rutilat, feruet in terris. De sole ergo nõ dubitas ꝙ ubicꝫ resplendeat: de deo dubitas, quòd non ubique fulgeat splendor gloriæ eius, & imago substantiæ? Quid non penetret uerbum dei, splendor ęternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest iste sol penetrare? Verbum enim dei gladius spiritalis est, usqꝫ ad diuisiones animæ atqꝫ artuum, medullarumcꝫ perueniens. De quo dicit iustus ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. Penetrat ergo animam, & quasi candor ætęrnæ lucis illustrat. Sed quamuis diffusa per omnes & in omnes & supra omnes potestate sit, quia omnibus ortus ex uirgine est, & bonis & malis, sicut & solem suum oriri iubet super bonos & malos: illum tamen fouet qui appropinquat sibi. Sicut enim à se fulgorem solis excludit qui fenestras domus suæ clauserit, locumcꝫ tenebrosum in quo diuersetur elegerit: ita qui se auerterit à sole iustitiæ, non potest splendorem eius aspicere. In tenebris ambulat, & in omniũ luce ipse sibi causa est cæcitatis. Aperi igitur fenestras tuas, ut tota domus tua ueri fulgore solis illuceat. Aperi oculos tuos, ut uideas orientem ubi solem iustitiæ, Sed caue ne eos ulla stipulæ festuca perturbet. Si quid sordis in oculo fuerit mentis tuæ, non poteris eum intueri: Si quid ægritudinis, plus grauabit, cũ confusam oculorum aciem lux ferit, maioremcꝫ dolorem excitat. Sit ergo simplex oculus tuus, ne incipiat totum corpus tuum esse tenebrosum, & uacillet in lumine sicut sunt cæcorum uestigia. Nunquid si quis ostia domus suæ claudat, solis est culpa quòd non illuminat domum eius? Ergo si quis peccatorum suorũ repagulis obserandam mentẽ procitatem, causari poterit quòd sol iustitiæ noluerit intrare? aut infirmitatem luminis cœlestis arguere? Pulsat ianuam tuam dei uerbum. Si quis mihi aperuerit, inquit, intrabo. Si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredientis, & non magis non aperientis est culpa? Nihil quidem deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini, sed portas malí-

Sap. 1
Hier. 23
Ioan. 1
Psal. 138
Heb. 4
Luc. 2
Matth. 5

cíæ dedíghatur aperire, conclauía non uult penetrare nequitíæ. An uerò quum animæ noſtræ uígor putrẽ corporis refugiat portionẽ, quod eius gratiã corrupti artus ſentire nõ poſſint, deus corruptæ animæ membra quædã dígnatur habitare? Animæ tamẽ uígor per corpus omne díffundit, ſiue manus, ſiue pes, ſiue dígitus particeps ſenſus eſt: dei poteſt alícubí deeſſe ſapientia, alícubí eius deeſſe maieſtas? Sane fugientes non retinet, nõ cogit inuítos, ſed neq; faſtídit appropínquantes: & íllius quídẽ uírtus, íllius uerbum, deus omníbus propè eſt. In ipſo èm conſtant omnía, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ, in quo omnis ínhabitat plenitudo díuínitatis. Sed pleroſq; ab eo peccata ſeeernunt, de
Pſal. 72 quíbus dictũ eſt: Ecce qui elongant ſe à te, períbunt. Vnde ſanctus ait: Mihí aũt adhere-
re deo bonũ eſt. Et Apoſtolus ait nõ eſſe longe deũ ab unoquoq; noſtrũ: In ipſo quoq;
Act. 1 ínquit, uíuimus & mouemur & ſumus. Vitalem etenim omníbus gratíam ſubminiſtrãs, omníbus præſtò eſt munere bonítatis ſuæ, ſed propíor eſt íllis qui contrito ſunt corde. Quod uetus quoq; per ænígmata hiſtoría docet. Moyſes ín mõtis Sina ſupercílio erat, & ſolus erat: populus in ualle ín ímo montis, presbyteri ín parte mõtis ſupra merita ple bis, ſed plurimo interuallo à Moyſi meritis ſeparati. Non omnes in uertice, neq; in ímo oẽs, ſed populus. Moyſes ſolus ín uertice Sina montis, qui Latína interpretatione dícit tentatio. Et tu ſi ſupra tentationes aſcenderis, & contrito corde detuleris precẽ, deo pro-
Matth. 5 ximus eris. Sí mundo corde fueris, & tu deum uídebis. Beatí mũdo corde, quía ipſi deũ uídebunt. Qui ergo deo próximus eſt, dícit: Prope es domine, & omnia præcepta tua ueritas. Iudæus hoc nõ poteſt dícere, qui nõ recípit dominũ Ieſum. Separauit emm ſe, nec ín ueritate, ſed ín umbra credit. Quomodo dícit, Præcepta tua ueritas, cum gratía & ueritas per Ieſum Chriſtũ facta ſit, cũ eum nõ agnoſcat, qui ueritate & plenitudine circũcí ſionís ſuæ totũ mundum redemit? Initio cognoui de teſtimoníjs tuis, quís in æternum fundaſti ea.] De teſtímoníjs, ínquit, tuis ab ínitio cognitionẽ & fídem aſſumpſi, quòd ín æternũ fundata ſunt. Teſtimoníũ enim fidele eſt, & præſtat paruulis ſapientiam. Sí cognouiſſet Adam & Eua quæ quaſi paruulis data eſſent eís cautíora præcepta, ne uſurpa rent ſibí ſcientiam boní & mali, quam recto diſcrímine definíre nõ poſſent, paradiſi incolatum ín perpetuũ uíndicare potuíſſent. Sí conſíderant homínes quía ſanguís homínis ad deũ clamat, manus proprías à nece hominis abſtínebunt. Sí cuſtodiant præcepta quæ dedit dominus corã cœlo & terra teſtíbus, dícens: Audí cœlum, & auríbus percipe terra: ſcientes quia quícquíd flagitíj cõmíſerint, aduerſus legẽ domíní feciſſe, quod angelorum & poteſtatũ, ſanctorũ quoq; hominum teſtímoníjs arguantur: ſupra hæc teſtímonía fundamentũ ſibí conſtituent, quía æterna ſunt atq; perpetua. Et nos ergo opus noſtrum ædificemus ſupra fundamentũ teſtímoníorũ cœleſtium, ut non ardeat ſicut lígnũ aut ſtípula, ſed ſicut aurum probetur, ut æterno maneat nixum fundamine.

SERMO XX

Incipit litera Res, quæ Latína interpretatione caput dícitur uel primatus.

1 Caput eſt, ut formã generis humaní conſideremus, quod fouet membra omnía, & dírígít atq; implet ſenſibus. Senſus emm ſapientís in capite eius. Inde ductus uenarũ, meatuſq; ſpíritus, ſanguínis uires ín totius partes corporis deríuant. Lumen ſtrat omnía, ornat omnía. Sublato capite, corpus ſine nomine eſt. Nõ agnoſcitur, nec ulla ſupereſt uſura uíuendí. Propterea qui ín alíquo damnat crímine, eò quod ornamentũ eſt totius corporis, capite abdicat: & qui turpí uel ſceleſto reatu beluínæ obſcœnitatis ílluuiem uel beſtialis immanitatis horrorem cõmiſiſſe detecti ſunt, tanq; íj qui propoſito humanæ moderationis exciderint, formã quoq; humanæ conditionis iubentur exuere. Reciſo enim capite, reliqui corporis truncus beſtiarũ corpori comparatur, & ſapientiæ arce fraudatur, qui ſapientíæ non potuit tenere rationẽ. Sepelítur ígitur ſine decore ſuo corpus. In capite etenim uígor uitæ, ín capite eſt gratía uenuſtatis. Fertur coluber, cum urgetur periculo, caput ſemper abſcondere, & in orbẽ ſe colligens obiecta reliqua parte corporis hoc ſolũ tueri, quod læſa ferantur, membra cætera ſaluo capitis uígore repararí. Hoc & tu moraliter caput ſerua, hoc ſeruato & myſtice. Myſticũ caput Chriſtus eſt, quía omnía in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ. Hoc caput qui amíſerit uíuendí uſum habere non poterit. Hoc ſolo diſtamus à beſtíjs, ad imaginem dei & ſimilitudinem uirtutum uígore formatí. Fides nos ab irrationabilium pecudum compa-

ratione

ratione secernit. Hoc caput humani seruate serpentes, etiam si omnia membra cædant, totum uratur corpus incēdijs, mergatur profundo, euiscerer à bestijs, hoc tamen capite custodito, uita integra, salus tuta est. Nemo enim potest perire, cui nō sublatus est Christus. Est & caput, summa studij atq; operis nostri, summa negocij, summa spei, summa uirtutū. Omnis aūt summa est studij nostri, ut simus humiliores, ueritatē sequamur, quā nō uidet extollens se frustra inflatus mēte carnis suæ, & nō tenens caput. Quod sit hoc caput, euidenter expressit dicens: Ex quo omne corpus per cōpagināciones & colligationes subministratū & copulatū crescit in incrementū dei. Et in Esaiæ libro dicit Dñs per prophetā: Auferam à Iudæa caput & caudam, initiū & finē. Hoc caput Iudæa quod tenebat amisit, quæ Iesum dominū non recepit. Vbi fides est, & initiū & finē habemus. Vbi perfidia, nec initiū nec finis est. Ecclesię principiū est primogenitus ex mortuis. Habet & finē, quia ipse est primus et nouissimus. Ipse est finis legis ad iustitiā omni credēti. Synagoga nec initiū nec finē habet, quia nec in principio inuenit quod sequat, nec in fine q̄d speret. Inflatus ergo caput nō tenet, hoc est, illā humilitatē Christi qua descendit usq; ad crucē, descendit usq; ad inferos. Ideo Iudæus nō credidit, quia contēpsit dicentē: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Hæc humilitas uirtutū omniū caput est, quæ totū uelut quoddam nostrorū actuū souet corpus. Quāuis infirmus aliquis sit, pauper, ignobilis, tamē si nō se extollat & præferat, ipsa se humilitate cōmendat. Sit aliquis prædiues & nobilis: idem si nobilitatē generis & diuitias suas iactet, insolentia sibi uilis est. Sit aliquis facundus & fortis, qui tumore facundiæ ac uirtutis elatus plurimū sibi arroget: nónne ei propter uerecundiā & insipiens plerūq; & inualidus anteferē? Denicq; pharisæus in Euangelio cū abstinens & parcus esset alieni, liberalis sui, nō refugus ieiunij, ut ipse dicebat, tamē propter iactantiā etiā illa quę habere poterat amisit. Nihil ei tot genera uirtutū uno uitio decolorata prodesse potuerunt. Publicanus qui nihil enumerare poterat quod posset probari, propter humilitatē tamē iustificatus magis q̄ ille pharisæus descēdit è templo, secundū quod scriptū est in Propheta: Quia humiles spiritu saluabit. Hoc aūt esse caput quod hæc litera exprimat, euidenter etiā in Hieremię Threnis docemur. Nam prelata hac litera ait propheta: Spiritus ante faciē nostrā Christus dñs: sub umbra eius in gentibus uiuemus. Hoc ergo caput uere est, quod omniū caput est. Diximus de capite, dicamus & de primatu, quod licet sermone distet ac litera, sensu tn in eandē cōcurrit intelligentiā. Primatus em̄ legimus in ueteri Testamento, quos in primogenitis Esau fratri suo cessit, & ideo uocatū est nomē eius Edom, hoc est, terrenus et callidus. Isti sunt aūt fratres de quib. rogatus est dñs ab Isaac patre eorū ut daret ei sucę posteritatit hæredes de Rebecca uxore sua, quæ per xx. annos nullū dederat generationis sucę insigne. Exaudiuit eū, & cōcepit Rebecca, & rogauit dominū cū luctari inter se paruli uiderent̄ in utero eius, & respōsum accepit: Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi ab utero tuo separabunt̄, & populus populū superabit, et maior seruiet minori. Nō ne apertū est mysteriū, duos significari populos, hoc est, populū Iudæorū seniorem, & Christianū populū iuniorē, qui propter coctura lentis primatus fratris accepit senioris? Quo indicio euidēter exprimit̄ q̄ populus senior ille terrenus, ppter intēperantiā gulæ primatū quē habuit amisit. Populus aūt Ecclesię per sobrietatē & continentiā primatus quos ordine nō habebat ætatis & cōfessione fraterna & pio furto paternæ benedictionis eripuit. Quid est igit̄ quod populus rapuit Christianus, nisi dominū Iesum? A dieb. enim Ioannis Baptistæ regnū cœlorū cogit̄, & cogentes diripiunt illud, sicut ipse Dñs declarauit. Bona fraus, quæ uitā furat̄ æternā. Sed quoniā satis dictū de literæ huius interpretationib. arbitramur, consideremus ea quæ huic literæ prophęta subiecit. Primus itaq; uersus est. Vide humilitatē meam, & erue me: quoniā legem tuam nō sum oblitus.] Fortasse dicat aliquis, gloriatur de se propheta, & si gloriatur, gloriatur in infirmitatibus suis, in quibus & Apostolus gloriatur dicens: Gloriabor in infirmitatibus meis. Alius in diuitijs, alius in titulis nobilitatis ac prosapiæ suæ, alius in administrationib. & honoribus gloriat̄, iustus in humilitate gloriatur. Bona enim gloria, Christo esse subiectum. Vt scias autem quia iactare non se cupiat, sed domini in se gratiam prouocare, ali bi idem propheta ait: Vide humilitatem meam, & laborem meum. Ergo quasi is qui humiliauerit cor suum, quasi is qui plurimū laborauerit, ibi sibi dimitti peccata desiderat,

Coloss. 2

Apoc. 22
Rom. 10

Matt. 11

Psal. 33

Gen. 25

Matt. 11

2. Cor. 12

hic erui se precatur. Constitue aliquem sacerdotem pro ministri salute solicitum, quem probatum aduertat deo, aliquem patrem pro filio in ægritudine cõstituto graui, aliquã fœminam uel pro filio, uel pro uiro mœstam, orationibus incubantem, fundentem ubere res lachrymas noctibus ac diebus, humiliantem se ac sternentem solo, multiplicantem ie iunia, & quod his grauius est, mentis atq; animi dolore confectam, morbi ac periculi dilatione torpentem, dicere ad dominum: Vide humilitatem meam & erue me. Consi- dera etiam quia spiritali quodam oleo cœlestium præceptorum ungit nos atq; exercet quotidie scriptura diuina, & dominus noster plurimos ad subeunda certamina gestiens prouocare, diuersa posuit præmia coronarum. Considera, inquã, Christi athletam innu- meris contentionibus fatigatũ, ac prope iam lassatis uiribus resistentem, periculi mole turbatũ, cum uideat sibi non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersus spiritales nequitias, quæ sunt in cœlestibus esse luctamen, dicere: Vide humilitatẽ meã, & erue me, qm̃ legem tuã non sum oblitus. Nõ enim potuit obliuisci qui secundum eius præcepta certauit. Contuere etiam aliquem in martyrio constitutum, frequentibus af- flictum supplicijs, retrusum in tenebras, graui fractum pondere catenarũ, neruis crura distentũ, euisceratũ equuleo, exaratũ ungulis, adustũ candẽtibus lamínis, perseuerantis fidei uirũ, sed iam tædiantis animi & diutius differat sacræ mortis corona, dicentẽ: Vide humilitatẽ meam, & erue me, quoniã legẽ tuam non sum oblitus. Non solũ enim in stu dijs atq; propositis, sed etiam in tentationibus humilitatẽ dici posse, testimonijs scriptu rarum docemur. Siquidem lectum est: Homines acceptabiles in fornace humiliatis. τα πτώσεως enim Græcus dixit, quod est humilitatis. Hoc ideo posui, quia plurimi habent Latini, in fornace afflictionis. Latinus discernit, Græcus non separat. ταπείνωσις & humi litas uirtutis dicitur, & humilitas afflictionis. Nihil impedit si Latinus separat. Nõ enim Græcus ex Latinis transtulit, sed Latinus ex Græco. Denicq; & Hebræi cũ diu in Aegy pto erant, in fornace erant ferrea, hoc est, in fornace tentationis, in fornace afflictionis, Hier. 11 cùm duris affligerentur imperijs. Vnde & scriptũ est: Quia eduxit eos deus de fornace ferrea ex Aegypto. Fornax erat ferrea, quia nullius adhuc in Aegypto opera uirtutum plena lucebant, nullius aurũ illic fuerat comprobatũ, nullius plumbũ iniquitatis exustũ. Dura fornax, fornax mortis perpetuæ. Quam fornacẽ nullus poterat euadere, quæ om Dan. 3 nes cõsumeret, in qua solus dolor ineesset & luctus. At uerò fornax in qua Ananias, Aza rias, Misahel hymnũ deo canebant, fornax aurea illa, non ferrea, per quam toto orbe sa pientia fide deuotionis illuxit. Erat quidẽ etiam hæc fornax in Babylonia, ubi aurũ non Ephes. 4 erat spirituale, nisi forte captiuũ. Captiuam enim dns duxit captiuitatẽ. Hoc erat aurũ in dei sanctis, qui captiui erant apud Babylonios corpore, spiritu aũt liberi apud deũ, solu ti uinculis captiuitatis humanæ, iugo gratiæ spiritalis innexi. Et fortasse eadẽ fornax fer rea fragilibus est, aurea perseuerantibus. Omnes oportet per ignẽ probari, quicunq; ad paradisum redire desiderant. Non enim ociose scriptũ est quòd eiectis Adam & Eua de paradisi sede, posuit deus in exitu paradisi gladiũ ignem uersatilẽ. Omnes oportet trans ire per flammas, siue ille Ioannes Euãgelista sit, quem ita dilexit dns, ut de eo diceret ad Ioan. 21 Petrũ: Si eũ uolo manere, quid ad te? tu me sequere. De morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare nõ possumus, quia in paradiso est, nec separat̃ à Christo. Siue ille sit Petrus, qui claues accepit regni cœlorũ, qui supra mare ambulauit, oportet dicat: Transiuimus per ignẽ & aquam, & induxisti nos in refrigeriũ. Sed Ioanni cito uer sabitur igneus gladius, quia non inuenit̃ in eo iniquitas, quẽ dilexit æquitas. Si quid in eo uitij humani fuit, charitas diuina decoxit. Alæ enim eius sicut alæ ignis. Qui habue- Luc. 17 rit hic charitatis ignẽ, illic ignẽ gladij timere nõ poterit. Ipsi Petro, qui toties mortẽ suã pro Christo obtulit, dicet: Transi, recumbe. Sed ille dicet: Igne nos examinauit, sicut ex aminatur argentũ. Et enim in quo aqua multa excludere nõ potuit charitatẽ, quomodo eam ignis excludet? Sed ille examinabit̃ ut argentũ, ego examinabor ut plumbum: do nec plumbum tabescat, ardebo. Si nihil argenti in me inuẽtum fuerit, heu me, in ultima inferni detrudar, aut ut stipula totus exurar. Si quid inuẽtum in me fuerit auri uel argen ti, nõ per meos actus, sed per misericordiã & gratiam Christi, per ministeriũ sacerdotij, dicã fortasse ego: Etenim qui sperant in te, nõ confundent̃. Illo igit̃ igneo gladio iniqui tas exuret̃, quæ sedet super talentũ plumbeũ. Ideo unus ignẽ illũ sentire non potuit, qui

est

est iustitia dei Christus, quia peccatū nō fecit. Nihil enim ignis in eo quod exurere posset inuenit. Denicp illi soli eleuatæ sunt portæ æternales, ut intraret rex gloriæ, non reus causæ. Et hic quidē mortē caro illius gustauit. necp em̄ aliter posset resurgere. Quod legi, præsumo. quod non legi, ueneratus scientibus derelinquo: unū confitens, quia quicquid caro illius subijt, ideo subijt, ut uiam cæteris uel triumphandi per martyrij passionem, uel transeundi in paradisum suis uestigijs reformaret. Nemo ergo sibi arroget, nemo de meritis glorietur: nemo de potestate se iactet, sed omnes speremus per Dominum Iesum misericordiā inuenire, quoniā omnes ante tribunal eius stabimus. De illo ue num putat, habet plumbū: & qui putat se granū tritici, habet paleam quæ possit exuri. Sed hic sibi multi aurū uidentur. Nō illis inuideo: sed etiam aurū examinabit, ureт ut possit probari. Sic enim scriptū est: Sicut aurū in cōflatorio probabo illos. Ergo aduertant, quia examinabunt omnes. Multi ergo qui se aurū putant, & ipsi humilitatē sequant, ut uitia sua decoquant. Sed hic inanis iactantia est. Ideo multis qui se massas putant auri, dicit sapientior auri massa: Omnes nos fornax probabit. Ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, ut iudicio probari mereamur diuino. Teneamus hic positi humilitatem, ut cum unusquisq; nostrū uenerit ad iudiciū dei, ad illos ignes quos transituri sumus, dicat: Vide humilitatē meam, & erue me. Nam si superbus fuerit, si arrogans, si contumax, nō poterit hoc dicere. Nemo aūt dicet, uide superbiam meam: sed, Vide humilitatē meam: ut eius gratia erui ab illo igne mereatur. Est ergo humilitas laboris & fatigationis, est & humilitas uirtutis atq; propositi, quam & in secundis & prosperis & in ocio positus tenet iustus. Nullo licet fructus labore, nullius certaminis dubius euentu, humilem omnibus affectum exhibet, nec sua extollere studet, sed magis minuere operis sui precium, & meriti sui gratiā. Audi iustum humiliantem se: Ego sum, inquit, minimus apostolorum. Ille uas electionis diuinæ, ille gentium doctor minimū esse se dicit, indignum eius officij nomine quod suis operibus præferebat, nihilq; sibi arrogat, sed totum gratiæ dei deputat. Hoc utiq; decet iustū. Hac humilitate Abraham pater fidei nuncupatus est: qui cū diuino participaretur alloquio, terrā se esse dicebat, & lignum. Ipse quoq; Dominus ait: Ego autem sum uermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis, cū de sui corporis passiōe loqueretur, qui non quæ sua sunt quæsiuit, sed quæ aliorum. Cuius nos imitatores uult fieri Apostolus, atq; hortatur, dicens: Hoc em̄ sentite in uobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Nec nos igitur nobilitatē generis, nec diuitias requiramus, si uolumus Christum sequi. Exinaniuit se, cum esset in Dei forma: cum dives esset, pauper factus est. Noli & tu contemnere plebeium, quia nobilis es: noli despicere seruum, quia potens es: noli pauperem fastidire, quia dives es. Nunquid nobilior, nunquid potentior Christo es? Ille pro te suscepit illa, quæ tu despicis. Ille pro te humiliauit se usq; ad mortem, & mortem crucis, ut tuę lapsum aboleret superbię, ut quod per unius Adæ inobedientiam perdideramus, per Christi humilitatem recipere mus: propter quod deus, inquit, illum exaltauit, & dedit illi nomē quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, quoniam dominus Iesus in gloria est dei patris. Considera ô homo quid legas. Non laborauit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædicare, sed demonstrare quāta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit. Sed Christus non quæ sua, sed quę tua erant, illa humilitate quærebat. Ego (inquit) si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Accipe ergo argutis auribus: Moraliter tibi profuit, mystice tuam redemit salutē. Quomodo uis, intellige: Salus est tua. Si putas quòd Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? Si illum exaltauit, quem non augebit? Factus est minister omnium Dominus, & author omnium uapulauit, pedes lauit, cruci fixus est, mortuus est. Sed in his omnibus detrimentum nullum uideo diuinitatis eius, profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat quod ad potestatem suam adderet, habuit quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret. Audeo dicere: Operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidem redemit, sed etiam sibi acquisiuit. Nihil ergo humilitas affert dispendij. Ille qui se exinaniuit, plenus est.

Zach. 13

1. Cor. 15

Gen. 18

Philip. 2

Ioan. 12

Ille

Ille qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, formam serui accipiens: in gloria est dei patris. Suscepi quem nesciebam, agnoui quem non cognoscebam, confiteor quem negabam. Ipsi genu corporis flecto, ipsi genu mentis inflecto, ipsum adoro, quē ante fugiebam. Gratias tibi agimus Iesu Christe, quòd creasti nos: sed creatos, feris bestijs, mutis animantibus præfeciſti. Maiora sunt uisitationis tuæ munera. Visitatos ma-
Psal. 21 iestatis tuæ consortijs honorasti, dicens: Narrabo nomē tuum fratribus meis. Suscepto enim corpore frater es factus, nec dominus esse desisti. Maior redemptionis gratia, quia
Ioan. 11 periclitantes morte propria redemisti, sicut scriptum est: Expedit unum hominē mori pro populo. Suscitasti mortuos, dicens: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. In illo enim templo dominici corporis omnibus resurrectio accreuit. Resurgentes
Matt. 22 adæquasti angelis, sicut dixisti: Quoniam quæ non nubunt, neq; ij qui ducunt uxores, erunt sicut angeli dei in cœlo. Postremo ad dexteram dei in illo filij hominis solio col-
Luc. 22 locasti, sicut ipse dignatus es dicere: Ex hoc autem erit filius hominis sedens ad dexterā uirtutis dei. Vnde Apostolus admirans diuinæ dona pietatis, simul ostendens unam pa-
Ephes. 2 tris & filij liberalitatem ait: Deus autem qui diues est in misericordia, propter multā charitatem qua dilexit nos. Audis in quo debeas homo diues esse, quas habere uirtutes: Amorem dei te habere probato, imitare cœlestis charitatis dulcedinem. Et addidit: Et cū essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & simul suscitauit, simul fecit sedere in cœlestibus in Christo Iesu. In Christo utiq; honoratur & caro. Ille igit̄ qui ad dexteram dei sedet propter nos humiliatus est. Ideoq; dicit nobis:
Matt. 11 Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Non dixit: Discite à me, quia potens sum, sed humilis corde: ut tu illum imiteris, ut tu ei dicas: Domine audiui uocem tuam, implesti præceptum tuum. Dixisti ut à te disceremus humilitatem: didicimus non solum sermone, sed etiam actu tuo: feci quod imperasti, uide humilitatem meam. Athleta bonus membra sua monstrat, ut conuersationis suæ approbet disciplinam. Monstrat etiā tunc membra sua, quando post aliqua certamina grauiora iterum certare compellitur, ut iudex uidens fessum corpus, nequaquam eum certare compellat. Et tu ostende cordis tui
1. Tim. 4 humilitatē, ut titulos uirtutis ostendas. Ostende & corporis tui certamina, ut dicas: Certamen bonum certaui, cursum consummaui: & uidens spiritalis iudex certaminis agonem, coronam iustitiæ decernat, quoniam legem agonis implesti. Iudica iudicium meum, & libera me, propter uerbum tuum uiuifica me.) Festinant innoxij ad iudicium, & propriæ innocentiæ arbitris desiderant citius comprobari. Habet hoc usus etiam in seculo, quod est commune cum sanctis. Verùm is qui apud deum iustus est, habet aliam causam iudicij uon timendi, quia apud misericordem iudicē sibi causa est, apud redemptorem suum uult cito & sperat absolui. Absolutio enim matura sanctorū est. Vnde &
Ezech. 9 dominus ait per Ezechielem ad angelos qui ministri sunt ultionum: A sanctis meis incipite. Non uult dominus commune sanctis cum diaboli socijs consortium esse iudicij. Diabolus enim & ministri eius cum hominibus nō flagellabuntur. Separata est pœna,
1. Pet. 4 ubi distat & culpa. Ideoq; alio loco scriptura ait: Tēpus incipere iudicium à domo Dei. Quos miseratur enim, cito castigat, ut non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij, non prolixius misera reatus sorte macerentur, ut unusquisq; reddat etiā duplicia peccata sua quo tandem possit absolui. pœna enim reorum, quædam absolutio delictorum est. Videmus in hoc seculo insertos nexibus catenarum reos in specie pompę miserabilis duci: & nonnunq; hoc patiuntur insontes, ut tolerabilius sit mori, q; talia subire supplicia. Optant utiq; audiri, bene sibi conscij. Optant etiam hi qui grauibus flagitijs urgentur, pœnam mortis celeritate transigere, ut aliquanta compendia pœnarum lucrentur. Spes est etiam de iudicis misericordia. Ipso exilio claustra carceris duriora sunt, nec reditus in perpetuum omnibus intercluditur relegatis. Si hoc operatur humanum examen, quanto magis Christi est omnibus expetendum? Differtur diaboli iudicium, ut sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, conscientiæ suæ ut in perpetuum sustineat ipse iudicium. Ideo diues ille in Euangelio, licet peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius possit euadere. Diabolus autem nequaquam puniti ad iudicium demonstratur, nequaquam adhuc pœnis esse subiectus, nisi quas ipse tanquam torū cōscius scelerū soluit timore perpetuo, ne aliquando securus sit: imò ut uerius dicā,

sanctus

sanctus ad iudicium uenit, impius non uenit, quoniam nō resurgunt impij in iudicium. Hic petit ut absoluatur, ut coercitus dimittatur. Qui aūt non iudicatur, non credidit, sed impietatis suæ iudicio ipse punitur. Apud imperatores istos nō puniunt sceleris rei barbari quod in sua gente cōmiserint, quia non sibi subditi: sed grauiore nomine hostes habent, qui sine interrogatione priuati sceleris puniunt. Ita & Christus suos castigat quos diligit, alienos tanq; generali damnatiōe impietatis astrictos pœna damnat æterna: nouissima enim destruetur mors. & tamen uerecunde docet propheta exemplo sui, ut etiā qui diffidit operibus suis, propter uerbum tamen dei clementiorem speret sententiam. Alius propter diuitias uiuere cupit, alius propter filios, hic propter uerbum Dei uiuificari petit: sicut Symeon domini expectauit aduentum: unde & Dominum accipiens in templo ait: Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum: asserens uiuendi sibi cupiditatem aliam non fuisse, nisi ut Christum uideret. Deniq; uidit, & uinculis solui corporis postulauit. Possumus etiā intelligere: Iudica iudiciū meū, quasi grauior nobis causa sit de iudicio nostro, q̄ de errore dicēda. Errantí enim facilius datur uenia, q̄ improbè in alium iudicanti. Necesse est enim eam formam in te redire iudicij, quam in alium ipse decernendam putaueris. Longe est à peccatorib. salus, quoniam iustitias tuas non exquisierunt.] Quorum serum est iudicium, eorum salus longe est: sed ipsi sunt sui autores periculi, qui domino nō appropinquarūt. Ideo facti sunt longe, quia uoluntate sua à salutis se gratia separauerunt. Non refugit eos salus, sed ipsi salutem, qui se elongauerunt. Venit ad Iudæos, sed illi salutem non receperunt. Quomodo non receperunt? Audi: Iesus salus est, Iesus filius hominis nuncupatus est. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat: sed Iudæi dimitti sibi latronem postulauerunt, Iesum repudiauerunt. Quis autem est qui se longe facit à domino, nisi qui non exquirit iustitias eius? Qui uerò iustitias exquirit, prope est, adhæret deo. Et ideo iustitias dei quærentibus dicit Apostolus: Vos qui eratis longe, facti estis prope, in sanguine Christi. Sanguis Christi iustitia est. Deniq; ipse ait ad Ioannem: Sine nos implere omnem iustitiam. Miserationes tuæ multæ nimis domine, secundum iudicia tua uiuifica me.] Etsi longe est à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sunt miserationes domini. Qui suo peccato pereunt, misericordia domini liberant. Miserebor, inquit, cui misereor. Palàm apparuit non quærentibus, uocauit refugientes, congregauit ignotos, pro omnibus se obtulit passioni. Non ergo multum misericors? Misericordia enim hominis in proximū suum, misericordia domini in omnem carnem, ut omnis caro ad dominum ascenderet, illa domini miseratione donata. Sed quomodo cum dixerit multas esse domini miserationes, secundum iudicia eius uiuificari petit, maximè cū alibi ipse dicat: Et non intres in iudicium cum seruo tuo? Sed aliud est illud iudiciū beneficiorum dei, cui respondere non possumus. (Quis enim potest debitum referre naturę debitum salutis & gratiæ?) aliud iudiciū quo fragilitatis nostræ æstimatione censemur. In hoc ipso tamen iudicium cum misericordia copulatū est, ut ueritas iudicij miseratiōe domini temperetur. Aut forte quia dixerat, Iudica iudicium meum, ideo subtexuit miserationes domini nimium multas esse. Graue est enim de alio iudicare. Vnde etiam scriptum est: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Cum enim unusquisq; sit suorū conscius peccatorū, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet quod in seipso condemnet. Iudicet ille qui non agat eadem quæ in alio putauerit punienda: ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur. Audisti hodie quid iudex uerus & iustus locutus sit: Nō possum, inquit, ego à me facere quicquā. Nōnulli hæretici solebant hinc facere quæstiones, quasi infirmus esset filius, qui à se nihil faceret, quasi secundum diuinitatē quoq; subditus, & paterno subiectus imperio: nec aduertūt quòd hoc quoq; magis potestatis diuinæ unitas comprobetur, ubi putant inter patrem & filium esse distantiā potestatis. Nihil à se facit filius, quia per unitatē operationis, nec filius sine patre facit, nec sine filio pater. Deniq; pater dicit ad filium: Faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram, cōmunem asserens operationem esse, ubi commune consilium est. Quid sine sapientia facit, qui omnia in sapientia fecit? ut lectū est: Omnia in sapientia fecisti. Deniq; sapientia dixit: Quum faceret cœlos, cum illo eram,

Hebr. 12

1. Cor. 15

Luc. 2

Ephes. 2

Matt. 3

Psal. 142

Luc. 6

& ego

Ioan. 1 & ego eram cui applaudebat. Et Euãgelista ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil. ut doceret nõ solũ operatorẽ omniũ filiũ, sed etiã paternæ operatiõis consortem esse. Ego tamen arbitror quòd hic locus ad iudicij formam uideat̃ esse referẽdus. Euangeliũ etenim non solũ fidei doctrina, sed etiam morũ est magisteriũ & speculũ iustæ cõuersationis. Inuenio in Euangelio quòd dñs Iesus multorũ affectus & officia susscepit, ut doceret quomodo nos in his conuersari oporteret officijs. Suscepit personam pastoris, & ait: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. Ideoq; pro rationabili grege seipsum passioni corporis non negauit, ut ouem lassam crucis sue humeris superponens, pij oneris functione recrearet. Suscepit aduocati personam. Ipsum enim aduo-
1. Ioan. 2 catũ habemus apud patrẽ. Pernoctabat in oratione pro nobis, ut nos suo informaret exLuc. 6 emplo quemadmodũ ueniã nostris debeamus exorare peccatis. Non enim ideo pernoctaret, quasi qui aliter patrẽ nobis reconciliare nõ posset, sed ut qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis sacerdos ut nõ solũ diebus, sed etiã noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. An impetrãdi egebat auxilio, qui facere ipse poterat quod
Ioan. 14 rogabat, quemadmodũ ipse dicebat: Ego ad patrẽ uado: & quodcunq; ab eo petieritis
Ibid. 16 in nomine meo, hoc faciam? Denicq; alibi ait, cum Lazarũ resuscitaret: Sciebã quòd semper me audis. Hic quasi infirmus pernoctabat, qui sciebat quòd semper audit, & clama-
Ibid. 11 uit: Lazare ueni foras. Locuta est resurrectio, mors recessit. Suscepit etiam affectũ rei, & stetit ante iudicẽ quasi reus, nec dedignatus est dñs omniũ presidis uilitatẽ. Interrogatus tacebat, ostendens nõ in clamore uocis, nec in forensis assertione patrocinij, sed in conscientiæ integritate esse innocentiæ defensionẽ: nec salutẽ corporis ambiendam, sed animi puritatẽ. Denicq; qui Susannã absoluit tacentẽ, se obtulit morti. In illo causam ostendit, ut nemo desperaret: in hac, ut redimende uniuersitatis sacrificiũ non negaret. Ipsus postremo, non conuitiatus est, non repercussit: & dominus cœli atq; terrarum studium
Ibid. 18 depositi ultionis, uocẽ humilitatis emisit dicens: Si male locutus sum, testimoniũ perhibe de malo: si aũt bene, quid me cædis? Quasi infirmus, cædis deplorat iniuriam: & cũ se posset ulcisci, queri maluit q; uindicare. Ergo & hic personã iudicis proposituq; susce-
Ibid. 5 pit, dicens: Non possum à me facere quicquã. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo fatemperat, non indulget propriæ uoluntati, nihil paratũ & meditatũ domo defert: sed sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet negocij natura, decernit. Obsequit̃ legibus, nõ aduersatur: examinat causæ merita, nõ mutat. Discite iudices seculi, quem in iudicando tenere debeatis affectũ, quam sobrietatẽ, quam sinceritatẽ. Dominus omnium dicit: Non possum ego à me facere quicq;. Alibi lego: Negare semetipsum non potest. Non potest utiq;, non per infirmitatẽ, sed per integritatẽ: nõ per impossibilitatẽ faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid nõ potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Nõ uult posse quod damnet, non uult posse aduersus fidẽ, non uult posse aduersus ueritatẽ. Audi postremo ipsum dicentẽ cur non possit à se facere quicquam. Sicut audio, inquit, iudico. hoc est, non ex mea potestate decerno quod libitũ, sed ex iudicandi religione quod est: & ideo iudiciũ meum uerũ, quia non uoluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Audite quid iudex dicat cœlestis: Non possum à me facere quicquã, sed sicut audio iudico. Et
Ibid. 19 Pilatus dicebat ad dominũ Iesum: Potestatẽ habeo dimittẽdi te, & potestatẽ habeo crucifigendi te. Vsurpas ô homo potestatẽ quã nõ habes, cũ dñs neget se habere, qui habet super omnia potestatẽ? audi quid iustitia dicat: Nõ possit à me facere quicq;. Audite quid iudex æquitatis asserat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniquitatis loquat: Potestatẽ habeo dimittẽdi te, et potestatẽ habeo crucifigẽdi te. Tua Pilate uoce cõstringeris, tua damnaris sentẽtia. Pro potestate igit̃ nõ pro æquitate crucifigendũ dominum tradidisti: per potestatẽ absoluisti latronẽ, autorẽ uerò uitæ interfecisti. Sed nec istã à te habuisti quã habere te asseris potestatẽ. Denicq; dicit tibi dñs Iesus: Nõ haberes potestatem aduersus me ullã, nisi data tibi esset desuper. Mala potestas licere quod noceat. Potestas ista tenebrarũ est, uerũ nõ uidere, sed spernere. Audite quid uerus iudex loquat: Nõ quæro uoluntatẽ meã, sed uoluntatẽ eius qui misit me. Quasi homo loquit̃, quasi iudex docet: quoniã qui iudicat, nõ uolũtati sũæ obtẽperare debet, sed tenere quod legũ est. Cõstitue iudicẽ de hoc seculo: nũquid potest aduersum imperialis formã uenire rescripti?

scripti: Nunquid potest normam augustæ definitionis excedere? Quanto magis diui-
ni formã debemus seruare iudicij? Christus dicit: Non quæro uoluntatẽ meam. hoc est,
hominis, quæ uel odio dirigitur, uel studio intenditur, uel gratia inflectitur, uel aliorum
mendacio deprauatur. Omnis enim homo mẽdax, Sed uoluntatem, inquit, eius qui me Psal. 115
misit, hoc est, diuinæ cognitionis formam ueni docere, ut in iudicando magit cordi sit
ueritatis custodia, quàm obedientia uoluntatis. Non ergo hic quoq; infirmitas potẽtię;
sed forma est expressa iustitiæ. Iustum igitur est iudicium filij dei, quia est secundum uo-
luntatem dei, nõ secundum hominis affectum. Deus enim misericordiarum plenus est,
& misericordia eius cum iudicio, & iudicium cum misericordia. Neq; enim sine iudicio
miserer, neq; sine misericordia iudicat. Deniq; scriptũ est: Misericordia eius in stateris. Ibid. 61
Filij autem hominum mẽdaces in stateris ut decipiant. Examinat ergo & trutinat deus
merita singulorum, & quemadmodum per mensuram dat gratiam, ne supra mensuram
sit, ita per mensuram dat misericordiam. Vnde ait: Mensuram bonam, confertam, com- Luc. 6
motam, superefluentem dabunt in sinum uestrum. Eadem uerò mensura qua mensi fue
ritis, reddetur uobis. Similiter in statera singulorũ opera pensantur, ut si bona malis præ
ponderant, remuneratio pręmij deferatur: si peccata uirtutibus, tristior reum pœna con
stringat. quod expressum habes ad Timotheum, dicente apostolo Paulo: Quorundam 1. Tim. 5
hominũ peccata manifesta sunt præcedentia ad iudiciũ, quosdam aũt & subsequuntur. Si-
militer & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Om
nia ergo à domino deo nostro mensura quadam & ponderefiunt. Quis posuit (inquit) Esa. 40
rupes in statera? Et suprà: Quis mensus est manu aquam, & cœlum palmo? Qui nostra
examinat, sua utiq; examinata largitur, & saluo omnia decernit examine. Ponderat mise-
ricordiam, ponderat ultionẽ: in utroq; certũ pondus, habilisq; mensura est. Vnde & Da
uid ait: Et potũ dabis illis in lachrymis in mensura. ne sine moderatione mensuræ pœnæ Psal. 70
cumulo grauarent, et sustinere nõ possent. Et alibi idem ait propheta: Calix in manu do Ibid. 74
mini uini meri plenus est mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, ueruntamen fex eius nõ est
exinanita. Et Hieremias ait: Calix aureus Babylõ in manu domini, à quo inebriatę sunt Hier. 51
gentes, hoc est, pœna à nationibus persoluta est, ne diutius insultarent, quod dei popu-
lum acerbissima populatione uexauerint. Sensus igitur uersus Dauidici hic est: Parata &
plena est pœna quæ debetur impijs, quam dominus declinat in perfidos: sed tamen mi-
seratione sua non usq; ad fecem dignatur effundere, ne plenitudinem supplicij ferre nõ
possent. Inclinat ergo calicem, non euacuat. Quod inclinat, censuræ est: quod non eua-
cuat, misericordiæ. Ergo iudicium quoq; misericordia temperat dominus deus noster.
Quis enim nostrũ sine diuina potest miseratione subsistere? Quid possumus dignũ prę
mijs facere cœlestibus? Quis nostrũ ita assurgit in hoc corpore, ut animũ suũ eleuet quo
iugiter adhæreat Christo? Quo tandem hominũ merito defertur, ut hæc corruptibilis 1. Cor. 15
caro induat incorruptionẽ, & mortale hoc induat immortalitatem? Quibus laboribus,
quibus iniurijs possumus nostra leuare peccata? Indignę sunt passiones huius temporis Rom.
ad superuenturam gloriam. Non ergo secundũ merita nostra, sed secundum misericor-
diam dei cœlestiũ decretorũ homines forma præcedit. Multi persequentes me, & tri-
bulantes me, à testimonijs tuis non declinaui.] Non est magnum, si tunc à dei testimo-
nijs non declines, cum te nullus affligit, nullus persequit. Quis enim in offense cum sibi
prosperorum euentuum secundant successus, fieret ingratus? Quis diuitijs affluẽs, iugi
salute robustus, nõ ad dei gratiã referat quòd sibi illa cõcessa sint? Deniq; cũ sanctũ Iob
prædicaret dñs, ait aduersarius: Nũquid gratis colit Iob deum? Nónne tu uallasti eum?
Mitte manũ tuam in omnia quæ habet, si nõ in faciem te benedicet. Tunc igitur plus pro-
batus est, quando amissis opibus & filijs, à dñi cultu & gratia non recessit. Sed nõ unus
persecutor est, multos ministros habet: sed nõ te terreat. Per multas enim tribulationes Act. 14
oportet nos introire in regnũ dei. Si multæ persecutiones, multæ probationes: ubi mul-
tæ coronæ, multa certamina. Tibi ergo proficit q̃ multi persecutores sunt, ut inter mul-
tas persecutiões facilius inuenias quomodo coroneris. Vtamur exẽplo Sebastiani mar
tyris, cuius hodie natalis est. Hic Mediolanẽsis oriundus est. Fortasse aut iam discesserat
persecutor, aut adhuc non uenerat in hæc partiũ, aut mitior erat. Aduertit hic aut nullũ
esse, aut tepere certamẽ. Romã profectus est, ubi, ꝓpter fidei studiũ persecutiões acerbę

feruebant

feruebãt.ibi paſſus eſt,hoc eſt,ibi coronatus. Itaq; illic quò hoſpes aduenit, domicilium
immortalitatis perpetuæ collocauit.Si unus perſecutor fuiſſet,coronatus hic martyr u-
tique non fuiſſet. Sed, quod peius eſt, non hi ſolum perſecutores ſunt qui uidentur,ſed
etiam qui non uidentur,& multo plures perſecutores. Sicut enim unus perſecutor rex
multis perſecutionis præcepta mittebat,et per ſingulas uel ciuitates uel prouincias erãt
diuerſi perſecutores,ita etiam diabolus multos miniſtros ſuos dirigit,qui non foris tan-
tum,ſed etiam intus faciant perſecutiones in animis ſingulorum.De his dictum eſt per-
2.Tim.3 ſecutionibus:Omnes qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu,perſecutiones patiunt. Om
nes dixit,nullum excepit.Quis enim exceptus poteſt eſſe, cum ipſe Dominus perſecu-
tionum tentamenta tolerauerit? Perſequitur auaritia,perſequitur ambitio, perſequitur
1.Cor.6 luxuria,perſequitur ſuperbia,perſequitur fornicatio. Vnde & Apoſtolus ait:Fugite for
nicationem.Nam qua cauſa fugeres,ſi nulla te perſequeretur? Eſt enim malus ſpiritus for
nicationis,eſt malus ſpiritus auaritiæ,malus ſpiritus ſuperbiæ. Iſti ſunt perſecutores gra
ues,qui ſine gladij terrore mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis q̃
terroribus animos expugnant fidelium.Hi tibi hoſtes cauendi,hi grauiores tyranni,per
quos Adam captus eſt.Multi in perſecutione publica coronati, occulta hac perſecutio
2.Cor.7 ne ceciderunt.Foris, inquit, pugnæ, intus timores. Aduertis quàm graue certamen ſit
quod eſt intra hominem,ut ſecum ipſe confligat,cum ſuis cupiditatibus prælietur. Ipſe
Apoſtolus fluctuat,hæret,aſtringitur,captiuari ſe aſſerit in lege peccati,& mortis corpo
re debellari,nec potuiſſe euadere,niſi eſſet domini Ieſu gratia liberatus. Verum ut mul-
tæ perſecutiones,ita multa martyria.Quotidie teſtis es Chriſti. Tentatus es ſpiritu forni
cationis,ſed ueritus Chriſti futurum iudicium,temerandam mentis & corporis caſtimo
niam non putaſti.martyr es Chriſti. Tentatus es ſpiritu auaritiæ,ut poſſeſſionem mino-
ris inuaderes,indefenſæ uiduæ iura temerares: & tamen contemplatione cœleſtiũ præ-
ceptorum opem magis ferendam quàm inferendam iniuriam iudicaſti. Teſtis es Chri-
Eſa.1 ſti.Denicq; tales uult teſtes Chriſtus aſſiſtere,ſecundum quod ſcriptum eſt: Iudicate pu-
pillo,& iuſtificate uiduam,& uenite diſputemus,dicit dñs. Tentatus es ſpiritu ſuperbię:
ſed uidens inopem atq; egenum,pia mẽte compaſſus es:humilitatem magis q̃ arrogan
tiam dilexiſti.teſtis es Chriſti.Et,quod eſt amplius,non ſermonis tantummodo,ſed etiã
operis teſtimonium perhibuiſti.teſtis es Chriſti.Quis enim locupletior teſtis eſt, quàm
qui confitetur dominum Ieſum in carne ueniſſe,cum Euangelij præcepta cuſtodit? Nã
qui audit & non facit,negat Chriſtum:& ſi uerbo fatetur, operibus negat.Quàm multis
Matt.7 dicentibus,Domine,domine,nónne in tuo nomine prophetauimus,& dæmonia,eieci
mus,& uirtutes multas fecimus,in illa die reſpondebit: Diſcedite à me omnes operarij
iniquitatis? Ille ergo teſtis eſt, qui aſtipulantibus factis domini Ieſu præcepta teſtatur.
Quanti ergo quotidie in occultis martyres Chriſti ſunt,& Ieſum dominum confitent?
2.Cor.1 Nouit hoc martyrium Apoſtolus,& teſtimonium Chriſti fidele,qui dixit:Hęc eſt enim
gloriatio noſtra,teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ.Quanti foris confeſſi ſunt, & intus ne-
gauerunt? Namq; uxoris ducendæ gratia,quæ gentili uiro à Chriſtianis parentibus ne-
gabatur, ſimulata ad tempus fide, pleriq; produntur quod foris confeſſi ſunt,intus ne-
gaſſe. An fornicationis cauſa tantummodo putamus dominum deum noſtrũ in popu-
lum ludæorum tam ſeuere eſſe commotum,ut uiginti tria millia de populo necarentur,
propterea quòd Madianitæ gentis fœminis cõcubitu miſcerentur, ac non eò quòd per
illos concubitus alienigenarum diſcedere à fide,negare dominum cogerentur? Nolite,
1.Ioan.14 inquit, omni ſpiritui credere, ſed à fructibus eorum cognoſcite quibus credere debea-
tis. Venit quis in Eccleſiam,dum honorem affectat ſub imperatoribus Chriſtianis,ſimu
lato metu orationem ſe fingit deferre,inclinatur,& ſolo ſternitur, qui genu mentis non
flexerit:uidet illum homo,Chriſtianum putat:uidet homo orantem ſupplici ter,& cre-
dit:ſed deus audit negantem.Diſcedit probatus ab homine, ſed condemnatus à iudice.
Quanto tolerabilius fuerat homini negaſſe, & deo eſſe confeſſum? Licet hoc quoq; ſit
reprehenſibile.Perfecta enim confeſſio & animi quęrit deuotionem,& uocis profeſſio
Rom.10 nem.Corde enim creditur ad iuſtitiam,oris autem confeſſio fit ad ſalutem.Ergo in per-
ſecutionibus interioribus eſto fidelis & fortis,ut in iſtis forenſibus perſecutionibus ap-
proberis. Et in intimis perſecutionib.ſunt reges & præſides terribiles iudicij poteſtate.

Habes

Habes exemplum in domini tentatione quam pertulit. Demonstrata sunt ei omnia regna, & dictum est ei: Tibi dabo hæc omnia, si procidens adoraueris me. Lectum est & alibi: Non regnet peccatum in uestro mortali corpore. Vides ante quos reges statuaris ô homo, ante quos præsides peccatorum, si culpa regnat? Quot peccata, quot uitia, tot reges. Et ante hos adducimur, & ante hos stamus. Habent etiã isti reges tribunal in mentibus plurimorũ. Sed si quis Christum fateatur, statim regem illum facit esse captiuum, deiecit de solio suæ mentis. Quomodo enim poterit diaboli tribunal manere in eo cui Christi tribunal assurgit? Multi ergo persequẽtes & tribulantes me. Et fortasse Christus hoc dicit, & dicit in uocibus singulorum. ipsum enim aduersarius persequit in nobis. Si declines persequentem, Christum abijcis, qui se tentari patitur, ut uincat. Vbi illum uiderit diabolus, ibi parat insidias, ibi tentationum machinas admouet, ibi dolos nectit, ut illum, si possit, excludat. Vbi autem diabolus præliatur, ibi Christus assistit. Vbi diabolus assidet, ibi Christus includitur, ibi murorum spiritalium septa defendit. Ergo qui persecutorem refugit, reijcit etiam defensorem. sed cum audis: Multi persequentes & tribulantes me, noli timere: qui potes dicere: Si deus pro nobis, quis contra nos? Verùm hoc dicit ille qui à testimonijs domini nullo uitiorum declinat anfractu. Vidi non seruantes pactum, & tabescebam, quoniam uerba tua non custodierunt.] Beatus qui in charitate dei tabescit, qui uidet nõ seruantes pactum. Alius propter uitiosos amores tabescit, qui distillat dum est dilatus amore dilectæ, & dum protelatur flagrantis cupiditatis affectus, animus deficit, uires corporis quadam deformitate palloris, fessorumq; artuũ tabe minuuntur. Alius qui pecuniam concupiscit: donec potiatur eam, auaro miser tabescit affectu: alius immodicè capessendi honoris impatiens, si desideria lõga suspiret, nõ meriocrimentis tabe conficitur. Non talis est qui dicit: Quàm distabuit caro mea in terra deserta, inuia & sine aqua. Hic enim castigabat carnem suam & tabescere faciebat, dum indefesso desiderio diuinæ cognitioni intentus, & lucem diei solicita expectatione præueniens, antelucanũ soluere dño canticis & hymnis gestiebat obsequiũ. Tabescit ergo uir pacificus, quando alios uidet pacta rescindere, cõsensuum abolere concordiam, iurgia de pace reparare, in tumultus redire de gratia. Quod utiq; non facit qui domini præcepta custodit. Non facit qui audit dicentem: Pacem meam do uobis, pacẽ relinquo uobis. Ergo qui pactum seruat, is Christi obedit imperijs. Qui autem non seruat, ille Christi præcepta contemnit: & quod peius est, cõperta fastidit & negligit. Vide quia præcepta tua dilexi domine, in misericordia tua uiuifica me.] Hic quoq; inuitat dominũ ut plenum charitatis suæ expectet affectum. Nemo dicit, uide, nisi qui iudicat se, si uideat, esse placiturum. Et pulchre dixit, uide, & secundum legem dixit, quia lex præcepit ut unusquisq; ter in anno se offerat in conspectu domini. Quotidie se sanctus offert, quotidie apparet, & non uacuus apparet. Non est enim uacuus, qui de plenitudine eius accepit. Non erat uacuus Dauid qui ait: Repletum est gaudio os nostrum, quia gaudium fructus est spiritus sancti. Et sicut de plenitudine uerbi nos omnes accepimus, quemadmodum dixit Ioannes, ita etiam spiritus sanctus de plenitudine sua repleuit orbem terrarũ. Non erat uacuus Zacharias, qui repletus est spiritu sancto, & prophetauit aduentũ domini Iesu. Non erat Paulus uacuus qui euangelizabat in abũdantia, & repletus erat accipiens odorem bonæ suauitatis, & ab Ephesijs placentem deo hostiam. Non erant Corinthij uacui, in quibus abundabat dei gratia, iuxta eiusdem Apostoli testimoniũ. Offerebat se ergo Dauid quotidie deo, & non uacuus offerebat, qui poterat dicere: Os meũ aperui, & adduxi spiritũ. Ideo ergo dicebat: Vide quia præcepta tua dilexi. Audi in quo te offerre debeas Christo. Non in his quæ uidentur, sed in occultis, sed in abscondito: ut pater tuus qui uidet in abscondito, reddat tibi, & fidelem remuneret affectũ. Præcepta, inquit, tua dilexi. Non dixit seruaui, non dixit custodiui. Nam imprudentes non custodierunt præcepta domini. Aliqui enim codices habent ἀξυνετοῦντας, hoc est insipientes, non intelligentes. Ergo qui non intelligunt, non sapiunt, hi qui non custodiunt. Qui autem perfectus est intellectu, perfectus sapientia, diligit: quod est amplius quàm custodire. Custodire enim necessitatis plerunq; est & timoris, diligere charitatis. Custodit qui euangelizat, sed qui uolens euangelizat, mercedem accipit: quanto magis qui diligit, mercede donatur? Possumus etiã non amare quod uolumus, non possumus nolle quod

Marc. 4
Rom. 6
Rom. 8
Ioan. 14
Psal. 125
Ioan. 1
Sap. 1
Luc. 1
Matt. 6

amamus. Sed quamuis mercedem perfectæ charitatis expectet, & miserationis diuinæ
suffragiũ poscit, ut in ea uiuificetur à domino. Non ergo arrogans, debitæ mercedis ex-
actor, sed uerecundus misericordiæ diuinæ est deprecator. Principium uerborũ tuo-
rum ueritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.] Cum principium uerborũ dei ueri
tas sit, ueritas utiq; fidei fundamentũ est. Primum etenim oportet ut credamus uera esse
dei summi quæ in diuinis scripturis legimus oracula. Secundum est, uirtutem eorũ ple-
Psal. 110 niore cognitione discamus. Sicut est initium sapientiæ timor Domini, ita plenitudo sa-
pientiæ dilectio. Lex enim sapientia, plenitudo aũt legis dilectio: ita plenitudo uerbo-
rum dei sapientia, cognitio q; iustitiæ. Nam sicut à timore domini processus quidam est
ad gratiam charitatis, ita à ueritate ad iudicium iustitiæ diuinæ, quidam uidetur fieri pro
cessus. Venisti ad Ecclesiam, audisti unum deum dici, unde lex incipit, sicut habes scri-
Deut. 6 ptum: Audi Israel, dominus deus tuus, deus unus est: crede unum deum esse, non plu-
res deos. Cum autẽ cœperis legere dominũ Iesum Dei filium in carne uenisse propter
totius mundi redemptionem, distingue sapienter unum deum patrem esse, ex quo om-
nia, & nos in illum: & unum dominũ Iesum, per quem omnia, & nos per ipsum. Cogno-
sce quia ideo uenit, ut uirtutis semitis nostros informet affectus, ut morum mansuetudi
nem conuersationis eius disceremus exemplo, ut aboleretur culpa per gratiam, & tunc
à ueritatis confessione ad cognitionem iustitiæ processisti. Fides principium Christiani
est, plenitudo aũt Christiani iustitia est. Fides in confessione populorũ, iustitia martyrũ
passione. Scientes igitur in æternũ mansura iudicia omnia iustitiæ dei, caueamus ne o-
pera nostra displiceant, & in æternum incipiamus subire iudicium, nec si aliquid boni
2. Cor. 5 fecimus, resupino soluamur affectu. Omnes oportet nos ante tribunal Christi assistere,
ut recipiat unusquisq; quod gessit, siue bonum sit, siue malum. Vides quia & ipse Pau-
1. Cor. 3 lus assistet, ut ipse cõmemorat. Caue ligna, caue stipulam ad iudiciũ dei tecum deferas,
quæ ignis exurat. Caue cum in uno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus ope
ribus deferas quod offendat. Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur, potest tamen &
ipse per ignem saluari. Vnde colligitur quia idem homo & saluatur ex parte, & cõdem-
Ibidem. natur ex parte. Cognoscẽtes itaq; multa esse iudicia, opera nostra examinemus omnia.
In uiro iusto graue est detrimentum, graue operis alicuius incendiũ, in impio pœna mi-
serabilis: sint magis omnia iudicia plena gratiæ, plena florentium coronarum, ne forte
dum trutinantur facta nostra, culpa præponderet.

SERMO XXI.

INcipit litera Schin, quæ Latinè dicitur, Super uulnus. Super uulnus quid est
nisi medicamentum, quo uulneris acerbitas mitigatur? Super uulnus oleum
infunditur, ut omnis uulneris asperitas molliatur. Super uulnus malagma, su
per uulnus alligatura, à quibus omne uulnus fouetur. Vbi ergo spes refundendæ est sa-
nitatis, ibi adhibentur medicamenta uulneribus. Vbi aũt omne caput in dolore, & om-
ne cor in mœstitia, non est uulnus neq; cicatrix, non plaga cum feruore. hoc est, ubi non
portio, sed uniuersitas periclitatur, & quadam corruptio totius corporis tabe consumi-
tur, ibi non est malagma imponere, neq; oleum, neq; alligaturam. Multo igitur commo
dius est ut sit uulnus quod foueas atq; constringas, quàm sine uulnere mors serpat inte-
rior. Sed est non solum corporis uulnus, sed etiam mentis, quod oleo quodam mollio-
ris alloquij, & pacifici sermonis suauitate miteſcit. Sunt fomenta uerborum, sunt me-
dicamenta cœlestium præceptorum, quibus omne nequitiæ uirus aboletur. Sunt legis
uincula quæ non adurant, sed magis liberent alligatos, & malagma spiritale quo collisa
animæ quædã membra solidentur. Consideremus igitur quid sit uulnus, quid supra uul
nus. Principes persecuti sunt me gratis uulnus est. Exulto ergo in uerba tua, sicut qui in
uenit spolia multa, supra uulnus est, quia uerbis dominicis uulnera dura curant. In Thre
Thren. 3 nis quoq; Hieremiæ habes sub hac litera scriptum: Audisti opprobrium eorũ Domine,
omnia consilia eorum aduersum me, labia insurgentium aduersum me tota die, sessionẽ
Ibidem. eorum, & resurrectionem eorũ, uulnus ast. Sed subiecit: Aspice in oculis eorum, redde
illis retributionem domine secundum opera manuum ipsorum: super uulnus est, quia
Ibid. 4 uindicta plerumq; solet dolorem uulneris mitigare. Et infrà idem Hieremias ait: Gaude
& lætare filia Idumææ, quæ habitas in Geth. Et quidem ad te pertransibit calix, bibes,
& ine-

& inebriaberis adhuc, super uulnus est. Calix enim domini remissio peccatorũ est, quo sanguis effunditur, qui totius mundi peccata redemit. Hic calix inebriauit gentes, ne pristi meminissent doloris, sed ueterem obliuiscerentur errorem. Bona igitur ebrietas spiritalis, quæ turbare nescit corporis incessum, leuare mentis nouit uestigium. Bona ebrietas poculi salutaris, quæ mœstitiam peccatricis abolet conscientiæ, iucunditatẽ uitę infundit æternæ. Ideo scriptura dicit: Et poculũ tuum inebrians quã præclarum est. Medica mentũ igitur super uulnus est, quia dñs Iesus ipse est medicus, quia uulnera nostra curauit, infundens uinum & oleum, & alligans uulnera Adæ illius, qui descendens Hierusalem a latronibus uulneratus est. Caueat igitur unusquisq; ne descendat ab Hierusalem. Peccatis enim suis unusquisq; descendit, & meritis ascẽdit. Aut quia fragiles sumus, qui descendit, currat ad illum Samaritanũ, custodem corporis sui: custodem legis & gratiæ, ut uulneri suo possit inuenire medicinam, qui alligaturam uerborũ cœlestiũ super uulnus imponat, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorũ. Bona alligatura, quæ fracta animæ tuæ ossa connectat, & soliditate reparata in pristinas uires reformet, ac discissos artus sine ulla cicatricis offensione restituat. De literæ interpretatione satis pro captu nostro dictum putamus, adoriamur sancti prophetæ uersus considerare, quos spiritu sancto reuelante subiecit: Principes persecuti sunt me gratis, & à uerbis tuis trepidauit cor meum.] Si ueterem repetamus historiam, & Saul & Abessalon, & multi alienigenæ principes sanctũ Dauid persecuti sunt, sed nemo potuit de eo triumphare. Sunt & principes mũdi rectores tenebrarũ, qui te in tuo pectore conantur opprimere, & persecutionũ sæua intus operantur: promittentes regna terrarum, honores atq; diuitias, si fragili mente succumbas, & obediendum eorũ imperijs arbitreris. Isti principes interdum gratis persequuntur, interdum non gratis. Gratis persequuntur, apud quem nihil suum inueniunt, & eum subiugare contendunt: nõ gratis persequuntur eũ, qui se eorum dederit potestati, & in possessionem seculi totus intrauerit. In suos em̃ iure sibi dominatum uindicant, atq; ab his mercedẽ iniquitatis efflagitant. Bene hoc martyr dicit, quòd iniuste persecutionũ tormenta sustineat, qui nihil rapuerit: nullum uiolẽtus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius thorum putauerit esse uiolandum, qui nihil legibus debeat, & grauiora latronum sustinere cogatur supplicia, qui loquatur iustè & non audiatur, qui loquatur plena salutis & impugnetur, ut possit dicere: Cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur sine crimine: impugnatur ut noxius, cum sit in tali confessione laudabilis: impugnatur quasi ueneficus, qui in nomine domini gloriatur, cũ pietas uirtutũ omnium fundamentum sit. Verè frustra impugnatur, qui apud impios & infidos impietatis accersitur, cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugnatur, fortis debet esse & constans. Quomodo ergo subtexuit: Et à uerbis tuis trepidauit cor meũ? Trepidare infirmitatis est, timoris atq; formidinis. Sed est etiam infirmitas ad salutem, est etiam timor sanctorũ. Timete dominũ omnes sancti eius. &, Beatus uir qui timet dominum. Qua ratiõe beatus? Quia in mandatis eius cupit nimis. Pone ergo martyrem inter pericula constitutum, cũ inde immanitas bestiarũ ad incutiendum terrorem infremat, aliunde stridor candentiũ laminarum, & flamma fornacis ardentis exæstuet, ex parte alia personent tractus grauiũ catenarum, hinc carnifex cruentus assistat. Pone, inquam, circumspectantem omnia plena supplicijs, deinde cogitantẽ mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorũ, illam pœnæ recrudescentis ærumnam, trepidare corde, ne dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitijs, perturbari animo, dum futuri iudicij romphæam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nónne ad hanc trepidationem fiduciæ uiri constantis, æqualis in eundem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, & diuina trepidantis? Si tamen fortior ille qui sperat, sit fortior qui præsumit. Vtinam ego talis esse merear, ut si forte persecutor ingruerit, non considerẽ suppliciorũ meorum acerbitates, non metiar tormenta, non pœnas, non cogitem ullius atrocitatem doloris: sed hæc omnia leuia ducam, trepidem ante Christũ, ne Christus me neget, ne Christus excludat, ne me repellat de concilio sacerdotũ, si indignum collegio me iudicauerit: uideat magis licet permotũ corporalium terrore pœnarũ, plus tamẽ trepidantem futura iudicia. Et si dixerit mihi: Modicæ fidei quare dubitasti? porriget tamẽ dexte-

Psal. 22

Luc. 10

Matth. 3

Ephes. 6

Psal. 119

dexteram,& insurgentis huius seculi fluctus mole turbatũ,fida mẽtis statione firmabit.
Exulto in uerbis tuis,sicut qui inuenit spolia multa.] Bona ergo trepidatio à uerbis dei,
si exultationẽ generat. Qui eñ trepidat à uerbis Dei,postea exultat in uerbis dei.Ergo
qui habet in aula sua,corde uidelicet suo uerba Dei, excluſit sermones principũ à corde
suo,excludit timor timorẽ.Si eñ ingressus quis balneas,solis deponit æstus,& calor ex-
cludit calorẽ: quanto magis diuini iudicij terror hunc errorẽ excludit humanũ? feruo-
rem gratiæ secularis,gratiæ feruor æternæ? Exultat ergo qui habet uerbum dei. Habet
enim spolia multa,quæ Iudæis abstulit,habet prostrati hostis exuuias. Sicut Dauid abs-
1.Reg.17 tulit Goliæ gladiũ,& ipsius gladio caput eius execuit:sic uerus Dauid humilis atq; man
suetus dñs Iesus,intelligibilis Goliæ caput armis ipsius amputauit. Arma diaboli gẽtes
erant.Fide aũt gentiũ uulneratus,caput quod habebat amisit.Detracta sunt spolia pro-
strato,uasa eius direpta,quia alligatus est fortis. Vas diaboli caro erat hominis peccato
ris,sed posteaq; in Christũ credidimus,caro nostra cœpit esse uas electionis,ut habes de
Act.9 apostolo Paulo,qui ad gentes missus est dictũ à domino Iesu ad Ananiam: Vade, quo-
Esa.8 niam uas electionis mihi est.Meritò ergo uocatum nomen est Christi: Velociter spolia
detrahe,diuide cito:quia priusq; sciat puer uocare patrẽ aut matrẽ,accipiet uirtutẽ Da-
masci,& spolia Samariæ cõtra regẽ Assyriorũ.Ergo rex Assyriorũ,eorũ scilicet quos ua
nos sua perfidia fecerat,amisit spolia quę tenebat.Et ut iterũ cognoscas quia spolia Chri
stus à diabolo,quæ in Adam ille inuaserat,uindicauit,& Saba dona adduxit,uiri excelsi
ad dominũ Iesum alligati uinculis transierunt,atq; cœperunt illũ adorare,qui captiuam
Ephes.6 duxit captiuitatẽ.Ideo caput eius abstulit,ut ipse caput esset corporis interempti.Meri-
tò nunc gentes toto orbe caput regale circumferunt,quia membra sunt Christi.Cogno
uisti de nationibus,cognosce etiã de Iudæis,quib.dominus Iesus abstulit spolia:hoc est,
regnũ cœlorũ abstulit,& dedit genti facienti fructũ eius.Abstulit uirtutẽ panis,& uirtu
tem aquæ,prophetã,& admirabilem consiliariũ,& prudentẽ architectũ,& sapientẽ au-
ditorẽ.Illis abstulit,nobis dedit.Meritò exulto,sicut qui inuenit spolia multa.Sine labo
re meo inueni spolia quę nõ habebam.Inueni heptateucũ,inueni Prouerbia,inueni Eccle-
ni prophetarũ scripta,inueni Esdram,inueni Psalmos, inueni Cantica canticorũ,inueni admirabilẽ cõsiliariũ Christũ,inueni Paulũ pru
siasten,inueni Cantica canticorũ,inueni admirabilẽ cõsiliariũ Christũ,inueni Paulũ pru
dentẽ architectũ,inueni sapientẽ auditorẽ populũ Christianũ, qui nouit ea quæ leguntẽ
audire.Ille eñ audit,qui ea quæ audit intelligit. Lex spiritalis est.Non illã audit Iudæus,
qui audit corporaliter:sed ille audit, qui audit in spiritu.Habent illi libros,sed sensum li-
brorũ non habẽt.Habent prophetas,sed nõ habent illi quem prophetauerunt.Quomo
Exod.12 do enim habent,quem nõ receperunt? Ideoq; cum Moyse & Helia mihi apparuit, quia
ab illis recessit.Multa habet spolia,qui habet dei uerbũ. Habet resurrectionẽ, habet iu-
stitiam,uirtutẽ atq; sapientiam,habet omnia,quia in ipso constant omnia. Hebræi spo-
liauerunt Aegyptios,& uasa eorũ abstulerunt. Iudæorũ spolia habet populus Christia-
nus,& totũ habemus quod illi habere se nesciebant. Illi aurũ & argentũ materiale abstu
lerunt,nos aurũ mentis accepimus,nos acquisiuimus cœlestis sermonis argentũ. Iniu-
stitiam odio habui,& abominatus sum, legem autem tuam dilexi.] Meritò odit iniusti-
tiam,qui habet arma iustitiæ.Hebręus cum haberet hęc arma,hoc est,legem & prophe
Num.19 tas,murem uel hominẽ abominabatur mortuũ,quia lex dicit:Omnis qui tetigerit mor-
tuum,immundus erit.& humanitatis suprema negabat officia defunctis. sed legi nõ est
mortuus,nisi qui iniustus est.Hæc enim immundicia iustis quæ iniquitas? Quid eñ im-
mundius, cũ mentem qua nihil homini pretiosius est datum, turpibus cõmaculare cri-
minibus,& atrocibus efferare cõmentis? Quid illis prodest quòd mortuũ hominem ui-
sere formidant? Vtinam uita eorum non pollueret appropinquantem,quorũ mors con
taminare neminem potest.Mors nemini nocet,utinam uita nõ noceat. Contagiũ enim
colluuionis,cõsortium iniquitatis est.Quomodo ergo cõtaminare potest, qui iniquus
esse iam non potest,cum etiamsi fuit,tamen esse desiuit? Fuge ergo iniquitatẽ,ne te cõ-
prehendat.Fuge iniustitiam,quæ uiuentes adhuc mortuos facit. Sed nemo fugit iniqui
tatem,nisi qui diligit æquitatem.& ideo ait:Legem autem tuam dilexi. In lege æquitas
est,si spiritalem accipias legem: si consurgas cum Christo, & ibi altare sacrosanctum il-
lud cœleste consideres, non altare terrenum, quod hostili populatione destructum est.

Si illam

Si illam Hierusalem spectes quæ in cœlo est, non istam quæ à populo Iudæorũ frequen
tabatur in terris, quæ propter incolarũ perfidiam à Romano exercitu triumphata, inie-
cto flagrauit incendio. Si intuearis illũ principem sacerdotũ de quo scriptũ est: Haben- Hebr. 4
tes itaq; magnũ sacerdotem egressum de cœlis, Iesum filiũ dei, teneamus confessionem
fidelem, qui quotidie aduocatus pro nobis est apud patrẽ, ut pro quibus in diebus car-
nis suæ misericordi est compassus affectu, pro his operetur remissionem quotidie pec-
catorũ. Quæ enim spes alia generi humano, nisi omniũ uiuentiũ delicta donentur? Ille
ergo princeps solus est sacerdotũ, cui astant pij sacerdotes intra cœlestiũ sacrariũ illud
altissimum, merito proprij cruoris ingressi. Illa ergo lex diligenda est, in qua uerus He-
bræus liber ab omni seruitute uitiorũ, in qua magnũ sabbatũ & inoffensa requies defun
ctorũ, in qua mortui populi semen resuscitatur, non commixtione, sed fraterna redem-
ptione. Secundũ hanc ergo legem odio habet sanctus iniustitiam, non iniustũ, qui po-
test sæpe conuerti, nec mortuorũ reliquias, sed mortuam iniquitatem execratur, & refu
git. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.] Et numero quidem stu-
dium sanctæ deuotionis exprimit. Sed puto magis quod purus & quietus ac uacuus ab
omni onere delictorũ declaretur affectus: ut sine ullis iracundæ imprecationis, aut fla-
gitiosæ cupiditatis incendio deferatur oratio, nihil quod alij noceat postulemus, nihil
quod nos secularibus petitionibus decoloret. Laudemus in hymnis & cãticis, uera sem
per & iusta ea quæ de diuinis canimus laudibus confitẽtes. Non sit anceps & dubia sen
tentia, non discolor mentis intentio, non materialibus negocijs occupata à propositi
spiritalis executione deflectat. Iustificetur semper iustitia dei tranquillo animo, nõ ocio
feriato. Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum.] Suprà dixi-
mus, quia charitas excludit timorem, nunc dicimus quia excludit omnem perturbatio-
nem. Etenim qui deũ diligit, profunda est ei confirmatæ mentis tranquillitas. Aque, in- Cant. 8
quit, multæ excludere non potuerũt charitatem, & flumina non inundabunt eam. Mul
ta aqua diuersarũ est passionũ, & flumina secularium cupiditatũ corporalibus motibus
incitata. Ideoq; charitate fundatus dicit: Torrẽtem pertransiuit anima nostra. Nunquid Psal. 123
aqua maris excludere Moysi potuit charitatem? Et ut secundum literam tibi psalmorũ
series suffragetur, nempe diligens deũ tutũ sibi credit iter esse per maria. Qui aũt non dile
xerunt deũ, hi dimersi fluctibus dignũ sacrilegijs suis exitũ pertulerunt. Helias atq; He-
liseus Iordanem transierant pede, & hæc fuit nimiæ merces & gratia charitatis. Hi igit
ut transirẽt aquas fluuij Iordanis, passionũ fluenta nostrarũ mentis prius uestigio trans-
ierunt. De hac aqua dicit dominus: Si transeas per aquam, tecũ sum, & flumina non in- Esa. 43
undabunt te. Adest iustis suis semper cum aliquibus terunt aduersis, si tamen transeant
mente constanti non dubitanti, non fidei turbentur incerto. Transi ergo & tu fidelis a-
nimi directione, si diuinam uis tibi adesse præsentiam, si non solũ pax, sed etiam multa
pax sit in animo tuo, nulla te prælia diuersæ cupiditatis impugnent, non iracundia sti-
mulet, non libido: etsi est pugna, tamen foris, non intus sit. Prælia aduersus persequen
tes te licet & ipsis silentio sæpe cedendũ sit, quia tibi uincunt. Illorũ potentia, tua uicto-
ria est. Tunc denicq; triumphant, cum se uicisse crediderint. Non ergo te impugnet aua-
ritia, non cupiditas exagitet, non tristitia deijciat, non inflammet libido, non resupinet
superbia, non curuet ambitio, non formido consternat. Pax multa abundet, quæ exupe
rat omnem mentem, secundũ Apostoli sententiã: quo nihil pulchrius dici potuit. Sum- Philip. 4
mus enim sapientiæ finis est, ut simus mente tranquilla. Non commentitijs poetarũ fa-
bulis lubricus turbetur affectus. Summus finis est iustitiæ, ut iniquitas mentem iusti mo
uere non possit. Virtutis totius hic finis est, & corporeæ ipsius fortitudinis, ut confecto
bello miles pacem reformet. Paci ergo & ipsa plerunq; militat fortitudo bellandi: Ne-
mo ergo pacificũ turbet affectũ. Multa generantur ad perturbationẽ hominis, & uxor
plerunq; decepta serpentis insidijs animũ uiri exagitare conatur: & pater fidem filij fre
quenter irridet, & uir coniugis suæ mentem tentat opprobrijs. Sed in his omnibus supe
rat iustus & dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an Rom. 8
persecutio? Quoties bene facta crimini dantur? quoties uirtus opprobio ducitur? quo-
ties ipsa ingrata est gratia? Vendidit iustus facultates suas, dispensauit pauperibus, ni-
hil sibi reliquit: cõtemnitur plerunq; in ipsa ecclesia, quia dives esse desiuit: sicut scriptũ

Cant. 8 est: Si dederit uir omnes facultates suas in charitate, contemptui contemptus erit. Nõ et
go moueatur. Non enim mercedem huius seculi, nec gratiam, sed uitæ quæsiuit æternę,
Non indigneꝫ, quia homines pecunijs magis ꝙ operibus bonis deferunt. Nam si ei pro
pter bonum opus in hoc seculo deferatur, & huius studij fructũ hic adipiscatur, dicetur
de eo: Percepit mercedem suam. Habet quidem opus bonum, & hic gratiam, sed breuis
portio emerendæ salutis est. Serua futuris mercedem tuam, & istius seculi opprobria, in
Rom. 8 crementa mercedis tuæ iudica. Cogita semper Apostolicũ illud, quòd indignæ sint pas-
siones huius temporis ad superuenturam gloriam. Nullis ergo iustus frangaꝫ iniurijs,
nullis moueatur periculis, nullis tẽtetur procellis, siue mors ingruat, siue uita, siue ange-
li cœlorum. Neꝙ deijciatur aduersis, nec extollatur secũdis. Nusquam sit eius infirmus
affectus. Et mors tentat, & uita tentat. Caueat scandalum. Qui pacem habet, quæ omnẽ
mentem superat, magnus est, non de pusillis istis. Ideo scandalũ pati non debet, quia pu
Matt. 18 sillorum est, exagitari scandalo. Vnde & dominus ait: Quicunqꝫ scandalizauerit unum
de pusillis istis minimis. Non solum pusillos, sed etiam minimos dixit, quos perturbant
scandala: & ideo graui obnoxius pœnæ est, ut legisti, quicunqꝫ turbauerit infirmæ men
tis infantiam. Sicut enim grauiori dignus supplicio est qui persuaserit crimẽ infantulo,
& incautam præcipitarit ætatem: ita qui inualidum & insipientem & improuidum cir-
cumscripserit persuasione erroris, aut exagitatione cordis affectũ. Vis scire ꝙ infirmus
1. Cor. 8 sit, qui scandalizatur? Non manducabo, inquit, carnem, ne fratrẽ meum scandalizem.
Quanta infirmitas, & quædam infantia animi, ut eum etiam esca fratris exagitet. Vnde
non potest homini esse præcipitiũ, quãdo etiam hinc est periculum? Et quod peius est,
infirmitas huiusmodi serpit in multos. Vides inopem iustũ, tentaris. uides diuitem ini-
quum, tentaris. uides sine liberis sanctum, tentaris. uides liberis, honoribus, laudib. secu
laribus abundantem iniustum, tentaris. Quantæ foueæ, quanti laquei, & quod est gra-
uius, qui multos strangulent. In Sodomitana urbe uix unus Loth qui non tentaretur in
uentus est, cuius tamen uxor non potuit tentationis laqueos euadere. Hebræorũ popu
lus maria transiuit, sed nõ potuit tentamenta transire. Tẽtati sunt omnes prẽter Iesum &
Caleph, qui ideo de senioribus terram repromissionis introire meruerunt, quia fuerunt
tentationis expertes. Nec Aaron introiuit, nec Maria, quia & ipsi tẽtati sunt. Nec Moy-
ses introiuit, quia dux erat populi qui tentabaꝫ. Typus legis qui excludere tentamenta
non poterat, non poterat in terram resurrectionis inducere, quia ista Euangelio gratia
debebatur. Lex pacem non potuit dare. ideo Moyses quoad uixit semper præliatus est,
semper legis populus uersatus in ancipiti bellorũ est, Iesus autem Naue plebis animos
profunda pace composuit: quoniam qui sub lege est, agitatur incertis: qui sub Euange-
Ioan. 14 lio, audit dicentem: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. ideoqꝫ diligentibus
1. Cor. 1 non est scandalum. Accipe aliter: Crux Christi Iudæis scandalũ, Græcis stultitia est. Scan
dalum est perfido, quia dicit Iudæus: Ergo hic deus est, qui homo uisus est? Hic deus est
qui ieiunauit? Hic deus est, qui uapulauit? Hic deus est qui crucifixus est? qui de cruce
descendere, & se liberare non potuit? Deniqꝫ hoc dicebant tempore dominicæ passio-
Matt. 27 nis: Descendat de cruce, & credimus ei. Confidit in deo, liberet eum nunc si uult. Nõ te
ista tentent, non te ista perturbent, non in animũ tuũ huiusmodi se inserant cogitatiões.
Vbi pax & multa pax, ibi crux Christi non opprobrio, sed saluti est. Non fuit opprobrio
Petro crux Christi, qui tantũ eius gloriæ dedit, ut uniuersis Christũ honoraret uestigijs,
metuens ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse domini gloriã uideret.
Crux ergo opprobrium perfido, fideli aũt gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est:
quia pro nobis passus est dominus, quia illo nos redemit sanguine, illa ad paradisum re-
surrectione reuocauit. Qui hæc credit, quomodo potest turbari, cui spes regni cœlestis
assurgit? Expectabam salutare tuũ domine, & præcepta tua feci.] Qui expectat, spe-
rat charitatem. Ergo spes præcedit, sequit salus. Spes igit præcurrit effectũ. ideo qui ex-
pectauit salutem à dño, præcepta domini fecit. Vnde & dns appellat amicos in Euange
lio, non seruos, qui sua præcepta fecerũt. Qui diligit enim, facit: & qui fecerit, meritò di-
lectionis remuneratione donaꝫ. Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea
nimis.] Plus est diligere ꙙ custodire, ut suprà diximus: quia custodire, interdũ necessita
tis est uel timoris: diligere, charitatis. Ideo quum hic dixisset, Custodiui, adiecit, Dilexi:
ut custo-

ut custodia amantis fuerit,non timentis.Qui nimium dilígit, nimiũ custodit. Seruaui præcepta tua & testímonia tua, quoniam omnes uiæ meæ in conspectu tuo Domine.] Beatus qui potest dícere:Omnes uiæ meæ ante te. qui nolit abscondere omnes cogitationes suas,omnes actus suos. Abscondebat Adam uíam suam, abscondebat Eua post culpam,abscondebat Cain necem fratris.In affectu habemus abscondere,nõ in effectu. Plena abscondentis perfidia,& si apud deum nulla sit latebra. Ideo Ecclesia in Canticis sua ei secreta monstrabat,dicens:Assumam te,& ducam te in domum matris meæ, & in secretũ eius quæ concepit me.Nam & si deus omnia uideat cordis occulta,bonũ tamen est ut unusquisq; animam suam ei aperiat & expẽdat, & tanquam lumini uel calori eius occurrat.Nec immeritò gloriat Ecclesia dicens:Ego eram in oculis eius tanq; inueniẽs pacem.quoniam uias suas prodere non timebat.Iusti ergo est ista uox. Oculi enim Domini super iustos.Itaq; domino Iesu Christo,qui est uia & ueritas,bene hoc dícitur ab ijs qui illam ueram uíam fide,moribus,actuq; desíderant conuenire: Omnes uiæ meæ coram te domine. Nulla enim potest uia esse boni, nisi quam tu illuminandã tui uisitatione lumínis iudicaueris:cui est honor & gloria,laus,perpetuitas à seculis, & nunc & semper,& in secula seculorum. Amen. Psal.33

SERMO XXII.

Incipit Tau lítera,quæ Latina interpretatione significat, Errauit. Alía interpretatio habet,Consummauit.Quid est errauit? Vicesimasecunda lítera est, quæ apud Hebræos est ultima.Psalmo aũt ísto,hoc est, centesimo octauodecimo, profectum hominis díximus significari, qui doctrinæ moralis magisterijs eruditus,deponeret omnem inexercitatæ mentis infantiam, assumeret autẽ ueterani consilij scientiam,& prudentiæ senilis ætatem.Vbi aũt error est,culpa signat. Hic ergo est profectus finis,ut culpa sit.Sed uide quid interpretetur.Errauit,inquit: nõ errat,sed errauit. Erasse,præteriti est temporis:errare,præsentis.Qui errauit,desiuit errare,& ueterẽ condemnat errorem.De eo enim dicitur errauit,qui in eo errore iam non sit.Nam is qui adhuc in errore permanet,non erasse dicitur,sed errare. Errare enim, permanentis in uitio est:erasse,corrigentis est lapsus.Deniq; emẽdator morũ ait: Eramus enim aliquando insipiẽtes,increduli,errantes in desiderijs & uoluptatibus.Nõ dixisset utiq;, eramus aliquando insipientes,nisi qui adeptus esset postea sapientię disciplinam.Neq; dixisset, eramus errantes,nisi superiorẽ deposuisset errorem. Deniq; ut abolitũ lapsum doceret, necullum offensionis resedisse uestigium, ait: Cum aũt benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri,non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos,sed secundũ suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spíritus sancti. Veteri ergo errore deposito & spíritu sancto atq; omni morũ emendatione renouatus dicit:Eramus enim aliquando errantes. Vides ergo quia errori renunciasse nõ uitij, sed profectus est.Postremo ipse te doceat dominus Iesus, si humanis consilijs uel sententijs non putas esse credendũ.Namq; in Euangelio suo ipse asseruit quòd pastor reliquit nonaginta & nouem oues,& unam requirit quæ errauit.Centesima ouis est,quam dicit errasse,perfectio & plenitudo numeri,ipsa te instruat & informet. Non immeritò cæteris antefertur,quia plus est à uitio se reuocasse,quàm prope uitia ipsa nescisse. Imbutos eñ uitijs animos exuere frenis cupiditatũ atq; emendasse,non solum perfectæ uirtutis, sed etiam cœlestis est gratiæ. Emendare etenim futura, attentionis humanæ est: præterita damnare,diuinæ est potestatis. Denique inuentam pastor ouem humeris imponit suis. Agnoscis utiq; mysteriũ,quomodo ouis lassa reficiatur, quia non potest aliter humana conditio lassa recreari,nisi sacramento dominicæ passionis,& sanguinis Iesu Christi,cuius principatus super humeros eius. In illa eñ cruce infirmitates nostras portauit, ut ibi omniũ peccata uacuaret.Meritò gaudent angeli,quia is qui errauit, iam non errat, iam suum est oblítus errorem.Non error igitur,sed cõsummatio est,ut altera docet interpretatio.Cõsummatio aũt,perfectio disciplinæ est. Vnde & Hieremias in suis Threnis sub hac lítera ait: Defecit iniquitas tua filia Sion,non adijciet te expellere adhuc. Visitauit iniquitates tuas filia Edom,reuelauit super peccata tua.Aduertisquoniam iniquitas nõ potuit sine dei uisitatione deficere, nec plena esse correctio nisi per gratiam domini saluatoris.Quomodo autem deficiat iniquitas, audi dicentem Ecclesiam: Exui tunicam ad Tit.3 Esa.9

meam, quomodo induã eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Veteris igitur hominis uestimentum uitijs erroris intextum, in lauacri regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere. Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorum. Tanta uis consummatæ emendationis est, ut in quandam pueritiæ redeat spiritalis ætatem, quæ uias erroris ignoret, crimen etiam si uelit non possit admittere, quia defuerit usum nosse peccandi. Etiam de huius literæ interpretatione satis dictum arbitror, nunc cognoscamus ex subditis, quæ sit uiri consummati sententia. Itaq; sic ait: Appropinquet oratio mea in conspectu tuo domine, secundum uerbum tuum intellectum tribue mihi.] Volare facit orationem bona uita, & dat alas precibus spiritales, quibus sanctorum ad deum euehatur oratio. Sed & spiritus quo oramus, subleuat precem iusti, maximè si corde contrito compatiens eam cõmendet affectus. Cõsummati aũt uiri ista est confidentia. Denicq; ipse Dauid in superioribus istius psalmi lucernam suis pedibus requirebat, ne in hoc itinere terreno ambulans posset errare. Nũc autem quasi iam in fine positus & processu, consummato uiandi munere totus assurgit, & orationem suam dirigit in cœlestia, mittit eam in conspectũ domini saluatoris, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, remigia deuotionis & fidei, innocentiæ, puritatisq; subsidia. Peccato enim grauescit oratio, & longè fit à deo. Tanto autem plus grauatur, quanto improbior est uita deprecantis. Innocentium autem ascendit oratio, et gemitus compatientis affectus, si

Exod. 1 Aegyptium lutum oderint, & opera terrena declinent. Denicq; sic legisti, quod Hebræorum, qui dura Aegyptiorum imperia ferre non poterant, & ut grauia, ita & lutulenta opera indigna sui nobilitate generis recusabant, gemitus & uox ascenderit ad dominum deum nostrum. Ascendit enim oratio: quia etsi operabantur, tamẽ operabantur inuiti. Descendebat itaq; ad illos dei misericordia, quia illorum ad deum ascendebat deuotio. Ascendebat itaq; non corporaliter. neq; enim propheta tantus precationem suam petebat corporaliter appropinquare. Nam qui ita putat, utiq; is Deum certo aliquo loco ac sede concludit, ut diffusiorem locum in quo deus sit arbitretur, cum utiq; inuisibilis, ineffabilis, incõprehensibilis impleat omnia, & diuinitatis in eo habitet plenitudo. Legi Moysem appropinquasse deo cum legem acciperet: sed solita Dauid uerecundia nõ semetipsum, sed orationem suam deo appropinquare postulat, ut uideatur ordo quidam esse distinctus, quòd ij qui perfectiores sunt, ipsi appropinquarent deo: sequẽtis autem ordinis iusti uiri satis habeant si appropinquet oratio. Ex usu autẽ nostri sermonis consideremus quid sit appropinquare, Constitue magistrũ atq; discipulum, si discipulus studiosius magistri uel hausit ingenium, uel præcepto intendit, ita ut ad similitudinẽ operis eius atq; doctrinæ proximè uideaẽ accedere, nónne dicere solemus quòd appropinquauit magistro? Ergo & tu si imitatorem te præbeas Christi, sicut & ille qui ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, si dolum nescias, mendacium oderis, ueritatem se-

1. Cor. 4 quaris, iustitiam nõ refugias, diligas castimoniam, appropinquasti Christo, & per Christum deo. Ipse uia est qua peruenitur ad patrem, qui apud patrem semper est. Didicimus quid sit appropinquare orationẽ, hoc est, eleuetur actibus nostris. Si eleuas actus tuos, eleuasti orationem tuam. Qui nouit leuare manus suas, dirigit orationem suam in con-

Psal. 140 spectu dei, sicut infrà legisti: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, ele-

Ibid. 108 uatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Hæc utiq; oratio ad uitam, alia oratio in peccatum. Et oratio, inquit, eius fiat in peccatum. Et tu si secularia petas, si flagitiosa postules, oratio tua non ad deum dirigitur, sed in peccatum. Ideoq; intellige quæ petas. Secundum, inquit, uerbum tuum mihi tribue intellectum. Aduerte quid postulet. Non intellectum generaliter dixit: sed intellectum secundum uerbum dei. Est enim intelle-

Luc. 16 ctus ad mortem, sicut est prudentia ad interitum. Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in hac generatione. Sed prudentia ista quæ seculi est, ad uitam non suffragatur æternam. Circa honorem, circa lucella est, quæstibus coaceruandis intenta, non meritis comparandis. Postremò circa elementa mundi est, phalerata magis quàm uera sapientia: ut est philosophia omnis, quæ aliena quærit, cum sua nesciat: scrutatur cœli plagas, mundi spacia rimatur, quæ sibi prodesse non possunt: deum ignorat, quem solum debet

1. Cor. 3 ret inquirere. Ideo uerus sapiens dicit: Si quis uidetur sapiẽs esse inter uos in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud deum. Elaboran-

dum est

dum est igit̃ ut in hoc seculo stultissimus, nihil nobis cum philosophia, ne fidem nostrã per elementa mundi huius traducat à uero, ne quis assertionẽ nostram per philosophiã deprædetur. Sic enim Arrianos in perfidiam ruisse cognouimus, dum Christi generatio nem putant usu huius seculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam quæ apud deum est, elegerunt disputationis tendiculas, & aucupia uerborum secundum dialecticæ disciplinam, cũ clamet Apostolus: Ne quis uos deprædetur per philosophiam, & inanem seductionem, secundum traditiones hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum. Vtinam possim imitari illam stultitiam qua sim sapiens, illum uirum habentem amplas possessiones, sed non negligentem fructum, intentum deo, illum uirũ qui honores etiam delatos sibi respuat, doctrinam philosophiæ non requirat: & si antè cognouit, tamen scire dissimulet, & non requirendo dediscat. Non quærat quæ sua sunt, sed alijs sua conferat, sibi acquirat æterna. Hic potest dicere, secundum uerbum tuum intellectum tribue mihi, id est, nõ secundum philosophos, non secundum causidicos, non secundum mercatores huius seculi, non secundum architectos domorum, sed secundum uerbum tuum, quod est ueræ sapientiæ bonorumq; operum fundamentum, ut super illud constituat propheta aurum cordis sui, argentum sermonis sui, lapides pretiosos operationum suarum, ut opus suum labi & perire non possit. Intret postulatio mea coram te, secundum uerbum tuum libera me.] Vide ordinẽ. Primùm dixit, Appropinquet oratio mea: postea intellectum poposcit. Secundum uerbũ tuum: tertiò ait: Intret postulatio mea coram te. Nónne quo dam dominus inuitat usu & suscipere dignatur affectu? Nónne cum aliquem de primarijs uiris desideras conuenire, primũ ad eius domum appropinquas, postea quęris informari atq; instrui, ut cognoscas mentem patrisfamiliâs, deinde ut eius domum ingrediaris imploras, ne quis te abijciat & excludat? Pulsa ergo & tu regiam illam cœlestem, pulsa non manu corporis, sed quadam rationis tuæ dextera. Non sola manus corporis pulsat, pulsat & uox. Scriptum est enim: Vox fratris mei pulsat ad ianuam. Pulsamus et digito. Deniq; & Thomas digito meruit ianuam resurrectionis aperire. Et ibi dicit Iesus: Infer digitum tuum huc, & mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Pulsa ergo digito, si non potes tota manu. Pulsa ianuam. Christus est ianua, qui ait: Per me si quis introierit, saluabitur. Cum hanc igitur ianuam pulsaueris, uide quomodo ingrediaris, ne fortè iam ingressus extra conspectum regis sis. Multi ingrediuntur palatia, & non statim regem istum terræ uident, sed frequẽter obseruant ut aliquando uideri mereantur. Nec præsumunt uidendi copiam, sed iussi repræsentantur, & precem fundunt, ut cum beneuolentia suscipiantur. Primus hic sui sermonis ingressus est, ne quid ti mubet, ne quid offendat. Quanto magis rogandus est deus, ut ostium misericordiæ suæ nostra ingrediatur oratio? Deniq; & Paulus rogat ut aperiatur sibi ostium uerbi ad loquendum mysterium Christi. Sed quia Græcus habet εἰσελθέτω ἀξίωμά μου, hoc est, Intret dignitas mea: licet potuerit scriptor errare, et fecerit ἀξίωσις, hoc est deprecatio: tamẽ hoc quoq; explanemus ut possumus. Nempe cum hominem rogas, regem te dicis, ut contemplationem habeat honoris tui, tangat eum tuæ contemplatio dignitatis: ut aut missẽ reatur si uenia est postulanda, aut deferat pro ordine dignitatis. Et quid dicam, Rogas? Sic unusquisq; ingreditur, ut dignitatibus deferatur. Rectè ergo & deuotus Deo dicit: Intret dignitas mea coram te. Habet & Christianus dignitatẽ suam, qui tanto imperatori militat. Sunt maximæ & ueræ fidei dignitates, sunt honorũ diuersi & apud Christum ordines. Posuit deus in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Sed istæ administrantiũ dignitates. Sunt etiam priuatorum: ut est pietas, iustitia, sobrietas, castimonia, disciplina. Sunt etiã oratiõis dignitates. Si pro uidua roges, si roges pro pupillo, si roges pro misericordi, si roges pro nimium deuoto ac fideli, si roges in tribulatione, roges cũ dolore, si mœsto & ipse qui rogas cõpatiaris affectu, intrat oratio tua dei gratiam, intrat domũ eius, si tecũ Ecclesia deprecetur, si populus uniuersus imploret ut domini inclinet fauorẽ. Quid autem rogat? Vt eruatur, ut liberetur eo quod iam diu aduersus nequitias spiritales, aduersus tentamenta huius seculi prælietur, eò quòd graue est satis longæuo, cursus istius diuturnã sustinere militiam. Deniq; & infrà dicit: Heu me q; incolatus meus prolongatus est. Ingemiscit em̃ quòd indefessas iugi labore tẽdat

Coloss. 2

Cant. 5
Ioan. 20

Ibid. 10

Ephes. 4

excubias. Ideo petit à tot aduersantibus liberari, nec cum terrenis hominibus uult habe-
re consortium. Eructabunt labia mea hymnũ, cùm docueris me iustificationes tuas.]
2.Cor.2 Eructuat hymnum, qui potest dicere: Bonus enim odor Christi sumus deo. Et bene eru-
ctuat, qui plurima & suauia præcepta domini gustauerit. Eructuat hymnũ, qui eructua-
uerit uerbum. Deniq; & Dauid ante eructuauit uerbum bonum, hic eructuat hymnum.
Bonum enim panem gustauit, qui de cœlo descendit. Bonum panem, quem si quis mã-
ducauerit, nõ morietur in æternum. Habet uerbum dei epulas suas, alias fortiores, ut est
lex & Euangelium: alias suauiores, ut sunt Psalmi, & Cantica canticorum. Eructabat hy
Cant.2 mnum ecclesia, uel anima pia, cui dicebat dei uerbum: Insinua mihi uocem tuam, quia
Cant.4 uox tua suauis est. Eructuabat hymnũ, cui dicebat: Fauum distillant labia tua ô sponsa,
mel & lac sub lingua tua. Sed non potest quis ante eructuare hymnum, nisi didicerit iu-
stitias dei, & didicerit ab ipso domino deo suo. Ideo specialiter hoc Dauid petit, ut eum
Matt.23 doceat deus. Audierat enim & cognouerat in spiritu quia unus magister est, & ideo u-
biq; ipsum doctorem fieri postulabat, ut ab ipso disceret iustificationes eius. Quomodo
cantare potest in metu positus, & timore pœnarum? Quomodo enim cãtare potest gra
uium sibi conscius delictorum, nisi prius fiat ueniæ securus? Deniq; in posterioribus ha
Psal.136 bes: Quomodo cantabimus cãticum domini in terra aliena? in qua impugnetur, in qua
captiuetur in lege peccati, in qua defleat atq; deploret suæ captiuitatis ærumnas? Et tu
ergo ede scripturarum cœlestium cibos, & ede ut permaneant tibi in uitam æternam, &
ede quotidie, ut non esurias, ede ut repleari, ede ut uerborum cœlestium eructes sagi-
nam. Spiritales epulæ non obesse solent, sed prodesse satiatis, ideoq; repleri uolebat Pro
Psal.70 pheta, qui dicebat: Repleatur os meum laude tua, ut cantem gloriam tuam. Qui cantat
dei gloriam, hymnum domino cor eius eructuat. Loquetur lingua mea uerbum tuũ,
quoniam omnia mandata tua iustitia est.] Qui didicerit iustitias dei, loquitur uerbũ dei:
& qui uerbum dei loquitur, ociosum uerbum non loquitur. Ociosum uerbum est, loqui
opera hominum. Ideo sanctus dicit dari sibi à domino gratiam, ut non loquatur os suũ
opera hominum, quia ociosum uerbum est: nec solum ociosum, sed etiam periculosum,
Matt.12 pro quo rationem reddituri sumus. Omne enim uerbum quodcunq; locuti fuerimus, red
detis pro eo rationem. Non enim mediocre periculũ est, cum habeas tanta eloquia dei,
& dei opera quæ fecit in Genesi, fecit in Exodo, fecit in Leuitico, Numeris, Deuterono
mio, Iesu Naue, Iudicum libro, Regnorum atq; Esdræ libris, fecit in Euangelio, in Acti-
Eccl.28 bus Apostolorum illis prætermissis loquaris quæ seculi sunt: audias quæ seculi sunt. Se-
pis aures tuas spinis. utinam & linguã obsepias, ne loquaris quæ seculi sunt, audias quæ
seculi sunt. Sed quod peius est, circundata est lingua tua spinis, quæ compungunt & uul
nerant loquentem quæ mundi sunt. Ideo aduersarius etiam orantibus frequenter secu-
lares offundit cogitationes. Si ergo non debemus audire aliena uel superflua, quãto ma
gis non debemus obloqui, cum dicat unicuiq; nostrum scriptura uenerabilis: Argẽtum
& aurum tuum alliga, & ori tuo fac iugum & pondus? Alliga sensum tuum fide, tacitur-
nitate alliga sermones tuos, impone iugum ori tuo, ne indomita ceruice uerborum sea
ret. Impone pondus, ut cauto omnia quæ loquimur trutinemus examine. Quibus ta-
men spinis sepias aures tuas, ut scriptura tibi dicit, nisi contrito corde, & timore iudicij?
Salubriter ista compungunt, stimulant ista, non uulnerant, licet & uulnera utilia sint a-
mici. Omnia, inquit, mandata dei iustitia est, quia sunt mandata iustitiæ, & ideo sine iusti
tia esse non possunt. Mandatum dei est ut diligas deum tuum. Vnde ait Apostolus Pau-
Rom.13 lus: Qui enim diligit proximum suum, legem impleuit: Scriptum est enim. Non adulte-
Exod.20 rabis, non occides, non furaberis, non concupisces. & si quod est aliud mandatũ, in hoc
uerbo instauratur. Si in hoc uerbo instauratur omne mandatum, quod uerbum iustitia
est: (quid enim tam iustum, ut diligas deum tuum, & diligas fratrem tuum?) utique o-
mnia dei mandata iustitia est. Sicut enim qui occidere potest fratrem suum, utique
non diligit: qui adulterat fratris uxorem, utique non diligit fratrem: qui furatur, qui
concupiscit alienum, utique non diligit eum quem fraudare desiderat: ita qui super-
be despicit fratrem, qui eum deformare conatur, qui pascitur eius iniurijs, à consor-
Psal.117 tio charitatis alienus est. Fiat manus tua saluum facere me, quoniam mandata tua ele
gi.] Aduentũ dñi uidetur orare, quia manus dei Christus est. Ipsum legimus dexterã dei,

de

de qua ſuprà ait: Dextera domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me. Cur ergo hic manum dixit, niſi fortè non ſolum propter diuerſitatem gratiæ quam ſcriptores nõ prętermittere ſolent, ſed etiam propter quandam proprietatem manuum dictum eſt, ut ibi dextera dicatur, ubi ſcribitur quòd exaltauit cum uirtute: hic manus, ubi intelligi oporteat quòd cum humilitate ſeruauit? Poteſt & ſic intelligi manus domini, ſicut dicit in uſu: Magna eſt manus illius regis. hoc eſt, magnus exercitus. &, illius inferior eſt manus. ut etiam hic intelligamus: Fiat adiumentum tuum atq; ſubſidium, ut mittas angelos tuos, opem tuam, ſubſidia potentiæ tuæ ad liberandum populum tuum. Hæc eſt manus dei, de qua ſcriptum eſt: Nónne omnes miniſtri ſpiritus ſunt, qui mittuntur in miniſterium propter eos qui futuri ſunt hæredes ſalutis? Qui ergo elegit mandata dei, utitur confidentia, ut cum authoritate depoſcat ſibi diuina ſubſidia. Concupiui ſalutare tuũ domine, & lex tua meditatio mea eſt.] Alius longæuitate uitæ iſtius delectatur, & concupiſcit uſq; ad depoſitæ ſenectutis tempora corporis huius uitam producere. Alij frangũtur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo poteſt dicere: Cum infirmor, tunc potens ſum. Beatos ſe putant, ſi inoffenſa ualetudinis commoditate potiantur, quibus non eſt infirmitas ad ſalutem. Horum quoq; nemo poteſt dicere: Concupiui ſalutare tuũ domine. ſuam enim magis ſalutem quàm ſalutare dei quærunt, medicis potius quàm ſcripturis obedientes. Contraria autem ſtudioſis diuinæ cognitionis, præcepta ſunt medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaq; qui ſe medicis dederit, ſeipſum ſibi abnegat. Qui autem quærit ſalutare Dei, Chriſtum ſequitur, qui dicitur ſalus dei: non quæ corporis, ſed quæ æterna ſunt quærẽs. Qui autem ſalutem dei quærit, die utique & nocte meditatur in lege. Iugis illi meditatio eſt diuinorum decretorum, neq; aliqua cura corporis huius auertitur à ſtudio diſciplinæ. Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.] Futuræ utiq; uitæ, non præſentis ſibi remuneratione blanditur. Hęc enim uita quomodo dici poteſt, de qua ſcriptum eſt: Et in puluerem mortis deduxiſti me? Quàm multi uiuentes in infer no ſunt? Ipſe Paulus cupiebat de corpore mortis huius liberari, qui uere concupiuit ſalutare dei, dicens: Diſſolui enim cupio, & cum Chriſto eſſe, multo enim melius: permanere autem in carne magis neceſſarium, quàm uoluntarium. Quomodo ergo uiuit anima operta mortis inuolucro? Aut quæ eſt uita quæ in umbra eſt? In regione umbræ mortis ſumus: abſcondita eſt uita noſtra non libera. Erit enim libera in regione uiuorum, in qua fiduciam complacendi iuſtus aſſumit, ut placeat Domino in regione uiuorum. Ibi ergo uiuit anima noſtra, ubi nihil mortale, nihil infirmum amicta ſit, nihil debitum pœnæ. Ibi laudabit dominum, ut depoſito infirmitatis corpore, conformis eſſe cœperit gloriæ corporis Chriſti. Nam dum in peccato ſumus, plene laudare quid poſſumus? Peccatori enim dixit deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? In umbra ſumus hic poſiti, in umbra uiuimus, perfecte in umbra laudare non poſſumus. Denique audiſti in poſteriori bus dicentes: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Adiuuant autem iudicia dei ſanctos, cum bonis operibus remuneratio uitæ confertur æternæ. Beatus qui dicit: Et iudicia tua adiuuabunt me. Ego infirmus, ego peccator timeo iudicia dei propter conſcientiam delictorum. mihi terrorem afferunt, me exagitant, ſanctos adiuuant. Sed tamen iuuabunt etiam peccatorem, licet diuerſo modo. Sanctus adiuuabitur, dum probatur: peccator adiuuabitur, dum humiliatur, dum caſtigatur ut peccata ſoluat duplicia: dum opus eius exuritur, ut ipſe ſaluus fiat, ſic tamen quaſi per ignem. Fortaſſis etiam ſic conuenit ſenſus: Si dignus fuero iudicio, dignus ero ut exuar conſortio impiorum, quoniam non reſurgunt impij in iudicium. Et adiuuabunt me iudicia, quoniam qui credit in domino, non iudicatur. Proderit illi fides, et ſuffragabitur ad ueniam, etiam ſi qua in operibus offenſa ſit. Erraui ſicut ouis quæ perierat, uiuifica ſeruum tuũ, quoniam mandatorum tuorum non ſum oblitus.] Græcus habet, Quære ſeruum tuum, hoc eſt ζήτησον, & potuit falli ſcriptor, ut ſcriberet ζῆσον, quod eſt uiuifica. Senſus quidem uterque conſtat, ſed opportunior eſt huic loco, Quære ſeruum tuum: quoniam ouis quæ erravit, quærenda eſt à paſtore, ne pereat. Ideo dicit, Erraui. Dic & tu iniquitates tuas, ut iuſtificeris. Quòd lapſum fateris, in eo tibi cum omnibus commune conſortium, quia nemo ſine peccato, negare hoc, ſacrilegium eſt. Solus enim

Heb. 1

2. Cor. 12

Pſal. 21
Philip. 1

Pſal. 49

Eſa. 43

deus

deus ſine peccato eſt. Confiteri hoc deo impunitatis remediũ eſt. Erraui, inquit. Sed qui errauit in uia, poteſt redire in uiam, reuocari poteſt in uiam. Et pulchrè addidit, Sicut ouis quæ perierat. Non enim perit qui agnoſcit errorem. Quęre, inquit, ſeruum tuũ, quoniam mandata tua non ſum oblitus. Veni ergo dñe Ieſu, quære ſeruum tuum, quęre laſſam ouem tuã, ueni paſtor, quære ſicut oues Ioſeph. Errauit ouis tua dum tu moraris in
Luc. 15 montibus. Dimitte nonagintanouem oues tuas, & ueni unam quærere quæ errauit. Veni ſine canibus, ueni ſine malis operarijs, ueni ſine mercenario, qui per ianuam introire non nouerit. Veni ſine adiutore, ſine nũcio, iam dudum te expecto uenturũ. Scio enim uenturum, quoniã mandata tua non ſum oblitus. Veni non cum uirga, ſed cum charitate, ſpiritusq; manſuetudine. Noli dubitare relinquere in mõtibus nonagintanouẽ oues tuas, quia in montibus conſtitutas lupi rapaces incurſare non poſſunt. In paradiſo ſemel nocuit ſerpens, amiſit ibi eſcam poſtq; Adam inde depulſus eſt. illic iam nocere non poterit. Ad me ueni, quem luporũ grauium uexat incurſus. Ad me ueni, quẽ eiectũ de paradiſo ſerpentis diu ulceris uenena pertentant, quia errauí à gregibus tuis illis ſuperioribus. Nam & me ibidẽ collocaueras, ſed ab ouilibus tuis lupus nocturnus auertit. Quę re me, quia ego te requiro. Quære me, inueni me, ſuſcipe me, porta me. Potes inuenire quem tu requiris: dignare ſuſcipere quem inueneris: impone humeris quem ſuſceperis. Non eſt tibi pium onus faſtidio, non tibi oneri eſt uectura iuſtitiæ. Veni ergo dñe, quia etſi errauí, tamen mandata tua non ſum oblitus. Spem medicinę reſeruo. Veni domine, quia & erraticam ſolus es reuocare qui poſſis, & quos reliqueris, non mœſtificabis. Et ipſi enim peccatoris reditu gratulabunt. Veni ut facias ſalutẽ in terris, in cœlo gaudiũ. Veni ergo & quære ouem tuam iam non per ſeruulos, non per mercenarios, ſed per temetipſum. Suſcipe me in carne quę in Adam lapſa eſt. Suſcipe me nõ ex Sara, ſed ex Maria, ut incorrupta ſit uirgo, ſed uirgo per gratiã, ab omni integra labe peccati. Porta me in cruce quæ ſalutaris errantibus eſt, in qua ſola eſt requies fatigatis, in qua ſola uiuent quicunq; moriunt. Pulchre aũt etiã uiuifica poteſt dici, eò quòd mori nS poſſit, quẽ humeris ſuis uirtus portauerit. Dicit ergo & anima, dicit & Eccleſia: Errauí ſicut ouis quæ
Cant. 3 perierat. Sed dicit: Quæſiui quem dilexit anima mea. hoc eſt dicere: Viuifica ſeruũ tuũ, quoniam mandata tua non ſum oblitus. Ego te quæſiui, ſed inuenire nõ poſſum te, niſi tu uolueris inueniri. Et tu quidem uis inueniri, ſed uis diu quæri, uis diligentius indagari. Nouit hoc Eccleſia tua, quia non uis ut te dormiens quærat, non uis ut te iacens inueniat. Denicq; pulſas ad ianuam, ut excites dormientem: exploras ſi cor uigilat, & caro
Epheſ. 5 dormit. Vis iacentem leuare, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Mittis manum per cauernam, ut ſurgat: & ſi tardius ſurrexerit, derelinquis. Vis ut quærat iterũ, & quærat à multis, & non obliuiſcatur quærere, nõ obliuiſcatur ſermones tuos: & ſi tenet eos, offeras te uidendum, non refugias teneri. Quæ cum te meruerit amplecti, oſtendet
Cant. 7 fructus ſuos, docebit non oblitam ſe mandatorũ tuorũ, dicens q; tibi: Veni frater meus exeamus in agrũ, & in floribus noſtris omnis fœtus arborũ. Noua & uetera frater meus ſeruauí tibi. Hoc eſt dicere: Teneo mandata omnia noui & ueteris Teſtamẽti. Sola hoc dicere Eccleſia poteſt. Non dicit alia congregatio, non dicit ſynagoga, nec ſecundũ litteram noua tenens, nec ſecundum ſpiritum uetera. Non dicit hæreſis Manichæa: Veteram noua tenens, nec ſecundum ſpiritum uetera. Non dicit hæreſis Manichæa: Veteram ſeruauí tibi quæ prophetas non ſuſcipit. Meritò dealbata cernit, quæ utriuſq; fulget gra
Ibid. 8 tia teſtamenti. Reſpondit ei ſponſus: Pone me ut ſignaculum in cor tuum, ut ſigillum in brachium tuum, quæ noua & uetera ſeruaſti mihi. Signaculum meum es, ad imaginem meam es & ſimilitudinem. Fulget in te imago iuſtitiæ, imago ſapientiæ, imago uirtutis. Et quia imago dei in corde eſt tuo, ſit & in operibus tuis, ſit effigies Euangelij in tuis factis, ut in tuis moribus mea præcepta cuſtodias. Effigies euangelij erit in te, ſi percutienti maxillam alteram prębeas, ſi dilígas inimicũ tuum, ſi crucem tuam tollas, & me ſequaris. Ideo crucem ego pro te portauí, ne tu propter me portare dubitares. Audierunt hoc filiæ Hieruſalem, q; iam dominus Ieſus ſibi Eccleſiam copulabat: & quia conſiderantes magnitudinẽ uerbi, impares ſe tantis nuptijs æſtimabant, ne forte tantæ copulæ põdus ſuſtinere non poſſent, excuſant dicentes: Soror noſtra parua, & ubera non habet. Sic enim qui uolunt differre nuptias, excuſare conſuerunt, ut prætendant immaturæ ætatis infirmitatẽ: & aſtruant quòd ubera nõ habeant, quæ nubilis ſignificant tempus ætatis.

Hoc

Hoc ſolet ſymbolum cõmune omnibus uirginibus eſſe nupturis, ut cum ubera cœperint eminere, tunc coniunctioni habiles iudicentur. Turbatæ igitur quod ſtudio dilecti eæ: Vel ut Symmachus, qua loquatur ei. hoc eſt, ſponſalium celebritate ſolet fieri collocutio & confirmatio nuptiarum. Quid ergo faciemus? dicunt turbatæ, quia urget coniunctio ſpiritalis: A tantis nuptijs excuſare non poſſunt. Nemo enim eſt qui copulã uel animæ & ſpiritus, uel Chriſti & Eccleſiæ non beatam putet. Sed quia plenitudo uerbi uel ſpiritus ſancti uibrat & fulget, & nihil eſt quod illis poſſit æquari, ideo differre deſiderant, ut illa dilatione uel anima uel Eccleſia poſſit eſſe perfectior. Dicunt ergo: Si murus eſt, ædificemus ſuper eum receptacula: & ſi ianua eſt, ſculpamus ſuper eam tabulas cedrinas. Murus eſt anima ſancti. Habet & Eccleſia muros ſuos, quæ iam perfectior dicit: Ego ciuitas munita. Hic eſt murus qui habet duodecim portas apoſtolicas, per quas populo nationũ patet ingreſſus in Eccleſiam. Sed murus quamuis ambitum totius urbis includat, tunc tamen eſt munitior, cum receptacula habuerit præparata in quib. propugnatores urbis tutũ ſpectandi ac tuendi poſſint habere ſubſidiũ. Sed quia rationalis hæc ciuitas eſt, & omnis ſpes eius in dei uerbo eſt: non ferrea, ſed argentea ei propugnacula requirunt, eloquijs cœleſtibus magis q̃ corporis uoluptatibus hoſtiles impetus repulſare conſueta. Eo fulta præſidio, eo ſplendore fulgens habilior Chriſti copulæ iudicatur. Et quia ianua Chriſtus eſt, qui ait: Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & eccleſia ianua nuncupat, quia per ipſam patet populis aditus ad ſalutẽ, ne hæreticorũ corrumpat tineis aut uermibus, dicunt filiæ Hieruſalem, uel angeli, uel animæ iuſtorũ: Aedificemus ſuper eam tabulas cedrinas. hoc eſt, fidei ſublimis bonũ odorem. Eſt enim ſuauis huius materiæ odor, quam nõ uermis, non tinea corrumpat. Ideo huius materiæ uſus eligitur tectorũ faſtigijs eleuandis formandiſq; literarũ elementis, quibus ætas puerilis ad ſtudium liberalis eruditionis imbuitur. Eſt ergo materia iſta ſublimis ad gratiam, leuis ad onus, ſuauis ad odorẽ, utilis ad inſtrumentũ ſcientiæ, habilis ad miniſteriũ cognitionis æternæ. Sed quemadmodũ ſponſam ſuam diligens Chriſtus urgebat ad copulæ ſpiritalis ſolennitatẽ, ita & Eccleſia uerbi decore iam capta feſtinabat ad nuptias. Ideoq; morus, & ubera mea turres, hoc eſt, nolite dubitare utrũ murus ſim. Illę enim dixerãt, Si murus eſt. Ego, inquit, murus ſum, & non parua ubera habeo, ſed ut turres ubera mea ſunt. Quomodo dicitis quia non habeo ubera? Senſus ut turres habeo ſapientiæ, in quib. eſt abundantia, ſicut ſcriptum eſt: Et abundantia in turribus tuis? His uberibus, id eſt, ſenſibus habilem ſe tantis nuptijs æſtimabat: ſed filiæ Hieruſalem adhuc non poterant eſtimare, quia ſenſuũ eius abundantiam non uidebant. Et addidit: Ego eram in oculis eius tanquam inueniens pacem. hoc eſt, deliberatis de meis ſenſibus, cum pacem dei inuenirim, quæ exuperat omnem mentem, & cuſtodit & corda & ſenſus in Chriſto Ieſu. Talis (inquit) eram in oculis ſponſi, qualis quæ habet pacẽ. Scriptũ eſt enim: Qui recte quærunt pacem, habebunt eam teſtimoniũ. Feſtinantibus igit̃ dilecto atq; dilecta, celebrata coniunctio ſpiritalis eſt, mutuo expetita conſenſu. Ideoq; tanquam nuptiale canẽs carmen, exultauit ſpiritus in propheta, dicens: Vinea facta eſt Salomoni in Belammon, de dit uineam ſuam ijs qui ſeruant. Clamat ergo ſpiritus, plantata eſt congregatio populorum, ſed uitis æternę radice fundata, & ſpiritalia ſub iugum uerbi corde manſueto colla ſubiecit. Plantata aũt in multitudine nationum. Hoc enim intelligendum Belammon, Symmachus, Aquila, aliæq; translationes Græco ſermone docuerunt. Repudiata eſt uetus copula quę fructum afferre non poterat, data eſt uinea nouis fidelibusq; cultoribus, qui non ſolum facere fructum poſſent, ſed etiam cuſtodire. Vna igitur ouis errauit, ſed reuocata totius ſpacia orbis impleuit. Vnam ouem error abduxerat, ſed multitudinem populorũ domini gratia congregauit. Errauit homo, ſed Eccleſia iam murus eſt, & murus ualidus. Errauit Adam, murus eſt Dauid, qui mandata dei oblitus non eſt. Cuſtodita igitur & uallata hæc uinea munimine ſpiritali, mille fructus dat Chriſto, ducentos autem cuſtodibus. Ideóque ait Eccleſia: Vitis mea in conſpectu meo, mille Salomoni, & ducenti ſeruantibus fructum. Perfectio & plenitudo Chriſti eſt portio ſeruulorum. Habes hoc myſterium in Geneſi, ubi quinque partes Beniamin fratri iuniori tribuit Ioſeph,

Cant. 8

Ioan. 10

Cant. 8

Pſal. 121

Philip. 4

Gen. 43

Ioseph, singulas reliquis fratribus. Domino igitur quinq; sensuum portio & prærogatiua defertur, quam illi utiq; tribuit ipse quem diligit, sicut dilexit Paulum, cui dedit ad euocandas gentes sapiẽtiæ principatum. His igitur fructibus delectata Ecclesia dicit ad
Gen. 43 Christum: Qui sedes in hortis, amici intendentes sunt uoci tuæ: uocem tuam insinua mihi. Delectabatur enim quòd in hortis Christus sedebat, & in hortis positi amici intendebant uoci eius. Sed quia amici illi de cœlestibus erant archangeli uel dominationes & throni (homines enim expulsi de paradiso fuerant propter inobedientiam cœlestium mandatorum, atq; ideo adhuc Ecclesia uocem eius audire non poterat, quam cupiebat audire) ideo ait: Vocem tuam insinua mihi. Vnde & nos si uolumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atq; muniti, feramus uirtutum flores, gratiæ suauitatẽ, ut disputantem angelis dominum Iesum audire possimus. Sed quia futurũ erat, ut cum ad plenitudinem Ecclesia peruenisset, persecutionibus uarijs tẽtaretur, ideo cum uerbi gratia delectaretur, subitò cernit insidias persecutorũ: & quæ plus sponso quàm sibi timeret, aut quia à persecutoribus Christus magis appetitur in nobis, ideo ait: Fuge frater meus, & similis esto tu capreolæ, aut hinnulo ceruorum super montes aromatum. Propter infir-
Matth. 10 mos fugit, qui tentamenta grauiora ferre non possunt. Ideo scriptum est ut de ciuitatib. ad ciuitates fugiamus: & si nos in hac ciuitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam. Propter infirmos igitur, ut diximus, fugiat persequentes, aut fugiat ab infimis, & transeat ad montes aromatum, qui pro martyrio odorem possint beatę resurrectionis afferre. Mon-
Psal. 86 tes aromatum sancti sunt. Ad eos confugit Christus, quia fundamenta eius in montibus sanctis. Ad eos igitur confugit, qui sunt eius stabilia fundamenta. In nobis fugit, in illis
1. Cor. 3 fida statione cõsistit. Mons igitur aromatum Paulus est, qui potest dicere: Bonus enim
Psal. 140 odor Christi sumus deo. Mons aromatum Dauid, cuius orationis odor ascẽdebat ad dominum: & ideo dicebat: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Symmachus autem & Aquila interpretati sunt quod Christus dicit ad Ecclesiam: Quæ sedes in hortis, hoc est iam in hortis sedes, superno digna es paradiso. & ideo uocem tuam insinua mihi, cui amici intendunt. Ego quoq; eam audire desidero. Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam in hortis passus est Christus.

TOMI QVARTI FINIS.

BASILEAE, PER HIER. FROBENIVM, ET NIC. EPISCOPIVM, AN. M. D. LV.


FRO.
BEN.